VIRTVTIS

venerar y defender
a Tu Pura Concepcion
En mi casa es tradicion
Ex Libris
José Luis Estrada

COLLECTIO MAXIMA CONCILIORU OMNIUM HISPANIÆ, ET NOVI ORBIS, &c.

Arnoldus Van Westerhout Ant. Corp. Del. et Sculp. Romæ Supr. Licentia

COLLECTIO MAXIMA CONCILIORUM OMNIUM HISPANIÆ, ET NOVI ORBIS,

EPISTOLARUMQUE DECRETALIUM CELEBRIORUM, NECNON PLURIUM MONUMENTORUM VETERUM AD ILLAM SPECTANTIUM:

CUM NOTIS ET DISSERTATIONIBUS,

QUIBUS SACRI CANONES, HISTORIA AC DISCIPLINA ECCLESIASTICA, ET CHRONOLOGIA, ACCURATE ILLUSTRANTUR.

TOMUS QUARTUS.

Curâ & studio

JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE,

Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Magiſtri Generalis, Regii ac Supremi Fidei Senatus Conſultoris, in Salmanticenſi Academia Doctoris Theologi, ac poſt plures alias cathedras Primarii ſacrorum Bibliorum Interpretis;

NUNC

S.R.E. PRESBYTERI CARDINALIS,

TITULI S. BALBINÆ,

PROTECTORIS REGNI SICILIÆ.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA BIBLIOTECA DE HUMANIDADES

ROMÆ, M. DC. XCIII.

Typis Joannis Jacobi Komarek Bohemi apud S. Angelum Cuſtodem.

SUPERIORUM PERMISSU.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

DECANUM ET VENERANDUM CAPITULUM
MAGNÆ ECCLESIÆ

HISPALENSIS,

TOTO ORBE CELEBERRIMÆ,

PRÆFATIO

JOSEPHI SAENZ CARDINALIS DE AGUIRRE,

SEU RATIO EORUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ICEAT tandem huic tam vaſto & laborioſo Operi coronidem imponere Epiſtola hac, ſeu Præfatione mihi gratiſſima, & jam diu deſiderata. Dum coràm alloqui non poſſum Illuſtriſs. D. V. ob tot ſpatia terræ ac maris interjecta; conveniam per literas, & rationem reddam eorum, quæ in hoc poſtremo volumine Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ continentur. Hoc teſtimonium amoris mei, ac venerationis filialis erga tantam Eccleſiam, communem noſtrûm matrem, cujus Canonicatu & Dignitate cohoneſtor, poſteritati conſignare viſum.

I. Porrò illud ducit initium ab anno Eræ Chriſtianæ MDXII. in quo Illuſtriſs. Archiepiſcopus D. DIDACUS DEZA Concilium Provinciale Hiſpalenſe celebravit. Volui ut extrema hæc pars totius Collectionis ordiretur, ſive auſpicium ſumeret à Synodo tam antiquæ, tam magnæ, & toto Orbe Chriſtiano venerandæ Eccleſiæ, cui ego tot nominibus obſtrictus ſum.

II. Poſſem dicere, non abſque veritate, etiam tria priora volumina præſeferre inſignia decora Eccleſiæ Hiſpalenſis; cùm non ſolùm in iis exhibeantur Concilia, & plura ſacra ipſius monumenta Notis illuſtrata; ſed etiam in veſtibulo aut fronte cujuſque Tomi appareant ſtatim inter Patres præcipuos Conciliorum Hiſpaniæ magna illa duo lumina, S. LEANDER, & S. ISIDORUS: ambo germani fratres, eadem ac ſumma generis claritate conjuncti: ambo ſanctitate ac doctrina eximii: ambo Archipræſules Hiſpalenſes, & oracula totius Hiſpaniæ: ille converſione Gotthorum ab Ariana perfidia ad Catholicam Fidem longè ac latè celeberrimus: iſte tot voluminum inſignium, & præſertim ampliſſima Conciliorum atque Epiſtolarum Decretalium Collectione, clarus.

III. Fe-

III. Felix ſanè Eccleſia, quæ immediata ſucceſſione duos adeò incomparabiles Præſules & Doctores habuit! de quibus penè uſurpari poſſit quod de JACOBO Hiſpaniarum Apoſtolo & JOANNE Euangeliſta, ſcripſit inclinante ſæculo nono Nicetas Paphlago, diſertiſſimus inter Græcos ſui ævi, mutatis utrorumque nominibus [a]: *Naturâ germani, ac fide germani: uno enim prolati patre, uti in terris Zebedæo* (Severiano) *ita in cœlis Deo. Solis diſcreti nominibus JOANNES atque JACOBUS* (ISIDORUS & LEANDER) *propemodum rebus concreti ac copulati: pares animo, pares gratiâ, ac virtute*, &c.

a Nicetas Paphlago. *Orat. Encomiaſt.* in S. Jacobum Zebedæi filiũ: Ἀδελφοὶ τῷ φύσιν, ἀδελφοὶ τῷ πίστιν. ἑνὸς γὰρ ἑκάτεροι πατρὸς, ὥσπερ τῷ Ζεβεδαίᾳ (Σεβεδαίᾳ) κἀτω, ὅπως ἄνω τῷ Θεῷ· ὀνόμασι μόνοις Ἰωάννης καὶ Ἰάκωβος (Ἰσίδωρος καὶ Λέανδρος) διενηλώχασι, μικρᾷ τοῖς πράγμασι συναπτόμενοι, ἴσοι τῷ γνώμῃ, ἴσοι τῷ χάριτι, ἴσοι τῷ ἀρετῇ. &c.

IV. Proſequitur paullò infrà Nicetas, & ſubjungit nonnulla de ambobus Apoſtolis germanis, quæ non abs re in illuſtre par fratrum eorundem Hiſpalenſium Præſulum quodammodo transferri poſſunt. [b] *Primis ſublimes ſedibus, pariſque honore, ac cunctis propemodum prælati, tanquam videlicet parem, primumque apud ſummum univerſorum Regem, conſequuti honorem.*

b Nicetas ibidem: Πρωτόθρονοι, καὶ ἰσότιμοι, καὶ πάντων μικρῷ φάναι πρόκριτοι, ὡς τῆς ἴσης καὶ πρώτης ἅμα τῷ παμβασιλεῖ καταξιωμένοι τιμῆς.

V. Sed multus ſim, ſi plures ejuſdem Nicetiani elogii periodos, non minùs opportunas, exſcribam in commune magnorum illorum fratrum, ſicut & iſtorum, decus, quæ apud laudatum auctorem legi poſſunt; præſertim ubi dicuntur, [c] *GEMINI OCULI SANCTISSIMI DECORIS JESU.* Nam cur veluti oculi JESU inter Præſules Eccleſiarum Hiſpaniæ non dicantur LEANDER & ISIDORUS? Ille in Concilio III. Toletano, omnium Nationis noſtræ celeberrimo, veram Deitatem & Conſubſtantialitatem (id eſt, ſummam excellentiam ac decorem) CHRISTO-JESU ab Ariomanitis impiè negatam, tam conſtanter, tam eruditè, tam feliciter aſſeruit, ut RECAREDUS Rex veſtigia ſequens, non Leovigildi patris ſui, ſed S. HERMENEGILDI fratris (ut loquitur S. Gregorius Magnus) publicè Arianiſmum abjuraret cum viris Principibus Gotthis, & ritè reconciliatus Eccleſiæ, ſacram communionem à LEANDRO reciperet. ISIDORUS verò eundem CHRISTI-JESU decorem ſervandum recepit, non modò contra Arianos, ſed etiam poſtea adversùs Acephalos in Concilio Hiſpalenſi II. præſertim cap. XII. & XIII. ac poſtea in ampliſſimo Concilio Toletano IV. cui præfuit, ſpeciatim cap. I. Jure itaque ambo fratres dici poſſunt inter Hiſpaniæ Epiſcopos, GEMINI OCULI SANCTISSIMI DECORIS JESU.

c Ibidem ὀφθαλμοὶ δύο τῆς εἰλικρινείας Ἰησοῦ.

VI. Quin & quod idem Nicetas [d] inter duos fratres Zebedæi filios, JACOBUM, majorem natu, appellavit DEXTRUM ECCLESIÆ OCULUM; id etiam nos rectè ad Eccleſiam veſtram

d Nicet. ſuprà: ΤΟΝ ΔΕΞΙΟΝ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΟΦΘΑΛΜΟΝ.

de

de LEANDRO dicere poſſumus, veluti majore fratre, immo & magiſtro ISIDORI, qui quaſi SINISTER OCULUS fuit. Ut proinde liceat adaptare Hiſpalenſi Eccleſiæ & urbi, propter ambos glorioſiſſimos fratres, quod olim Chryſoſtomus de Romana Eccleſia & urbe ajebat propter PETRUM ac PAULLUM: [e] *Hinc facta eſt inſignis magis, quàm ab aliis rebus omnibus: & tanquam corpus magnum ac validum, DUOS HABET OCULOS FULGENTES.*

[e] Chryſoſtom. *in Epiſt. ad Romanos* Serm. 32. in Exhort. Morali.

VII. Nam prætermiſſis plurimis aliis titulis longè antiquioribus excellentiæ ac claritatis inter alias Eccleſias & urbes, quæ potiùs ad Hiſtoricos & Encomiaſtas ſpectant, quàm ad inſtitutum hujus Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ; nemini dubium eſſe poteſt, inter omnia veſtræ Eccleſiæ decora ſummum eſſe ac fuiſſe, quòd prædicta duo Concilia Toletana III. & IV. cæteris longè ampliora ac celebriora, in quibus de capitali Chriſtianæ Religionis dogmate agebatur, alterum LEANDRI, alterum ISIDORI nutu, ſuaſu, auctoritate, immo & ſtylo, celebrata ac ſcripta fuerint. Unuſquiſque eorum inibi (quod olim Proſper de Auguſtino in Conciliis Africanis dixerat) veluti ingenium & lingua fuit.

VIII. Verùm & ea ISIDORI peculiaris laus ac gloria eſt, quòd Conciliorum omnium eouſque in Eccleſia celebratorum, & Epiſtolarum Decretalium Sedis Apoſtolicæ, quotquot invenire potuit, ampliſſimam Collectionem fecerit. Quod enim aliqui illam adſcribunt cuidam alteri Iſidoro, cognomento *Mercatori*, diverſo à noſtro Hiſpalenſi, prorſus alienum à vero eſt, uti palam oſtendimus Tomo I. in Apparatu ad Concilia Hiſpaniæ: quem ſatis diffuſum, nec parum laborioſum, impendimus in honorem ejuſdem S. ISIDORI, & vindicias Epiſtolarum Decretalium, quas ipſe compilavit. Licèt enim plurimę illarum priſcis Pontificibus adſcriptarum uſque ad tempus Syricii, videantur ſæpè interpolatæ, aut conſarcinatæ quibuſdam centonibus aſſutis, & vitiatæ anachroniſmis, prout exſtant ſaltem ab inclinante ſæculo octavo (juxta frequens eruditorum judicium, quod ibidem fusè examinamus) adhuc tamen locus eſt diſcernendi in iis germana à ſpuriis, & genuina ab adſcititiis. Quiſquis verò fuerit illarum interpolator aut mango (quod uſque adhuc nemo ſatis veſtigare potuit) certiſſimum eſt S. Doctorem longiſſimè fuiſſe ab eo nævo, & tales collegiſſe atque exhibuiſſe Epiſtolas, quales ſuo ipſius ævo circumferebantur. Hæc verò cùm in illo Apparatu longè ac latè oſtenſa à nobis fuerint; non eſt quòd hoc loci repetantur, ſed ſummùm indicentur ſuo loco conſulenda.

IX. Miſſis

IX. Miſſis itaque tot monumentis & elogiis Eccleſiæ veſtræ, quæ prioribus tribus Tomis hujus Operis ſparſa ſunt, & remiſſis lectoribus ad ſeriem tot inſignium Præſulum ſanctitate, doctrina, nobilitate, regimine, ac purpureo Cardinalatûs honore præſtantium, quos ingenti numero protulit; initium ducit Tomus iſte IV. ab illo Concilio Provinciali, quod celebravit Illuſtriſs. Archipræſul D. Didacus Deza, adjectis præterea Conſtitutionibus, quas antea ediderat ipſius deceſſor in eadem Sede, Eminentiſſimus juxta ac nobiliſſimus Cardinalis D. Didacus Hurtado de Mendoza: cujus elogium ex Ciacconio & aliis mutuatum ſuo loco exhibuimus.

X. Plura alia Hiſpalenſia Concilia ab eodem tempore uſque modò, adjungeremus libentiſſimè in hoc volumine. Verùm ſi qua habita fuerunt, non inveniuntur in ordinem digeſta. Quod ipſum ferè nobis contigit utroque hoc poſteriori ſæculo in pleriſque Eccleſiis, etiam præcipuis, Hiſpaniæ, ac Luſitaniæ. Quamvis enim compertum habeamus, plurimas Synodos, etiam Provinciales, in iis coactas fuiſſe, præſertim ad recipiendum & evulgandum magnum illud & celeberrimum Concilium Tridentinum; (quo nullum aliud poſt Nicænum I. doctius aut venerabilius in Eccleſia Catholica fuit, quicquid heterodoxi frendeant) paucas tamen illarum nobis, nulli labori parcentibus ad eas exquirendas, colligere, & hoc loco exhibere licuit. Itaque quas aut nunquam editas, aut jam inventu difficiles & raras, invenire contigit, luci publicæ modò damus, aut reſtituimus.

XI. Eccleſiæ Metropolitanæ, Cæſarauguſtana, Burgenſis, & Granatenſis in Hiſpania; Bracarenſis, & Elborenſis in Luſitania; quamvis aliquot Concilia Provincialia utroque hoc poſteriori ſæculo celebrâſſe dicantur; nullum eorum, quod ſciam, Latinè edendum curârunt, aut in ordinem redegiſſe inveniuntur. Veſtræ Eccleſiæ peculiaris laus eſt, quòd ſub initium præcedentis ſæculi prima omnium eas celeberrimas Synaxes inchoaverit: quas longè poſtea, & uberiùs quidem, Eccleſiæ aliæ Metropolitanæ, Toletana, Compoſtellana, Tarraconenſis, & Valentina, proſequutæ ſunt.

XII. Præter ea Concilia, quæ intra totius Hiſpaniæ ambitum celebrata fuerunt præcedenti ſæculo, viſum fuit adjungere nonnulla alia, eaque inſignia, habita in novo Orbe. Inter ea ſunt præſtantiſſima aliquot Provincialia, & plura Diœceſana, Apoſtolici illius viri TORIBII MOGROVEXI Archiepiſcopi Limenſis in Peruvia, aliàs civitatis Regum, jam pridem inter Beatos ab hac Sede Apoſtolica relati, ac propediem, uti ſperamus, ſupremam

ac

ac ſolenniſſimam in tota Eccleſia apotheoſin conſecuturi. Ille pretioſiſſimis heroïcarum virtutum gemmis, & margaritis innumeris doctrinæ, ſparſis per varias Synodos amplæ illius Metropoleos, longè opulentiorem Peruviam reddidit, quàm invenit. Præter alios ſpiritualis ſuæ curæ fœtus cœlo maturos, quorum cauſſæ præparantur in hac Sacra Rituum Congregatione examinandæ in ſolenne beatitudinis teſtimonium, numeratur imprimis S. ROSA DE SANCTA MARIA: id eſt, altera S. CATHARINA SENENSIS Peruviæ.

XIII. Certè ROSÆ nomen inditum à TORIBIO ſcribitur, dum ipſi ſacramentum Confirmationis adminiſtraret. Altercantibus enim avia & matre illius, qualiter nominanda eſſet; TORIBIUS controverſiam diremit, & ROSAM dici voluit, juxta roſeam ſpeciem, quæ in naſcentis infantulæ vultu apparuerat. Unde illud diſtichon in utriuſque lamina expreſſum:

Litem avia & mater renovant, quî virgo vocetur:
TORIBIUS ſcindit: jure puella ROSA eſt.

XIV. Felix ecquidem fuit annus Chriſti MDXXXVIII. in quo orti ſunt S. CAROLUS BORROMEUS, & B. TORIBIUS MOGROVEXUS: ambo clariſſima Eccleſiæ lumina: ambo innocentiâ vitæ, incorrupto virginitatis flore, charitate ardentiſſima erga Deum & homines, zelo ſalutis animarum, auſteritate vitæ, & virtutum omnium apice præcellentes: ambo Archiepiſcopi, & (quod maximè è re noſtra eſt) inſignium Conciliorum auctores: CAROLUS Mediolanenſium, TORIBIUS Limenſium. Certè Mediolanenſia, veluti edita, & per totam Europam diſtracta, vivente adhuc CAROLO, ab ejus tempore uſque modò ſummam celebritatem habuerunt. Limenſia verò TORIBII, tanquam celebrata in remotiſſimis partibus Novi Orbis, licèt ibidem magno in pretio ſemper habita, non facilè potuerunt æqualem in Europa celebritatem nanciſci, donec occaſione Beatificationis ipſius, Romæ nuper edita fuerunt, quamvis anguſtiori forma, quàm modò prodeant in hac noſtra Collectione. Sanè utraque Apoſtolicum ſpiritum amborum Archipræſulum oſtendunt, uniuſcujuſque ditionis indoli ac genio accommodatum. nam Peruvianos illos, longè ampliùs diſſitos à nobis, quàm *diviſos toto Orbe Britannos*, & tempore TORIBII neophytos magna ex parte, ac veluti primitias Chriſtianiſmi in Peruvia, oportuit peculiaribus quibuſdam decretis ac documentis inſtrui, eorundem ruditati ac conditioni infirmæ adaptatis, quæ in Conciliis ipſius & Catechiſmis leguntur.

XV. Porrò ea omnia à B. TORIBIO celebrata fuerunt ab anno MDLXXXIII. uſque ad MDCVI. intra quem, ſexageſimum octavum ſuæ ætatis, die 23. Martii, Feriâ v. Cœnæ Domini ſacrâ, Apoſtolicus vir, meritis cumulatiſſimus, feliciſſimam, ſignis cœleſtibus nobilitatam, & à ſe longè antea prædictam, mortem obiit, cum ingenti planctu ac deſolatione totius Peruviæ. Provinciale I. ab ipſo celebratum ann. MDLXXXIII. poſtea à DD. Cardinalibus, poſt nonnulla addita aut detracta, probatum fuit, & confirmatum auctoritate Xyſti V. anno MDLXXXVIII. & juxta eandem cenſuram editum anno ἀμέσως ſequenti apud Matritum, ac recuſum Romę tandem cum aliis Conciliis ejuſdem Beati, an. MDCLXXIII. ſub Clemente X. adjectis quibuſdam Notis R. P. Fr. Franciſci Haroldi, natione Hiberni, inſtituto Franciſcani, ac Sacræ Theologiæ Profeſſoris emeriti.

XVI. Præterea ex Conciliis in nova Hiſpania celebratis uſque modò nullum aliud nanciſci potuimus, quàm Mexicanum Provinciale, idque revera inſigne ac doctiſſimum, anni MDLXXXV. Præſide D. Petro Moya de Contreras Archiepiſcopo Mexicano: quod poſtea Romæ confirmatum fuit die viceſima ſeptima Octobris MDLXXXIX. prævio examine DD. Cardinalium, & Matriti editum MDCXXI. deinde recuſum Pariſiis MDCLXXII. in Collectione Maxima Labbeana. Duorum autem Mexicanorum, pariter Provincialium, quæ præceſſiſſe dicuntur, neutrum habere potuimus, ac forſan nec edita unquam fuerunt, licèt in hoc noſtro interdum citentur.

XVII. Monumenta aliquot ſacra, inſtar Synodorum aut Conſtitutionum, S. THOMÆ DE VILLA-NOVA, Archiepiſcopi Valentini, gemmæ Sacerdotum, & ſuo tempore inter Eccleſiæ Præſules longè ac latè fulgentis, inſtar ſolis inter ſidera, adjunximus Conciliis in eadem archidiœceſi celebratis à digniſſimo ipſius ſucceſſore, ac viro multis nominibus eximio & venerando D. JOANNE DE RIBERA, Patriarcha Antiocheno: cujus admiranda Vita jam pridem edita, & cœleſtia dona, virtutes præcellentiſſimæ, miracula, atque aliæ id genus dotes, id effecêre, ut communi Eccleſiarum ac populorum Hiſpaniæ voto deſiderentur ab hac S. Sede ſupremi illius honores in toto Orbe Chriſtiano, & ut, quamprimum fieri poſſit, in Faſtos Beatorum referatur. Interea nihil certò pronunciare audemus, niſi hoc ſolùm, quòd dum viveret, à B. PIO V. S. CAROLO BORROMEO, S. LUDOVICO BELTRANDO, ac Romanis Pontificibus uſque ad Paullum V. (tamdiu enim ille vixit)

ſum-

ſummo in pretio ac veneratione habitus fuerit. Nonnullas prædictorum Epiſtolas ad ipſum exhibemus propriis locis, & quædam alia obſervatu digna.

XVIII. Sed & uberiùs ac fructuoſiùs ampliandæ huic Collectioni, viſum adjungere Epitomen Conſtitutionum Synodalium ejuſdem Eccleſiæ Valentinæ, decurrentium fluxu quatuor ſæculorum, ab anno circiter MCC. uſque ad MDLXXX. quo tempore primùm ſub eodem venerabili Archipræſule illæ in ordinem digeſtæ atque editæ fuerunt.

XIX. Idipſum obſervavimus circa Conſtitutiones Tarraconenſis Eccleſiæ, factas trium ferè ſæculorum ſpatio, & ab incomparabili viro, & ſcriptis ſuis ubique terrarum celeberrimo, D. Antonio Auguſtino Archiepiſcopo Tarraconenſi, collectas in unum volumen, ac poſtea aptiori adhuc ordine recuſas ab ipſius ſucceſſore in eadem Sede D. Joanne de Teres.

XX. Plura alia Mss. ejuſdem Antonii Auguſtini, & aliorum illuſtrium Hiſpaniæ virorum, ad ſcopum hujus Operis ſpectantia, & lectu digniſſima, ſuis locis adjunximus. Præterea eruditiſſimorum quorundam hominum, qui ſpeciatim adjutrices præbuere manus iis Conciliis Hiſpaniæ formandis, aut in ordinem digerendis, elogia quædam adjungere viſum, magnam partem delibata ex Bibliotheca Hiſpana, jam pridem duobus juſtis voluminibus Romæ edita ab eximio illo Collectore, ſubacti judicii & exactiſſimæ criſeos nomine ubique celebri, D. Nicolao Antonio, Jacobęo Equite, Romę primùm Agente, ut ajunt, Catholicæ Majeſtatis, & demum Matriti Conſiliario Regio. Illius fragmentis, quaſi totidem adamantibus, laciniam quorundam monumentorum intexere aut locupletare viſum, donec in lucem σὺν Θεῷ proferamus BIBLIOTHECAM VETEREM HISPANIÆ, ejuſdem amici (heu!) quondam noſtri manu ſcriptam, apud nos exſtantem, & nunquam hactenus editam, cui perficiendæ immortuus fuit.

XXI. Eam ob cauſſam Conciliis hoc volumine contentis adjunximus elogia hinc inde accepta, non modò quorundam S. R. E. Cardinalium, & Præſulum, qui ea celebrârunt; ſeu etiam aliorum virorum pietate & eruditione inſignium, qui iis intervenerunt conſilio vel directione, aut dicta proprio & eleganti ſtylo compoſuerunt. quales præcipuè fuerunt, magnus ille, & ad miraculum uſque eruditus, Benedictus Arias Montanus, verè πολύγλωττος & πολυγραφώτατος, Hiſpalenſis urbis, patriæ ſuæ, immo & totius Hiſpaniæ decus: ac Joannes Baptiſta Perez, exacto vir judicio, ac veterum

monumentorum accurata obſervatione clarus, cujus plura Mss. ſatis pretioſa, penes nos exſtant, dono Excellentiſſimi ac literatiſſimi Marchionis de Mondexar. Ambo illi nimirum intervenere Concilio Toletano Provinciali, celebrato anno MDLXXXII. Præſide Eminentiſſimo Cardinale Archiepiſcopo D. Gaſpare de Quiroga, & nunquam edito hactenus, donec additis correctionibus quibuſdam, aut explicationibus Romæ factis ab hac Sacra Congregatione Cardinalium, illud prælo exprimendum curavimus.

XXII. Sed & animus fuerat, quando Synopſin totius Operis edendi in Hiſpania prælo commiſimus anno MDCLXXXVI. plurima proferendi elogia illorum virorum inſignium noſtræ nationis, qui præcedente ſæculo intervenerunt Conciliis Generalibus Lateranenſi ac Tridentino; exhibitis quoque quamplurium illorum doctiſſimis orationibus in magnis illis Congregationibus. At poſtea placuit ea omnia prætermittere, tum quòd viderentur extranea inſtituto hujus Operis, ad ſola ferè Concilia & Synodos præſtantiores Hiſpaniæ reſtricto: tum ne vaſtiſſima mole deterreret lectores, illos præcipuè, quibus altè inſedit illud Græcorum dictum: * μέγα βίβλος, μέγα κακόν.

* *Magnus liber, magnum malum.*

XXIII. Itaque ſufficiat nunc Excurſu celeri indigitare Reges Hiſpaniæ, Oratores, Præſules, Doctores, Concionatores, & demum quoslibet viros inſignes, qui in utrumque id Generale Concilium, Lateranenſe ultimum, & Tridentinum, aliquid contulerunt; prætermiſſis eorundem literis, orationibus, & elogiis, quæ in Epitome illa Conciliorum olim Salmanticæ editâ anno MDCLXXXVI. promiſeramus. Qui ea omnia plenè legere voluerit, inveniet apud Collectionem Conciliorum Labbeanam To. XV. exceptis elogiis, quorum aliqua ſaltuatim exhibemus in hoc ipſo volumine. Sed & dum plura alia prætermittimus, licebit ſaltem proferre nomina eorum omnium, qui titulo aliquo legationis, dignitatis, aut doctrinæ, eiſdem duobus Conciliis interfuerunt, aut aliquid contulerunt, ordine annorum ſervato juxta ſeriem in ea Epitome contextam.

Circa Concilium Lateranenſe.

Ann. MDXI.

XXIV. Mandatum Sereniſſimi FERDINANDI Regis Catholici Aragonum, & Gubernatoris Caſtellæ ac Legionis, &c. pro Sereniſſima Regina D. JOANNA ipſius filia, ad Concilium Oecumenicum Lateranenſe, coactum à JULIO II. Papa: cui auxilium & obſequium offert per ſe & per Oratores ſuos ad id celebrandum & perficiendum.

dum. Literæ Regiæ datæ fuerunt Burgis die ſecunda Decembris anni MDXI. Initium: *Notum facimus*, &c.

Mandatum Sereniſſimi EMMANUELIS Regis Luſitaniæ, miſſum ad Concilium Lateranenſe per Oratorem D. Triſtanum de Acuña, & Doctores Didacum Pacheco, ac Joannem de Faria, anno MDXII. Ann. MDXII.

Oratio Balthaſaris del Rio, ſcholaſtici Eccleſiæ Mindonienſis, habita in Concilio Lateranenſi, ſive Exhortatio ad invictiſſimum Regem Hiſpaniæ FERDINANDUM, ut opem ferat cæteris Chriſtianis Principibus adversùs Othomannos, nunc in Hungariam irruentes. Habita fuit anno MDXII. MDXII.

Circa Concilium Tridentinum, monumenta varia, & lucubrationes Hiſpanorum.

XXV. Mandatum CAROLI V. Imperatoris, cognomento MAXIMI, Hiſpaniarum Regis, ad Concilium Tridentinum: cui celebrando auxilium obtulit per duos Oratores ſuos, alterum Germanum, Hiſpanum alterum. Literæ datæ fuerunt Auguſtæ Vindelicorum die primo Julii, anno MDLI. MDLI.

Alloquium Oratorum CAROLI V. ad Concilium poſt exhibitionem mandati prædicti.

Reſponſum Concilii ad Oratores Imperatoris. MDXLV.

Concio Magiſtri Fr. Dominici Soto, Ordinis Prædicatorum, Primarii apud Salmanticenſes Theologi, habita in Concilio Tridentino Dominicâ primâ Adventûs anno MDXLV. *De extremo Judicio.* *Elogia illius, & aliorum ſequentium, quære in Bibliotheca Hiſpana Clariſs. V. D. Nicolai Antonii, ſub propriis uniuſcujuſque nominibus, & cognominibus.*

Oratio Illuſtriſſimi & eruditiſſimi D. Didaci Hurtado de Mendoza, Oratoris Cæſarei coram Legatis Sedis Apoſtolicæ, habita Tridenti die tertia Maji, anno MDXLVI. MDXLVI.

Oratio Illuſtriſs. D. Franciſci de Toledo, Oratoris CAROLI V. quatenus Hiſpaniarum Regis, ad Synodum Tridentinam 8. Aprilis MDXLVI.

Reſponſum Synodi ad eundem Oratorem.

Literæ Sereniſſimi JOANNIS III. Regis Luſitaniæ ad Summum Pontificem PAULLUM III. ſcriptæ apud Eboram 29. Julii MDXLV. & in Concilio Tridentino lectæ. MDXLV.

Concio R. P. Fr. Bartholomæi Carranza, Theologi, Ordinis Prędicatorum (poſtea Archiepiſcopi Toletani) habita ad Synodum Tridentinam Dominicâ primâ Quadrageſimæ in illa verba Actor. 1. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* MDXLVI.

Apo-

Ann. MDXLVI. Apologia Gaſparis Cardillo Villalpandæi, Segobienſis, Doctoris Theologi, pro indictione Concilii Tridentini, adversùs Joannem Fabricium Montanum, edita anno MDXLVI. in qua expoſtulationes, nugas, & convicia adversùs indictionem Synodi, ejuſque Patres, refellit nervosè & diſertè, ac Montanum ipſum, & Sectarios omnes Tridentinam Synodum criminantes.

MDLII. Oratio Franciſci Herediæ, Doctoris Theologi, Eleemoſynarii & Concionatoris Eccleſiæ Cathedralis Turiaſſonenſis, in ſolenni die omnium Sanctorum ad Patres habita in Concilio Tridentino, anno MDLII.

MDLXII. Comparitio Oratoris Sereniſſimi Sebaſtiani Portugallię Regis die 9. Februarii, anno MDLXII.

Literæ ejuſdem Sebaſtiani Regis Portugalliæ, ad Concilium Tridentinum exhibitæ per ejus Oratorem die 9. Februarii, anno MDLXII. in Congregatione Generali, & poſtea in Seſſione ſecunda, die 26. ejuſdem menſis.

MDLXII. Mandatum Sebaſtiani Regis Portugalliæ in perſona ſui Oratoris, in Concilio Tridentino, in ejus comparitione coram Generali Congregatione, nona die Februarii, & in Seſſione ſecunda, die 26. ejuſdem menſis anno MDLXII.

MDLXII. Oratio habita nomine Sereniſſimi Portugalliæ Regis D. Sebaſtiani in Concilio Tridentino 9. Februarii, MDLXII.

Reſponſum Sanctæ Synodi, datum illuſtriſſimo Oratori Sereniſſimi D. Regis Portugalliæ, in ejus comparitione, die 9. Februarii MDLXII.

MDLXII. Comparitio Oratoris Sereniſſimi Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici, ejuſque mandatum exhibitum in Concilio Tridentino, die 16. Martii, MDLXII. & in Seſſione tertia die 14. Maji, ejuſdem anni.

Oratio Galeatii Brugoræ, Patricii Mediolanenſis, & Patroni Regii Fiſci, habita Tridenti in Concilio Patrum nomine illuſtriſſimi Marchionis Piſcariæ, Oratoris Regis Catholici, die 16. Martii, MDLXII.

MDLXII. Reſponſum Sanctę Synodi in admiſſione Oratoris Sereniſſimi Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, die 16. Martii MDLXII. & in Seſſione tertia die 14. Maji.

MDLXIII. Comparitio Illuſtriſs. Comitis de Luna, Oratoris Philippi II. Regis Catholici Hiſpaniæ in Generali Congregatione, die 21. Maji MDLXIII.

MDLXIII. Proteſtatio facta ab illuſtriſſimo D. Comite de Luna, Oratore

tore Philippi Regis Catholici, in ejus prima comparitione, in Generali Congregatione, die 21. Maji MDLXIII. ſuper præcedentia, quam ſibi deberi proximam Oratoribus Regis Romanorum aſſerit.

Reſponſio Oratorum Chriſtianiſſimi Regis ad proteſtationem Oratoris Regis Catholici, ſuper præcedentia in Generali Congregatione, die 21. Maji MDLXIII.

Mandatum Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici, exhibitum ab illuſtriſſimo D. Comite de Luna ejus Oratore, in Generali Congregatione, die 21. Maji MDLXIII. verùm antea ſcriptum Matriti 20. Octobris MDLXII. Ann. MDLXIII.

Oratio Petri Fontidonii Segobienſis, Doctoris Theologi, habita ad Patres in Sacro Concilio Tridentino, nomine illuſtriſſimi viri D. Claudii Fernandez Quignonis Comitis Lunæ, Oratoris Regis Catholici, die 22. Maji MDLXIII. MDLXIII.

Reſponſum Sanctæ Synodi, in admiſſione illuſtriſs. D. Comitis de Luna, Oratoris Sereniſſimi Philippi Regis Catholici, datum in Generali Congregatione, die 21. Maji, anno MDLXIII. MDLXIII.

Oratio Reverendiſſimi P. Fr. Franciſci de Zamora Hiſpani, Generalis Miniſtri Ordinis Minorum, habita ad Patres Concilii Tridentini, Dominicâ ſecundâ Quadrageſimæ, anno MDLXII. MDLXII.

Oratio Gaſparis Cardillo Villalpandæi, Segobienſis, Doctoris Theologi, ad ſacroſanctam Synodum Tridentinam habita, anno MDLXII. in qua ex inſtituto demonſtrat, calicem ſanguinis Chriſti non eſſe laïcis miniſtrandum. MDLXII.

Oratio Joannis Fonſecæ Hiſpani, Theologi Reverendiſſimi D. Archiepiſcopi Granatenſis, habita in Concilio Tridentino, feriâ vj. in Paraſceve, anno MDLXII. MDLXII.

Concio R.D. Didaci de Payva & Andrade, Luſitani, Doctoris Theologi, ad Patres Tridentinos, habita Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha, ann. MDLXII. ad illa Chriſti verba apud Joannem cap. 10. *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.*

Concio Doctoris Petri Fontidonii, Hiſpani, Segobienſis, Theologi Reverendiſſimi Petri Gonzalez de Mendoza, Epiſcopi Salmantini, habita ad ſacroſanctam Synodum Tridentinam, Dominicâ ſanctiſſimæ Trinitatis, viceſimâ quartâ Maji, MDLXII. ad illa verba; *Abſque Synagogis facient vos*. Joannis cap. 16.

Oratio Gaſparis Cardillo Villalpandæi, Segobienſis, Doctoris Theologi, *De Primatu S. Petri*, ad Concilium Tridentinum habita ipſo die feſto SS. Apoſtolorum Petri & Paulli, anno MDLXII. ad MDLXII.

illa

illa verba: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16.

Concio Euangelica Joannis Baptiſtæ Burgos, Auguſtiniani, Doctoris Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici, ad Patres Concilii Tridentini, habita Dominicâ tertiâ Adventûs, an. Dom. MDLXII. *De quatuor exſtirpandarum hæreſum præcipuis remediis.*

Anr. MDLXIII. Oratio *De nomine JESU*, ad ſacroſanctam Synodum Tridentinam, auctore Gaſpare Cardillo Villalpandæo, Segobienſi, Doctore Theologo, anno MDLXIII.

MDLXIII. Concio *De tribus Domini noſtri JESU CHRISTI tentationibus*, habita Tridenti per Fr. Joannem à Ludegna, Doctorem Theologum Dominicanum, Dominicâ primâ Quadrageſimæ, anno MDLXIII.

MDLXIII. Oratio R. P. Magiſtri Fr. Joannis Gallo, Burgenſis, Hiſpani, Theologi Sereniſſimi Regis Hiſpaniæ Philippi II. Ordinis Prædicatorum, in laudem ſanctiſſimi Doctoris Thomæ Aquinatis, habita ad Patres Tridentinos anno, ut videtur, MDLXIII.

MDLXIII. Diſputatio Theologica *De cœlibatu ſacerdotum*, quâ Fr. Joannes de Ludegna Hiſpanus, Doctor Theologus, Ordinis Prædicatorum, reſpondet ad duos ex articulis Theologicis de matrimonio, propoſitis publicè in Oecumenica Synodo Tridentina, adversùs Calvinum, Lutherum, ac gregales utriuſque, anno, ut apparet, MDLXIII.

MDLXIII. Oratio ad Patres in ſacra & Oecumenica Synodo Tridentina habita à R. P. Fr. N. Contreras, Hiſpano, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Theologo Regis Catholici, Dominicâ ſecundâ Quadrageſimæ, anno MDLXIII. ad Eccleſiæ reformationem perſuadendam.

Concio R. P. Magiſtri Chriſtophori Sanctotiſii, Hiſpani, Burgenſis, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, *De ſignis veræ Eccleſiæ agnoſcendæ*, habita ad ſacroſanctam Oecumenicam Synodum Tridentinam, Dominicâ tertiâ Quadrageſimæ, anno MDLXIII.

Oratio, ſive Apologia Petri Fontidonii, Hiſpani, Doctoris Theologi, ad Germanos, pro ſacro & Oecumenico Concilio Tridentino, adversùs Joannem Fabricium Montanum: occaſione deſumpta ex verbis illis Proverbiorum 26. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.*

CATA-

CATALOGUS

Oratorum, Præſulum, Doctorum, ac Concionatorum Nationis Hiſpanicæ, qui intervenerunt Concilio Tridentino.

Ex Oratoribus Eccleſiaſticis.

DON Fr. Martinus Roxas Portalrubeo Hiſpanus, Orator Religionis Hieroſolymitanæ. Ab anno MDXLV. Ad MDLXIII.

Oratores Regis Catholici Philippi II. quinque ſuprà laudati.

Porrò ex iis Comes de Luna obiit Tridenti 20. Decembris MDLXIII. abſoluto jam Concilio: ibique ſepultus fuit.

Archiepiſcopi Hiſpani.

D. Petrus Guerrero, Archiepiſcopus Granatenſis.

D. Antonius Parrages de Caſtillexo, Archiepiſcopus Calaritanus.

D. Fr. Bartholomæus de Martyribus, Luſitanus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Bracarenſis.

D. Gaſpar Cervantes de Gaëta, Hiſpanus, Archiepiſcopus Meſſanenſis, poſtea Cardinalis.

Epiſcopi Hiſpani.

D. Petrus Auguſtinus, Epiſcopus Oſcenſis, & Jaccenſis.

D. Joannes Suarez, Luſitanus, Ordinis S. Auguſtini, Epiſcopus Conimbricenſis.

D. Martinus Perez de Ayala, Hiſpanus, Epiſcopus Segobienſis. *Vide Elogium illius infrà* pag. 90.

D. Bartholomæus Sebaſtianus, Hiſpanus, Epiſcopus Pacenſis.

D. Joannes Antolinez Brecianos de la Ribera, Hiſpanus, Epiſcopus Juvenacenſis.

D. Didacus de Almanſa, Hiſpanus, Epiſcopus Caurienſis.

D. Gaſpar de Coſal, Luſitanus, Ordinis S. Auguſtini, Epiſcopus Leyrenſis.

D. Antonius de S. Michaële, Hiſpanus, Ordinis S. Franciſci, Epiſcopus Montis-Marani.

D. Aciſclus Moya de Contreras, Hiſpanus, Epiſcopus Vicenſis.

D. Arias Gallego Hiſpanus, Epiſcopus Gerundenſis.

D. Hieronymus Gallego Hiſpanus, Epiſcopus Ovetenſis.

D. Joannes de Muñatones Hiſpanus, Ordinis S. Auguſtini, Epiſcopus Segobienſis.

D. Franciſcus Blanco Hiſpanus, Epiſcopus Aurienſis.

D. Franciſcus de Aguirre Hiſpanus, Epiſcopus Crotonenſis.

D. Andreas de Cueſta Hiſpanus, Epiſcopus Legionenſis.

D. Antonius Corrionero Hiſpanus, Epiſcopus Almerienſis.

D. Antonius Auguſtinus Hiſpanus, Epiſcopus Ilerdenſis, poſtea Archiepiſcopus Tarraconenſis. *Vide Elogium illius infrà* pag. 653.

D. Lupus Martinez Hiſpanus, Epiſcopus Elnenſis.

D. Joannes de Quiñones Hiſpanus, Epiſcopus Calagurritanus.

D. Didacus Covarrubias de Leyva Hiſpanus, Epiſcopus Civitatenſis, poſtea Segobienſis, demum Conchenſis deſignatus, & Præſes Senatûs Caſtellæ. *Vide Elogium illius infrà* pag. 56.

D. Guillermus Caſſador Hiſpanus, Epiſcopus Barcinonenſis.

D. Petrus Gonzalez de Mendoza Hiſpanus, Epiſcopus Salmanticenſis.

D. Martinus de Corduba & Mendoza, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Dertuſanus.

D. Petrus de Xaque Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Niochenſis.

D. Melchior de Voz-mediano Hiſpanus, Epiſcopus Guadixenſis.

D. Didacus de Leon Hiſpanus, Ordinis Carmelitarum, Epiſcopus Columbrienſis.

D. Didacus Ramirez Hiſpanus, Epiſcopus Pampilonenſis.

D. Franciſcus Delgado Hiſpanus, Epiſcopus Lucenſis.

D. Jacobus Gibertus de Nogueras Hiſpanus, Epiſcopus Aliphanus.

D. Petrus Fragus Hiſpanus, Epiſcopus Uſallenſis, poſtea Algarenſis.

Abba-

D. Auguſtinus Loſcus, Abbas S. Benedicti de Ferraria Congregationis Caſſinenſis, Hiſpanus.

D. Coſmas Damianus, Benedictinus, Hiſpanus, Abbas Villæbertrandi, & Theologus Philippi II.

Generales Hiſpani.

R. P. Fr. Franciſcus de Zamora, Generalis Ordinis Minorum, de quo ſuprà. Ab anno MDXLV. Ad MDLXIII.

R. P. Didacus Laynez, Generalis Societatis Jesu.

Theologi Hiſpani à Pontificibus miſſi.

Magiſter Fr. Petrus de Soto, Ordinis Prædicatorum.

Mag. Alphonſus Salmeron, Societatis Jesu Theologus.

Mag. Franciſcus Turrianus, ſive de Torres, ejuſdem Societatis.

Mag. Antonius Soliſius, Doctor Theologus.

Mag. Fr. Hieronymus Bravo, Ordinis Prædicatorum.

Theologi Hiſpani, miſſi à Philippo II.

D. Coſmas Damianus, Abbas Villæ-bertrandi, de quo ſuprà.

Ferdinandus Tricius, Doctor Theologus, Canonicus Caurienſis, poſtea Epiſcopus Aurienſis, & Salmanticenſis.

Ferdinandus Velloſillus, Doctor Theologus, Canonicus Seguntinus, poſtea Epiſcopus Lucenſis.

R. P. Fr. Joannes Ramirez, Miniſter Provincialis S. Jacobi.

R. P. Fr. Alphonſus de Contreras, Commiſſarius Ordinis Minorum in Curia Hiſpaniæ.

R. P. Fr. Michaël de Medina, Ord. Minor. Sac. Theol. Doctor.

R. P. Fr. Joannes de Lobera, Sacræ Theologiæ Lector Salmanticæ, & ſocius provincialis S. Jacobi.

Coſmus Palma Fonteyo, Sacræ Theologiæ Doctor, ſocius Abbatis Villæ-bertrandi.

Mag. Fr. Joannes Gallo, Ordin. Prædicatorum, de quo ſuprà.

R. P. Fr. Petrus Fernandez, in ſocietate ejuſdem Magiſtri.

Antonius Covarrubias, Auditor Granatensis, Didaci frater.
Ferdinandus Mincasensis, Decretorum Doctor.

Theologi Regis Portugalliæ.

Mag. Fr. Franciscus Forrerius, Ordinis Prædicatorum.
Ab anno MDXLV. Ad MDLXIII. D. Jacobus Payva de Andrade, de quo suprà.
Adde D. Melchiorem Cornelium, Decretorum Doctorem, & Consiliarum.

Theologi Hispani, Procuratores Episcoporum absentium.

Petrus Zumel, Doctor Theologus Salmanticensis, Ordinis S. Mariæ de Mercede, pro D. Episcopo Malacitano.
Joannes Delgadus, Doctor Theologus, pro D. Episcopo Tudensi.
Gaspar Cardillo, de quo suprà, pro D. Episcopo Abulensi.
Joannes de Ludeña, de quo suprà, pro D. Episcopo Seguntino.
Fr. Franciscus Orantes, Lector Vallisoleti, pro D. Episcopo Palentino.

Theologi & Canonistæ Hispani, socii Episcoporum.

Franciscus Sancius, Decanus Theologorum Salmanticensis Academiæ, & Canonicus, cum D. Episcopo Salmanticensi.
Petrus Mercatus Theologus, cum D. Episcopo Vicensi.
Doctor Truxillo Theologus, Canonicus Legionensis, cum D. Episcopo Legionensi.
Doctor Sobanus Theologus, cum eodem D. Episcopo Legionensi.
Petrus Fontidonius, de quo suprà, cum D. Episcopo Salmanticensi.
Joannes Villeta Doct. Theologus, cum D. Episc. Barcinonen.
Joannes Fonseca, Doctor Theologus, cum Archiepiscopo Granatensi.
Michaël Oroncuspe, Doctor Theologus, cum D. Episcopo Pampilonensi.

Alphon-

Alphonſus Fernandez de la Guerra, Doctor Theologus, cum D. Epiſcopo Guadixenſi.

Michaël Ytero, Doctor utriuſque Juris, cum D. Epiſcopo Pampilonenſi.

Joſephus Puebla, Doctor Theologus, cum Epiſc. Civitatenſi.

Joannes Chacon, Doctor Canonum, cum D. Epiſcopo Almerienſi.

Antonius Garſias, Doct. Theolog. cum D. Epiſc. Ovetenſi.

Benedictus Arias Montanus, Doctor Theolog. cum D. Epiſcopo Segobienſi. *Vide Elogium illius infrà* pag. 228.

Joannes de Barcelona Theologus, cum D. Epiſc. Urgellenſi.

Petrus Martyr Coma, Ordinis Prædicatorum, cum D. Epiſcopo Gerundenſi.

Petrus Zatores Ord. Prædic. cum D. Epiſcopo Dertuſenſi.

Joannes de Burgos, Ordinis S. Auguſtini.

Chriſtophorus Sanctotiſius Ord. S. Auguſtini, de quo ſuprà.

Addendus Magiſter Melchior Canus, Ord. Præd. Primarius Theologus Salmanticenſis, qui certè interfuit Conc. Tridentino, quamvis in omnibus Conciliorum editionibus fuerit prętermiſſus.

Theologi Luſitani.

Ludovicus de Sotomajor, Ord. Præd. cum D. Epiſc. Tudenſi.

Antonius de Padua, Ordinis Minorum.

Summa omnium prædictorum.

Hiſpani.

Regii Oratores Philippi II. quinque.
Archiepiſcopi tres.
Epiſcopi viginti ſeptem.
Oratores ſacri duodecim.
Abbates duo.
Generales duo.
Theologi Pontificii quinque.
Theologi Regii decem.
Theologi Procuratores Epiſcoporum quinque.
Theologi ſocii Epiſcoporum ſexdecim.
Theologi alii ſeorſum tres.
Doctores Canonum tres.
Omnes numero ſeptuaginta tres.

Regius Orator unus. Theologi duo.
Archiepiſcopus unus. Doctor Legum unus.
Epiſcopi tres.

Denique licèt olim decreviſſem eorum inſignium Hiſpanorum, qui convenêre ad Concilium Tridentinum, prædictas lucubrationes edere, ſicuti & plura alia ſacra monumenta Hiſpaniæ, quorum pauca hactenus lucem viderunt; poſtea preſſus anguſtiâ temporis, & tædio hujus tam vaſti Operis, ea prætermittenda, aut in alium locum amandanda cenſui. Hæc igitur qualiacumque ſint, in ſignum amoris & obſervantiæ meæ fraterno affectu accipite Illuſtriſs. ac nobiliſſimi DD. meque addictiſſimum Eccleſiæ veſtræ filium, & ſuperſtitem & vitâ functum, amare, atque orationibus & ſacrificiis adjuvare pergite. Romæ die ſexta Octobris S. Brunoni ſacrâ, anno Salutis MDCXCIII.

LECTORI.

POSTREMUM Operis hujus volumen prodit tandem cum omnibus iis Conciliis Hiſpaniæ ac Novi Orbis ſpectantibus ad ſæculum decimum ſextum, quæ hinc inde exquirere & habere potuimus. Nihil à nobis prætermiſſum fuit, ut quædam alia Provincialia Eccleſiarum Luſitaniæ haberemus, præſertim Bracarenſe memoratum à Spondano ad annum MDLXV. §. XXII. & Eborenſe ejuſdem temporis, in quo V. Cl. Andreas Reſendius concionem ad Patres congregatos habuit. Sed nullum eorum exemplar à DD. Epiſcopis ejus regni impetrare potuimus. Fortaſſe inde ortum, quòd illa nunquam fuiſſent eouſque edita, aut Latinè ſcripta, ſed vernaculâ linguâ, ut accidere ſolet; aut non eâ methodo ſive ordine, ut decenter in publicum prodire poſſent. Eandem ob cauſſam ferè non prodeunt in hoc volumine Concilia Provincialia ejuſdem anni celebrata in Eccleſiis Metropolitanis Valentina, Cæſarauguſtana, & Granatenſi, à nobis indicata in Synopſi Conciliorum Hiſpaniæ editâ anno MDCLXXXVI. Idipſum dictum eſto de nonnullis Eccleſiarum Hiſpalenſis & Burgenſis.

Dolendum ſanè eſt, quòd in florentiſſimis Hiſpaniarum regnis, ubi olim tam frequentia, tam gravia, & toti Eccleſiæ veneranda Concilia celebrabantur, jam ab aliquot ſæculis parum frequentata, aut etiam ferè prætermiſſa fuerint. Sanè triceſimus octavus Canon inter Apoſtolicos ita habet: *Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, ut inter ſe invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant: ſemel quidem quartâ ſeptimanâ Pentecoſtes, ſecundò verò duodecimâ die menſis Hyperberetæi.* Id eſt, juxta computum Romanum, IV. Idus Octobris, ut habetur in Ms. Vaticano. Deinde verò in Concilio IV. Toletano, cui præfuit S. Iſidorus Hiſpalenſis anno DCXXXIII. Can. III. ſtatuitur; *Quintodecimo Kalendarum Juniarum congreganda eſt in unaquaque provincia Synodus propter vernale tempus, quando herbis terra veſtitur, & pabula germinum inveniuntur.* Ita frequenter cogebantur Synodi in Hiſpania olim, non modò Diœceſanæ, ſed & Provinciales. Quin & quamplura Generalia totius nationis Concilia à tempore Eliberitani uſque ad XVII. Toletanum intrà quatuor ſæcula fuiſſe celebrata in Hiſpania, patebit ea legenti Tomo II. hujus Collectionis. Cumque circa annum Epochæ Chriſtianæ CDXLVII. Alipio & Ardebure VV. CC. Coſs. in Hiſpania detectæ fuiſſent Manichæorum & Priſcillianiſtarum reliquiæ; S. Leo Papa Epiſt. XCIII. aliàs XV. ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, indixit *Concilium Epiſcopale* celebrandum in loco opportuniori Sacerdotibus provinciarum: ac præterea ſubdit: *Dedimus literas ad fratres & coëpiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicianos, eiſque CONCILIUM SYNODI GENERALIS INDIXIMUS.* In ordine verò ad id congregandum adjutores dat Idatium ac Ceponium Epiſcopos eidem Turibio: qui in quadam ad utrumque Epiſtola diuturnitatem ejus peſtis in Hiſpania graſſantis tribuit omiſſioni ſive neglectui celebrandi Concilia: *Quod quidem per mala temporis noſtri, Synodorum conventibus, decretiſque ceſſantibus, liberiùs crevit.*

Hoc ipſum accidit circa relaxationem morum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, in omnibus iis regnis ac provinciis, ubi nec Nationalia, nec Provincialia Concilia, immo nec Diœceſana, niſi fortè rarò aut perfunctoriè, celebrantur, quibus Præſules ipſi, ſacerdotes, clerici, & tandem ſubditi omnes regantur, ac ſeſe in officio contineant. Eam ipſam Conciliorum frequentiam indicunt ſacri Canones, & exigit neceſſitas atque utilitas publica. Quot mala, quot peccata, quot animarum detrimenta ex eorum neglectu ſequantur, experientia ipſa ubique paſſim docet. Utinam Illuſtriſſimi quique Primates, Metropolitani, & Epiſcopi, id præ oculis habeant; ne fortè in tremendo judicio Princeps Paſtorum ſanguinem animarum de manibus ipſorum requirat. Deſerviant exemplo tot Concilia Hiſpaniæ ac Novi Orbis, tum Provincialia, tum Diœceſana, ſæculo præcedenti celebrata, eaque doctiſſima ac ſaluberrima, quæ Tomo hoc publicæ luci committimus: utinam cum aliquo Dei obſequio, & Eccleſiæ fructu.

Sicubi autem in Notis ſive Obſervationibus ad illa, vel alia monumenta ſacra, aut in Diſſertationibus Eccleſiaſticis, aut denique in toto Opere ſatis prolixo, nobis aberrare contigit (ſicut & in quibuslibet aliis lucubrationibus, tam editis, quàm edendis) totum id judicio S. Romanæ Eccleſiæ, ſive Sedis Apoſtolicæ, ſummittimus corrigendum, moderandum, aut prorſus delendum. Quin & quoties aut monitu doctiorum quorumlibet, aut ſtudio proprio, meliora, vel alia ab iis didicerimus, abſque cunctatione ulla ſententiam commutabimus. Jam diu enim nobis altè inſedit illud Gregorii Magni lib. II. Epiſt. XXXVII. *Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus ſum: & hunc ſolum mihi amicum exiſtimo, per cujus linguam ante apparitionem deſtricti Judicis meæ maculas mentis tergo.* Vale, Catholice Lector, mihique aſſiduis ſudoribus in utilitatem publicam utcumque laboranti, & admodùm peccatori, apud Deum tuis precibus opem fer, & ſuperſtiti, & vitâ functo.

INDEX

INDEX SUMMARIUS

EORUM, QUÆ CONTINENTUR HOC TOMO CONCILIORUM HISPANIÆ AC NOVI ORBIS.

CONCILIUM HISPALENSE Provinciale celebratum an. Dom. MDXII. Præside Archiepiſcopo D. Didaco Deza. pag. 1.

Sermo ejuſdem Archiepiſcopi, & Prologus Concilii. 2.

Sermo habitus per eundem Reverendiſſimum dominum Archiepiſcopum in ultima ſeſſione præfati Concilii Provincialis. 23.

Elogium Illuſtriſs. D. Didaci Deza Archiepiſcopi Hiſpalenſis. Ex Cl. V. D. Nicolao Antonio in Bibliotheca Hiſpana. 24.

Conſtitutiones D. Cardinalis D. Didaci Hurtado de Mendoza Archiepiſcopi Hiſpalenſis, approbatæ & confirmatæ in dicto Concilio Provinciali. 25.

Elogium prædicti Cardinalis, ex Hiſtoria Pontificali Alphonſi Ciaconii cum Additionibus recuſa Romæ anno MDCLXXVII. Tomo III. pag. 190. 34.

CONCILIUM TOLETANUM Provinciale coactum an. MDLXV. in ejuſdem urbis templo Cathedrali Deiparæ Virginis Mariæ Aſſumptioni conſecrato: ſub SS. DD. Pio IV. & Pio V. regnante Philippo II. præſidente domino Chriſtophoro Roxas Sandoval Epiſcopo Cordubenſi. 35.

Præfatio ejuſdem D. Chriſtophori Rogii de Sandoval Epiſcopi Cordubenſis, ejuſdem Concilii Præſidis. 35.

Elogium Illuſtriſſimi D. Didaci Covarrubias Epiſcopi Segobienſis, & ſcriptoris celeberrimi, qui huic Concilio interfuit. Ex Cl. V. D. Nicolai Antonii Tomo I. Biblioth. Hiſpanæ. 56.

CONCILIUM VALENTINUM Provinciale celebratum anno Domini MDLXV. nunc primò editum juxta correctionem à B. Pio V. Pont. Max. præſcriptam: cujus Breve ad finem Concilii exhibetur, Præſide Archiepiſc. D. Martino Ayala. 59.

Epiſtola Martini Ayalæ Archiepiſcopi Valentini, præfixa Concilio. 87.

Breve Pii V. ad D. Ferdinandum de Loaſes Patriarcham & Archiepiſcopum Valentinum directum, in quo Synodus Provincialis D. Martini de Ayala confirmatur, cum aliquibus tamen reſtrictionibus; ac epitheto *Sanctæ* eam privat, juxta exemplar aſſervatum in archivo S. Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ. 88.

Elogium Illuſtriſs. Ayalæ Præſidis hujus Concilii. Ex Biblioth. Hiſpana Cl. V. D. Nicolai Antonii Tom. II. pag. 87. 90.

Allegatio juris pro defenſione Concilii Provincialis Valentini circa verba illa: *Sancta Synodus*, ad Sacram Congregationem Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum miſſa per Dionyſium Paullum Lopis anno Domini MDXCIV. 91.

Reſponſum ſeu Epiſtola D. Cardinalis Matthæji Sacræ Congregationis Præfecti. 95.

Clauſula Dionyſii Paulli Lopis ſuper epitheto *Sanctæ* à Valentina Synodo uſurpato, in libro *De vera quatuor Patriarchalium ſedium erectione*. cap. 6. 95.

Scriptura miſſa Concilio Provinciali Salmanticenſi à venerabili Domino D. Joanne de Ribera Pacis-Juliæ Epiſcopo, poſtea Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino. Ex libro inſcripto: *Idea exemplar de Prelados*. In vita Illuſtriſs. D. Joannis de Ribera. Auctore Hyacinto Buſquets Matoſes cap. 2. 97.

CONCILIUM COMPOSTELLANUM Provinciale celebratum Salmanticæ an. MDLXV. Præſide Illuſtriſs. D. D. Gaſpare de Zuñiga & Avellaneda Archiepiſc. Compoſtellano (poſtea Hiſpalenſi, & S. R. E. Cardinale) correctum à B. Pio V. anno MDLXIX. juxta diploma in fine ejuſdem Concilii edendum. 100.

Breve Pii Papæ V. ſuper confirmatione concordiæ, ac declaratione aliorum decretorum Concilii Provincialis Compoſtellani, ultimo loco celebrati. 118.

Elogium D. D. Gaſparis de Zuñiga & Avellaneda, Archiepiſcopi Compoſtellani, præſidis hujus Concilii, poſtea Archipræſulis Hiſpalenſis, & S. R. E. Cardinalis. Ex Hiſtoria Pontificali Alphonſi Ciaconii cum Additionibus Oldoïni To. III. 120.

CONCILIUM GRANATENSE Provinciale celebratum anno circiter MDLXV. Præſide Petro Guerrero Archiepiſcopo ejus urbis: cujus Acta invenire nondum licuit. 121.

CONCILIUM BRACARENSE Provinciale celebratum ab Epiſcopis Luſitaniæ eodem anno MDLXV. ut teſtatur Spondanus ad eundem annum num. 22. Ejus Acta ab Archiepiſcopo Ulyſipponenſi à nobis diu exſpectata habere non potuimus. 121.

CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM Provinciale coactum eodem anno MDLXV. in quo præfuit D. Alphonſus de Aragon Archiepiſcopus, & nepos D. Ferdinandi Regis Catholici &c. Acta illius diu exſpectata à capitulo Eccleſiæ Sancti Salvatoris nondum habere licuit. 121.

CONCILIUM EBORENSE Provinciale in Luſitania celebratum ann. MDLXV. Præſide D. D. Joanne Melo Archiepiſcopo Eborenſi. In eo Andreas Reſendius concionem ad Patres congregatos habuit. Lege inſignem ſcriptorem D. Nicolaum Antonium To. I. Biblioth. Hiſp. pag. 62. Ejus Acta adhuc latent. 121.

SYN-

Quæ Tomo IV. continentur.

SYNODUS Diœceſana Valentiæ celebrata Præſide Martino Ayala Archiepiſcopo Valentino. 122.

Confirmatio conſtitutionum Synodalium Reverendiſſimi Fr. Thomæ de Villa-nova Archiepiſcopi Valentini, nunc jam in Catalogum SS. relati. 133.

Ordinationes pro choro Eccleſiarum diœceſis Valentinæ, editæ à S. Thoma de Villa-nova Archiepiſcopo Valentino in Diœceſana Synodo Valentina. Anno Domini MDXLVIII. die 14. Junii. 134.

Elogium Illuſtriſs. D. Joannis de Ribera ex Cl. V. D. Nicolao Antonio Biblioth. Hiſp. Tomo I. pag. 588. 135.

Epiſtola B. Pii V. ad D. Joannem de Ribera Patriarcham, & electum Archiepiſcopum Valentinum, in qua eum hortatur ne dictum Archiepiſcopatum relinquat. 136.

Epiſtola S. Caroli Borromæi ad D. Joannem de Ribera, &c. 137.

Breve Paulli V. ad Illuſtriſs. D. Joannem de Ribera, &c. ex eodem libro ac capite. 137.

Elogium S. Thomæ de Villa-nova. Ex Cl. Viro D. Nicolao Antonio Bibliothecæ Hiſp. To. II. pag. 255. 138.

Epiſtola S. Thomæ à Villa-nova ad Paull. III. 139.

Epitome Conſtitutionum Synodalium Sanctæ Eccleſiæ Valentinæ, ab an. circiter MCC. uſque ad MDLXXX. ad Illuſtriſs. D. Joannem de Ribera, ejuſque perilluſtres canonicos & capitulum. 140.

CONCILIUM TOLETANUM Provinciale celebratum Toleti an. MDLXXXII. Præſide D.D. Gaſpare de Quiroga Cardinale, Archiepiſcopo Toletano, Hiſpaniarum Primate, Inquiſitore Generali, &c. nunc primò editum ex Ms. Eccleſiæ Toletanæ, juxta correctionem factam Romæ à Sacra Congregatione Concilii Tridentini, & additiones ipſius quæ in decurſu Actorum exhibentur literis curſivis. 202.

Edictum generale convocatorium poſt miſſas literas ſingulis Reverendiſſimis Epiſcopis, Abbatibus, & capitulis. 202.

Epiſtola Gregorii XIII. Pontif. Max. ad Cardin. Quirogam. 205.

Preces pro Eccleſia, pro ſalute Regis, & Principis, & pro Congregatione Concilii dicendæ in Miſſis majoribus. 205.

Petitiones Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium provinciæ & Metropolis Toletanæ, circa appellationem à decretis ejus Concilii ad Romanum Pontificem. 219.

Epiſtola D. Cardinalis Quirogæ ſimul cum Concilio Toletano miſſa ad SS. D. Gregorium XIII. Pont. Max. 221.

Notæ V. Cl. Joannis Baptiſtæ Perez Canonici Toletani, & poſtea Epiſcopi Segobricenſis, in quibus tuetur epigraphen hujus Synodi, oſtendens Concilium Provinciale appellari poſſe *Sanctum*. 221.

Epiſtola D. Cardinalis Caraſæ ad D. Cardinalem Quirogam circa Concilium Toletanum. 222.

Alia Epiſtola D. Cardinalis Boncompagni ad eundem D. Cardinalem Quirogam. 222.

Diploma Gregorii XIII. ad D. Cardinalem Quirogam. 223.

Correctiones ejuſdem Concilii Toletani iterum examinati à DD. Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus, prout eas miſit D. Cardinalis S. Xyſti. 223.

Epiſtola D. Cardinalis Boncompagni ad D. Card. Quirogam, de Legato Regio in Concilio Toletano nullatenus nominando. 224.

Epiſtola D. Cardinalis Quirogæ, in qua reſpondet D. Cardinali S. Xyſti, circa ea quæ objecta fuerunt. 225.

Epiſtola Cardinalis S. Xyſti cum ſecundo mandato Apoſtolico de Legato Regio delendo ex Concilio. 227.

Diploma Gregorii XIII. Pont. Max. ad D. Cardinalem Quirogam, ut deleatur nomen Legati Regii ex Concilio Provinciali. 228.

Elogium Benedicti Ariæ Montani, qui huic Concilio interfuit: Ex Biblioth. Hiſpana D. Nicolai Antonii, Tom. I. pag. 162. 228.

Elogium D. Joannis Baptiſtæ Perez, ex eodem D. Nicolao Antonio in Biblioth. Hiſpana, To. I. pag. 494. 231.

CONCILIUM LIMANUM I. Provinciale B. Toribii, per Sedem Apoſtolicam approbatum. 132.

Epiſtola R. P. Joſephi Acoſta Soc. Jeſu Theologi, de iſto Concilio Provinciali Limenſi, ad Illuſtriſſimum D. Ferdinandum à Vega, Regii Senatus Indici Præſidem. 258.

Epiſtola Illuſtriſs. A. Cardin. Caraſæ ad D. Archiepiſcopum civitatis Regum. 262.

Beati Toribii Mogrovexi Archiepiſcopi Limani Catechiſmus minor & major, in Synodo Provinciali Limenſi an. Domini MDLXXXIII. approbatus. 268.

Privilegia Indis per Pontifices Romanos conceſſa. 269.

Exhortationes ad moribundos auctoritate Concilii Provincialis editæ. 271.

SYNODUS I. Diœceſana Limenſis celebrata à B. Toribio Archiepiſcopo Limenſi anno Domini MDLXXXII. 274.

SYNODUS II. Diœceſana Limenſis, celebrata in civitate Regum die octava Februarii, anno MDLXXXIV. 280.

SYNODUS Diœceſana Valentina, celebrata Præſide Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Joanne Ribera, Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino, anno MDLXXXIV. 283.

Ejuſdem Præfatio ad omnes ſuæ diœceſis Chriſti fideles. 283.

CONCILIUM MEXICANUM Provinciale celebratum Mexici, an. MDLXXXV. Præſide D. Petro Moya de Contreras, Archiepiſcopo ejuſdem urbis, confirmatum Romæ die 27. Octobris, anno MDLXXXIX. & poſtea juſſu Regio editum Mexici ann. MDCXXII. ſumptibus D.D. Joannis de la Serna Archiepiſcopi: ac tandem Lutetiæ Pariſiorum in Collectione Labbeana Tomo ultimo. 292.

Ejuſdem Præfatio ad univerſum ſtatum Eccleſiaſticum

ſticum provinciæ Mexicanæ. 292.
Statuta ordinata à Concilio Provinciali Mexicano III. anno Domini MDLXXXV. Ex præſcripto ſacroſancti Concilii Tridentini decreto ſeſſ. 24. cap. 12. *De reform.* verbo: *Cætera.* Reviſa, & à Sede Apoſtolica confirmata anno Domini MDLXXXIX. 381.
Erectio Eccleſiæ Mexicanæ, quæ eadem eſt cum cæteris ejuſdem provinciæ. 381.
Catalogus Præſulum Eccleſiæ Mexicanæ. Ubi nonnulla obiter de venerandis ac perfectiſſimis viris GREGORIO LOPEZ, & D. JOANNE PALAFOX, in eadem Eccleſia, & tota Nova Hiſpania celeberrimis. 412.
SYNODUS III. Diœceſana Limenſis à B. Toribio Mogrovexo celebrata in oppido S. Dominici de Yungay, die decima ſeptima Julii, anno MDLXXXV. 417.
SYNODUS IV. Diœceſana Limenſis, celebrata in oppido S. Jacobi de Yauras-bamba, die 7. Septembris, anno MDLXXXVI. 437.
SYNODUS V. Diœceſana Limenſis, celebrata in oppido S. Chriſtophori de Guañec, die 22. Septembris, anno MDLXXXVIII. 446.
SYNODUS VI. Diœceſana Limenſis, celebrata in civitate Regum, die 11. menſis Octobris anno MDXC. 452.
SYNODUS Diœceſana Valentina, celebrata Præſide Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Joanne Ribera, Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino, anno MDXC. 455.
SYNODUS Diœceſana Valentina, celebrata die 25. menſis Octobris, anno MDXC. Præſide eodem D. Joanne Ribera, &c. 464.
CONCILIUM Provinciale TARRACONENSE anni MDXCI. ſive Collectio Conſtitutionum Provincialium Tarraconenſium, ab anno circiter MCCC. uſque ad MDXCI. Libris quinque digeſta, primùm ab Antonio Auguſtino, poſtea à Joanne de Teres, Archiepiſcopis Tarraconenſibus. 472.
Præfatio Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis. 472.
Præfatio Joannis Teres Archiepiſcopi Tarraconenſis. 473.
Nomina Epiſcoporum Tarraconenſium, ante Arabum & Maurorum in Hiſpaniam adventum, Auctore Antonio Auguſtino. 474.
Nomina Epiſcoporum Tarraconenſium, poſt Arabum vaſtationem, ob quam Tarraco Antiſtite annos quadringentos caruit, auctore eodem Antonio Auguſtino. 476.
Clariſs. Viri Antonii Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis Epiſtula, de libris ad emendationem Gratiani neceſſariis, ac de nova editione Conciliorum, & Juris Pontificii Collectione facienda. Ad Gregorium XIII. Pont. Max. 646.
Capitulos de quatro cartas de D. Antonio Aguſtin Obiſpo de Lerida, en el año MDLXXIII. para el Secretario Geronymo Zurita, que eſtava en Madrid: en orden à recoger varios libros de Concilios, y de imprimir los de Toledo. En carta de 28. de Enero, &c. 647.
Epiſtola Antonii Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis ad Laurentium Surium Cartuſianum. Interpellatur à Gallis & Germanis de Conciliis Græcis & Latinis edendis, reſpondet: cenſuram editionis Surianæ facit, & formam optimæ editionis proponit. 647.
Cartas de D. Antonio Aguſtin, Obiſpo de Lerida, y electo Arçobiſpo de Tarragona, para el Maeſtro Juan Bautiſta Perez, Canonigo que fue de Toledo, y Obiſpo de Segorve, eſcritas en Lerida à 13. de Julio MDLXXVI. 650.
II. Carta del miſmo Arçobiſpo para el Maeſtro Perez, en Lerida à 30. de Agoſt. MDLXXVI. 651
Epiſtola Hieronymi Suritæ ad Anton. Auguſtinum Archiepiſcopum Tarraconenſem. 652.
Elogium Illuſtriſs. Viri D. Antonii Auguſtini Archiepiſc. Tarraconenſis. Ex Cl. V. D. Nicolao Antonio in Biblioth. Hiſp. To. I. pag. 76. 653.
CONCILIUM II. Provinciale LIMANUM B. Toribii, celebratum anno MDXCI. 657.
REGULA CONSUETA, ſeu Inſtitutiones conſuetudinales Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis, edita per B. Toribium ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopum. 661.
SYNODUS VII. Diœceſana Limenſis, celebrata in civitate Regum, ultimo die Octobris, anno MDXCII. 686.
SYNODUS VIII. Diœceſana Limenſis, celebrata à B. Toribio Mogrovexo in oppido SS. Petri & Paulli Piſcobamba die 24. menſis Novembris, anno MDXCIV. 696.
SYNODUS Diœceſana Valentina, celebrata Præſide Illuſtriſsimo ac Reverendiſs. D. Joanne à Ribera Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſc. Valentino, menſe Majo, an. MDXCIV. 710.
Decreta Diœceſanæ Synodi Valentinæ. 711.
SYNODUS ORIOLANA, celebrata Præſide Reverendiſs. D. Joſepho Stephano Oriolano Antiſtite, anno Domini MDC. 713.
Literæ ampliſs. D. Cardin. Matthæji ad eundem Epiſc. circa eam Synodum, cum hujus laude. 748.
Declaratio DD. Cardinalium S. Congregationis Rituum. 748.
Elogium Reverendiſs. Epiſcopi Joſephi Stephani Epiſcopi Oriolani, ex D. Nicolao Antonio. 749.
CONCILIUM III. LIMANUM Provinciale, celebratū à B. Toribio Mogrovexo an. MDCI. ſub Clem. VIII. & Philippo III. Hiſpaniarum ac Novi Orbis Rege. 750.
SYNODUS LIMENSIS Diœceſana IX. ejuſdem B. Toribii Mogrovexo, celebrata anno MDCII. 754.
SYNODUS LIMENSIS Diœceſana X. ejuſdem B. Toribii, celebrata anno MDCIV. 760.
CARDINALIS DE AGUIRRE Clauſula ad lectorem. 766.
Viri inſignes Hiſpani, Oratores Regii, Archiepiſc. Epiſcopi, Abbates, Generales, Doctores, Concionatores, &c. qui intervenerunt Conciliis Generalibus Lateranenſi & Trident. aut lucubrationes aliquas vel Sermones in iis publicè protulerunt. Vide Præfationem, ſeu Rationem Operis, initio hujus voluminis præfixam.

CENSU-

CENSURA

R. P. MAGISTRI ILDEPHONSI DE MIER,

Congregationis S. Benedicti Hiſpaniarum Procuratoris Generalis, ſacrarumque Congregat. S. R. Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, & ſacrorum Rituum Conſultoris, &c.

JUSSU Reverendiſſimi P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari S. P. A. Magiſtri, legi Tomum Quartum *Collectionis Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ & Novi Orbis*, Auctore Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinale de Aguirre. At cùm omnia ferè in eo contenta aliis atque aliis locis ac temporibus cuſa fuerint, ac publicæ luci commiſſa, Apoſtolica Sede annuente atque approbante; nihil inveni quod aut bene moratis, aut verè Catholicis officere poſſit: immo omnia apprimè neceſſaria, ut mores à recto virtutis tramite exorbitantes iterum reducantur, ac diſciplina Eccleſiaſtica feliciter propagetur. In quo laudanda meritò ſe offerunt Eminentiſſimi Collectoris induſtria ac labor improbus, quibus ea quæ hinc inde diſperſa ac latitantia, nullius, aut minimi uſus erant, ſed veluti cæca nocte tenebantur; in ordinem digeſſit, ac nobiliſſimâ ampliſſimaque editione tanquam in propatulo poſuit. Quare digna cenſeo, immo è re valdè Eccleſiaſtica, ut typis mandentur. Rome 3. Nonas Novembres anno Domini MDCXCIII.

Fr. Ildephonſus de Mier.

CENSURA

D. JOANNIS MARIÆ GABRIELLII,

Monachorum S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis Viſitatoris Generalis, S. Theol. Mag. ſacræ Congreg. Indicis Conſultoris, Supremæ ac Univerſalis Romanæ Inquiſitionis Qualificatoris, &c.

EX alta profundaque ſapientia pronunciavit Epiphanius: Καὶ ἡδὲ αἱ κατὰ τὴν πόλιν διάλεκτοὶ ἀνόμοιαί. ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. καὶ ὅτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι Ἐκκλησίαι ἄλλως πεπεύκασιν ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, ὅτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, ὅτε ἐν Κελτοῖς, ὅτε κατὰ τὰς ἀνατολάς, ὅτε ἐν Αἰγύπτῳ, ὅτε ἐν Λιβύῃ, ὅτε αἱ κατὰ μέσα τὸν κόσμον ἱδρυμέναι. *Tametſi hominum linguæ ſint diſſimiles, eadem tamen traditæ doctrinæ vis eſt ubique; neque aut conſtitutæ in Germania Eccleſiæ credunt aliter, aut ſuos perdocent, aut quæ in Hiſpaniis, ac Galliis, aut ad Orientem, aut in Ægypto, vel Libya, mediove Orbe ſtabilitæ.* Hoc, quod de inconcuſſis orthodoxæ Fidei dogmatibus protulit S. Doctor, diſertè etiam ipſemet extendit ad illibata Chriſtianorum morum documenta Eccleſiæ deciſionibus ac conſtitutionibus definita. Περὶ θεσμῶν δὲ τῆς αὐτῆς ἐν ὀλίγῳ μέν μοι δεῖ πάλιν ἀνάγκη τὸ ὁμοειδὲς αὐτῆς θεσμῶν ἀπὸ μέρους τὸ εἶδος, ὅσα ὧν φύσει πεφύλακται ἐν αὐτῇ, καὶ φυλάττεται, τὰ μὲν ἐκ προστάγματος, τὰ δὲ κατ' ἐπιδοχὴν παραιρέσεως, τῷ Θεῷ χαίροντος ἔκ τε ἀρετῆς τῆς αὐτῶν διδασκαλίας. *Nunc de ejuſdem Eccleſiæ ſanctionibus ac legibus pauca mihi neceſſe eſt, deque earundem forma aliqua ſaltem ex parte perſequi; quæcumque nimirum propriè olim in ipſa ſervata ſunt, hodieq; ſervantur, partim ex præcepto, partim ex inductione animi, Deo ex diſciplinæ ſuæ virtute fructum quendam*

Lib. 1. to. 2. hær. 31.

Lib. 3. to. 2. ſub fin.

dam voluptatemq; capiente. Ad hoc enim Concilia celebrari (ut Girardo Engoliſmenſi nervosè expro-
Tom. 2. Spicilegii Lucæ Dacherii. bravit Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus) *ſanctorum Patrum ſanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumq; correctio proveniret, & velut exercitus ſui facultate conſpecta, ipſam ſe pleniùs Eccleſia mater cognoſceret, ut adversùm vitia ſeveriùs inſurgendo, inſtantium bellorum triumphos poſſet confidentiùs auſpicari. Sunt enim nonnulli* (ut ſua etiam tempeſtate deplorat Caſſiodorus) *qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid novi, unde periti videantur, inveniant.* Hinc ſaltem
L. Divin. Inſtitut. c. 12. intelligant neoterici aliqui ſcriptores, novarum opinionum in Ethica Chriſtiana opifices, ab una ſe & recta veritatis orbita deflexiſſe, quando in tot compugnantium, & tum à veritate ſacris Canonibus ſancita, tum à ſe ipſis diſſentientium ſententiarum divortia ſunt delapſi, reclamante S. Julio Pontifice
Apolog. 2. de fuga ſua. Maximo apud S. Athanaſium: Τὸ γὰρ ἅπαξ συνήθειαν ἐσχηκὸς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ Συνόδων βεβαιωθὲν, οὐκ ἔνλογον ὑπὸ ὀλίγων παραλύεσθαι. *Morem enim, qui ſemel in Eccleſia obtinuit, & à Synodis confirmatus eſt, iniquum eſt à paucis abrogari.* Quàm invictum autem ex antiquitate argumentum veritatis eliciatur, & quanto ſemper falſitatis præjudicio laboret novitas, longè præclariſſimè demonſtrat Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. Cardinalis de Aguirre in *Collectione Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ & Novi Orbis*, eruditiſſimis Notis, & doctiſſimis Diſſertationibus mirificè illuſtrata, cujus hunc Quartum Tomum, injungente Reverendiſſimo Patre Fr. Thoma Maria Ferrari, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, accuratè cogitateque perlegi; ipſumque Catholicæ Fidei & probis moribus adeò conſentaneum ſuſpexi, ut exinde eniteat, in Eccleſiaſticis illis Decretis & dogmatum altitudinem, & ſanctarum vitæ regularum axiomata uno aut altero contextu verbis pauciſſimis concludi, & hoc brevi compendio ſanam & ſummam Theologiam tradi, ac humani generis multitudinem ad virtutes virtutibuſque deſponſam æternæ vitæ felicitatem trajici. Propterea digniſſimum hunc Quartum Tomum cenſeo, cujus ſibi lucem typi accerſant, ſapientibus poſthac viris cumulatiſſimè acceſſuram. Quamobrem Eminentiſſimus ac Religioſiſſimus
L. de Præſcript. cap. 9. Auctor eidem pro coronide jure merito apponere poteſt iſtud ex Tertulliano τὸ ἐπιφώνημα: *Fides in regula poſita eſt, habes legem & ſalutem ex obſervatione legis, exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas Fidei, cedat gloria ſaluti. Certè aut non obſtrepant, aut quieſcant adversùs regulam. Nihil ultrà ſcire, omnia ſcire eſt.* Romæ è Cœnobio Sanctæ Pudentianæ Nonis Novembris, Anno à Virginis partu MDCXCIII.

D. Joannes Maria Gabriellius Monachorum S. Bernardi Ord. Ciſtercien. Viſitator Gen. S. Theolog. Mag. & Sac. Congreg. Indicis Conſultori ac Romanæ Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. M. S. P. Apoſtolici.

Joſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Vicesg.

IMPRIMATUR.

F. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſtol. Magiſter.

CONCILIUM HISPALENSE PROVINCIALE,

CELEBRATUM ANNO MDXII.

PRÆSIDE

ARCHIEPISCOPO D. DIDACO DEZA.

Sermo habitus per Reverendiſſimum Dominum Dominum Didacum Deza, Archiepiſcopum Hiſpalen. in prima Seſſione Concilii Provincialis per eundem Hiſpali celebrati.

REX pacificus unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, carnis ſuæ nativitate mundum ingreſſus pacis fœdera nobis attulit, diſperſaque & omnino diſtantia, immò ſibi invicem adverſantia in unum colligens, juxta quod Apoſtolus inquit: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & primum unitatis vinculum eſt cunctis ſæculis admirandum, qui Deum & hominem non ſolâ naturâ in infinitum diſtantes, ſed affectu & actibus diſſentientes, tanto fœdere conciliavit, ut unus idemque Deus eſſet, qui homo; & unus ipſe homo, qui Deus. Hoc unitatis ac pacis myſterium mox naſcente Domino ab exultantibus Angelis prædicatum eſt: quando Gloriam in Excelſis Deo, pacemque in terra hominibus bonæ voluntatis multitudo cœleſtis militiæ (ut Lucas refert) præcinuit. Neque ſibi ſoli Verbum caro factum hanc unitatem ſervavit, ſed & in ſuos fideles, veluti caput in membra, mirabili connexione transfudit. Nam quemadmodum, juxta ſententiam Pauli, conſepulti ſumus, & conreſuſcitati cum Chriſto: ita & ſumus ejus ineffabili nativitate congeniti, & divinæ effecti conſortes naturæ. Quotquot autem (inquit Euangeliſta Joannes) receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Et ſicut natus in terris, pacis ac unitatis actor extitit Filius Dei: ita & in mundo converſatus, univerſa incarnationis myſteria ad pacem & unitatem direxit. Præcepta nempe & Sacramenta gratiæ, quibus legem mandatorum evacuavit, miro ordine ſub unitate complexus eſt. Charitas ſiquidem quæ (ut inquit Apoſtolus) finis eſt præceptorum, vinculum eſt unitatis. Sacramenta verò ſic Chriſtus inſtituit, ut ex multis rebus collectis verbo ſanctificationis unum conflaret: unde & Apoſtolis in unum congregatis cœnaculum, & ad unam conſidentibus menſam, ſanctiſſimum corporis ſui & ſanguinis Sacramentum inſtituit. Aſcendens præterea Chriſtus in cœlum, non niſi Apoſtolis in unum convenientibus, promiſſum Spiritum ſanctum viſibiliter miſit. Nobis denique formam poſtulandi, & à Deo impetrandi tradens, in unum nos docuit convenire; dicens: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; &, de omni re quam petierint, fiet illis à Patre meo*: quaſi ipſe multorum conventus, & unitas animorum, magni meriti apud Deum exiſtat. Quod & Propheta David inſinuat dicens: *In Conſilio juſtorum & congregatione magna opera Domini*. Hinc eſt, fratres dilectiſſimi, quòd in Eccleſia Synodos & Concilia celebrari inolevit, ut quod merita ſingulorum obtinere non valent, multorum cœtus uno corde & conſona

ſona voce Deum precantium impetrare mereatur. Unde ſuper illud Apoſtoli Romanorum is: *Adjuvetis me in orationibus veſtris*: dicit Gloſ. *Rogat Apoſtolus apud minores pro ſe orare: multi enim minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impetrant.* Verumtamen animadvertite fratres, quòd non promittitur multis qualitercumque in unum congregatis, vota ſua à Deo impetrare: ſed ſi in nomine Chriſti convenientes depoſcant. Sic enim ait Dominus: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo.* Illi autem in nomine Chriſti congregantur & poſtulant, qui ea quæ Chriſtus docuit poſtulanda precantur. Hæc autem ſunt quæ oratio Dominica ſeptem petitionibus edita comprehendit, quorum ſumma eſt, ut ad gloriam Dei, & ſui nominis ſanctificationem, quæ noſtræ ſaluti aut commoda ſunt, aut neceſſaria, pro divinæ voluntatis beneplacito piè & perſeveranter poſcamus. Illi verò in nomine Chriſti non petunt, qui non quæ Dei ſunt, ſed ſua quærentes ſtatuere; deſideria cordis ſui impleri depoſcunt, vel ad mundi gloriam conſequendam, vel ad carnis oblectamenta ſectanda. Horum conſortium Propheta ſe gloriatur vitâſſe dicens: *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Nos igitur fratres Dilectiſſimi in hac ſancta Synodo convenientes in nomine JESU poſtulemus, ſi impetrare volumus quod optamus. Petituri autem in nomine JESU brevi ſermone, ſed ex intimo cordis, juxta formam à Domino traditam, ejus miſericordiam imploremus: ut Spiritus ſanctus adveniens corda noſtra clementer expurget, mentes illuminet, & inducat in omnem, ſicut promiſit Filius, veritatem: quatenus in nomine ſuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut ab eius beneplacito in nullo diſſentiat voluntas noſtra, ſed rectum tramitem in omnibus obſervantes, quæ Deo placita ſunt, & dictis exequamur & factis; quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

PROLOGUS.

IN NOMINE DEI OMNIPOTENTIS Sancta mater Eccleſia Catholica à Spiritu ſancto illuminata, inter alia ſalubria documenta, quæ pro ſalute animarum fidelium Chriſtianorum inſtituit, ordinavit quod Prælati qui habent auctoritatem à noſtro Redemptore Jeſu Chriſto ad regendum & gubernandum populum Chriſtianum, celebrarent quibuſdam temporibus, ſcilicet Metropolitani Concilia Provincialia, & Epiſcopi Synodos in ſuis Diœceſibus, ad effectum ſtatuendi & ordinandi res ſpectantes ad ſervitium Dei, & augmentum cultûs divini, & pro immunitate ſuorum miniſtrorum, & Eccleſiarum, & reformatione vitæ & morum, tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quàm ſæculari, ad exaltationem noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ. Ideò nos D. Didacus Deza, divinâ miſericordiâ Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Hiſpalenſis, conſiderantes, quod longũ tempus effluxit abſque eo quod fuerit celebratum Concilium Provinciale in hac noſtra Archi-diœceſi, propter quod, quamvis Archiepiſcopi bonæ memoriæ Prædeceſſores noſtri, moti ſancto zelo & deſiderio antiquitùs fecerint, & ordinaverint plures laudabiles conſtitutiones, quia tamen non fuerunt publicatæ nec obſervari mandatæ, plures illarum oblivioni traditæ, & aliæ fuerunt violatæ: & videntes etiam quod præ temporum varietate occurrerunt, & quotidie eveniunt novi caſus, quibus providere neceſſe eſt de novis remediis. Volentes ſequi & obſervare quod per ſacros Canones fuit ſtabilitum & demandatum cum conſilio & ſententia Reverendorum noſtrorum dilectiſſimorum Fratrum Decani & Capituli dictæ noſtræ ſanctæ Eccleſiæ, ſtatuimus facere & celebrare Concilium Provinciale in hac inſigni civitate Hiſpalenſi. Pro quo vocari mandamus per noſtras literas patentes convocatorias Reverendos in Chriſto Patres, & Dominos Epiſcopos Gadicenſem, Malacitanum, Sylvenſem, Canariæ, & de Marrueco, noſtros ſuffraganeos, & illud notificari Capitulis ſuarum Eccleſiarum Cathedralium, omnibuſque aliis Abbatibus, Prioribus, & Vicariis dicti noſtri Archie-

chiepiſcopatûs; de quorum approbatione & conſenſu poſtquam omnes, ſeu major pars illorum, fuerunt congregati per ſe, vel ſuos Procuratores in dicta noſtra ſancta Eccleſia, & civitate Hiſpalenſi, invocatâ priùs gratiâ Spiritûs ſancti, fecimus & ordinavimus, & publicari mandavimus, prout fuerunt publicatæ Conſtitutiones ſequentes.

CAPUT I.

Quòd Parochi doceant ſuos Parochianos myſteria noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ, & quòd in qualibet Eccleſia adſit tabula, in qua contineantur omnia, quæ illos docere debent.

QUIA cognitio noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ eſt neceſſaria omnibus fidelibus Chriſtianis pro ſua ſalute; ideo cupientes ſalutem animarum, quæ nobis fuerunt commendatæ, & quod non errent per ignorantiam (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & ordinamus, ut omnes curam animarum habentes & Confeſſores noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ ſint diligentes in docendo ſuos Parochianos, & perſonas quarum audient confeſſiones, illa quæ ſcire debent & credere pro ſua ſalute, & in ſpecie Articulos noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ, qui ſunt fundamentum noſtræ Religionis. Item etiam ut illos inſtruant in ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, & in decem mandatis noſtræ legis Chriſtianæ, ut non audeant illa tranſgredi & contravenire; ac etiam ipſis dicant qualia ſunt peccata mortalia ad effectum ut ſciant melius illa evitare, illis ſuadendo ut cum magna cura procurent exercere ſeptem opera miſericordiæ, de quibus ſtricta per eos danda eſt ratio tempore eorum obitûs; ſuper quo mandamus ut magnam faciant diligentiam, & ſpecialem curam: & ut præmiſſa meliùs obſerventur, mandamus ut in qualibet ex Eccleſiis Parochialibus totius noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, apponatur tabula quam mandamus, ubi præmiſſa ſummariè contineantur, quam præcipimus apponi in loco publico, ad effectum ut videatur & legatur ab omnibus.

Item mandamus omnibus Parochis qui nunc ſunt & erunt in futurum, ut omnibus diebus Dominicis Adventûs, à Dominica Septuageſimæ uſque ad Dominicam Paſſionis incluſivè, legant & declarent populo contenta in dicta tabula inter Miſſarum ſolennia, poſt offertorium: & quod de his non potuerit legi una die Dominica, legatur in altera, vel in primo feſto occurrente.

Item mandamus ut præfati Parochi habentes idoneitatem, explicent ſanctum Euangelium diebus Dominicis anni ſuis Parochianis, illis exhibendo, & illos inducendo in viam ſalutis, ut ſe retrahant ab occaſione peccandi. Quæ omnia per dictos Parochos compleri mandamus (ceſſante legitima excuſatione) ſub pœna unius regalis quoties ita non exequentur, applicandi pro una medietate Eccleſiæ cui inſerviunt, & pro alia medietate illi qui denunciaverit.

Ut Parochi moneant ſuos Parochianos, ut ſciant Confeſſionem generalem, & orationes Eccleſiæ.

Magnus defectus & culpa ſubditorum, & notabilis negligentia Parochorum, quod eorum Parochiani neſciant res pertinentes ad ſuam ſalutem, quæ ſunt fundamentum noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ. Et quia ſumus informati quod plures ex noſtris ſubditis, habentes ætatem diſcretionis neſciunt Orationes ab Eccleſia inſtitutas (quod procedit ex negligentia, & pauca cura Parochorum) ideo mandamus, ut præfati Parochi & Confeſſores, illos moneant pariter ut procurent ſcire Confeſſionem generalem & Orationem Dominicam, Ave Maria, & Credo, ac Salve Regina; mandamuſque ut præfati Curati & Confeſſores quotieſcumque audient confeſſiones quarumvis perſonarũ, recitare faciant dictas Orationes, & videant ſi illas ſciant & bene pronuncient, corrigendo, & docendo quod non ſcierint, & non bene pronunciaverint. & ad hunc effectum mandamus, ut Presbyter qui Miſſã celebraverit diebus Dominicis, poſt dictam Confeſſionem altâ voce, loco pœnitentiæ illis injungat, ut unâ Dominicâ dicant ſimul cum ipſo Pater noſter, & Ave Maria, & aliâ Dominicâ Credo, & Salve Regina, tali modo ut totus populus poſſit & valeat bene pronunciare; & ad hunc effectum moneant ſuos Parochianos ut ſecum ducant ſuos filios qualibet die Dominica ad Miſſam, ut diſcant dictas Orationes.

Item mandamus omnibus Sacriſtis Eccleſiarum noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, & omnibus perſonis Eccleſiaſticis vel ſæcularibus, quæ docebunt legere & ſcribere, ut in primis & ante omnia de præmiſſis pueros inſtruant, & alia legere, vel ſcribere non faciant, donec ſciant dictas orationes, & alia contenta in dicta tabula. quæ omnia mandamus per ipſos fieri & compleri ſub pœna excommunicationis: mandamuſque non abſolvi donec prædictis integrè ſatisfaciant.

CAPUT II.

Deputentur perſonæ, quæ in ſancta Fide Catholica noviter ad eam converſos inſtruant, & quid Parochi circa illud agere debeant.

CUM in hac noſtra diœceſi & provincia adſint plures noviter ad fidem converſi tam à lege Judaïca, quàm à ſecta Mahometana, maximè indigentes inſtructionibus & documentis noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ, &

aliorum concernentium doctrinam Chriſtianam (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & ordinamus, ut Prælati, ad quos ſpectat invigilare ſuper ſalute animarum, deputent perſonas honeſtas & competenter doctas, quæ illos inſtruant in omnibus neceſſariis ad eorum ſalutem, & quæ ſpecialem curam habeant inquirendi & ſciendi quomodo vivant, & an committant aliquos ex erroribus, in quibus, antequam ad noſtram fidem veniſſent, ſteterunt. mandamuſque Parochis ut in ſuis Parochiis faciant catalogum ſeparatum de noviter converſis; & viſitatoribus ut exigant rationem cum magna diligentia ſuper eo, an faciant & compleant quod mandat Eccleſia. Pariterque quia nonnulli ſunt utriuſque generis, qui à noſtra ſancta Fide Catholica receſſerunt, fuerunt reconciliati, & reducti ad unionem ſanctæ matris Eccleſiæ, ac abjurârunt ſuos errores, quibus ordinatum fuit, ut audiant Miſſam & concionem diebus Dominicis & feſtivis de præcepto, ac peccata confiteantur tribus feſtis Paſchalibus anni, & alia; mandamus Parochis ut de ſic reconciliatis faciant ſpecialem Catalogum ad effectum ut innoteſcat an exequantur quæ ipſis fuerunt injuncta, & illos moneant, ut illa compleant, ad effectum ut Deus Dominus noſter veniam pro peccatis contra ipſum commiſſis impartiatur, & præſtet ut in bono ſtatu perſeverent.

CAPUT III.

Quòd Parochi ſint diligentes in adminiſtrando ſancta Sacramenta.

STATUTUM de jure eſt ut fideles Chriſtiani recipiant Sacramenta ſanctæ matris Eccleſiæ quibuſdam anni temporibus, & in caſibus neceſſitatis pro ſalute animarum ſuarum: ideo (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, ut omnes Parochi ſint diligentes in adminiſtrando ſancta Sacramenta, & ſignanter Baptiſmum infantibus ad evitandum periculum quod ex dilatione oriri poſſet, & exhortando ac requirendo ſuos Parochianos infirmos, ut confiteantur & ſanctum Sacramentum Euchariſtiæ recipiant.

Item ut notum ſit omnibus quando corpus Domini noſtri defertur alicui infirmo ad effectum ut ſanctum Sacramentum comitentur, & propterea lucrentur Indulgentias conceſſas; mandamus ut pulſare faciant in porta Eccleſiæ campanellam, parum antequam exeat ab Eccleſia, vel aliam campanam majorem, ſi mos eſt; & poſt reportatum corpus Domini noſtri ad Eccleſiam, declarent omnibus qui illud fuerunt comitati, qualiter fuerunt lucrati Indulgentias à ſanctis Patribus conceſſas, & ulteriùs Indulgentiam quadraginta dierum, quam nos eis conceſſimus pro qualibet vice. Quod fieri mandamus per dictos Parochos ſub pœna centum morapetinorum applicandorum pro una medietate Eccleſiæ, & pro alia medietate denuncianti.

CAPUT IV.

Quòd Medici imprimis & ante omnia moneant infirmos, ut ſalutem animarum ſuarum procurent.

PRO remedio plurium inconvenientium ſtatuit bonæ memoriæ Innocentius Tertius in Decretali. *Cùm infirmitas. de Pœnit. & rem.* Quod quando vocarentur Medici ad infirmos, ante omnia moneant dictos infirmos, ut vocent medicos animarum, qui ſunt Confeſſarij, & illos inducant ut confiteantur, & ſalutem animarum ſuarum procurent. quia cùm infirmitas corporis procedat ab ægritudine ſpirituali, quando infirmitas animæ curata eſt, Deus mandat ſalutem corporis, ac etiam quando in principio infirmi non fuerunt inducti ad confitendum, & diſponendum animas ſuas & conſcientias, ſuccedit quod, ſi eis dicatur factâ graviori infirmitate, cadunt in periculum deſperationis ſuæ ſalutis, & in alias periculoſas cogitationes. Et cùm ſit quòd in d. Decretali fuit impoſita pœna Medicis illud non obſervantibus, prout dictum eſt, eiſque vetitus ingreſſus in Eccleſiam, nobis eſt notum quod dicti Medici parum Deum timentes, & periculum animarum fidelium minimi facientes, id non obſervant, & in dictam pœnam incurrunt; ideo nos cupientes tanto periculo obviare: ſtatuimus & ordinamus, ut impoſterum omnes Medici noſtræ Archi-diœceſeos & provinciæ ſint diligẽtes in obſervatione dicti Decretalis: ſtatimque in prima viſitatione moneant & hortentur dictos infirmos, ut confiteantur, & diſponant ſuam conſcientiam, & ita facere non omittant cum qualibet perſona, cujuſvis ſtatûs & conditionis exiſtat: quodque ſi talis infirmus id non præſtiterit, Medicus poſtquam de eo notitiam habuerit, illum ſecundâ vice non inviſat, neque curet donec confeſſus fuerit, & animam ſuam diſpoſuerit. mandamuſque ita ſervari & compleri per dictos Medicos ſub pœna excommunicationis & ducentorum morapetinorum applicandorũ fabricæ Eccleſiæ cujus fuerint Parochiani quotieſcumque contravenerint: ad quam pœnam volumus illos teneri in foro conſcientiæ; & ut præmiſſa omnibus innoteſcant, mandamus ut quatuor primis diebus Dominicis Quadrageſimæ Parochi enuncient hanc Conſtitutionem in ſuis Eccleſiis.

CAPUT V.

Contra Vaticinatores & Magos, illoſque conſulentes.

CUM nobis notum ſit quod in noſtro Archiepiſcopatu & provincia, adſunt plures perſonæ utriuſque ſexus, quæ timoris Dei oblitæ, & fidei ac ſpei quam habere debent in divina providentia, utuntur vaticiniis, magicis artibus, ſortilegiis, & maleficiis, euntque

euntque seu mandant ad capiendum consilium à talium maleficiorum gestoribus, qui Diabolo famulantur; & quamvis tales personæ incurrant in magnas pœnas de jure stabilitas, & in sententiam excommunicationis vigore Constitutionum Provincialium nostri Archiepiscopatûs, in dictas pœnas & censuras incurrunt, & ab usu tam gravis peccati non abstinent. Ideo tantæ Dei offensioni obviare cupientes, statuimus & mandamus, ut in posterum omnes personæ, quæ dictis magicis artibus, sortilegiis, vaticiniis, vel aliis maleficiis utentur, sive cum talia gerentibus consilium iniverint, vel illos adiverint, vel participes delicti eorundem quocunque modo fuerint; ultra omnes alias pœnas in tali casu constitutas, omnes illi incurrant in sententiam excommunicationis ipso facto, & in pœnam duorum millium morapetinorum pro prima vice, & pro secunda vice pœna duplò augeatur, & publicè diffamentur, & in exilium mittantur ad tempus judicibus de eo cognoscentibus bene visum.

Item mandamus Provisoribus & Visitatoribus nostri Archiepiscopatûs, ut diligenter invigilent & specialem curam habeant inquirendi contra tales personas deditas isti peccato, illudque graviter puniendi, & delendi è cordibus nostrorum fidelium subditorum. Et ut talia delicta non possint remanere secreta, mandamus dictis Provisoribus, ut singulis annis à Dominica Septuagesimæ relaxent literas generales, etiam anathematis, contra dictos delinquentes, ac etiam contra omnes scientes, quales sunt qui talia delicta patrârunt, eisque præcipiant sub dictis censuris, ut accedant ad notificandum & declarandum coram ipsis, vel saltem coram Parochis suarum Parochiarum & coram Notario vel Scriba publico, ut in judicio constare valeat. Mandamusque dictis Parochis ut magna cum diligentia intra mensem notificent dictis Provisoribus, quidquid ipsis fuerit declaratum, & ipsi sciverint, & fidem de his transmittant. quod per ipsos fieri & compleri mandamus sub pœna suspensionis à divinis, & trium millium morapetinorum quotiescunque contravenerint.

CAPUT VI.

Quod relaxentur literæ generales singulis annis contra illos, qui vivunt in peccatis publicis, & procedatur usque ad invocationem brachii sæcularis.

PRÆLATIS & Pastoribus animarum quibus fuit commendatus populus Christianus, convenit firmiter & continuò invigilare super custodia animarum fidelium. Ideoque nos cupientes salutem nostrorum subditorum, illosque à peccatis & publicis Dei offensionibus avertere, & venerando censuras & pœnas, in quas vigore Constitutionum nostri Archiepiscopatûs & provinciæ, singulis annis à Dominica Septuagesimæ relaxent literas generales, & procedant per censuras, & per omnia alia juris remedia contra illos, qui vivunt in peccatis publicis, & contra illos qui matrimonium clandestinè contrahunt, vel in gradibus de jure prohibitis, & contra præsentes & inservientes talibus matrimoniis, & contra illos qui vitam ducunt maritalem cum suis uxoribus non receptâ benedictione Ecclesiæ, & contra incestuosos, & illos qui habent duas uxores, & contra usurarios & publicos concubinarios: quodque sic procedere non desinant, donec tales personæ ab istis peccatis se removeant. Quod per illos magna cum diligentia fieri & compleri mandamus, super quo eorum conscientiam oneramus, & ut hæc possint meliùs devenire ad notitiam dictorum judicum, & puniantur; mandamus omnibus Parochis nostri Archiepiscopatûs & provinciæ, ut sint diligentes in inquirendo & sciendo quales sint ex eorum Parochianis, qui existunt in aliquibus ex dictis peccatis publicis, illosque moneant cum tota charitate ut se ab eis removeant: & nisi corrigantur & emendentur, teneatur quilibet ex dictis Parochis illud notificare Prælato sive ejus Provisori, ut remedium afferat. Et desuper mandamus, ut præfati Parochi conficiant catalogos in quibus describant omnes sic publicè reputatos in suis Parochiis & cum omni diligentia illos transmittant ad dictos Provisores tempore & modo in sequenti constitutione contentis sub pœna unius floreni quotiescumque non præstiterint, applicandi pro medietate Ecclesiæ cui inserviunt, & pro alia medietate accusatori.

CAPUT VII.

Ordo procedendi contra illos qui non confitentur peccata, & sanctam Eucharistiam non recipiunt.

NOTUM nobis est, quòd non obstantibus censuris quæ vigore Constitutionum nostrorum bonæ memoriæ antecessorum fuerunt promulgatæ contra fideles nostros subditos, qui peccata non deponunt singulis annis, nec sanctam Communionem recipiunt tempore ab Ecclesia præfixo; & litteris ac censuris quæ quolibet anno fulminantur contra tales personas à Provisoribus & judicibus, plures sunt qui parùm Deum timentes, diù permanent excommunicati denunciati. Cupientes propterea novum afferre remedium, statuimus & mandamus omnibus Parochis nostri Archiepiscopatûs & provinciæ, ut à Dominica Septuagesimæ moneant omnes suos Parochianos, ut vadant ad confitendum peccata; dividant suas Parochias per vicos & contratas, præfigendo unicuique tempus, quo venire debuerit ad confitendum, prout opportunum judicaverint; ne omnes simul accedant eodem tempore, quo præ multitudine confitentium haberi non possit copia Confessariorum, ita quòd dicti Parochi specialem curam habeant de conscientiis suorum Parochianorum.

Item mandamus, ut præfati Parochi magna cum

cum diligentia efforment catalogum omnium illorum degentium in ſuis Parochiis qui non fuerint confeſſi, & ſanctam Euchariſtiam non receperint, vel fuerint excommunicati propter peccata publica, illumque ſuo nomine proprio ſubſcriptum tranſmittant ad Proviſores uſque ad Dominicam in Albis, prout hactenus fieri ſolitum fuit. Inſuperque dicti Parochi teneantur deferre catalogum, & denunciare publicè in Eccleſia illos qui incurrerint in ſententiã excommunicationis, & illos qui à noſtris Proviſoribus fuerint declarati, illos nominando propriis nominibus altâ voce; itaut populus audiat & intelligat, nemine propter amorem vel alium quemlibet reſpectum prætermiſſo. Et ſi præfati contumaces non fuerint abſoluti, peccata non depoſuerint, & ſanctam communionem non ſuſceperint, & à dictis peccatis publicis non ſe removerint uſque & per totum diem ſanctiſſimæ Trinitatis; mandamus & ordinamus, ut dicti Parochi teneantur tranſmittere ad Proviſorem alium ſecundum catalogum & memoriale continens nomina illorum, qui ſic fuerint denunciati excommunicati. quem catalogum tranſmittere debebunt uſque & per totam Octavam Corporis Chriſti ſub pœna unius floreni quotieſcunque illum tranſmittere prætermiſerint, applicandi modo ſuperiùs expreſſo. Pariterque mandamus ut dicti Proviſores & Miniſtri noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ procedant contra contumaces & rebelles per cenſuras, & per pœnas, quæ ipſis videbuntur magis proficuæ, aggravando, & reaggravando uſque ad invocationem brachii ſæcularis, ſi neceſſarium fuerit: & in ſcriptura invocationis brachii ſæcularis exprimantur contumaces propriis nominibus, & dicatur in ea quòd in carceres detrudantur, & ab eis non liberentur nec relaxentur, etiam ſub fidejuſſione, donec conſtiterit eos fuiſſe abſolutos, & paruiſſe Eccleſiæ & judicibus qui contra ipſos proceſſerint, ita ut eos in ſuo peccato permanere non permittant.

Item quia plures dicendo confeſſos fuiſſe apud Religioſos, & alios ſacerdotes electos ab his qui habent facultatem audiendi confeſſiones & abſolvendi, confiteri in ſuis Parochiis recuſant, mandamus ut dicti Parochi illos non habeant pro confeſſis, nec pro abſolutis, niſi docuerint legitimè per literas talium Religioſorum, vel alio modo, qualiter fuerunt confeſſi apud ipſos, & abſoluti.

CAPUT VIII.

Quam pœnam incurrant illi, qui per annum & ultrà permanent in excommunicatione.

MAGNUM periculum eſt animarum fidelium permanere per longum tempus ſcienter in ſententia excommunicationis. Et etiam tales corde indurati, eò quòd per tantum temporis ſpatium in ſua contumacia fuerint privati à communione fidelium, non ſunt vacui ab omni ſuſpicione, quod non benè ſentiant de rebus fidei. Et quia cupimus illos reducere ad bonum ſtatum & ad viam ſalutis, ſacro Concilio approbante, ſtatuimus & ordinamus, ut omnes fideles, qui permanſerint publicè in excommunicatione per annum, ſi fuerint Clerici, in carceres detrudantur, & fructus eorum beneficiorum applicentur pro medietate fabricis ſuarum Eccleſiarum, & pro alia, operę Eccleſiæ Cathedralis, & quòd non excarcerentur donec ſatisfecerint ſuper inobedientia & contumacia, & beneficium abſolutionis meruerint obtinere. Si verò fuerint laïci, & permanſerint in excommunicatione per medium annum, deinceps incurrant pro quolibet menſe in pœnam centum morapetinorum pro Eccleſia: & ſi ultra annum, amittant tertiam partem omnium bonorum ſuorum, applicandorum pro medietate regio fiſco, & pro alia medietate fabricæ Eccleſiæ eorum Parochiæ.

CAPUT IX.

Quod Manumiſſores & Exequutores teſtamentarii compleant & exequantur intra certum tempus teſtamenta defunctorum.

DIDICIMUS quòd plures cum magno onere ſuarum conſcientiarum omiſerunt & omittunt exequi plura teſtamẽta & legata pia à longo tempore uſque modò per negligentiam, & per alias cauſſas & intereſſe, atque ita animæ teſtatorum privantur ſuffragiis & operibus, quæ ordinârunt in ſuis ultimis diſpoſitionibus, & cum talibus dilationibus valdè defraudantur. Et quia ad nos pertinet de remedio providere (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus, ut intra terminum unius anni omnes hæredes manumiſſores & exequutores teſtamentorum & ultimarum voluntatum noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, exequantur & compleant omnia teſtamenta defunctorum. quod per illos fieri & exequi intra dictum terminum requirimus, monemus ac mandamus; volumuſque ut præſens conſtitutio intelligatur de teſtamentis & ultimis voluntatibus factis à quinque annis uſque modò: de præſentibus verò & futuris volumus, ut annus computetur à die obitûs teſtatoris.

Item mandamus omnibus Parochis, ut deſcribant quolibet anno omnes defunctos in ſuis Parochiis, & illos quos nominaverint pro ſuis manumiſſoribus & exequutoribus teſtamentariis, ac hæredibus; ac etiam Notarium coram quo condiderint ſua teſtamenta & ultimas voluntates, & ad nos tranſmittant quolibet anno quando facient catalogum illorum, qui fuerint confeſſi, ut meliùs poſſimus deſuper providere. quod per ipſos fieri mandamus ſub pœna unius floreni quotieſcumque contravenerint, applicandi modo ſupradicto.

CA-

CAPUT X.

Quæ feſta ſint obſervanda, & quòd Parochi illa notificent ſuis Parochianis.

SANCTÆ dies Paſchatis, Dominicæ, & alia feſta per ſanctam matrem Eccleſiam demandata, fuerunt dicata ſervitio Dei Domini noſtri, & reſervata fuerunt pro illius obſequio ac exercitio ſacrificiorum & operum ſpiritualium. Sumus autem informati quòd in noſtro Archiepiſcopatu & provincia dicta feſta non obſervantur à fidelibus Chriſtianis cum intentione ſub qua Eccleſia illa inſtituit, & prout obſervari debent pro ſalute animarum ſuarum, immò potiùs quòd diebus feſtivis, prout videmus, quamplures occupantur in vitiis, ludis, & comeſſationibus, ex quibus magna in populis oriuntur ſcandala & damna. Nos propterea cupientes obviare dictis malis, & peccato quod committunt violatores dictorum feſtorum, & ad ſubveniendum neceſſitatibus pauperum (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus tollere nonnulla feſta ex illis quæ hactenus obſervari ſolebant, mandamuſque feſta ſequentia in poſterum obſervari:

Dies Circunciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Epiphania.
Dies feſtus Sancti Sebaſtiani.
Purificatio Sanctæ Mariæ Dominæ noſtræ.
Sancti Mathiæ Apoſtoli.
Annunciationis Dominæ noſtræ.
Sancti Marci Euangeliſtæ.
Sanctorum Philippi & Jacobi.
Inventionis Crucis.
Sancti Barnabæ Apoſtoli.
Sancti Joannis Baptiſtæ.
Sanctorum Petri & Paulli.
Sanctæ Mariæ Magdalenæ.
Sancti Jacobi Apoſtoli.
Sanctæ Annæ.
Transfiguratio Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Sancti Laurentii Martyris.
Aſsũptionis Sanctæ Mariæ Dominæ noſtrę.
Sancti Bartholomęi Apoſtoli.
Nativitatis Dominæ Noſtræ.
Sancti Matthęi Apoſtoli & Euangeliſtæ.
Sancti Michaëlis.
Sancti Lucæ Euangeliſtæ.
Sanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum.
Feſtum omnium Sanctorum.
Sancti Andreæ Apoſtoli.
Conceptionis Dominæ noſtræ.
Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Sancti Stephani.
Sancti Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ.
Omnes Dominicæ totius anni.
Paſcha Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus.
Aſcenſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Paſcha Spiritûs ſancti cum duobus diebus ſequentibus.
Feſtum Corporis Chriſti.

Et quia non intendimus impedire devotionem fidelium qui volent obſervare aliqua alia feſta, eis concedimus facultatem illa celebrandi & obſervandi ſi voluerint. Item concedimus & impartimus Indulgentiam quadraginta dierum his, qui audient Miſſam majorem, & intervenient Proceſſioni faciendæ die feſto Sancti Iſidori, & Sancti Clementis, & Proceſſioni Sancti Marci, & aliis litaniarum, & diebus feſtis Sancti Dominici, & Sancti Franciſci in eorum Monaſteriis. Mandamuſque ut iſta feſta, & alia omnia quæ hîc obſervari non juſſimus, celebrentur in Eccleſiis cum omnimoda ſolennitate & devotione, quodlibet in ſuo gradu juxta ordinem expreſſum in Breviario. Et ad effectum ut populus ſcire valeat quando obſervare debet dicta feſta ad quæ tenentur, mandamus Parochis, ut illa ipſi notificent diebus Dominicis antecedentibus, denuncientque vigilias & alia tempora in quibus tenetur ad jejunium de præcepto Eccleſiæ, monendo ut illa obſerventur cum omnimoda devotione, & omnes attendant ad inviſendum Eccleſiam, audiendum Miſſam majorem, & alia divina officia, ſe occupent in orationibus, & operibus miſericordiæ, aliiſque ad laudem & gloriam Domini noſtri. quandoquidem ad hæc fuerunt dicata talia feſta: monendo ſimiliter, ut illis diebus ab offẽſionibus Dei abſtineant. Et mandamus, ut nullus mercator, nec miniſter, nec venditor, nec alia quævis perſona habeat apothecam apertam talibus diebus, quas obſervari jubemus, à quo fuerit pulſata campana pro Miſſa majori uſque quo fuerit terminata: nec iſti vendant, emant, nęc laborent in oppidis, nec in agro: mandamuſque noſtris Barigellis, ut exequantur pœnas ſolitas contra illos qui ea non obſervaverint uſque ad valorem unius regalis pro qualibet vice, applicãdi pro medietate fabricæ Eccleſiæ Parochialis, & pro alia medietate Barigello exequutori: & facultatem ac auctoritatem impartimur Vicariis, ut ita fieri & compleri faciant, quilibet in ſua Vicaria, & poſſint deſuper invocare brachium ſæculare.

CAPUT XI.

Contra non audientes Miſſam majorem diebus Dominicis, & feſtivis de præcepto, vel eorum violatores, & contra vendentes carnes & alia vetita, tempore Quadrageſimæ, & diebus jejunii.

REPERIMUS quod in noſtro Archiepiſcopatu & provincia plures perſonæ Deum non timentes, & mandata Eccleſiæ parvipendentes, omittunt audire Miſſam diebus Paſchatis, Dominicis, & aliis diebus feſtivis, prout tenentur; quorum aliqui attendunt negociationibus & mercaturis, alii degunt in plateis & cauponis, & aliis locis, ex quibus fideles Chriſtiani recipiunt ſcandala & malum exemplum. propterea nos conformantes diſpoſitioni ſacrorum Canonum (ſacro Concilio appro-

approbante) ſtatuimus & ordinamus, quòd in poſterum Parochi ſint diligentes in monendo ſuos Parochianos, ut diebus Dominicis, & feſtivis de præcepto, vadant ad audiendum Miſſam majorem integrè prout tenentur, & in ea devotè & attentè remaneant, non loquendo nec intendendo de aliis rebus. Et illos qui contravenerint redarguant & moneant fraterna charitate, ut ſe corrigant, & ſi non emendentur, id notificent Proviſoribus & Miniſtris ad effectum ut procedant contra ipſos cum omni rigore Juris.

Item mandamus, ut ab illis qui ſtabunt in plateis & cœmeteriis, vel ludendo in ſuis domibus vel cauponis, vel in aliis partibus & locis tempore quo celebratur Miſſa major diebus Dominicis & feſtivis, noſtri Barigelli & exequutores ſeu Birruarii noſtrorum Judicum Eccleſiaſticorum, vel Judices ſeu Barigelli populi ſi fuerint vocati à Vicariis, ſolvi faciant ab unoquoque pœnam dimidii regalis, & illam non condonent, nec reſtituant.

Item etiam mandamus, ut nullus caponarius, nec ullus alius vinum vendat, nec aliquem admittat in ſua caupona vel domo ad comedendum & bibendum dictis diebus Dominicis & feſtivis, donec Miſſa major fuerit terminata. Pariterque mandamus lanionibus, ut carnes non ponderent, & piſtoribus, & aliis quibuſvis perſonis vendentibus comeſtibilia, ut illa in platea non exponant, nec publicè vendant à quo fuerit pulſata campana pro Miſſa majori, donec iſta fuerit terminata, exceptis tamen pharmacopolis, ſub pœna quòd contrarium facientes mulctentur pro qualibet vice per noſtros Barigellos in uno regali, applicando pro medietate exequutori, & pro alia medietate fabricæ Eccleſiæ parochialis. ſimiliterque facultatem concedimus omnibus Vicariis, ut ita fieri & compleri faciant.

Item mandamus ſub dicta pœna, ut diebus Quadrageſimæ, feriâ ſextâ, vigiliis, & aliis diebus, quibus eſt vetitus ab Eccleſia uſus carnium, non vendantur carnes, lacticinia, nec alia prohibita abſque noſtra ſpeciali licentia.

Et quia obſervantiam dictorum feſtorum deſideramus, & quod dicti noſtri Barigelli in hoc fraudem aliquam non committant; eis mandamus, ut non conveniant nec pactum aliquod ineant cum dictis miniſtris, ſeu venditoribus, ut ſinant eis aliquid facere vel vendere, omittendo dictam exequutionem, ſub pœna quòd quilibet Barigellus qui contrariũ fecerit, ſolvat quod ſic receperit, & quadruplum plus, quodque per triginta dies in carceribus detrudatur pro prima vice, & pro ſecunda fiat pœna duplo major, & in perpetuum privatus officio remaneat.

CAPUT XII.

Quòd in recitatione divinorum Officiorum in tota provincia ſe conforment Eccleſiæ Metropolitanæ.

CUM rationi valdè congruat, ut per totum dictum noſtrum Archiepiſcopatum & provinciam adſit uniformis modus recitandi Horas Canonicas, & divinum Officium, quodque omnes Eccleſiæ dicti noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ in præmiſſis noſtræ Eccleſiæ Metropolitanæ ſe conforment, propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus, ut omnes Clerici dicti noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, cujuſcunque dignitatis & præeminentiæ exiſtant, ſe conforment in recitando Horas & Officium dictæ noſtræ ſanctæ Eccleſiæ. Et quia in noſtra diœceſi & provincia plures adſunt ſacerdotes aliarum diœceſum, inſervientes Beneficiis, qui ſæpè ſæpiùs recitant Officium modo diverſo ab illo diœceſis in qua inſerviunt, ex quo oriuntur nonnullæ confuſiones; mandamus propterea quòd cùm inſervire debeant in Eccleſia & Choro juxta ordinem iſtius diœceſis, Officium recitent eo modo, & non alio. Sub pœna quòd qui ſic non fecerit, expellatur à tali ſervitio, niſi recitet prout dictum eſt, & habeat Breviarium ad hunc effectum.

Quia pariter eſt valdè opportunum & neceſſarium, ut in noſtra diœceſi & provincia adſit uniformitas in cæremoniis Miſſæ, & ſacerdotes non utantur diverſis modis celebrandi (ſacro Concilio approbante) mandamus, ut omnes ſint conformes in dictis cæremoniis noſtræ Eccleſiæ Metropolitanæ, & viſitatores ſuper his accuratè invigilent, corrigant, ac puniant contravenientes.

CAPUT XIII.

Quomodo ſtare debent Eccleſiaſtici in officiis divinis, & ordo ſervandus in eis.

TENENTUR Clerici ad recitandum Officium divinum cum omnimoda attentione & devotione, & ſtare cum ſilentio in Eccleſia tempore celebrationis; ac etiam ad inſerviendum & reſidendum in Eccleſiis, in quibus ſunt Beneficiati, vel habent onus cujuſdam ſervitii: ſuper quo à noſtris bo: mem: prædeceſſoribus factæ fuerunt & ordinatæ nonnullæ conſtitutiones, quas mandamus obſervari in omnibus & per omnia cum additionibus ſequentibus. Videlicet quòd tempore quo recitabuntur Horæ Canonicæ & divina Officia, adſint omnes in choro cum habitu decenti tale Officium canentes, & ſervent ſilentium, ſintque honeſtè ordinati, & recitent Horas diſtinctè & lentè, non autem præcipitanter. quodque non loquantur, nec recitent dum officium decantatur, ne diſtrahantur ad alia attenti illi qui cane-

re

te debent, vel impediantur canentes; pariterque mandamus, ut laïci non ſedeant inter clericos dum officium divinum decantabitur, nec Clerici dent eis locum, niſi talis laïcus adjuvet Clericos in cantando, & per hoc noſtrum ſtatutum facultatem impartimur Vicario, ubi fuerit, & in ejus abſentia Parochio antiquiori qui in qualibet Eccleſia parochiali fuerit, ad hoc ut ſic poſſit mandare, & compleri facere ſub pœna decem morapetinorum, in quibus mulctare poſſit præmiſſis contravenientes: & ſi ulteriùs fuerint inobedientes & rebelles, & non compleverint ea de quibus fuerint moniti, præfatus Vicarius, ſive Parochus illos mulctare in aliis decem morapetinis, qui ſtatim reponantur in arca ſeu trunco fabricæ, cui illos applicamus.

Item etiam mandamus, ut in Eccleſiis in quibus adeſt conſuetudo recitandi omnes horas canonicas, ſervetur talis conſuetudo; & ut in aliis Eccleſiis in quibus adſunt dumtaxat duo Beneficiati, iſti teneantur per ſe, vel per Cappellanos pro ipſis inſervientes, celebrare Miſſam de Tertia, & Veſperas cantatas ſingulis diebus de feſto vel feria occurrenti, ſub pœnis in dictis Conſtitutionibus expreſſis: & ubi aderit unicus Beneficiatus, ut ſaltem diebus Dominicis & feſtivis de præcepto, celebret Miſſam cantatam de Dominica vel feſto occurrenti, & tribus diebus hebdomedæ de feria ſeu feſto occurrenti, ſub pœna unius regalis pro qualibet die Dominica ſeu feſto, & dimidii regalis pro qualibet ex aliis diebus, quibus celebrare omiſerit, applicandi pro medietate fabricę talis Eccleſiæ, & pro alia medietate Sacriſtę. Et volumus ut per nullum impedimentum Miſſæ Confraternitatis, vel alterius negocii occurrentis, prætermittatur celebratio Miſſę majoris dictis diebus & feſtis de officio, quod celebrabitur & recitabitur illa die, etiamſi adſit corpus pręſens ad ſepeliendum, vel nuptię celebrandæ.

Item ut in Eccleſiis, in quibus adeſt copia ſacerdotum ſervetur ordo in celebrando Miſſas, & non ſint ſibi invicem impedimento; præcipimus ut dum Miſſa major celebrabitur, nulla alia Miſſa celebretur, nec ullus ſacerdos ſe veſtibus ſacris induat, donec Sacramentum conſumpſerit qui primus incepit Miſſam; ſub pœna unius regalis, in quo mulctentur ſacerdos & ſacriſta qui ipſi ornamenta præſtiterit: quod intelligendum eſt, exceptis Eccleſiis Cathedralibus, in quibus celebrari ſolent plures Miſſæ, & non adeſſet tempus ad illas omnes celebrandas. Et ſub dicta pœna mandamus, ut ſacerdotes non ſe induant, ad celebrandum Miſſam, nec ſe ſpolient in altaribus, nec in præſentia populi, ſed in ſacriſtiis ſeu locis ad id deſtinatis: ac etiam non dentur Calices, nec Corporalia pueris, ſed ipſimet illa ferant.

Item ad evitanda inconvenientia & tollendum impedimentum quod cauſſatur divino officio (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus ut pax non vadat per Eccleſiam, ſed ponatur in loco, in quo commodè illi qui devotione fuerint moti, illam capere valeant. Mandamuſque ut qui illam alio modo dederit, incurrat pœnam unius regalis pro qualibet vice applicandi fabricæ ſuæ Eccleſiæ.

Similiterque quia didicimus quòd eleemoſynæ quæ petuntur tempore celebrationis Miſſæ majoris, valdè impediant & perturbent divinum Officium, mandamus Vicariis, Parochis, & Clericis dicti Archiepiſcopatus & provinciæ, ut nemini permittant petere eleemoſynam, nec alios quæſtus facere per Eccleſiam à quo fuerit incepta Miſſa major uſque ad conſumptionem Sacramenti, ſub pœna unius regalis applicandi fabricæ talis Eccleſiæ.

Item quia ſacerdotes debent ſemper cum gravitate & devotione ſe gerere, maximè dum celebrant; & quia ſcivimus quòd tempore Offertorii diebus Dominicis & feſtis principalibus, nonnulli ſacerdotes per magnam partem Eccleſiæ incedant inter populum ad effectum recipiendi oblationes, quod non parit bonum exemplum, nec honeſtum videtur; propterea ſtatuimus & mandamus, ut in poſterum id nullo modo fiat; ſed Sacerdos ſe conſtituat in loco, quo pervenire valeant illi, qui offerre voluerint, & ſi fuerit neceſſarium, multiplicentur ſacerdotes ad recipiendas oblationes.

CAPUT XIV.

Quid obſervari debeat circa celebrationem Officiorum divinorum, & adminiſtrationem Sacramentorum tempore Interdicti.

CUM periculoſiſſimum ſit cuilibet miniſtro Eccleſiæ, celebrare & adminiſtrare quodlibet ex Sacramentis tempore Interdicti extra ſtatutum & permiſſum per ſacros Canones; propterea volentes hac in parte inſtruere & monere noſtros ſubditos, mandamus ut circa celebrationem divini Officii, ſerventur contenta in cap. *Alma mater* de ſent. excom. lib. 6. Videlicet quòd tempore Interdicti Apoſtolici, vel ordinarii celebrentur Miſſæ & divina Officia clauſis januis, excluſis interdictis & excommunicatis, & clericis non coniugatis dumtaxat admiſſis, exceptis tamen diebus Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Reſurrectionis, & Spiritûs ſancti, ac die Aſſumptionis Dominæ noſtræ, & die feſtivitatis Corporis Chriſti cum ſua octava, prout & quemadmodum continetur in Bulla Eugenii & Martini. Quæ feſta celebrantur incipiendo à primis Veſperis, & per horas uſque ad ſecundas Veſperas incluſivè, non tamen dicatur ſecundum completorium dictis diebus.

Item quòd non adminiſtrentur Sacramenta propter infraſcripta. Sacramentum Baptiſmi tam parvis quam adultis: & Confirmatio quæ ſpectat ad Epiſcopos: Sacramentum Pœnitentiæ tàm ſanis, quàm ægrotis: & Sacramentum Euchariſtiæ ægrotis dumtaxat cum ea ſolennitate quâ adminiſtrari ſolet quando non adeſt Interdictum: & de Sacramento Matrimonii ſponſalia dumtaxat, etiam ſi ſint per verba de

præſenti, non autem Matrimonium: Sacramentum extremæ Unctionis nemini adminiſtrari poteſt tempore Interdicti. Sepultura in loco ſacro dari non poteſt niſi Clericis non conjugatis qui non fuerint violatores Interdicti, & eis qui privilegium vel Bullam habuerint ad hunc effectum.

CAPUT XV.

Quod Parochi poſſint exercere ſuum officium tempore Sedis vacantis, abſque alia licentia ad hunc effectum.

STATUIMUS & ordinamus (ſacro Concilio approbante) ut omnes & ſinguli ſacerdotes habentes licentiam ad exercendum officium Parochi, & abſolvendum à caſibus de jure Prælato reſervatis, poſſint Sede vacante exercere dictum officium & abſolvere à dictis caſibus ipſis conceſſis abſque eo quòd ad id novam commiſſionem obtineant.

CAPUT XVI.

Ordo qui eſt ſervandus in recitatione trigenariorum.

FUIT nobis enunciatum, quòd in aliquibus Eccleſiis iſtius noſtri Archiepiſcopatus & provinciæ quando Clerici recitare debent trigenaria publica vel ſecreta, quovis tempore illa dicere debeant, ſolent celebrare Miſſas votivas, & non Miſſas defunctorum, & illas computant in trigenariis. Circa quod ordinamus ut ſi defunctus dici mandaverit aliquod trigenarium, & in eo celebrari nonnullas Miſſas quæ non ſint pro defunctis, celebrentur prout celebrari mandavit, ne mens teſtatoris defraudetur; ſed ſi ille non determinat alio modo Miſſas, quæ ſunt celebrandæ, & ſolùm mandat dici trigenarium vel trigenaria; mandamus & ordinamus, ut in ſimilibus trigenariis non celebrentur aliæ Miſſæ præterquam defunctorum, exceptis tamen locis, ſeu Eccleſiis in quibus unicus tantùm adeſt ſacerdos, quia hæc videtur eſſe mens defuncti. Mandamuſque & ſtrictè præcipimus ſacerdotibus ut tam in trigenariis, quàm in aliis Miſſis votivis ſibi celebrari mandatis, non faciant in Miſſis diverſitatem candelarum, nec aliquos alios abuſus committant in dicendis dictis trigenariis, ſeu Miſſis defunctorum.

Item etiam mandamus cuilibet ſacerdoti qui inceperit trigenarium, ut ſi evenerit neceſſitas exeundi ad adminiſtrandum Sacramenta, vel aliud quidpiam juſtum & honeſtum gerendum, exeat brevi rediturus; ita tamen ut quando exiverit ſit indutus ſuperpelliceo, & non alio modo, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, quam tanquam rationi minimè conſonam reprobamus.

Item mandamus ſub pœna duorum millium morapetinorum omnibus & ſingulis Præsbyteris trigenaria dicentibus, ut cùm ſic fuerint in Eccleſia, non ludant chartis, nec aleis, nec alio quovis ludo: & quia ubi multitudo, ibi ſolet eſſe confuſio, & pauca devotio, præcipimus ne ingredi poſſint in trigenario clauſo dicendo, ultra duos ſacerdotes ſimul.

CAPUT XVII.

Quòd non fiant pacta, nec conventiones pro Miſſis & divinis Officiis, nec pro ſepulturis.

DE jure eſt vetitum quodlibet pactum ſeu conventio rei temporalis pro Sacramentis & rebus ſpiritualibus, vel eis annexis; propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & ordinamus, ut ſacerdotes & miniſtri Eccleſiæ nullum pactum nec conventionem faciant pro Miſſis, exequiis, & divinis officiis; ſed volumus quod pro ſubſtentatione ſacerdotum qui celebrant talia officia, ſervetur laudabilis conſuetudo introducta à fidelibus circa eleemoſynam quæ eis dari ſolet; quam conſuetudinem mandamus ut noſtri miniſtri & judices ſeruari faciant, juſtitiam miniſtrando abſque ſtrepitu & figura judicii. Et quia didicimus quod nonnulli ſacerdotes parùm Deum timentes accipiunt pignora pro aliquibus officiis, quod eſt ſpecies ſimoniæ & mali exempli; prohibemus noſtris ſubditis ut ante nec poſt dictum officium talia pignora accipiant, ſub pœna mille morapetinorum contravenientibus: & quia res eſſet inhumana, & contra juſtitiam, quòd fideles qui mandârunt fieri officia, non darent miniſtris Eccleſiæ eleemoſynam ſolitam quâ ſubſtententur; mandamus ut terminato officio ille qui non dederit ſolitum elapſis tribus diebus, incurrat in pœnam duplo majorem, ultra expenſas.

Item præcipimus, ne vendantur ſepulturæ nec fiant ſuper his pacta nec conventiones, ſed poſt ſepultum corpus detur Eccleſiæ eleemoſyna juxta conſuetudinem, quæ in talibus caſibus obſervata fuit & obſervatur: Et ut circa hoc judex Eccleſiæ obſervari faciat conſuetudinem quæ in ea fuerit per ordinem & ſub pœnis in conſtitutione immediatè ſupraſcripta continetur. Et quia nullus ſine Prælato poteſt dare jus ſepulturæ perpetuæ, nec concedere cappellam vel locum certum & perpetuum in Eccleſia; mandamus ut in hoc nihil fiat abſque noſtro ſpeciali mandato, vel noſtrorum Proviſorum.

Item jubemus, ut nullus Parochus, nec ſervitor beneficii omittat dicere in ſua hebdomada, vel diebus quibus tenetur celebrare Miſſam populo de feſto, vel feria occurrenti, dicens & celebrans Miſſas votivas commiſſas, & ut nullus habens ſpeciale onus Cappellaniæ, accipiat onus aliarum Miſſarum diebus, quibus celebrare tenetur in ſua Cappellania. Et ne defraudentur illi qui ordinant Sacrificia, & præfati ſacerdotes onerent ſuas conſcientias; mandamus

mus & ordinamus, ut cùm aliquis ſacerdos receperit eleemoſynam ſeu portionem pro celebranda Miſſa ſeu Miſſis, teneantur illas celebrare eâdemmet die, vel tempore commendato, ceſſante legitimo impedimento, & ſignanter pro illo vel illis qui talem eleemoſynam dederint.

CAPUT XVIII.

Quòd non celebretur Miſſa extra Eccleſiam, nec detur ad id licentia.

MAGNA fieret injuria Deo Domino noſtro, ſi ſanctiſſimum Sacramentum glorioſi ejus Corporis in tantam familiaritatem traheretur, ut aliquod vilipendium cauſsaretur. Propterea (ſacro Concilio approbante) ordinamus & mandamus, ut nemini detur licentia à Proviſoribus & officialibus noſtræ diœceſis & provinciæ, ut celebret Miſſam in ulla domo, nec in alio loco extra Eccleſiam; excepto tamen ſi fuerit in domo talis Domini, cui videatur non debere negari, & qui habeat in ſua domo cappellam & locum ſeparatum ad hunc effectum, & mandamus omnibus Presbyteris, ut in nullo loco ſeu domo alicujus nobilis, ſeu alterius perſonæ cujuslibet Miſſam celebrent abſque ſpeciali licentia; & tunc non celebrent in Palatio, aula, ſeu cameta in quibus adſit lectus in quo quis dormiat, excepto tamen ſi fuerit infirmus tali infirmitate ut ſurgere non valeat è lecto. Utque præfati ſacerdotes, quamvis habeant licentiam celebrandi in aliqua domo, ante omnia videant locum in quo celebrare debent Miſſam, ſi eſt honeſtus & compoſitus ac ordinatus prout eſſe debet ut in eo celebretur ſub pœna quòd ſacerdos contrarium faciens, ipſo facto incurrat ſuſpenſionem à divinis per menſem quoties ita fecerit.

Et quia ſumus informati, quòd in noſtra diœceſi & provincia adſunt plura hoſpitalia & domus nonnullarum mulierum monialium nuncupatarum, in quibus celebratur Miſſa adeò continuò, ut damnum oriatur Eccleſiis Parochialibus, & cultui Dei Domini noſtri; revocamus omnes & ſingulas licentias, quæ hactenus fuerunt conceſſæ, mandamuſque Proviſoribus & viſitatoribus, ut quando viſitaverint Eccleſias, ſe informent quæ domus adſint intra parochiam hoſpitalium, Beatarum, & aliarum perſonarum in quibus celebrari ſolet Miſſa, & de his nobis relationem faciant. Similiter non dent licentiam, nec in eis celebrari permittant abſque noſtro ſpeciali permiſſo, exceptâ tamen die Invocationis Sancti.

* * *

CAPUT XIX.

Quid ſervari debet circa confeſſionaria, & altaria portatilia ſeu mobilia.

PLURES perſonæ ſub falſis relationibus dicentes ſe eſſe nobiles, vel habere ad hoc neceſſitatem, vel per alias cauſſas, impetrârunt plura confeſſionaria, & varias facultates habendi altaria mobilia, & Miſſam audiendi in ſuis domibus, vel in eis recipiendi ſancta Sacramenta: & quia ſi Papa dominus noſter eſſet informatus de qualitate plurium ex dictis perſonis, & vili earum conditione & ſtirpe, ac etiam de aliis defectibus, quos nonnulli patiuntur non eſt credendum, quòd tales eiſdem concederet facultates, maximè cùm tot ſint, & adeò communes, ut inde oriantur magna ſcandala, & ſacra in vilipendium deducantur: & quia ad nos ſpectat inſpicere & examinare dicta confeſſionaria, & facultates, & exequutioni demandare illa quæ fuerint impetrata ſub vera relatione, & exponere ac demonſtrare ſuæ Sanctitati ea quæ fuerunt impetrata ſubreptitiè, & à perſonis de quibus oritur ſcandalum, & periculum conſcientiarum; mandamus ut nullus ſacerdos Miſſam celebret in domo ullius perſonæ particularis vigore cujuſvis confeſſionarii, vel alterius facultatis, quamvis ſubſcriptæ à noſtris Proviſoribus, abſque eo quòd per nos priùs fuerit viſa, & examinata; exceptâ tamen domo alicuius Domini titulati, vel ejus filiorum, ſub pœna unius floreni Preſbytero contravenienti, applicandi pro medietate, fabricæ ſuæ Eccleſiæ; & pro alia medietate, accuſatori.

CAPUT XX.

Quod non celebrentur Matrimonia extra Eccleſiam.

ITEM etiam præcipimus, ut nullus Presbyter audeat adminiſtrare matrimonia extra Eccleſiam Parochialem, ſub pœna mille morapetinorum; & ſit ſuſpenſus à celebratione dictorum matrimoniorum ad annum: mandamuſque ut noſtri Proviſores non concedant ad hunc effectum licentiam abſque noſtro ſpeciali mandato.

CAPUT XXI.

Quòd non fiant repræſentationes in Eccleſiis.

SUMUS informati quòd in quibuſdam Eccleſiis noſtri Archiepiſcopatus & provinciæ permittitur fieri nonnullas repreſentationes Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & alios actus, & memoriam Reſurrectionis, Nativitatis Salvatoris noſtri, vel alias repræſentationes. Et quia ex talibus actibus orta ſunt, & oriuntur plura abſurda, & ſæpè ſæpius ſcandala

in cordibus illorum qui non ſunt bene confirmati in noſtra ſancta fide Catholica; videntes confuſiones & exceſſus, qui in hoc committuntur; propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus omnibus Parochis noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, omnibuſque aliis Presbyteris & Regularibus perſonis, ut non faciant, nec dent locum ut in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis fiant dictæ repræſentationes, nec aliquæ illarum abſque noſtra ſpeciali facultate & mandato, ſub pœna unius floreni applicandi modo ſupradicto Presbyteris contrafacientibus, & laïcis ut ſint excommunicati.

Item cupientes ut Eccleſiarum ſervitium rectè præſtetur à ſacriſtis, & laïci ſacris non immiſceantur, ordinamus ut in Eccleſia, in qua aderit Clericus non coniugatus habilis ad officium ſacriſtæ, non admittatur conjugatus: ſimiliter ut ſacriſtæ dormiant in Eccleſiis cum omni honeſtate, & claudant januas adveniente nocte, nec ab eis de nocte exeant ſub pœna quod propter eumdem caſum carcerentur & puniantur arbitrio noſtrorum judicum.

CAPUT XXII.

Quòd omnes Eccleſiæ Parochiales ſe conforment Eccleſiæ majori in pulſando Ave Maria, & ad Veſperas.

CUM circa tempus pulſandi Ave Maria in noſtra Eccleſia Metropolitana & in aliis Eccleſiis tam iſtius civitatis, quàm aliarum civitatum, villarum, & locorum iſtius noſtri Archiepiſcopatus, & provinciæ, adfuerit aliqua confuſio & varietas; mandamus ut in dicta noſtra ſancta Eccleſia, & in omnibus aliis civitatibus, villis, & locis iſtius noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, pulſetur Ave Maria poſt occaſum Solis, nocte imminente, & ſtatim ut Campanarius dictæ noſtræ ſanctæ Eccleſiæ, vel aliarum Eccleſiarum Cathedralium, inceperit pulſare campanam Ave Maria, omnes alii Sacriſtæ aliarum Eccleſiarum inferiorum illi correſpondeant, & hìc ordo ſervetur in aliis civitatibus, oppidis & locis ad normam Eccleſiæ principalis; pariterque ſtatuimus ut in pulſando campanas pro Veſperis, ſe conforment Eccleſiæ principali, ſub pœna duodecim morapetinorum quoties contravenerint, applicandorum Campanario Eccleſiæ principalis.

CAPUT XXIII.

De vita, & honeſtate Clericorum.

CUPIENTES ut Eccleſiaſticæ perſonæ noſtræ diœceſis, & provinciæ ſint honeſtiſſimæ in omnibus ſuis operibus, habitu, & converſatione (ſacro Concilio approbante) mandamus ut ſacerdotes & clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, ſeu beneficiati, ſint graves in loquendo, incedendo & tractando, ut eorum vita & conſuetudo ſint laicis in bonum exemplum. Mandamus etiam ut deferant pallia cum colari amplo convenientis latitudinis, ut perveniant uſque ad plantam pedis, & ne utantur ac deferant pannum ſericum, nec coloris violacei, nec viridis, nec alium elaboratum & contextum ſerico, nec geſtent ſigna doctorum, ſed birreta, & non incedant cum bracis, & thoracibus, etiamſi deferant pallium deſuper, excepto quando trahunt veſtem talarem, & non deferant annulos aureos, nec cingula auro nec argento elaborata, nec calceamenta colorata; pariterque mandavimus ut deferant coronam mediocris latitudinis, & capillos breves, adeòut videantur aures, nec creſcere ſinant barbam. Quæ omnia mandamus per ipſos fieri & compleri ſub pœna quingentorum morapetinorum contravenientibus; etſi fortè aliquis clericus fuerit inhoneſtus in ſuo habitu, contra ipſum ſervetur Juris communis diſpoſitio; & ſi fuerit adeò immoderatus in bibendo & comedendo, ut ſine juſta cauſa ingrediatur cauponas, vel fiat ebrius; tunc incurrat pœnam ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, ſi habuerit, ad menſem; & niſi corrigatur, contra ipſum procedatur, prout ejus Superiori bene viſum fuerit.

Item mandamus ut nullus clericus ſaltet; nec cantet cantiones ſæculares in Miſſa nova, nec in nuptiis, nec in alio quovis negocio publico, nec accedat ad locum in quo currunt tauri, ſub pœna viginti regalium.

Item mandamus, ut dictam pœnam incurrat quilibet clericus, qui tam parùm timoratus Dei fuerit, ut dixerit, Juro per talem, vel non credo in talem, vel alia ſimilia verba, & ultra dictam pœnam deprehendatur, & corrigatur arbitrio Judicis.

Item mandamus ut quilibet Clericus, qui fuerit repertus de nocte ambulare poſt ſonum ſecundæ campanæ abſque juſta cauſſa, maximè in habitu indecenti, deprehendatur per noſtrum Barigellum, & puniatur per noſtros Proviſores: & ſi arma ſecum tulerit, illa amittat, & incurrat pœnam mille morapetinorum.

CAPUT XXIV.

Quòd Clerici in Sacris conſtituti ſeu Beneficiati confiteantur, & ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum recipiant, ſaltem tribus feſtis Paſchalibus anni.

CUM Clerici, qui ſunt electi in ſortem Domini, majora dona recipiant à Deo, atque ita magis teneantur vitam ducere cum omnimoda bonitate & ſanctitate; requirimus & hortamur omnes Clericos in ſacris cõſtitutos, ſeu Beneficiatos, cujuſvis ſtatûs & conditionis exiſtant, intra noſtrum Archiepiſcopatum & Provinciam, ut peccata deponant, & ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum recipiant tribus feſtis Paſchalibus anni: & concedimus omnibus dictis Clericis facultatem eligen-

di

di Confeſſarios, qui illos abſolvere valeant ab omnibus peccatis, à quibus illos poſſemus abſolvere, excepto tamen illo qui fuerit ordinatus per ſaltum, & ſine licentia proprii Prælati, & illo qui violaverit Eccleſiam quocumque modo, & qui quædam ſortilegia, vel incantationes patraverit, & exceptis periuriis in damnum proximi, & exceſſu qui committitur iniiciendo manus violentas in Clericum, quocumque modo evenerit; & in laïco colapham infligendo, & fuſtibus excipiendo, & ſanguinem effundendo, quibus in caſibus prohibemus cuilibet Confeſſario, nè poſſit abſolvere Clericum, qui tale quid fuerit confeſſus.

CAPUT XXV.

Quòd Sacerdotes poſſint eligere Confeſſarium.

UT Sacerdotes cõmodiùs ſe diſponant ad celebrandum Miſſam, concedimus licentiam omnibus Presbyteris noſtri Archiepiſcopatûs, & Provinciæ, vt quando voluerint celebrare, poſſit quilibet eligere Confeſſarium Presbyterum ſæcularem vel Religioſum, apud quem confiteatur: qui ſacerdos ſic electus illos abſolvere valeat quoties prefati ſacerdotes fuerint confeſſi, ab omnibus ſuis peccatis, etiamſi ſint de caſibus nobis reſervatis, exceptis tamen caſibus contentis & expreſſis in Conſtitutione immediatè ſupraſcripta, quos in ſpecie nobis reſervamus.

Item mandamus ut omnes Presbyteri celebrantes, teneantur notificare Parochis ſuarum Parochiarum quolibet bimeſtri, apud quem ſacerdotem confitentur, & ſe reconciliant, ad effectum ut dicti Parochi valeant de his dare rationem. Et ſi fuerit unicus Clericus in loco, teneatur id ſignificare Parocho viciniori.

Item mandamus ut ſacerdotes non gerant ſuper humeris ſuis corpus defuncti, qui non ſit ſacerdos, excepto tempore tantæ neceſſitatis ut non reperiatur commodè, qui illud deferat ad ſepeliendum.

CAPUT XXVI.

Quòd clerici non habeant concubinas.

PLURES & diverſas pœnas & cenſuras reperimus impoſitas, tam vigore conſtitutionis Cardinalis de Sabina Legati Apoſtolici, quàm aliorum noſtrorum bonæ memorię Prædeceſſorum, contra clericos publicos concubinarios: & cognovimus ac vidimus per experientiam illos tales pluries exponere damnationi ſuas animas, & incurrere ac permanere in dictis pœnis & cenſuris, in magnum periculum ſuarum conſcientiarum, & in eis dictum vitium non aboleri. Propterea cupientes ſalutẽ noſtrorum ſubditorum, & puritatem ac bonum exemplum eorum vitę, ac perſonarũ, volenteſq; moderari rigorem dictarum pœnarũ & cenſurarum (ſacro Concilio approbante) monemus & hortamur omnes Eccleſiaſticos noſtros ſubditos ut purè & caſtè vivant, prout tenentur. Et quòd ſi aliquis illorum habuerit, vel habeat concubinam, illam relinquat, & ſe ab ea ſeparet & removeat, ſaltem intra terminum novem dierum, computandum à die notificationis & publicationis iſtius conſtitutionis in qualibet diœceſi; mandamuſque ut Proviſores & Miniſtri noſtri Archiepiſcopatûs & Provinciæ ſint diligentes in inquirendo & procedendo contra tales delinquentes, & ſi reperierint aliquem Clericum in ſacris, ſeu minoribus Ordinibus conſtitutũ Beneficiatum eſſe publicum concubinarium, illum plectant juxta diſpoſitionem Juris pro prima vice, & ſi talis perſona non corrigatur, & permanſerit cum dicta concubina, & ad eam vlteriùs rediverit, mandamus eam apprehendi, & in carcerem Eccleſiaſticum detrudi, utque perdat tertiam partem fructuum annuorum beneficii, ſeu beneficiorum quæ poſſederit, vel ſervitii ſeu Cappellaniæ cui inſervierit; & ſi tanta fuerit ejus pertinacia, ut poſteà non emendetur, & corrigatur, mandamus ut deprehendatur, & non liberetur abſque ſpeciali noſtro mandato ſeu ejus Diœceſani, ad effectum ut provideamus quòd magis opportunum fuerit ſaluti ejus animæ, & dictum vitium ab eo remaneat extirpatum & eradicatum.

CAPUT XXVII.

Quòd Clerici non ſint præſentes matrimoniis, nec Baptiſmis ſuorum filiorum, nec illos ſecum ducant.

CUM juxta doctrinam Apoſtoli, non ſolùm debeamus evitare malum, ſed omnem ſpeciem mali, neceſſe eſt ut abſtineamus maximè à rebus, quæ poſſunt aliquod ſcandalum generare; propterea (ſacro Concilio approbante) mandamus ut nullus Clericus ſæcularis, vel regularis, cujuſuis ſtatûs, dignitatis, præeminentiæ & conditionis exiſtat, noſtræ Diœceſis & Provincię, præſens ſit Baptiſmo, vel ſponſalibus, ſeu matrimonio, vel funeralibus ſuorum filiorum, vel filiarum, ſeu nepotum, nec legatum nec donationem faciant ulli mulieri, quæ habeatur pro concubina, ſub pœna duorum millium morapetinorum; & quoad legatum, nullum ſit in ſe. Et hanc ipſam prohibitionem & pœnam extendimus contra quemcumque clericum, qui ſecum duxerit ſuos filios, nepotes, ſeu generos, ad effectum ut ei in Miſſa inſerviant; & quòd tales filii, ſeu generi, non ingrediantur cum eis in Chorum dum divina Officia celebrantur.

CAPUT XXVIII.

Quòd Clerici non habeant negociationem, ſeu mercimonium.

CUM Clerici qui ſunt electi in ſorte Domini, debeant eſſe remoti ab omnibus negociis ſæcularibus, ſignanter à negociatione mercium, quæ quamvis ſit de rebus licitis ſæcularibus, ipſis tamen eſt prohibita & illicita; ratione eorum ſtatûs, & quia ipſis eſt impedimentum maximum pro complemento ſui officii; cujus nullâ habitâ ratione nonnulli clerici ſe ingeſſerunt in negociationes ratione ſuarum perſonarum illicitas: Propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, & mandamus quibuſcumque Clericis noſtræ Diœceſis & Provinciæ cujuſvis ſtatûs, dignitatis & præeminentiæ exiſtant, ut non ſe intromittant in aliqua negociatione mercium; ſub pœna quòd ſi aliquis contrarium geſſerit ultra pœnas de Jure impoſitas, incurrat pœnam decem millium morapetinorum.

CAPUT XXIX.

Quòd Vicarii informationem capiant de vita clericorum ſuæ vicariæ, & de ea tranſmittant relationem Prælato ſingulis annis.

CUM maximè congruum ſit Prælatis, ut ſint informati de ſtatu ſuorum ſubditorum, maximè perſonarum Eccleſiaſticarum, & de earum vita, & de beneficiis & officiis quæ habent & poſſident in Eccleſia; propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & ordinamus ut in poſterum omnes Vicarii noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ, teneantur informationem capere de vita, & moribus omnium clericorum, quilibet in ſua vicaria, & ſcire, & diligenter inquirere de eorum vita & moribus, & tranſmittant ad nos, ſeu noſtros proviſores quolibet anno, tempore quo tranſmittuntur liſtæ, relationem de his quos repererint commiſiſſe nonnulla delicta & exceſſus, vel ducere vitam minus honeſtam, ad effectum ut provideatur quòd congruum fuerit ſaluti eorum animarum, & reformationi morum; & ſi exceſſus fuerit talis qualitatis, ut dilationem non permittat, illum ſtatim notificent Prælato expenſis delinquentis; quod per ipſos compleri & exequi mandamus, & in hoc magnam habeant vigilantiam, & ſpecialem curam, ſub pœna unius floreni applicandi ut ſupra dictum fuit.

CAPUT XXX.

Quòd Beneficiati reſideant in ſuis Beneficiis, & non abſint ab eis ſine licentia Prælati, & in ejus abſentia quomodo provideri debeant Cappellani.

EXPERIMENTO vidimus, quia non reſident Beneficiati in ſuis Beneficiis, prout deberent, magnam provenire diminutionem cultûs Divini, & damnum Animarum: ſuper quo Patriarcha Don Alphonſus bonæ memoriæ Prædeceſſor noſter providit quadam conſtitutione provinciali præcipiendo, ut Beneficiati noſtræ diœceſis & provinciæ reſiderent in ſuis Beneficiis, & nullus poſſet abeſſe à dicto ſervitio abſque juſta cauſſa, & cum noſtra ſpeciali & expreſſa licentia. Et quia dicta conſtitutio eſt ſancta & directa ſervitio Dei & Eccleſiarum, & in hoc magna adeſt confuſio & corruptela; mandamus (ſacro Concilio approbante) ut impoſterum ſervetur dicta conſtitutio, & quatenus opus ſit, illam renovamus & confirmamus: quam volumus etiam habere locum in Cappellanis perpetuis; excepto tamen ſi inſtitutio Cappellaniæ dixerit, quòd poſſit inſerviri per ſubſtitutum.

Item quia dicti Beneficiati, & eorum Procuratores, ad effectum fruendi integrè fructibus ſuorum Beneficiorum in abſentia, procurant pro ſervitio beneficiorum Cappellanos, qui pro minori ſalario inſerviant, faciendo aliquoties cum talibus Cappellanis nonnullas illicitas pactiones, ex quo fit ut multoties beneficia careant ſervitio, & populus chriſtianus magnum patiatur detrimentum: propterea ſtatuimus & mandamus ut proviſor non conferat ſervitium alicujus beneficii perſonæ, quæ non ſit habilis & idonea, ac opportuna ſervitio Eccleſiæ; & aſſignet præfatis Cappellanis ſalarium competens pro eorum ſubſtentatione, prout ipſi videbitur opportunum; ac etiam provideat ut ex fructibus dictorum beneficiorum ſalaria dictorum cappellanorum integrè perſolvantur: ſuper quo ejus conſcientiam oneramus.

CAPUT XXXI.

Quòd Religioſi non inſerviant beneficio nec cappellaniæ.

NOTUM nobis eſt quod plures Religioſi poſthabito Dei timore, & obedientiâ ſui ordinis, cum falſis relationibus & diverſis modis fraudolentis obtinuerunt, & in dies obtinent licentias & facultates mutandi habitum, dicentes quod fuerunt translati ad alias Religiones, & habent licentiam à ſuis Superioribus, accedunt in habitu clericorum ſæcularium ad hanc noſtram diœceſim & provinciam, occupantque ſervitia & ſubſtentationem clericorum naturalium, incedentes prout incedunt extra ordinem & abſque habitu Religionis.

gionis. Propterea inſequentes juris diſpoſitionem, & conſtitutionem Cardinalis Don Didaci Hurtado deMendoza bo:me:Prædeceſſoris noſtri diſponentem, ut nullus Religioſus habeat ſervitium beneficii, nec Cappellaniæ (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus ut dicta conſtitutio firmiter obſervetur in noſtra diœceſi & provincia,& quatenus opus ſit per præſentes confirmamus & innovamus, prohibemuſque noſtris Proviſoribus & officialibus, ut non tradant tales licentias, nec illas dare poſſint, & annullamus omnes illas quæ hactenus fuerunt datæ dictis Religioſis; pariterque mandamus dictis Proviſoribus & officialibus ut impoſterum nulli Religioſo incedenti in habitu ſæculari det licentiam celebrandi in hac diœceſi & provincia, & remittant dictos Religioſos ad nos, & ad Epiſcopos diœceſanos, ut provideamus quòd convenerit ſervitio Dei, & bono animarum talium Religioſorum.

CAPUT XXXII.

Quas qualitates habere debeant ordinandi,& non interveniant preces ſuper ordinatione.

CUM in perſonis Eccleſiaſticis, ſignanter in illis qui ſunt promovendi ad ſacros Ordines, vel ad officium, & munus curæ Animarum, requiratur prudentia & idoneitas ſcientiarum, ſtatuimus ut nullus impoſterum promoveatur ad ordines ſacros, niſi ſaltem fuerit peritus linguæ latinæ competenter, & in rebus de jure neceſſariis, & habuerit qualitates, quas ſacri Canones diſponunt, ſuper quo mandamus ut noſtri proviſores, & examinatores, ſe priùs informent cum magna diligentia.

Item quia reperimus accidiſſe, quòd per interceſſionem & preces nonnullorum Magnatum, & aliorum,plures fuerunt ordinati abſque eo quod meruiſſent ordinari; mandamus, ut ſi quis impoſterum interceſſores inſumpſerit ad effectum ſuſcipiendi ſacros Ordines, non admittatur, nec recipiatur, & fiat inhabilis ad ſuſcipiendum Ordinem quem petit.

Item etiam mandamus ut nulli abſenti concedantur literæ Dimiſſoriales niſi perſonaliter comparuerit ad ſe ſubiiciendum examini; excepto tamen ſi Lauream doctoratûs obtinuerit in Academia generali; & ut pariter non dentur literæ dimiſſoriales, niſi ad unum tantum ordinem ſacrum, ut viſo commodo ſe gerit ordinatus in Subdiaconatu, vel Diaconatu, appareat an mereatur promoveri ad majorem ordinem.

CAPUT XXXIII.

Quod nulla jura percipiantur pro Ordinibus.

ITEM mandamus ut nulla jura percipiantur pro Ordinibus, nec pro carta, nec ratione ſigilli, & ſubſcriptionis, utraque Proviſores diligenter inquirant de illis qui ordinantur,an aliquid ab eis fuerit ſolutum pro Ordinibus, vel pro carta, etſi repererint aliquid fuiſſe perceptum quocumque modo, vel impoſterum eſſe percipiendum, illud reſtitui faciant cum altero tanto.

CAPUT XXXIV.

Quòd non fiant matrimonia clandeſtina,& quam pœnam incurrant partes contrahentes, & teſtes.

PER ſacros Canones eſt prohibitum quod matrimonia ſeu ſponſalia,clandeſtinè nec occultè fiant & quòd talibus clandeſtinis matrimoniis nullus ſa.erdos, nec alia perſona interveniat, & quia dicta prohibitio juris, nec pœnæ quæ vigore conſtitutionis noſtrorum Prædeceſſorum fuerunt impoſitæ, non ſufficiunt ad obviandum magnis periculis & ſcandalis, quæ à talibus matrimoniis proveniunt, & magnam audaciam quam noſtri ſubditi habent illam infringendi reprimendum; propterea cupientes de novo remedio providere, ſtatuimus & mandamus (ſacro Concilio approbante) ut nullus de noſtro Archiepiſcopatu & provincia audeat contrahere talia clandeſtina matrimonia ſeu ſponſalia, nec accipere manus contrahentium, vel illis intervenire; ſub pœna quòd ultra in tali caſu de jure diſpoſitum, contrahentes & ille qui eorum manus acceperit, incurrant ſententiam excommunicationis, & pœnam mille morapetinorum, & quòd teſtes cadant in pœnam quingentorum morapetinorum pro quolibet.

Item mandamus ut tales contrahentes clandeſtinè teneantur ſolemne facere matrimonium in facie Eccleſiæ intra terminum ſexaginta dierum, à die qua clandeſtinè contraxerint, computandi, ſub pena privationis Eccleſiaſticæ communionis ſi vixerint; & ut quilibet incurrat pœnam duorum millium morapetinorum; & ſi in hoc ſtatu deceſſerint, eis non detur Eccleſiaſtica ſepultura.

CAPUT XXXV.

Quòd obſervari debeat in matrimonio inter Extraneos.

CUM ſciverimus quod plures extranei veniunt in hanc noſtram diœceſim & provinciam, dicentes ſe eſſe ſolutos, contrahunt matrimonium ſecunda vice; & quia ſunt perſonæ incognitæ, etiamſi factæ fuerint denunciationes in Eccleſia Parochiali, in qua contrahere volunt matrimonium, non poteſt fieri notum impedimentum,& poſtea innoteſcit illos priùs contraxiſſe matrimonium & ligatos eſſe, vel habere alia impedimenta; ex quo magna pericula & ſcandala oriuntur. Propterea (ſacro Concilio approbante) mandamus ut nullus Parochus, nec presbyter noſtræ diœceſis & provinciæ celebret nec collocet in matrimonio

tales

tales extraneos abſque licentia noſtrorum proviſorum, ſeu judicum, vel abſque eo quòd exhibeant fidem & teſtimonium qualiter ſunt perſonæ liberæ ad contrahendum matrimonium, vel qualiter fuerunt denunciati in ſua diœceſi, in Eccleſia ſuæ Parochiæ, & non fuit repertum impedimentum in dicto matrimonio, & quòd ſi quis ex talibus extraneis non exhibuerit fidem ſupradictam, illum remittant ad noſtros judices ad effectum providendi quod deſuper fieri debet.

CAPUT XXXVI.

Contra illos qui matrimonium contrahunt in gradibus de jure prohibitis.

QUIA plures Dei timore poſtpoſito, & periculo animarum ſuarum, contrahunt matrimonium vel ſponſalia per verba de præſenti in gradibus conſanguinitatis & affinitatis prohibitis, vel in Ordine ſacro conſtituti, vel Religioſi profeſſi; qui de jure ſunt ipſo facto excommunicati; & quia plures in dictam ſententiam excommunicationis incurrerunt & incurrunt, mandamus (ſacro Concilio approbante) ut tales contrahentes incurrant etiam pœnam trium millium morapetinorum, & teſtes in pœnam mille morapetinorum pro quolibet.

CAPUT XXXVII.

Contra illos, qui contrahunt duplex matrimonium.

MANDAMUS ſimiliter ut ſi vir, vel mulier poſtquam in legitimo matrimonio fuerint coniuncti, pervertendo ordinem hujus ſancti Sacramenti, contraxerint, vel quilibet illorum contraxerit matrimonium vel ſponſalia ſecunda vice, durante primo matrimonio, ultra alias pœnas de jure ſtabilitas, incurrat propterea pœnam duorum millium morapetinorum quamvis maritus fuerit abſens per longum tempus, & de eo non habeatur relatio; excepto ſi fuerit publicus, & notorius obitus mariti abſentis, vel ſi coram noſtris Officialibus conſtare fecerit & docuerit legitimè de obitu mariti, ut cum eorum licentia contrahere valeat, & non aliàs, nec alio modo, idemque intelligatur de muliere abſente.

CAPUT XXXVIII.

Contra blaſphemias proferentes.

CUM blaſphemia graviſſimum ſit peccatum & contra prima & præcipua Dei mandata, ideo magnam infert iniuriam & offenſionem Divinæ Maieſtati ille, qui blaſphemat ejus ſanctum Nomen, ſignanter ſi eſt unus ex Miniſtris ejus divino cultui deputatis (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus ut nullus cujuſuis ſtatûs, conditionis, & præeminentiæ exiſtat, blaſphemet, juret, nec improperium aliquod proferat contra Deum Dominum noſtrum, nec contra Virginem glorioſam ſanctam Mariam ejus Matrem Dominam noſtram, nec contra aliquem ex ejus Sanctis; ſub pœna quod ſi fuerit clericus incurrat pœnam trium florenorum auri, & quod detrudatur in carceres arbitrio iudicis, ſi verò fuerit laïcus ut ultra pœnas de jure impoſitas, judex Eccleſiaſticus contra eum procedat prout de jure.

CAPUT XXXIX.

Quòd ſervare debent illi qui aufugiunt in Eccleſias, & tempus quo in eis ſtare debent.

NOTUM nobis eſt quòd plures delicta committentes, quia timent plecti à juſtitia ſæculari, aufugiunt ad Eccleſias, & volentes frui earum immunitate, adeo inhoneſtè in eis ſe gerunt, ut Deus Dominus noſter valde ab eis offenſus remaneat & ejus Eccleſiæ profanatæ, ac Eccleſiaſtici in officiis divinis perturbantur. Propterea dictis abuſibus obviare cupientes (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & mandamus ut impoſterum illi qui ad Eccleſias aufugient, in eis honeſtè & decenter ſe gerant, nec ullo modo ludant, nec familiaritatem habeant cum ſuis uxoribus, vel aliis intus Eccleſiam, nec adſtent in januis Eccleſiarum, nec in cœmiteriis jocando, vel citharas pulſando, nec utendo aliis colloquiis ocioſis, ſed ſolitariè vivant & tanquam perſonæ quæ erraverunt, & cum omnimoda humilitate & honeſtate. Item mandamus, ut ſi aliquis ex dictis Eccleſiæ immunitate gaudentibus, ab Eccleſia exiverit ad committendum aliquot exceſſus, & contumelias in ſuos inimicos proferendum, vel aliquod delictum in Eccleſia commiſerit, vel ab ea exiverit quocumque modo, per eãdem cauſſam, eiiciatur ſtatim à tali Eccleſia, mandamuſque Parochis, clericis, & ſacriſtis, & omnibus aliis perſonis, quæ curam habent de talibus Eccleſiis, & Hoſpitalibus ſub pœna excommunicationis, ut id notificent noſtris proviſoribus, & judicibus, ad effectum, ut expellantur ab Eccleſia tanquam violatores ejus honeſtatis, & amplius in ea nec in alio admittantur. Et ſi ab illorum expulſione ab Eccleſia, aliquod periculum timeatur advenire talibus delinquentibus, mandamus ut noſtri judices illos carcerari faciant, in Eccleſia, itaut non poſſint exire ad ſimilia delicta patranda, nec illa committenda in ipſa Eccleſia, prout dictum eſt; Et quia plures per tantum temporis ſpatium in Eccleſiis commorantur, ut videantur illas habere potiùs pro reſidentia, quam pro aſilo ſuarum perſonarum; mandamus ut nullus poſſit remanere in Eccleſia, nec in ea admitti ultra ſpatium octo dierum, abſque licentia proviſoris, vel judicis Eccleſiaſtici, & mandamus clericis ut ſi aliqnis ex ſupradictis exceſſibus committatur, illum notificent præfatis proviſoribus, ſub pœna unius floreni quoties id facere omiſerit, applicandi modo ſupradicto.

CA-

CAPUT XL.

Ordo quem Vicarii & Parochi ſervare debent circa Quæſtores.

PERSONARUM fide dignarum relatione didicimus, quæſtores & collectores locorum piorum, illoſque qui promulgant indulgentias & peccatorum remiſſiones, poſtpoſito Dei timore publicè extendere ſuas Bullas, ſeu indulgentias ultra earum vigorem ſæpiùs audere, atque ad defraudandos fideles falſum exponere: Et, quod peius eſt, aliquando litteras adulterare quas gerunt, cumque ſint inhabiles & laïci, abuſus & falſitates populo prædicare. Iccircò nos cupientes tot malis & abuſibus obviare (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & præcipimus Vicariis ac Parochis omnium Eccleſiarum noſtri Archiepiſcopatûs, & provinciæ, ut in poſterum non admittant ullum quæſtorem & eleemosynarum collectorem, ſeu promulgatorem Bullarum, vel indulgentiarum in propriis Eccleſiis, ſeu Parochiis, neque permittant eos concionari nec procurare quæſtum aliquem, nec indulgentias, nec peccatorum remiſſiones, quin priùs videant noſtras literas, & ſpecialem licentiam noſtro nomine ſubſcriptam, noſtroque ſigillo munitam, in qua reverâ contineatur facultas Bullarum, quas tales quæſtores divulgant, & ad quas indulgentias, remiſſiones & caſus extenduntur. Et ut dicti quæſtores non poſſint excedere, nec devenire ad publicandas indulgentias & caſus, ultra contentos & expreſſos in dicta noſtra licentia. Statuimus etiam, decernimus, ac jubemus, ne quæſtor aliquis concionetur, neve publicet ullas gratias, remiſſiones, & indulgentias, ſed Vicarius, ſeu Curatus Eccleſiæ, vel alius clericus illius legat publicè populo dictam noſtram licentiam, ut per eam ſciant quod conceditur, ne quiſquam defraudetur. Quod præcipimus per dictos Vicarios & Parochos fieri & expleri ſub pœna trium florenorum quoties contrà fecerint.

Item quia plures doctrinâ & idoneitate deſtituti, ipſique laïci, immoderatâ avaritiâ moti potiùs quàm Dei zelo, officium concionatoris exercent; jubemus præfatis Vicariis, Parochis, & clericis, ut nulli quæſtori, nec cuipiam alteri in ſuis Eccleſiis concionari permittant quamvis gratia fuerit per nos approbata; niſi talis perſona exhibuerit ſpecialem noſtram licentiam, vel noſtrorum Proviſorum ad prædicandum, quam, niſi priùs fuerit ille legitimè examinatus, & de ejus idoneitate conſtiterit, minimè concedi jubemus: & ut nihilominus Vicarius, Parochus, ſeu clericus legat coram populo gratias & remiſſiones ſeu indulgentias contentas in noſtris literis, ne Concionatores valeant in publicatione fraudem aliquam committere. & decernimus ut ille qui legerit noſtras literas, vnum regale pro labore à quæſtore accipiat.

Item præcipimus dictis Vicarijs, Parochis, & clericis ne permittant dictis quæſtoribus ac collectoribus imponi taxam aliquam petitionibus (ut faciunt) dicentes illum qui voluerit lucrari indulgentias & remiſſiones, offerre debere certam ſummam morapetinorum; excepto ſi in noſtris literis licentiæ, ſpecialiter fuerit expreſſa dicta taxa. Jubemuſque, ut quæſtor & collector qui contrà fecerit, ſtatim apprehendatur & in noſtros carceres Archiepiſcopales, vel Diœceſani loci ubi id acciderit, intrudatur; omneſque morapetini dictæ gratiæ, & alia eius bona ſequeſtro ſubjiciantur.

Item quia accidit, cum licentiis per nos vel prædeceſſores noſtros conceſſis, licèt tempus in eis expreſſum elapſum fuerit, vel ipſæ fuerint revocatæ, præfatos quæſtores populum defraudare; jubemus, ut nulla noſtra licentia ſeu noſtrorum prædeceſſorum valeat ultra tempus unius anni à die conceſſionis: & ut in poſterum præfati quæſtores non admittantur ad quæſtum faciendum illarum vigore. Et præfati Vicarii ſummopere invigilent obſervationi iſtius conſtitutionis: quod in hoc caſu magnæ fraudes committi ſolent. Quæ per ipſos fieri mandamus ſub pœna ſuperiùs expreſſa.

CAPUT XLI.

Ne executioni demandentur mandata cujuſvis qui ſe dicat Judicem Apoſtolicum, niſi priùs fuerint viſa & examinata ab Ordinario.

CUPIENTES obviare fraudibus & exceſſibus quos nonnulli cum falſis literis, quas vocant Apoſtolicas, commiſerunt & committunt in noſtro Archiepiſcopatu & provincia, ſigillum ac literas Apoſtolicas falſando, atque allegando facultatem plenam diſpenſandi, approbandi, & providendi de beneficiis: Itidemque nonnulli ſe dicentes Judices Apoſtolicos, qui quidem non ſunt, vel procedentes contra formam ſuæ commiſſionis: alii verò non habentes literas Apoſtolicas expectativas, ſeu reſervationes, vel habentes gratias pro aliis diœceſibus, vel ad tempus jam elapſum, & nullius vigoris, ac tales ut non extendantur ad beneficia vacantia, illa occupant. Et deſuper nonnulli ſe dicentes exequutores vel ſubexequutores tali ſ literarum Apoſtolicarum, conficiunt diverſos proceſſus & mandata, que ſæpè ſunt nulla, tanquam facta à non habentibus facultatem & juriſdictionem, quibus noſtri ſubditi opprimuntur ac moleſtiâ afficiuntur immeritò, & in diverſos errores incidunt. Quia cùm multi ſint indocti, de ſimilibus mandatis notitiam nullam habent, & ignorant quid agere debeant, vel obſequi. Et quia ad nos, tanquam Antiſtitem, pertinet afferre remedium ejuſmodi fraudibus & abuſibus; iccircò adhærentes Juris diſpoſitioni, & iis quæ per noſtros bon. mem. prædeceſſores in hoc caſu fuêre ſtatuta & ordinata; ſacro approbante Concilio decernimus, & præcipimus, ut in poſterum nullus proceſſus, vel mandatum cujuſvis judicis, qui ſe dicat Apoſtoli-

cum exequutorem, vel ſubexequutorem, aut conſervatorem, quamvis ei pareant, executioni demandetur, nec compleatur per ullum ex noſtris ſubditis; quin priùs fuerit oblata coram nobis vel coram Epiſcopo diœceſano, vel noſtris Proviſoribus & officialibus commiſſio originalis talis Judicis Apoſtolici, & proceſſus vel mandatum, ut per nos viſo ad quem directè incumbat exequi & compleri facere mandata Apoſtolica, eis parere & exequi jubeamus; vel ſuper eo conſulamus Dominum noſtrum Papam, ut ſi fortè fuerint literæ ſubreptitiæ, vel habuerint aliquem defectum, ob quem exequutioni demandari non debeant. Quod jubemus per noſtros ſubditos Eccleſiaſticos compleri & obſervari ſub pœna excommunicationis & trium florenorum auri quoties id facere omiſerint.

CAPUT XLII.

Ne detur poſſeſſio cujuſvis Beneficii alicui abſque mandato Ordinarii.

PLURES immoderatâ avaritiâ ducti procurant occupare de facto Eccleſias & poſſeſſiones Beneficiorum. Alii verò clandeſtinè faciunt acta poſſeſſionum viventibus poſſeſſoribus, varia fraudum genera committentes. Propterea fuit ſtatutum ac uſu receptum in hac noſtra diœceſi, & nunc denuò (ſacro approbante Concilio) ſtatuimus & ordinamus, ut nullus clericus, nec ſacriſta admittat aliquem ad poſſeſſionem Beneficii in ſua Eccleſia abſque noſtro mandato, ſeu Prælati diœceſani, vel noſtrorum Proviſorum aut Officialium. Quòd ſi contrà quiſquam fecerit, incurrat ipſo facto pœnam quatuor ducatorum auri pro qualibet vice.

CAPUT XLIII.

Ne admittantur ad celebrandum ſacerdotes extranei, vel ordinati extra diœceſim, quamvis habeant facultates, niſi exhibitâ licentiâ Ordinarii.

NUNCIATUM eſt nobis, plures falsò exponentes extorquere facultates ad ſuſcipiendos Ordines extra tempora à quocumque Antiſtite, ac ſæpè ſæpiùs Latini ſermonis adeò imperitos, ut nec legere noverint, & abſque titulo aliquo, vel cum aliis maximis defectibus ſacrum Presbyteratûs ordinem ſuſcipere; dum ſunt perſonæ ſæculares inhabiles, & ejus conditionis, ut in noſtro Archiepiſcopatu & provincia ortum fuerit & oriatur haud leve ſcandalum & pravum exemplum ab ejuſmodi perſonis ineptis. Ideò (ſacro approbante Concilio) ſtatuimus & ordinamus, ut nullus ex dictis ordinatis extra diœceſim admittatur ad celebrandam Miſſam ſine licentia ſui Ordinarii, & niſi comparuerit coram nobis vel coram ſuo diœceſano, aut noſtris Proviſoribus cum literis ſuæ Ordinationis, ut per nos viſis, & examinatâ idoneitate, quod ad ſalutem animarum ac Eccleſiæ bonum conferat, decernamus. Præcipimuſque, ut quilibet clericus vel ſacriſta qui aliàs ad celebrandum admiſerit ſupradictos; incurrat pœnam unius floreni pro qualibet vice applicandi pro medietate, Eccleſiæ; & pro alia, accuſatori.

Item jubemus, ut nullus clericus, vel Religioſus extraneus, vel ordinatus extra diœceſim, admittatur ad Miſſam celebrandam, nec ei præbeantur ornamenta ad celebrandum neceſſaria, quin priùs compareat coram Ordinario, & per ipſum examinetur: Si verò fuerit extraneus, quin exhibeat literas dimiſſoriales proprii Epiſcopi, ut ipſi per noſtros Proviſores licentia conferatur, ſub pœna quingentorum morapetinorum pro qualibet vice, tam ipſi, quàm ei qui ornamenta præbuerit, infligendâ, atque applicanda pro medietate, fabricæ talis Eccleſiæ; & pro alia medietate, denuncianti.

CAPUT XLIV.

Ut Notarii Apoſtolici exhibeant ſuos titulos, & examinentur.

NOTUM nobis eſt magnam confuſionem & abuſum in noſtro Archiepiſcopatu & provincia emerſiſſe ex multitudine illorum qui ſe notarios Apoſtolicos venditant. Tum quia plures illorum ſunt inepti & ignobiles, atque ab ignobilibus educati, cûm etiam propter plures fraudes, ac dolos, & acta clandeſtina quæ fiunt ab hujuſmodi notariis in magnam Dei offenſionem & reipublicæ detrimentum. Quia ergo ad nos pertinet in ſimilibus providere; ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, ut nullus notarius qui ſe Apoſtolicum appellet, exerceat tale officium quin priùs compareat coram nobis ſeu noſtris Proviſoribus cum titulo ſui notariatûs, ac facultate cum qua fuit creatus; ut ſi fuerit idoneus, & legitimè proviſus, illùm notificari noſtris ſubditis jubeamus; ut ab ipſis habeatur, & reputetur pro notario Apoſtolico: aliàs verò non permittatur defraudare populum, & falsò dictum officium exercere. Præcipimùs ergo ut ſi quis contra præſentem conſtitutionem notarii officium exercuerit, quinque millium morapetinorum pœnam incurrat, ac in carcerem detrudatur, neque inde extrahatur abſque noſtro ſpeciali mandato.

CAPUT XLV.

Ordo ſervandus in viſitatione Eccleſiarum.

NECESSARIUM apprimè Epiſcopis eſt, invigilare & meditari continuò, ut Eccleſiæ ſemper magna cum rectitudine & diligentiâ perquirantur ac viſitentur. Propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & ordinamus, ut omnes Eccleſiæ & clerici noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ viſitentur ſingulis annis ſemel ab Epiſcopis, quolibet in ſua diœceſi, vel eorum nomine à viris

doctis

doctis, conſcientiæ integræ, & Deum timentibus. Jubemuſque ut dicti Viſitatores faciant viſitationem juxta quædam capitula quæ ſuper iis tradi ipſis præcipimus: quæque in ſingulis Eccleſiis aſſervari mandamus. Pariterque viſitent hoſpitalia & eremitoria,

Item jubemus, ut præfati viſitatores ſingulis diebus ſingulas tantùm Eccleſias viſitent, quamvis in civitate ſeu oppido in quo viſitationem conficiunt, adſint plures. Quòd ſi plures uno die viſitaverint, non fiat retributio niſi pro unica tantùm viſitatione. Neque accipiant dona vel munera per ſe vel per interpoſitam perſonam, juxta capitulum *Exigit, de Cenſibus.* Neque hoſpitentur in domibus Præfectorum & Adminiſtratorum Eccleſiarum, prout neque notarii viſitationis: ſub pœna duorum millium morapetinorum ab Adminiſtratore ſeu Præfecto qui illum receperit in ſua domo exigendorum. Et ut Viſitator & notarius amittant emolumenta quæ percipere debebant ex viſitatione; ac incurrant itidem pœnam aliorum duorum millium morapetinorum.

Item jubemus, ut nullus ex dictis Viſitatoribus poſſit viſitare aliquam Eccleſiam, quin perſonaliter ad eam ſe conferat, & viſitet ſacramentum, & alia neceſſaria: ſuper quibus providendum erit. Aliàs talis Eccleſia non habeatur pro viſitata, nec Præfectus quidquam ſolvat pro ea viſitatione. Si autem ſolverit, non recipiatur in computum.

CAPUT XLVI.

Ut nullus poſſit eſſe Præfectus alicujus Eccleſiæ ultra duos annos, & ab eo reddatur ratio publicè.

NE Præfecti Eccleſiarum audeant fabricarum pecuniam expendere, vel ab eis fructum percipere, cùm animo per longum tempus dictum officium obtinendi; ſtatuimus, ut nemo poſſit Eccleſiæ Præfecturam exercere ultra annum. Quod ſi viſitatori quis Eccleſiæ utilis viſus fuerit, illum prorogare poterit ad alium annum. In poſterum verò, dicto biennio elapſo, nequaquam ad ulterius tempus prorogari poſſe jubemus abſque noſtro ſpeciali mandato & licentia.

Item jubemus, ut viſitatores perſonaliter, & coram clericis ac populi primatibus rationes accipiant à Præfectis fabricarum Eccleſiarum: nullatenus verò committant munus accipiendi dictas rationes notario viſitationis.

CAPUT XLVII.

Ne fabricæ fiant in Eccleſiis abſque mandato Epiſcopi.

CUM in ædificiis Eccleſiarum intervenerint fraudes in damnum & præjudicium earum fabricarum; oportet, ut Epiſcopi huic rei vigilanter incumbant. Proptereà (ſacro approbante Concilio) ſtatuimus, ut in poſterum nulla fabrica excitetur in aliqua ex Eccleſiis iſtius diœceſis & provinciæ abſque noſtra ſpeciali licentia ſeu Prælati diœceſani vel noſtrorum Proviſorum, aut illius perſonæ quam ad hoc in ſpecie deputabimus: nève Viſitatores poſſint jubere ut expendatur in aliqua dictarum Eccleſiarum fabrica vltra ſummam duorum millium morapetinorum. Si verò Præfectus alicujus Eccleſiæ aliquid expenderit ultra iſtam ſummam, non recipiatur in computum: & ulterius amittat quodcumque ſalarium ratione officij Adminiſtratoris ei competebat.

CAPUT XLVIII.

Ut nihil ſolvatur notario pro libro viſitationis abſque mandato Proviſoris.

ITEM jubemus, ut Præfecti Eccleſiarum nihil ſolvant notario viſitationis ratione ſalarii & emolumentorum libri quem dare debet de viſitatione Eccleſiæ, quin priùs videatur & taxetur dictus liber per eundem Proviſorem, ſeu per perſonam quæ ſuper hoc fuerit deputata, & abſque ejus mandato & ſubſcriptione; Quod ſi aliàs Præfectus dederit ſeu ſolverit aliquid dicto notario non admittatur in computum. Jubemuſque ut dictus Proviſor ſeu perſona per ipſum deputata inſerat in libro taxam de his quæ ſunt ſolvenda juxta tariffam.

Item præcipimus, ut in Eccleſiis in quibus adfuerit liber viſitationis, non fiat alius novus ad inſerendum poſſeſſiones, ornamenta, & aliæ Eccleſiæ ſupellectilia, ac Beneficia & Cappellanias; ſed addatur in dicto libro qui priùs fuerit, quidquid de novo fuerit neceſſarium inſeri.

CAPUT XLIX.

Ut conficiatur liber authenticus omnium bonorum Eccleſiarum.

CUM fabricæ Eccleſiarum expertæ fuerint, ac in dies experiantur grave damnum & jacturam, eo quòd contractus, tituli, & inſtrumenta hæreditatum ac poſſeſſionum, cenſuum, & tributorum quæ ipſis debetur, ſæpè diſpereant, & propter mutationem viſitatorum & præfectorum ſæpiùs ſuccedunt perſonæ, quæ ignorant bona & jura Eccleſiarum, ideoque earum bona detrimentum patiuntur. Propterea conſervationi dictorum bonorum, Eccleſiarumque utilitati conſulentes (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus & ordinamus, ut fiat liber authenticus membranaceus in noſtra diœceſi & omnibus aliis provinciæ, in quo deſcribantur omnes poſſeſſiones, hæreditates, & tributa omnium Eccleſiarum, ac Beneficia & Cappellaniæ illarum, bonaque relicta pro anniverſariis, feſtis, & fundationibus, quæ fuerint in qualibet Eccleſia. Qui liber fiat in publica forma, ut fidem faciat, & perpetuò remaneat in Eccleſia Cathedrali pro manuten-

tione & conſervatione jurium Eccleſiarum.

Item ſtatuimus, ut in qualibet Eccleſiarum apponatur tabula in qua deſcribantur Cappellaniæ perpetuæ, anniverſaria, & Miſſæ, ac fundationes, quæ in qualibet Eccleſia ſunt celebrandę pro quibuslibet perſonis, quæ illas dotaverint, vel dotabunt in futurum. Quæ tabula ſit ſubſcripta à viſitatoribus, & notario, ne pereant fundationes.

CAPUT L.

Ut ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, & chriſma, ac oleum ſacrum, aſſervetur in loco decenti & fideliter cuſtodiantur.

CUM admodùm deceat, ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, Sanctorumque reliquias veneràbiliter aſſervari, & bonâ, diligenti, ac fideli cuſtodiâ, & in loco decenti, provt debetur tanto, ac tam ſancto ſacramento, ut habeatur cum magna veneratione & reverentia; Propterea ſtatuimus, & ordinamus, ut in omnibus Eccleſiis Cathedralibus & Parochialibus noſtri Archiepiſcopatûs, & provinciæ adſit ſacrarium, ac loca bene conſtructa & ornata cum bonis ſeris & clavibus, in quibus reponantur ſanctiſſimum Sacramentum, oleum, ac chriſma, omneſque aliæ reliquiæ, quibus decet decore & reverentiâ, juxta facultates cujuslibet Eccleſiæ, & adſit capſa cum clavi in qua reponantur reliquiæ ſi adfuerint. Quodque ſimiliter in dicto loco & ſacrario adſit liber ſeu manuale Sacramentorum, de quibus omnibus habeat claves Parochus cujuslibet Eccleſiæ, quas nemini conſignare nec committere debeat, excepto caſu neceſſitatis legitimæ, quo caſu adveniente, illas non committat niſi ſacerdoti. Pariterque jubemus, ut præfatus Parochus curam habeat renovandi ſanctiſſimum ſacramentum ſingulis octo diebus, & lavare faciat corporalia ſemel quolibet menſe. Volumuſque ut ſi in hoc vel alio ſpectante ad præmiſſa, aliquis Parochus fuerit repertus negligens, vel aliquo modo reus & culpabilis, mulctetur & puniatur pœnâ unius ducati auri pro qualibet vice applicandi pro una medietate, fabricæ Eccleſiæ Cathedralis; & pro alia medietate, fabricæ Eccleſię in qua caſus evenerit, & vnâ vel alterâ parte pro accuſante ſeu denunciante. Si autem culpa fuerit adeò gravis, vt maiori pœnâ digna, cenſeatur, ea imponatur arbitrio proviſorum vel viſitatorum, quibus præcipimus & mandamus, ut majori cura & diligentia quâ fieri poteſt, ſic fieri & compleri faciant & obſervari. Jubeantque pariter ut diù noctuque ardeat lampas coram dicto loco & ſacrario.

Item præcipimus dictis noſtris viſitatoribus, ut inter alia inquirant, an noſtræ Conſtitutiones executioni mandentur, & an Vicarii & Parochi debitè ſuum munus & officium obeant, committant ne exceſſus indebitos. Idemque perquirant de noſtris lictoribus, ut de omnibus præmiſſis ad nos tranſmittant integram relationem, cum aliis de quibus ex officio inquirere tenentur, & ſcire, ut ſuper his omnibus provideatur; provt Dei cultui, & exonerationi noſtræ conſcientiæ convenit.

CAPUT LI.

Ne Eccleſiarum ornamenta ad alienos uſus extrahantur.

UT ornamenta, & jocalia Eccleſiarum accuratiùs cuſtodiantur & conſerventur, præcipimus (ſacro approbante Concilio) ut nullus præfectus Eccleſiæ, Parochus, vel Clericus aliquod ornamentum, vel alia jocalia Eccleſię occaſione baptiſmorum, vel funeralium, aut alia quavis cauſsâ extrahi permittat, ſub pœna mille morapetinorum. Jubemuſque ut noſtri Proviſores ſimiles licentias minimè concedant, niſi fuerit de una Eccleſia ad aliam, & in eodemmet populo.

CAPUT LII.

Ne Eccleſiarum bona alienentur.

QUAMVIS per ſacros Canones ſtrictè prohibeatur alienatio rerum & bonorum Eccleſiarum, exceptis quibuſdam caſibus, & ſub certis ſolennitatibus in Jure expreſſis, plures perſonę poſthabito Dei timore & cenſuris in Extravaganti Paulli fulminatis, auſu ſacrilego præſumpſerunt & præſumunt vendere, alienare, impignorare, & occupare vaſa & ornamenta ſacra cultui divino dicata, & alia bona ſemoventia. Et quia tantę audacię occurrere neceſſe eſt (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, ut quicumque abſque noſtra licentia, & ſpeciali decreto, ac mandato commiſerit aliquid de ſupradictis, vel ille qui receperit, ſeu retinuerit dicta ſupellectilia Eccleſiarum, vel aliquod illorum (ultra alias pœnas & cenſuras contra illos de jure impoſitas) teneantur tam ille qui alienaverit, quàm ille in quem fuerint alienata, ſolvere ipſo facto Eccleſię valorem rei alienatæ, & plus quadruplo. Et quia talis alienatio in ſe nulla eſt, jubemus reſtitui ſine ulla difficultate rem alienatam cum omni quęſtu qui ex ea fuerit factus, non obſtante quovis lapſu temporis.

CAPUT LIII.

Ne conſtruantur arces in Eccleſiis.

DOMUS Dei ad eius laudem eſt tantummodo deputata. Propterea ſtatuimus & ordinamus, ut nemo, cujuſvis ſtatûs, dignitatis, ſeu preeminentię exiſtat, ſive Eccleſiaſticus ſive ſecularis, nec Communitas ſeu Conſilium, audeat munire, vel mœniis circumdare Eccleſias, aut in eis conſtruere arces, vel in earum cęmeteriis: neque moleſtent, vel com-

pe-

pedes aut vincula injiciant iis qui ad illas confugerint, vel cibum impediant & alia neceſſaria, vel eos quocumque modo infectentur, educantur à dictis Eccleſiis tergiverſantes. aliàs qui contrà fecerint ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Si autem Communitas vel Conſilium præmiſſis contravenerit, vel fieri juſſerit; ſubjiciatur Eccleſiaſtico interdicto ultra pœnas ſacrilegii, & alias de Jure ſtatutas. Ac etiam præcipimus, vt laïci non faciant congregationes intra Eccleſiam ſuper rebus profanis.

CAPUT LIV.

Contra immunitatis Eccleſiaſticæ violatores.

QUIA nonnulli poſtpoſito Dei timore audent apprehendere perſonas Eccleſiaſticas, occupare, & deſtruere decimas, vel alia bona, loca, & poſſeſſiones Eccleſiæ; propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, ut quicumque cujuſvis ſtatûs & conditionis exiſtat, apprehenderit, & in carcerem detruſerit aliquem Eccleſiaſticum, vel occupaverit, & acceperit decimas, & redditus Eccleſiaſticos, vel deſtruxerit, occupaverit, aut aliquo modo damnum intulerit locis & poſſeſſionibus Eccleſiarum & monaſteriorum; vel impediverit aut ſequeſtraverit eorum decimas & redditus, ut illos deferret ad ſuam domum: vel aliquo modo violaverit eorum jura, ſive ad hoc dederit conſilium, auxilium, & favorem; ultra pœnas in Jure ſtabilitas, privetur ab ingreſſu Eccleſiæ: & ſi ante præfitam ſatisfactionem deceſſerit, careat Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Civitates autem, oppida & loca in quibus prefati principales reſederint, vel perſonæ Eccleſiaſticæ fuerint apprehenſæ, vel in quæ dicta bona delata fuerint, & reperiantur, ſubjiciantur Eccleſiaſtico interdicto per totum tempus quo ſic permanſerint, donec integram dederint ſatisfactionem.

CAPUT LV.

Ne fiant ſtatuta vel ordinationes contra libertatem Eccleſiaſticam.

NONNULLI ſæculares, & Communitates contra prohibitionem ſacrorum Canonum, & nihili æſtimantes reſpectum ac venerationem quam debent Eccleſiis, illarumque miniſtris, ſtatuta edunt ac condunt edicta & prohibitiones contra libertatem Eccleſiaſticam, atque egregiis modis compellunt Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas ad ſolvendas contributiones & vectigalia cum ipſis. Propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, ut in poſterum nullus dominus in temporalibus, nec alia perſona cujuſvis ſtatûs & conditionis exiſtat, nec Communitas, oppidum, vel locus totius noſtræ diœceſis & provinciæ faciat ſtatuta aut ordinationes, nec ponat edicta, vel prohibitiones contra libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam directè vel indirectè, faciat contribuere, nec ſolvere impoſitiones & vectigalia Eccleſias, & monaſteria, aut perſonas Eccleſiaſticas. quodque ſuper hoc non committant, vel committi permittant fraudem aliquam, ut indirectè compellantur ad contribuendum, aliàs perſonę particulares quæ fuerint culpabiles in aliquo ex præmiſſis, volumus & ſtatuimus, ut ipſo facto incurrant ſententiam excommunicationis. Civitas verò, oppidum, & locus, qui fuerint culpabiles, & in quibus præfati, vel aliqui illorum reſederint, ſubiiciantur Eccleſiaſtico interdicto. Quas ſententias minimè relaxari volumus quin priùs injurię & damno ſatisfecerint, quod Eccleſię & ejus miniſtris illatum fuerat.

CAPUT LVI.

Ordo quem ſervare debent judices Eccleſiaſtici in audientiis faciendis.

CUPIENTES ut lites citò terminentur, & ut partes litigiis implicitæ citò extricẽtur (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, & præcipimus omnibus miniſtris & judicibus noſtris Archiepiſcopatûs & provincię, ut cõtinuò ſedeant faciendo audientias horis ſolitis de mane & veſpere: & procurent obſervari ſilentium & ordinem in audientiis, mulctando & puniendo perturbatores.

CAPUT LVII.

Ut in cauſſis levis momenti non recipiantur ſcripturæ.

MANDAMUS etiam ut in cauſſis levioris & minimi momenti non recipiantur ſcripturæ, ſed decidantur & terminentur ſummariè & breviter. In aliis verò cauſſis non recipiantur plures quàm duæ informationes in ſcriptis à qualibet parte uſque ad primam concluſionem, & articulos, ac interrogatoria ad faciendas probationes: & poſt publicationem non poſſit præſentari niſi una ſcriptura pro qualibet ex partibus. Et ſi aliqua exceptio declinatoria juriſdictionis, vel alia quævis exceptio dilationis fuerit oppoſita & allegata, illa probanda ſit intra octo dies à die qua fuerit deducta, & ad hunc effectum non concedatur ulterior terminus ſine juſta & evidenti cauſſa.

CAPUT LVIII.

Ne Proviſores & officiales committant cauſſas matrimoniales: præſertim verò receptionem teſtium.

CUM cauſſę matrimoniales ſint magni momenti, non debent tractari niſi à doctis, prudentibus, & ſacrorum Canonum peritis. Propterea (ſacro Concilio approbante) ſtatuimus, ut nullus Vicarius, vel judex Eccleſiaſticus ſe ingerat cognitioni cauſſarum

rum matrimonialium prȩter Proviſores, ſeu officiales generales, quibus in ſpecie fuerint commiſſȩ, vel alias perſonas ad hunc effectum vigore ſpecialis commiſſionis deputatas. quodque prefati Proviſores & officiales generales ſeu judices ſic deputati, committere nequeant, nec committant dictas cauſſas, preſertim verò receptionem & examen teſtium, cuicumque alteri perſonȩ.

CAPUT LIX.

Ne concedantur literæ excommunicationis pro rebus parvi momenti.

PRÆCIPIMVS etiam, ut Proviſores & officiales generales non concedant literas fulminatorias excommunicationis generales pro rebus levis momenti, & modicę quantitatis, & declaramus rem eſſe levis momenti & modicę quantitatis in hoc caſu uſque ad valorem centũ morapetinorum: & pro minori quantitate non concedendas dictas literas generales: Quodque ſuper valore & pretio recipiatur juramentum à parte quæ ejuſmodi literas petierit.

Item etiam jubemus ut præfati judices non dent litteras nec mandata in albo.

CAPUT LX.

Ne exigantur ſalaria per judices Eccleſiaſticos.

JUBEMUS itidem, ut judices Eccleſiaſtici noſtri Archiepiſcopatûs & provinciæ non percipiant retributiones directè nec indirectè pro viſione proceſſuum, nec deciſione illorum, ſed cauſſas declarent & terminent abſque executione aliqua breviter & prout de Jure, ſub pœna, quòd ultra pœnas de Jure reſtituant duplò plus partibus quæ ſolverint.

CAPUT LXI.

Ne percipiantur jura ultra contenta in taxa.

UT notarii & miniſtri audientiarum & tribunalium non poſſint excedere in percipiendo jura, ſacro Concilio approbante, ſtatuimus, ut non percipiant jura aliqua ultra illa, quæ ex tariffa antiqua, & conſuetudine noſtri conſiſtorii & audientiæ Archiepiſcopalis reperimus fuiſſe uſu recepta & obſervata à tempore immemorabili uſque modò, quæ mandamus hîc inſeri ut notiora omnibus fiant. volumuſque ut dicti notarii & lictores, vel quilibet alius, non audeat exigere jura & ſalaria præter illa quæ in dictis taxis & tariffis fuerint expreſſa, ſub pœna ut qui contrarium fecerit, teneatur pro prima vice illa reſtituere parti à qua perceperit dupla, & pro ſecunda vice illa reſtituat quadrupla, & pro tertia vice illa reſtituat ſeptupla: jubemuſque ulteriùs puniri debere pro furto prout de jure.

Item ſtatuimus, ut in quolibet loco audientiæ noſtræ provinciæ apponatur in una tabula taxa jurium quadratis literis, ita ut omnes legere valeant.

Item ut lictores non committant fraudes, nec omittant exequi mandata noſtrorum judicum, prout debent & tenentur. jubemuſque ut imprimis & ante omnia exhibeant copias & mandata in quocumque loco illa exequi voluerint, Vicariis, & ubi non adfuerit Vicarius, Parocho principali.

CAPUT LXII.

Applicatio pœnarum.

QUIA plures pœnæ ex contentis in his noſtris conſtitutionibus non fuerunt applicatæ certis locis & perſonis, ad evitandas tot repetitiones, nobis placet ut omnes pœnæ contentæ in conſtitutionibus ſupradictis, quæ fuerint valoris ultra florenum, dividantur in quatuor partes applicandas in hunc modum: videlicet quarta pars pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis; alia quarta pars pro fabrica Eccleſiæ, in qua delinquens fuerit Beneficiatus, vel Cappellanus, vel Parochianus; & alia quarta pars pro denunciante, & pro eo qui proſequutus fuerit cauſſam uſque ad ſententiam; alia verò quarta pars & ultima pro operibus piis, quibus nos vel Prælati noſtræ provinciæ quilibet in ſua diœceſi, illam applicabimus.

CAPUT LXIII.

Ut in qualibet Eccleſia totius provinciæ adſit liber continens iſtas conſtitutiones.

UT autem dictæ conſtitutiones omnibus noſtræ diœceſeos & provinciæ faciliùs innoteſcant; præcipimus & jubemus, ut publicentur in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus noſtræ provinciæ: & ut in omnibus aliis Eccleſiis Parochialibus dicti Archiepiſcopatûs & provinciæ emantur à præfectis illarum intra menſem à dicta publicatione: & in dictis Eccleſiis illas teneant ubi omnes poſſint illas videre.

CAPUT LXIV.

Approbatio & confirmatio conſtitutionum D. Cardinalis D. Didaci Hurtado de Mendoza.

QUIA vidimus quaſdam conſtitutiones editas à D. Cardinali D. Didaco Hurtado de Mendoza noſtro prædeceſſore bo: mem: quæ ad divinum cultum Eccleſiarumque ornamentum plurimùm conferunt (ſacro Concilio approbante) jubemus illas hîc inſeri cum aliquibus additionibus, quòd provident in caſibus in his noſtris conſtitutionibus omiſſis, volumuſque illas obſervari & compleri, prout in eis continetur.

Quæ dictæ conſtitutiones fuerunt lectæ & publicatæ die decima quarta & decima quinta menſis

menſis Januarii anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, milleſimo quingenteſimo duodecimo in dicto Concilio Provinciali, quòd idem Reverendiſſimus & magnificentiſſimus Dominus Archiepiſcopus Hiſpalenſis dominus meus celebravit in nobiliſſima & fideliſſima civitate Hiſpalenſi; præſentibus pluribus dominis ex Capitulo dictæ ſanctæ Eccleſiæ, & procuratoribus Eccleſiarum Gadicenſis, & Malacitanæ, ac Vicariis, aliiſque pluribus qui ad dictum Concilium convenerunt. Qui omnes pro ſe & nomine ſuorum principalium, illas approbârunt eiſque conſenſum præſtiterunt, ac ſingulis illarum; cùm ſint, prout ſunt, probæ, & utiles Dei cultui, ac ſaluti animarum. Præſentibus pro teſtibus Dominis D. Beltrando de la Cueva, & Petro Gonzalez Bachinas familiaribus Reverendiſſimi Domini, & Antonio de Morales Apoſtolicâ auctoritate notario, ac incolâ dictæ civitatis Hiſpalenſis.

Et ego Didacus de Macias clericus Salmanticenſis diœceſis publicus Apoſtolicâ auctoritate notarius, & ſecretarius dicti Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi dicto Concilio Provinciali interfui, & de ejus mandato legi & publicavi præfatas conſtitutiones.

Sermo habitus per eundem Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum in ultima ſeſſione præfati Concilii Provincialis.

VENERABILES & dilectiſſimi fratres. Quæ à ſanctis Patribus ex geſtis Conciliorum conſtituta didicimus, in hac ſancta Synodo Provinciali, quantum Dominus dedit, explere curavimus. Et utinam dicere licuiſſet cum Euangelio: *Quòd debuimus facere fecimus.* quemadmodum libet antecedens verbum fateri, qui ſervi inutiles ſumus veſtigia patrum ſequuti regulas,& præcepta de cultu Dei, de divinis inſtitutionibus, de celebrandis Officiis Eccleſiaſticis, de vita & moribus componendis ſecundùm canonicas ſanctiones vobis edidimus. Virtutis tamen efficaciam, quâ illa implere, & in eis proficere valeatis, non eſt noſtrum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Deo, *qui* (ut Paullus docet) *operatur in nobis, & proficere pro bona voluntate. A Domino* (inquit Propheta) *greſſus hominis diriguntur. Non enim eſt volentis, aut currentis, ſed Dei eſt miſerentis*, ait vas electionis. Reliquum eſt fratres, ut memineritis cujus capitis,& cujus corporis membra eſtis. *Caput* (inquit Apoſtolus) *Chriſtus eſt*: Eccleſia corpus ejus, cujus & nos membra ſumus. Caput ſanctiſſimum eſt ſpecioſum præ filiis hominum, *cujus gloriam vidimus* (ait Euangeliſta) *quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*. Eccleſiam verò ipſius capitis corpus ſic Deus purificavit, ut illam ſibi glorioſam efficeret,ſanctam,& immaculatam, non habentẽ maculam aut rugam: ut verbis utamur Apoſtoli; Decet igitur, fratres mei, tam pretioſi capitis, & immaculati corporis vos membra eſſe munda & incontaminata: ne aut corpus Eccleſiæ monſtrum reddatur, aut membra ſtupida, & corpori incompacta fiant. Si enim Prophetæ licuit clamare & dicere: *mundamini qui fertis vaſa Domini*; quantò meliùs & nobis clamare libet, mundamini, qui membra eſtis corporis Domini? Rurſus, fratres chariſſimi, ſtatûs & officii veſtri, nè ſitis immemores. Nôſtis quid Paullus ſcribat Corinthiis: *Sic nos* (inquit) *exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei*. Grandis profectò & præcelſa hæc dignitas, quam nec Angeli, nec Archangeli, aut etiam Seraphim divino amore ferventes attingere potuerunt. Miniſterium veſtrum,fratres chariſſimi,in diſpenſatione ſacramentorum (ſi audire placet) hoc eſt: peccatorum ſordes abluere, virtutes inſerere, debiles in fide ſolidare, dæmonia non tam à corporibus, quàm ab animabus expellere, mentes illuminare, peccata relaxare, cœlos aperire, portas inferi obſerare, immò verò homines deos facere. *Ego dixi, dii eſtis* (ait Propheta) *& filii excelſi omnes*. Denique miniſterium veſtrum eſt, creatam ſubſtantiam in Deum creatorem tranſubſtantiare. quod opus natura neſcivit, & Angelus admiratur. Cùm itaque, fratres chariſſimi, tale ac tantum miniſterium vobis commiſſum ſit; hortamur ut in cunctis actibus exhibeatis vos ſicut Dei miniſtros Sanctos & irreprehenſibiles, pudicos, ſobrios, nemini dantes offenſionem, ut non vituperetur miniſterium veſtrum. *Oportet enim vos* (juxta doctrinam Apoſtoli) *bonum habere teſtimonium ab his qui foris ſunt*. In omni-

omnibus motibus & actibus veſtris nihil fiat quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem: nec affectetis veſtibus pretioſis placere, ſed moribus. Conſiderate, fratres, quàm tempus vitæ breve eſt: præterit enim figura hujus mundi, & veniet dies Domini magna & amara valdè: dies ultionis in omnes qui operantur malum. *Mihi vindictam & ego retribuam*, dicit Dominus per prophetam. Nemo ſe decipiat confiſus quòd patrem miſericordiarum habeat judicem, *Nam* (ut ait Propheta) *juſtus Dominus & juſtitiam dilexit*. Si enim ſola miſericordia Deo adſcribenda eſſet, nequaquam Prophetâ dixiſſet: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis*; Neque enim, fratres, in Euangelio legitis, quod judex dicturus ſit omnibus indifferenter: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*; ſed & legitis: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in æternum ſupplicium*. Et ipſe Paullus vas electionis, ut cautos nos redderet, iram Dei metuere, & ne Spiritui ſancto contumeliam fecerimus; *horrendum* (inquit) *eſt incidere in manus Dei viventis*. *Abjiciamus ergo*, fratres, *opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus*. Expoliemus veterem hominem cum actibus ſuis, deponentes priſtinam converſationem ſecundùm deſideria erroris. Nolite, fratres chariſſimi, locum dare diabolo, & membra veſtra fieri arma iniquitatis; ſed adversùs illius inſidias, juxta Apoſtoli Paulli conſilium, *induite vos armaturam Dei, ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, galeam divini amoris, & gladium Spiritûs, quod eſt verbum Dei*. Hæc enim ſunt arma, quibus milites Chriſti aſcribuntur in cælo, & principes tenebrarum arcentur in inferno. Dignetur miſericors Deus corda veſtra dirigere in præceptis ſuis, ut bonis operibus abundantes, æternam beatitudinem conſequi mereamini, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Hoc loco exhibetur taxa jurium, quæ percipi poſſunt à miniſtris juxta monetam antiquam, & valdè diverſam ab ea, quâ modò utimur. Propterea illam hoc loco prætermittendam cenſui.

ELOGIUM
ILLUSTRISS. D. DIDACI DEZA,
ARCHIEP. HISPALENSIS.

Ex cl. v. D. Nicolao Antonio in Biblioth. Hiſpana Tomo I. pag. 215.

FDIDACUS DEZA, Taurenſis, Didaco Deza & Agnete Taverâ, clarâ ſtirpe parentibus natus, Dominicanorum fratrum religioſo Ordini ſeſe in patria urbe mancipavit. Eoque exiſtimationis in ſtudio ſacrarum diſciplinarum apud Salmanticenſes proceſſiſſe viſus eſt, ut in primarium aliquando Theologiæ interpretem deligeretur. Hinc Joannis Hiſpaniarum Principis Catholicorum Regum prolis in lubrica ætate moderator, atque adeò ipſis Regibus à munere confeſſionum ſacramentalium fuit. Deinde in paſtorale album admiſſus, quatuor Epiſcopalium ſedium Antiſtes, Zamorenſis nempe, Salmanticenſis, & Palentinæ (quam dum regeret, ſummum etiam Fidei cauſſarum in his regnis arbitrium & tutelam ſuſcepit) Giennenſiſque, unà cum honoribus Regii Protomyſtæ, Caſtellæque Cancellarii, atque inde Hiſpalenſis Archiepiſcopus ad octoginta annorum uſque ætatem vixit. Cùm enim ad Toletanam ſedem Præſul deſignatus anno MDXXV. proficiſceretur, vir apud nos ampliſſimus tum gymnaſii, tum aulæ, atque

atque Eccleſiæ capeſſitis honoribus, ſupremoque hujus poſterioris ordinis ſaltem delibato, per viam extinctus eſt. Hiſpali jacet ad D. Thomam, quod ſodalibus Dominicanis olim erexerat Collegium ſimul & Academiam imbuendæ Grammaticis, Philoſophicis, & Theologicis literis juventuti. In quo celebri uſque nunc gymnaſio cùm à tenera ætate ingenii cultum per haſce diſciplinas aliquantulum cœperim, extare hîc impreſſum grati animi, perenniſque, ut fas eſt, obſequii à me delati veſtigium hoc & argumentum pervelim. Opera hæc ejus ſunt doctiſſima, & quidem typis edita:

NOVARUM Defenſionum Doctoris Angelici D. Thomæ ſuper IV. libros Sententiarum, quatuor integra volumina. Scilicet in quo Joannes Capreolus item Dominicanus, idemque Doctor Pariſienſis celeberrimus, eandem hanc Spartam adornans, defeciſſe viſus eſt, novâ operâ id totum ſupplere voluit noſter. In folio.

DEFENSIONES ab impugnantibus magiſtri Nicolai de Lyra, magiſtrique Mathiæ propugnatoris ſui in poſtillis nonnullis ſuper Biblia contra S. Thomam. Nempe adversùs Lyram Paullus quondam inſurrexerat Burgenſis Epiſcopus, adversùs Burgenſem pro Lyra Mathias provinciæ Saxoniæ Franciſcanorum fratrum miniſter: quem ad ultimum Deza refellit.

Synodum Hiſpali celebravit, quo antiquis confirmatis ſanctionibus, plures de novo adjunxit, ediditque anno 1512. in eadem urbe.

Manu autem exaratum extat in Bibliotheca ſui Collegii

MONOTESSARON. hoc eſt, contextus unicus quatuor Euangeliſtarum (quod exemplo *Ammonii Alexandrini*, cujus opus *ex quatuor unum* laudat Euſebius, nec non & aliorum fecit) catenaque veterum Patrum ejus verba explicantium. qui quidem contextus omnino abſolutus eſt, catena autem minimè. Librum alium *ſuper orationem Dominicam* tribuit Dezæ Venerus in *Enchiridio temporum*, quem non vidimus: item Joannes Marieta.

CONSTITUTIONES
D. CARDINALIS
D. DIDACI HURTADO
DE MENDOZA

Archiepiſcopi ſanctæ Eccleſiæ Hiſpalenſis, approbatæ & confirmatæ in dicto Concilio Provinciali, in quibus ordo celebrandi Miſſas ſtatuitur, & pœna tranſgreſſoribus infligitur.

CAPUT I.

QUIA in celebrandis Miſſis de die, & Veſperis, reperimus magnum defectum & incuriam; præcipimus & ordinamus, ut in omnibus Eccleſiis, in quibus adſunt tria beneficia & ultrà, (quæ inſerviri continuò jubemus) per ipſoſmet beneficiatos, vel de noſtra licentia per ſuos cappellanos idoneos, celebretur ſingulis diebus ferialibus, quæ non ſint feſta de præcepto, Miſſa de mane, quæ terminetur ante ortum ſolis, ut artifices & mercatores poſſint audire Miſſam lectam antequam labores & negocia incipiant: poſtea verò hora Tertiæ celebretur Miſſa diei cantata juxta regulam hujus diœceſis & provinciæ: jubemuſque ut talis Miſſa diei horâ Tertiæ non poſſit ſuppleri aliquâ aliâ Miſsâ lectâ quacumque de cauſſa; & ut in hac dicta Miſſa interveniant omnes beneficiati vel cappellani pro eis inſervientes, & ille qui non interfuerit dictæ Miſſæ priùs quàm terminetur Epiſtola, amittat diſtributiones & obventiones quæ hac die ad dictam Eccleſiam pervenerint: ſi verò non adfuerint diſtributiones ſeu obventiones uſque ad ſummam dimidii regalis, ſolvat decem morapetinos in pœnam, & pro celebrandis dictis duabus Miſſis Primæ & Tertiæ adſint hebdomadarii deputati per ordinem; & ille qui omiſerit celebrare Miſſam Primæ horâ propriâ, ſolvat in pœnâ decem morapetinos pro fabrica Eccleſiæ, & ille qui omiſerit celebrare Miſſam de Tertia, ſolvat in pœnam quindecim morapetinos pro eadem fabrica. Jubemus pariter ut in Eccleſiis, in quibus celebrari ſolet Miſſa ſolennior cum diacono & ſubdiacono ac cantoribus obſervetur talis conſuetudo, & nō prætermittatur in omnibus feſtis ſolitis & conſuetis. Si autem ille qui debuerit dicere Euangelium vel Epiſtolam, vel canere, non venerit antequam inchoëtur Miſſa vel Officium, ſolvat dictam pœnam quindecim morapetinorum. Pariterque jubemus, ut omnes interſint Veſperis, & ille qui non venerit die quâ tenebitur infra primum pſalmum, amittat dimidiam partem diſtributionis & obventionis diei ſequentis. Jubemuſque aliis beneficiatis vel cappellanis qui fuerint præſentes, prout dictum eſt, ſub pœna excommunicatio-

nis, ne valeant eis dimittere dictas diſtributiones & obventiones, quæ ſunt in pœnam tranſgreſſoribus. Et circa omiſſiones hebdomadariorum (quorum mulctas applicamus fabricæ) præcipimus ſacriſtæ cujuslibet Eccleſiæ, ut notet pœnas, & notificet præfecto, ut illas colligat pro fabrica: & noſter viſitator quotieſcumque viſitabit, accipiat rationem dictarum pœnarum, & eas oneri præfectorum Eccleſiarum imponat.

CAPUT II.

Ordo recitandi Horas, & pœnæ tranſgreſſoribus impoſitæ.

ITEM ordinamus & præcipimus, ut in qualibet ex dictis Eccleſiis in quibus adſunt tria beneficia vel plura, dicantur omnibus & ſingulis diebus Dominicis & feſtis de præcepto ſaltem Tertia & Nona cantatæ horâ propriâ; & ille qui non interfuerit dictis horis, ſolvat duos morapetinos inter præſentes diſtribuendo, quibus jubemus ne illis vel partem illorum remittant. Et hanc eandem regulam obſervari jubemus toto tempore Quadrageſimæ in Prima, Tertia, & Veſperis. Quia tamen nonnullæ neceſſitates poſſunt occurrere tam beneficiatis, quàm eorum cappellanis; diſpenſamus ut poſſint gaudere & gaudeant quolibet menſe octo diebus recreationis, in quibus etiamſi non interveniant Miſſis & Veſperis ac aliis Horis, non incurrant dictam pœnam; non tamen lucrentur diſtributiones nec obventiones in his diebus recreationis. Jubemuſque hebdomadariis ne capiant recreationem in ſua hebdomada ſub pœna dimidii regalis fabricæ Eccleſiæ applicandi.

CAPUT III.

Ut aperiantur Eccleſiæ ſummo mane, & tunc veniant clerici ad recitandum Officium, & ſacriſta dormiat in Eccleſia.

ITEM quia tam in pluribus Eccleſiis hujus civitatis, quàm totius noſtræ diœceſis ſæpè accidit, ut longè poſt ſolis ortum aperiantur Eccleſiæ, unde languet devotio populi, & parochianorum qui vellent ingredi ad ſolvendam Deo orationem priuſquam quidquam aliud incipiant opus; præcipimus ut ſacriſtæ ſaltem unam januam cujuslibet Eccleſiæ aperiant ſub crepuſculum matutinum. Jubemuſque beneficiatis ſeu eorum cappellanis, ut veniant ad dictas Eccleſias ſummo mane ad recitandum Matutinum, & continuent alias Horas diurnas in dictis Eccleſiis ſub pœna amiſſionis dimidii diſtributionum illius diei. Et ut hoc meliùs fieri poſſit, & Eccleſiarum cultui meliùs conſulatur, ſacriſtis jubemus ut dormiant in Eccleſiis abſque ſocietate laïcorum nec aliarum perſonarum unde oriri poſſit ſcandalum vel pravum exemplum.

CAPUT IV.

Ne pax patenis conſecratis porrigatur. Neve ulli præter clericos, mundent vel involvat calices, & habeant purificatoria.

ITEM quia reperimus quòd ferè in omnibus Eccleſiis iſtius noſtri Archiepiſcopatûs ſolet porrigi pax cùm patenis conſecratis (quod cedit in dedecus & vilipendium dictarum patenarum; nam cùm ſint conſecratæ, illas tractant pueri, & nonnunquam in terram cadunt) propterea mandamus, ut in omnibus Eccleſiis fiant paces argenteæ vel ligneæ tam pro viris quàm pro mulieribus: & quod præsbyteri poſtquam conſummârint, ipſimet cooperiant & involvant calices cum ſuis patenis in panno lineo albo & nitido, nec illos permittant involvi, aut tangi à pueris, ſacriſtâ, vel aliâ perſonâ quæ non ſit in ordine ſacro conſtituta. Ac etiam mandamus, ut in calicibus teneant pannos lineos ſubtiles & nitidos, quos vocant *Purificatoria* ad illos purificandum poſtquam conſummârunt, priuſquam illos involvant.

CAPUT V.

De nitore corporalium, & linteorum, atque ornamentorum altaris.

ITEM quia experimur maximam incuriam circa nitorem debitum miniſterio altaris tam in corporalibus, quàm in linteis, & ornamentis; ſtatuimus ut in poſterum qui habebunt munus Parochi in Eccleſiis in quibus adſunt plures, quilibet ſuo loco ſecundùm ordinem ſuæ antiquitatis aſſumat onus lavandi corporalia quæ ſunt in uſu, ſaltem quolibet bimeſtri, & lintea ad detergendos & involvendos calices ſingulis quindecim diebus: & procurent apud præfectum ut ſaltem quolibet menſe mutet mappas altarium: & curam habeant præfati Parochi ut quando aliqua capſula, alba, amytus, manipulus, ſtola, dalmaticæ, vel alia ornamenta fuerint lacera vel ſordida, ſtatim à præfecto de novo fiat, aut laventur.

CAPUT VI.

Ut aſſerventur in ſacrario formæ rotundæ parvæ ad adminiſtrandam ſanctam Communionem.

ITEM quia ferè generaliter reperimus in ſacrariis repoſitam unam hoſtiam diviſam in plures partes; & quia diviſio fieri non poteſt ita, quin cadant aliquæ particulæ minutiſſimæ, quæ non conſummantur nec conſervantur prout debent; providentes ſuper eo meliori forma, ſtatuimus & ordinamus ut loco illarum particularum hoſtiarum fiant formæ parvæ hoſtiarum rotundæ & integræ, tam ad illas reponendas & conſervandas in ſacrario, quàm pro com-

communi uſu ſæcularium. & iſtę ſint in tali numero, ut ſingulis quindecim diebus poſſint conſummari & renovari. & ita jubemus fieri à Parochis.

CAPUT VII.

Ut canatur Symbolum integrè vivâ voce propriis diebus.

QUIA in ſecundo ſymbolo Fidei quod vulgò vocatur *Credo*, ac cantatur in Miſſa ſolenni diebus Dominicis & feſtis de præcepto, explicitè omnes fideles confitentur fidem univerſalem totius Eccleſiæ militantis, prout quilibet Chriſtianus tenetur confiteri,& ut pueri ac recentes Chriſtiani illud diſcant, reperimus vigere pravam conſuetudinem;quòd nempe in omnibus Eccleſiis noſtri Archiepiſcopatûs quando fit concio poſt Euangelium incipiunt decantareSymboli & ſtatim illud interrumpunt ut concioni locum præbeant; quandoquidem verò pulſari per organum faciunt, ita ut Eccleſiæ non fiat ſatis: Propterea iis obviantes, jubemus presbyteris ſub pœna excommunicationis,ut in qualibet Parochia ſingulis diebus Dominicis & feſtis, quibus ſecundùm regulam tenentur illud decantare, poſtquam illud ſuo tempore incæperint, proſequantur vivâ voce uſque ad finem, nullâ parte illius omiſsâ.

CAPUT VIII.

Ut clerici interſint cum habitu decenti Officiis, & cappellani diebus Dominicis & feſtis utriſque Veſperis & Miſſæ ſolenniori interveniant.

ITEM quia reperimus in hoc noſtro Archiepiſcopatu ſynodalem quandam conſtitutionem Patriarchæ Conſtantinopolitani D. Alphonſi adminiſtratoris perpetui hujus noſtrę Sanctæ Eccleſiæ noſtri prædeceſſoris, in qua decernitur ut clerici horis & divinis Officijs interſint cum ſuperpelliceo & habitu decenti ſub pœna triginta morapetinorum pro fabrica Eccleſiæ ubi clericus contrà faciens erat beneficiatus, vel pro beneficiato inſerviebat.

Item in eadem conſtitutione ſynodali decernitur, ut clerici & cappellani inſervientes nonnullis cappellaniis in quibuslibet Eccleſiis Parachialibus, teneantur intereſſe Officiis diebus Dominicis & feſtis tam in primis Veſperis, quàm inMiſſa ſolenniori & ſecundis Veſperis cũ habitu decenti, & divina officia celebrent, ac decantent dictas Miſſas & Veſperas ſimul cum aliis ſacerdotibus, ſub pœna triginta morapetinorum pro fabrica talis Eccleſię. Nos ergo videntes ejuſmodi conſtitutionem eſſe juſtam & honeſtam, ac Dei cultui opportunam, honoriſque Eccleſiæ; licèt huc uſque fuerit malè obſervata; illam renovamus, & volumus obſervari in omnibus & per omnia tam circa habitus & cappellanorum cappellaniis inſervientium aſſiſtentiam divinis Officiis diebus & horis ſupradictis, quàm circa pœnam tranſgreſſoribus impoſitam. Volumuſque ut ſacriſtæ curent notare illos qui non venerint, & conſignent præfecto Eccleſiæ defectus quos commiſerint, in fine cujuslibet menſis, ut præfecti illas percipiant. & noſtro Vicario facultatem concedimus ubi adfuerit, ubi verò ipſe non adfuerit,Parocho antiquiori,ut ita executioni demandari faciat.

CAPUT IX.

Ne fiant pervigilia.

ITEM reperimus aliam conſtitutionem Sinodalem præfati D. Alphonſi Patriarchæ noſtri prædeceſſoris circa pervigilia quæ in Eccleſiis & eremitoriis fiunt;quæ ſtatuit ne dicta pervigilia fiant. Quæ conſtitutio de verbo ad verbum eſt prout infrà, videlicet: Cùm in more poſitum ſit, ut in vigiliis Sanctorum plures tam viri quàm mulieres, clerici & laici præ devotione veniant ad pernoctandum in Eccleſiis: & quia audivimus quòd ſub prætextu devotionis plura in eis committuntur maleficia; & ſignanter ſcortationes & adulteria: & ulteriùs fiunt compotationes, & proferuntur plures cantilenæ ſæculares, & fiunt choreæ, & alia inhoneſta, ex quibus plura oriuntur ſcandala & peccata, ſuper quibus ad nos pertinet providere,& reprobare talem conſuetudinem. Propterea (hoc ſacro Concilio approbante) ſtatuimus,ut in poſterum in vigiliis glorioſæ Virginis Mariæ, & cujuſvis feſtivitatis, nec diebus ferialibus, in noſtra Eccleſia Cathedrali, nec in qualibet alia noſtræ diœceſis & provinciæ fiant ejuſmodi pervigilia, & nullus illo tempore admittatur in Eccleſias; & clerici Eccleſiarum in quibus fieri ſolent, ſtatim poſt terminatum officium Veſperarum claudant januas Eccleſiæ ita ut illâ nocte quâ fieri ſolet pervigilium nullus poſſit ingredi dictas Eccleſias. Et clericus ad quem ſpectat curam de hoc habere,ſi ita non præſtiterit, ſolvat quingentos morapetinos, qui applicentur Eccleſiæ Cathedrali, in cujus diœceſi hoc evenerit. Et ſi forſan aliquis ejuſmodi pervigilia celebrare voverit, nos licentiam & facultatem concedimus omnibus presbyteris curam gerentibus animarum, & auctoritatem à nobis habentibus audiendi confeſſiones, ut poſſint commutare talia vota in alia opera pia. Præcipimuſque ut hęc noſtra conſtitutio in omnibus Eccleſiis ab illarum Presbyteris publicetur.

Nos ergo præfatus Archiepiſcopus D. Didacus Hurtado da Mendoza, videntes hanc dictam conſtitutionem fore ſanctam & valdè utilem, & quanta cum diminutione divini cultûs hactenus non fuerit obſervata,nec obſervetur; illam renovamus, jubemuſque ſervari ſub pœna in ea contenta. Quia tamen plures habent magnam devotionẽ pernoctandi in hac noſtra ſancta Eccleſia in vigilia B. Mariæ Virginis menſe Auguſti,& ejus octava; præcipimus ac jubemus noſtro Barigello majori, ut illâ nocte apponat

cuſtodes & accuratè invigilet, ut omnes illi qui præ devotione voluerint pernoctari, poſſint in ea honeſtè manere: & non permittat cantilenas, inſtrumenta muſica, vel choreas, nec alios actus inhoneſtos dicto tempore, qui hactenus fieri ſolebant, & mulctet contrà facientes ducentis morapetinis, quorum centum applicabuntur fabricæ Eccleſiæ, & centum alii Barigello præfato.

CAPUT X.

De honeſtate habitûs à clericis ſervanda.

ITEM quia honeſtas & moderatio eſt virtus decentiſſima in quolibet ſtatu, præſertim autem in Eccleſiaſtico, & audivimus quòd plures Eccleſiaſtici in noſtro Archiepiſcopatu incedunt inhoneſtè & indecenter, geſtantes parvas coronas juxta ſuum ordinem, cum capillis effuſis, & barba promiſſa, ac palliis brevibus & apertis, & ſine biretinis, ac quod pejus eſt, aliquando cum veſtibus ſæcularibus, & thoracibus ſericis, & cum cingulis auro & argento elaboratis, gerentes annulos, & calceos rubros modo & forma indecenti (quę omnia ſunt ſigna ſeu indicia pravi & indevoti animi, & ſunt pravi exempli ſæcularibus) propterea nos ſuper his de remedio providere meditantes; jubemus, ut in poſterum omnes clerici in ſacris ordinibus cõſtituti ſeu beneficiati coronam competenter apertã gerant, & capillos adeò breves ut ſaltem dimidia pars aurium pateat, nec ſinant creſcere barbam, & gerant pallia honeſti coloris, nec adeò longa ut per humũ ſternantur, nec tam brevia ut pes totus pateat; ſed ad terram uſque perveniant: gerantque ſua biretina, non autem induantur thoracibus ſericis, nec cingula elaborata auro, argento, vel ſerico geſtent, neque annulos exceptis illis quibus ratione gradûs vel dignitatis ferre licet: nec calceamenta deferant præter nigri coloris, ſub pœna quòd beneficiatus qui contrarium fecerit, incidat in pœnã mille morapetinorum iſtius monetæ applicandorum pro una medietate, fabricæ Eccleſię, cuius erit beneficiatus; & pro alia medietate, Barigello noſtro, ut curet id exequi: clericus verò qui non fuerit beneficiatus, incurrat pœnam quingentorum morapetinorum, qui applicentur modo ſuperiùs expreſſo.

CAPUT XI.

Quomodo adminiſtrari debeat ſacramentum Baptiſmi.

ITEM circa ſacramentum Baptiſmi, qui eſt janua atque aditus aliorum ſacramentorum; quia reperimus, in hac noſtra diœceſi infantes per aſperſionem, non autem per immerſionem quandoquidem baptizari; noſcenteſque, tam ex decretis & veterum Canonibus, quàm ex ſanctorum Theologorum ſententiis, eum ritum ac conſuetudinem baptizandi quamvis non improbetur, non tamen adeò probari ac Baptiſmum per immerſionem, tum quia id conformius conſuetudini ſanctæ Romanæ Eccleſiæ magiſtræ & capitis, necnon conſuetudini Eccleſiæ univerſalis; tum etiam ut pleniùs compleatur analogia quam habet cum ſepultura & reſurrectione Jeſu Chriſti domini noſtri juxta dictum Sancti Paulli Apoſtoli ad Coloſſenſes 2. ubi ait quòd ſumus *conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurreximus per fidem operationis Dei*. Propterea nos, ad quos ex officio ſpectat dirigere & promovere oves nobis commiſſas de bono in melius, juxta ſententiam Divi Paulli 1. Corinth. 12. *Æmulamini chariſmata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*; præcipimus ac jubemus omnibus Parochis noſtrę diœceſis, ut in poſterum baptizent per immerſionem, prout in Eccleſiis quas viſitavimus docuimus & ordinavimus, & uſus tenet, exceptis quatuor caſibus. Primò quum baptizandus erit adultæ ætatis, ſive vir ſive fœmina. Secundò quum infans ægrotaverit, de quo veriſimiliter credi debet, quòd ſi in aquam immergeretur, manifeſtum damnum ac jacturam pateretur. Tertiò quum infans nequit ab utero matris exire, niſi ſolum caput, vel aliud ejus membrum. quo caſu fieri debet Baptiſmus in illo membro per aſperſionem. Quartò quum in caſu neceſſitatis nequit haberi ea copia aquę, ut ſufficiat ad immerſionem.

CAPUT XII.

Ut baptizans ſtatim deponat ſeu tollat capuccium.

ITEM quia renunciatum eſt, nonnullas matres ſeu nutrices non cuſtodire infantes (ut fas eſt) diebus quibus gerunt capuccium poſt Baptiſmum cum reverentia ſancto chriſmati debita, alioſque committere abuſus; omittendo reducere puerum ad Parochum qui illum baptizavit, adeuntes moniales ſeu religioſos ut tollant infanti capuccium; dicentes in capuccii ablatione compaternitatem contrahi; propterea ſuper hoc providere volentes, præcipimus ſub pœna excommunicationis omnibus Parochis noſtri Archiepiſcopatûs, ut ſtatim atque terminaverint baptiſmum, tollant capuccium, uti poſt triduum facere ſolent.

CAPUT XIII.

Ut baptizans ſcribat ſuum nomen & illud infantis, ac diem, menſem, & annum.

ITEM quia experientiâ compertum habemus nonnullos abſque patre, matre, vel conſanguineis educari, aliquando verò dubitari quorum ſint filii, & an fuerint baptizati; cumque aliquando oporteat ſcire ætatem, & an ſint legitimi; præcipuè verò ſi ad clericatûs ordinem promovendi ſint, vel matrimonium contra-

trahere debeant: ac neceſſum ſit, & ſcire an ętatem competentem attigerint ut aſſentiri valeāt, & quinam fuerint patrini, propter impedimentum cognationis ſpiritualis,& propter plura alia dubia & damna quæ ex ignorantia illorum omnium, vel cujuſquam oriri ſolent; propterea ſuper præmiſſis providere volentes, præcipimus & ordinamus, ut à die quâ fuerit publicatum hoc noſtrum ſtatutum intra triginta dies omnes & ſinguli præfecti Eccleſiarum teneantur ſub pœna excommunicationis, & ducentorum morapetinorum applicandorum pro una medietate, accuſatori; & pro alia medietate, Eccleſię; facere librum expenſis fabricę Eccleſię in qua adfuerit fons baptiſmalis, & illum teneant Parochi in ſacrario: in quo volumus & jubemus ſub pœna excommunicationis Parocho qui baptizaverit, ut ſcribat ſuum nomen, dicens: *Ego N. Parochus*, & inde ſtatim diem, menſem, & annum;ac nomen infantis baptizati, ejuſque parentum: & ſi habeantur ac reputentur pro legitimis conſortibus, ac nomina patrinorum.

CAPUT XIV.

Ne admittatur, nec diſpenſari poſſit ſuper numero Compatrum.

ITEM quia ex numero compatrū magna oritur confuſio,& propter illorum multitudinē non cognoſcuntur,ac matrimonia fiunt inter ſpirituali affinitate conjunctos; ſuper quo jam olim proviſum fuit abArchiepiſcopo D.Nunnio bon. mem. prędeceſſore noſtro, & poſtea à Reverendiſs. D. Cardinali ab Hiſpania patruo noſtro,ac hujus ſanctę Eccleſię Archiepiſcopatū regente,prout de Jure, ne poſſent admitti niſi quatuor perſonę, vel infrà; quia verò poſtea dicta obſervantia nonnunquam defecit,ac nonnullorum importunę preces licentiam extorſerunt; de remedio nos, dictarumque conſtitutionum obſervantia ſeriò meditantes; precipimus in poſterum ſub pœna excommunicationis majoris, in quam ipſo facto incurrat quilibet Parochus totius noſtri Archiepiſcopatûs, qui exhibitę ſibi licentię ſeu relationi dictę conſtitutionis pro parte cujuslibet noſtri officialis,ſive ſit Proviſor, ſive Vicarius, ſive Viſitator,parere recuſet, vel admittat plures patrinos; ſed obſervari jubemus dictas conſtitutiones: contra quas nolumus poſſe diſpenſari.

CAPUT XV.

Ne admittatur diſpenſatio in denunciationibus.

ITEM circa matrimonium, cùm noverimus in denunciationibus, de jure communi ac in conſtitutionibus ſynodalibus Archiepiſcopi D. Nunnii,& Reverendiſs. Cardinalis ab Hiſpania patrui noſtri ſtatutis, ob nonnullorum importunas preces fieri aliquas derogationes; jubemus Parochis, & unicuique illorum ſub dicta pœna excommunicationis, in quam ipſo facto incurrant, ne admittant licentiam, nec relaxationem in tali caſu.

CAPUT XVI.

Ne ullus Sacerdos ante diluculum Miſſam celebret.

ITEM quia plures ſacerdotes vel juris ignorantiâ vel importunis nonnullorum precibus, qui matrimonium contrahere volunt, Miſſam celebrant ante diluculum in hoc noſtro Archiepiſcopatu, prout relatione fide dignarum perſonarū didicimus; volentes ſuper hoc providere,jubemus ſub pœna ſuſpēſionis,& unius ducati pro qualibet vice applicandi pro medietate, fabricę Eccleſię hujuſmodi;& pro alia medietate, accuſatori; ut nullus deinceps id faciat. Pręcipimuſque noſtro viſitatori, ut quoties & quandocumque viſitaverit, diligenter inquirat in eos qui id pręſtiterint,vel præſtare ſoliti fuerint, atque illos puniat prout cenſuerit opportunum.

CAPUT XVII.

Ne quis poſſit deputare ſeu ſtatuere cappellanum; nec cappellanus inſervire, quin priùs fuerit examinatus, & licentiam obtinuerit.

ITEM quia plures,tam beneficiati, quàm beneficiorum patroni cappellanos deputant qui inſerviant beneficiis ſeu cappellaniis, & nonnunquam ſunt excommunicati, vel ſuſpenſi, vel profugi, vel aliis cenſuris irretiti, vel inhabiles, & minimè idonei pro talibus ſervitiis, vel non habent licentiam à ſuis ſuperioribus prout de jure requiritur; nos volentes de oportuno remedio providere ſuper præmiſſis, præcipimus & ſtatuimus,ut in poſterum tam in noſtra ſancta Eccleſia, quàm in omnibus aliis hujus civitatis & Archiepiſcopatûs, nullus poſſit admitti ad dicta miniſteria, quin priùs fuerit examinatus per noſtrum proviſorem, vel per eum quem ad hunc effectum deputaverimus:.& ſi quis contrà fecerit(tam reſpectu admittentis, quàm admiſſi) ſi fuerit clericus, ipſo facto pronunciamus ſuper eum ſententiam ſuſpenſionis; ſi verò laïcus, ſententiam excommunicationis.

CAPUT XVIII.

Ne quis poſſit inſervire niſi unico beneficio, ſeu cappellaniæ.

ITEM quia novimus, tam in hac civitate, quam in pluribus locis iſtius noſtræ diœceſis, quamplures clericos, tam beneficiatos, quam cappellanos, aſſumere in ſe onus multiplicis ſervitii beneficiorum & cappellaniarum, quam diverſarum cappellaniarum, quibus facere ſatis nequeunt, juxta dictum Dei domini noſtri: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*;

propter-

propterea nos videntes tam damnũ conſcientiæ eorumdẽ,quàm ſervitii ac cultûs divini; providendo ſtatuimus & ordinamus, ne quis inſerviens beneficio, poſſit ſimul inſervire cappellaniæ; neve inſerviens cappellaniis in uno loco, poſſit inſervire alteri cappellanię. Volumus itidem & diſpenſamus,ut ſi aliquis clericus habet in aliquo loco onus dimidiæ, vel tertiæ partis cappellaniæ, poſſit habere in alio vel aliis locis aliam dimidiam vel alia duo tertia, ita ut per totum menſem non teneatur ad celebrationem Miſſarum ultra viginti quinque: & in eo caſu diſpenſamus favore talis, circa id de quo ſuprà in alia conſtitutione fuimus loquuti; videlicet quòd cappellani exiſtant in habitu diebus Dominicis & feſtis in Officiis, in locis, in quibus poſſident cappellanias; dummodo compleant alternatim, videlicet uno die feſto in una Eccleſia, & alio die feſto in alia, ſub pœna in illa coſtitutione contenta,

CAPUT XIX.

Ut diſtributio quæ datur pro Officio feſti votivi dividatur inter præſentes beneficiatos ſeu cappellanos.

ITEM quia quamplures Eccleſiæ tam hujus civitatis, quàm diœceſis, nonnullę confraternitates & perſonæ celebrant nonnulla feſta votiva, in quibus aliquando beneficiati & cappellani inſervientes beneficiis pro aliis, aliquando etiam ſoli cappellani inſervientes locò beneficiatorum ubi iſti non adſunt qui inſerviant, celebrant officium tam in Veſperis & Miſſa, quàm in altaris miniſterio, & beneficiati ſolent dividere inter ſe diſtributionem quæ ſolvi ſolet pro tali feſto, etiamſi ſint abſentes, & de ea nullam partem dant cappellanis qui inſerviunt beneficiis pro aliis (quod injuſtum & indecorum videtur)propterea providere volentes cum æquitate, jubemus ut ejuſmodi diſtributio dividatur inter præſentes tantùm,ſive ſint beneficiati, ſive cappellani pro eis inſervientes, ſive ſint beneficiati, vel beneficiati cum cappellanis qui inſerviant beneficiis: & tunc volumus, ut dicta diſtributio dividatur eodem modo & formâ quibus dividi ſolent obventiones& diſtributiones quotidianæ,cùm ejuſdem ſit conditionis & qualitatis.

CAPUT XX.

Ut ſaltem unus Parochus parochiæ perſonaliter interſit.

ITEM quia nunciatum eſt,propter abſentiam Parochorum, vel quòd iſti procul ab Eccleſia parochiali cui inſerviunt,habitent, parochianos nannullam animarum ſuarum jacturam pati, eo quòd non poſſint refici ſacramentis in caſu neceſſitatis; ſtatuimus propterea & ordinamus,ut in Eccleſia in qua fuerint plures ſacerdotes deputati ad curam animarum, ſaltem unus reſideat in Parochia: ubi autem fuerit unicus Parochus,ille reſideat in Parochia ſub pœna ſuſpenſionis ab officio.

CAPUT XXI.

Quòd ſacriſtæ onus habeant ſcribendi Miſſas cappellaniarum.

ITEM quia hactenus plures intervenere defectus in ſervitio cappellaniarum,tam quia in pluribus locis Miſſæ non ſcribebantur, quàm etiam quia ubi notabantur omiſſiones, patronus vel ipſe ad quem ſpectabat ſolvere, ſibi adrogabant; unde non erant in ſuffragium animarum pro quibus Miſſæ celebrari debebant; ſuper his igitur providere volentes de opportuno remedio, jubemus ut in poſterum ſacriſta cujuslibet Eccleſiæ onus habeat notandi omnes Miſſas quæ in illa Eccleſia celebrantur, & habeat pro ſalario centum morapetinos pro qualibet cappellania integra per totum annum. Volumuſque ut propter iſtos centum morapetinos vel ratam illorum, auferantur ſingulis annis quinque Miſſę ex qualibet cappellania integra, quandoquidem pretium illarum deducitur pro ſalario quod dari debet per quamlibet cappellaniam. Item volumus ac ſtatuimus, ut talis ſacriſta teneatur rationem reddere viſitatori ſemel in anno, vel ſæpiùs,ſi ſæpiùs viſitaverit talem Eccleſiam, de omnibus omiſſionibus per tales cappellanos commiſſis, ut decernat quid fieri debeat de diſtributionibus quæ pro talibus Miſſis,ſi fuiſſent celebratæ, ſolvi debebant. Et ſi ſacriſta fuerit repertus negligens in notando, amittat totum dictum ſalarium, & iſtud applicetur, fabricæ talis Eccleſiæ: & provideat deinceps viſitator ſuper his omnibus. Ac ne in exequutione error committatur, jubemus ut vicarius (ubi adfuerit) vel Parochus antiquior cujuslibet Eccleſiæ cum præfecto illius ultimâ die cujuslibet menſis vel aliâ die ſequenti videant dictas omiſſiones ex libro ſacriſtę, & illas in ſummam redigant,ac inſerant in ſcriptis, ut noſtri viſitatores illas exequi valeant. Quod compleant ſub pœna centum morapetinorum ab unoquoque ſolvendorum pro qualibet vice, pro una medietate applicandorũ fabricæ,& pro alia medietate accuſatori.

CAPUT XXII.

Ne diebus Dominicis & feſtis deferatur ſancta communio dum celebratur Miſſa ſolennis, nec conferatur ſacramentum Baptiſmi niſi in caſu veræ neceſſitatis.

ITEM quia ſæpè diebus Dominicis & feſtis dum populus eſt congregatus ad audiendum Miſſam ſolennem, & divinum officium, prout tenetur, Parochus extrahit è ſacrario corpus Domini noſtri ut deferat alicui ægroto, & idem populus ut illud inſequatur, prętermit-

mittit audire ſacrum, & nonnunquam ſine ullo remanet, cùm tamen illud audire teneatur; propterea providentes jubemus, ne deinceps dum celebrabitur Miſſa ſolennis, deferatur ſancta communio ad aliquem ægrotum, niſi in caſu veræ & certæ neceſſitatis: ſuper quo conſcientiam dictorum parochorum oneramus. Et in aliis caſibus volumus & præcipimus, ut ante & poſt dictam Miſſam ſolennem tanquam perſonæ prudentes & providæ illam deferant. Et quia etiam à baptizando dictâ horâ ſolet exoriri ſimile inconveniens, volumus & decernimus, ut hæc eadem conſtitutio locum habeat & obſervetor circa baptiſmum; quòd nempe horâ dictæ Miſſæ non adminiſtretur, niſi in caſu veræ & certæ neceſſitatis. Super quo conſcientiam Parochi talis Eccleſiæ oneramus.

CAPUT XXIII.

Ut apponantur tabellæ in Eccleſiis, in quibus deſcribantur nomina excommunicatorum.

ITEM quia ſicut ovis infecta conſuetudine inficit alias niſi ab illis ſegregetur, ita excommunicati damnum inferunt aliis chriſtianis, ſi per negligentiam ab eorum familiaritate non ſeparentur, & ipſi pariter non cognoſcunt ſuam infirmitatem, nec priſtinam valetudinem medelâ procurant; propterea nos ſuper præmiſſis providere volentes, ordinamus & ſtatuimus, ut tam in cappella Sancti Clementis iſtius noſtræ ſanctæ Eccleſiæ, quàm in omnibus aliis Eccleſiis parochialibus, tam hujus civitatis, quàm totius noſtri Archiepiſcopatûs, appendatur tabella in loco publico ubi omnes illam videre & legere poſſint, in qua jubemus deſcribi omnium nomina parochianorum, qui in tali Parochia denunciati fuerint excommunicati, & cauſſam talis excommunicationis, ſive ſit occaſione æris alieni, ſive concubinatûs, ſive quia ducant vitam communem innupti, ſive propter quamlibet aliam cauſſam, cum expreſſione cujuslibet qualitatis excommunicationis. Præcipimuſque illi qui fuerit hebdomadarius ſub pœna excommunicationis, ut omnibus diebus dominicis & feſtis tempore Miſſæ ſolennis illos denunciet per dictam tabellam excommunicatos clarâ & perſpicuâ voce, ut populus illos pro talibus agnoſcat, & ſe ſeparet, & fugiat eorum conſuetudinem ac familiaritatem, ipſique majori cum diligentia beneficium abſolutionis procurent. Et quia iſti excommunicati, quum ita ſe vident denunciatos, ſe conferunt ad audiendum Miſſam & Officia divina ad Eccleſiam cathedralem vel monaſteria; jubemus Parochis ut notificent prædictis, & prioribus ſeu cuſtodibus monaſteriorum illos qui ſic ſunt excommunicati, ut ubique vitentur.

CAPUT XXIV.

Quomodo agere oporteat cum illo qui abſolutus reincidit.

ITEM circa hunc caſum ordinamus & ſtatuimus, ut quando aliquis fuerit abſolutus ad reincidentiam, deſcribatur in dicta tabella dies in qua abſolvitur ſub reincidentia, & pariter id notificetur populo, ut liberè poſſint cum illo converſari & tractare uſque ad reincidentiam; & ſi reinciderit, iterum denuncietur ſicut antea, donec in totum beneficium abſolutionis obtinuerit.

CAPUT XXV.

De clauſura obſervanda ab illis qui recluduntur.

ITEM quia novimus quòd tam in Eccleſiis hujus civitatis, quàm in tota noſtra diœceſi adſunt plures clauſuræ, in quibus hactenus non fuit obſervata debita recollectio, quòd ſcandalo eſt, & poſſet eſſe damno conſcientiis nonnullarum clauſarum & aliarum perſonarum. Propterea de remedio providere volentes, jubemus ut in poſterum ſic remaneant clauſæ, ut nec ipſe foras exeant, nec alia perſona ſive vir ſive fœmina, cujuſvis ſtatûs & conditionis, illò ingrediatur abſque noſtra ſpeciali licentia & mandato. In quo caſu volumus ut nullus ex noſtris officialibus diſpenſare valeat, niſi ad hoc ſpeciale noſtrũ mandatum exhibuerit. Si verò aliquis ingreſſus fuerit, vel aliquis recluſus ſeu recluſa foras exierit, ex nunc pro tunc, & tunc pro nunc pronunciamus ſuper eo ſententiam excommunicationis majoris; & ulteriùs volumus, ut talis recluſa perpetuò talem clauſuram amittat.

CAPUT XXVI.

Ne quis deferat barbam promiſſam luctûs cauſâ ultra duos menſes.

ITEM quia juxta ſententiam Sancti Anaſtaſii Papæ, illi ſoli habent juſtam doloris & mœroris cauſſam propter obitum conſanguineorum vel amicorum, qui non credunt, neq; ſperant mortem eſſe tranſitum ad vitam beatiorem; & Apoſtolus Paullus dicit, neminem debere mœſtitiâ affici propter illos qui ex hac vita migrant: & ut inquit divus Hieronymus, Redemptor noſter non flevit ſuper Lazarum quia erat mortuus, ſed quia ad hanc miſeram vitam redire debebat; ac denique quia quamplures in hoc noſtro Archiepiſcopatu Dei & ejus ſalutaris doctrinæ immemores, profundi doloris ſigna præſeferunt; præſertim verò deferendo barbam promiſſam, & crines per diuturnum tempus; adeò ut cum hic ſit ritus & conſuetudo noſtræ ſanctæ Fidei Catholicæ hoſtium, in viis & locis in quibus non cognoſcuntur, diſcerni ægrè poſ-

ſit

ſit an ſint Mahometani, an verò Chriſtiani. Propterea nos decreta & ordinationes ſanctæ matris Eccleſiæ ſequentes, ſtatuimus & jubemus, ut in poſterum nullus fidelis cujuſvis ſtatûs & conditionis exiſtat, propter obitum patris, matris, uxoris, vel filii aut filiæ, ſeu domini, conſanguinei, amici, vel cujuſvis alterius, deferat barbam promiſſam ultra duos menſes ad ſummum à die quâ talis pater, vel mater, aut uxor, ſeu filius vel dominus, aut conſanguineus obierit. Et ſi elapſo dicto termino, vel unico die illam detulerit, ipſo facto volumus illum haberi pro excommunicato excommunicatione majori, & talem denunciari, & expelli à conſortio fidelium.

CAPUT XXVII.

Qui abuſus ſint vitandi in trigenariis.

ITEM quia reperimus nonnullos errores & abuſus in recitandis trigenariis, vulgò *Revelados*; ſcire oportet quòd illi qui recitant, adeò clauſuram obſervant, ut nec pedem extra portam Eccleſiæ porrigant. Quodque deplorabilius eſt, aliquando hebdomadarius omittit celebrare Miſſam diei, ut celebret illam, quæ eſt in ordine triginta Miſſarum celebrandarum. Et quia clauſura tali caſu non fuit ſolita, niſi quia conſuetudo populi affert diſtractionem ſpiritûs, & materiam peccati miniſtrat, quando non eſt ad exercenda opera pietatis (quando enim exitus ab Eccleſia ad honeſtum finem dirigitur, tunc auget gratiam, & meritum ſacerdotis coram Deo) propterea nos quorum intereſt ejuſmodi ignorantiæ tenebras diſſipare; præcipimus, ut in poſterum propter talem recollectionem ſeu clauſuram nullus ſacerdos prætermittat adminiſtrare ſacramenta extra Eccleſiam in caſu neceſſitatis, vel audire conciones, vel accedere ad amicitias nonnullorum reconciliandas ſi ex aliquo diſſidio poteſt oriri ſuſpicio ut exurgat ſcandalum, nec omittat accedere ad ſuum Præſulem ſi vocatus fuerit. Quæ omnia non ſolùm in talibus caſibus fiunt ſine peccato, ſed etiam cum ingenti merito. Si autem plebeji & idiotæ id mirentur, per ſacerdotes de erroribus ſuis admoneantur, non autem inſequantur. Et quia, quemadmodum ſuprà in alia conſtitutione, prout de jure, ſtatuimus Miſſam propriam diei non poſſe omitti propter trigenarium, vel aliquam devotionem; decernimus etiam ut hebdomadarius non poſſit in ſe ſuſcipere onus celebrandi Miſſam trigenarii, vel aliquam aliam Miſſam votivam niſi ſubſtituerit aliquem qui pro ipſo inſerviat per hebdomadam, ſub pœna amiſſionis portionis ſuæ obventionum totius hebdomadæ.

CAPUT XXVIII.

Qui abuſus vitandi ſint in Miſſarum votivarum celebratione.

ITEM quia audivimus, nonnullas perſonas tam viros quàm mulieres, cum ſimplicitate petere ſibi celebrari quaſdam Miſſas dictas Sancti Amatoris, & alias vulgò *del Conde*, atque alias ſancti Vincentii cum quinque, ſeptem, aut novem cereis, credentes quòd tales Miſſæ non eſſent efficaces ad finem ſuum, niſi celebrarentur cum tali numero, & aliis ſuperſtitionibus tam in colore cereorum, quàm in collocando illos conjunctos, vel in forma crucis, & aliis vanitatibus quas diabolus procurat immittere, ſub ſpecie boni propoſiti & operis; agnoſcentes quòd modicum ſimilis fermenti vanitatis corrumpit totam maſſam boni operis; propterea nos tollere ac radicitùs evellere ſimiles ſuperſtitiones optantes; præcipimus ſacerdotibus ſub pœna excommunicationis, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ne admittant vel exequantur ſimiles, ſtultas magis quàm pias, petitiones, ſed celebrent Miſſas prout celebrare ſolent alias abſque aliqua innovatione vel inventione. Et ſi voluerint celebrare Miſſas cum quodam numero cereorum ad honorem & reverentiam myſteriorum quæ ſancta mater Eccleſia colit, & habet in veneratione, videlicet cum tribus cereis ad honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, vel quinque ad honorem quinque ſtigmatum, vel ſeptem ad honorem ſeptem donorum Spiritûs ſancti, vel novem ad reverentiam novem menſium, non propterea perturbent devotionem fidelium, omnibus aliis ſuperſtitionibus & vanitatibus prætermiſſis.

CAPUT XXIX.

Declaratio à dicto D. Cardinali edita circa eleemoſynas & jura quæ percipere debent ſacerdotes & ſacriſtæ, juxta antiquam conſuetudinem hujus Archiepiſcopatûs.

PRIMO ſi aliquis parochianus cujuſdam Eccleſiæ ſepeliri ſe jubet in alia Eccleſia parochiali, omnia præcipua officia teneant clerici Parochiæ cujus erat parochianus, & oblationes dividantur æqualiter inter clericos utriuſque Eccleſiæ: & ſi noluerint clerici ſic facere, illas percipiant obedientes: & recitare debent ſuum officium. Primò Litanias integras, & vigiliam, ac Miſſam cum cantu *de requiem*, ac ſuis reſponſoriis. Et dicti clerici ad quos ſpectabat defunctus, percipere debent centum quinquaginta morapetinos. Quod intelligi debet ſi talis defunctus habuerit bona ex quibus fiat ſatis.

Item pro novem-dialibus, & Miſſis novenarii, ac reſponſoriis, & pro adeundo ſepulturam ſingulis novem-dialibus clerici Eccleſiæ in qua adeſt ſepultura, & ſepultus defunctus, percipere de-

debeant centum quinquaginta morapetinos pro ſuo labore.

Item quando aliquem parochianum contigerit ægrotare in propria parochia, vel extra eam, habentem domum habitationis in qua eſt parochianus, & ſi omnino non fuerit mutatus in aliam parochiam, & ducitur ad curandum vel inſerviendum ad aliam parochiam, & evenerit obitus talis ægroti; quòd præsbyteri parochiæ cujus eſt parochianus & habet habitationem, & aliquid de ſuis bonis, accedant ad parochiam ad quam fuit translatus, & illum deferant ad ſepeliendum ad Eccleſiam in qua talis defunctus habuerit ſepulturam, petitâ priùs licentiâ à præsbyteris parochiæ in qua obiit: & nullus parochus ingrediatur parochiam alterius ad adminiſtrandum Sacramenta ſine licentia, & pro recitatione & celebratione integri officii percipere debent pro ſuo labore (prout prius dictum fuit) centum quinquaginta morapetinos.

Item ut quando aliquis parochianus decedit, & jubet ſepeliri in monaſteriis intra muros civitatis, præsbyteri dictæ parochię pro delatione corporis, & celebratione officiorum primariorum (prout dictum eſt) percipiant ducentos morapetinos, & quartam partem oblationum: prout infrà dicetur in capitulo ſequenti.

Item quando aliquis parochianus obierit, & ſepeliri juſſerit in monaſterio Religioſorum vel in Eccleſia ſita extra hanc civitatẽ & mœnia illius, ſi ſit ad Sanctum Auguſtinum, Sanctum Bernardum, vel ad ſanctam Trinitatem, præſbyteri dictę parochię percipiant ratione laboris trecentos morapetinos, & dicant prima officia, videlicet litanias, vigiliam, & Miſſam, & ulteriùs percipere debeant dicti clerici pro novenario, initio anni, & novem-dialibus trecentos morapetinos.

Item quando aliquis parochianus decedit, & ſepeliri jubet in ſepulturis apud Sanctum Iſidorum, vel Sanctum Hieronymum, ſeu monaſterium Portę-celi nuncupatum; quia procul diſtat, clerici dictæ parochię percipere debeant pro ſuo labore, apud Sanctum Iſidorum ſexcentos morapetinos; in aliis verò monaſteriis quingentos morapetinos, & celebrare debent prima officia, ut dictum eſt. Circa oblationes autem quæ offeruntur in dictis monaſteriis pro iiſdem defunctis, videlicet, pecuniæ, panis, vini, vel ceræ; de omnibus dicti clerici percipiant quartam partem. Idemque eſt circa defunctos parochianos qui relinquunt poſſeſſiones pro celebrandis cappellaniis in dictis monaſteriis poſt eorum obitum: quod dicti clerici beneficiati dictarum Eccleſiarum parochialium percipiant quartam partem de his quæ reliquerint illi, qui ſepeliuntur in dictis monaſteriis, & pariter percipiant pro ſepultura quartam partem eleemoſynæ.

Item, ut in novem-dialibus exequiis, & initio anni, quando celebrantur in civitate in quacumque parochia, clerici ſeu præsbyteri hujus parochiæ debeant recitare officium duplex, & percipere pro ſuo labore ut in die ſepulturæ pro quolibet officio.

Item à parochianis qui ſepeliuntur in dictis monaſteriis, pro ſepulturis ad Sanctum Iſidorum & Sanctum Hieronymum, pro novenario, exequiis novem-dialibus, ac initio anni, quorum officia ſunt duplicia, clerici dictæ parochiæ percipere debent (quum in teſtamento fieri jubent) pro quolibet officio prout dictum eſt die ſepulturæ.

Item, ut nullus parochus, nec alius clericus matrimonio quempiam conjungat, nec defunctum ullum ſepeliat, qui ſit alterius parochiæ, ſive ſit parvulus, ſive adultus: quia fieri poteſt ut non fuerit baptizatus, vel ſit Mahometanus, & niſi in locum ſub dio poſitum projiciatur cadaver, ſuperveniet error ſi ſepeliatur in Eccleſia. Et quando tale quid evenerit, notificetur parocho Eccleſiæ cujus fuerit parochianus. Qui autem præmiſſis contravenerit, ſolvat centum morapetinos in pœnam, & det clericis quadraginta morapetinos, & ſacriſtæ decem.

Item quandocumque vocati fuerint cappellani ad comitandum cadaver alicujus defuncti, & Miſſam celebraverint, ipſis pro diſtributione, ratione laboris aſſumpti in comitando cadavere, & quòd officiis interfuerunt ac ſepulturæ, & celebrando, dentur triginta morapetini. Si verò Miſſam non celebraverint, eis dentur viginti morapetini. Quòd intelligitur intra civitatem. Si autem vocati fuerint ad Sanctum Bernardum, vel Sanctum Auguſtinum, vel Trinitatem, dentur eis quadraginta morapetini. Si verò ad ſepulturas, vel ad Sanctum Hieronymum, vel Porta-cœli, ſexaginta morapetini, & ſi ad Sanctum Iſidorum, octoginta morapetini. Quando autem exequiis interfuerint, idem accipiant. Et ſi ad feſtum, dentur unicuique viginti morapetini. Et clerici qui ſic fuerint rogati ad præmiſſa, ſint præsbyteri.

Item ſi aliquis pauper obierit, nec habuerit quid dare clericis pro eleemoſyna, dicti clerici illum ſepeliant honorificè, & celebrent officia integrè & gratis in dicta parochia in qua obierit.

CAPUT XXX.

De ſacriſtis.

ITEM circa ſalarium quod ſacriſtæ percipere debent ex Officiis. Primò quando aliquis obierit, percipiant pro campanis & thuribulo quindecim morapetinos; ſi autem plura thuribula popoſcerint, pro quolibet percipiant octo morapetinos. Et quando convocaverit nonnullos cappellanos, percipiat ab unoquoque duos morapetinos; & ſi fuerint in numero octo, percipiat quantum unus ex cappellanis. Et quando adfuerit aliquod novenarium, in quo pulſari debeãt campanæ, & uti debeant thuribulo, ipſi dentur triginta morapetini, & quando convocabit clericos, conſulat ſuos clericos. Et ſi deferant corpus ab una parochia ad aliã, tunc dimidia pars cleri-

corum sit de una Ecclesia, & alia dimidia sit alterius Ecclesiæ cappellanorum qui fuerint vocati.

Item quando aliquis sepeliri jusserit extra civitatem, & ad Sanctum Bernardum, vel Trinitatem, vel ad Sanctum Augustinum, tunc sacrista percipiat pro campanis & thuribulo, & delatione crucis sexaginta morapetinos. Si verò fuerit ad sepulturas, vel ad Sanctum Hieronymum, vel monasterium Portæ-cœli, octoginta morapetinos, & ad Sanctum Isidorum centum morapetinos.

Item quando sacrista ornare debebit imaginem pro celebratione alicujus festi, & pro apponendis nonnullis ornamentis; ipsi dentur pro hoc, & pro festo viginti morapetini. Si autem non fuerint apposita ornamenta, dentur quindecim morapetini.

Item quando aliquis puer obierit, & parentes nollent celebrari facere officium, clerici teneantur illum adducere cum cruce, & uno saltem clerico recitando aliquod officium defunctorum: & si aliquid volent dare ratione laboris, illud recipiant, aliàs minimè petant.

AD laudem & cultum Dei imprimi jussit præsentes Constitutiones magnificentissimus & Reverendiss. Dominus licentiatus Gaspar Cervantes de Gaëte Provisor in sancta Ecclesia Hispalensi pro Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Ferdinando de Valdès Archiepiscopo dictæ civitatis Hispalensis, Inquisitore Generali in regnis Hispaniæ, atque à consiliis Majestatis Catholicæ &c. Quę fuerunt impressæ in domo Martini de Montes-doca, & fuerunt terminatæ die quarta mensis octobris anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.

FINIS.

ELOGIUM
PRÆDICTI CARDINALIS,

Ex Historia Pontificali Alphonsi Ciaconii cum additionibus recusa Romæ anno 1677. Tomo III. pag. 190.

DIDACUS Hurtadus de Mendoza, nobilis Hispanus, filius Innici de Mendoza, primi Comitis de Tendilla, alterius Cardinalis de Mendoza gentilis, ex Archiepiscopo Hispalensi Patriarcha Alexandrinus, tum absens Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ renunciatus, dictus est Cardinalis Hispaniæ. Decessit Matriti, seu apud Majoricam insulam Hispaniæ, annum agens quinquagesimum octavum suæ ætatis, die 24. Octobris anni 1502. cadaver translatum Hispalim jacet in illius urbis Cathedrali, in marmoreo sepulchro illi ab Innico de Mendoza fratre erecto cum hoc epitaphio:

Reverendissimo atque Illustrissimo D. Didaco Hurtado de Mendoza, quem clarissimum genus, insignis literarum scientia, inviolata in suos Reges fides, sanctissima æquitas in omnes, regalis munificentia in amicos & pauperes, ac ingens animi magnitudo & temperantia celeberrimum reddiderunt; nec non religio & pietas in Deum opt. max. Hispalensem Archiepiscopum, Patriarcham Alexandrinum, & Hispaniæ Cardinalem extulerunt.

Innicus Lopez de Mendoza Tendillæ Comes, garmanus natu major, Generalis Granatensis Regni Capitaneus, & Illiberitanarum arcium primus Præfectus, hunc fratri marmoreum tumulum satis majora merenti posuit.

Vixit annos LVIII. XIV. Octobris MDII. obiit.

Plura alia de illo vide in Annalibus Hispalensibus D. Didaci Ortiz de Zuñiga, ad annos 1485. 1486. 1500. & 1502.

CON-

CONCILIUM TOLETANUM PROVINCIALE COACTUM ANNO MDLXV.

In ejuſdem urbis templo Cathedrali Deiparæ Virginis Mariæ Aſſumptioni conſecrato: ſub SS. Dominis Pio IV. & Pio V. regnante invictiſſimo Rege noſtro Philippo II. præſidente Domino Chriſtophoro Roxas Sandoval Epiſcopo Cordubenſi.

D. CHRISTOPHORVS ROGIVS DE SANDOVAL, Dei gratiâ Epiſcopus Cordubenſis, ſacri Concilii Provincialis Toletani præſes, Reverendiſſimis Epiſcopis, & clero hujus provinciæ, ſalutem in eo qui eſt vera ſalus.

CUM Sator ille cœleſtis ſacerrimis doctrinis, quas à profundiſſimis illis paterni pectoris horreis adduxerat, agrum Eccleſiæ ſuæ tanquam probatis ſeminibus compleviſſet: jamque læta ſeges fidei, ſimul cum ſanctiſſimis moribus conjunctæ longè lateque per univerſum orbem ſuccreſceret; hoſtis humani generis tantam hominum felicitatem ferre non ſuſtinens, nunquam ab illis Eccleſiæ incunabulis ceſſavit ſuperſeminare zizania, & lucem clariſſimam Euangelii teterrimis errorum tenebris offundere. Nempe, ut ait Dominus, de naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque ferventis. Fervet nimirum in noſtrum exitium, & habet fiduciam ut influat Jordanis in os ejus. Proh dolor! jam penè majorem Eccleſiæ partem deglutivit, ſed nunquid obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Verùm ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël. Nemo poteſt eripere oves electas de manibus ejus. Nam qui tam noſtris, quàm priſcis temporibus decepti, ab unione Catholicæ fidei diſceſſerunt, licèt ex nobis prodierint, non erant ex nobis. Neque enim portæ inferi prævalere unquam potuerunt adversùs Eccleſiam Dei, quæ ſupra ſoliditatem petræ fundata oppugnari poteſt, corruere non poteſt. Et quidem navicula Petri ſemper diverſis errorum fluctibus à malignis ſpiritibus concitatis agitata eſt, ita ut penè mergeretur. Apoſtoli tamen, eorumque ſucceſſores Eccleſiarum Prælati, ſemper laboraverunt in remigando, atque Spiritu ſancto afflati convenientes, ſanctiſſimis decretis ſervaverunt. Id quod factum videmus Nicææ adversus Arium, Conſtantinopoli adversùs Macedonium, Epheſi adversùs Neſtorium, Chalcedone adversùs Eutychen. Quæ quatuor Concilia generalia Gregorius poſt quatuor Euangelia ſe recipere eſt profeſſus. Poſt hæc tamen aliæ Generales Synodi coactæ ſunt, ſuborientibus novis hæreſibus, aut veteribus reſurgen-

tibus. Extremis etiam hiſce noſtris temporibus ſingularis ille ferus Lutherus ab aquilone, unde panditur omne malum, ſingulari ſuperbiâ turgidus, ejuſque mores æmulatus qui dixit: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* Divinas humanaſque leges conculcans, ſedit in cathedra peſtilentiæ, rabidiſque dentibus ſuis (ideſt doctrina mordaci atque furibunda) vineam Domini Sabaoth vaſtare contendit; & ungulam equi (ideſt finem mundi) adorſus eſt, ut omnes aſcenſores ejus in tartari voragines præcipitet. Tantopere verò ſerpſit virus quod evomuit, ut juſto Dei judicio, propter ingentia noſtra crimina, permittente, bonam Chriſtianæ reipublicæ partem infecerit: integraque regna & provinciæ cum principibus ſuis, proceribus, & plebe, Catholicis inſtitutis nuncium remiſerint. Quid faceret pia & ſancta mater Eccleſia, intuens tot filios ſuos ab hac fera peſſima ejuſque ſequacibus devoratos, inque putrida viſcera nefandæ hæreſeos trajectos? Utique confugit ad ſolitum remedium. Convenerunt ergo paſtores ejus atque Doctores Tridenti, vidère de verbo hoc. Et ecce almum Spiritûs lumen cœlo delapſum pectora eorum tanto ſplendore perfudit, ut verè etiam in illis cernamus impletum quod Dominus Apoſtolis ſuis de paracleto promiſit: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Illo enim ſuggerente atque docente profunda, Scripturarum ſanctarum ingreſſi veritatem, Catholicam ſanamque doctrinam, tam apertè, tam dilucidè tradiderunt, tam graviter, tam fortiter demonſtraverunt, ut nemo ſapientiæ & ſpiritui, qui per eos locutus eſt, reſiſtere valeat. Ecce enim nobis produxerunt tabulas ab ipſis quidem deletas, à Dei autem digito exaratas atque conſcriptas, quibus recta fides & ſancta morum norma continetur. O verè ſacer conventus, qui conventicula Satanæ deſtruxit atque damnavit, Eccleſiam Dei priſtinæ pulchritudini & decori reſtituit, menteſque fidelium in fide Apoſtolica confirmavit! Nec tantùm præteritis malis finem imponere eſt conatus, ſed etiam futuris proſpicere. Perſpectum enim habens, pravos corruptoſque mores, & Paſtorum negligentiam lectum hæreſibus ſternere, præcepit ut Concilia Provincialia ſaltem tertio quoque anno celebrarentur, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus præmiſſis. Igitur favente Deo optimo maximo, reverendiſſimi Epiſcopi & Patres hujus provinciæ (juxta præſcriptum ſanctæ Generalis Synodi) Toleti convenientes, Concilium, cui nos (licèt indigni) præfuimus, celebraverunt: id etiam agente atque curante invictiſſimo & religioſiſſimo principe & domino noſtro, Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, cui tantus ardor conſervandæ rectæ fidei, tantus amor reſtituendi Eccleſiaſticas leges inſedit, ut meritò cum ſanctiſſimis illis Imperatoribus Conſtantino & Theodoſio Deo dilectis, conferri poſſit & debeat. Hi enim principes, tametſi maximo fidei zelo fervuerunt, nequierunt tamen à regnis ſuis nefandas hæreſes Arii, aliorumque hæreticorum extirpare. At noſtra Hiſpania hujus noſtri pii Regis ſtudio prudentiaque mirabili immaculatam fidem conſervat & tenet, cùm tamen pleraque regna finitima ab Apoſtolicis dogmatibus deſciverint.

2. Quantam verò lætitiam his diebus, cùm eſſemus in hac urbe congregati, pietas ejus exhibuit! quem hiſce oculis aſpeximus, ſacras reliquias Eugenii Martyris, primique hujus Metropolitanæ ſedis Antiſtitis, quas è Gallia deferendas curaverat, ſuis ulnis, ſimul cum chariſſimo ejus filio Carolo principe ac domino noſtro, in hanc matricem Eccleſiam intuliſſe. Quidnî Epiſcopi gauderemus, reliquias ab hæreticis in hac tempeſtate contemptas, tanta veneratione ſuſceptas, tanta religione & pietate à Rege potentiſſimo deportatas? Favente ergo tanto Rege, & ſuis literis Patres hortante, ut eas leges conderent, quæ maximè reipublicæ Chriſtianæ conducerent; cœpit Concilium celebrari ſub ſanctiſſimo domino noſtro Pio Papa IV. fel. record. ad finem autem eſt perductum ſub ſanctiſſimo domino noſtro Pio Papa V. qui nunc à Deo optimo maximo Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. In quo divina deliberatione, ſolicitaque diſcuſſione præmiſsâ, decreta ſunt quæ noſtræ provinciæ juxta Canonicas ſanctiones utiliora commodioraque fore putavimus. Quâ in re nec nobis ipſis pepercimus, ſed eas leges condidimus, quæ non

modò

modò gregem in officio Eccleſiaſtico continerent, ſed etiam Epiſcopos ad ea præſtanda conſtringerent, quæ dignitas eorum & cura paſtoralis expoſceret. Sed quid profuerit utilia præcepta ſanxiſſe, ſi negligantur ? aut (quod magis dolendum eſt) contemnantur ? ſi plerique, non jam factores, ſed judices legis inſurgant, & venenati ſerpentis Diabolicam illam vocem uſurpent: *Quare præcepit vobis dominus ?* filii contumaces & perverſi, quibus omnis eſt diſciplina moleſta, & audiunt à Domino per Prophetam: *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti non ſerviam.* Quod ſi laïci extremâ etiam pœnâ digni cenſentur, ſi temporalibus Regibus ſuis in iis quæ ad corpora gubernanda præceperint, minus obtemperent: quibus, quæſo, ſuppliciis expiabitur clericorum quorumdam rebellis pervicacia, qui præcepta Patrum ſacrorumque Pontificum totis viribus infringere violareque nituntur ? Cumque clerici militum vicem gerant, Pontifices verò atque Epiſcopi Imperatorum, nî facto agmine contra poteſtates aëreas, ſæcularia quehominum vitia, & vitâ & verbis dimicemus, quamnam obſecro victoriam ſperabimus, ſi milites in acie hac Imperatoribus ſuis parere recuſent ? ſi ut hæretici, contentioſis litibus, ut acutiſſimis ſpinis obſiti, correctionem Synodi, Prælatorumque juſſa propellant ?

3. Certè Concilia Toletana, quæ ante nos celebrata noſcuntur, tantâ acceptatione digna ſunt habita, ut veluti ſacra oracula univerſa penè Eccleſia ſuſceperit: tantamque auctoritatem & fidem aſſecuta ſunt, ut & Summi Pontifices, & Concilia Generalia ea in fide confirmanda, & in moribus corrigendis, magna veneratione citare non dedignentur. Quibus meritò conjicimus, ſpiritum veritatis præcipuâ dilectione complecti, præcipuis favoribus proſequi conventus, qui in hac ſancta civitate præſentiâ etiam ipſius matris Domini conſecrata coguntur. Quòd ſi totus penè Chriſtianorum orbis tantum Conciliis Toletanis detulit, tantum tribuit, tanta aviditate ſuſcepit; pudeat clerum ditioni Toletanæ provinciæ ſubjectum, iis vel modicum reluctari, quæ noverit à tam ſancto fonte fluxiſſe. Confidimus autem de vobis, fratres, Parochi & Presbyteri Eccleſiarum, meliora & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur propter quoſdam, qui ut fortè non per oſtium in ovile ingreſſi ſunt, ſed aſcenderunt aliunde; ita clarè demonſtrant nullâ ſe Dominicarum ovium curâ teneri. Quos ſi ad reſidentiam, ſi ad miniſterium quod ſemel ſuſceperunt obeundum impuleris, protinus velut furiis quibuſdam agitati, univerſa præceptorum vincula conantur abrumpere. Porrò Epiſcopi hujus ditionis primi manus tam ſancto operi admovere debebunt. Meminerint verborum Chriſti, dum bonum Paſtorem deſcriberet in Euangelio, dicentis: *Cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadet, & oues illum ſequuntur.* Præcedet ergo Pontifex in omnibus quæ ad pietatem cuſtodiamque ſanctionum Canonicarum ſpectant. Alioqui quomodo oves ſequi, atque imitari poterunt paſtorem non præcedentem, ſed in diſidia otioque remanentem, & redditus tantùm corpuſque curantem ? Patere, ait ſapiens, legem quam ipſe tuleris. Pudeat, pudeat nos, ò Patres, ſi ſubditi meritò de nobis verbum illud Euangelicum obmurmurent: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Caveamus ne juſti quique & boni viri noſtras ipſas oves ad aurem moneant, & dicant: *Omnia quæcumque dixerint vobis facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere. dicunt enim & non faciunt.*

4. Patres, Apoſtolorum locum indigni peccatores tenemus: Apoſtolorum ergo vitam imitemur & actus, Apoſtolorum ſemper veſtigiis inſiſtamus. Agite ergo, Patres & fratres, jam aliquando reſipiſcamus, & vocationis noſtræ rationem habentes, ſedulò nos ad opus miniſterii accingamus, noſtramque provinciam ad ſanctos Eccleſiæ primitivæ mores, felicemque ſtatum totis viribus revocare conemur. Aderit Deus ipſe tam piis votis, & quod in hiſce decernendis operatus eſt, in nobis ſolitâ pietate & clementiâ confirmabit.

ACTIO I.

Concilii Provincialis Toletani in ejusdem urbis templo Cathedralis Ecclesiæ, Assumptioni Deiparæ Virginis Mariæ consecrato, celebrata die octava septembris, anno à Christo nato MDLXV. indictione octava, Pontificatûs sanctissimi domini nostri Papæ Pii IV. anno sexto: ac regni invictissimi Regis Philippi II. anno decimo,

DECRETUM
SANCTÆ SYNODI TRIDENTINÆ

De celebrandis Conciliis Provincialibus.

5. PROVINCIALIA Concilia sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendisque excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, renoventur. Quare Metropolitani per seipsos, seu illis legitimè impeditis, Coëpiscopus antiquior intra annum à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet saltem triennio, post octavam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittant Synodum in provincia sua cogere, quo Episcopi omnes, & alii qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis his, quibus cum imminenti periculo transferendum esset, convenire omnino teneantur. Nec Episcopi comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. Itidem Episcopi qui nullo Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, observent, atque observare faciant, in reliquis omnibus eorum exemptio & privilegia salva atque iutegra maneant. Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur: ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quàm Episcopi, & alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant.

6. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Sancta & Provincialis Synodus Toleti in Cathedralis Ecclesiæ templo Assumptionis immaculatæ Virginis Mariæ consecrato, auctoritate veterum ac Generalium Conciliorum, & sacrosanctæ Synodi Tridentinæ, sanctæ Sedis Apostolicæ, ac sanctissimi domini nostri Pii IV. Summi ac Romani Pontificis, & invictissimo domino nostro ac Rege Catholico Philippo Secundo consentiente & invitante, ad publicam hujus provinciæ utilitatem ac reformationem cleri & populi Christiani, ad pravos mores comprimendos, & ad alia extirpanda, quæ Christiano nomini nocuerunt, & nocere solent, legitimè congregata, præsidente in ea (juxta ejusdem Tridentinæ Synodi decretum) reverendissimo in Christo patre Cristophoro Cordubensi antiquiori Coëpiscopo, præsenti admodùm illustri domino Francisco à Toleto à Catholica Majestate misso, ut huic sanctæ Synodo ejus nomine interesset & assisteret, ac simul in ea convenientibus reverendissimis Patribus & Episcopis, Petro Seguntino, Didaco Segobiensi, Bernardo Conchensi, Honorato Oxomensi, & admodùm reverendo Didaco Abbate de Alcalà, quæ Regalis dicitur, ac procuratoribus hujus Metropolitanæ Sedis Toletanæ, Ecclesiæ capitulo, & ejusdem urbis clero, ac multis procuratoribus à Cathedralium Ecclesiarum capitulis, & clero hujus Metropolis ad eandem Synodum missis ac destinatis, lecto priùs publicè decreto sanctæ Synodi Tridentinæ de Provincialibus Conciliis celebrandis, ante omnia exemplum Patrum secuta, fidei confessionem præmittendam esse decernit, eamque præmisit, Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur totidem verbis exprimendo, in hunc qui sequitur modum.

SYMBOLUM FIDEI,
EJUSDEMQUE PROTESTATIO SOLENNIS.

7. CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium: Et in unum dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum: Et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas: Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus est judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

8. Apo-

8. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſimè admittit & amplectitur.

Sacram Scripturam, juxta ejuſdem ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia (cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum) admittit: nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiet & interpretabitur.

Profitetur quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta novæ legis à Jeſu Chriſto domino noſtro inſtituta ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria. ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium. illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolenni adminiſtratione, recipit & admittit.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſãcta Tridentina Synodo diffinita & declarata fuerunt, amplectitur & recipit.

Profitetur parirer in Miſſa offerri Deo verum, proprium, ac propitiatorium ſacrificium pro vivis ac defunctis: atque in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, unà cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam converſionem Catholica Eccleſia *tranſubſtantiationem* appellat.

Conſtanter tenet purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.

Sanctos confitetur unà cum Chriſto regnantes venerandos eſſe, eoſque orationes pro nobis Deo offerre: atque eorum reliquias venerandas eſſe firmiter tenet.

Imagines Chriſti ac Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, nec non aliorum Sanctorum habendas ac retinendas eſſe: atque iis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Poteſtatem indulgentias conferendi à Chriſto in Eccleſia relictam eſſe: illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmat.

Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem agnoſcit.

Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondet.

9. Cætera item omnia, quæ à ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè ab eadem ſacroſancta Tridentina Synodo, diffinita ſunt, tam in his quæ ad extirpandas hæreſes, quàm in iis quæ ad morum reformationem pertinent, ejuſdem ſanctæ Synodi decretum ſecuta recipit, & omnino recipienda ab omnibus eſſe decernit. Hereſeſque omnes ab iiſdem ſacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, & præſertim ab eadem ſancta Synodo Tridentina damnatas, deteſtatur & anathematizat.

10. Ceterùm cùm hujus ſanctæ Synodi ea ſit præcipuè cura & ſolicitudo, ut omnium mentes in ea dirigantur, quæ ad ſpiritualem ſalutem à Domino ac Deo noſtro Jeſu Chriſto impetrandam, magis conducant; utque divina majeſtas, quæ Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit, his qui ad eandem Synodum acceſſerunt dignetur tribuere gratiam, quo eorum Actiones Chriſtianæ reipublicæ ſalutares ſint, atque Apoſtolicis inſtitutis conveniant. Hortatur ſancta Synodus Epiſcopos omnes, Abbates, ſacerdotes, & quoſcumque alios, qui ad eandem ſanctam Synodum convenerunt, atque omnes in Chriſto fideles, ut pro ejuſdem Synodi optato exitu, ſaltem ſingulis ſextis feriis jejunent, aſſiduè in Dei laudes incumbant, preces offerant, ſacrificium Miſſæ peragant, non immemores in eiſdem piis operibus, precibus, & ſacrificiis, pro ſanctiſſimo domino noſtro Pio IV. & Catholico Rege ac domino noſtro Philippo, divinam majeſtatem orare, ut eis tranquillam vitam agentibus, ad victoriam adversùs Chriſtiani nominis hoſtes obtinendam, in hæreſibus extirpandis, & Chriſtiana republica ab infidelium invaſione defendenda atque amplianda, benigno ac propitio favore aſſiſtat.

11. Et ut omnia maturiùs ac conſultiùs abſque ullo ſtrepitu tractari queant, in ſententiis dicendis, in loco benedictionis conſidentibus Domini ſacerdotibus, juxta ordinem in Conciliis hac eadem urbe olim celebratis ſtatutum, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare: nullis etiam falſis vaniſque, aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quidquid dicatur, ſic mitiſſimâ verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

12. Eadem denique ſancta Synodus omnes & ſingulos ad eam accedentes certiones facit, in illuſtriſſimi ac reverendiſſimi Archiepiſcopi domo congregationes habendas fore, ut qui velit aliquid vel petere, vel proponere, quod publicæ ſit utilitatis, liberè id facere poſſit, atque eandem ſanctam Synodum rationem habituram eorum, quæ ad publicum commodum pertinere videbuntur.

Placent ne vobis, Patres reverendiſſimi, hæc decreta?

Omnes reſponderunt: placent.

Ego Chriſtophorus Epiſcopus Cordubenſis ſubſcripſi.

Ego Petrus Seguntinus ſubſcripſi.

Ego Didacus Epiſcopus Segobienſis ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus Epiſcopus Palentinus ſubſcripſi.

Ego frater Bernardus Epiſcopus Conchenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Honoratus Epiſcopus Oxomenſis ſubſcripſi.

Ego Didacus Abbas de Alcalà la Real ſubſcripſi.

ACTIO II.

DE REFORMATIONE.

Concilii Provincialis Toletani in ejuſdem urbis templo Cathedralis Eccleſiæ, Aſſumptioni Deiparæ Virginis Mariæ conſecrato, celebrata die Dominico Idibus Januarii, anno à Chriſto nato MDLXVI. indictione nona, Pontificatûs ſanctiſſimi domini noſtri Pii V. anno primo, ac regni invictiſſimi Regis noſtri Philippi II. anno decimo.

13. CUPIT adeò hæc ſancta Synodus veterum Canonum ad morum reformationem diſciplinam revocare, ut poſt Generalium Conciliorum decreta, ſanctiſſimorum Pontificum conſtitutiones, & Provincialium Synodorũ ſtatuta minimè cenſeat ſuperfluum eſſe, Epiſcopos omnes, ſacerdotes, & quoſcumque alios Eccleſiaſtici ordinis, necnon & laïcos ſui officii admonere: quo Chriſtianam pietatem verè ſectantes, digni illo nomine exiſtimentur, quod in ſacro baptiſmatis lavacro dederunt Chriſto Jeſu, in cujus cruce nos gloriari oportet. Reformationis verò initium ab his fieri decet, qui ad hoc conſtituti ſunt, ut præſint aliis: & tanquam facti formâ gregis illis exemplo ſint doctrinâ & moribus, eos docentes quonam pacto Chriſtianæ religionis inſtituta ſequi ac tenere debeant.

I.

14. Hortatur igitur primum Epiſcopos omnes, & per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obteſtatur hæc ſancta Synodus, ut decretum à ſacroſancta Tridentina Synodo de reſidentia Prælatorum, ad Chriſtiani populi ſalutem editum ſecuti, non ſolùm aſſiduâ præſentiâ, ſed & ſimul curâ & ſolicitudine diligenti miniſterium ſuum impleant, gregis ſibi commiſſi regimini verè aſſiſtant, atque in omnibus juxta Paulli Apoſtoli præceptum laborent, ejus reſidentiæ rationem apud Synodum hanc Provincialem teſtimonio publico reddituri, ut eadem Synodus prævio examine judicet, an ex cauſsa juſta quis ab ejus diœceſi & diſceſſerit, & abſens fuerit. Atque adversùs eos, qui contra decreti Tridentini diſpoſitionem abfuerint, pœnas ab eadem Synodo indictas, & præſertim eam quæ de fructibus pro rata temporis abſentiæ, fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus reſtituendis agit, abſque ulla indulgentia exequatur.

15 Nec enim quævis cauſſæ, quæ vel ad Chriſtianam charitatem, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, evidentem Eccleſiæ vel reipublicæ utilitatem cuiquam pertinere videbuntur, à reſidentia excuſare debent: ſed ea tantùm, quæ Superioribus diligentiſſimo examine, maturo judicio, exactâque cenſurâ ſic probata fuerit, ut verè ſeclusâ omni indulgentiâ, aliquâ ex prædictis ratione, dubio procul juſta ſit omnino cenſenda: atque ei utilitati, quæ ipſius Paſtoris præſentiam exigit, & quæ non poteſt non eſſe publica, ſit nihilominus præferenda.

16. Caveant tamen Epiſcopi, ne extra ſedem Cathedralis Eccleſiæ locum aliquem diœceſis ad continuè habitandum eligant: cùm ad totius diœceſis negotia commodiùs expedienda illic oporteat Epiſcopos habitare, ubi ſedes Epiſcopalis fuit conſtituta. Alioqui ſint Epiſcopi memores, eam reſidentiam neque Deo gratam eſſe, neque ſacris Canonibus conſonam: & ab hac Synodo potiùs abſentiam, quàm reſidentiam cenſendam fore.

II.

17. Vigilent Epiſcopi ſuper gregem ſibi commiſſum, ne eis dormientibus inimicus homo veniat, ac zizania ſuperſeminet; errores nempè doctrinæ, ac morum corruptionem. Quæ quidem frequenti viſitatione extirpanda ſunt, ne creſcant, & pereunte grege, ſanguis ovium ab eorum manibus requiratur, qui, juxta Prophetam & Apoſtolum, ſpeculatores à Deo conſtituti ſunt. Viſitent ergo Epiſcopi per ſe vel per alios proprias diœceſes, omnino ſervantes quæ à ſacroſancta Synodo Tridentina ſtatuta ſunt: modò per ſeipſos quolibet anno ſaltem tribus menſibus continuis, aut interruptis, quam poſſint commodè, diœceſeos partem extra Cathedralis Eccleſiæ locum viſitare teneantur. Neque excuſentur ab hac perſonali viſitatione quovis impedimento, quod alioqui benignâ quadam indulgentiâ ſolet admitti; ſed eo tantùm, quod neceſſitate quadam ſic urgeat, ut niſi maximo cum detrimento vel publicæ, vel propriæ ſalutis, ſpiritualis vel corporalis, per ſeipſos eam viſitationem exequi non valeant: apud hanc provincialem Synodum de eo fidem facturi, ejuſque judicium eâ de re ac cenſuram non qualemcumque, præter divinam ultionem, ſubituri. Cùm & Dominus apud Ezechielem Prophetam capite triceſimo quarto duriſſimè Epiſcoporum negligentiam in hoc viſitationis munere exercendo increpet, dum inquit: *Super omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret. Non erat, inquam, qui requireret.* Viſitatio verò Eccleſiarum, & earum rerum, quæ ad templorum majeſtatem & ornamentum pertinent, fieri debet eâ adhibitâ ſolennitate, quæ à libris Pontificalibus, & his ſimilibus traditur, ad populorum animos per hæc exteriora, ad ea quæ interiora ſunt, excitandos.

III.

18. Sed & illud maximè Epiſcopi meminerint, quantum ad decorem dignitatis Pontificiæ attineat, eos domi familiares habere & alere, qui vitæ integritate & doctrinâ cæteros antecellere conentur: quique ſic inſtituti ſint, ut

ipſis

ipsis Episcopis in ministerio proprii muneris adesse possint, & veræ honestatis exemplo quoscumque alios ad sincerum, sobriumque, & castum vivendi modum inducere valeant.

Sit & Episcoporum ita modesta supellex, ut nec auro contexta, nec aureis telis filisve ornata, extra altaris & Ecclesiæ ministerium, servire debeat. Hospites verò, quicumque hi futuri sint, cùm ad Episcoporum domum venerint, sciant se fore ad Episcoporum, non ad principum sæcularium, aut Regum hospitium recipiendos. Nam quantò digniores hospites fuerint, tantò magis oportet, Episcopum eos modestiæ & decoris Pontificii testes habere.

19. Quin & exemplo Episcopi esse debent laïcis, utcumque illustribus, ut & hi ab immoderatis sumptibus qui temerè ac frequenter in nimium splendidis supellectili mensâque maximo cum patrimoniorum, ac totius reipublicæ detrimento fieri solent, prorsus abstineant. Nec sancta Synodus eos sumptus probandos esse censet: immò Catholicam majestatem hortatur in Christo, eique supplicat, ut in his abusibus extirpandis, regio ac Christiano imperio uti velit.

20. Mensæ verò frugalitatem sic à sanctis Patribus & Canonibus commendatam esse videt sancta Synodus, ut non possit non dolere graviter, eas delicias in Episcoporum mensas irrepsisse, quæ jure possent à laïcorum mensis, ut cumque splendidis, ablegari. Proinde sint memores Episcopi divinam majestatem non leviter offendi, dum non paucis pauperibus, qui ob egestatem & famem vitæ periculum experiuntur & expectant, ex his subveniri posset, quæ mensis Episcoporum contra indictam à Canonibus frugalitatem maxima cum ignominia veri splendoris apponuntur. Sit igitur Episcoporum mensa sacræ Scripturæ, librive alterius Ecclesiastici lectione, doctorum piorumque virorum confessu splendida: ab eaque procul quævis profana colloquia, & argumenta cujusque turpitudinis absint: ac prorsus eorum ferculorum eliminetur splendor, qui falso cujusdam decoris nomine se mensis Pontificum ingessit. Sit denique frugalis Episcoporum mensa. Non plura quàm tria, aut ad summum, si convivarum conditio id postulet, quatuor, præter olera & simplices arborum fructus, fercula apponantur. Episcoporum siquidem auctoritas non his deliciis, vanisve splendoribus, sed fide ac vitæ meritis quærenda est. Si quis verò in his, quæ hoc decreto prohibentur, aut eorum quolibet, excessisse fuerit convictus, à Synodo Provinciali juxta excessûs qualitatem, pecuniariâ multâ piis operibus applicandâ, puniatur.

IV.

21. Curent Episcopi, ut eorum familiares, ac domestici, præmissâ peccatorum confessione, saltem diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ Virginis Mariæ, sacram Eucharistiam sumant: scientes, non ipsos tantum familiares, sed ipsosmet Episcopos graviter increpandos, si eorum domestici, moribus & pietate Christianâ non fuerint aliis manifesto ad vitam instituendam exemplo.

V.

22. Episcopi, quò faciliùs in Synodo Provinciali rationem muneris sibi commissi reddere possint, & ea impedimenta vitari queant, quæ sacrosancti Concilii Tridentini executionem (quod absit) impedire contigerit, librum habeant, in quo omnes parochiales Ecclesiæ propriæ cujusque diœcesis, earumque rectores nominatim scribantur: quique ex eis per seipsos, quique per vicarios eisdem Ecclesiis serviant, ratione expositâ, quo titulo easdem Ecclesias obtinuerint; & qua ex caussa à residentia absentes fuerint excusati, aut quo impedimento ad serviendum per seipsos cogi non potuerint, & quibus modis adversùs non residentes actum sit, ad Tridentini decreti executionem. Habeant & librum alium, in quo cujusque diœcesis visitatio, quæ per ipsos Episcopos, & per eorum visitatores facta fuerit, in summa contineatur: subscribaturque ab ipsis Episcopis, vel visitatoribus, & eorum notario: ut saltem ex eo apud Provincialem Synodum constare possit, quæ Ecclesiæ fuerint ab Episcopis, vel eorum visitatoribus visitatæ.

VI.

23. Diœcesana Synodus ab Episcopis quolibet anno celebretur, ut non solùm oves ipsis commissas visitatione pastores cognoscere possint; sed & ea statuere, quę ad inferiorum rectorum segnitiem vitandam necessariò viderint expedire: & ad ipsarum ovium pastum salutarem conducere valeant: non obliti in prima Synodo, eos omnes qui eidem interesse debent admonere, & si fuerit opus cogere, ut sacrosanctam Tridentinam Synodum, quemadmodum ejus decreto constitutum est, omnino recipiant.

VII.

24. Episcopi & eorum visitatores, eo tempore quo visitationis munus exercent, nihil prętер id quod ratione visitationis jure debetur, etiam ab sponte dantibus accipiant, etiamsi id esculentum fuerit aut poculentum: non solùm ab ipsis clericis, vel ab Ecclesię œconomo, sed nec ab ipsa plebe quæ visitatur aut visitanda est. Alioqui ad dupli restitutionem juxta Tridentini Concilii decretum teneantur: eaque restitutio fabricæ illius Ecclesiæ fiat, quę eo tempore visitabatur.

VIII.

25. Epiſcopi in Eccleſiarum Cathedralium viſitatione ſolicitè curent, ut ipſarum Eccleſiarum ſtatuta, quæ alioqui diſperſa oblivioni tradi ſolent, & in deſuetudinem abire, in unum volumen redigantur: & ſi quæ emendatione indigere videbuntur, juxta Canonicas ſanctiones, & juris ordine ſervato, emendentur: atque omnia publicè in Capitulo, ſaltem quolibet anno ſemel, tempore ab eodem Epiſcopo conſtituto, omnibus Canonicis præſentibus legantur.

IX.

26 Metropolitanus, Epiſcopi, & alii quicumque inferiores Ordinarii, quibus Eccleſiaſtica juriſdictio quocumque jure competit, non alios poſſint conſtituere proviſores, aut vicarios, quàm eos, qui vel ſacerdotes ſint, vel intra ſex menſes ab ea die quâ juriſdictione ſibi commiſſa uti cœperint, ad ſacrum ordinem, & intra annum ab eadem die numerandum, ad ſacerdotium promoveri poſſint. Quòd ſi intra id tempus ad dictos ordines promoti non fuerint, officio & munere ipſo jure privati, eo nullo modo uti valeant, nec utantur. Viſitatores verò ſint omnino ſacerdotes, nec aliàs viſitatorum officio uti poſſint, nec ad id admittantur.

X.

27. Proviſores & vicarii, ubi ex delegatione Apoſtolica de quibuſcumque cauſſis eos cognoſcere contingat, nihil etiam ab ſponte dantibus, aſſeſſoris ratione ac titulo accipiant, immò in ſportulis recipiendis, tam ipſi quàm notarii cauſſarum nihil aliud exigant nec accipiãt, quàm quod ex publico ejus tribunalis inſtituto, jure ordinario aliorum actorum ratione exigere poſſunt, & accipere. Quicquid verò contra hujus decreti prohibitionem exactum aut acceptũ fuerit, his qui dederunt reſtituatur; & qui receperint arbitrio ſuperioris puniantur.

XI.

28. Fiſcales ab Epiſcopis hi deputentur qui ſacerdotes ſint, vel intra ſex menſes ad ſacrum ordinem, intra annum ad ſacerdotium promoveri poſſint, & promoveantur. Alioquin ad uſum proprii muneris nequaquam admittantur.

XII.

29. Promotor fiſcalis apud Eccleſiaſticum judicem neminem deferat, ut ex ejus delatione inquiſitio fiat, niſi quem legitima ac frequens gravet infamia: neque ex ea delatione judices inquirere audeant, immò priuſquam ad inquiſitionem procedant, diligenter curent inveſtigare an ea infamia à malevolis, an à probis & honeſtis orta fuerit. Quòd ſi promotor fiſcalis quemquam accuſare velit, eo caſu, quo jure accuſatio ei ſit permiſſa; accuſatoris officio functus eas leges ſequatur, quę publicis accuſatoribus, hiſve quibus juris publici ratione accuſare permittitur, jure vel conſuetudine latę fuerint. Sed ſi accuſatus ab accuſatione fuerit abſolutus; nullo modo is in expenſis condemnetur: immo fiſcalis, ſi temerè eum accuſare conſtiterit, non ſolùm expenſarum ſolutione, ſed & aliâ pœnâ, judicis arbitrio, propter accuſationis temerariç calumniam omnino puniatur.

XIII.

30. Epiſcopi ſaltem quolibet menſe carceres (quos ad reorum cuſtodiam opportunos habere debent) ipſoſque reos illic detentos viſitare per ſeipſos, ſi præſentes in eodem loco ſint, teneantur.

XIV.

31. Pœnę pecuniariæ, ſi quando à judicibus ordinariis juxta rationem delicti, vel delinquentis qualitatem eas imponi contigerit, in pios tantùm uſus, & pro executione juſtitię, non pro privata Epiſcoporum utilitate expendantur arbitrio Epiſcopi, vel ejus vicarii. Deputeturque ab eodem Epiſcopo, qui eaſdem pœnas recipere debeat, earumque rationem reddere teneatur.

XV.

32. Notariorum Eccleſiaſticorum, promotoris fiſcalis, publici executoris, & aliorum officia quorumcumque, qui juriſdictionis Epiſcopalis, & aliorum inferiorum miniſterio operam dare tenentur, nullo modo vendantur: nec ob aliud quodcumque lucrum dentur temporale. Dentur autem hæc officia gratis his, qui ſint idonei ad eorum munus exercendum, quique per ſeipſos illis ſervire debeant, ac teneantur. Nec ullo unquam tempore qui hæc officia ab Epiſcopis, vel Ordinariis quibuſcumque, etiam inferioribus gratis obtinuerunt, illa vendere vel locare poſſint, nec in alios recepto aliquo temporali lucro transferre; vel in eorum favorem illis renunciare. Alioqui ſi quis contra hoc decretum fecerit, temporale lucrum nequaquam acquirat. Immo illud etiam in conſcientię judicio fabricæ Cathedralis Eccleſiæ reſtituere teneatur; & qui officium fuerit aſſequutus illo privetur. Stipendia autem, quę pro labore notarii & alii miniſtri Eccleſiaſtici tribunalis habere debeant, Epiſcopi in diœceſanis Synodis certis quibuſdam limitibus moderentur, eaque moderatio ad primam Provincialem Synodum approbata deferatur.

XVI.

33. In diœceſanis Synodis, & earum qualibet, quæ poſt hanc Provincialem primò celebrabuntur, de augendo ac diminuendo notario-

riorum numero ubi viſum fuerit expedire, ſic tractetur, ut in Metropolitano tribunali non plures quàm octo, in aliis verò non plures quàm ſex juriſdictionis Eccleſiaſticæ miniſterio ſervire poſſint. Ubi verò plures ſunt ad hoc miniſterium deputati, cùm primùm coram officia quocumque modo vacaverint, prorſus ſupprimantur.

XVII.

34. Vicarii, proviſores, viſitatores, promotor fiſcalis, & alii quicumque Eccleſiaſtici & ordinarii tribunalis, Metropolitani, Epiſcoporum, & aliorum inferiorum miniſtri, etiam hi judices, qui ad audiendas appellationum cauſsas à Metropolitanis, & aliis ſuperioribus deputantur quolibet triennio ab eo, qui per ipſum Metropolitanum in propria, & Epiſcopos in ſua quemlibet diœceſi deputatus fuerit & electus, interim propria munera exercentes viſitentur omnino: ut ex ea viſitatione conſtare poſſit vera & acta publicę adminiſtrationis, juriſdictionis, officiorum, & cujuſcumque eorum muneris ratio: atque is, qui malè fuerit officio functus, eo privari & puniri poſſit: denique à ſuo judice & Epiſcopo privetur ac puniatur. Quòd ſi cui ex prædictis ante triennium quacumq; ex cauſſa ab officio & munere ceſſandum ſit, is teneatur priùs quàm aliò diſcedat, adminiſtrationis, & cujuſcumque publici muneris rationem reddere: eaque ſpatio triginta dierum ab eo exigatur, qui per Metropolitanum, vel Epiſcopos in propria quemlibet diœceſi, ad id fuerit deputatus, qui de querelis, & accuſationibus, & aliis ad culpam malę adminiſtrationis pertinentibus, intra id tempus judicare debeat: eoque tempore omnino ſit ejus officium ſuſpenſum, à quo ratio reddenda erit. Notarius verò ad viſitationem, & ad prędicta examinanda ſpecialis ab Epiſcopo deputetur, qui non ſit ex illis, qui rationem reddituri ſunt, vel viſitari debent. Sed ſi prædictorum, aut alicujus eorum officia, per obitum Metropolitani, aut Epiſcopi vacaverint, ratio adminiſtrationis & muneris publici ab Epiſcopo vel Metropolitano, qui ad vacantem Eccleſiam promotus ſit, vel ab eo qui per eos nominatus fuerit, non ab alio exigatur. Epiſcopi verò qui in exequendis his quæ hoc decreto ſtatuta ſunt, negligentes fuerint, à Provinciali Synodo pecuniariâ pœnâ, fabricæ Eccleſiæ applicandâ, puniantur.

XVIII.

35. Bona quęcumque eorum clericorum, qui inteſtati moriuntur, ad Epiſcopum, vel conſuetudine, vel alio quocumque jure pertinentia ac devoluta, per eundem Epiſcopum in pios tantùm uſus ejus arbitrio expendantur.

XIX.

36. Quæ pro ſepulturis aperiendis, Epiſcopis aliiſve inferioribus quibuſcumque ſolent in aliquot hujus provinciæ diœceſibus ſolvi, non in proprios Epiſcoporum, aliorumve inferiorum uſus expendantur: ſed æquis portionibus fabricis Cathedralis Eccleſiæ, & ejus in qua ſepultura aperienda eſt, earumque œconomis ſolvantur.

XX.

37. Nemini dubium eſſe debet, ſanctiſſimos Chriſtianorum religionis cauſsâ conventus ac pervigilationes, quæ olim à ſanctis Patribus apud ſacra Dei genitricis, & aliorum Sanctorum templa, ac Martyrum ſepulcra, fuêre propter piam venerationem & cultum ſanctè permiſſæ, ſi modò cautè & religiosè fiant, nullo modo improbandas, immo ſummis laudibus extollendas fore. Eò tamen ventum eſt hominum malitiâ, & delinquentium audaciâ, ut nemo qui præſentis ſęculi mores noverit, eas quæ noctu fiunt, non improbet, atque improbandas eſſe cenſeat. Statuit igitur ſancta Synodus, ad illa ſcelera vitanda quæ in his nocturnis conventibus contingere ſolent, eas pervigilationes nequaquam permittendas eſſe, eaſque ſub excommunicationis pœna, in quam qui contrà fecerint ipſo facto incidant, prohibendas eſſe decernit, & omnino prohibet. Clerici verò qui eas permiſerint, ab Epiſcopo præter eamdem excommunicationis pœnam, quo ipſo itidem facto ligati cenſeantur, graviter ejus arbitrio punientur.

XXI.

38. Cùm templa ad hoc fuerint divino numini conſecrata, ut in eis cultus Deo cum debita veneratione pacificus Chriſtiana pietate exhibeatur, prohibet ſancta Synodus in poſterum turpem illum abuſum, quo die Innocentium, intra Eccleſiam theatrales quidam ludi edi publicè conſuevêre magna cum ordinis Eccleſiaſtici ignominia, necnon & divinæ majeſtatis offenſa: quippe qui Chriſtianorum oculos, quos oportet ad ſpiritualia provocari, ab his ad peccandi libidinem avertant. Quòd ſi quis contrà fecerit, aut cùm prohibere poſſit, permiſerit, ab Epiſcopo præter ſuſpenſionem ab officio, quam ipſo jure ad ſex menſes incurrat, pecuniariâ pœnâ fabricæ Eccleſię applicandâ puniatur.

39. Decernit etenim ſancta Synodus, ut prorſus hic turpis abuſus eſſet in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis nullo modo permitti debere, ut ficta illa ac puerilis Epiſcopatûs electio fiat, quæ certis anni ſolennitatibus fieri ſolet: immo illam omnino eiſdem indictis pœnis fieri prohibet: cùm & ea plurimum Pontificiæ dignitati verè detrahat, & prædictis abuſibus, & aliis quæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, divi-

norum officiorum majeſtati, templorumque ſacrorum venerationi minimè conveniunt, occaſionem dederit.

40. Spectacula verò, ludi quicumque, & choreæ, quæ alioqui præmiſſo examine permittente Ordinario, non aliàs, in aliquot ſolennitatibus ac proceſſionibus agenda ſint, nullo modo dum divina officia vel celebrantur, vel dicuntur, intra Eccleſiam ipſam agi permittantur. cum hæc divina officia perturbare ſoleant, & ſanctitudinem illam interrumpere, quam domum Dei decere David divino ſpiritu docuit.

41. Caveant tamen Epiſcopi & eorum vicarii, ne dum ſolennitatis divinæ cauſsâ ludos aliquot & ſpectacula edi publicè permittere velint, ea permittant quæ vel in minimo Chriſtianam religionem offendere, vel ſpectantium animos in pravos mores quoquo modo inducere valeant: ne eo tempore & loco, quibus eſt venia peccatorum à Deo poſtulanda, vel peccandi detur occaſio, vel quod gravius eſt, peccata turpiter committantur. Decernit etenim ſancta Synodus, non alios ludos, non alia ſpectacula permittenda ab Epiſcopis fore, quàm quæ ad pietatem ſpectantium animos movere, & à pravis moribus deterrere poſſint.

42. Et ne quid fiat quod ordini Eccleſiaſtico ſit indecens, prohibet ſancta Synodus quoſcumque in ſacris conſtitutos, aut Beneficium Eccleſiaſticum habentes, ne in quocumque loco & tempore larvis perſonati incedant, aut cujuſque in quibuſcumque ſpectaculis ac ludis perſonam agant. alioqui & ſuſpenſione ab officio & Beneficio, multaque pecuniariâ arbitrio Ordinarii graviter puniantur.

XXII.

43. Clericis in ſacris conſtitutis non liceat fœminas, cujuſcumque conditionis & ætatis ſint, nec manu, nec ſecum equitando eodem jumento ducere. alioqui tam ipſæ fœminæ, quàm clerici eas ſic ducentes, ſint ipſo jure excommunicati, nec Epiſcopi poſſint ullo modo quod hoc decreto prohibetur cuiquam permittere.

XXIII.

44. Clerici quicumque in ſacris conſtituti, vel Beneficium Eccleſiaſticum habentes, ea quæ de menſa & ſupellectili Epiſcoporum ab hac ſancta Synodo ſtatuta ſunt, ſervare teneantur. alioqui vel à ſuperioribus excommunicentur, vel pœnâ pecuniariâ eorundem ſuperiorum arbitrio fabricæ Eccleſiæ vel pio loco applicandâ, puniantur.

XXIV.

45. Ut eorum qui ad parochiales Eccleſias ſunt promovendi, majori cum utilitate animarum, quarum cura eis committi debet, electio fieri poſſit, juxta ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi mentem, teneantur Epiſcopi per edictum eos omnes qui examinari velint, omnino vocare: ſic tamen, ut qui poſt diem præfinitum ante renunciationem ab examinatoribus Epiſcopo faciendam venerint, æquo cum aliis jure examinari poſſint: ut & examinatores, & Epiſcopi, vel eorum vicarii generales, ſervatâ Synodi Tridentinæ formâ eorum rationem habeant, & parochiarum regimini ſalubriùs conſulatur.

46. Examinatores verò qui ad id examen ſunt ab Epiſcopo in Synodo diœceſana nominandi, ſic proponantur, ut qualibet in Synodo mutari debeant, ne iidem ſemper ſint examinatores; ſed ſaltem qui ſemel nominati fuerint, in proximè ſequenti Synodo nec nominari, nec admitti poſſint.

47. In hac autem nominatione Epiſcopus rationem habere teneatur & eorum, qui ex capitulo Eccleſiæ Cathedralis in ſacra Theologia vel jure Canonico ſint adeò verſati, ut ad id munus idonei cenſeantur: necnon & regularium, qui in monaſteriis, vel collegiis ejuſdem civitatis vel oppidi commorantes, propter eorum eruditionem eam operam hac in re præſtare poſſint, quam eadem ſancta Tridentina Synodus præſtari voluit. Sit denique tertia examinatorum pars ex capitulo Cathedralis Eccleſiæ; tertia item ex regularibus, ſi id commodè fieri poſſit; alia verò pars ex his clericis, qui nec de capitulo ſint nec regulares. Ex quibus omnibus ab Epiſcopo in Synodo nominatis, & ab eadem probatis, tres eligat, quos maluerit Epiſcopus cujuslibet Eccleſiæ vacatione adveniente. Collatio verò cujuſcumque parochialis Eccleſiæ, quocumque modo ea vacaverit, contra Tridentini & hujus decreti formam facta, irrita ſit & inanis.

48 Horum verò examinatorum cuilibet pro muneris ſuſcepti labore Ordinarius poſt Beneficii collationem, ex redditibus Eccleſiæ vacantis, qui alioqui rectori debeantur, juſtam aliquam mercedem ejus arbitrio reddi curabit. cùm & dignus ſit mercenarius mercede ſua.

49. Quæ quidem omnia ſancta Synodus, etiam in diœceſi Giennenſi ſervanda fore decernit, in qua conſtitutio Reverendiſs. Stephani Gabrielis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ejuſdem Giennenſis Eccleſiæ Epiſcopi, à Sede Apoſtolica confirmata, ſic ex mente Tridentinæ Synodi in Eccleſiis parochialibus inſtituendis (quas Prioratus vocant) intelligi debet, ut ſi Epiſcopo viſum fuerit ex juſtis & rationabilibus cauſſis, eos qui examinandi ſunt, per edictū longioris, quàm ſex dierum temporis ſpatio, præfinitum ad id examen vocare, facere id juſtè poſſit. Teneaturque Epiſcopus in Synodo diœceſana juxta formam decreti Tridentini examinatores nominare: à quibus & ab Epiſcopo, ea forma in nominatione atque electione eorum qui ad parochiales Eccleſias ſeu Prioratus ſunt promovendi omnino ſervetur, quæ ab eodem Tridentino decreto fuit ad majorem animarum ſalutem præſcripta.

50. Sed & in parochialibus Eccleſiis quibuſcumque, quæ dignitatibus, prębendis, capi-

pitulis, monaſteriis, collegiis, aliiſve locis piis unitæ ſunt quocumque modo, vicarij perpetui, ſervatâ formâ, quæ in eligendis atque inſtituendis presbyteris parochialibus à Tridentina Synodo,& hoc decreto præſcripta extat,deputentur: ita tamen ut is ad quem parochialisEccleſia jure unionis pertinet, quem digniorem inter probatos ab examinatoribus judicaverit, præſentare Ordinario teneatur, ut ab eo perpetuus ejuſdem Eccleſiæ vicarius inſtituatur.

XXV.

51. Etſi à ſacroſancta Tridentina Synodo ſatis conſultum fuiſſe videatur parochialium Eccleſiarum regimini, in his decretis, quæ de reſidentia, & eorum examine qui ad eaſdem Eccleſias promovendi ſunt, edita fuerunt; tamen ne ſuperiorum negligentiâ, magno cum animarum periculo presbyteros parochiales, qui veri paſtores ſunt, ab Eccleſiis ſibi commiſſis abeſſe contingat; ſtatuit hęc ſancta Synodus, quoſcumque Ordinarios debere, eos omnes qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinent, cui animarum cura incumbit, ſi abſentes ſint, per edictum vocare: ut intra diem ab eiſdem præficiendum ad Eccleſias ſibi commiſſas accedant, in eiſque reſideant, nec ab earum miniſterio diſcedere auſint, niſi pręmiſsâ licentiâ, alioqui juxta ejuſdem Synodi decretum, non aliàs obtinenda: ſub comminatione ſequeſtrationis fructuum, & privatione Beneficii, ſi intra id tempus ad reſidendum non venerint, aut juſtas excuſationes non allegaverint & probaverint, quæ eos à reſidentia perſonali excuſare poſſint. Poſt prædictam vero diem ſtatim fructuum ſequeſtratio fiat: nec id ſequeſtrum ullo modo remittatur, niſi abſentes (qui reſidere omnino jure tenentur) & reſidere cœperint, & de reſidendo aut reſtituendis fructibus,ſi non reſederent, cum ſemel contumaces fuerint, cautionem idoneam præſtiterint. Eam autem partem fructuum, quam abſentes acquirere ſibi non poſſunt, & quæ fabricę Eccleſię, aut pauperibus loci eroganda eſt,curent Ordinarii œconomo fabricę tradi, ejus rationem reddituro. Quod ſi abſentes adhuc contumaces fuerint, eiſdem Beneficiis priventur, citati priùs perſonaliter, ad domum, ſi intra diœceſim ſint, ſi extra,per edictum: ut Eccleſiis ſic vacantibus opportuniùs conſulatur. Cæterùm ſi (quod abſit) Ordinarii hac in re negligentes fuerint, ſciant ſe, prętер divinam ultionem, & hujus Provincialis Synodi cenſuræ ac multæ obnoxios fore.

XXVI.

52 Parochiarum rectores continuam habitationem intra parochiam ipſam habeant: & in eo parochię loco, qui ad adminiſtranda ſacramenta, & altaris, Eccleſiæque miniſterio ſit aptior.

XXVII.

53. Quoniam in pleriſque locis cauſsâ commodioris agrorum culturę parochiani ita diſperſi ſunt, ut nec diebus feſtivis ad parochialem Eccleſiam accedere, nec eis ſacramenta miniſtrari facilè queant; curent Epiſcopi, ut Eccleſiæ opportunis locis erigantur, ad hoc ut parochiani ſic diſperſi, commodè valeant & divina officia audire, & ſacramenta percipere. Ea verò erectio fiat ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus juxta Canonicas ſanctionesr,quæ de expenſis ad Eccleſias parochiales novè erectas ædificandas, tractaverunt. Atque eâdem ratione competens portio illis ſacerdotibus ac miniſtris aſſignetur Epiſcoporum arbitrio, qui eiſdem Eccleſiis noviter erectis erunt præficiendi: ſervatâ in omnibus his decreti Tridentini formâ, & Alexandri III. conſtitutione, quæ incipit: *Ad audientiam*.

XXVIII.

54. Qui in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis præbendas obtinent, quibus ſacram Scripturam interpretandi munus incumbit, ſedulò dent operam, ut cùm ſacram ipſam Scripturam interpretantur(quoniam non omnes auditores eo ſunt ingenio prædi ti, quo ea percipere poſſint, quæ ab ipſis lectoribus explicantur) facili quadam utantur interpretatione. Et ex ipſis ſacrę Scripturæ locis, quotidie vel de ſacramentis, vel de articulis fidei, deque aliis ad doctrinam Chriſtianã pertinentibus, & caſibus his, aut dubiis, quæ in conſcientiæ judicio tractari ſolent, aliquid auditoribus exponant, quod eorum ſaluti ſpirituali prodeſſe valeat. idque fiat juxta modum ab Epiſcopo cum conſilio duorum de capitulo, qui ab eodem capitulo nominentur in principio cujuslibet anni, præſcribendum. quo tempore die primo, qui feſtus ſit, in ipſa Cathedrali Eccleſia, & in omnibus parochiis publicetur, quid in eo anno, & quâ horâ, quoque loco ſit ab eo, qui ejuſmodi legendi munus obtinet, tractandum.

55. Hortatur verò hęc ſancta Synodus canonicos juniores, & alios Eccleſiæ Cathedralis miniſtros, nec non & quoſcumque civitatis vel oppidi clericos, quibus ea lectio non poteſt non eſſe utilis, ut lectorem ſic prælegentem audiant, quo & animos divinis ſtudiis excolant & exerceant, atque ab otio, quod multorum malorum cauſa eſſe ſolet, removeantur.

56. Et ut ea præbenda, quæ juxta Tridentinæ Synodi decretum ad hoc legendi munus deputata perpetuò fuit, illi conferatur, qui per ſeipſum injuncto muneri ſatisfacere poſſit; per edictum viri in ſacra Theologia docti vocentur, qui doctoris, magiſtri, aut licentiati gradu in aliqua publica Univerſitate prævio examine ſint inſigniti: ex quibus ille eidem muneri præficiatur, qui magis idoneus ad id explicandum

viſus

visus fuerit. Aliter facta provisio sit irrita & inanis. Eorum verò omnium, ex quibus unus est ad id munus deputandus, mores, vitæ, & aliæ à Tridentina Synodo requisitæ qualitates inquirantur, examinentur, & approbentur, priusquam de uno eorum deputando tractetur.

57. Sed & in hac Metropolitana Ecclesia, qui primò vacaverit canonicatus omnino juxta præscriptam formam doctori, vel magistro, aut licentiato in sacra Theologia conferatur: cùm ea præbenda à sacrosancta Tridentina Synodo ad eum usum fuerit perpetuò constituta, ac deputata. Idem etiam fiat in aliis hujus provinciæ Ecclesiis, in quibus nondum fuit canonicatus aliquis ad id legendi munus exequendum alicui collatus.

XXIX.

58. Cùm sacrosancta Tridentina Synodus ad salubrius Ecclesiarum regimen hortetur, ut in provinciis ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus, conferantur tantùm magistris, vel doctoribus, aut licentiatis in sacra Theologia vel jure canonico; & in hac provincia fieri possit cõmodissimè; decernit hæc sancta Synodus dignitates omnes in Ecclesiis, & Cathedralibus & Collegiatis insignibus hujus provinciæ, non aliis esse conferandas; quàm magistris, vel doctoribus, aut licentiatis in Theologia, vel jure canonico: qui præmisso alicujus publicæ Universitatis examine, ad aliquem ex prædictis gradibus fuerint promoti.

59. Idem omnino servandum esse statuit in canonicatibus conferendis, donec dimidia saltem canonicatuum pars magistris, vel doctoribus, aut licentiatis in Theologia vel jure canonico sit collata. Qui quidem canonicatus, cùm semel fuerint juxta præscriptum modum collati, non aliis in posterum quocumque modo vacaverint, conferantur, quàm his, qui prædictam gradûs qualitatem habuerint. Per hoc tamen nequaquam mutata censeatur conferendi forma: immo ab illo tantùm collatio dignitatum & canonicatuum fiat, à quo, & quâ formâ earundem dignitatum & canonicatuum collatio alioqui fieri potest, & solet. Nec ullum ex hoc præjudicium juri optionum fiat, quod circa dignitates & canonicatus consuetudine legitimè præscripta in aliquot Ecclesiis jam diu obtinuit: sed id illæsum maneat & servetur.

XXX.

60. Qui dignitates quascumque, personatus, officia, canonicatus, & præbendas in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis obtinent, ab Ordinariis juxta sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decreta omnino residere cogantur: sic quidem, ut præmissa vacatione per edictum, sequestratione fructuum, & applicatione eorum partis, quæ quidem pars vel in pios usus, vel in fabricæ Ecclesiæ utilitatem expendi debet, ejusque œconomo tradi, adversùs absentes procedatur. Qui si contumaces fuerint, citati priùs personaliter, vel ad domum, si id commodè fieri possit, alioqui per edictum, etiam privatione puniantur. Sint & Episcopi memores, se rationem in hac Provinciali Synodo reddituros, si in hac re, & prædictis decretis exequendis fuerint negligentes.

XXXI.

61. Si quis post resignationem Beneficii cujuslibet partem aliquam ex ejusdem Beneficii fructibus quoquo modo acceperit absque Sedis Apostolicæ permissione, etiam ab sponte dantibus, eo ipso tam ipse, quàm is qui Beneficium post renunciationem consequutus fuerit, suspecti de Simoniaca pactione tacita vel expressa censeantur. Et ideo contra eos ut suspectos procedatur ad hujus criminis punitionem juxta canonicas sanctiones, aliaque decreta, quæ hac in re quocumque modo promulgata fuerunt.

Placentne vobis, reverendissimi Patres, hæc decreta?

Omnes responderunt: Placent.

Episcopus Cordubensis præsidens hujus Concilii.

Episcopus Seguntinus.
Episcopus Segobiensis.
Episcopus Palentinus.
Episcopus Conchensis.
Episcopus Oxomensis.
Abbas de Alcalà quæ Regalis dicitur.

Licentiatus Martinus Acosta Secretarius.

Ego Christophorus Episcopus Cordubensis diffiniens subscripsi.
Ego Petrus Seguntinus diffiniens subscripsi.
Ego Didacus Episcopus Segobiensis diffiniens subscripsi.
Ego Christophorus Episcopus Palentinus diffiniens subscripsi.
Ego Frater Bernardus Episcopus Conchensis diffiniens subscripsi.
Ego Honoratus Episcopus Oxomensis diffiniens subscripsi.
Ego Didacus Abbas de Alcalà la Real, diffiniens subscripsi.

Lecta fuêre publicè in principio tertiæ Actionis decreta *de Residentia* Concilii Tridentini, quæ sub felicis recordationis Paullo III. & Pio IV. Pontificibus maximis edita fuêre.

ACTIO III.

DE REFORMATIONE.

62. *Concilii Provincialis Toletani, in ejuſdem urbis templo Cathedralis Eccleſiæ, Aſſumptioni Deiparæ Virginis Mariæ conſecrato, celebrata die viceſima quinta Martii, anno à Chriſto nato ſupra mileſimum quingenteſimum ſexageſimo ſexto, indictione nona, Pontificatûs ſanctiſſimi domini noſtri Papæ Pii V. anno primo, ac regni invictiſſimi Regis noſtri Philippi II. anno decimo.*

I.

63. Epiſcopi publicum archivum habeant, in quo ſcripturæ omnes ad dignitatem Epiſcopalem, ejus jura, & actiones pertinentes in tutiſſimam cuſtodiam deponantur, tum earum diligenter confecto inventario, quod ſubſcriptum ab eodem Epiſcopo, vel ejus vicario generali, & notario ſimul cum eiſdem ſcripturis ſervetur. Neque ex eo archivo aliqua originalis ſcriptura amoveatur, niſi ex ea cauſſa, quæ juſtiſſima ſit, & ad utilitatem ipſius dignitatis vel Eccleſiæ pertineat: & tunc non aliter, quàm coram duobus teſtibus & notario, qui in eodem inventario in publicum teſtimonium ſcribat quæ ſit illa ſcriptura, quæ inde abducitur, quo die, & à quo, atque ad quem effectum abducta fuerit. Hoc verò archivum in aliquo monaſterio conſtituatur, quod in oppido ubi ſedes eſt Epiſcopalis, ſi id commodè fieri poſſit, aliàs intra diœceſim, prout Epiſcopo viſum fuerit magis expedire, ab eodem Epiſcopo eligatur.

64. Sede tamen vacante duæ ſint Epiſcopalis archivi claves: quarum una capitulo, aut ei qui ab eo deputatus fuerit, altera Prælato illius monaſterii, in quo archivum ipſum depoſitum extat, à vicario Epiſcopi tradatur, juramento ab eodem Prælato præſtito de fida ejus clavis cuſtodia: quo etiam promittat, ſe non permiſſurum aliquam ſcripturam ex eodem archivo abduci abſque Metropolitani, vel ſuperioris licentia. Ei verò qui ad vacantem Eccleſiam promotus fuerit, utraque clavis à capitulo & monaſterii Prælato liberè tradatur, cum ratione earum ſcripturarum, quæ juxta hujus decreti formam ſede vacante ab eodem archivo fuerint abductæ, & earum, quæ ad capitulum pervenerunt, quemadmodum decreto Tridentino cautum extat.

65. Sed & archivum hoc Epiſcopale quolibet biennio ab Epiſcopo coram notario & teſtibus omnino viſitetur. Sintque Epiſcopi memores juramenti, quod in conſecratione de rebus Eccleſiæ non alienandis præſtiterunt. Non enim erunt à culpa alienationis immunes, ſi ob eorum negligentiam ea perierint inſtrumenta, quibus res ac jura Eccleſiarum defendi, aut iniquè occupata vindicari poſſent.

66. Illę verò ſcripturæ, quarum cuſtodia capitulo Eccleſiæ Cathedralis aut Collegiatæ incumbit, in publico archivo quod in Eccleſia ſit, cuſtodiantur. Cujus archivi duę ſint claves, quarum unam habeat Decanus, aut is, qui eam habere ſolet; altera verò penes Canonicum ſit, qui prębendam doctoralem juris Pontificii obtinet: atque in conficiendo inventario, & abducendis ex eo archivo ſcripturis, ea ſerventur omnino, quæ hoc decreto de archivo Epiſcopali ſtatuta ſunt. Deputeturque quolibet biennio unus ex Canonicis, qui cum his, qui claves habeant, id archivum viſitare teneatur. Loco autem illius, qui prębendam doctoralem habet, cùm vel ea vacaverit, vel is ſit aliqua ratione impeditus, alter à capitulo eligatur, qui alteram clavem archivi habeat.

II.

67. Epiſcopi non alios ad primam tonſuram admittant, quàm eos, quibus ſtatim Beneficium aliquod Eccleſiaſticum ſit conferendum, aut quos conſtiterit eo ſtudio literis operam dare, ut in vita ad majores ordines ſuſcipiendos juxta decreti Tridentini formam, verſari videantur: vel quos viderint expedire miniſterio alicujus Eccleſię deputari. Eccleſiarum verò miniſteriis non alios deputent, quàm eos, qui ſecundùm conſuetudinem cujuſque Eccleſiæ, in altaris & chori vero Eccleſiaſtico miniſterio, aut in his, quæ ad ordinarios ritus, & cęremonias divinorum officiorum pertinent, eiſdem Eccleſiis ſervire debeant. Sic tamen eorum miniſtrorum numerum moderari curabunt, ut nullus in fraudem, judicii ſecularis fugiendi cauſsâ, deputatus eſſe cenſeri poſſit.

III.

68. Parochi omnes, & alii quicumque, qui prędicando verbo Dei, ac docendo plebi Chriſtianæ operam dederint, prorſus à quęſtionibus difficilibus ac perplexis, denique à quovis oſtentationis genere abſtineant, ſe ad captum auditorum eorumque ædificationem demittentes: Euangelium ipſum interpretatione facili, eâque communi ſanctorum Patrum, atque orthodoxorum virorum conſenſu receptâ, auditoribus exponant: eoſque ſanam doctrinam docentes, toto ſtudio omnique conatu à malo abſtinendum, & bono incumbendum eſſe, inſtituto nimirum ſalutari inſtruere conentur. Sint etiam memores, non eoſdem eſſe omnium mores; atque ideo oportere varietate, quę ſemper Chriſtianam charitatem exigat, uti: ut juxta auditorum conditionem nunc hoc, nunc illud vitium improbent: ſic tamen ut vitia tantùm reprehendant, perſonas verò nec nominatim, nec certis quibuſdam notis perſtringant: modò acres & vehementes ſint in criminibus reprehendendis; vincat verò ſeveritatem benevolentiâ. Curent ſolicitè, & interim in concionibus ad plebem de articulis fidei, de Sacramentis, deque aliis, quæ ad Chriſtia-

ſtianam doctrinam pertinent ſic agere, ut horum myſteria quę Chriſtiana plebs intelligere poſſit, ex ore paſtorum, immo ab Spiritu ſancto, qui in eis loquitur, Chriſtiana pietate percipiat. Commendent & populo Eccleſiaſticos mores, ritus, & cęremonias, quibus Catholica Eccleſia utitur: quanta in his lateant myſteria, eaque omnia ad animarum ſalutem pertinentia ſignificantes. Abſtineant verò ab his, quæ fabuloſa ſunt. Martyrum tamen & Sanctorum hiſtorias, quæ communi conſenſu Eccleſię receptæ ſunt, vel à fide dignis ſcriptoribus traditæ, referre opportunè non prętermittant. Tandem depoſitum ſervent, profanas vocum novitates devitent, oppoſitioneſque falſi nominis ſcientiæ; quam quidam promittentes (ut divus Paullus ſcribit) circa fidem exciderunt.

IV.

69. Canonicus, qui præbendam, quam *Magiſtralem* vocant, obtinet, & qui ad id eligitur, ut prædicationis muneri incumbat, teneatur in Eccleſia Cathedrali, cui hoc in miniſterio ſervire debet, his diebus verbum Dei prædicare, quibus Epiſcopus propriâ conſtitutione ad hoc editâ illi id muneris injunxerit: alioqui ab Ordinario pœnâ pecuniariâ ejus arbitrio fabricæ Eccleſiæ Cathedralis applicanda puniatur; atque ejuſdem canonici expenſis alius concionator ſubſtituatur. Hi verò, qui dignitates in Eccleſia Cathedrali obtinent, & canonici, & alii quicumque perſonatus aut præbendas habentes, quemcumque in eadem Eccleſia Cathedrali ad majorem Miſſam concionantem audiant, nec ab ipſo choro, niſi ex legitima cauſsa diſcedant: alioqui tanquam ab illius diei proceſſione & Miſſa abſentes nihil acquirant: diſtributioneſque illis eâ ratione aliàs debitæ, præſentibus, non obſtante quacumque remiſſione, accreſcant.

V.

70. Presbyteri parochiales per ſeipſos, aut ſi fuerint impediti, per alios ab Ordinario examinatos omnibus diebus feſtis paullò poſt meridiem Chriſtianam doctrinam pueros & puellas in unum locum prope Eccleſiam, vel in ipſam Eccleſiam convocatos, docere teneantur: parenteſque eorum admoneant, quos & ſancta Synodus admonet, ut proprios liberos domi bonis moribus & exemplo inſtituentes, ea quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent, ſedulò doceant: eadem crebrò repetentes, quæ illos parochus docuerat. Quòd ſi presbyter parochialis in hoc munere exequendo negligens fuerit, ab Ordinario & ejus viſitatoribus graviter puniatur. In tradenda verò doctrina Chriſtiana parochus & alii quicumque, qui eo munere fungi debent, non alio catechiſmo utantur, quàm eo qui ab Epiſcopo, ejus propriæ manus ſubſcriptione probatus & traditus fuerit. Interim dum ſanctiſſimus dominus noſter catechiſmum generalem, quo totus Chriſtianus orbis utatur, edendum eſſe decreverit.

VI.

71. Qui in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & aliis quibuſcumque dignitates, canonicatus, perſonatus, præbendas, & officia quæcumque Eccleſiaſtica habent, & alii earundem Eccleſiarum miniſtri, quicumque hi ſint, diebus Nativitatis, Dominicæ Cœnæ, Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, Sancti Petri, Aſſumptionis divæ Virginis Mariæ, omniũ Sanctorum, & Eccleſiæ cujuſcumque advocationis, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum ab eo qui Miſſarum ſolennia, qui in ipſis Eccleſiis majora dicuntur, peragit, ſi eâdem die ipſi Miſſam non celebraverint, ſumere teneantur. Alioqui his ſtipendiis, quæ octo ante diebus, etiam ratione reſidentiæ, lucrati fuerint, fabricæ Eccleſiæ applicandis, & ſtatim ejus œconomo tradendis, omnino priventur. Et ab Epiſcopo, vel eo abſente, ab illo qui capitulo vel Eccleſię præſidet, coram omnibus ejuſdem Eccleſię miniſtris acerbâ, Chriſtianâ tamen, & fraterna correptione notentur. Hujus verò multę ſignandæ is curam habeat, cui onus incumbit notandi eos, qui divinis officiis non interſint. Quòd ſi & is negligens fuerit, ab Epiſcopo, vel ab eo, qui eo abſente præſidet, graviter puniatur.

VII.

72. Cùm nemini dubium eſſe debeat, divinæ indignationi eos omnino ſubjacere, qui Eccleſiarum redditus, canonicis decretis à Dei lege derivatis, principum munificentiâ, & piæ ac Chriſtianæ plebis liberalitate ad divini miniſterii ſuſtentationem collatos, accipere, & abſumere otioſè conantur, debita pro his obſequia nequaquam præſtare curantes: eoſque maledictos eſſe ex Hieremiæ quadrageſimo octavo, qui officium, cui addicti ſunt, peragunt negligenter: decernit ſancta Synodus, Patrum decreta, & rationem ipſam, quæ hac in re neminem non admonet, omnino ſequuta, eos omnes, qui Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis & aliis quibuſcumque in altari & choro ſervire debent, dum divina officia celebrantur, & horæ canonicæ publicè dicuntur, prorſus debere à quibuſcumque colloquiis, muſſitationibus, & aliis quæ ſacra perturbare ſolent, abſtinere. Nulla etenim alia ex cauſſa in chori locum convenitur, quàm ut omnes pariter ſenes cum junioribus nomen Domini in hymnis & canticis laudare debeant: ab ipſo Chriſtiani populi, pro quo preces effundere tenentur, pro ipſius benignitate ſalutem ſpiritualem & corporalem impetraturi; non ſolùm oris ſono, ſed & voce cordis pſallante, Deumque ipſum dum voce pſallunt, animo cogitantes. Atque ideo Epiſcopus, eoque abſente is cui id muneris incumbit, diligenter curent, ne quid contra hujus decreti prohibitionem, immò nec contra ſanctiſſimorum Patrum inſtitutiones fiat. Non immemores, tam ipſos, quàm eos, qui

ob

ob eorum negligentiam in choro psallentes perturbant, vel à psallendo retrahunt, aut à psallendi, devoteque ac reverenter laudandi Dominum officio cessant, divinam ultionem effugere non posse. Episcopus igitur, & qui in choro præsidet, sic hujusmodi culpam punire conentur, ut in dicta multa, appellatione quacumque executionem non impediente, præsentibus, & ut decet divina officia celebrantibus accrescat. Neque is qui peccaverit, illius diei distributiones quascumque, neque quidquam aliud quod ratione residentiæ alioqui habiturus foret, in conscientiæ judicio acquirat.

VIII.

73. Ut quæ à sancta Tridentina Synodo de distributionibus quotidianis, in Ecclesiis omnibus, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis ad divini cultus decorem & ornamentum assignandis, statuta fuêre commodiùs fieri, & semel instituta retineri valeant; decernit hæc sancta Synodus juxta ejusdem Tridentinæ Synodi decreta, separari debere ab Episcopo tertiam partem quorumcumque fructuum & reddituum, ad dignitates, canonicatus, personatus, portiones, & officia, etiam ex annexis & unitis beneficiis, ac præstimoniis, etiam ratione vestiarii, & aliunde quàm ex mensa, quam vocant capitularem, pertinentium: & sic separatam in distributiones quotidianas inter dignitates, canonicos, & cæteros divinis officiis intereſſentes, proportionabiliter dividendam, ac distribuendam fore; sic tamen, ut habeatur ratio earum horarum, quæ majores dici solent, & festorum quę solenniùs celebrari consuevêre, ut in illis majores distributiones dentur. Illi verò redditus, qui ex donationibus, ultimis voluntatibus, aut alia quavis piorum hominum liberalitate ad quædam divina officia speciali quodam ordine fuêre deputati, nullo modo ad hanc tertiam partem deducendam estimari aut conferri debent: immo illorum distributio eâ lege fiat, quæ fuerit ab ipsis donatoribus aut testatoribus præscripta.

74. Quòd si dignitates, canonicatus, aut præbendæ, vel ratione præstimoniorum, aut Beneficiorum quæ illis sunt annexa, vel vestiarii; aliâve quacumque ex causa, valore reddituum sint inæquales, cuilibet dignitati, canonicatui, & prębendæ, juxta integrum valorem tertiæ partis, majores vel minores distributiones assignentur; quas qui dignitatem illam, canonicatum, aut præbendam obtinet, acquirat, si divinis officiis interſit: eo verò absente distributiones istę præsentibus acquirantur, ubi illi redditus ex quibus distributio constat, vacante dignitate, canonicatu, vel præbenda, cęteris Ecclesiæ ministris cõpeteret. Alioqui si redditus illi vacationis tempore non solent cęteris acquiri, dimidia pars distributionum quæ absenti non acquiruntur, illis competat, qui eo die fuerint præsentes majoris Missæ celebrationi: sic tamen ut celebranti dupla detur distributionis portio; altera verò pars æquis portionibus fabricis Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ, in quibus sedem habet, qui dignitatem, aut officium obtinet, acquiratur. Quòd si in altera tantùm sedem habuerit, illius fabricæ ea pars integrè detur. *Illi* autem redditus, qui in frumento, pecoribus, avibus, aut alia quavis specie dividi juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem solent, pecuniâ æstimentur, ut ex illorum æstimatione tertia pars, de qua hoc decretum agit, ad distributiones separetur, reliqua verò parte statutis temporibus acquirenda: modò quod alioqui acquiri solet, si quis præsens fuerit uni & cuilibet horæ canonicę, non aliter acquiratur, quàm si vel majori Missæ, vel ejusdem diei Vesperis interſit.

IX.

75. Cùm dignitates, canonicatus, & præbendæ in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis non alia ratione fuerint institutæ, quàm ut qui ad eas assumuntur, in divinis officiis celebrandis Ecclesiæ ex qua fructus percipiunt, sedulò inserviant, illisque muneribus incumbant, quæ vel jure, vel consuetudine ipsis fuêre præscripta: cumque pauci admodùm sint, qui per seipsos hęc præstare velint; curent Episcopi cum consilio capituli decretum Tridentinum sequuti, ea quæ ad sacrorum ordinum ministerium pertinent, in eisdem Ecclesiis sic instituere, ut in posterum quis ordo cuique canonicatui, ac præbendę sit annexus, certa sit lege constitutum: modò dimidia saltem canonicatuum ac præbendarum pars sacerdotii, altera verò diaconatûs, & subdiaconatûs ordinem annexum in posterum omnino habeat. Quòd si consuetudine aut alio quocumque jure sit obtentum, ut plures canonicatus, ac prębendæ, vel omnes habeant sacerdotii ordinem annexum, tum id servari debeat, atque illæ prębendæ sacerdotium annexum habere dicantur, quibus celebratio Missæ vel incumbit, vel indici ex constitutionibus aut consuetudinibus solet, tunc ab Episcopo cum consilio capituli sic altaris ministerio consulatur, ut non tantùm sacerdotii minister, sed & is, qui in diaconatu & subdiaconatu qualibet hebdomada servire altari debeat, sit ordine quodam designatus.

76. Hi verò qui canonicatus, aut præbendas obtinent, quibus sacerdotii, diaconatûs, aut subdiaconatûs ordo sit annexus, in choro & capitulo juxta gradus dignitatem, non receptionis diem, sedeant, ac sententiam dicant.

77. Ministris autem altaris specialis quædam portio major quidem vel minor, gradûs habita ratione, distribuatur. Neque hanc portionem, nec aliud quodvis jus, aut emolumentum, quod alioqui quovis modo celebranti competeret, is obtineat, qui per alium, non per seipsum quacumque causa impeditus, altari inserviat: immo loco illius per seipsum celebranti tam portio predicta, quàm omnia alia jura omnino acquirantur.

78. Sed & is, qui absque justa causa à mi-

niſterio altaris ſe excuſaverit, puniatur arbitrio Epiſcopi, & præter pœnam ab Epiſcopo indictam teneatur etiam in conſcientiæ judicio intra quindecim dies fabricæ Eccleſię tandundem reſtituere, quantũ ipſe, ſi per ſeipſum altari miniſtrâſſet, habiturus foret. Cauſſa autem juſta, pręter eam ægritudinem quę ad tempus accedat, ea tantùm cenſeri debet, quę ab Epiſcopo, vel eo abſente ab ejus vicario cum duobus de capitulo, quorum unus ab Epiſcopo vel ejus vicario, alter à capitulo eligatur, probata, præmiſsâ cauſſæ cognitione, & in ſcriptis fuerit conceſſa.

79. Qui dignitates obtinent ſimul & præbendas, quę non ſint perpetuò ipſis dignitatibus unitæ, teneantur in altari celebrare Miſſarum ſolennia, quæ ratione prębendarum eiſdem incumbant. Quòd ſi prębendas non habeant, ſerventur in qualibet Eccleſia ea, quæ circa miniſteria ad eos qui dignitates obtinent pertinentia, fuerint ſtatutis aut conſuetudinibus recepta.

X.

80. Qui dignitates, canonicatus, aut præbendas in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis obtinent, & eiſdem ſervire tenentur, horis canonicis & divinis officiis præſentes in choro eſſe debent, non tantùm ad momenta temporis, ſed & horarum initio ad finem uſque, quo debitũ Eccleſiæ obſequium, cujus ratione percipiunt ſtipendia, abſque ulla fraude ab eiſdem præſtetur. Et qui integras diſtributiones habituri ſunt, Chriſto & Eccleſiæ integrum officium perſolvant. Is igitur qui in horis canonicis ante finem primi pſalmi, in Miſſa ante ultimum *Kyrie eleïſon*, & in Matutinis ante finem pſalmi *Venite exultemus*, uſque in finem divino officio non interfuerit, niſi quem urgens neceſſitas, petitâ ac obtentâ licentia abEpiſcopo, vel eo abſente ab eo qui choro præſidet, diſcedere ante horæ finem coëgerit, diſtributiones illius horæ nequaquam acquirat: immo abſens à choro cenſeatur. Quòd ſi illi ab aliis earum remiſſio etiam liberè fiat, eaſdem fabricæ Eccleſię, etiam in animæ judicio reſtituere teneatur: cùm ea remiſſio juſtè fieri non poſſit in Eccleſiaſtici miniſterii, quod Eccleſiæ debetur, prejudicium. Diſtributiones autem quæ proceſſionibus ſunt, aut fuerint aſſignatæ, ſimili modo illis tantùm acquirantur, qui eiſdem ab initio ad finem præſentes omnino perſeveraverint.

Quòd ſi in aliqua hujus provinciæ Eccleſia circa præmiſſa ſint arctiores vel conſuetudines, vel conſtitutiones, illę omnino ſerventur,

Is verò, qui non ſolùm à choro abeſſe, ſed & dum divina officia dicuntur in Eccleſia deambulare, aut cum aliis colloqui auſus fuerit, totius diei diſtributionibus careat: nec eas, etiam in animæ judicio acquirere, aut ſuas facere poſſit.

81. Hęc autem quæ ad diſtributiones aſſignandas, & ad debitum divini cultus miniſterium ſtatuta ſunt, ſic exiſtiment Epiſcopi ab hac ſancta Synodo illis fuiſſe demandata & commiſſa ad Tridentinæ Synodi executionem, ut graviter ſint incuſandi, ac ſeverè in proximè futura Provinciali Synodo increpandi, ſi qua fuerit eis hac in re ob eorum negligentiam culpa imputanda. cùm & exactam rationem reddituri ſint eorum, quę in his & decreverint, & executioni mandaverint.

XI.

82. Cùm ea, quæ in Eccleſiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentiâ, quantum fieri poſſit, erudiri valeat; & religioſâ pietatis ac devotionis moderatione piorum auditorum mentes ad divinæ majeſtatis cultum, & cœleſtia deſideria excitari queant; caveant Epiſcopi; ne dum in chorum muſicorum modulos vocum omnis generis diſcrimine confuſos admittunt, pſalmorum, & aliorum quæ cantari ſolent, verba obſcurentur, ac ſimul ſtrepitu incondito ſeuſus ſepeliatur. Sic denique muſicam, quæ organica dicitur, retineant, ut eorum quæ cantantur verba & intelligi poſſint, & potiùs prõnunciatione, quàm curioſis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur. Sed & illud maximè cavendum erit, ne ipſius muſicę ſonus quid theatrale, aut impudicos amorum bellorumve claſſicos modulos referat, in Dei laudibus decantandis imitetur.

XII.

83. Capitulorum conventus, qui à canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum Eccleſiarum fieri ſolent, bis tantùm in qualibet hebdomada fiant: ne toties divina officia ob illos, vel negligantur, vel ipſis canonicis abſentibus celebrentur. Hi verò canonici, qui ad examinandas rationes reddituum vel Eccleſiæ, vel capituli deputati fuerint, poſt meridiem, non ante, eidem muneri incumbant, ne divinis officiis abeſſe cogantur.

XIII.

84. Qui vel jure vel conſuetudine vocem non habent in capitulo, nequaquam ad eum conventum admittantur, etiam ut præſentes ſint: ſed ipſis prorſus expulſis negotia ab ipſis tantùm tractentur, qui jure vel conſuetudine vocem in capitulo ad ejus & Eccleſiæ res tractandas habere debent.

XIV.

85. Canonicus qui prębendam doctoralem, aut magiſtralem, vel illam obtinet cui munus legendi ſacram Scripturam incumbit, necnon & Pœnitentiarius, Metropolitani vel Epiſcopi vicarius, proviſor, aut viſitator, judex ordinarius, vel delegatus univerſalis appellationum eſſe non poſſit. Idem in presbyteris parochialibus

bus omnino ſervetur; ne ab Eccleſiis quarum cura paſtoralis ipſis commiſſa eſt, eos abeſſe contingat.

XV.

86. Cùm ab ipſo Chriſtianæ religionis exordio Eccleſiaſticis legibus, moribus, & continua traditione fuerit receptum, non ſolùm laïcos à choro, qui ſolis patebat clericis, excluſos fuiſſe; ſed & in eodem choro quibuſdam ſtationum gradibus clericos ipſos ſic fuiſſe diſtinctos, ut nec inter ſacerdotes diaconi, nec inter diaconos ſubdiaconi ullo modo admitterentur; cupiens hęc ſancta Synodus, dum videt Eccleſiarum choros hac ætate non magis clericorum, quàm laïcorum conventus dici poſſe, ac divina officia ob hanc cauſſam eo quo decet modo minimè celebrari, priſcum ordinis decorem ad divinæ majeſtatis obſequium revocare; decernit, laïcos dum divina officia dicuntur, intra cancellos chori, in quo clerici in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, ea ex cauſſa convenire ſolent. nequaquam fore admittendos. his tantùm præſer cantores & alios hujuſmodi chori miniſtros in eum locum ingreſſuris, qui Eccleſiaſtici ſint, & honeſto ac decenti veſtitu utantur.

87. Hi verò laïci, qui titulo ſint illuſtres, vel Catholicę majeſtatis conſiliarii, aut ex militaribus ordinibus, admitti poterunt intra chorum, ſi eo in loco divinis officiis intereſſe velint: ſic tamen ut ab Epiſcopo priores poſt cancellos ſedes eiſdem deputentur, & nullo unquam caſu inter clericos ipſis ſedere liceat. Quòd ſi quis, etiam genere & titulo illuſtriſſimus, intra chorum adversùs hujus decreti ordinem divinis officiis interſit, ipſo jure ſit excommunicatus: & ſi manere in eodem loco contenderit, officia divina ſtatim ceſſent.

88. Fœminę verò cujuſcumque conditionis & ſtatûs ſint, nullo unquam tempore, nullave ex cauſſa dum divina officia celebrantur, aut verbum Dei prædicatur, denique his horis, quibus clerici in choro præſentes eſſe debent, intra eundem chorum aliquemve ejus locum ſecretum, etiam ſuperiorem, admittantur. Quòd ſi adversùs hanc prohibitionem factum id fuerit aut permiſſum, ipſæ fœminæ ſint ipſo jure excommunicatæ: & qui earum ingreſſum permiſerit præter excommunicationem, in quam ipſo facto incurrat, & pecuniariam multam ab Ordinario indicendam, ſit ab officio & Beneficio per ſex menſes ipſo itidem facto ſuſpenſus.

XVI.

89. Etſi ſacroſancta Tridentina Synodus de parochialibus Eccleſiis, quæ collapſæ fuerint, inſtaurandis ac reficiendis ea decreverit, quæ huic damno commodè reparando opportuna viſa fuêre: cupiens tamen hæc ſancta Synodus id vitari damnum, decernit Ordinarios debere curare diligenter, ne parochiales Eccleſiæ dolo, fraude, aut cujuſquam arte parochianis aliò migrantibus inane parœciarum nomen retineant. Quòd ſi caſu quocumque id contigerit, qui vitari non potuerit, ex earundem Eccleſiarum redditibus Eccleſiæ ſic parochianis deſtitutæ ne funditùs corruant, opportunè reficiantur, & illęſæ conſerventur, atque in eiſdem, ſaltem diebus feſtis ac Dominicis Miſſarum celebrentur ſolennia, etiamſi nullus illarum Eccleſiarum parochianus ſuperſit. Si qui verò vel in eiſdem parœciis manſerint, aut ad eaſdem redierint, quotcumque & quicumque hi ſint, his rectores parochiales ſacramenta miniſtrare teneantur.

XVII.

90. In his locis, in quibus Eccleſiarum parochialium fabricis nulla decimarum pars dari ſolet, nec alii ſint deputati annui redditus, aut ita tenues ſint, ut ad onera neceſſariò ſublevanda nequaquam ſufficiant; ex omnibus decimis ad quoſcumque & quomodocumque pertinentibus, ea pars fabricis Eccleſiarum parochialium deputetur, ac deputata cenſeatur, quæ ejuſdem diœceſis vicinioribus Eccleſiis ad fabricam communiter dari, & in ejuſdem fabricæ utilitatem expendi conſuevit. Alioqui arbitrio ipſius Ordinarii Eccleſię parochiales ex omnibus decimis reficiantur ac reparentur, quæ vel in ædificiis vel ornamentis reparatione indigere videbuntur. Per hoc tamen non intendit ſancta Synodus conſuetudinibus, quę laudabiles jure cenſentur, aliiſque juribus derogare, quibus plebs, aut alii ad Eccleſiarum reparationem tenentur, aut illis ornamenta, aliaque neceſſaria ſuppeditare conſuevêre.

XVIII.

91. Qui in ſortem Domini vocati ſunt, & divinarum rerum miniſterio, ac ſpirituali addicti militiæ, meminerint, juxta divum Paullum, ſe Deo ſub cujus ſignis militare decreverunt, placare non poſſe, ſi quid prêter ſui ducis militiam agant, & ſæcularibus negotiis vacaverint, quę à divinis ac ſpiritualibus diſtrahere frequentiſſimè ſolent. Prohibet igitur ſancta Synodus, clericos in ſacris, & eos qui Beneficium Eccleſiaſticum obtinent, laïcorum eſſe œconomos, ac ſecularium rerum diſpenſatores, necnon & in foro civili procuratores; exceptis his negotiis, quibus juxta canonicas ſanctiones pietatis cauſſâ vacare juſtè poſſint: alioqui ab Ordinario pœnâ ſuſpenſionis ab officio & Beneficio ad ſex menſes puniantur.

XIX.

92. Tanta eſt in Chriſtiana republica Eccleſiaſtici ordinis dignitas, ut Eccleſiarum miniſtri cùm aliis rationibus à naturali ac divina lege deductis, tum vel ex eo honeſtè vivere teneantur, quòd cæteris morum probitate, vitæque ſanctitate & exemplo, magnam auctorita-

tem ad Chriſtianè ac piè vivendum afferre debeant. Cui tamen dubio procul graviſſimè læditur cùm tantus ordo fœdiſſimâ incontinentiæ ac concubinatûs ignominiâ infectus decorem illum retinere nequeat, qui ad continendos in officio ſæculares non tantùm utilis, ſed & maximè neceſſarius eſſe videtur. Iccircò hæc ſancta Synodus decernit, Epiſcopos omnes, ac quoſcumque Ordinarios ſolicitè debere adversùs incontinentes clericos, non ſolùm juxta ſacros veteres Canones, & Concilii Tridentini decreta procedere, ut à præſenti concubinatu recedant; ſed & veteris ac jam præteritæ incontinentiæ argumenta, ac publica teſtimonia penitùs abolere cogantur. Ordinarii igitur quibuſcumque pœnis, ad privationem uſque Beneficiorum, quoſcumque clericos diſtrictè compellant, ne ſecum domi illegitimos liberos quoſcumque habeant, ut incontinentiæ labes, ac memoria omnino aboleri valeat.

X X.

93. Quoties Ordinarius ob aliquod crimen quemcumque in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata dignitatem, perſonatum, officium, canonicatum, aut præbendam habentem, ſuſpenſione ab officio vel Beneficio, exilio aut pœna pecuniaria puniendum duxerit; non poſſint alii ejuſdem Eccleſiæ miniſtri, nec capitulum ipſum negotia Eccleſiæ, vel capituli ſic exulanti committere, nec eidem, aut aliis ſupradictis è redditibus menſæ, quam capitularem vocant, vel diſtributionibus quicquam, etiam gratuitò donare, aut remittere. Alioqui ſic donantes aut remittentes teneantur tantumdem fabricæ Eccleſiæ reſtituere, etiam in animæ judicio; cùm his modis frequenter Ordinariorum punitionibus, & eiſdem juſtiſſimis, fraudem fieri contingat: immo plerumque pœna delinquentibus indicta in eorum lucrum malo cum exemplo Eccleſiaſticæ diſciplinæ cedat. Quòd ſi ratio pietatis, charitatis, aut publicæ utilitatis aliud expoſcat, re ad Ordinarium delatâ, eoque ſciente, capitulum poſſit vel abſenti ſubvenire, aut illi Eccleſiæ, vel capituli negotia committere: ſervatâ ſemper eâ formâ, quæ in dicendis ſententiis, rebuſque diffiniendis ab eodem capitulo ſervari ſolet.

94. Idem ſancta Synodus ſtatuit ſervandum eſſe, quando Ordinarius in aliquem, vel aliquos de capitulo ſententiam excommunicationis indixerit: ut capitulum ipſum nequaquam poſſit, quod ſic excommunicati ex præbendæ redditibus, aut diſtributionibus acquirere jure non valent, eiſdem vel remittere, aut gratuitò, vel alio quovis modo, aut quæſito colore in fraudem Canonum & ſententiæ donare.

X X I.

95. Qui in Eccleſiis parochialibus Beneficia quæcumque, etiam ſimplicia, & quibus alioqui nulla incumbit animarum cura, obtinent, quorum ratione in eiſdem Eccleſiis ſervire tenẽtur, & qui eorum loco ſerviunt, tempore Quadrageſimæ, & quo plebs ad indulgentias ex jubilæi forma conſequendas confiteri peccata debet, teneantur omnino ipſos Presbyteros parochiales in audiendis ſubditorum confeſſionibus coadjuvare, licentiâ priùs ab Ordinario legitimè obtentâ. alioqui ab ipſis Ordinariis eorum arbitrio puniantur.

X X I I.

96. Viſitatores ab Epiſcopo deputati, teneantur, dum viſitationis officio fungi debent, ſolicitè operam dare, ut in his domibus in quibus pueri prima ſolent addiſcere elementa, à præceptoribus & magiſtris, qui bonis moribus præditi eſſe debent, doctrina Chriſtiana quolibet die ſummatim tradatur. Idem fiat & ab his fœminis, quæ puellas ea docent, quæ eas ſcire oportet, ut rectè inſtitutę matris-familias munera exercere valeant. Eoſdemque præceptores & magiſtros per cenſuras, & ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, ad id agendum compellere non prętermittant.

X X I I I.

97. Quoties ab Ordinario vel licentia, vel conſenſus petatur, ut quis ſtudiorum gratiâ ad certum tempus abſens, Beneficii fructus recipiat, & à reſidentia perſonali excuſetur; non aliter is conſenſus vel licentia detur, quàm diligenti præmiſſa inquiſitione, an qui eam petit ad literarum ſtudia ſit aptus, & an temerè, vel in fraudem hanc licentiam petat. Quam ſi Ordinarius omnibus maturè diſcuſſis & examinatis, duxerit concedendam; tunc ad annum tantùm, ut in Univerſitate in qua generale ſtudium vigeat, ſacræ Theologiæ vel Juri canonico operam det, eam licentiam dare poſſit, vel datæ conſentire. Poterit tamen eam prorogare, modo quolibet anno prorogatio ad ſequentem petatur ac detur: viſo priùs publico teſtimonio rectoris univerſitatis, & unius publici pręceptoris, quo conſtet, quem in literis progreſſum faciat is qui licentię prorogationem petit, quamque vitam agat: ne falſa ſtudiorum cauſa à ſacris Canonibus fraudem fieri contingat.

X X I V.

98. Cùm omnes Chriſtianam religionem profeſſi teneantur, ſaltem ſemel in anno, juxta Concilii Generalis conſtitutionem, die Dominicæ Reſurrectionis, ſacram Euchariſtiæ communionem ſuſcipere, & poſſint eidem præcepto ſatisfacere, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ vel conſtitotionibus, vel ſpeciali jure, ſi aliis quibuſdam diebus idem ſacramentum ſumpſerint; declarat ſancta Synodus, neminem prȩcepto huic ſatisfacere, niſi à proprio parocho, aut ab alio de ipſius parochi, vel Ordinarii licentia ſacramentum Euchariſtiæ ſuſceperit, quocumque tempore id ex eodem prȩcepto ſumendum ſit.

XXV.

99. Tanti fuêre in Christiana republica sacrosancta ac venerãda virginitatis & castitatis vota, ut Ecclesia Catholica post Dñi nostri Jesu Christi Ascensionem, ex ejus institutione ab Apostolorum ętate nusquam cessaverit, vel ea commendare, vel continua traditione ea instituere, quæ ad illibatã eorumdem votorum custodiam necessaria, commodave visa fuerunt. Præsertim exactam rationem haberi voluit eorum, quæ ad clausuram pertinent virginum, quæ semel Deo earum sponso dicatæ ac devotæ, virginitatem perpetuam ei sponte offerentes tot periculis ac dæmonũ calumniis infestari atque oppugnari solent; ut non satis consultum tot editis Canonibus ac decretis, earum tutelæ videri possit, nisi Episcopi & alii, quibus earumdem virginum cura commissa est, diligentissimè curent, ne ullius unquam hac in re culpæ notari possint: eo maximè, quòd quævis in adeò imminenti periculo negligentia non potest non esse maxima: cum & Ecclesia Catholica non alia ratione his fœminis, quæ professione solenni cum paupertate & obedientia continentiam ac castitatem voverunt, editis hac de re canonicis constitutionibus clausuram indixerit, quàm quòd vel eam necessariam, vel saltem commodissimam huic constituto, tanquam tutissimum virginitatis præsidiũ, esse decreverit. Duo igitur hæc sancta Synodus maximopere præcavenda esse decernit: alterum ne quævis causa existimetur esse justa, ut Moniali liceat monasterii claustra exire; sed illa tantùm, quæ sic ad ejus salutem corporalem pertineat, ut nisi maximo cum vitæ periculo intra claustra manere nequeat: vel quæ huic simílis diligentissimo examine censeri valeat: alterum ne quis existimet absque gravissimo animæ periculo posse sanctimonialium claustra ingredi: cùm id, etiam Superioris licentiâ nequaquam liceat, nisi in casibus necessariis: extra quos nec licentia dari potest, nec data cuiquam suffragari valeat; maximè viris, cujuscumque ætatis & conditionis sint, quibus Prælati licentiam hujusmodi omnino negare debent, etiam ut cum sanctimonialibus ipsis, etsi filiæ sint, alio in loco, quamvis ipsis claustris cuntiguo, quam per cancellos loquantur. Eodem siquidem jure, quo quis claustra sanctimonialium ingredi prohibetur, & ipsæ sanctimoniales exire eadem interdicuntur. Meminerint tandem Episcopi, & alii quibus hujusmodi munus incumbit, quanta eis sacrosancta Tridentina Synodus, Spiritu sancto inspirante, post tot sacros Canones fuerit comminata, si quid eorum culpâ commissum fuerit, quod vel minima ex parte virginitati, quæ divinæ majestati devota fuerit, nocere possit.

XXVI.

100. Cùm spectacula, in quibus à plebe in foro vel circo tauri agitari solent, nulla ratione ad vota, quæ religionis causâ fiunt, pertinere possint. Iccircò sancta Synodus decernit, hæc spectacula adeò non esse religionis causâ vovenda, ut & ipsa vota, quæ hactenus etiam totius populi consensu, quocumque juramento præstito emissa fuerint, irrita esse declaret, & omnino irritet: immo ea in posterum fieri vetat excommunicatione ipso jure indicta his, qui vel hęc vota voverint, vel cùm ea ne fiant prohibere possint, fieri permiserint. Dies enim, qui publica in venerationem, vel sacratissimi Jesu Christi corporis, vel divę Virginis, aut aliorum sanctorum solennitate sunt à Christiana plebe colendi, non hisce spectaculis, sed divinis laudibus precibusque continuis, & gratiarum actionibus sunt sanctificandi.

101. Clericis autem in sacris constituti, vel Beneficium Ecclesiasticum obtinentes, quicumque hi sint, & cujuscumque dignitatis, cùm indecorum sit ordini Ecclesiastico, ejus ministros hisce spectaculis pręsentes esse, eisdem quacumque ex causa vel ratione edita fuerint, interesse nequeant. Alioqui ab Ordinario ejus arbitrio puniantur.

XXVII.

102. Quia in hujus provincię locis & Ecclesiis non eadem est, nec esse potest erigendi seminarii facultas; Episcopi seminaria erigere non prætermittant, habitâ tamen ratione eorũ, quę à decreto Tridentino tradita fuêre: & aliorum quę huic erectioni juxta cujusque loci facultatem & conditionem commodiora sint: quo semel erecta ad adolescentium institutionem eum progressum habeant, qui ordini Ecclesiastico sit aptior.

XXVIII.

103. Cùm ex sanctorum Patrum institutis ad hoc sint Provinciales Synodi congregandę, ut in eis de corrigẽdis excessibus, moribus reformandis, ac de his statuendis agatur, quæ ad communem provinciæ utilitatem visa fuerint pertinere: atque eâ ratione sacris Canonibus cautum fuerit, idoneos probosque viros per singulas diœceses statuendos fore, quò Synodus ipsa de his certior fieri valeat, quæ vel correctione, vel reformatione indigere videbantur; Iccircò hæc sancta Synodus canonicas sanctiones secuta, decernit in posterum ab hac provinciali Synodo viros bonis moribus præditos, prudentes, & alioqui rerum cognitioni aptos eligi debere ex singulis diœcesibus, qui absque ulla jurisdictione diligenter inquirere debent, quæ sint illa quæ corrigi, emendari, aut reformari sit vel utile, vel necessarium: juramentum tamen coram cujusque diœcesis Episcopo priùs præstito, quòd juxta formam testibus Synodicis præscriptam sic exigi debet, ut & ipsi noverint gravissimo perjurii scelere notandos fore, si odio, favore, amore, pretio, aut alio quovis humano affectu, sive negligentiæ

culpâ,

culpâ, quid inquirere prætermiſerint, vel deferre ad cujuſque diœceſis Epiſcopum, & ad Provincialem Synodum neglexerint, quod jure & ratione accepti muneris inveſtigare & deferre teneantur.

104. Quòd ſi ad hoc munus exercendum aliquot expenſæ fuerint neceſſariæ; hæ ab illis exigantur auctoritate Ordinarii, qui eas vel jure vel conſuetudĩne præſtare tenentur.

105. Ad hujus decreti executionẽ hæc Synodus eligendos eſſe cenſet, atque eligi in hac Toletana diœceſi, & primùm in hac urbe, Alphonſum de la Paz presbyterum parochialem ſanctæ Juſtæ: licentiatum de Mora presbyterum ſancti Andreæ, & doctorem Farfanum, presbyterum parochialem ſancti Jacobi. In ſuburbiis. Talaveræ Franciſcum de Hoyos Canonicum, & Chriſtophorum Buſtamantem presbyterum parochialem Alcaudeti. Compluti doctorem Joannem Mendez Canonicum, & doctorem Meſſiam presbyterũ parochialẽ Moratæ. Madriti, Gregoriũ Ovetenſẽ in Eccleſia Sancti Andreæ, licentiatum Blaſium Martinez Parochialẽ presbyterum Pinti, & licentiatũ Mathiam de Uroſa. Guadalajaræ, Ludovicum de Hinoſtroſa, & doctorem Joannem Alphonſum. Alcarazii, Joannem de Aquila, & Chriſtophorum Reguillum. Ocannæ, protonotarium Calatayud, Gonçalum Chaconem Siliceum presbyterum parochialem del Pozuelo. Caçorlæ, licentiatum Martinum Tero vicarium. Almogueræ, Melchiorem Collaços Ordoñez, ejuſdem oppidi parochialem presbyterum. Alcoleæ de Torote, licentiatum de los Rios. Guardię, Franciſcum Maldonadum. Mondejaris, doctorem Petrum Martinez. Illeſcis, baccalaureum Sanctium Garſiam & Franciſcum de Avila. Canallis, Chriſtophorum de Herreza. Uzedæ, Philippum Vacca. Buitragi, Joannem Carranza. Talamancæ, licentiatum Plaça. Zoritæ, licentiatum Pradum. In populo de Alcoçer, Baccalaureum Villalobos, & baccalaureum Lucam Ferdinandum. Montalvani, donum Joannem Baptiſtam. Rodillis, licentiatum Meneſium. Maquedæ, Enecum Lopez de Medrano & Joannem de Herrera Hybarra. Sanctæ Eulalię, licentiatum Caſtroverde. Scalonę, Petrum Sahagun & Lucam Lopez.

106. In diœceſi Cordubenſi, Franciſcum Pachiecum, Decanum Eccleſiæ Cordubenſis, Petrum Ferdinandum de Valençuela, Alphonſum de Barajas, Magiſtrum Gaytanum Franciſcum Lopez incolam oppidi de Bujalançe, baccalaureum Portachuelum oppidi Aquilaris, Ferdinandum Pinum vicarium Lucenę, Melchiorem de Regibus vicarium Ramblę, Piedrahitam vicarium Palmę, Franciſcum Lopez baccalaureum, incolam oppidi Belli-Alcaçaris, magiſtrum Penuſcam vicarium de Villa-Pedroche, licentiatum Rayum vicarium Chilloni. Petrum Martinez de Laſtres, incolam oppidi de Vaëna.

107. In diœceſi Burgenſi, in ipſo archidiaconatu Burgenſi Alphõſum de Cuevas, & doctorem Benedictum Ugochonium canonicos Cathedralis Eccleſię. In ipſa urbe, baccalaureum Joannem Garſiam confeſſarium in Sancta Dorothea, atque itẽ baccalaureum Baëça preſbyterum parochialem ſancti Stephani. In archidiaconatu Trevinni baccalaureos Alphonſum Melendez & Joannem Delgadum, & Baccalaureum Nietum. In Archidiaconatu Valpueſtę, licentiatum Joannem Hugartem, & Didacum Martinez de Ceſpedes vicarium. In archidiaconatu Palençuelę, Curiel archipresbyterum, & baccalaureum Vega. In archidiaconatu Larę, licentiatum Nebredam, priorem de Covarrubias. In archidiaconatu Virbieſcę baccalaureum Balthaſarem Arciniegam.

108. In diœceſi Seguntina, & in ipſo archipresbyteratu Seguntino Franciſcum Salazarium cappellanum majorem, & canonicum Lucam de Spinoſa. In Archipresbyteratu Medinę-cœli doctorem Roxo, & doctorem Riberam.

In archipresbyteratu Atiençæ doctorem Ocaña & Baccalaureum Cendejas.

In archipresbyteratu Ayllonis doctorem Seguntiam & licentiatum Zapatam.

In archipresbyteratu Zifontano magiſtrum Romum, & baccalaureum Lacunam.

In archipresbyteratu Almaçani baccalaureum Lazarum, & baccalaureum Torralva.

In archipresbyteratu Berlanguę, Petrum de la Roa, & baccalaureum Ximenez.

In archipresbyteratu Caracenę, baccalaureum Alemanum, & baccalaureum Sanchez.

In archipresbyteratu Haricę baccalaureum Ruiz, & Petrum Garſiam.

In archipresbyteratu Molinę, Petrum Garçez de Marcilla, & baccalaureum Madrid.

In diœceſi Segobienſi, & in ipſa urbe doctorem Valderum; & Petrum de Frias canonicos, Antonium de Trinitate, & Dominicum Ortegam, & baccalaureum Tardon.

In archidiaconatu Sepulvedę, licentiatum de Proaño, & licentiatum Vera.

In archidiaconatu Cuellaris, Franciſcum de Sancto Romano.

In diſtrictu Coquenſi baccalaureum Alva archipresbyterum, & baccalaureum Zerbera.

Turvegani Truxillum presbyterum. In diſtrictu Pedrazę, licentiatum Vizcaya.

In diœceſi Palentina, & in ipſa urbe, licentiatũ Meridam, & doctorem Vadillum canonicos.

In archipresbyteratu Carrionis, baccalaureum Joannem Zeanum.

In archipresbyteratu de Poblacion, Beradinum Gonzalez.

In archipresbyteratu de Avia, Bernardinum Antonium.

In

In archipresbyteratibus de Herrera, Hojeda, & Ordejon, baccalaureum Peracancas.

In archipresbyteratibus de Caſtrejon, Cardaño, Poblaciones, & Vedoya, licentiatum Caloca.

In archipresbyteratibus de Paredes, Bezerril y la Cuença, baccalaureum Thomam Ferdinandum.

In archipresbyteratu de Caſtro-Mocho, baccalaureum Tintorem.

In archipresbyteratibus Medinæ de Rioſeco, Tor de humos, & Urueña licentiatum Didacum de Valbas Moreno.

In vicariis Empudiæ, Pedraza, Villæ-Martini, & Grijota licentiatum Vallejo.

In archipresbyteratibus de Aſtudillo, Valtanas, y Cebico licentiatum Muñoz, & baccalaureum Mancebo.

In archipresbyteratu de Peñafiel, baccalaureum Muñoz.

In archipresbyteratu Portilli, & vicaria Tudellæ, baccalaureum Marquez.

In archipresbyteratibus Septimancenſi, Torde-ſillas, & turris Lobatonis, baccalaureum Gallecum.

In archipresbyteratu de Dueñas, Lupum Brabum.

In diœceſi Conquenſi doctorem Alphonſum Ramirez de Vergara, canonicum in Eccleſia Cathedrali, Martinum Salmeronium, Laurentium de Oſma, & Millanam presbyterum parochialem Sancti Petri in urbe Huete, Velaſcum Carrillum ſcholaſticum Eccleſiæ Bellimontis, doctorem Gonzalvum Lopez, Petrum de Velaſco Caſtañeda, baccalaureum Fromeſtam de Lomas, baccalaureum Irançum, Joannem de Morillas, archipresbyterum Moyæ, Joannem de Arriba, Antonium Turencum, vicarium Hortæ, licentiatum Meſſiam, Æmilianum Ruiz de la Cova, vicarium Hinieſtæ, & baccalaureum Brabum.

In diœceſi Oxomenſi in ipſo archipresbyteratu Oxomenſi, licentiatum Alphonſum de Medina, archidiaconum Oxomenſem: Arandæ, Joannem Brabum: Roæ, baccalaureum Vocos priorem Eccleſiæ Collegiatæ: Açæ, Julianum de Ortigoſa: Soriæ, Joannem de Tormes.

In archipresbyteratu Gomaræ, baccalaureum Joannem Ruizium: Crunnę, Alphonſum de la Cal vicarium.

In diœceſi Giennenſi, in ipſa urbe, Didacum Gonzalez canonicum, & Didacum Salazarium portionarium, & doctorem Valentinum, priorem ſancti Ildephonſi: Baëçæ, Joannem Oconium, archidiaconum Ubedæ, doctorem Carlovalium, & doctorem Sorianum: Ubedæ, Ferdinandum de Ortega, cantorem Eccleſiæ Ubedenſis: Andujaris, Joannem de Collados: Alcaudeti, Gonçalum Vilches: Et Villæ-novæ, quæ Archiepiſcopi dicitur, licentiatum Poyatos.

In abbatia de Alcalà, quæ Regalis dicitur, baccalaureum Caſtellum, & baccalaureum Seguram.

Quos omnes ſancta Synodus in Chriſto Jeſu hortatur, ne quid agere prætermittant, quod ad tam ſalubre munus ſanctè & in reipublicæ utilitatem exercendum conducere poſſit.

Placent ne vobis, Reverendiſſimi Patres, hæc decreta? Et huic ſanctæ Provinciali Synodo finem imponi ad laudem Dei omnipotentis?

Reſponderunt: Placet.

Ego Chriſtophorus Epiſcopus Cordubenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Petrus Seguntinus diffiniens ſubſcripſi.

Ego Didacus Epiſcopus Segobienſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus Epiſcopus Palentinus diffiniens ſubſcripſi.

Ego Frater Bernardus Epiſcopus Conchenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Honoratus Epiſcopus Oxomenſis diffiniens ſubſcripſi.

Ego Didacus Abbas de Alcalà la Real, diffiniens ſubſcripſi.

In cuius fidem ſubſcripſi

Ego Gundiſalvus Melendez de Valdès, licentiatus, Cordubenſis proviſor, & ſancti Concilii Toletani Secretarius.

Domingo de Zavala.

LECTORI.

EPISCOPORUM, qui intervenêre huic Concilio, res geſtas & laudes narrant Hiſtorici, quotquot de Eccleſiis Hiſpaniæ, eorumque Antiſtitibus agunt; præſertim Ægidius Gonzalez Davila, in variis voluminibus Theatri Eccleſiaſtici. Nobis non licet uſque adeò vagari. Summùm itaque licebit ſuis locis Elogia quædam interſerere eorum Epiſcoporum in Conciliis ſubſcribentium, qui ſuis ſcriptis poſteritati memoriam aliquam reliquerunt.

ELOGIUM
ILLUSTRISSIMI
D. COVARRUBIAS,
EPISCOPI SEGOVIENSIS, ET SCRIPTORIS celeberrimi, qui huic Concilio interfuit.

Ex cl. v. D. Nicolai Antonii Tomo I. Biblioth. Hiſpanæ.

DIDACUS DE COVARRUBIAS ET LEYVA Toletanus, *vir non minùs doctrinæ præſtantiâ, eximioq́; in literas ſtudio, quàm ſupremis Hiſpanarum dignitatum honoribus illuſtris, Patrem habuit Alphonſum à Natali Oppido* Covarrubias *Burgenſis diœceſis cognominatum, Toletanæ Eccleſiæ Architectum, matremq́; Mariam Gutierrez Egas civem Toletanam. Schotus ad hæc avum maternum Belgam fuiſſe adjungit, & ipſum Toletanæ Eccleſiæ Architectum, cui origini patrium favet cognomen matris verè Hiſpanum, Toletiq́; vernaculum. His parentibus ortus anno præteriti ſæculi 12. quærendæ juris utriuſque peritiæ, poſt imbibitas primas literas, Salmanticæ unà cum Antonio fratre in domo Joannis patrui ejus Eccleſiæ Portionarii, ſic ardenter incubuit, eas ad hoc ſtudium attulit dotes ingenii ſubtiliſſimi, memoriæq́;, & imprimis recti & defæcati judicii, quibus induſtriam, ac diligentiam incomparabilem adjunxit, ut doctiſſimis inde venientibus literarum monumentis, quæ in utilitatem literariæ reipublicæ communia æqualibus & poſteris fecit, dum ſtudiis honor & pretium erit, inter clariſſima & utiliſſima, nullisq́; omnium ætatum ſecunda locus erit jure meritoque. Frater enim germanus ei fuit Antonius, inſignis & ipſe eruditione omnigenâ tam Latinâ, quàm Grecâ, de quo alius jam nobis obtigit referendi locus. Uterque ſub optimis præceptoribus utrique linguæ operam dedit; inter quos & Nicolaus Clenardus & Ferdinandus Nonius Pincianus fuit, qui in* Caſtigationibus Plinianis *non ſemel noſtrum Didacum laudat. Civilia deinde, & Canonica ſtudia ſectati ſunt ſub Martino Aſpilcueta Navarro, qui & ipſe hunc diſcipulum & auditorem ſequentibus annis, cùm in Juriſconſultum noſter jam evaſiſſet clariſſimum, præcipuè jactabat; necnon & Didaco Alava Eſquivel, tunc Salmanticæ Doctore, Abulenſi deinde, & Cordubenſi Antiſtite, qui* De Conciliis *doctè ſcripſit. Admiſſus poſtea inter Sodales Ovetenſis, ut vocant, collegii ejuſdem ſcholæ XXVI. annos natus, Doctoralia inſignia paullò pòſt ſuſcepit, locumq́; ſibi fecit ex Cathedra docendi Jus Canonicum: quo tempore in publicum datis aliquot ingenii ſui lucubrationibus in magna eſſe cæpit apud omnes ampliſſimæ hujus academiæ viros exiſtimatione. Sed hominem Reipublicæ natum opus erat non ultrà deteri profeſſorio munere. Quare is ad Granatenſem Curiam Senator; brevi q́; ad Civitatenſes veteris Caſtellæ, anno ſcilicet ejuſdem ſæculi LX. Pontifex ire juſſus fuit. Hoc ſpectabilis honore Tridentum ad reſumptam ſub Pio IV. Pontifice max. Synodum Generalem de ſe vnà cum fratre, & aliis totius Hiſpaniæ viris celeberrimis contulit: in quo totius Eccleſiæ theatro mirè ſibi corda omnium, judiciaq́; devinxit. Nam & decreta quotquot de Reformatione*

ſcripta

ſcripta ſunt, quorum formatio Didaco noſtro, Hugoniq́ Boncompagno, qui Gregorius fuit poſtea XIII. Papa, commendata fuerat, partes ſuas cedente ſocio, compoſuiſſe ac perfeciſſe ſolum, Joannes Horoſcius Covarrubias noſtri ex ſorore patruele nepos in Moralium Emblematum *libro ſcripſit. In reditu factus Segoviæ Epiſcopus anno DLXV. Deindeque DLXXII. in locum Didaci Eſpinoſæ S. R. E. Cardinalis demortui aſſumptus fuit ad Præfecturam magni Caſtellæ ſenatûs; quem integritate & prudentiâ eximiâ per ſexennium ferè magiſtratum geſſit uſque ad obitûs diem: qui Conchenſem jam deſtinatum Antiſtitem, clariſſimum hoc gentis noſtræ, incertum cujusnam majus ſplendidiusq́, Scholæ, an fori lumen, annis tribus minorem ſeptuagenario, hoc eſt verè ante diem, extinxit. Debemus quidem ei inter alia, quòd omnia hæc ſibi olim intus domiq́ annotata in ſchedis reliquit, unde vitæ illius profecerunt ſcriptores Ægidius Davila in* Matritenſi Hiſtoria, *& in* Theatro Segovienſis Eccleſiç, *Didacus Colmenares, & Petrus Martyr Rizius in* Segovienſis & Conchenſis *urbium* hiſtoriis: *nec non Andreas Schotus, Aubertus Miræus, Hieronymus Ghilinus, aliiq́: quorum poſtremus hîc excuſabili ignorantiâ in locorum enunciatione nonnulla peccat. Exquiſitam Covarrubiæ in omni genere diſciplinarum, quibus mirificè ornavit ſtudium juris, eruditionem libri ejus editi, quod ſuperiùs diximus, ſatis prudunt, ſed & uno ore quotquot literas amant, præcipuèq́ Juris prudentiam colunt ac docent; inſuperq́ ſingularem ejus induſtriam & diligentiam, purgatiſſimumq́ ante omnia judicium, quæ potiſſima eſt Juris conſulti laus, deprædicant; quorum aliqua huc teſtimonia conjicere non fruſtra erit. Martinus imprimis Navarrus maximâ quaque laude olim diſcipulum,* ex tempore illo (*inquit*) quo doceri poterat, *extollit,* de Sponſalibus *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 18. *& in cap.* Accepta, de reſtitut. ſpoliat. *in ſolutione X. oppoſitionis, num.* 20. Virum extra omnem ingenii aleam poſitum (*vocat Joannes Garſias,* De Nobilitate *ſcribens, gloſ.* 6. §. 1. *in fine*) & in omni genere diſciplinarum adeò excultum, ut de unaquaque, tanquam ſi de nulla alia didiciſſet, abundè & copioſè differere poſſet. *Idem* De expenſis *cap.* 1. Cùm moribus, tum virtute inſignem, doctrinâ clariſſimum, *Franciſcus Sarmientus Gienenſis Epiſcopus in ſuis* Juris Quæſtionibus. Juris utriuſque ſummum verticem, *Antonius Queſada* Quæſtionum *quoque* Juris *cap.* 16. Juris & æquitatis conſultiſſimum *Antonius Quintana-dueñas.* Virum præter utriuſque, Græci & Latini ſermonis peritiam, & ingentem quandam, tum ſacræ, tum profanæ vetuſtatis cognitionem, utriuſque Juris peritiſſimum, *Michaël Medina Franciſcanus* De ſacrorum hominum continentia *lib. V cap. LIII.* Doctiſſimum, & optimè de juris prudentia meritum, *Antonius Theſaurus* Deciſione Pedemontana VI. Juriſconſultum egregium, *Andreas Reſendius vocat, adjungens Opera ejus* ob ſingulare judicium doctis mirè placere, *in Epiſtola* ad Quevedum. *Nomine etiam* eruditiſſimi *compellat Chriſtophorus Beſoldus* Differt. de Majeſt. *ſect. I. cap. IV. num.* 2. *Sed graphicè videor mihi tandem deſcripturus verbis Joannis Parladorii doctrinæ genus Covarrubiæ dotesq́ ex nuncupatoria Epiſtola* Rerum quotidianarum *ad eum directa.* Ut nihil ſit in jure (*poſt alia ait*) ſive id ſit civile, ſive Pontificium, ſive Regium, vel ſcitu dignum, vel eruditione præclarum, vel ex uſu & utilitate commendandum, quod tuus ille acutiſſimus, ſimulque accuratiſſimus non attigerit ſtylus: nihil tam difficile, tam arduum, tam profundum ſit, quod acerrimi ingenij altitudine non expedieris, non explanaveris, non demùm planiſſimum effeceris: *cæteraq́ omnino videnda. Planè idiomatis Græci, quâ fuerit notitiâ imbutus, docent Schotus, atque item Morales in tract.* Antiquitatum Hiſpanarum *vernaculo: qui ſibi ab eo indicata refert Polybii, Plutarchiq́ teſtimonia de Salmantica urbe veræ lectioni ex fontibus Græcis reſtituta. Manet nunc quidem libraria ejus ſupellex apud hæredes, Ovetenſis nempè Collegii ſui ſodales, omni librorum genere conſtans, & in iis omnia diſciplinarum genera percurrentis induſtriæ indicium, omni oræ inſidens, & affixa diurni nocturniq́ obſervatoris manus. Otium etenim ſic averſatus fuit, nullam diei horam ire ſibi paſſus inutilem, ut & in graviſſimo, & occupatiſſimo Regiæ Præfecturæ munere etiam ſemihoræ ſpatium (Schotus ait) quo Senatores vnà ad Regem ingreſſuri expectare ſolent, elabi ſine fructu non ſineret: adeò ut per hoc intervallum, collegis inambulantibus, non multis menſibus Platonem, ac Rodigini* Antiquas Lectiones, *quaſi aliud agens, evolveret. Is tandem eſt Covarrubias, & quidquid de eo dixeris, minus erit. Apponam tamen de utroque fratre hîc ante Operum à noſtro relictorum laudationem, Hiſpanum (uti conceptum fuit: plura enim Hiſpana ſub icere Latinis ratio permittit ſcriptionis) Balthaſſaris Sebaſtiani Navarri elogium in præambula Epiſtola ad Sebaſtianum de Horoſco & Covarrubias* Theſauri Caſtellanæ linguæ *auctorem, eorundem fratrum Covarrubiarum propinquum. Sodalis erat is in Ovetenſi Salmantinæ Academiæ Collegio, Terulenſiſq́ Eccleſiæ Canonicus, cùm hæc ſcriberet:* Y es tambien notorio ſer U. M. ſobrino de los dos mas inſignes varones, que hà tenido nueſtro ſiglo en letras, criados ambos en eſta ſanta caſa de San Salvador de Oviedo. El primero es el gran Diego de Covarrubias, que baſta dezir ſu nombre, paraque en todo el mundo ſe entienda lo que mereciò, y valiò: el hombre mayor en el conocimiento de las letras humanas y divinas, que hà tenido Eſpaña; el que las naciones eſtrangeras llaman el Bartulo Eſpañol, gran Prelado, exemplo de los que tienen la ſuprema authoridad Epiſcopal, gran Preſidente del Real Conſexo de Caſtilla, por cuyas piſadas han caminado todos los que han deſſeado mucho cumplir con las obligaciones de aquel oficio; de cuyas obras no tengo paraque hablar; pues ſon tan conocidas y celebradas en el mundo. De lo que puedo ſer teſtigo de viſta, es, que en eſte Colegio mayor de Oviedo eſtà la joya que mas eſtimò en la vida, que es ſu libreria, que con ſer de las mas copioſas que hay en Eſpaña, y de todo genero de facul-

cultades, no hay libro ninguno en ella que no eſtè todo gloſado de ſu mano. coſa que como admira à todos, puede enſeñar à los de nueſtro ſiglo à ſer eſtudiantes, como lo han de ſer; pues en el golfo de los negocios, y govierno del mundo jamàs deſcuydò de eſtudiar, y paſsar ſus libros. El otro es el ſeñor D. Antonio de Covarrubias hermano ſuyo, primero del Conſejo Real de Caſtilla, y deſpues Canonigo y Maeſtre-ſcuela de la ſanta Igleſia de Toledo, donde muriò con univerſal ſentimiento de todos los hombres doctos: porque aunque no ſe aplicò à eſcrivir, como ſu hermano; fue opinion muy cierta de todos, que lo pudiera hazer tan bien como èl. Fue el oraculo de todos los hombres doctos de todas las facultades, à los quales, aunque havia perdido totalmente el ſentido del oido, hablava à cada uno en la ſuya coſas tan exquiſitas, quæ ninguno ſe apartava dèl ſin grandiſſima admiracion; pero particularmente los que profeſſavan letras humanas, le tenian por milagro en ellas, por el grande conocimiento de la lengua Griega y Latina, y admirable gracia y don en la facultad Poëtica. *Hæc ille: quorum eam partem, quæ de Antonii laudibus eſt, cujus elogio ſuperiùs, & in mentionem illius raptim deſcripto, ſubjunctam velim. Opera ejus ex ultima Antuerpienſi editione Joannis Meurſii ann. MDCXXXVIII. hæc ſunt duobus voluminibus contenta:*

PRIOR TOMUS CONTINET.

In Titulum Decretalium *de Teſtamentis* interpretationem: *olim editam anno* 1554.

De Sponſalibus Epitomen, ac de matrimoniis. *Olim* 1545. *primum quod dedit ſui ſpecimen.*

In caput, *Quamvis pactum.* de Pactis lib. VI. Decretalium: *ubi late* de Juramento. *olim anno* 1553.

In caput, *Alma mater.* de ſententia excommunicationis. lib. VI. Commentarios. *olim* 1554. *deinde &* 1560.

In regulam, *Poſſeſſor malæ fidei.* de regulis Juris lib. VI. Relectionem. *ubi* de poſſeſſione & præſcriptione.

In regulam, *Peccatum.* de regulis Juris in VI. Commentarios. *ubi latè* de reſtitutione. *De quo Opere Boëtius Epo vir oppidò eruditus lib. III.* Heroïcarum & Eccleſiaſtic. quæſtionum. *Qui Commentarius eſt ad titulum* de Immunitate Eccleſiarum *in Decretalibus, in cap.* Quia *VIII. num* 9. *de reſtitutione agens, ait*: Noviſſimè, præque ceteris latiſſimè rem totam perſequitur Covarrubias, *multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.* Nihil in ſumma relinquens eorum, quæ ſatiare poſſint ingenium quantumvis aviditſſimum. *Olim editi ſunt* 1554. & 1558.

In Clementis Conſtitutionem ſive Clementinam, *Si Furioſus,* de Homicidio.

Veterum numiſmatum collationem cum his quæ modò expenduntur publicâ & regiâ auctoritate percuſſa. Olim anno 1556. *fol.*

POSTERIOR AUTEM HÆC.

Variarum ex Pontificio, Regio, & Cæſareo jure Reſolutionum libros IV. *Quibus acceſſerunt in editione Antuerpienſi* 1604. *Joannis Uffeli Bruxellenſis juriſconſulti Notæ uberiores. Olim* 1552. & 1570. *Lugduni* 1594.

Practicarum Quæſtionum *librum ſingularem. Olim* 1556. *Lugduni* 1594.

De frigidis & maleficiatis, *tractatum doctiſſimum ex MS. codice Ovetenſis Collegii, in lucem poſtremum cæterorum Operum editum.*

Præter hæc typis edita, ſcripſit & alia, quæ ſive affecta, ſive perfecta reliquerit, adhuc latent; utpote:

Ad Concilium Tridentinum Notas, *quas MSS. vidit Didacus Colmenares; fuerunt q. in Bibliotheca Joannis Bertrandi à Guevara Compoſtellani Præſulis.*

Obſervaciones al Fuero Juzgo, *ſive* ad forum judicum, *veteres Hiſpaniæ tabulas, quas Antonius Covarrubias Didaci frater, is, quem non ſatis pro merito nuper laudavimus, perfeciſſe, typiſq. edendas commiſiſſe dicitur apud Hieronymum Romanum de la Higuera Jeſuitam, Toletanū, in tractatu adhuc inedito* de los Muzarabes, *ſive de Hiſpanis Mixt-Arabibus.*

De Pœnis *tractatum, cujus initium eſt*: Cùm ſuperioribus diebus, viri amantiſſimi, decreviſſem *&c. Quem dictavit Salmanticæ auditoribus anno MDXL. Hujus exemplum à Baccalaureo (uti ſe vocat) Texada deſcriptum ſervat Matriti D. Chriſtophorus Zambrana, & Villalobos, Calatravenſis eques, amicus noſter.*

Catalogo de los Reyes de Eſpaña, y de otras coſas ſeñaladas para razon del tiempo. Fundacion de algunas ciudades de Eſpaña. Advertencias para entender las inſcripciones. *Authographa hæc Thomas Tamayus vidit. Catalogus verò ille in Bibliotheca fuit laudati jam Guevaræ Antiſtitis, Colmenario etiam notus.*

Nec non & Didacus ipſe in cap. XI. quarti libri Variarum *refert ſe Gratiani decreto expurgando & corrigendo dediſſe operam, tercentum q. ferè locis reſtitutum id jam habuiſſe, cùm Antonium Auguſtinum Romæ egregiam operam huic negotio impendere novit. Segoviæ jacet ſub hoc titulo:*

Illuſtriſſimus Dominus D. Didacus de Covarrubias à Leyva, Hiſpaniarum Præſes, ſub Philippo II. hujus ſanctæ Segovienſis Eccleſiæ Epiſcopus hîc ſitus eſt. Obiit quinto Kal. Octobris anno Domini MDLXXVII. ætatis ſuæ LXXVI.

CON-

CONCILIUM VALENTINUM PROVINCIALE CELEBRATUM ANNO DOMINI MDLXV:

Nunc primò editum juxta correctionem à B. Pio V. Pont. Max. præscriptam: cujus Breve ad finem Concilii exhibetur.

INDICTIO EJUSDEM CONCILII.

MARTINUS Ayala, Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Valentinus, Reverendissimis in Christo fratribus Episcopis comprovincialibus, atque admodùm Reverendis Abbatibus, dilectisq; ac Reverendis canonicis & capitulis, cæterisq; magnificis & venerabilibus hujus provinciæ viris, quacumq; ii dignitate, officio, vel auctoritate fongantur, quibus ex jure, seu antiquâ consuetudine, aut privilegio, Conciliis hujus provinciæ interesse competit, salutem in Domino.

Dei virtus & sapientia Dominus noster Jesus Christus sponsam suam dilectissimam Ecclesiam ad consummationem usque sæculi duraturam, non solùm potestate ad se regendam & conservandam munivit, sed doctrinâ etiam cœlesti interiùs erudiente, & hominum consultationes ac judicia dirigente, mirabiliter confirmavit: nimirum pollicitus, ubicumq; duo vel tres in illius nomine essent congregati, in medio illorum se præstò affuturum. Quâ Christi Domini promissione Apostoli confidenter innixi, ad eas quæstiones, quæ jam tum in ipso nascentis Ecclesiæ exordio suboriebantur, dirimendas, aliquoties in unum convenerunt. Quorum exemplum deinceps sequuta Ecclesia non solùm œcumenicas Synodos, quoties rerum necessitas exegit, & per temporum conditionem licuit, frequentibus Patrum conventibus celebravit; verùm etiam minora in singulis provinciis Concilia crebriùs haberi debere, latâ etiam de ea re lege saluberrimâ, præcepit: ut scilicet in his corrigerentur provinciæ mores, lites componerentur, & ii etiam abusus, qui circa divinum cultum irrepsissent, utiliter extirparentur. Sed quoniam ea lex, hominum socordiâ ingravescente, & hostis antiqui versutiâ semper iniqua machinante, non sine magnis Ecclesiæ incommodis in desuetudinem jam pridem abierat; sacra & œcumenica Tridentina Synodus Conciliorum frequentiam volens restituere, confirmatâ denuò lege, sanctissimè instituit, ut intra annum à fine ejusdem Tridentinæ Synodi, & deinceps tertio quoq; anno, Provincialia Concilia ab omnibus Metropolitanis celebrentur. Nos equidem tametsi post reditum ex urbe Tridento, illicò ad hanc Ecclesiam Valentinam ex Segobiensi translati, magno animi affectu desideraverimus cùm cætera sacræ Tridentinæ Synodi decreta executioni mandare, tum verò ante omnia hoc Provinciale Concilium in nostra Ecclesia quamprimùm indicere: quominus tamen id nondum ex animi sententia præstare potuerimus, tum infirma nostra valetudo, tum gravia & difficilia negotia effecerunt: quæ quidem & venire me aliquanto seriùs in hanc urbem coëgerunt, & mox ingressum, tenuerunt aliquot mensibus irretitum. Nunc verò jam tandem his impedimentis, Domino concedente, liberati, ne opportunum hoc tempus ad rem adeò utilem ac necessariam præterire sinamus; decernimus, ut ad diem XVIII. mensis Octobris proximè sequentis, quo festum Divi Lucæ agitur, id Concilium apud nos congregetur: quem admodum præsenti hac convocatione, ad prædictum diem hoc ipsum Provinciale Concilium in nostra Ecclesia Metropolitana celebrandum, indicimus & pronunciamus. Quamobrem Reverendissimos Episcopos, & cæteros omnes ac singulos, quibus ex jure, consuetudine, vel privilegio in Conciliis hujus Provinciæ sententiam dicere competit, aut quibus etiam interesse ad dandum consilium licet, in Domino hortamur, & monemus, ac in virtute etiam sanctæ obedientiæ, & sub pœnis ac censuris, quæ, & jure, & statutis hujus Provinciæ continentur, ipsis districtè præcipimus, ut ad prædictum diem in urbem Valentiam ad hujusmodi Concilium nobiscum inchoandum, & prosequendum conveniant. Quòd si qui justâ aliquâ causâ fuerint præpediti, ad eum diem procuratores suos legitimos cum auctoritate mittant, qui huic Concilio Provinciali illorum nomine intersint: ut scilicet post lata suffragia, & audita etiam salutaria multorum consilia, quid ex utilitate

hujus Provinciæ ſit, maturiùs ac certiùs conſtituatur. Si qui verò ad hoc noſtrum mandatum implendum fuerint negligentes aut contumaces, ſciant ſe à nobis iis pœnis compellendos, quæ juris communis, & ſacrorum Conciliorum conſtitutionibus in ejuſmodi contumaciam ferri permittuntur. Quin etiam intelligant, & incipiendum à nobis eſſe, & tandem perficiendum hoc Provinciale Concilium, rogatis duntaxat eorum ſententiis, qui affuerint: cæterorum verò abſentiam vel contumaciam nihil omnino virium ſtatutis illius eſſe detracturam. Datum Valentiæ in noſtro Palatio Archiepiſcopali, anno à Nativitate Domini MDLXV. 15. Kalend. ſeptembris.

Poſteaverò idem Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus, juſtis de cauſſis, & literis etiam de ea re confectis, diem ſextum ejuſdem menſis Octobris huic Concilio inchoando deſignavit.

SESSIO PRIMA CONCILII VALENTINI PROVINCIALIS;

Sub Pio IV. Pontifice Maximo.

Habita in templo Metropolitano urbis Valentiæ die 11. *menſis Novembris* MDLXV.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Hæc provincialis Valentina Synodus ſub beatiſſimo domino noſtro, domino Pio, divinâ providentiâ Papa IV. Pontificatûs ejus anno ſexto; regnante invictiſſimo ac potentiſſimo Philippo II. domino noſtro, Hiſpaniarum Rege catholico, regni ejus anno decimo, legitimè congregata, præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo domino Martino Ayala Archiepiſcopo Valentino, perpendens totius ſpiritualis ſtructuræ fundamentum eſſe fidem, ſine qua impoſſibile ſit placere Deo, eamque his præſertim noſtris temporibus velut firmiſſimum ac tutiſſimum propugnaculum adversùs omnem hæreſim opponi debere; antiquorum Patrum veſtigiis inhærens, qui in Conciliis initio ſuarum omnium Actionum ac conſtitutionum hoc fidei ſcutum, quo omnia adverſariorum tela repellerent, proponere conſueverunt; ſacri etiam Tridentini Concilii normam ſecuta, Symbolum fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, præmittendum eſſe duxit: quod toto animo ipſa Synodus confitetur, miratur, & amplectitur. Id autem eſt quod ſequitur,

CREDO *in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium: Et in unum dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum: Et ex patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine: Et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: Et reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas: Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.*

Cùm autem magno animi affectu ſacrorum Generalium Conciliorum decreta fideles omnes complecti ac venerari debeant; ipſiuſque Concilii œcumenici Tridentini ſtatuta omnia maximè pia ſint & ſalutaria, & ad mores reformandos, atque ad præſentis noſtri temporis hæreſes convincendas valdè accommodata & efficacia; ideo hæc Synodus principiò ea omnia & ſingula, quæ à ſacroſancta Tridentina Synodo definita & ſtatuta ſunt, palam & integrè recipit, & ſervanda omnino eſſe decernit. Veram etiam obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondet, profitetur, ac defert, ſimulque hæreſes omnes à ſacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præſertim ab hac eadem Tridentina Synodo damnatas, publicè deteſtatur, & anathematizat.

Hîc inſerenda eſſet formula profeſſionis fidei à Pio IV. præſcripta. Sed cùm jam edita fuerit ſuprà initio Concilii Provincialis Toletani, viſum fuit illam de cætero prætermittere, legendam ibi.

TITULUS PRIMUS.

De doctrina & miniſtris ejus.

CAPUT I.

Prædicare nullus permittatur, niſi priùs ab Ordinario fuerit probatus, & ejus facultatem in ſcriptis obtinuerit.

QUONIAM prædicationis munus non quibuſcumque committi debet, ſed iis ſolùm, qui ad illud exercendum pro tanta ejus dignitate idonei meritò exiſtimari poſſunt; Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus, Synodo approbante, omnibus hujus provinciæ, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum capitulis & curatis præcipit, ne aliquem, etiamſi regularis fuerit, in ſuis Eccleſiis prædicare ſinant, niſi priùs ab Ordinario fuerit probatus, & ejus facultatem in ſcriptis obtinuerit. Capitulum ſi ſecus fecerit, quinque librarum, curatus verò unius libræ pœnâ multentur.

CA-

CAPUT II.

De Regularibus extra monaſteria vagantibus, & de iis, qui ad ordinem Canonicorum regularium ſunt translati, deq; prædicatoribus exteris.

REGULARES extra ſua monaſteria vagantes, etiamſi ſuorum ſuperiorum facultatem habeant, prædicare, aut Miſſas celebrare minimè permittantur. Iis verò, qui negotiis ſui Ordinis impliciti, aut ob aliam legitimam cauſſam, quam Ordinarius approbare debeat, extra monaſterium aliquamdiu egerint, facultas ab Ordinario poterit concedi.

Ut autem ſcandala, animarumque pericula vitentur, Regulares, qui ex ſuo Ordine ad Ordinem canonicorum regularium translati fuerint, & extra monaſterii ſepta vixerint, neque ad prædicationis munus, neque ad curam animarum regendam, neque ad confeſſiones audiendas, aut ad aliquod Beneficium admittantur.

Mandat etiam Synodus, ne ex aliis provinciis prædicatores exteri in hanc provinciam ad prædicationis munus obeundum vocentur, niſi priùs Ordinarius de ea re conſulatur.

CAPUT III.

Ne quis libros prohibitos imprimat, vendat, aut penes ſe retineat: ac ne etiam obſcœni libri in ſcholis legantur.

QUONIAM depravatorum librorum lectio multa Chriſtianæ Reipublicæ, his præſertim noſtris temporibus, mala intulit; cùm non ſimplicium tantùm, ſed quorundam etiam doctorum virorum animos in varios errores aliquando pertraxerit; ideircò Synodus hiſce periculis atque incommodis occurrere volens, ſtatuit, ne ullus in poſterum in hac provincia imprimat, aut imprimendum curet, ac ne etiam temerè venales habere præſumat, aut quovis modo ſciens penes ſe retineat libros prohibitos, qui falſam doctrinam, fidei videlicet, aut ſacris Eccleſiæ ſanctionibus contrariam, aut ullo etiam modo de fide ſuſpectam contineant. Qui contrà fecerit, ultra librorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, excommunicationis ſententiâ innodatus exiſtat. Quòd ſi quis his pœnis non reſipiſcens, in idem crimen iterum relabatur, contra eum, velut contra ſuſpectum, juxta formam juris Ordinarius procedat.

Quæ omnia, ut commodiùs præſtari poſſint, præcipit Synodus, ne liber ullus, de rebus præſertim ſacris conſcriptus, prælo excudendus tradatur, aut excudatur, quin priùs diligenter per Ordinarium, vel examinatores ab eo deligendos, examinatus & approbatus fuerit, & manu etiam ipſius Ordinarii, vel ipſo abſente, ejus vicarii generalis ſubſcriptus. De qua approbatione & ſubſcriptione in principio libri conſtare debeat. Qui aliter egerit, prædictâ pœnâ puniatur.

Et quia libri, in quibus de rebus laſcivis, vel obſcœnis ex profeſſo agitur, adoleſcentium animos facilè corrumpere ſolent; ſtatuit Synodus, ut ſingulis annis per viſitatorem ab Ordinario deputandum ſcholæ publicę viſitentur: qui libros, ex quorũ lectione mores inficiuntur, prælegi minimè permittat: quales ſunt Martialis, & nonnullæ Juvenalis Satyræ, quędam etiam Ovidii opera, & libri alii ſimiles. Quos qui adoleſcentibus prælegerit, præter decem aureorum multam, in eleemoſynam pauperum ſcholaſticorum convertendam, ſententiam etiam excommunicationis ſe noverit incurſurum. Vult etiam Synodus, ſcholas, in quibus pueri legere docentur, ſimiliter viſitari.

CAPUT IV.

In quibus hujus provinciæ Eccleſiis ſacræ Scripturæ lectio haberi debeat.

QUONIAM tam in Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis, quàm etiam in Collegiatis, & in monaſteriis monachorum, ubi commodè fieri poteſt, ac in conventibus etiam aliorum regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, juxta Tridentini Concilii ſtatutum, lectio ſacræ Scripturæ haberi debet; qua in re, ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum, in hoc ut ſedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis debent compellere: ideo ſtatuit Synodus, ut intra quatuor menſes à die publicationis hujus decreti computandos, in Eccleſiis Collegiatis Setabitana & Gandienſi, ac in monaſterio Sanctæ Mariæ Vallis-dignæ Ciſtercienſium, itidem in monaſterio Portæ-cœli, & apud Carthuſiam Majoricarum, ſimiliterque in monaſteriis Sancti Hieronymi de Cotalba, Sanctæ Mariæ de la Murta, & Sancti Michaëlis Regum, lector deligatur idoneus, qui ſacram apud eos Scripturam interpretetur: ne cœleſtis ille doctrinæ theſaurus jaceat apud eos neglectus, ac ne etiam cogatur loci Ordinarius (ut ſacro Tridentino Concilio pareat) ſi minus hoc fecerint, eorum expenſis ipſum lectorem deligere, qui hoc munus apud eos exequatur.

CAPUT V.

Qua ratione rudis populus ſit à Curatis docendus.

CUM iis, qui curam animarum ſuſtinent, ex munere incumbat, populum, quæ mala ab eo vitanda ſint, & quæ bona facienda docere, ne inſcius, & velut cæcutiens, qua via incedendum ſit, ignoret; ideo Synodus omnibus hujus provinciæ parochis, & aliis, quibus animarum cura incumbit, Eccleſias quomodocumque obtinentibus præcipit, ut per ſe, vel ſi legitimè impediti fuerint, per alios, diebus ſaltem Dominicis & feſtis ſolennibus, tempore

autem

autem jejuniorum, Quadrageſimæ, & Adventûs frequentiùs plebes ſibi commiſſas ſalutaribus eloquiis ac monitis pro earum captu paſcant, ſacram Scripturam, divinamque legem annunciando ac explanando, & omnia quæ ad ſalutem eis neceſſaria ſunt, docendo: ita ut relictis quæſtionibus inutilibus, aliquid ex Euangelio occurrenti explicent: & cum brevitate ac facilitate vitia quæ eos declinare: & virtutes quas ſectari oporteat, declarent. Quando verò illis legitimè impeditis, per alios hoc fieri oportebit, ſi Beneficium curatum valorem exceſſerit centum aureorum, impenſas faciet curatus: niſi fortè populi alios ſibi concionatores curioſiùs deligere velint, quando boni atque idonei à parochis offeruntur. Si verò non tam fuerit opimum Beneficium curatum, ut ad ſummam centum aureorum ejus redditus perveniant, tunc æquitas poſtulat, ut populus impenſarum etiam ad arbitrium Ordinarii particeps fiat. Quod quidem præſens decretum, ſi curatorum aliquis adimplere neglexerit, prima vice dimidio aureo, ſecundâ uno, tertiâ verò duobus aureis, in pios uſus convertendis, & per viſitatores abſque ſpe veniæ exigendis, puniatur. Quòd ſi his pœnis neglectis, contumaces ſuo muneri defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu aliàs ad ipſius Epiſcopi arbitrium coërceantur.

Parochi etiam teneantur Dominicis ac feſtis diebus poſt prandium per ſe, vel per alium, pueros ac puellas fidei rudimenta, ac obedientiam erga Deum & parentes docere: & aliis doctrinæ Chriſtianę inſtitutis linguâ etiam vernaculâ erudire. Cumque non deſint etiam adulti, qui Dominicam orationem, & alia fidei rudimenta ignorent, erubeſcantque cum pueris inſtitui ac doceri, dent operam parochi, ut Dominicis ac feſtis diebus, tempore præſertim Quadrageſimæ & Adventûs inter Miſſarum ſolennia, aliquid è doctrina Chriſtiana publicè explicetur: ita tamen, ut ob id ordinaria verbi divini doctrina non omittatur. Quòd ſi tempus pomeridianum inſtruendis adultis aptius pro qualitate loci ac perſonarum videbitur, id curatorum arbitrio relinquimus. Negligentes argenteo uno ſingulis vicibus multentur. Cujus rei examinandę cura penes viſitatores erit.

In iis autem locis, in quibus ad fidem recenter converſi degunt, curati diligenter ſtudeant, magnam ſalutis illorum rationem habere, & ea illis explicare, ex quibus paullatim rebus fidei noſtrę aſſueſcant, & Chriſtum Dominum puro corde, & fide non ficta confiteri diſcant.

CAPUT VI.

Quæ ſpectent ad curatorum munus.

CURATI, quoniam curę præficiuntur animarum, ac proinde aliorum duces in Eccleſia Dei conſtituuntur, tales eſſe debent, quorum exemplo reliqui ad omnem bene vivendi rationem accendantur. Ne ſi duces cęci fuerint, ii qui ſequuntur, ſimul cum ducibus à via turpiter deflectant. Quare oportet curatum virum eſſe ætate & moribus gravem, literarum etiam ſcientiâ peritum; qui ſcilicet alios, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, docere, & ad bonum hortari, & ſi quos errantes viderit, in viam reducere ſciat. Modum etiam & rationem rectè adminiſtrandorum ſacramentorum tenere debet, domum templo propinquam incolere, in templo frequenter agere, ut omnibus qui ejus miniſterio indiguerint, præſtò eſſe poſſit. Si quos noverit mortis periculo laborare, illis adeſſe, eoſque ad bene moriendum piè hortari debet; diſſidia componat, pauperum rationem habeat, & illos imprimis apud ſe notet, qui in publico aliquo peccato verſantur. Quos delicti admoneat prudenter, ut juxta ſtatutum Euangelicum eos Domino lucrari poſſit. Quibus ſi viderit monitiones minùs prodeſſe, Prælato illos ſecretò denunciet. Quod ipſum qui leucis quinque, vel minùs diſtabunt, bis ſingulis annis, poſt Paſcha videlicet, & menſe Novembri; qui verò longiùs aberunt, ſemel ſaltem in anno, hoc eſt, poſt Paſcha, facere debeant. Alioqui pœnam duarum librarum, in uſum pauperum & fabricę æquis portionibus dividendarum, incurrant.

SESSIO SECUNDA

SUB PIO QUARTO

PONT. MAX.

Celebrata die nona menſis Decembris MDLXV.

CUM ſacramentorum, quæ in Eccleſia Dei adversùs peccatum remedia ſunt ſaluberrima, cognitio parochis ſit neceſſaria; & abuſum omnem, ſi quis fortè in eorum adminiſtratione irrepſit, prohiberi maximè oporteat, Provincialis Valentina Synodus, præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo domino Martino Ayala Archiepiſcopo Valentino, hęc de ſacramentis, & recta eorum adminiſtratione, ne quid huic provinciæ ea in parte deeſſe poſſet, ſtatuenda eſſe duxit.

TITULUS SECUNDUS.

De Sacramentis, & recta eorum adminiſtratione.

CAPUT I.

De præparatione miniſtrorum ad ſacramentorum adminiſtrationem.

QUONIAM ſacramenta Eccleſię à Chriſto Domino inſtituta, ad gratiam conſequendam ſunt efficaciſſima, & quæ ſancta ſunt, ſanctè contrectari debent; æquiſſimum certè fuerit, ac etiam neceſſa-

rium,

rium, magna animi puritate ea adminiſtrare, quæ admirabili Dei beneficio ad noſtram omniũ ſalutem ſunt nobis collata. Ut quemadmodum hęc ſalutis noſtræ ſacramenta magna ſunt, atque inſignia, ita ſinceriore cordis examine, & majore animi munditie tractentur, ac populis miniſtrentur. Nam ſi Levitis in veteri lege, quia vaſa Domini portaturi erant, mentis puritatem inſignis ille propheta tantopere commendabat, dicens: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*; quantò propenſiore cura ſacramentorum novæ legis miniſtri cavere debent, ne peccatorum maculis fœdati, ad ea contrectanda accedant: quę tantò omnibus antiquę legis cęremoniis, & ſacramentis ſunt præſtantiora; quantò Euangelica lex vetere illa Moſaïca eſt ſuperior? Qui ergo vel ſacro fonte aliquem abluere, vel alicujus confeſſionem audire, vel ſacroſanctam Euchariſtiam, vel aliud quodvis ſacramentum miniſtrare voluerit, videat diligenter, ne alicujus contaminatione peccati inquinatus, rem ſacram attrectet, atque ita peccatum peccato addat, & deterior quàm priùs erat, efficiatur. Qui enim mortalis peccati ſibi conſcius, ſacramenti alicujus adminiſtrationem audet peragere, ſciat ſe ea in re graviſſimè in Deum delinquere. Dent etiam operam qui inter ſacra Miſſarum ſolennia, vel Euangelium, vel Epiſtolam canunt (qui actus ordini ſacro ſunt annexi) ut dignè, & ut rerum ſacrarum miniſtros decet, ſuum munus adimpleant. Qui verò ad populum ſacras conciones habent, ipſumque bene ac ſanctè vivendi rationem docent, caveant, ne eis verè illud objici poſſit: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Et illud: *In quo judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.*

CAPUT II.

De ſacramento baptiſmi.

PRIMUM illud curati intelligant, ſui muneris eſſe, cùm opportunum eſſe viderint, præſertim quando hoc ſacramentum conferendum erit, populum admonere, quanta ſit virtus & efficacia ſacramenti baptiſmi, quanta etiam ejus neceſſitas ad ſalutem conſequendam. Cùm enim per primi parentis peccatum morti æternę eſſemus obnoxii, ac proinde filii iræ; per baptiſmum tamen Chriſtum induentes, regeneramur ad vitam, & nova creatura in illo efficimur, omnium peccatorum remiſſionem conſecuti. Ut verè lavacro baptiſmi corporis Chriſti membra ſpirituali gratiæ vinculo illi conjuncta efficiamur, & ad reliqua etiam Eccleſię ſacramenta jus acquiramus. Unde in domum Dei, hoc eſt, Eccleſiam per baptiſmum aſciti, domeſtici ejus, & ob jus cœleſtis patrię, quod hoc etiam ſacramento aſſequimur, jam etiam nunc Sanctorum cives ab Apoſtolo meritò appellamur. Hæc igitur, & alia eòdem pertinentia curati de virtute hujus ſacramenti plebem admoneant, ac de reliquorum etiam ſacramentorum virtute, cùm tempus & occaſio poſtulabunt, aliquid populis explicent: quò magis illorum animi ad amorem & cultum divinarum rerum accendantur.

CAPUT III.

Sacramentum baptiſmi in templis, & ſine ullo pacto eſſe miniſtrandum.

BAPTISMUS ſacramentum omnium primum, & illorum janua, dignè ac decenter, ut reliqua omnia ſacramenta, adminiſtrari debet. Quare precipit Synodus, ne in privatis domibus, ſed in Eccleſia tantùm conferatur. Et ut omnis ſcandali tollatur occaſio, etiam ſub pœna excommunicationis, & dimidii aurei jubet, ne aliquid in ejus collatione exigatur.

CAPUT IV.

Infantes quando in ipſa eorum nativitate ſint baptizandi; & qui baptizati ſunt, non eſſe à curatis rebaptizandos.

CUM ad nos perlatum ſit, infantes in ipſa eorum nativitate ferè ſemper in hac noſtra provincia ſolitos eſſe ab obſtetricibus baptizari; unde periculum oritur, ne poſtquàm ad Eccleſiam delati fuerint, baptiſmi iteratio fiat; iccircò Synodus ſtatuit, ne obſtetrix ipſa, aut ullus alius, infantem dum naſcitur, baptizare auſit, niſi urgens mortis periculum imminere viderit. Quando verò infans ad Eccleſiam fuerit delatus, interroget parochus, num baptizatus ſit. Quòd ſi reſpondeatur, baptizatum eſſe; requirat diligenter, an debitâ formâ & modo fuerit baptizatus. Ex quibus ſi certò colligat, infantem verè baptizatum fuiſſe, caveat ne baptiſmum iteret. Catechiſmum tamen, unctionem olei, & chriſmatis, & alia quæ jam baptizato convenire poſſunt, peragat. Quando verò non poterit certò colligere infantem baptizatum eſſe, ac proinde hęſitaverit num verè ſit baptizatus, tunc ſub conditione illum baptizet. Et ne obſtetrices, quæ fortè aliquando quos verè baptizârunt, reſpondere ſolent non fuiſſe baptizatos, in re tam gravi impunè mentiantur, mandat illis Synodus, ut interrogatæ à parocho, vel ab eo qui ejus vicem geſſerit, num infans baptizatus ſit, verè quod res ipſa habet, reſpondeant: quibus, ſi mendacii convictę fuerint, trium librarum pœna indicitur.

CAPUT V.

Adulti antequam baptizentur rudimenta fidei doceantur.

PRÆCIPIT Synodus, ne adulti à curatis baptizentur, quin priùs ſufficienti tempore rudimenta fidei edocti fuerint. Si quid autem ea in re dubii incidat, non aliter id faciant, quàm conſulto prius Ordinario, vel ejus generali vicario. Qui ſecus egerit, libras duas perſolvat.

CAPUT VI.

Infantes à matribus poſt puerperium in propria parochia Deo eſſe offerendos.

PUERPERÆ, quæ poſt conveniens tempus domo egreſſæ, Eccleſiam adeunt, tum ut infantem Deo offerant, tum etiam ut pro ſuſcepto beneficio illi gratias agant; non ad aliam, quàm ad parochiam ipſam, in qua ſcilicet infans beneficium regenerationis ſuſcepit, ſe conferant: idque faciant prima ſtatim vice, quâ domo egrediuntur. Mulieri, quæ hoc ſtatutum non ſervaverit, quinque argenteorum multa irrogatur; quam poterit curatus, ſi mulier pauper fuerit, pro ſuo arbitrio minuere.

CAPUT VII.

Nuper converſi filios ſibi natos intra diem unum denuncient.

NUPER ad fidem converſi, quoties eis infans aliquis natus fuerit, intra diem unum parochos ſuos ejus rei certiores faciant; ne parentum incuriâ aut dolo hujus ſacramenti beneficio parvuli priventur: alioqui unius aurei multa eis imponitur.

CAPUT VIII.

Machometanorum inſtitutores puerperas & ægrotos ne inviſant.

QUONIAM Machometanorum inſtitutores, quos *Alphaquinos* vocamus, peſſimi ſunt, & prava ſua conſuetudine alios facilè inficere ſolent, prohibet illis Synodus, ne vel mulieres puerperas, vel ægrotos mortis periculo laborantes quacumque occaſione inviſant. Contra agentes duobus aureis multentur. Ipſis etiam ægrotis graviter laborantibus præcipit, ut parochum ad ſe vocari curent: alioqui aureum unum ſolvant. Quin & medici, qui primâ vice ab ægrotis vocati, eos non admonuerint, ut parochum ad ſe accerſiri jubeant, majori ſumma multentur. Vel ſi poſtquam admonuiſſent, & ſecunda vice accedentes, ægrotos non paruiſſe viderint, ad eos nihilominus poſtea revertantur.

CAPUT IX.

Parvulos nuper converſorum in templo, & nitidis veſtibus indutos baptizandos eſſe.

STATUIT etiam Synodus, ut ad fidem nuper converſi parvulos ſuos ad templum ſuſcipiendi baptiſmi gratiâ deferant: eoſque non, ut multi ſolent, veſtibus vilioribus, atque etiam laceris induant: ſed ornent potiùs melioribus ac nitidioribus indumentis, utpote qui baptiſmo initiandi ſint, in quo nitidam ac candidam innocentiæ veſtem ſunt ſuſcepturi. Illud itidem ſub unius aurei pœna præcipit, ne hi infantes aliis quàm Sanctorum, aut Sanctarum nominibus in baptiſmo appellentur.

CAPUT X.

De ſacramento confirmationis.

SACRAMENTUM confirmationis, quod manuum impoſitione Apoſtolorum conferebatur, magno ſemper in honore fuit. cujus virtute, qui baptizati fuerant in nomine Domini Jeſu, dum ſuper illos Apoſtoli manus imponerent, Spiritum ſanctum acceperunt. De quo ſacramento Melchiades Pontifex piè ac graviter ſcripſit: *Spiritus* (inquit) *ſanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam: quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inviſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur.* Quæ omnia conſiderans Synodus, Prælatos hortatur, ut ſedulò advertant, ne huic ſacramento debitus in Eccleſia honor deeſſe videatur: & quoties ſacramentum hoc adultis conferendum erit, non niſi eâ, quâ decet, animi præparatione accedentibus, & ſua etiam peccata confeſſis conferatur.

CAPUT XI.

Certis anni temporibus ſacramentum confirmationis publicè conferendum.

CURENT Prælati, ut in civitatibus in quibus reſident, duobus, aut tribus anni temporibus ſacramentum confirmationis publicè miniſtretur. Quod potiſſimùm præſtare poterunt à feſto Reſurrectionis Dominicæ uſque ad feſtum Pentecoſtes, & tempore Adventûs, vel cum ipſi opportunum magis judicaverint. Confirmatorum nomina, & ipſorum ſuſceptorum, & confirmantis in libro uno deſcribenda cenſemus: ne aut ſacramenti iterandi occaſio detur, aut matrimonia confundantur, ſi ſpiritualis cognatio, quæ ex confirmatione contracta fuit, ignoretur.

CA-

CAPUT XII.

De ſacramento pœnitentiæ.

POENITENTIÆ Sacramentum ut maximè in Eccleſia Dei neceſſarium eſt, quòd ſcilicet poſt Baptiſmum, & commiſſum à nobis peccatum, unicum ſit ſalutis noſtræ remedium, ita multum intererit à quibus illud miniſtris conferatur. Cùm enim totus ille vetus Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor jam ferè perierit, & graves illæ, quæ pro peccatis injungebantur pœnitentiæ, ſint antiquatæ, niſi in hujus adminiſtratione ſacramenti æquitatis ratio in ferendo judicio & pœnitentia adhibenda habeatur, multorum certè peccata fovebuntur, quin & multis ad nova perpetranda occaſio etiam dabitur. Quare Synodus iis omnibus, qui in hac provincia confeſſionibus audiendis operam dabunt, diſtrictè præcipit, ut omni ſtudio ac diligentia vitæ rationem ipſius pœnitentis expendant, & quoties acri medicamine opus eſſe intelligent, non eâ utantur veniæ facilitate, quâ peccatis fomenta potiùs addere, quàm ea ex pœnitentium animis velle prorſus depellere videantur. Perſpicuum autem eſt, præter ſacramentalem confeſſionem, quæ ſacerdoti fit, quam à Chriſto Domino inſtitutam, & nobis neceſſariam Eccleſia ſemper intellexit, in ipſo pœnitente ad hujus integritatem ſacramenti neceſſariam eſſe contritionem, quæ dolorem de peccatis ſuſceptum, & eorum deteſtationem propter Deum continet. Qui enim non aliter ſuorum peccatorum ſeriem detexerit, quàm velut quandam rerum à ſe geſtarum hiſtoriam narrans, nullo animi ſenſu, nullo dolore cumpunctus, is certè nullum ex pœnitentiæ ſacramento fructum conſequetur. *Recogitabo*, dicebat Propheta, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Et alibi: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum*. Odiſſe igitur, ac deteſtari peccata oportet, & inde in novam vitam exurgere, quam per divinam gratiam medio ſacramento aſſequimur. Satisfactio inſuper, quâ pro peccatis noſtris juxta imbecillitatem noſtram, innixi tamen Dei miſericordiæ ſatisfacimus, ad hoc ſacramentum pertinet. Cùm enim poſt culpæ remiſſionem temporalis pœna pro peccatis ſubeunda ut plurimum ſuperſit, ad illius ſaltem aliquam partem ſolvendam, & ad præteritorum etiam peccatorum vindictam & caſtigationem injuncta à ſacerdote, virtute etiam clavium, pœnitentia à nobis impletur. Videant ergo ne graviſſimos morbos leviſſimo pharmaco curari poſſe exiſtiment: ſed prudenter ac peritè ea medicamina adhibeant, quæ ſingulis morbis ſint accommodata: qualia ſunt jejunia, eleemoſynarum largitiones, & orationes, ſi carnis affectibus, avaritiæ, & animorum deſidiæ mederi voluerint. Si quis verò cum evidenti proximi injuria, vel ejus famam læſit, vel ejus facultates injuſtè retinet, & cùm poteſt, damna rependere ac reſarcire negligit, non eſt hujus ſacramenti beneficio dignus. Propinquę etiam peccandi occaſiones ſunt prorſus auferendæ. Qui enim peccata, quantum in ſe eſt, non avellit radicitus, nec vitam in melius commutare ſtatuit, fructum hujus ſacramenti non aſſequitur. Quæ omnia, atque alia eòdem pertinentia, ſedulò perpendant qui confeſſionibus audiendis præficiuntur, ut ſuum munus dignè adimplentes, & ad Dei laudem in eo verſati, divinam in judicio ultionem vitare atque effugere poſſint.

CAPUT XIII.

Quo ætatis tempore fideles peccata confiteri debeant.

LAUDAT Synodus illorum morem, qui ſeptem aut octo annorum pueros ad confeſſionem faciendam mittunt, ut eos tam ſalutari ſacramento ſuſcipiendo aſſuefaciant. Illis tamen in quibus perfectus rationis uſus vigere jam cœpit, quod à duodecimo ad decimum quartum annum ſolet accidere, præcipit Synodus, ut tempore ab Eccleſia definito peccata ſua proprio ſacerdoti, aut iis qui ab Ordinario deſignati erunt, confiteantur: & pro judicio & ſententia confeſſoris ſacram etiam Euchariſtiam recipiant.

CAPUT XIV.

Deſcribenda à curatis illorum nomina, qui præcepto confitendi peccata in Quadrageſima obligantur.

MAGNO animi dolore ferens Synodus, multos eſſe, qui ad ſanctum pœnitentiæ ſacramentum ſegniter accedant, rationes multas exquiſivit, quibus ad tam ſalubre animæ medicamentum omnes attraheret. His igitur quoad fieri potuit, animadverſis, curatis omnibus præcipit, ut primâ Quadrageſimę die eorum nomina deſcribere incipiant, quos obligatione hujus ſacramenti ſuſcipiendi in ſua parochia devinctos eſſe intelligent: ipſoſque ſedulò moneant, ne ſuſceptionem ſacramenti hujus in poſtremam Quadrageſimæ partem differant, doceantque populum ipsâ Dominicâ in Albis tempus ab Eccleſia confeſſioni præſcriptum finiri ac terminari: ac eos qui eâ Dominicâ tranſactâ non jam peccata ſua confeſſi fuerint, & ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, niſi fortè conſilio confeſſoris à communione aliquamdiu abſtinendum eſſet, jam tunc præceptum Eccleſię, quod capite, *Omnis utriuſque ſexus*, continetur, fuiſſe tranſgreſſos. Qui tranſactâ Dominicâ in Albis prædicto Eccleſiæ præcepto nondum paruerint, ſi fuerint familiarum capita, viginti ſolidos; alii verò decem pendant. Inſuper adversùs eoſdem præcepti Eccleſiæ tranſgreſſores tres generatim monitiones fiant: prima quidem in ſecunda Dominica poſt Paſcha, reliquę verò duabus ſequentibus Dominicis, ut ita ſingulis monitionibus una aſſigne-

tur hebdomada. Quando verò ad quintam Dominicam poſt Paſcha perventum erit, nec mandatis adhuc obedierint, excommunicati nominatim in ipſa quinta Dominica, & ſequentibus Dominicis, donec præ pudore reſipiſcant, declarentur. Curatus qui huic ſtatuto, omni ſeclusò perſonarum diſcrimine, non fuerit obſecutus, trium librarum multâ, & pro Ordinarii arbitrio puniatur. Jubet verò Synodus præſens decretum primâ Dominicâ Quadrageſimæ ab ipſis curatis annis ſingulis populo in templis publicari.

CAPUT XV.

Quando proprio curato de confeſſione alteri facta fides fieri debeat.

SI qui eo tempore, quo ex Eccleſiæ præcepto, omnis utriuſque ſexus obligantur, alteri, quàm proprio curato, peccata ſua confeſſi fuerint; præcipit Synodus, ut antequam ad ſacram Communionem accedant, proprio curato confeſſionis factæ fidem faciant chirographo manu ipſius confeſſoris ſubſcripto, aut ſigillo monaſterii obſignato, in quo pœnitentis nomen ſit deſcriptum.

CAPUT XVI.

Qui poſſint confeſſiones audire.

NULLUS niſi parochiale Beneficium habeat, audire confeſſiones auſit, præterquàm qui ab Ordinario approbatus fuerit, & illius facultatem, quæ gratis detur, in ſcriptis habuerit. Alioqui quinqne libris multetur, aut diebus octo carceris pœnâ afficiatur.

CAPUT XVII.

Confeſſionibus audiendis apta loca erigenda eſſe.

CURENT capitula & parochi erigi in templis confeſſionalia, in quibus apto & patenti loco confeſſiones, potiſſimùm fœminarum, audiri poſſint. Confeſſores autem hortatur Synodus, ut quoad fieri poterit, cùm in templis confeſſiones audient, ſuperpelliceis utantur, quò decentiùs ſacramenti adminiſtratio fiat.

CAPUT XVIII.

Vota non leviter commutanda eſſe: & illorum commutationem à confeſſoribus in propria commoda verti non debere.

PRESBYTERIS omnibus, qui in hac provincia confeſſiones audiũt, injungit Synodus, ut diligenter curent, ſi quando vel bullæ alicujus, vel particularis indulti Pontificii, vel etiam Ordinarii facultate vota aliqua in alia pia opera ab ipſis commutanda erunt, ne ea vota, quæ multis alioqui impenſis, vel magno corporis ſenſu implenda erant, in rem quamcumque, etiam leviſſimam, commutent. Debet enim in his commutationibus aliqua juſtitiæ ratio haberi, & pro perſonarum qualitate commutatio votorum fieri. Quòd ſi aliqua in his dubitandi ratio ſe offeret, doctiores conſulant; vel ipſum etiam, ſi opus fuerit, Ordinarium. Illud inſuper confeſſoribus maximè prohibet, ne eorum ullus aliquam vel votorum, vel rerum quarumcumque commutationem, vel ea etiam, quæ pœnitenti in ſatisfactionem pro peccatis injunxerit, in ſua commoda & uſus convertat, quantumvis acceptâ aliquâ pecuniæ quantitate ſe Miſſas celebraturum eſſe dicat. Vult enim Synodus, potiſſimùm in ſacramentorum adminiſtratione, tolli omnem mali ſuſpicionem. Qui contrà fecerit, in excommunicationem incidat.

CAPUT XIX.

De ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento.

EUCHARISTIÆ ſacramentum, in quo Dominus ſui erga nos amoris maxima argumenta edidit, ob inſignem auctoris omnium ſacramentorum præſentiam, ſacramentorum omnium præſtantiſſimum, ſingulari veneratio ne à cunctis fidelibus coli, atque adorari debet: utpotè in quo Dominus uberes ſuæ bonitatis divitias in nos velut effudit, & memorabilium ſuorum memoriam brevi quodam compendio complexus eſt. Quod quidem ex hoc mundo ad patrem diſceſſurus, nobis reliquit; ut unitatis ſignum, & mutuę charitatis vinculum eſſet, quo fideles omnes inter ſe, ac cum eodem ipſo omnium capite Chriſto copularentur. Quare cùm res omnes ſacras magna veneratione proſequi debeamus; certè quo inſignior, ac pręſtantior eſt hujus ſacramenti dignitas, eo majori animi pręparatione & ſanctitate ad ipſum ſuſcipiendum fideles omnes oportet accedere. Quæ omnia maturè conſiderans Synodus, monet atque hortatur parochos omnes, ut cùm opportunum eſſe judicaverint, plebem ſibi commiſſam ſedulò doceant quàm ſalubriter hoc ſacramentum, quod animę noſtrę divinus ac ſpiritualis eſt cibus, mentem noſtram reficiat, ſuſtentet, ac roboret. Quod dum facient, ac reliquos etiam admirabilis hujus ſacramenti fructus populis explicabunt, ad frequentem illius uſum eos hortentur & alliciant: ut ejus vigore confortati, totius hujus vitæ curriculum faciliùs conficientes, ad cœleſtem tandem patriam in fortitudine cibi illius pervenire poſſint.

CAPUT XX.

Tempore Paschæ in sua quisque parochia sacram Eucharistiam sumant.

CUM ad boni pastoris munus pertineat, vultum ovium suarum agnoscere, ut oves à propriis pastoribus convenienter alimenta sumant; reprehendit Synodus illorum abusum, qui sacram Eucharistiam eo tempore, quo ex præcepto Ecclesiæ in Pascha obligantur, percepturi, propriis curatis relictis, ad alios illius sumendæ gratiâ se conferunt: quare præcipit, ne id in posterum fiat, sed ut in sua quisque parochia tunc Eucharistiam piè ac reverenter suscipiat. Alioqui, ut præcepti Ecclesiastici transgressor habeatur. Neque liceat curatis, alicui, ut extra parochiam prædicto tempore Eucharistiam sumat, facultatem concedere, nisi de consensu Ordinarii. Iis, qui secus fecerint, duarum librarum multa sit irrogata. Infirmi verò quando ob mortis periculum sacram Eucharistiam domi suscipere voluerint, tum ut Christiani sui animi signa promant, tum etiam ut reliquos suo exemplo invitent, ab ipso templo, & à proprio suo parocho eam deferri curent.

CAPUT XXI.

Quando liceat noctu sacram Eucharistiam ad infirmos deferre.

CUM sacra Eucharistia ad infirmos reverenter atque honorificè, quoad fieri potest, deferenda sit, neque id commodè noctu fieri queat, præcipit sancta Synodus sub decem solidorum pœna, ne noctu ad infirmos deferatur, nisi ob urgens infirmi alicujus periculum.

CAPUT XXII. aliàs XXIII.

De sacramento matrimonii.

DOCEANT curati plebes sibi commissas, quantum & auctoris majestate, & temporis vetustate matrimonium commendandum sit. Quod statim initio creati orbis in officium naturæ à Deo est institutum, & ab eo etiam benedictione sacratum. Post hominis verò lapsum, quod sanis institutum fuerat in officium, ægrotis fuit etiam in peccati remedium. Denique in lege Euangelica à Christo Domino confirmatum, & ejusdem legis sacramentum institutum, dignè accedentibus ex ipsa sacramenti ratione gratiam confert. Est & alioqui magnum hoc sacramentum in Christo, & Ecclesia: cujus nimirum institutione, arctissima & indissolubilis Christi & Ecclesiæ conjunctio mysticè præsignata fuit. Sunt ergo admonendi, qui matrimonio jungi volunt, quanta sit hujus sacramenti dignitas & præstantia, ac proinde hujus potissimùm rei gratiâ matrimonium ab ipsis contrahi debere, ut servata sibi fide, & mutua se dilectione prosequentes, finem in quem matrimonium institutum est, à Deo sperent, & ejus ope assequantur: ne etiam ipsos turpis affectus obruat, ne voluptas ab honesto dejiciat: sed sit inter eos honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: ut mulieres viris subditæ sint, eosque revereantur: ac ut vicissim viri uxores suas diligant, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Doceant ergo non esse utcumque ad hoc sacramentum accedendum, sed eâ, quâ decet, animi præparatione: ac proinde eos hortentur, ut antequam verbis de præsenti contrahant, vel saltem ante nuptialem benedictionem, quam extra parochialem Ecclesiam sumere non debent, peccata sua diligenter confiteantur, & sacram Eucharistiam piè ac sanctè suscipiant.

CAPUT XXIII. aliàs XXV.

Qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahunt, excommunicantur.

QUI scienter intra gradus prohibitos matrimonium contrahere præsumpserit, ac is etiam multò magis, qui non tantùm contrahere, sed & consummare illud ausus fuerit, excommunicati ipso facto existant: aliisque pecuniariis, & corporis pœnis, etiam exilii, pro arbitrio Ordinarii puniri possint. Quicumque autem quocumque fine, etiam sub spe dispensationis habendæ, intra gradus prohibitos ad carnis commistionem accedere non fuerint veriti, tanquam incestuosi ab Ordinariis acriter puniantur. Qui verò consanguinitatis vel affinitatis impedimenta scientes, hujusmodi matrimoniorum contractus, quoad poterunt, non impedierint; & qui post auditas in templis monitiones, hæc impedimenta non manifestaverint, sex librarum, vel alia majori pœna, arbitrio Ordinarii imponendâ, afficiantur.

CAPUT XXIV.

Adversùs dolos, quibus ad fidem nuper conversi in contractu matrimonii uti consueverunt.

SOLENT nuper ad fidem conversi, cum filios suos aut filias matrimonio collocare volunt, miris atque exquisitis modis matrimonii contractum obscurum atque incertum reddere: ut aliquando parentes sola pactione, quâ inter se consentiunt, hujusmodi contractum inter filios callidè perficiant. Quem quidem contractum, ut libet, pro temporis occasione jam matrimonium esse asserunt, jam verò negant: unde solent controversiæ multæ ac lites oriri. Iccircò statuit Synodus sub decem librarum pœna, ne noviter conversi contractus aliquos circa matrimonium inter se ineant, nisi contractum sponsaliorum, qui verbis futuri temporis conficitur, idque præsente parocho & testibus: vel con-

contractum matrimonii per verba præsentis temporis, quibus ipsimet contrahentes consensum exprimant, præsente etiam parocho & testibus, Præcipit insuper illis, ne ante hos contractus, sponsaliorum scilicet & matrimonii, dona illa aurea, vel argentea, vel quævis alia, quæ ad futuras uxores mittere solent, in posterum mittant. Si minus parebunt, omnia illa quæ miserint, amittant. Qui verò aliis quibuscumque circa matrimonium cõtractibus, quàm duobus prædictis interfuerint, pœnam sex librarum subire compellantur. Quibus sub eadem pœna mandamus, ut post sponsalia verbis futuri temporis inita, intra triginta dierum spatium matrimonium in facie Ecclesiæ contrahant.

CAPUT XXV.

Ne recenter ad fidem conversi Machometanos ritus observent.

PROHIBET Synodus omnibus hujus provinciæ recenter ad fidem conversis, ne Machometanæ sectæ jejunia, festa, aut ritus quoscumque observent: neve potissimùm in matrimoniis cantilenas in Machometi laudem, præsertim quas *Zambras* & *Leilas* dicunt, concinant. Qui contrà fecerint, severè pro qualitate delicti puniantur. Ipsis verò justitiæ executoribus ministris præcipimus, ut hos Machometanos ritus prohibeant, aut Ordinario denuncient, duabus alioqui libris multandi.

CAPUT XXVI. aliàs XXIX.

Exteri & ignoti ne à curatis sine ordinarii facultate matrimonio copuleatur.

SI quando parochi ad exteros, ac proinde ignotos, matrimonio jungendos vocati fuerint, præcipit Synodus, ne id faciant inconsulto Ordinario, sed ab eo facultate quæsita & obtenta. Ordinarius verò, nisi præcedente informatione, quâ de personarum qualitate & statu certior fiat, eam facultatem nemini concedat. Cujus informationis & caussæ examinis notarius in ipsa facultate mentionem faciat, alioqui multandus omnibus impensis, quæ in negotio tractando ob ipsius incuriam fient. Parochus qui huic decreto non paruerit, decem libras solvat.

CAPUT XXVII.

De peregrinis vagantibus.

PEREGRINIS, qui bini, vir & fœmina vagari solent, in hospitalibus ad noctem tantùm unam locus detur, nisi fidem fecerint, se matrimonio esse conjunctos. Neque transacto festo Resurrectionis Dominicæ ad festum usque Pentecostes in hospitalibus moram facere permittantur, nisi legitimè ostendant, quòd peccata sua confessi fuerint, & ad sacram communionem tempore Paschæ accesserint: vel nisi intra triduum peccata sua confiteantur, & pro confessoris judicio sacram Eucharistiam recipiant.

CAPUT XXVIII.

Ne conjuges propria auctoritate separentur.

DETESTATUR Synodus illorum abusum, qui matrimonio juncti, facilè tamen ab invicem propriâ auctoritate separantur. In quo quasi rem nihili agant, magnam sibi conscientiæ securitatem aliquando pollicentur. Omnibus igitur conjugatis districtè præcipit, ne deinceps propria auctoritate separentur: aut jam separati, in eo persistant. Alioqui decem dies pro prima monitione, ac totidem pro duabus aliis, ac pro peremptorio termino illis præfigit, intra quos vel ad mutuam cohabitationem redire, vel caussas ad Episcopum, seu eo absente, ad personam ab eodem eligendam deferre teneantur. Quæ caussæ si minus legitimæ videbuntur, mandet illis Episcopus, vel ab eo eligendus, sub pœna ipsius arbitrio imponenda, ut eas in judicio prosequantur. Qui peracto prædicto viginti dierum termino, neque ad mutuam cohabitationem redierint, neque caussas detulerint, excommunicationem latæ sententiæ incurrant. Quod statutum post dies sexaginta à die publicationis ejus, quæ in Metropolitana Ecclesia fiet, hujus provinciæ subditos obligare incipiat.

Reliqua quæ ad matrimonii sacramentum spectant, ad normam decretorum Tridentini Concilii sunt exigenda.

CAPUT XXIX.

De sacramento Ordinis.

SACRAMENTO Ordinis potestas quædam hominibus traditur, qua fit, ut cæteris quidam multo sint eminentiores. Oportuit enim Ecclesiam, quæ sanguine Christi constructa fuit, pulcherrimo quodam ordine constitutam esse: ut quemadmodum in rebus naturâ constantibus, ac etiam in cœlestibus, alia aliis sunt superiora; ita in Ecclesia, quæ inter hæc medium statum obtinet, quædam aliis potestate ac dignitate præstarent. Hinc varii in Ecclesia ordinum gradus conspiciuntur, quibus alii aliis sunt superiores. Inter quos qui admirabili & præstantissima sacerdotii dignitate præditi sunt, reliquis longè antecellunt. Quâ & verum Christi corpus consecrare, offerre, ac ministrare; & populi peccata dimittere, ac retinere possunt. Quam potestatem à Domino illis collatam meritò tanquam divinam admiramur & suspicimus. Cùm igitur oporteat, eos qui cæteris dignitate præferuntur, vitæ etiam sanctitate, conversatione, & exemplo illos superare; ut qui ministri sunt Christi, & dispensatores mysteriorum

ejus,

ejus, fideles diſpenſatores inveniantur: omnes in ſacris ordinibus conſtitutos magnopere hortatur Synodus, ut dignitatis ſuæ memores, ita vitam inſtituant, ut cæteris meritò præeſſe poſſint, *habentes*, ut ait Apoſtolus, *myſterium fidei in conſcientia pura*.

CAPUT XXX.

Clerici quomodo fori privilegio gaudere poſſint.

QUONIAM clericus juxta Tridentini Concilii decretum, fori privilegio non gaudet, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat: aut clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos verſetur: ſed nec clerici conjugati eodem fori privilegio gaudent, niſi alicujus Eccleſiæ ſervitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant vel miniſtrent, & clericali habitu, & tonſura utantur; iccircò Synodus quamvis intelligat, atque etiam ſtatuat, omnes quicumque prætextu clericalis tonſuræ aliqua crimina commiſerint, pro illorum qualitate acriter, juxta formam juris, ab Ordinariis puniendos eſſe, ne ex clericali tonſura delinquendi anſam aſſumant; nolens tamen, quantum in ipſa eſt, horum privilegiorum uſum extingui ac tolli, rationem explicandam eſſe duxit, quâ clerici his privilegiis juxta Tridentini Concilii præſcriptum gaudere poſſint. Decernit igitur, omnes primâ tonſurâ initiatos, etiam ſi conjugati ſint, qui fori privilegio gaudere voluerint, tonſurâ uti debere magnitudinis, ut minimùm, dimidii argentei: habitum etiam clericalem ordinariè deferre, utpote oblongum pallium, quod veſtium genus *manteos* appellamus, vel pallium brevius, ad genua tamen uſque ſaltem demiſſum, cujuſmodi veſtes vulgus *herreruelos* vocat; cum clericali pileo, vel galero, non arcto admodùm, ſed quatuor, ut minimùm, digitis lato, in quo nihil ſit auri, vel argenti, vel plumarum; cui nihil addi poſſit ornamentorum, quod non ſit nigri coloris: ut in habitu decenti, animum etiam præſeferant mitiorem, & ſtatui clericali congruentem. Miniſteria verò, ad quæ ſunt in Eccleſiis ab Epiſcopo deputandi, hæc eſſe ſtatuit: primùm miniſtrare Miſſis, non quidem reſpondere tantùm celebranti, ſed illi ut miniſtrum decet, inſervire: quod faciunt, qui induenti ſe presbytero præſtò adſunt, vinum & aquam deferunt, lumen accendunt, Miſſale ex uno altaris cornu in alterum commutant, & hujuſmodi alia peragunt. Quæ quidem miniſteria, vel horum aliqua agent, idque enſe depoſito, & tempore ab Ordinario illis deſignando. Deinde etiam inter Eccleſiaſtica miniſteria computat Synodus, curam penes ſe aſſumere, ut in ſacello aliquo, vel altari in Eccleſia ab Ordinario nominanda, munda ſint omnia, & appoſitè adornata: in choro etiam canere, & alia miniſteria exercere, quæ verè Eccleſiaſtica ſint, & judicio Ordinarii talia cenſeantur.

CAPUT XXXI.

De illorum examine, qui ad ſuperiores ordines ſunt promovendi.

PROMOTI ad aliquos ordines, quando ad ſuperiores promovendi erunt, non modò qualitatibus, quas in eis Concilium Tridentinum requirit, præditi eſſe debent; ſed etiam per cæremoniarum magiſtrum, vel examinatorem ab Ordinario deputandum probandi ſunt, an in functione inferioris ordinis ſint probè inſtructi. Neque enim par eſt, eos ad altiora conſcendere, qui inferiora miniſteria exercere neſcierint.

CAPUT XXXII.

Primam Miſſam celebraturus de cæremoniis examinari, & facultatem habere debet.

NULLUS presbyterorũ primam Miſſam celebret, quin priùs à magiſtro cæremoniarum, vel alio ab Ordinario deligendo examinetur, num Miſſæ cæremonias rectè noſcat: & niſi ab Ordinario, vel ejus generali vicario, ſi ſex tantùm leucis à civitate diſtet; ſi verò pluribus, ab Officiali foraneo facultatem habuerit. Qui neglexerit, ſuſpenſione ab ordinibus arbitrio Prælati puniatur.

CAPUT XXXIII.

Qui non fuerit ſubdiaconus, ne dalmaticâ indutus Epiſtolam cantet.

IN quibuſdam Eccleſiis nonnulli miniſteria ſacra, quæ ſibi non competunt, exercere non verentur. Statuit igitur Synodus, ne in poſterum qui non fuerit ad ſacrum ſubdiaconatûs ordinem promotus, dalmaticâ indutus Epiſtolam cantet, aut altari tamquam ſubdiaconus deſerviat. Qui non paruerit, atque etiam curatus, qui ad id permiſerit, quiſque ſolidis quinque multetur.

SESSIO TERTIA.

SANCTA SEDE APOSTOLICA

Per obitum fel. rec. Pii IV. vacante, celebrata die XXI. Decemb. MDLXV.

PROVINCIALIS Valentina Synodus, præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo domino Martino Ayala Archiepiſcopo Valentino, intelligens communis populi morum reformationem ex Eccleſiaſticorum moribus probè inſtitutis potiſſimùm pendere,

dere, utpote à quibus cæteri vel ad bonum virtutis exemplo provocentur, vel ad malum pravâ illorum vitę consuetudine impellantur; necessarium esse duxit, sequentia hæc decreta, quæ ad eorum, qui sacris ministeriis sunt addicti, mores instituendos ac reformandos spectant, sancire: & illis servanda proponere.

TITULUS TERTIUS.

De iis, quæ ad Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum gubernationem spectant.

CAPUT I.

De munere Episcoporum.

CUM Spiritus sanctus Episcopos velut speculatores quosdam in Ecclesia constituerit, qui tamquam in speeula positi, & ex ea reliquis superintendentes, Ecclesiam, quam Christus sanguine suo acquisivit, doctrinâ & salutaribus institutis pascerent ac gubernarent; meritò Synodus hujus provinciæ Episcopos tales esse desiderat, qui vitæ integritate & doctrina conspicui, velut lucernæ supra candelabrum fulgentes, omnibus, qui in domo sunt, luceant: ut eorum bona opera ab hominibus videantur; & Pater qui in cœlis est, ab omnibus glorificetur, Sint ergo in primis sobrii, casti, prudentes, mansueti, & hospitalitatis amantes: mensa sit illis non superfluis & exquisitis instructa epulis, sed frugalis: non plus æquo magnifica, & ad delicias comparata supellex: non impudica, aut contentiosa familia, sed ad modestiam, & animi tranquillitatem probè instituta: proventus Ecclesiasticos non in quoscumque usus prodigè effundant, quos sciunt, non hæreditario jure se à majoribus suis accepisse, sed ad res piè sanctèque gerendas sibi assignatos fuisse: egenis liberaliter subveniant, cognatos aut affines bonis Ecclesię minimè ditent: ac multò minùs Ecclesiastica bona accumulent, ut ex eis hæredem testamento instituant. Beneficia Ecclesiastica dignis tantùm, & qui Ecclesię pro suo munere optimè inservire possint, conferant. Ad Ecclesiasticos ordines non nisi bonum testimonium habentes, & idoneos promoveant: ne si manus alicui citò imposuerint, peccatis alienis communicent. Gregi suo providè ac solerter invigilent atque prospiciant: ne à lupis, quos hoc tempore jam ferè undique imminere conspicimus, lædi aliquo modo possit. Demum hunc ipsum gregem nulla ratione opprimant, sed sincero potiùs affectu velut patres salubriter pascant, *non ut dominantes in cleris* (quemadmodum D. Petrus ait) *sed formâ facti gregis ex animo*: ut dum in hæc boni pastoris munia diligenter incumbunt, eorum in diœcesi residentia non inanis sit & otiosa, sed utilis omnibus ac frugifera. Hæc & his similia Synodus in Prælatis magnopere optat, ut qui tantę in Ecclesia dignitati præsunt, in die revelationis justi judicii Dei muneris sui rationem ipsi Deo, ut par est, reddere possint.

CAPUT II.

De Pastorum residentia.

UT ea quę de Pastorum in suis Ecclesiis residentia in sacro Tridentino Concilio statuta sunt, illorum auribus & animis altiùs infigantur; meritò eadem ipsa Tridentina Synodus statuit atque præcepit, insignia illa duo decreta, quæ *De residentia*, alterum sub Paullo III. Sessione sexta, alterum verò sub Pio IV. Sessione XXIII. sancita sunt, in Conciliis Provincialibus publicari. Cui mandato hæc Provincialis Synodus obedire volens, duo ipsa decreta hoc loco inserenda, ac etiam publicanda esse decrevit.

Decretum de residentia sub Paullo III. Pont. Max. in Concilio Tridentino promulgatum.

EAdem sacrosancta Synodus eisdem præsidentibus, & Apostolicæ sedis legatis, ad restituendam collapsam admodùm Ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in clero & populo Christiano mores emendandos, se accingere volens, ab iis, qui majoribus Ecclesiis præsunt, initium censuit esse sumendum. Integritas enim præsidentium salus est subditorum. Confidens itaque per Domini ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundùm venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur. Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi, ac universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo; vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant; atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo judice requirendus, custodiæ minimè incumbant: cùm certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. At nihilominus quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut

in

in negotiorum temporalium ſolicitudine, ovili derelicto, atque ovium ſibi commiſſarum curâ neglectâ, ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuriâ penè in deſuetudinem abierunt, adversùs non reſidentes promulgatos innovare: quemadmodum virtute præſentis decreti innovat; ac ulteriùs pro firmiori eorundem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere atque ſancire. Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia ſibi quocumque titulo, cauſſa, nomine, ſeu jure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, & ſeu juſtis & rationabilibus cauſſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abſuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo jure incurrat. Quòd ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, ut ſeveriori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubjiciatur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſsûs Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per literas, ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui ipſos abſentes, prout cujuſque major aut minor contumacia exegerit, ſuę ſupremę ſedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

Decretum de reſidentia ſub Pio IV. Pont. Max. in Concilio Tridentino promulgatum.

EADEM ſacroſancta Tridentina Synodus reformationis materiam proſequens, hæc quæ ſequuntur, in præſenti decernenda eſſe ſtatuit & decernit. Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbiſque divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere; pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; & in cętera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt; ſacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factiſque forma gregis, in judicio & veritate paſcant & regant. Ne verò ea, quæ de reſidentia ſanctè & utiliter jam antè ſub fel. rec. Paullo III. ſancita fuerunt, in ſenſus à ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhęrendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiam ſi ſanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur; neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſſis & modis infraſcriptis. Nam cùm Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent & exigant, decernit eadem ſancta Synodus has legitimæ abſentiæ cauſsas à beatiſſimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiâ probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cùm abſentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum. Cujus quoniam cauſſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eundem tamen cum Concilio Provinciali ſpectabit, judicare de licentiis à ſe vel à ſuffraganeo datis: & videre, ne quis eo jure abutatur; & ut pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt; ſacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis ſive cõtinuum, ſive interruptum, extra prędictas cauſſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, ut id ęqua ex cauſſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento: quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam fore: cùm Deo corda pateant; cujus opus non fraudulenter agere, ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventûs, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Paſtoris præſentiâ oves debent, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua diœceſi eos aliò vocent.

Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti diſpoſitionem abſuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas adversùs non reſidentes, ſub Paullo III. impoſitas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eum, pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tutâ conſcientiâ, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut, ipſo ceſſante, per ſuperiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque conventione vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro

parte,

parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque collegio aut fabricę conceſſis. Eadem omnino, etiam quoad culpam & amiſſionem fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat & decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, cauſsâ priùs per Epiſcopum cognitâ & probatâ abeſſe contigerit; vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſsa, obtineant. Quòd ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint; liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentiæ, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque Beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianę conſtitutionis, ſuſpendi poſſe. Poſtremò, tam decretum illud ſub Paullo III. quàm hoc ipſum in Conciliis Provincialibus, & Epiſcopalibus publicari Synodus præcipit. Cupit enim quę adeò ex Paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nullâ temporum injuriâ, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

CAPUT III.

De reformatione curiæ Eccleſiaſticæ.

INTER alia multa, quæ ad Epiſcoporum munus maximè ſpectant, illud etiam diligenter ab eis providendum eſt, ut lites & controverſiæ ad Eccleſiaſticum forum pertinentes, in Eccleſiaſtica curia æquiſſimè tractentur. Oportet enim cùm aliarum optimarum actionum, tum etiam rei hujus bene ac fideliter geſtę præclarum imitationis exemplum à judicibus Eccleſiaſticis & eorum miniſtris ad cæteros pervenire. Omnibus igitur hujus provinciæ Epiſcopis injungit Synodus, ut magna æquitate, & quantâ etiam fieri poterit brevitate, cauſſas curiæ Eccleſiaſticæ concludi ſtudeant: & ut ſtipendia, quæ potiſſimùm ſcribis pro actis & proceſſibus ſolvuntur, ſicubi immoderata fuerint, ad æquitatem reducant: ne qui jus quærunt, ſi ſumptibus fuerint oppreſſi, liti renunciare, & jus ipſum amittere cogantur. Ne verò pauperes ſubſidio deſtituti, cauſſam aut aggredi, aut proſequi non poſſint, advocatum & procuratorem deſignent, qui illis gratis patrocinentur.

Cumque tota ferè cauſſæ vis ex teſtium depoſitione pendeat; caveant, ne in principalibus cauſſis, quales ſunt criminales graviores, & quę ad Beneficia, vel matrimonia pertinent, & ſimiles, ipſæ teſtium depoſitiones notariis ſolùm committantur, ſed ab ipſomet judice omni ſtudio & diligētia, notario excipiente, recipiantur. Extra civitatem tamen viro prudenti & probatę vitæ hujuſmodi teſtium depoſitiones committi curent. Cauſſæ verò leviores, quæ auditis dumtaxat partibus, breviter ac ſummatim decidi & finiri à judice poſſunt, in proceſſum minimè deducantur, ſed prudenter ac expeditè terminentur.

Cùm autem proceſsûs impenſæ ipſis curiæ notariis conſummatâ ſeu ultimâ ſolutione perſolvendæ erunt, non id fiat ſine judicis taxatione & ſubſcriptione, Notarius qui aliter proceſsûs impenſas acceperit, dimidium ejus pecuniæ amittat, quæ ipſi pro illo proceſſu jure deberi judicabitur. Quod jam nunc pauperibus, arbitrio Ordinarii diſtribuendum, applicatur. Quâ etiam lege eos qui Epiſcopis à ſecretis fuerint, teneri & obligari volumus. In cauſſis etiam judicum delegatorum notarios taxationi curiæ Eccleſiaſticæ ſubjectos eſſe debere, decrevit Synodus. Cæterùm, ſi quando perſonæ Eccleſiaſticæ in carcerem trahendæ erunt, modeſtè ac decenter à miniſtris id fiat, ut Eccleſiaſtici ordinis, & dignitatis magna ratio habeatur. Nullus autem in ſacris conſtitutus ad ſolam petitionem Fiſci capiatur, ſed præcedente ſaltem ſemiplena probatione, aut vehementi præſumptione. Ad petitionem autem partis capi non debet, niſi præceſſerit informatio; aut niſi pars ad Talionis pœnam, aut ad delicti probationem faciendam, præſtita arbitrio judicis cautione, ſe priùs obligaverit.

Denique illud etiam Synodus ſtatuit, ſi à judice contra aliquem in ſcriptis lata ſit excommunicatio, & ille facultate judicis ſit abſolvendus, ut hęc ipſa ad illum abſolvendum commiſſio in ſcriptis fiat, & inter acta mandato judicis referatur.

CAPUT IV.

De Epiſcopis titularibus.

QUONIAM Epiſcopi, qui titulares vocantur, nimia quadam licentia in Pontificalibus exercendis abuti ſolent; ex quo cùm in aliis, tum etiam in promotione miniſtrorum Eccleſiæ incommoda multa accidere ſæpè experimur; ſtatuit Synodus, ne in hac provincia Epiſcopus aliquis titularis Pontificalia exerceat, aut ab ullo Prælato ad ea exercenda admittatur, niſi notus fuerit in regnis Hiſpaniæ, aut inſulis illi adjacentibus, vel miſſus à ſede Apoſtolica. Qui Pontificalia clam minimè exercere poſſit, ſed de Ordinarii loci facultate expreſſa. Sacros verò ordines minimè conferat, niſi in Cathedrali Eccleſia, aut alia ab Ordinario ipſi deſignanda.

Cui

Cui Prælatus ſtipendium competens tribuat, ne inopiâ preſſus Pontificalia quoquomodo in quęſtum miniſtrare cogatur. Si aliter quiſpiam ab hujuſmodi Epiſcopis vel ad primam tonſuram, vel ad quoſcumque ordines fuerit promotus, tam ipſe Epiſcopus, quàm qui ab eo promotus fuerit, Tridentini Concilii pœnis ſubjaceant.

CAPUT V.

Eccleſiæ miniſtri quibus anni diebus Miſſam celebrare, aut ſacram Euchariſtiam ſumere debeant.

EORUM vitæ meritum qui minoribus ordinibus initiantur, ut de gradu in gradum aſcendant, juxta Concilii Tridentini conſtitutionem cùm alia multa, tum etiam crebrior quàm antea, corporis Chriſti communio comprobare debet: quod certè iis magis competet, qui jam ſunt primùm ad ſacros ordines promovendi, ac iis multò magis, qui ad aliquem ex ſacris ordinibus ſunt jam promoti. Quare ſtatuit Synodus, ut quatuor minoribus Ordinibus initiati, in feſto Natalis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes in Eccleſiis, in quibus ad miniſterium ſuum peragendum fuerint addicti, ad ſacram corporis Chriſti communionem accedant. Subdiacóni verò & diaconi in eiſdem tribus feſtis, ac feria quinta in cœna Domini, ac in feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum ſacroſanctam etiam Euchariſtiam ſuſcipiant. Quam tamen in quinta feria in cœna Domini, & in feſto Dominicæ Reſurrectionis, ut bono ſint omnibus exemplo, ab eo qui Miſſam conventualem in Eccleſia in qua reſederint, celebrabit, percipiant. Presbyteros autem hortatur Synodus, ut ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolennibus Miſſas celebrent. Eos verò, qui curam animarum exercuerint, tam frequenter celebrare jubet, niſi juſtam excuſationem habuerint, ut muneri ſuo ſatisfaciant. Porrò curati, qui juſta aliqua ex cauſſa parochiis ſuis non inſervierint, ſi ad ſacrum presbyteratûs ordinem erunt promoti, omnibus Chriſti, & quatuor beatæ Mariæ feſtis ſolennibus Miſſæ ſacrum faciant. Si verò ad presbyteratum promoti non fuerint, eiſdem feſtis diebus ſacram Euchariſtiam ſumant. Qua de re vicario Epiſcopi, vel officiali, vel parocho loci, in quo reſidebunt, fidem faciant: alioqui ab Ordinario corripiantur.

CAPUT VI.

Pro celebratione Miſſarum æqualem dandam eſſe eleemoſynam: & omnem ſuperſtitioſum cultum è Miſſis potiſſimùm rejiciendum eſſe.

ALIQUORUM abuſum, qui pro celebratione quarundam Miſſarum plus exigunt eleemoſynæ, quàm pro Miſſarum celebratione communiter accipi ſoleat, excludere volens Synodus, ſtatuit, in tota hac provincia æqualem pro Miſſarum omnium celebratione eleemoſynam ſumi debere. Cumque conſtet admirabilem & præſtantiſſimum Miſſæ fructum ex ipſo potiſſimùm corporis & ſanguinis Domini ſacrificio, quod Deo offertur, provenire; quod appoſitis & ab Eccleſia probatis precibus peragitur: ac proinde indecorum eſſe, atque etiam impium, ex iis cęremoniis, quas ſuperſtitioſus potiùs cultus, quàm vera religio invexit, quaſque nonnulli quarumdam Miſſarum celebrationi ſubjungere ſolent, aliquid ſpiritualis fructus ſperare: ideircò Synodus præcipit, ſuperſtitioſum cultum Miſſarum, quæ dicuntur *revelatæ*, & Sancti Amatoris, & aliarum quarumcumque ſimilium, aboleri: certum etiam candelarum numerum, qui ſpeciem ſuperſtitionis habet, rejiciendum eſſe duxit.

CAPUT VII.

Quam eleemoſynam æquum ſit hoc tempore pro Miſſæ celebratione dari.

QUONIAM æquum eſt, ut qui altari ſerviunt, de altaris etiam miniſterio vivant; ſitque compertum, eos qui olim parvo vivere poterant, vix jam propter rerum omnium charitatem duplicatis ſumptibus ſe alere ac ſuſtentare poſſe; ut omnem etiam ſimoniæ, & faciendæ fraudis occaſionem illis Synodus adimat, qui fortè pluſquam decet, pro Miſſarum celebratione exigerent: aut inopiâ coacti, pro pluribus Miſſis, quæ ab eis celebrandæ eſſent, pauciores celebrarent; æquum eſſe pro hujus temporis ratione judicavit, ut pro ſingulis Miſſis, quæ in poſterum inſtituentur, vel celebrari mandabuntur, plus adjumenti eas celebrantibus ad vitæ ſuſtentationem conferatur: nempè regalis unus argenteus monetæ Caſtellæ. Quòd autem ad Miſſas illas attinet, quæ ſunt jam à fundatoribus inſtitutæ, curent Ordinarii, ita eas ad rationem aliquam commodam reducere, ut & illæ ſine fraude celebrari poſſint; & iis, qui eas ſunt celebraturi, ſit etiam cum æquitate proſpectum. Qui verò pluſquam hoc ſtatuto præſcriptum eſt, pro Miſſæ celebratione popoſcerit; qui etiam pro duabus Miſſis unam, vel pro pluribus pauciores celebrabit, ſententiâ excommunicationis adſtricti exiſtant.

CAPUT VIII.

De oblationibus per templum quærendis, dum Missa celebratur.

STATUIT Synodus, ne sacerdos qui Missę sacrum facit, per templum oblationes quærat, quantumvis primam novamque Missam celebret. In oppidis verò, in quibus non alius erit sacerdos, quàm qui rem ipsam sacram celebrat, is ad altaris gradus priùs, deinde verò ad finem ejus loci, in quo viri consident, tantisper consistat, donec oblata capiat. Nec enim ad locum mulierum ei progredi licet. Si non paruerit, tres argenteos solvat.

CAPUT IX.

In novis Missis conventus fœminarum, ex quibus scandala oriuntur, ne fiant.

INVALUIT in quibusdam hujus provinciæ civitatibus usus, ut cùm novæ Missæ celebrandæ sunt, una vel plures è nobilibus fœminis alias ejusdem ordinis fœminas ad novam Missam invitent: à quibus considentibus in uno templi loco, & à viris etiam prope adstantibus vel assidentibus non parva scandali occasio dari solet. Considerans autem Synodus æquum esse, ut sacrum à profano distinguatur, & omnem peccati & scandali occasionem è templis potissimùm auferendam esse, præcipit sub excommunicationis pœna, ne fœminarum conventus prædicto modo in templis fiant: quin etiam ipsis viris sub eadē pœna mandat, ne ullo tempore in templis cū scandalo ipsis fœminis vel adstent, vel assideant: vt his honor locis sacris tribuatur, quem illis omnes meritò debemus.

CAPUT X.

Tres simul Missæ in eodem altari ne celebrentur.

CUM ritus ille, quo in quibusdam templis tres simul Missæ in eodem altari celebrari ac decantari solent, nulla ratione nitatur; hujusmodi ritum Synodus tolli & aboleri jubet.

CAPVT XI.

Templa sub noctem claudenda: & matutinum officium Sancti cui templum consecratum est, quando debeat inchoari.

QUONIAM noctu flagitia multa committi solent, & sacra templa maximè servata esse oportet, ne in eis aliquo scelere Deus offendatur; iccircò præcipit Synodus, ne à pulsu campanę, quo beatam Mariam virginem sub noctem salutamus, sacræ ad populum conciones in templis, ac ne in ipsis etiam monasteriis habeantur: sed ipsa templa, etiam monasteria, ab eo tempore claudi debere statuit, excepta nocte Natalis Domini, & si quę aliæ sunt, in quibus contraria consuetudo jam olim invaluit: iis etiam templis exceptis, in quibus preces matutinę singulis diebus auctoritate Apostolica initio noctis dicuntur. Diebus verò illis, in quibus officium matutinum Sancti vel Sanctę, cui templum dicatum est, solenniter agendum erit, decernit Synodus, statim post Completorium officium ipsum matutinum inchoari debere: vt ad ipsum diei crepusculum, vel paullò pòst, finiatur. Si verò prædictis diebus aliter quàm hic prescriptum est, matutinum officium celebratum fuerit, parochus simul & beneficiati solidis centum multentur. Insuper, quia nihil in templis indecorum permitti debet, profanas omnes cantiunculas in matutinis precibus, & aliis quibuscumque horis Canonicis Synodus prohibet, & eas tantùm admittit, quę ab examinatore per Ordinarium deputando examinatæ priùs & approbatæ fuerint. Similiter nihil actionibus personarum vult in templis repręsentari, quod ejusdem examinatoris judicio non sit antea comprobatum. Capitulum, ac ipsi etiam parochi, si aliter hæc in suis Ecclesiis admiserint, sex libris multentur.

CAPUT XII.

Preces horarias non esse in choro, dum sacra aguntur, privatim dicendas.

QUI in chorum conveniunt, psallendi gratiâ convenire debent, ut in psalmis, hymnis, & canticis nomen Domini pariter laudetur. Cumque nullus quod choro debet, justè illi subtrahere possit, aut alios à communi cantu impedire; meritò præcipit Synodus, ne in choro, dum sacra aguntur, preces horarię, quæ pro quotidiano penso recitandæ sunt, ab aliquo vel aliquibus privatim dicantur. Qui aliter egerit, distributionem illius horę amittat, in qua hujusmodi preces in choro recitabit.

CAPUT XIII.

De honesto Ecclesiasticorum habitu.

MAXIME decet Ecclesię ministros decenti etiam corporis vestitu honestos animi mores prę se ferre, ut exterior corporis habitus ordini ac honestati congruat clericali. Quare statuit Synodus, ut in sacris ordinibus constituti vestibus utantur talaribus, non rubei coloris aut viridis, sed nigri; vel eorum colorum, quos honestus Ecclesiasticorum usus admisit: sciffis non utantur calceis, neque annulis digitos ornent, nisi quibus competit ex officio dignitatis. In subuculis collaria rugata

mini-

minimè deferant, neque additamenta illa sinuosa extremitati manicarum subuculæ adjungant. Vestibus superioribus ex serico villoso aut raso confectis minimè utantur. Qui huic decreto non paruerint, vestium amissione damnantur. Illud etiam maximè curent presbyteri, ne sacras vestes celebrationi Missæ dicatas, super vestes breviores quàm talares induant. Denique talem in Ecclesiasticis viris amictum cupit sancta Synodus, ut neque pannosi aut laceri sint, neque vestibus exquisita arte confectis utantur: sed ea indumenta gestent, quæ animi quietem ac modestiam promittant.

CAPUT XIV.

Sacris initiatine arma deferant.

OMNIBUS, qui sacris sunt initiati, mandat Synodus, ne per civitates aut oppida arma deferant. Iter tamen facientibus ensem, non autem tormentum manuarium, nisi justâ aliquâ ex caussa, quam Ordinarius approbare debeat, gestare liceat.

CAPUT XV.

In sacris constituti ne mimi sint, aut compotatores. Et pensum horarium decenti loco esse persolvendum.

IN sacris constituti minimè personas in comœdiis, aut mimos, aut histriones agant: crapulam, ebrietatem, & compotationes fugiant, neque illis conviviis intersint, ad quæ fœminarum & laïcorum ingens ac inquieta turba concurrit, unde verisimile sit, scandalum aut animæ periculum oriri posse.

Preces horarias debita veneratione persolvant, non in vicis aut fenestris, aliisve locis parùm decoris: sed in secretioribos, & orationi congruentibus, ut ad devotionem excitati, Deum non labiis tantùm, sed spiritu etiam orent.

CAPUT XVI.

Ecclesiastici ad forum, aut ad curiam sæcularem superpelliceis induti ne procedant.

OPORTET sacris mysteriis addictos diligenter advertere, ne ipsorum incuriâ dignitas Ecclesiastica apud plebem vilescat. Quare prohibet Synodus, ne ullus sacris ordinibus initiatus, vel ad macellum, vel ad forum, sive piscarium, sive olitorium, vel ad sæcularium caussarum curiam superpelliceo indutus se conferat. Qui mandato non obedierit, unius argentei multâ pro qualibet vice puniatur.

CAPUT XVII.

Constituti in sacris sæcularia negotia ne tractent.

QUI in sortem Domini vocati sunt, ac proinde quorum Dominus hæreditas est, magnopere cavere debent, ne suæ functionis obliti, ad alia divertant, quæ ab ipsorum dignitate & munere sint aliena. Qui enim futuri sunt religionis magistri, & in lege Domini die ac nocte meditari debent, ut cæteros exemplo ac doctrina ad bonum provocent; nihil cum profanis negotiis, quæ illos à rebus divinis avertunt, habere debent commune. *Nemo enim* (ut ad Timotheum scribit Apostolus) *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit.* Quare Synodus omnibus qui sacris ordinibus sunt initiati, præcipit, ne sæcularis alicujus personæ procuratores sint aut œconomi, aut caussarum sæcularium solicitatores. Qui mandato non paruerint, viginti librarum pœnâ, aut quindecim diebus carcere puniantur.

Jubet insuper illis, ne advocati sint, aut ulli coram judicibus patrocinentur, nisi in caussis Ecclesiasticis, ac etiam miserabilium personarum: dummodo hæc pro veritate, & omni fraude secluſa agant, ut exemplum cæteris præbeant salutare: alioqui præcedenti pœna puniantur.

Ad hæc eisdem mandat, ne proventuum etiam Ecclesiasticorum conductores, qui *arrendatarii* dicuntur, existant: neve emendi & vendendi commercia tractent. Qui horum duorum alterutri non obedierit, eandem pœnam subire compellatur.

CAPUT XVIII.

Constituti in sacris suspectam fœminarum consuetudinem vitent: quas presbyteri comitari prohibentur.

OMNIBUS qui in sacris ordinibus constituti sunt, prohibet Synodus, ne domi fœminas, unde possit aliqua mali suspicio oriri, habeant: quas si admoniti, non expulerint, in eos velut contra concubinarios ab Ordinariis procedatur. Ad sacrum autem presbyteratûs ordinem promotis præcipit, ne sive pedestres, sive equestres, fœminas comitentur, nisi fuerit mater, soror, amita, matertera, neptis, sive ex fratre sive sorore, vel consobrina. Qui aliter fecerit, sex libris multetur, vel sex diebus carceri addicatur.

CAPUT XIX.

Sanctimonialium colloquia non esse frequentanda.

NON decet, præsertim in locis Deo dicatis, à personis Ecclesiasticis ullam scandali occasionem dari. Ideo Synodus sub excommunicationis pœna illis præcipit, ne sanctimonialium monasteria colloquendi cum sanctimonialibus gratiâ frequenter invisant. Regulares verò in Domino hortatur, ut ab hujusmodi monasteriorum monialium frequentatione abstineant. Qui si admoniti non destiterint, in eos juxta Tridentini Concilii statuta procedetur. Quod ipsum laïcis etiam jubet: quos aliter agentes Ordinarius coërceat, & pro suo etiam arbitrio puniat.

CAPUT XX.

Lusoriam mensam domi habentes excommunicantur.

OMnibus tam sacris ordinibus initiatis, quàm etiam laïcis, mandat Synodus, ne domi mensam lusoriam, ad quam ludendi gratiâ frequẽter conveniri solet, vulgus *tablaje* vocat, habere audeant. Qui mandatum trangressi fuerint, excommunicatione latæ sententiæ devinciantur.

CAPUT XXI.

Clerici peregrini non admittantur sine literis dimissoriis.

CLERICI peregrini sine commendatitiis, aut dimissoriis sui Ordinarii literis ad divina celebranda non admittantur. Et qui ex Hispaniæ regnis in hanc provinciam venerint, intra dimidium annum ab ipsa præsentatione literarum dimissoriarum; qui verò ex remotioribus regnis, intra annum unum eas renovare teneantur.

CAPUT XXII.

Canonicatuum dimidiæ parti ordo presbyteratus sit annexus.

CUM juxta Tridentini Concilii decretum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habere debeant annexum ordinem presbyterii, diaconatûs, aut subdiaconatûs: itaut dimidia saltem pars presbyteri sint, cæteri verò diaconi, aut subdiaconi; præcipit Synodus hujus provinciæ Episcopis, ut cum consilio capituli in suis Ecclesiis designent ac distribuant, ut viderint expedire, quibus canonicatibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat: ita ut dimidiæ parti canonicatuum presbyteratus ordo annectatur; reliquis verò diaconatus, aut subdiaconatus. Quod ipsum si intra annum à fine præsentis Concilii non fecerint, quingentorum ducatorum pœnam, quam redimendis captivis jam nunc applicamus, incurrant.

CAPUT XXIII.

Canonici quo tempore in capitulum convenire non debeant.

ECCLESIARUM tam Cathedraliũ, quàm Collegiatarum canonici post inceptum Missæ majoris officium in capitulum minimè conveniant, nec à choro recedant, donec corporis & sanguinis Domini communio peracta fuerit. Illosque monet Synodus, & magnopere hortatur, ne tempus ultra quàm rei necessitas postulat, in capitulis protrahant: sed ita omnes temporis partes metiantur, ut & rebus Ecclesiæ in capitulo gerendis tempus non desit, & cultus divinus in choro non minuatur.

CAPUT XXIV.

De habitu in Ecclesiis gestando.

PROHIBET Synodus, ne in dignitate constituti, canonici vel beneficiati in Ecclesiis ubi residẽt, dum sacra aguntur, maneant, nisi superpelliceis, aut aliis vestibus sibi in Ecclesia congruentibus induantur. Alioqui multæ duorum argenteorum sint subjecti.

CAPUT XXV.

Missæ privatæ quo tempore diebus Dominicis, & festis colendis celebrari debeant.

QUONIAM Missa conventualis, ad quã omnes olim convenire solebant, magna celebritate peragenda est; ut debitus illi honor tribuatur, statuit Synodus, ne in diebus Dominicis, & festis colendis à tempore decantatæ Epistolæ usque ad ipsam communionem Missæ privatæ in Ecclesiis celebrentur; idque dum ipsum Missæ officium agitur. Tempore enim sacrę concionis celebrari permittuntur, sed in loco tantùm templi separatiore, & in sacellis secretioribus, nullo tamen dato campanulæ signo, & dummodo id nullus sacerdos in consuetudinem deducat. In iis tamen Ecclesiis, in quibus horum aliquid severius & strictius, quàm hîc constitutum est, observatur, eum morem servari volumus. Qui huic statuto non paruerit, duobus argenteis multetur.

CA-

CAPUT XXVI.

Distributiones à quibus in choro percipiendæ sint.

IN quibuscumque hujus provincię Ecclesiis, quoad eos, quibus distributiones ad singulas horas, sive quotidie, ad manum minimè solvuntur, statuit Synodus, ut aliquis designetur, qui jurejurando, & aliquâ etiam pœnâ pecuniariâ adstrictus, ipsos absentes notet: qui de amissis ab eis propter absentiam distributionibus personæ ad eam rem deputandę rationem reddere & fidem facere debeat. Cæterùm nullus canonicus vel Beneficiatus distributiones, seu punctum ad eas habendas in Missa lucretur, nisi ante finem Epistolæ chorum introierit: sed neque in vesperis, & aliis diurnis horis canonicis, & matutino etiam officio, nisi ante finem primi psalmi chorum ingrediatur. Qui chorum ingressi fuerint, non inde exeant, nisi ex caussa, & præside qui deligetur, potestatem illis faciente. Qui tamen Missam tempore permisso celebrabunt, distributiones non amittant.

CAPUT XXVII.

Dignitatum & præpositurarum tertia pars fructuum in distributiones quotidianas applicatur.

SACRI Tridentini Concilii decreto inhærens Synodus, statuit atque decernit, tertiam partem fructuum & proventuum dignitatum omnium, personatuum, officiorum, ac præpositurarum in Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis hujus provinciæ existentium, in distributiones quotidianas assignandam & applicandam esse, quemadmodum præsenti statuto jam nunc eam assignat & applicat, & assignatam atque applicatam esse declarat. Quæ tertia pars fructuum inter eos qui dignitates ipsas, personatus, officia, ac pręposituras obtinent, vel obtinebunt, singulis diebus proportionabiliter dividatur, quando Missæ & Vesperis personaliter interfuerint. Volens atque decernens, ut absentes singulis diebus notentur ab eo qui canonicos absentes notaverit, qui dierum omnium, in quibus abfuerint, non aliter quàm de diebus, quibus canonici absunt, facere solet, rationem reddere debeat. Quorum dierum distributiones, cùm earum propter absentiam dominium non acquisierint, jam nunc fabricæ Ecclesiæ sint addictæ. Decernit autem Synodus, tertiam illam partem secundùm verum valorem computari debere. Et quod ad præteritum attinet, ex iis tantùm fructibus, quos titularis obtinet, & in suum usum convertit, tertia pars in distributiones applicata esse censeatur: ut intelligatur tertia pars fructuum applicata deductis atque sublatis ordinariis & extraordinariis oneribus, & ipsis etiam pensionibus. In posterum verò tertia pars omnium absolutè fructuum, deductis tantùm ordinariis & extraordinariis oneribus. Cæterùm obtinentibus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis dignitates, canonicatus, aut præposituras, tribus tantùm mensibus quolibet anno juxta constitutionem Tridentini Concilii abesse licet. Tempus verò applicationis factæ, residentię, & notationis faciendę post tres menses à die publicationis hujus decreti, quę in Ecclesia Metropolitana fiet, decurrere incipiat.

CAPUT XXVIII.

In quibus Ecclesiis pars fructuum canonicis sit in distributiones applicanda.

IN Ecclesiis Cathedralibus, in quibus vel nulli redditus in distributiones quotidianas ipsis canonicis sunt applicati, vel adeò tenues, ut non eâ, quâ decet canonicorum frequentiâ choro inserviatur, Prælati ex redditibus, & proventibus canonicatuũ assignationẽ & applicationẽ in distributiones quotidianas juxta Concilii Tridentini decretũ intra annum à die publicationis hujus Provincialis Concilii facere teneantur: ac de hujusmodi assignatione & applicatione in primo Concilio Provinciali rationem reddere. Alioqui quingentorum ducatorum multa, quam nunc jam redimendis captivis deputamus, præsenti hoc statuto illis irrogatur.

SESSIO QUARTA

SUB PIO QUINTO

PONT. MAX.

Celebrata die XXII. mensis Januarii MDLXVI.

PROVINCIALIS Valentina Synodus, prę-sidente in ea Illustrissimo ac Reverendissimo domino Martino Ayala Archiepiscopo Valentino, eorum, quę ad Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum gubernationem pertinent, materiam prosequens, sequentia statuta decernenda esse censuit, atque ea in hunc, qui sequitur, modum decernit.

TITULI TERTII

Prosecutio de iis, quæ ad Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum gubernationem spectant.

CAPUT I.

De eorum, qui ad cathedrales Ecclesias promovendi sunt, examine faciendo.

CUM plurimùm interſit, quales Epiſcopi Eccleſiis præficiantur; ac proinde ii, qui ad tantum munus promovendi ſunt, de vita, moribus, doctrina, & aliis, quæ juxta ſacros canones requiruntur, laudabile teſtimonium habere debeant, meritò ſacroſancta Tridentina Synodus ſtatuit, ut in Provincialibus Conciliis modus & forma præſcribatur, quâ de his omnibus in eo, qui ad Cathedralem Eccleſiam aſſumendus eſt, inquiſitio ſeu inſtructio ſanctiſſimi Romani Pontificis arbitrio approbanda pro nationis & populi moribus fieri debeat. Quod ipſum hæc Provincialis Synodus maturè conſiderans, ſequentem hujus examinis & inſtructionis formam huic provinciæ pro populi qualitate convenientem magis eſſe judicavit: nempe ut factâ perſonæ alicujus ad Eccleſiam Cathedralem electione ſeu præſentatione, electus ipſe ſive præſentatus ſedis Apoſtolicæ legatum, vel Nuncium, vel certè proprium ſuum Ordinarium, vel illum, in cujus diœceſi diu multumque ſit verſatus, cum ipſo electionis ſeu præſentationis teſtimonio quamprimùm adeat: qui quidem Prælatus & ab iis teſtibus, quos ei electus proponet; & ab aliis, quos bonos, graves, ac fide dignos ipſe deliget, publico ac etiam ſecreto ſcrutinio de electi qualitatibus diligenter inquirat: an ſcilicet ſit legitimo matrimonio natus, qua ætate, quibus moribus, quàm prudens, & an in ſacro ordine ſex ſaltem menſium ſpatio ſit jam conſtitutus. Qui in Univerſitate ſtudiorum, quæ nullâ hæreſis ſuſpicione tunc laboraret, arduo præcedenti examine, juxta illius Univerſitatis ſtatuta magiſter, ſive doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel Jure canonico meritò ſit deſignatus ac declaratus: aut publico alicujus academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quod quidē teſtimoniū gravi aliquo in Theologia, aut Jure canonico, juxta illius academiæ morem præcedenti examine, dari illi debeat. Cùm verò teſtante Scriptura, ſepties in die cadat juſtus, non æquum fuerit, de quibuſcumque delictis in univerſum inquiſitionem ipſam fieri, ſed de publicis tantùm, & quibus cęteri ſcandalo offenduntur, ac de iis etiam, quæ in pravam conſuetudinem abierunt. Cæterùm ſi is ad Eccleſiam Cathedralem aſſumendus ſit, qui ad aliam Cathedralem fuit jam prius promotus, de quo jam tunc hujuſmodi examen & diſquiſitio facta ſit; ſat fuerit de duobus tantùm inquiſitionem fieri, num ſcilicet priorem Eccleſiam rectè adminiſtraverit, & an vitæ exemplo clarus & conſpicuus extiterit. Denique cùm Prælatus hanc inquiſitionem peregerit, eam in inſtrumentum publicum redactam cum toto teſtimonio, ac profeſſione fidei ab ipſo electo facta quamprimum ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem omnino tranſmittendam curet: ne Eccleſia longo tempore paſtore deſtituta, detrimenta patiatur. Et ut hac etiam ratione ſummus ipſe Romanus Pontifex Eccleſiis ſanctè atque utiliter providere poſſit.

CAPUT II.

Parochiali Ecclesia vacante, per edictum publicum vocandos esse qui ad eam obtinendam examinari voluerint.

QUOTIES parochialis Eccleſia, vel per obitum, vel per reſignationem vacaverit, ut idoneus aliquis & dignus ei præfici poſſit, hæc Provincialis Synodus animarum ſaluti magis expedire cenſuit, ut per edictum publicum qui ad eam parochialem obtinendam voluerint examinari, vocentur. Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut poſſit poſtea de cujuslibet ætate, moribus, & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Quod ipſum edictum in valvis Eccleſiæ majoris, & ubi Eccleſia ipſa vacaverit, & alio etiam loco, qui ad eam rem commodus pro arbitrio Ordinarii magis judicabitur, affigatur. In quo quænam parochialis Eccleſia vacet ſignificetur, & terminus pro ipſius Ordinarii judicio conſtituatur, intra quem qui examen ipſum ſubire voluerint, accedere teneantur. Quoniam verò animarum cura onus eſt à quibuſcumque etiam idoneis maximè formidandum, intelligant qui acceſſuri ſunt, quanta animi ſinceritate, quamque nihil de ſe elatè & arroganter ſentientes Prælatis ſeſe offerre debeant. Qui Eccleſię tantùm utilitatem, non autem ſua commoda ſibi proponant: neque aliud eorum aliquis apud ſe ſtatuat, quàm ut ſi dignus repertus fuerit, Eccleſiæ præficiatur; ſin minus, aliis libenter cedat. Cęterùm ſi peracto præſentationis termino, nullus acceſſerit, poterit tunc is ad quem collatio pertinet, alicui, prævio privato examine, providere.

CAPUT III.

Archidiaconatus quibus conferendi sint.

CUM ii, qui morum gravitate, & literarum ſcientiâ præcellunt, præſtantioribus Eccleſiæ Beneficiis decorari debeant, neque aliis juſtè illa conferri poſſint, quàm iis qui muneri ſuo præclarè reſpondere valent; Synodus intelligens Archidiaconorum dignitatem in Eccleſiis inſignem eſſe, ad cujus functionem, ut jura docent, multa exigantur, quę ſine literarum peritia minimè præſtari poſ-

ſunt;

ſunt; Concilii etiam Tridentini decretum ea in re ſecuta, ſtatuit, ut nemo in poſterum ad quemcumque Archidiaconatum in hujus provinciæ Eccleſiis promoveatur, qui non fuerit magiſter, ſeu doctor, vel licentiatus in Theologia, aut Jure canonico deſignatus & nominatus.

CAPUT IV. aliàs V.

Exquiſita & nova feſta non eſſe celebranda.

SUNT qui exquiſitas ac novas feſtorum appellationes contra quàm calendarii ſeries & approbata in Eccleſia conſuetudo habeat, invenire ſolent. Quem abuſum improbans Synodus, ſtatuit, ne ejuſmodi feſta à capitulis vel parochis celebranda admittantur. Qui non paruerint, ſex librarum multæ ſint ſubjecti; & fructus quos pro celebratione ſimilium feſtorum receperint, ſuos minimè faciant.

CAPUT V. aliàs VI.

Quæ duplæ, & quibus diebus admitti non debeant.

CUM juxta Patrum ſtatuta & conſuetudinem ordo unus, ac conſtans in officiorum celebratione eſſe debeat: ex multis autem feſtorum duplis, quæ contra calendarii ordinem in quibuſdam hujus provinciæ Eccleſiis admitti aliquando ſolent, magna in divinis officiis celebrandis in una eademque diœceſi & civitate varietas ac perturbatio ſoleat accidere; ne calendarii ordo in Miſſis conventualibus & horis canonicis in choro dicendis varietur, omnibus hujus provinciæ Eccleſiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum capitulis præcipit Synodus, ne duplam aliquam contra calendarii ſeriem tempore quo Miſſa conventualis & horæ canonicæ celebrari ſolent, diebus ullis celebrandam admittãt. Quod ipſum in Eccleſiis parochialibus diebus Dominicis & feſtis colendis ſervari etiam debere decernit. Reliquis enim diebus duplam in eis admitti indulget, dummodo Miſſa conventualis, ubi ea dici de more conſuevit, ſaltem privatim celebrari non omittatur. Capitulum non obediens, quinquaginta aureis; reliqui verò qui in parochialibus Eccleſiis contra hoc ſtatutum fecerint, viginti multentur. Si quæ verò hujuſmodi duplæ ſint jam admiſſæ, vel Ordinarius eas in alia ſuffragia commutet, quæ animabus illorum, qui hæc legata reliquerunt, ſint ſalutaria; vel certè alio tempore, quàm quo Miſſa conventualis & horæ canonicæ in choro dici ſolent, celebrari debeant.

CAPUT VI. aliàs VII.

Deambulationes in templis prohibentur.

CUM ſcriptum ſit: *domus mea domus orationis vocabitur*; cupiens Synodus deambulationes quæ in templis dum ſacra celebrantur, magno rerum divinarum contemptu fiunt, removere; præcipit ſub excommunicationis pœna, ne tempore Miſſæ majoris, vel dum ſacra concio ad populum habetur, hujuſmodi deambulationes in templis fiant. Canonicis autem & rectoribus injungit, ut ad eas prohibendas, quoad poterunt, miniſterio alicujus perſonæ ad id deputandæ officium ſuum accommodent.

CAPUT VII. aliàs IX.

Quæ ſapiunt gentilitios ritus è templis removenda.

NE in Chriſtianorum templis aliquid ſpectari poſſit quod gentilitios ritus ſapere videatur; prohibet Synodus, ne in editis atque conſpicuis templorum locis militaria vexilla aut phaleræ pendeant, neve galeæ, aut ſcuta promineant. Si quæ verò nunc extant, intra dies quindecim à publicatione præſentis ſtatuti removeantur.

CAPUT VIII. aliàs X.

Non eſſe Sanctorum reliquiis abutendum ad quæſtum.

QUONIAM Sanctorum reliquiis, quibus meritò honorem & venerationem debemus, aliqui non parvo multorum ſcandalo ad quæſtum abutuntur; ſacri etiam Tridentini Concilii decreto, quo in reliquiarum veneratione omnem turpem quæſtum eliminari debere Patres ſtatuerunt, Synodus inſiſtens, præcipit ſub excommunicationis pœna, ne in templis, etiam monaſteriis, reliquiæ Sanctorum extra ipſum altare educantur in locum ubi ad quæſtum populo ſint propoſitæ. Quòd ſi aliqui etiam regulares devotionis gratiâ eas ad infirmos detulerint, quod facere non debent niſi vocati, nihil eis dare, neque ipſis ob id, intuitu etiam eleemoſynæ aliquid recipere ſub eadem excommunicationis pœna liceat. Et quia omnia, quæ ſpeciem ſuperſtitionis habent, repellenda ſunt, prohibet, ne ullus imagines Sanctorum filis aut re alia metiatur, ut hujuſmodi imaginum menſuræ ad infirmos perferantur: neve hoſtiæ, in quibus nonnulla ſcribi ſolent, ægrotis præbeantur. Hæc enim à ſuperſtitioſi cultus ſpecie non ſunt aliena.

CAPUT IX. aliàs XI.

Vigiliæ publicæ in templis interdicuntur.

CUM domum Dei nihil non ſanctum deceat, perpendatque Synodus, ex iis vigiliis, quæ multorum concurſu in monaſteriis, aliiſve templis ſeu oratoriis publicis fiunt, multas ſcandali occaſiones oriri, & aliquando ex iis etiam templa profanari contingat; omnibus hujus provinciæ ſubditis in virtute ſanctę obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna mandat, ne ad templa ad hujuſmodi publicas vigilias agendas ſe conferant, aut eis ullo modo interſint.

CAPUT X. aliàs XII.

Proceſſiones è monaſteriis extra ſepta ne egrediantur.

STATUIT Synodus, ne è monaſteriis proceſſiones ſacroſancti corporis Chriſti, aut Aſſumptionis beatæ Mariæ, vel aliæ extra monaſteriorum ſepta per vicos fiant. Neque parochis liceat hujuſmodi proceſſionibus intereſſe. Parochus qui non paruerit, quadraginta ſolidis; presbyteri verò ſinguli ſolidis decem multentur.

CAPUT XI. aliàs XIII.

De piis operibus in ſuffragium animarum implendis. & de Miſſis, quæ in parochiis in fine anni celebrandæ ſuperſunt.

NE piæ taſtantium voluntates depereant, neque ipſorum animę debitis ſuffragiis fraudentur; præcipit Synodus, Miſſarum celebrationem, & alia pia opera quæ teſtamentis mandantur, ſaltem intra annum unum poſt teſtamenti publicationem impleri. Quin etiam curatis omnibus, & rationum Eccleſiaſticarum præfectis, quos *Rationales* vocamus, jubet, ut ſingulis annis Ordinario aut ejus vicario, ſeu viſitatori exponant, quantus Miſſarum nondum celebratarum numerus in ipſorum parochiis ſuperſit: ut Ordinarius quid ea in re agi debeat, poſſit maturè ſtatuere. Qui non paruerit, trium librarum multæ ſit ſubjectus.

CAPUT XII. aliàs XIV.

Quarum unionum acta Ordinario oſtendi debeant.

QUONIAM uniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ, juxta decretum Tridentini Concilii ab Ordinariis tamquam à Sede Apoſtolica delegatis examinari poſſunt; jubet Synodus, ut intra ſex menſes omnium hujuſmodi unionum tituli & acta ad Ordinarium deferantur. Si ſecus factum fuerit, ab Epiſcopis juxta Tridentini Concilii ſtatutum procedatur.

CAPUT XIII. aliàs XV.

Confraternitatum ſtatuta Ordinario commonſtranda eſſe.

OMNIBUS quarumcumque Confraternitatum prioribus & præfectis mandat Synodus, ut intra trium menſium ſpatium ſuæ confraternitatis conſtitutiones & ſtatuta ad Ordinarium deferant; ut poſſit ipſe Ordinarius intelligere, num eorum aliquod minùs rectum ſit, & an debita auctoritate ſint cõfirmata. Quod examen gratis fieri debere, decrevit Synodus. Si tranſacto prædicto termino, minùs paruerint, miniſteriis & exercitiis confraternitatum in Eccleſiis uti non permittantur.

CAPUT XIV. aliàs XVII.

De locis Parochialibus Eccleſiæ annexis.

CONTINGIT aliquando loca quædam ex paucis ruſticanis domibus initio coagmentata, & parochiali alicui Eccleſiæ annexa, in tantum poſtea domorum numerum excreſcere, ut non ſolùm ob loci diſtantiam, ſed propter plebis etiam multitudinem vix poſſit parochus ſacramenta illorum incolis miniſtrare. Unde cùm ex his annexis locis primitias curati recipiant, plebs tamen ſacramentorum adminiſtratione fraudetur; ſtatuit Synodus, ut in hujuſmodi locis annexis, quæ jam in competentem magnitudinem ſunt aucta, Ordinarius, quemadmodum viderit expedire, presbyterum conſtituat, qui illorum locorum incolis ſacramenta miniſtret: cui ex ipſius annexi loci fructibus, primitiis, vel redditibus commodum ac ſufficiens ſtipendium decernat. Quando verò Eccleſiam illam parochialem, cui locus annexus eſt, vacare contigerit, Ordinarius locum annexum, ſi ejus fructus, ſalvâ competenti Eccleſiæ matricis dote, ſufficientes fuerint, ab ipſa Eccleſia matrice pro ſuo arbitrio ſeparet, & in parochialem Eccleſiam erigat.

CAPUT XV. aliàs XIX.

Quæ parochiales Eccleſiæ liberentur onere ad matrices Eccleſias eundi, ut proceſſionibus interſint.

CUM ſacra Concilia in hunc etiam finem congregentur, ut ſubditorum odia, diſſenſiones, ac lites ſedari valeant; cupiatque Synodus, Eccleſiarum hujus provinciæ diſcordias tollere, quò tranquilliùs Deo, qui pacis eſt auctor, in eis deſerviatur; intelligens hujus provinciæ oppida quædam vel loca, cùm exigua initio ac tenuia eſſent, poſtea tamen in eam magnitudinem excreviſſe, ut ab Eccleſia matrice ſeparata, in Eccleſias parochiales jam

ſint

ſint erecta; quæ in ipſa eorum ſeparatione ad pacta quædam ſervanda adſtricta fuerant, quæ vix commodè ſervari jam poſſunt; quale erat, in feſto corporis Chriſti, vel Aſſumptionis beatæ Mariæ, oppidis ſuis aut locis relictis, cum cruce & cappis ad matricem Eccleſiam, ut ſacræ proceſſioni intereſſent, ire: ſtatuit, ſi ea oppida vel loca jam in parochiales Eccleſias erecta ejuſmodi ſint, ut in eis corporis Chriſti, aut alterius feſti proceſſio decenter fieri queat (quod ipſum judicio Ordinarii relinquitur) jam nunc onere illo, ſeu obligatione ad matricem Eccleſiam cum cruce & cappis prædicto feſto vel feſtis eundi, ut proceſſioni interſint, eximenda & liberanda eſſe, quemadmodum præſenti decreto ea eximit ac liberat: eorumque incolis concedi, ut in ipſis ſuis oppidis vel locis prædictas proceſſiones facere poſſint; & ne ab ullis perturbentur, præcipit: non obſtantibus ſtatutis, conſuetudinibus, conventionibus, & aliis quibuſcumque: his enim omnibus Synodus derogat. Si quæ verò lites coram hujus provinciæ Ordinariis ſuper prædictis ortæ fuerint, ſintque adhuc indeciſæ, illas omnes ad ſe Synodus evocat, præſentique hoc ſtatuto caſſat & extinguit: ac partibus perpetuum ſilentium imponit.

CAPUT XVI. aliàs XXI.

Judices ſæculares qui perſonas Eccleſiaſticas in carcerem trahunt, excommunicati declarantur.

JUDICUM quorundam ſæcularium audaciam improbans Synodus, qui perſonas Eccleſiaſticas in carcerem trahere, & ibidem ſua auctoritate retinere audent; præcipit, ne aliquis ſæcularis judex, ullum, qui in ſacris ordinibus conſtitutus ſit, capere, aut captum aliquo tempore retinere præſumat: ſed ſi fortè ipſum proprio mutato habitu, in aliquo crimine repererit, ſimul atque cum ſacris ordinibus initiatum eſſe intelliget, ad ejus ſuperiorem deferat. Quòd ſi tempus ad id opportunum non fuerit, tantiſper ſolummodo pro ſuperiore ejus ipſum cuſtodiat, idque decenti loco, & abſque omni alia moleſtia, donec ad illum deferre ipſum poſſit. Alioqui ſententiam excommunicationis, quæ capite, *Si quis ſuadente diabolo*, in eos infertur, qui manus violentas in clericos injecerint, Synodus eum incurriſſe declarat.

CAPUT XVII. aliàs XXII.

Novitiæ quomodo ante profeſſionem ſint ab Ordinario examinandæ.

ANTEQUAM profeſſionem emittat quæ in religione novitia eſt, juxta Concilii Tridentini decretum debet Epiſcopus, vel eo impedito ejus vicarius, vel aliquis ab eis deputatus, illius voluntatem explorare, an coacta, an ſeducta fuerit, & an ſciat quid agat. Ut igitur rectiùs, & majori ejus libertate hæc probatio fiat, præcipit Synodus, hujuſmodi examen apto & decenti loco, in quo nihil à ſanctimonialibus, vel aliis audiri poſſit, debere fieri. Et quoniam bona eodem Concilio Tridentino ſtatuente, ut hac etiam ratione ipſius novitiæ libertati magis conſulatur, ante ejus profeſſionem monaſterio dari non debent, decernit, ab Epiſcopo, vel ejus vicario, aut ab eis deputato hoc etiam explorandum eſſe, an ſcilicet monaſterium antequam novitia profeſſionem emittat, bona ipſa receperit. Porrò circa victum & veſtitum ejus, quæ nondum eſt profeſſa, diſpoſitio Concilii Tridentini ſervetur.

CAPUT XVIII. aliàs XXIII.

Ab Epiſcopis & regularium ſuperioribus ſtatuta Tridentini Concilii de regularibus edita, in monaſteriis ipſorum curæ ſubjectis eſſe ſervanda.

QUONIAM tam Epiſcopi in monaſteriis ſibi ſubjectis, vel ſpecialiter commiſſis, quàm Abbates, Generales, aliique ordinum ſuperiores ea quæ de regularibus ſive viris, ſive mulieribus in ſacro Tridentino Concilio ſtatuta ſunt, executioni mandare debent, ita ut Epiſcoporum negligentiam Concilia Provincialia ſuppleant & coërceant; regularium verò capitula provincialia & generalia; & in defectum capitulorum generalium Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem ordinis providere debeant; iccircò Synodus hujus provinciæ Epiſcopos, necnon Abbates, Generales, alioſque ordinum ſuperiores in Domino hortatur, ut ſi fortè in aliquibus monaſteriis tam virorum, quàm ſanctimonialium eis ſubjectis vetus ac regularis diſciplina collapſa fuerit, omnia juxta Tridentini Concilii ſtatuta, quæ de regularibus ſancita ſunt, pro ſua prudentia inſtaurent ac moderentur. Epiſcopi qui in monaſteriis ſibi ſubjectis præſens decretum non ſervaverint ducentorum aureorum multæ ſubjiciantur. Regularium verò ſuperiores, ſi ſuo muneri hac in parte defuerint, ſuaque monaſteria ad decretorum Tridentini Concilii normam minimè reformaverint, juxta ejuſdem ipſius Tridentinæ Synodi conſtitutionem, eorum negligentia coërceri atque ſuppleri diligenter curabitur,

SESSIO QUINTA ET ULTIMA, SUB PIO QUINTO PONT. MAX.

Celebrata die XXIV. Februarii MDLXVI.

UT hujus provinciæ populus ſanctis legibus inſtitutus, Deo fideliter ſerviat, ejuſque mandata faciliùs exequatur, hæc Provincialis Valentina Synodus præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo domino Martino Ayala Archiepiſcopo Valentino, ſequentia hæc ſtatuta, quæ potiſſimùm ad populum gubernandum, & in officio retinendum pertinent, ſancienda ac promulganda eſſe decrevit.

TITULUS QUARTUS.

De iis, quæ communiter ad populi gubernationem ſpectant.

CAPUT I.

De feſtis in hac provincia colendis.

DIES feſtos in hunc finem inſtitutos eſſe conſtat, ut in eis ab omni opere ſervili abſtinentes, rebus divinis toti incumbamus. Quare graviter ferens Synodus eſſe quoſdam, qui hæc parum curantes, ſacros dies à reliquis minimè diſtinguunt, dum alii laborantes manibus, alii verò pravis ac ſceleratis operibus hiſce diebus ſeſe magis implicantes, debitum honorem feſtis ſubtrahunt; ut in poſterum ipſi dies feſti rectiùs obſervari poſſint, & populus eorum multitudine minimè prægravetur, ſtatuit illorum feſtorum catalogum deſcribere, quæ ex ipſius Synodi mandato in tota hac provincia ab omnibus coli debent. Ea autem ſunt quæ ſequuntur.

Circumciſio Domini.
Epiphania.
Sebaſtianus Martyr.
Vincentius Martyr.
Purificatio beatæ Mariæ Virginis.
Matthias Apoſtolus.
Annunciatio beatę Mariæ Virginis.
Marcus Euangeliſta.
Philippus & Jacobus Apoſtoli.
Inventio Sanctæ Crucis.
Barnabas Apoſtolus.
Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ.
Petrus & Paullus Apoſtoli.
Jacobus Apoſtolus.
Transfiguratio Domini.
Laurentius Martyr.
Aſſumptio beatæ Mariæ Virginis.
Bartholomæus Apoſtolus.
Nativitas beatę Mariæ Virginis.
Matthæus Apoſtolus.
Dedicatio Michaëlis Archangeli.
Lucas Euangeliſta.
Simon & Judas Apoſtoli.
Feſtum omnium Sanctorum.
Andreas Apoſtolus.
Conceptio beatæ Mariæ Virginis.
Thomas Apoſtolus.
Nativitas Domini.
Stephanus Protomartyr.
Joannes Apoſtolus & Euangeliſta.
Reſurrectio Domini cum feria ſecunda & tertia.
Aſcenſio Domini.
Feſtum Pentecoſtes cum feria ſecunda & tertia.
Feſtum corporis Chriſti.

Feſta verò Sanctorum, qui civitatis aut loci ſunt patroni, arbitrio Ordinarii; quæ verò civitatis vel loci voto colenda eſſe dicuntur, præcedente Ordinarii examine colantur. Et quia non deſunt, qui vix alia ratione, quàm metu pœnę à malo prohiberi poſſunt, ideo Synodus iis, qui horum feſtorum aliquod non coluerint, quatuor ſolidorum pœnam imponit.

CAPUT II.

De præcepto audiendi Miſſam.

DENT operam omnes Chriſti fideles, ut præceptum Eccleſię, quo diebus Dominicis & feſtis colendis Miſſam audire tenentur, ſedulò impleant: ſciantque, cùm decimum quartum annum attigerint, ſe jam obligatione hujus præcepti devinctos eſſe: quos hortatur Synodus, ut ad ſuas parochias, quòd ſint in eis ut plurimum ſacro fonte regenerati, & ſalutaria ſacramenta inde recipiant, ac in ipſis etiam pro eis ſpeciatim oretur, diebus ſaltem Dominicis & feſtis majoribus ad Miſſam conventualem attentè ac devotè audiendam accedant.

CAPUT III.

Non eſſe pietatis prætextu violandum præceptum de colendis feſtis.

NON deſunt, qui pietatis cauſſam præ ſe ferentes, interim tamen Eccleſię mandata tranſgrediuntur. Quem abuſum auferre cupiens Synodus, præcipit, ne ullus quocumque in loco, etiam ſacro, diebus Dominicis aut feſtis colendis aliquid ſervilis operis faciat abſque Ordinarii vel officialis ejus facultate. Quin etiam jubet, ne ullus eiſdem Dominicis aut feſtis diebus è civitatibus, oppidis, locive aliis aliquò proficiſcatur, quin Miſſam priùs audierit, niſi in eum locum ſe conferat,

rat, in quo eam sit auditurus. Quam si non audiat, velut præcepti Ecclesiastici transgressor ab Ordinario puniatur.

CAPUT IV.

De impedimentis rerum sacrarum removendis, & quando officinæ sint occludendæ.

DIEBUS festis dum in templis officia sacra aguntur, ludi, saltationes, tripudia, & alia quæcumque rerum divinarum impedimenta tollantur. Officinæ verò, & mercium, aliarumque rerum, etiam ad usum necessarium tabernæ, & cauponæ, in quibus esculenta venduntur, quamdiu ipsis diebus festis Missa conventualis in templis celebratur, minimè aperiantur. Ante verò & pòst, ubi ad victum & vestitum necessaria venduntur, altera ex foribus poterit aperiri.

CAPUT V.

Choreæ quibus locis, & quo tempore prohibeantur.

SUNT qui saltationibus & choreis, quæ coram altaribus fiunt, Sanctorum festis cultum impendi falsò existimant. Ideo sub excommunicationis pœna prohibet Synodus, ne in vicis, aut plateis coram altaribus choreę ducantur; ac ne in domibus confraternitatum, in quibus sunt sacella & altaria, ullo tempore coram ipsis tripudia & saltationes fiant. Nocturnas verò saltationes in confraternitatum domibus omnino prohibet: tum quòd festorum cultui minimè conveniant, tum etiam quòd permulta ex eis mala oriri passim experiamur. Qui nocturnis saltationibus in confraternitatum domibus operam dabunt, prętер prędecedentem excommunicationis pœnam, quinque etiam libris multentur.

CAPUT VI.

De pauperibus mendicis, & de iis qui eleemosynas in templis colligunt.

EOS, qui Missæ sacrum audiunt, oportet magna animi quiete rebus divinis intentos esse, & à nullis perturbari quo minus tranquilla mente sacra illa mysteria, quæ in Missa peraguntur, contemplari possint. Volens igitur Synodus hęc rei tam sacræ impedimenta arcere, præcipit, ne dum res sacra agitur, pauperes mendici in templis, aut eorum sacellis permittantur: sed ad januam tantùm templi stipem petere possint. Qui verò eleemosynarias patinas in templis circumferunt, non alii, quàm sequentes, nisi de expressa Ordinarii facultate permittantur: qui scilicet ad parochialis templi, ipsius etiam Metropolitani fabricam, qui ad alendos parochiæ pauperes, qui ad sacrosanctum Christi corpus honorificè colendum, ad ornamenta sacra conficienda, ad beatæ Mariæ Virginis sacellum decorandum, ad suffragia animabus Purgatorii ferenda, demum ad ipsius hospitalis pauperes sustentandos eleemosynas petunt. Quibus, in Missis quidem privatis, eo tantùm tempore, quo vel sacerdos ad Missam celebrandam se induit, vel quo ipsam Missæ communionem jam peregit, eleemosynas quærere liceat. In Missis verò conventualibus id antequam peractum sit Euangelium, nequaquam faciant: quo etiam tempore, sed priore loco, rectoribus & vicariis oblationes à populo recipere liceat. Præcipit etiam Synodus, ne in monasterio aliquo patina eleemosynaria ad sustentationem pauperum, ipsius monasterii auctoritate circumferatur: neve alio quovis modo illis collectæ eleemosynę, eâdem monasterii auctoritate distribuantur,

CAPUT VII.

De eleemosynis, quæ in suffragium animarum colliguntur.

QUI patinam eleemosynariam animarum Purgatorii detulerit, sive Ecclesiasticus sit, sive laïcus, successori suo, rectore vel vicario præsente, ad accepti & expensi rationem reddendam sit obnoxius. Quas omnes rationes rector vel vicarius à visitatore in ipsa visitatione examinandas servari sedulò curet. Hæ verò eleemosynæ in Missarum tantùm celebrationem cedant, quæ in eadem Ecclesia, in qua erogatæ sunt, in animarum suffragium celebrentur. Quòd si videbitur aliquando expedire, ut in alia opera insumantur, id non fiat, nisi consulto prius Ordinario.

CAPUT VIII.

De confraternitatum imaginibus,

CUM nonnulli privatis domibus, propemodum ac si sacra templa essent, uti videantur, idque non deceat; præcipit Synodus, ne illæ confraternitatum imagines, quibus confratres in suis solennitatibus & funeribus uti solent, aliter in privatis domibus habeantur, quàm thecis inclusæ, honesto tamen ac decenti loco collocatæ. Cùm autem ad funera, vel aliò deportandæ erunt, intra thecas etiam, & decenter, sine pompa tamen, ferantur.

CAPUT IX.

Sanctorum imagines decenter pingendæ & formandæ.

SANCTORUM imagines, quæ in ipsorum cultum & populi eruditionem in Ecclesia meritò proponuntur, tam decenter atque honestè compositas esse oportet, ut neque

ulla ab eis offendiculi occaſio dari, neque quod in finem bonum inſtitutum eſt, in malum aliquod detorqueri poſſit. Quare, ſacri etiam Concilii Tridentini decretis inhærendo, ſub excommunicationis pœna jubet Synodus, ne ullus imagines Sanctorum aut procaci venuſtate depingat, aut laſcivis & inhoneſtis indumentis adornet: ſed ut adeò honeſtè vel pingantur, vel formentur, ut illorum quos nobis referunt, ſanctitati appoſitè & convenienter reſpondeant. Si quæ verò imagines aut indecorè depictæ, aut inhoneſtè formatæ in templis potiſſimùm habeantur, parochis & eorum vicariis, ut eas quamprimum removeant, diſtrictè præcipit.

CAPUT X.

Ne laïci ſacris veſtibus utantur.

CUM ſacræ veſtes, quæ divino cultui ſunt dicatæ, rerum ſacrarum miniſtris tantùm congruant; prohibet Synodus, ne laïci in myſteriorum repræſentationibus, vel aliàs, ſacris veſtibus utantur. Rectores & ſacriſtæ, qui ſacras veſtes laïcis conceſſerint, viginti ſolidorum pœnâ multentur.

CAPUT XI.

Quibus rationibus agendum, ut nuper converſi ad fidem alliciantur.

QUI nuper ad fidem converſi ſunt, cùm in ea inſtructi erunt, ut majorem in rebus divinis profectum faciant, iis diebus, quibus divina myſteria ſingulari quadam veneratione in templis aguntur, illorum celebrationi matutino tempore intereſſe ſedulò curent: potiſſimùm feriâ quartâ cinerum, feriâ quintâ in cœna domini, & ſextâ in Paraſceve, & die commemorationis defunctorum, & ſimilibus. Speramus enim fore, ut illorum aliqui ſolenni hoc cultu ad divina magis provocentur.

Et quia eorum multi cùm mortem obeunt, nulla Chriſtiani animi ſigna edere ſolent, cupiens Synodus, illos noſtræ fidei rebus aſſueſcere, eis injungit, ut cùm teſtamenta condent, aliquid in animarum ſuarum ſuffragium poſteris ſuis imperent. quòd ſi minus fecerint, ii, qui eorum bonis quovis modo ſucceſſerint, tres ſaltem Miſſas in defuncti ſuffragium celebrari faciant.

Quibus etiam Synodus imperat, ne famulos origine Chriſtianos habeant annis decem & octo natu minores. Id ſi aliter fiat, nuper converſus libras decem ſolvat: famulus verò in carcerem ad menſem unum includatur.

CAPUT XII.

In judices ſeculares, qui Eccleſiis contra earum immunitatem vim inferunt.

JUDICES ſeculares, qui nulla præcedente coram Ordinario cauſſæ cognitione, fores Eccleſiæ perfringendo, vel quocumque alio modo illata vi, in Eccleſiam, quę de jure vel conſuetudine immunitate gaudet, intraverint, vel eam prædicto aliquo modo invaſerint, excommunicationem latę ſententię incurrant. Quibus etiam Synodus præter illati damni reparationem, multam quinque marcorum argenti irrogat: quàm fabricæ ipſius Eccleſiæ, cui injuriam intulerint, jam nunc applicatam eſſe decernit. Illatę etiam violentiæ miniſtri eâdem excommunicatione devinciantur, & aliis pœnis pro qualitate perſonarum arbitrio Ordinarii puniantur. Denique ſi quis cujuſvis dignitatis, ſtatûs, aut conditionis fuerit, nulla prędecedente coram Ordinario cauſſæ cognitione, ab Eccleſia, quæ immunitate gaudet, aliquem vi extraxerit, vel extrahi mandaverit, ſententiæ excommunicationis ipſo facto ſit ſubjectus.

CAPUT XIII.

Adversùs ſeculares, qui in perſonas Eccleſiaſticas juriſdictionem ſecularem exercent.

SUNT qui Dei timore poſthabito, ſe intra limites ſuæ juriſdictionis haud quaquam continentes, in meſſem alienam manum mittere non verentur: quos adversùs etiam Prędatos, & perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, tamquam in proprios ſubditos, ſęcularis juriſdictionis actus contra omnem æquitatem & jura exercere minimè pudet. Quæ meritò Synodus ægrè ferens, diſtrictè prędipit, ne judex aliquis ſęcularis, aut magiſtratus cujuſcumque dignitatis aut conditionis fuerit, de vita alicujus, qui in ſacris ordinibus conſtitutus ſit, inquirere; aut teſtes ad informationem recipere; aut contra eum proceſſum aliquem texere auſit: ſed ſi quid correctione dignum in eo viderit, id apud ejus ſuperiorem Eccleſiaſticum deferendum curet. Qui contrà egerit, excommunicatione latę ſententię ſit adſtrictus.

CAPUT XIV.

Patroni juris patronatûs titulum Ordinario oſtendant.

NE cùm Beneficiorum patroni aliquem ad Beneficium vacans præſentaverint, de viribus & ſtabilitate juris patronatûs dubitatio aliqua oriri poſſit, prędipit Synodus omnibus, cujuſcumque dignitatis vel conditionis fuerint, qui perſuaſum habent, Beneficii curati vel ſimplicis jus patronatûs ſibi competere, ut intra ſex menſium ſpatium juris

patro-

patronatûs titulum Ordinario, vel ejus vicario generali, ad normam Tridentini Concilii examinandum oſtendant. Re enim in tempore perpenſa, omnis dubitationis & litium occaſio auferatur. Si negligentes fuerint, ſciant ſe inde, quod ad ipſum jus patronatûs attinet, damnum eſſe reportaturos.

CAPUT XV.

Ne pactio, vel conventio aliqua ſit inter præſentatum & ipſum patronum.

QUOTIES Beneficiorum patroni aliquem ad Beneficium vacans præſentaverint, præter ea quæ de jure vel conſuetudine ab eis interrogari ſolent, ipſe ſaltem præſentatus juret, num pactio aliqua vel conventio inter ipſum & patronum intervenerit: ut judicare poſſit Ordinarius, an ipſa præſentatio rectè & canonicè fiat.

CAPUT XVI.

De decimis integrè ſolvendis.

CUM jus decimarum, quæ Eccleſiaſticis perſonis debentur, à jure divino pendeat, & ſacris etiam Eccleſiæ ſtatutis magnopere ſit comprobatum; non poteſt Synodus illorum verſutiam non maximè reprehendere, qui in decimis ſolvendis omnes rationes excogitant, quibus aliquid ex is per fraudem ſubtrahere, eaſque imminuere poſſint. Quare diſtrictè præcipit, ut poſthac de omnibus terræ ſeminibus, fructibus, oleribus, lana, ſiliquis, foliis mororum, ſaccaro, deque omni ſpecie vini, ac reliquis, quę terrâ gignuntur, integrè omnique fraude ſecluſa, ſub excommunicationis pœna decimas ſolvant: utque decimantes nequaquam pejora tribuant, neque ſeminis portionem, quæ terræ mandata fuit, aut ea, quæ ex cumulis relinquuntur, vel ipſa etiam purgamenta à jure decimarum exempta faciant. Demum ne ullus, cujuſcumque dignitatis aut conditionis fuerit, decimarum ſolutionem impedire, earumve collectores ulla ratione moleſtiâ afficere auſit.

CAPUT XVII.

Uſurarii contractus prohibentur.

QUONIAM qui cum proximi injuria res ſuas uſuris augere ſtudent, in Dei Eccleſia deteſtabiles ſunt, cùm & Chriſti etiam ſententiâ damnentur apud Lucam dicentis: *Si mutuum dederitis iis, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes.* Quin & in civitate, in qua viderat David iniquitatem & contradictionem, non defecerat de plateis ejus uſura & dolus. Et is in tabernaculo Domini habitat, *qui iurat proximo ſuo, & non decipit; qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Ideo Synodus hoc crimen meritò execrata, ſtatuit ac præcipit, ne poſthac contractus ulli uſurariâ labe affecti in civitatibus, oppidis, aut Univerſitatibus permittantur; quales ſunt, quando ratione tantùm temporis res pluris quàm valeat, venditur: vel quando anticipatâ pecuniâ, minoris juſto aliquid emitur: ſimileſque alii contractus, qui communi eruditorum judicio uſurarii cenſentur. Quos omnes meritò vult è tota provincia omnino ſublatos & abolitos eſſe: & qui eos exercent, infames haberi, & pœnis ipſius juris acriter pro delicti qualitate puniri.

CAPUT XVIII.

De flagellantibus ſe.

CUM in iis potiſſimùm diebus, quibus præcipua noſtræ fidei myſteria in Eccleſia celebrantur, oporteat divinum cultum purum in primis ac incorruptum eſſe; & ab iis, qui feriâ quintâ in cœna Domini, & antemeridiano tempore feriâ ſextâ in Paraſceve ſe publicè flagellare ſolent, pleraque ſcandala oriantur; cùm eo tempore, quo jejunandum eſt, epulationibus & compotationibus plerique eorum ſe dedant; quandoque etiam pro divinis laudibus blaſphemię, & divini nominis execrationes audiantur; divinumque officium & ſacræ conciones ab eis perturbentur; & quod gravius eſt, ſub hac ſpecie boni in eorum nonnullis mens mala lateat, qui hoc devotionis & ſanctitatis prętextu ad quædam flagitia abutuntur: iccircò hæc omnia perpendens Synodus, ac ſperans fore, ut, ſi hic uſus prædictis temporibus ſe flagellandi in aliud tempus transferatur, majore hęc animarum devotione, & ſublatis omnibus ſcandalis fiant; ſtatuit ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, ne flagellantium ſe aliquis feriâ quintâ in cœna Domini interdiu, vel noctu; neque feriâ ſextâ in Paraſceve antemeridiano tempore, ſive in publica proceſſione, ſive ſeorſum in vicos vel templa prodire auſit. Illis tamen permittitur feriâ ſextâ in Paraſceve pomeridiano tempore uſque ad ſolis occaſum, prædictis & aliis omnibus ſcandalis ſublatis, in proceſſione, ac etiam ſeorſum ſe flagellando in templum aliquod vel templa, devotionis gratiâ pergere. Quod ipſum Synodus ſub eadem excommunicationis pœna iis præcipit, qui pœnarum confraternitati ſunt addicti. Eos verò, qui atris veſtibus indui, & ipſos ſe flagellantes, vel alios comitari ſolent, ad ſcandala & mali pericula vitanda, non aliter quàm detecta facie incedere jubet. Si minùs paruerint, precedenti etiam pœnæ ſint obnoxii. Denique ipſa Synodus, ob Reſurrectionis Dominicæ gaudium conſuetudini etiam & ritui, quem Eccleſia in hiſce ſolennibus feſtis ſervare ſolet, inhærens,

præcipit, ne ipso Resurrectionis Dominicæ festo ullus se flagellis publicè cædat. Mandati transgressoribus eadem excommunicationis pœna imponitur.

CAPUT XIX.

De Notariis.

NOTARII, si quando auctoritate sua abutuntur, multa & magna Reipublicæ mala inferre solent. De quorum peritia potest Episcopus juxta Tridentini Concilii decretum, etiam tamquam sedis Apostolicæ delegatus, examinatione adhibita, inquirere: & illis, si non fuerint idonei reperti, aut si in officio suo delinquant, ipsius officii usum in causis Ecclesiasticis, aut perpetuò, aut ad tempus prohibere. Statuit ergo Synodus, ne Notarii alii admittantur, quàm periti & examinati, & quibus de morum probitate bonum testimonium detur. Qui verò domicilium stabile in diœcesi non habuerint, quod Notariis Apostolicis frequentiùs accidere solet, officii sui usum exercere non permittantur, nisi priùs de protocollis & regestis fideliter servandis & ab ea diœcesi, in qua acta receperint, non aliò abducendis, firmam ac tutam cautionem dederint. Quicumque autem officio suo non legitimè fungentur, juxta idem Tridentinæ Synodi decretum ab Ordinariis puniantur.

CAPUT XX.

Multæ quibus applicentur.

MULTAS quæ in statutis hujus Provincialis Concilii iis qui non obedierint, sunt impositæ, nec in ipsis statutis alicui sunt applicatæ, Synodus addicendas & applicandas esse decernit, & præsenti decreto in hunc qui sequitur modum eas addicit & applicat: ut in tres æquas partes divisæ, una in usum fabricæ ipsius Ecclesiæ, altera in pauperum loci sustentationem cedat, tertia verò criminis delatori, & ministris executoribus tribuatur.

CAPUT XXI.

Nulli præjudicium aliquod ex hujus Provincialis Concilii Actis generari, aut jus novum acquiri.

CUM maximè deceat omnia in Conciliis ex jure & æquitate fieri, statuit Synodus, sacrorum Conciliorum consuetudinem secuta, si quis in hujus Provincialis Concilii Actis, vel dum ipsa ejus decreta in congregationibus sanciebantur, vel in publicis sessionibus promulgabantur, non debito forte loco sederit, aut quocumque modo, dum sententiæ dicerentur, votum protulerit, aut alium quemcumque actum exercuerit, nulli ob id præjudicium generatum, aut novum jus in futurum tempus alicui fuisse acquisitum.

QUÆ omnia Provincialis hujus Synodi decreta in Metropolitano Valentiæ urbis templo, præsentibus Concilii Patribus, & frequenti populo, lecta fuerunt. Die verò XXIV. mensis Februarii, anno à Christo nato MDLXVI. quâ sessio ultima in eodem templo habita est, interrogati Patres num omnia Synodi hujus decreta ipsis placerent? cùm sibi placere, seque firma & rata ea omnia habere respondissent, Synodus ipsa in Dei nomine soluta fuit; & ejus decreta Patrum subscriptione, ut sequitur, constabilita & firmata fuêre.

Martinus Archiepiscopus Valentinus.
Didacus de Arnedo Episcopus Majoricensis.
Joannes Segrianus Episcopus Christopolitanus procurator Oriolensis.

Concordant decreta cum originali.

Antonius de la Jardina Concilii Provincialis Valentini Secretarius & Not.

MAR-

MARTINVS AYALA
ARCHIEPISCOPUS VALENTINUS

Omnibus hujus provinciæ Chriſti fidelibus ſalutem in Domino.

CONCILIUM Provinciale, quod ex ſanctorum Patrum, & ſacroſanctæ atque Oecumenicæ Synodi Tridentinæ decreto in Eccleſia noſtra celebrandum indixeramus, Domino vires largiente, ad optatum jam finem perduximus. In quo illud à nobis imprimis curatum eſt, ut eos potiſſimùm hujus provinciæ abuſus corrigeremus, qui majora incommoda ſubditis noſtris attuliſſent, & jam ampliùs diſſimulari citra magnam divini cultus & bonorum morum jacturam minimè potuiſſent. Aliorum verò abuſuum repurgationem, qui vel leviores eſſent, vel hujus noſtræ diœceſis proprii, partim in ſequentem Synodum Diœceſanam à nobis proximè habendam, partim in alia tempora commodiora rejecimus: ne ſi omnes ſentes & ſpinas, quæ fuerant enatæ, uno impetu eradicare niteremur, utilem etiam frugem cum zizaniis convelleremus. Vix enim profectò poſſumus ſine acerbo animi dolore commemorare, quantum damnorum intulerit cùm in cæteras Hiſpaniæ Eccleſias, tum verò maximè in hanc noſtram Valentinam provinciam neglecta tot ſæculis Conciliorum celebratio. Quod certè is facilè perſpiciet, qui antiquum Hiſpaniæ ſtatum, hoc eſt, veterem Conciliorum majeſtatem, & gentis illius noſtræ ad pietatem & honeſtos mores ſtudium ardentiſſimum, cum præſentis ſæculi inertia & moribus propemodum deploratis voluerit comparare. Celebratum quidem olim apud Valentiam fuit ante annos mille, regnante in Hiſpania Theoderico, ſex Epiſcoporum Concilium: quod etſi paucorum admodùm fuerit Canonum, quia nondum fortaſſe in Eccleſiis morbi adeò excreverant, eâ tamen fuit auctoritate, ut Concilium ſeptimum Toletanum illius decretum pro lege receperit. Verumtamen quod ſummè dolendum eſt, ab eo tempore uſque ad Machometanorum incurſionem, & poſt recuperatam deinde ex illis à Jacobo Aragoniorum Rege Valentiam, ad hanc uſque diem; nullum omnino apud nos Concilium habitum legimus, præter pauciſſimas Synodos Diœceſanas, & illas multorum annorum ſpatiis intermiſſis. Nunc verò quoniam Dei opt. max. & ſacræ Synodi Tridentinæ beneficio, Conciliorum celebrationem videmus reſtitutam, non poſſumus non meliora omnia nobis deinceps polliceri. In primis autem certò ſperamus, hoc noſtrum Valentinum Concilium (ſive ſecundum poſt alterum illud vetuſtiſſimum, appellare volueris: ſive primum poſt factam Metropolim ab Innocentio VIII. Valentinam Eccleſiam) fore & utile principium ad curanda inveterata hujus provinciæ vulnera, & non leve poſteris exemplum ad ſæpè renovandam hujuſmodi morborum medicinam. Nos quidem dili-

gen-

genter ſtuduimus hujus provinciæ mala ex multorum ſermonibus explorare: & eorum quoque hominum, qui virtute ſua, doctrina, & longo rerum uſu ad eam rem utiles videbantur, judicia de remedio afferendo exquirere. Tandem poſt auditas de rebus ſingulis multorum ſententias, communibus omnium ſuffragiis, hæc decreta viſa ſunt digna, quæ ad hujus provinciæ utilitatem ſancirentur. Ut verò etiam in noſtrorum manus citiùs ac fideliùs pervenirent, nos illa typis excudenda curavimus. Reliquum eſt, ut vos, quorum cauſsâ tam multi labores à nobis ſuſcipiuntur, quorumque imprimis ſalutem ex officii noſtri debito chariſſimam habemus, par quoque ſtudium ad has leges cognoſcendas ac ſedulò obſervandas afferatis.

BREVE PII V.

Ad D. Ferdinandum de Loaſes Patriarcham & Archiepiſcopum Valentinum directum, in quo Synodus Provincialis D. Martini de Ayala confirmatur, cum aliquibus tamen reſtrictionibus; ac epitheto *Sanctæ* eam privat.

Juxta exemplar aſſervatum in archivo S. Metropolitanæ Eccleſiæ VALENTINÆ.

Venerabili fratri Ferdinando Patriarchæ Antiocheno, Archiepiſcopo Valentino.

PIUS PAPA V.

VENERABILIS *frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Provinciale Concilium Valentinum ſuperioribus annis celebratum, quod correctioni noſtræ ſubjiciens, miſit ad nos bon. mem. proximus prædeceſſor tuus; vidimus, & à venerabilibus fratribus noſtris, quos ad interpretationem ſacri Tridentini Concilii aſſumpſimus in conſilium, quoad ejus in præſentia fieri potuit, emendandum curavimus. Quæ autem corrigenda, de ipſorum etiam venerabilium fratrum ſententia, nunc viſa ſunt, ea hîc infraſcribi juſſimus. Porrò fraternitati tuæ, tuorumq; Coëpiſcoporum officium erit, illa diligenter animadvertere, & ut ad ea ipſa Concilium iſtud omnino accommoderur & conformetur ſedulò curare. In iis verò etiam, quæ deinceps iſthic Deo approbante, Provincialia Concilia habebuntur, earundem infraſcriptarum correctionum noſtrarum ſemper meminiſſe, ita ut ab illarum ratione atque ſententia nullo unquam tempore diſceſſiſſe videamini.*

Seſſione I. in proœmio, ibi: Hęc ſancta Provincialis Valentina Synodus &c. *Hæc verba*: ſancta Synodus, *non conveniunt Synodo Provinciali, ſed Univerſali. In Provinciali autem verba ſic concipi debent*: N. Archiepiſc. &c. de conſilio & aſſenſu RR. DD. Coëpiſcoporum noſtrorum in Provinciali Synodo ſtatuimus &c. *Ideo, verba illa*, ſancta Synodus, *tollantur & hîc & in aliis omnibus locis hujus Concilii, ubi poſita ſunt. Ibi*: profitetur ac defert &c. *debuerat hæc profeſſio fidei fieri juxta formam præſcriptam in literis Pii IV. quarum exemplum nunc mittitur, ut ea deinceps ſic præciſè præſtetur.*

Seſſio I. Cap. II. quod incipit: Regulares extra ſua monaſteria. *Ibi*: aut ad ſimplex Beneficium. *dicatur*: aut ad aliquod Beneficium.

Seſſio II. Cap. III. quod incipit: Baptiſmus ſacramentorum, *Ibi*: Ex pacto in ejus collatione &c. *Diſplicuêre illa verba*: ex pacto; *quòd ſponte datum ſeu oblatum permittant, & homines ad dandum invitent.*

Seſſio II. Cap. VIII. quod incipit: Quoniam Ma-

Machometanorum. *Ibi*: etiam ægrotis graviter laborantibus. *Videbatur injungenda potiùs pœna, & quidem majoris ſummæ, medicis, qui primâ vice ab ægrotis vocati, eos non admonerent, ut Parochum ad ſe accerſiri jubeant. Vel poſtquam admoniiſſent, ſecundâ vice accedentes, etſi ægrotos non paruiſſe viderint, ad eos nihilominus poſtea reverterentur.*

Seſſio II. Cap. XVIII. quod incipit: Presbyteris omnibus. *Ibi*: in excommunicationem latæ ſententiæ. *diſplicuêre illa verba*: latæ ſententiæ.

Seſſio II. Cap. XXII. quod incipit: Non probat ſancta Synodus. *Ibi*: poſthac aquam tantùm. *diſplicuit hæc innovatio.*

Seſſio II. Cap. XXV. quod incipit: Quamvis matrimonia, quæ invitis parentibus. *Tollatur omnino hoc decretum.*

Seſſio II. Cap. XXVIII. quod incipit: Jubet ſancta Synodus ne Parochus. *Licèt optandum ſit, ut qui contrahunt matrimonia hæc omnino ſcirent; non poteſt tamen propterea libertas matrimonii impediri. Ideo deleatur totum hoc decretum, & curent Ordinarii, ut qui ignari ſunt doceantur.*

Seſſio III. Cap. IV. quod incipit: Quoniam Epiſcopi, qui Titulares vocantur. *Ibi*: niſi notus fuerit &c. *addatur*: vel miſſus à Sede Apoſtolica. *Ibidem*: in regnis Hiſpaniæ, aut inſulis illi adjacentibus progenitus. *Tollatur verbum*, progenitus.

Seſſio III. Cap. V. quod incipit: Eorum vitæ meritum. *Ibi*: Qui non potuerit &c. *uſque ad verſum*, Presbyteros autem, *tollatur tota hæc clauſula, quæ pœnam & multam irrogat; & permittatur hæc res in terminis Juris Canonici, & Concilii Tridentini.*

Seſſio IV. cap. II. quod incipit: Quoties Parochialis Eccleſia. *Ibi*: vt per edictum publicum, qui ad eam Parochialem &c. *Declaretur, ut per hæc verba non cenſeatur ablata iis, quibus à Concilio Tridentino Seſs. 24. cap. 18. data eſt facultas nominandi examinatoribus alios, quos idoneos aptoſque noverint, ita ut ordo & forma in dicto cap. XVIII. præſcripta ſervetur ad unguem. Ibidem*: quindecim vel pauciorum dierum &c. *Viſum eſt tempus nimis breve, ut quod minimè auferre poſſit facultatem nominandi, & poſt illud tempus iis, quibus ex dicto Cap. XVIII. competit. Ibid.* Poterit tunc Ordinarius pro ſuo arbitrio, Eccleſię, ut magis expedire viderit, providere. *Deleantur hæc omnia verba, & dicatur*: Poterit tunc is, ad quem collatio pertinet, alicui, prævio privato examine, providere.

Seſſio IV. Cap. III. quod incipit: Cùm ii, qui morum gravitate. *Ibi*: In aliqua ſtudiorum Univerſitate, quæ nulla hæreſis ſuſpicione tunc laboraret, arduo præcedente examine, juxta Univerſitatis illius ſtatuta. *Deleantur hæc omnia verba, quia non ſunt in Decreto Concilii Tridentini ſeſſ. 24. Cap. 12. Ibid.* Capitulis verò non liceat aliter, quàm juxta hujus ſtatuti formam, aliquem ad alicujus Archidiaconatûs poſſeſſionem admittere. *Deleantur hæc omnia verba.*

Seſſio IV. Cap. IV. quod incipit: Hortatur ſacroſancta Tridentina Synodus. *Hoc totum decretum pro non facto editove habeatur, ſed Decretum Concilii Tridentini in hac materia editum ſervetur prout jacet.*

Seſſio IV. Cap. VIII. quod incipit: Quoniam templa, quæ divino. *Ibi*: ultra dies novem. *Et ibidem*: intra quos &c. *ſervetur in hoc jus commune.*

Seſſio IV. Cap. XII. quod incipit: Statuit ſancta Synodus, ne è monaſteriis. *Ibidem*: illud etiam prohibet, ne Regulares extra monaſteria ad ſepeliendos defunctos crucem deferendo in proceſſione progrediantur. *Tollatur tota hæc clauſula, & ſervetur conſuetudo locorum.*

Seſſio IV. Cap. XVI. quod incipit: Cùm aliquando accidat. *Totum hoc decretum tollatur.*

Seſſio IV. Cap. XVIII. quod incipit: Quemadmodum æquum eſt. *Totum hoc decretum reprehenditur, quia ab iis factum, qui faciendi poteſtatem non habuerunt, & reſervatarii ſatis jure cogi poterant ad ea ſubeunda onera, ad quæ literæ reſervationum eos obligant.*

Seſſio IV. Cap. XX. quod incipit: Quoniam experimento aliquando. *Ibi*: Si quando conſtiterit Judices delegatos cujuſcumque dignitatis ſeu præeminentiæ &c. *Auctores hujus decreti nimium ſibi arrogârunt. Ideo deleatur totum, cùm ſatis etiam jure communi proviſum ſit.*

Seſſio IV. Cap. XXII. quod incipit: Antequam profeſſionem. *Ibi*: Dos eodem Concilio &c. *Et ibi*: dotem ipſam receperit &c. *Deleantur dictiones* dos, & dotem; & *dicatur*, bona. *Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die quarta Novembris milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.*

Cæſ. Glorierius.

ELOGIUM ILLUSTRISS. AYALAE

PRÆSIDIS HUJUS CONCILII.

Ex Biblioth. Hiſpana cl. v. D. Nicolai Antonii, Tom. II. pag. 87.

D. *MARTINUS PEREZ DE AYALA patriam habuit* Hieſte *oppidum diœceſis Carthaginenſis, aut potiùs* Securam, *in montanis quæ ab ea nomen accipiunt: quod ſcriptum ipſe in relatione vitæ ſuæ dicitur reliquiſſe. Natus anno MDIV. nobilibus quidem, ſed nullarum facultatum parentibus. Quare primoribus literis & Grammaticâ, quam accuratè didicit, tamquam inſtrumento uſus fuit ad ſe ipſum ac viduam matrem neceſſariis exhibendos, præceptorem ejus artis exercens. Compluti dein Philoſophiæ, Theologiæq; dedit operam, nec non Salmanticæ in collegio S. Jacobi equeſtris ordinis, admiſſus paullò antè ad Ucleſianam religioſorum ſacræ hujus militiæ familiam & domum. Quo in gymnaſio Franciſcum Victoriam Dominicanum præceptorem ſortitus eſt. Toleti Philoſophiam, Granatæ etiam Theologiam docuit, Academicis profeſſionis inſignibus utrobique ſuſceptis. Uſque dum à Giennenſi Antiſtite D. Franciſco à Mendoza evocatus aures ſibi pœnitenti ut præberet, viceq; illius Epiſcopatum regeret, patronum paullò poſt in Italiam ſequutus, Lovaniiq; in Belgio reſiſtens Hebraïcæ ac Græcæ linguis addiſcendis vacavit; indeque cum quodam Lovanienſi Doctore, poſt Giennenſis obitum, deſtinatus Wormaciam ivit pro Catholica religione tuenda cum hæreticis congreſſurus. In Belgium poſtea reverſus, Antuerpiæ in quodam Fratrum Cœnobio interpretatus eſt Paullum Apoſtolum, atque ſcribere cœpit celebres illos in defenſionem Apoſtolicarum traditionum Commentarios. Profectus inde Caroli Cæſaris juſſu ad Tridentinam Synodum, interfuit Seſſioni, quæ de juſtificatione divinæ gratiæ Catholica expoſuit dogmata. Unde in Germaniam revocatus, deligi promeruit ab eodem Cæſare anno ejus ſæculi XLVIII. in Avitanæ Eccleſiæ Præſulem: quod munus gerens interfuit ſecundò Tridentini Concilii denuò convocati à Julio III. Pont. Max. tribus Seſſionibus, translatus poſt novem annos ad Segovienſis urbis ſedem. His inſulis ornatus, tertiò Tridentum ivit magnum illum virum Benedictum Ariam Montanum ejuſdem ſecum religioſæ familiæ in comitatu ducens, dum annus verteret LXII. In reditu Valentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopali datus fuit Paſtor: cui ſponſæ adhæſit ab anno LXIV. uſque ad LXVI. Valentiæ obiens ſexageſimo ſecundo ætatis nondum completo; vir longiore vitâ dignus, Benedictiq; ejuſdem Ariæ Montani elogio in Præfatione Beniamini Tudelenſis,* doctiſſimus ſimul ac piiſſimus, nec linguæ Hebraïcæ ignarus. *Item Bernardini Gomezii à Miedes Albarrazinenſis Epiſcopi in* Enchiridio Podagræ *vulgari linguâ ſcripto, ubi occaſionem mortis ejus refert;* vigilantiſſimus Paſtor: *in monumentis Ucleſienſis ſuæ domûs,* vir acerrimi judicii & ingenii, religione, literis, & doctrinâ clariſſimus, *meritò nuncupatus. Princeps nobis relictum ab eo Opus, illud eſt:*

DE DIVINIS, Apoſtolicis, atque Eccleſiaſticis traditionibus, deque auctoritate ac vi earum ſacroſancta, Aſſertiones, ſeu libri decem; *ad Philippum Hiſpaniarum Principem. Coloniæ apud Gaſparum Gennepeum* 1549. *Pariſiiſq; eodem anno. De quo Michaëlis Medinæ Franciſcani, viri doctrinâ celeberrimi lubet elogium ſubjungere:* Martinus Ayala Segovienſis Epiſcopus (*ait lib.* 1. de recta in Deum fide, *c. IV.*) vir præter integrum animum & excellens ingenium, veteris Eccleſiaſticæ lectionis conſultiſſimus; quibus dotibus ſic urget hæreticos Opere illo de Eccleſiaſticis traditionibus, ut niſi Diabolo obſidente oculis animi capti eſſent, apertè viſuri ſint, quantum impiæ iſtæ novationes à veteris illius Eccleſiæ moribus diſtent. *Reliqua ſunt, Latina quidem:*

Commentaria in univerſalia Porphyrii. *Granatæ* 1537. *In folio.*

Hiſpana hæc autem pietatem promoventia:

COMPENDIO y declaracion de lo que ſon obligados à guardar los cavalleros de la Orden de Sant-Jago, aſſi por los votos, fin de ſu Orden, y diſpoſicion de ſu Regla, como por los eſtatutos y loables uſos y coſtumbres della. *Huic accedit:*

UN BREVE TRATADO para bien confeſſar. *Mediolani* 1552. *in* 8. *Aliud Opus, credo, eſt:*

COMPENDIO para examinar la conſciencia. *Valentiæ* 1582. *Antuerpiæq; apud Plantinum in* 16. *aliàs* Confeſſionario. *Pampilonæ* 1612. *Princiæq; antea* 1604. *in* 16. *additâ inſuper,* La proteſtacion de la fee del Maeſtro Caſtañiza.

EL CATECUMENO, ò Chriſtiano inſtruido. *Mediolani* 1552. *in* 8.

AVI-

AVISOS de bien morir. *Mediolani* 1552. *In* 8.

DOCTRINA CHRISTIANA para los que entienden ya algo mas de lo que à los niños ſe les ſuele enſeñar comunmente, por modo de dialogo. *Mediolani* 1554. *In* 8.

Magnus ille vir D. Joannes de Ribera Archiepiſcopus Valentinus edi curavit Valentiæ, quaſi antea ineditum & in ſchedis Martini noſtri repertum, neſcio an diverſum à laudatis, Opus hoc titulo:

CATECISMO. formâ & ipſum dialogiſticâ, 1599. 4. *apud Petrum Patricium Mey.*

Cur etiam non tribuemus ei

CONCILIUM Valentiç celebratum anno *MDLXV.* Synodumque *ſequenti? quæ duo typis edidit Joannes Mey ibidem anno* 1566. *nec non & ex ejus ſchedis collectum aliud:*

DOCTRINA CHRISTIANA en lengua Arabica y Caſtellana para inſtruccion de los nuevamente convertidos del Reyno de Valencia. Ibidem in iiſdem typis 1566. *in* 8.

MSS quoque reliquit vitæ ſuæ (*quam diximus*) Relationem, *quâ uſus fuit Ægidius Gundiſalvi Davila in ejus formando elogio inter Segobienſis Eccleſiæ Epiſcopos, ac Didacus Colmenares in eiuſdem urbis* Hiſtoria. *Item* vitam & res geſtas Petri Alphonſi *ſodalis, qui præfectus fuit domorum S. Marci & Ucleſii, integritate morum venerabilis. Hanc Ucleſienſes adſervare affirmavit mihi oculatus teſtis Illuſtriſſimus D. D.* Hieronymus Maſcareñas *Segobienſis Epiſcopus. Jacet in ſede ſua Valentina in cappella S. Petro ſacra ſub hoc epitaphio.*

IN SPE RESVRRECTIONIS MORIOR.
HIC SITVS EST MARTINVS DE AYALA
ARCHIEPISCOPVS VALENTINVS.
QVI LICET
TRES ECCLESIAS REXERIT.
GVADIXENSEM. SEGOBIENSEM.
ET HANC POSTREMO VALENTINAM
IN QVA DECESSIT.
NIHIL TAMEN TVLIT AEGRIVS QVAM
PRAEESSE.
OBIIT NONIS AVGVSTI
MDLXVI.

ALLEGATIO JURIS

Pro defenſione patrii Provincialis Concilii Valentini circa verba illa: *ſancta Synodus*, ad ſacram Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationem, Oecumenici Tridentini Concilii interpretem miſſa per

DIONYSIUM PAULLUM LOPIS

Presbyterum Valentinum J. V. Doctorem Bononienſem, anno Domini 1594. *tunc Valentinæ Eccleſiæ Beneficiatum, nunc Eccleſiæ Gandienſis Decanum.*

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DN̄I.

VARIIS ac diverſis, ut ſcitis, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Patres & domini, nominibus & epithetis ornatum legitur Provinciale Concilium.

Dictum eſt enim *Pontificale* à Concilio Aurelianen. V. in Præfat. Tom. II. Concil. pag. 574. *Sacerdotale* à Concil. Toletano III. cap. 8. eod. Tom. II. pag. 865. *Reverendum* à Concil. Folo-Julien. cap. 12. Tom. III. Concil. pag. 674. *Venerabile* à Concil. Aquiſgranen. I. in Præfat. eod. Tom. III. pag. 704. *Saluberrimum* à Concil. Regienſi cap. 1. Tom. II. Concil. pag. 13. *Glorioſum* à Concilio Africano ſub Bonifacio I. cap. 73. verſu *Placuit.* Tom. I. Concil. pag. 837. *Publicum* à Concilio apud Palatium Vernis cap. 5. Tom. III. Concil. pag. 440. *Commune* à Concilio Toletano I. in princ. Tom. I. Concil. pag. 767. *Plenarium* à Concilio Africano cap. 15. pag. 827. & per emphaſin dictum eſt *Sanctum*, à Concilio Matiſcon. II. cap. 12. Tom. II. Concil. pag. 856. Denique *Perfectum Concilium* eſſe in quo Metropolitanus Epiſcopus fuerit, habetur in Græcis Synodis collectis à Martino Bracarenſi Epiſcopo c. 9. Tom. II. Concil. pag. 833. quod antea diffinierat Antiochenum Concilium ſub Julio I. cap. 16. & 18. Tom. I. Concil. pag. 647.

Vide infra in Concil. Provinc. Toletano anni 1582. in q apparent ve missal verba illa Sancta nodus. Ho tomo pag. 202. et pa 221. ubi no V.C. Jo. Pa tista Pere

Inter alia verò epitheta, nomen *ſanctitatis* ſortitum eſt Provinciale Concilium, paſſimque appellatur *ſacer conventus, ſacrum Concilium, & ſancta Synodus*. Nam ſi nomen *ſanctitatis* habuerunt etiam legati Populi Romani. l. fin. ubi gloſ. fin. ff. *de legationibus*. muri & portę civitatis §. *Sanctæ quoque res.* inſtituta *de rerum diviſione*. Et ſeculares leges *ſacratiſſimæ* dicuntur l. *Leges* 3. C. *de legibus*. Et *ſanctæ* l. *Sacra loca* §. *Propriæ* ff. *de rer. diviſ.* à fortiori ea quę divino cultui addicta & dedicata ſunt, vocari *ſancta* meritò conſueverunt, ut in vaſis, veſtibus, & altaribus docet catechiſmus Romanus in explicatione Symboli in nono artic. *Credo ſanctam Eccleſiam* verſ. 5. Altera proprietas Eccleſiæ eſt, ut ſit *ſancta*. Ex quo receptus eſt communis uſus loquendi, quo *ſanctas* dicimus particulares Eccleſias: *ſanctam* videlicet Toletanam Eccleſiam, Tarraconenſem, Valentinam, & ſic de ſimilibus, juxta cap. fin. 16. diſtinct. ibi: *Sancta Conſtantinopolitana Eccleſia*. Et juxta ſexaginta octo ſubſcriptiones Epiſcoporum in Concil. Lateranenſi ſub Martino I. Conſultatione II. Tom. III. Concil. pag. 110. & ſeqq. & facit rubrica c. *Sacroſanctiis Eccleſiis*. Hinc etiam fit, ut Epiſcopi qui iis particularibus Eccleſiis præſident, *ſancti* dicantur in Concil. I. Valentino Hiſpano hujus civitatis c. 3. Tom. II. Concil. pag. 537. & in c. *Relatum eſt auribus ſanctorum Sacerdotum*. 31. q. 1. & in auth. *De ſanctiſſimis Epiſcopis*, & alibi ſæpè. Neque hoc mirum eſt, cùm fidelis quilibet *ſanctus* dicatur. ut præclarè advertit S. Auguſtinus interpretans verba illa: *Quoniam ego ſanctus ſum*. Pſalm. 85. & Catechiſmus ubi ſuprà.

Cùm ergo Metropolitanus & Comprovinciales Epiſcopi dicantur *ſancti*, ad eoſque congregatos in nomine Domini pertineat uſus Concilii Provincialis, ut docet Generale Trident. Concilium Seſs. 24. *de reform.* c. 2. ſequitur quòd ipſum Provinciale Concilium dicatur *ſanctum*, juxta text. in cap. *Nulli liceat* 12. q. 2. pro quo facit Gangrenſe Concilium, dum in cap. fin. dicebat: *Et domos Dei honoramus: & conventus, qui in iis fiunt, tanquam* ſanctos *& utiles recipimus*. Habetur in cap. *Parcimoniam* 41. diſtinct. nam Concilia Provincialia ſolita ſunt *ſacri conventus* appellari. cap. *Placuit ſancto conventui* 4. q. 3. c. *Queſti ſunt*. ibi: *Sacer iſte conventus* 16. q. 1. cum ſimilibus. Et Illuſtriſſimus Cardinalis Borromæus decreta Provincialia *ſanctas leges* appellat in oratione habita ad Quintum Mediolanenſe Concilium verſ. 5. *O ſalutares Epiſcopalium Conciliorum labores!* ibi: *Vos ſanctarum legum auctores*. motus inter alia, ex cap. *ſi ſæculi leges* 12. quęſt. 2. cùm ut ſuprà dicebam, ſæculares leges *ſanctæ* & *ſacratiſſimæ* dicantur.

Quinimmo Nationalia Concilia, quæ in effectu & abſolutè Generalia & Univerſalia non ſunt, ſed magis ad rationem Provincialium Conciliorum accedunt, non ſolùm *ſancta*, ſed etiam aliquando dicuntur *magna*, *Generalia*, & *Univerſalia* Concilia. De quibus omnibus, tum ex voluminibus Conciliorum, tum ex decreto Gratiani oculatâ fide probant loca hæc, quæ mihi modò occurrerunt, & ſunt quæ ſequuntur.

TOMO I. CONCILIORUM.

Ancyranum Concilium circa annum Domini CCCIIX. ſub Sylveſtro I. celebratum, de quo in Tom. I. Concil. pag. 446. in c. 16. ſecundùm primam verſionem. ibi: *Præcepit ſancta Synodus*, & ſecundùm verſionem Gentiani Herveti, in cap. 17. ibi: *Juſſit ſancta Synodus*.

Gangrenſe Concilium circa annos Domini CCCXXIV. ſub Sylveſtro I. celebratum, de quo dicto Tom. I. pag. 607. in Epiſt. ſeu proœmio, ibi: *Conveniens ſancta Synodus Epiſcoporum in Eccleſia Gangrenſi*.

Antiochenum Concilium ſub Julio I. dicto Tom. I. pag. 640. initio, ibi: *Sancta & pacifica Synodus*. & in cap. 1. ibi: *Sancta Synodus*. & in cap. 10. & cap. 14.

Laodicenum Concilium dicto Tom. I. pag. 698. cap. 1. ibi: *ſancta Synodus*.

Aquilejenſe Concilium tempore Damaſi I. de quo in dicto Tom. I. pag. 717. in Epiſt. quæ incipit: *Imperatoribus*. in princ. ibi: *Sanctum Concilium quod convenit Aquileiæ*. & poſtea pag. 725. ibi: *In hac ſacra Synodo Aquilejenſi*.

Carthaginenſe IV. dicto Tom. I. pag. 757. in initio, ibi: *In Concilio Univerſali Carthagine*. & ibi: *In eadem ſancta Synodo*.

Taurinenſe anno Domini CCCXCV. dicto Tom. I. pag. 762. in proœmio, ibi: *Sancta Synodus quæ convenit in urbe Taurinatum*. in cap. 1. ibi: *Judicatum eſt à ſancta Synodo*. & ibi: *A ſancta Synodo diffinitum*. Et cap. 2. ac 4.

Toletanum I. dicto Tom. I. pag. 767. cap. 3. ibi: *Conſtituit ſancta Synodus*.

Milevitanum dicto Tom. I. pag. 804. cap. 1. ibi: *Qui fuerunt in hac ſancta Synodo*.

Africanum tempore Bonifacii I. dicto Tom. I. pag. 824. cap. 44. ibi: *Ut proximo Univerſali Africano Concilio*. Et cap. 67. ibi: *Cenſuit ſanctum Concilium*. & cap. 76. 84. & 94.

TOMO II. CONCILIORUM.

Regienſe Concilium anno Dñi CDXXXIX. in Tom. II. Concil. pag. 12. in cap. 2. ibi: *Verùm quia hæc ſancta Synodus*.

Arauſicanum I. pag. 16. cap. 29. ibi: *Ad ſanctam Synodum convenire*.

Valenſe I. pag. 19. ibi: *Conſtitutiones ſanctæ Synodi habitæ in civitate Vaſenſe*.

Agathenſe anno Domini DVI. tempore Symmachi Popæ in principio pag. 503. *In Agathenſem civitatem ſancta Synodus conveniſſet*.

Toletanum II. anno Domini DXXXI. tempore Bonifacii II. pag. 546. cap. 5. verſ. *Si quis ergo*. ibi: *Qui nunc ſanctæ Synodo ex hac provincia defuerunt*.

Arvernenſe tempore Agapeti Papæ pag. 557. in proœmio, ibi: *In Arvernam urbem ſancta Synodus*

odus conveniſſet. & cap. 1. ibi: *ſancta Synodus congregatur.*

Aurelianenſe IV. tempore Vigilii Papæ pag. 570. in procemio, ibi: *Cùm in Aurelianenſe urbe in Chriſti nomine ſancta fuiſſet congregatio Sacerdotum.* & cap. 38. ibi: *Quæ Synodus ſancta conſtituit &c.*

Turonicum II. anno Domini DLXX. tempore Joannis Papæ III. pag. 817. cap. 1. ibi: *Placuit itaque ſancto Concilio.*

Græcæ Synodi à Martino Bracarenſi Collectæ pag. 831. cap. 5. ibi: *Contra hæc magni Concilii conſtituta.* cap. 7. ibi: *A ſancto Concilio.* & cap. 10. 11. 13. 16. 22. 58. & 62.

Lugdunenſe II. tempore Pelagii II. pag. 852. cap. 6. ibi: *Placuit etiam univerſo Concilio.*

Valentinum Galliæ anno Dñi DLXXXIIX. pag. 853. in unico ſolo capite bis *ſancta Synodus* vocatur.

Matiſconenſe II. pag. 854. cap. 4. 7. 12. & 20.

Toletanum III. pag. 859. in principio, ibi: *Hæc ſancta Synodus habita eſt in civitate Regia Toletana.* Et pag. 861. cap. 1. 3. 4. 5. 10. 11. 16. 17. 18. 23. ibi: *In hoc ſancto Concilio habito in urbe Toletana.*

TOMO III. CONCILIORUM.

Toletanum Concilium IV. circa annum Domini DCXLIII. pag. 65. In tertio ſummario capitulorum cap. 3. 13. 46. 56. 58. 64. & 65.

Toletanum V. pag. 83. cap. 1. 6. 7. 9. 14. & 18.

Toletanum VIII. anno Domini DCLV. pag. 180. & ſeqq. in principio cap. 5. 10. 11. 12.

Toletanum IX. pag. 200. cap. 17. ibi: *Conſummatum eſt hoc ſanctum Concilium.*

Toletanum X. pag. 204. in decreto incip. ibi: *Delatum eſt ad nos in conventu ſancti Concilii.*

Cabilonenſe I. pag. 208. cap. 9. 11. 14. & 17.

Anglicanũ anno Domini DLXXX. pag. 230. ibi: *Hoc quoque ſancta Synodus ſuis literis addidit.*

Toletanum XII. pag. 734. in principio, cap. 1. 4. 7. 9. 10. 12. & 13.

Toletanum XIII. pag. 383. in principio §. *In nomine Domini*, ibi: *Sanctiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus.* & ibi: *Sacroſancto cœtui.* & ibi: *aggregatio ſacroſancta Pontificum.* & ibi: *In hac ſancta Synodo.*

Francofordiæ ad Mœnum habitum tempore Adriani I. pag. 640. tit. *Incipit libellus ſacro-ſyllabus*, ibi: *Placuit igitur ſancto venerandoq; Concilio.* & pag. 646. in Epiſtola Synodica in tit. ibi: *ſancta Synodus & venerabiles in Chriſto Patres.*

Cabilonenſe II. anno Domini DCCCXIII. pag. 686. cap. 7. & 53.

Moguntiacum I. pag. 693. cap. 10. ibi: *Placuit igitur ſancto Concilio.* cap. 22. ibi: *Ad iſtam magnam Synodum.* & cap. 51. ibi: *ſanctæ Synodi licentia.*

Aquiſgranenſe I. anno Domini DCCCXVI. pag. 701. in principio, ibi: *Aquiſgrani Palatio Generale ſanctumq; convocâſſe conventum &c.*

Apud Divum Medardum Concil. anno Domini DCCCLIII. pag. 881. cap. 1. in fine, ibi: *Decrevit ſancta Synodus.* Et poſt ſubſcriptiones ſæpiùs dicitur *ſacer.*

Valentinum Galliæ anno Domini DCCCLV. pag. 888. in principio, ibi: *Placuit omnibus in ſancta Synodo conſtitutis.*

Wormacienſe anno Domini DCCCLXVIII. pag. 977. in Præfat. ibi: *Et quoniam in Generale Concilium agimus.* & cap. 12. ibi: *Cæſareenſis ſancti Concilii.*

TOMO IV. CONCILIORUM.

Moguntiacum Concil. II. aliàs V. anno Domini DCCCXXCIIX. pag. 18. cap. 6. ibi: *Contra inſtitutionem ſancti Concilii.* & cap. 7. 8. & 10.

Metenſe pag. 24. cap. 3. ibi: *A ſancta Synodo.* & cap. 6. & 8.

Triburienſe anno Domini DCCCXCV. pag. 26. & ſeqq. in principio cap. 2. 8. 10. 14. 23. 27. 29. 35. 38. 39. ſæpè *ſancta Synodus* dicitur.

TOMO V. CONCILIORUM.

Senonenſe Concilium II. anno Domini MDXXIIX. in decretis fidei pag. 211. cap. 13. & in decretis morum cap. 2. 3. 10. 30. 31. 32. & 40. ſæpiùs reperitur.

Auguſtenſis Synodus Diœceſana anno Domini MDXLVIII. pag. 294. in Actis primæ diei verſ. 5. *Deinde.* & poſt cap. 33. verſ. *Finita.* in Actis ſecundi diei pag. 311. in principio, & in oratione ad Synodum habitâ per Martinum de Olave pag. 313.

Trevirenſis Synodus Diœceſana anno Domini MDXLVIII. pag. 318. tit. *Summaria tractandarum rerum propoſitio.* & tit. *Sequuntur edicta.* & tit. *De eorundem concubinatu.* verſ. *Cæterùm.* & tit. *Ordinum explorationes.* verſ. *Tandem.* & tit. *De libertatis Eccleſiæ violatoribus.* in verſ. *Recitatum.*

Colonienſe Concil. IV. præſide Andolpho, anno MDXLIX. pag. 331. tit. *Cenſuræ & decreta.* & cap. 28.

Moguntiacum Concil. X. à Sebaſtiano Archiepiſcopo celebratũ anno Domini MDXLIX. pag. 354. cap. 87. ibi: *Et nos cum hac ſancta Synodo.*

IN DECRETO
CANONICO GRATIANI.

IN cap. *De iis qui antea* 12. diſt. cap. *De libellis* 20. diſt. cap. *Quanquam* 23. diſt. cap. *Si quis Presbyter* 30. diſt. c. *Parcimoniam* 41. diſt. cap. *Pro reverentia* 44. diſt. cap. *De Judæis* 45. diſt. cap. *Presbyteros* 50. diſt. cap. *Notum eſt.* & 2. 1. q. 1. cap. *Interrogatum* cap. *Statuit quoque ſancta Synodus.* 2. q. 5. cap. *Placuit ſancto conventui* 4. q. 3. cap. 1. cap. *Si quis Epiſcopus*

& 2. 6. q. 4. cap. *Relatum eſt coram ſancta Synodo*. 10. q. 1. cap. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum* 12. q. 1. cap. *Clerici vel Seculares* 13. q. 2. cap. *Si quis oblitus*. 14. q. 4. cap. *Placita ſecularia* 15. q. 4. c. *Quæſti ſunt* 16. q. 1. c. *Conſtituit*. 16. q. 7. cap. *Proclivis* 20. q. 3. cap. *Decrevit ſancta Synodus* 22. q. 5. cap. *Si quis ſacro*. cap. *Viduas autem*. cap. *Viduas quæ* 27. q. 1. cap. *Statutum* 27. q. 2. cap. *Prælatum* 29. q. 2. cap. *Hoc Sanctum* 32. q. 2. cap. *Religioſa*. *De conſecratione diſt.* 3. cap. *Placuit*. cap. *Plerique ex Judæis*. *De conſecrat.* diſt. 4.

Ex quibus Conciliorum exemplis, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, evidenter apparet, per annos mille ducentos & quadraginta & unum (tot enim fluxerunt ab anno CCCIIX. quo celebratum fuit Ancyranum Concilium, uſque ad annum MCXLIX. Concilii Moguntini X. de quibus ſuprà) receptiſſimam fuiſſe conſuetudinem in Eccleſia Dei vocandi Concilium Provinciale (inter alia ejus epitheta) *ſanctam Synodum*. Quibus etiam verbis uſæ ſunt Synodi Diœceſanæ. ut patet in dicta Synodo Auguſtenſi, & Trevirenſi.

Cùm autem in his rebus de quibus nihil conſtituit divina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta majorum ſint pro lege tenenda, ut ex teſtimonio Sancti Auguſtini habetur in cap. *Cùm in his rebus* 11. diſt. hinc factum eſt, ut Concilium Provinciale Valentinum, quod ad obſervantiam decreti ſacroſancti Concilii Tridentini in hac civitate ſuperioribus annis Martinus Ayala Archiepiſcopus celebravit, ſæpè illud *ſanctam Synodum* dixerit, & Diœceſanam Synodum *ſanctam*, & *ſacram* vocaverit.

Cùm verò pro executione debitæ obedientiæ, idem Ayala prædictum Concilium mitteret ad Apoſtolicam Sedem; per felicis recordationis Papam Pium V. cum Concilio Illuſtriſſimorum Cardinalium, quos tunc ad interpretationem dicti Concilii aſſumpſerat, variè fuit correctum & emendatum, ut in Apoſtolicis literis videre eſt, ad Ferdinandum Loazes (defuncto jam Martino de Ayala) Archiepiſcopum Valentinum miſſis, datis Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die quarta Novembris MDLXVII. Quæ in archivo Archiepiſcopali Valentino ſervantur, ac earundem impreſſa exemplaria, ut in iſto apparet, communiter habentur.

Circa autem primam emendationem prædicti Concilii, per dictas Apoſtolicas literas, verba illa: *Hæc ſancta Provincialis Synodus*, in modum ſequentem ſunt emendata, dicendo: *Hæc verba*: ſancta Synodus, *non conveniunt Synodo Provinciali, ſed Univerſali*. Et paucis interjectis proſequitur dictum Breve, dicendo: *Ideo verba illa*: ſancta Synodus, *tollantur, & hic, & in omnibus locis hujus Concilii, ubi poſita ſunt*.

Cùm autem hujus Pontificis diſpoſitionis declaratio & interpretatio nunc ad Sanctiſſimum D. noſtrum Papam Clementem VIII. expectet, & ipſe Beatiſſimus Pontifex ad hos & ſimiles effectus conſultò Illuſtriſſimas & Reverendiſſimas Dominationes veſtras prædictæ ſacræ Congregationi præfecerit; ideo quâ poſſum & debeo ſupplici reverentiâ, hæc infraſcripta dubia declaranda ad vos Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Dominos meos præſento & offero; reſolutionemque circa ea tenendam humiliter expecto.

DUBIUM I.

An per dictam emendationem, & prohibitionem verborum ſit etiam prædictum Concilium Valentinum emendatum in Seſſione V. in principio, ibi: *ſancienda*. Et in cap. 21. ibi: *ſanciebantur*? Quo verbo paſſim Concilia Provincialia utuntur: ſignificatque aliquid *ſancti* conſtituere.

DUBIUM II.

An ob prædictam emendationem & prohibitionem prohibitum ſit Valentino Provinciali Concilio decreta ſua nominare *ſanctas Conſtitutiones*, & Provincialem cœtum vocari *ſacrum conventum*, *ſacram Synodum*, & *ſanctum Concilium*?

DUBIUM III.

An prædicta prohibitio & emendatio circa dicta verba, *ſancta Synodus*, facta Concilio Provinciali Valentino, comprehendat alia & ſimilia Concilia ante & poſt iſtud edita & edenda? ut in quibus eadem eſt ratio, ſit quoque eadem juris diſpoſitio.

Dubitandi autem occaſionem dedit, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, videre, quòd in Tomis Conciliorum, & in Decreto Gratiani poſt ultimam eorum editionem nihil ſit circa prædicta mutatum ſeu obſervatum: ut patet in locis à me ſuperiùs cumulatis.

Quinimmo ex prædictis Provincialibus Conciliis multa reperiuntur à ſacroſancta Apoſtolica Sede recepta, quæ nihilominus eadem verba habent, videlicet: *ſancta Synodus*. ut videre eſt in Concilio Ancyrano, Gangrenſi, Laodiceno, Carthaginenſi, & Milevitano, præter alia quæ referuntur cap. 1. *De teſtibus*. cap. 2. *De ſucceſſ. ab inteſtato*. & cap. 1. *De ſponſalibus*. Sed & Chalcedonenſe Concilium Actione II. in Can. XVII. hoc epithetum dedit Provinciali Concilio. ut patet in illis verbis: *Licere eis qui ſe læſos aſſerunt, apud ſanctam Synodum Provinciæ de iis movere certamen*. Et habetur Tom. II. Concil. fol. 329. ex prima editione.

Præterea, & in Mediolanenſibus Provincialibus Conciliis, poſt Generale Tridentinum, & dictas Pii V. ſacræque Congregationis literas celebratis, & Tomis Conciliorum inſertis, illa eadem, vel ſimilia, habentur verba, quæ prædicto Concilio Valentino prohibita ſunt. Conſtat autem hoc in primo Concilio Mediolanenſi, de quo Tomo V. Concil. pag. 506. tit. *De profeſſione fidei, & ejus tuendæ cura*. verſ. *Sacræ igitur*

ibi:

ibi: *Nos & Coëpiſcopi noſtri initio hujus ſanctæ Synodi*. & part. 3. tit. *De pœnis*. pag. 559. verſ. *Quamcumque facultatem*. ibi: *In hac ſacra Synodo*. & verſ. *Nemini*. ibi: *In hac ſancta Synodo*. & pag. 560. verſ. *Omnia*, ibi: *In hac ſancta Synodo*. Denique inter ſubſcriptiones eorum, qui Concilio IV. Mediolanenſi interfuerunt, de quibus in dicto Tomo V. pag. 697. Lucas Tortus Protonotarius Apoſtolicus J. U. D. tanquam procurator Reverendiſſimi Epiſcopi Dertonæ ſubſcripſit in modum ſequentem: *Et omnia, & ſingula in hac ſancta Synodo decreta atque acta, edita & publicata, ejus ac Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.* Et poſt eam ſubſcriptionem aliæ duę habentur expreſſo nomine *ſanctæ Synodi*.

Hæc ſunt, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, quę mihi difficultatem faciunt, & quæ ſacræ Congregationis declaratione digna videntur.

Suſcipite modò benignè, ampliſſimi Patres, in præſenti difficultate ſincerum animũ meum, non tantùm ex affectione patrii Concilii motum (licèt patriæ ſim amantiſſimus) ſed inſerviendi Catholicæ Eccleſiæ. Ideoque ſupradicta omnia quatenus poſſum & debeo, juxta proteſtationem à me in tractatu ſeu floſculo *De Clericorum excellentiis* factã, ſacroſanctæ Apoſtolicæ ſedi, veſtræque ſacræ Congregationis ab ipſa ſede deputatæ, declarationi & correctioni ſubjicio. Deus Optimus Maximus diu vos conſervet incolumes, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, ut negotia ſua in Chriſtiana republica, ut facitis, integerrimè tractare poſſitis. Valentiæ die 27. Januarii MDXCIV.

Illuſtriſſimarum ac Reverendiſſimarum Dominationum veſtrarum ſervus obſervandiſs.

Dionyſius Paullus Lopis Valentinus Presbyter J. U. D. minimus.

Reſponſum ſeu Epiſtola D. Cardinalis Matthęi ſacræ Congregationis Præfecti.

Admodùm Reverande Domine.

QUUM Provincialis illa Archiepiſcopi Valẽtini Synodus, de qua nuper ad me ſcripſiſti, ad ſacram hanc Congregationem Tridentini Concilii interpretem inſpicienda ac recognoſcenda miſſa fuit; ſumma quidem cum diligentia ac maturitate omnia in ipſa Synodo contenta, expenſa atque examinata fuerunt ab iis Patribus, qui eo tempore prędictę Congregationi præerant. Itaque quod nunc à me requiris, ut tibi ratio diverſitatis aperiatur, cur iidem Patres tunc de dicta Synodo Provinciali, dum ea *ſancta Synodus* appellatur, verbum *ſancta* tollendum cenſuerint; cùm tamen idem verbum in plurimis Provincialibus Conciliis non ſemel legatur; gratum mihi certè fuit quæſitum tuum, ſicut gratiſſimum extitit ſtudium & eruditio quàm prætefers in pluribus locis animadvertendis & colligendis. Verùm cùm certò ſciam graves illos Patres, tunc non niſi cum ratione dictionem illam de hujuſmodi Synodo ſuſtuliſſe; minimè nunc meæ partes eſſe videntur (nullâ neceſſitate cogente) hoc in controverſiam vocare: cùm potiùs meę partes ſint illorum Patrum auctoritati ac prudentiæ omnino acquieſcere, & eorundem ſententiæ plenè adhęrere. Quod reliquum eſt, meam tibi benevolentiam ac voluntatem promptam ac paratam ſcias, idque ut re ipsâ intelligas, ſi uſus venerit, curabo. Interim ſalutem & incolumitatem tibi à Domino exopto. Romæ die 14. Novembris MDXCIV.

Tuus in Domino

Hieronymus Cardinalis Matthęjus.

CLAUSULA
DIONYSII PAULLI LOPIS

Super epitheto *ſancta* à Valentina Synodo uſurpato, in libro *De vera quatuor Patriarchalium ſedium erectione*. cap. 6.

QUAMVIS Provinciale Concilium, inter alia inſignia ejus epitheta (quæ in loco ſtatim allegando cumulavi) per mille & amplius annos liberè fuerit *ſancta Synodus* appellatum (quod occaſionem dedit Martino de Ayala Valentino Archiepiſcopo, ut cùm anno MDLXVI. Valentinum Provinciale Concilium ad obſervantiam ſacri & OEcumenici Tridentini celebrâſſet, ſæpiùs illud *ſanctam Synodum* appellavit: maximè cùm primum illud in eadem civitate anno Domini CDLXIX. die 4. Decembr. habitum, teſte Petro Antonio Beuter in Chronico Hiſpaniæ, lib. 1. cap. 27. decreta ſua, *ſancta Synodica* dixerit, ut

patet

patet ibidem Can. III. Tom. II. Conciliorum pag. 583.) nihilominus tamen re diligentiùs ac maturiùs conſideratâ, ſel. mem. Papa Pius V. prædictum epithetum *ſanctæ Synodi*, & illi Concilio Ayalæ, & aliis Valentiæ habendis ſuſtulit; ſoliſque Generalibus Eccleſiæ Conciliis reſervavit, de quo fuit Breve Apoſtolicum expeditum de Concilio Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationis Concilii, Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 4. Novembris MDLXVII. Incip. *Provinciale Concilium Valentinum*. Fuitque per obitum Ayalæ, Ferdinando Loazes, qui illi ſucceſſit in Archiepiſcopatu, directum.

Cùm verò non fuiſſet intentio ſanctiſſimi Pii V. ejus ſacræ Congregationis Concilii, per illud Breve, à ſolo Valentino Concilio epithetum *ſanctæ Synodi* evocare, ſed & à reliquis omnibus; ut ſic ſolo Generali Concilio competeret; ut patet in dicto Breve: maximè cum Valentinæ Eccleſiæ conſtitutiones nedum à Toletanis Conciliis fuerint ſequutæ (ut patet in Concilio Toletano VII. cap. 3. de cura habenda à vicino Epiſcopo, in infirmitate & morte vicini, ut de revelatione confacerdotis gaudeat, aut de ordinatione domûs ſuę fratrem admoneat, voluntatem ejus in effectum deducat, & poſt oblatum in ejus commendatione ſacrificium Deo, mox diligentiſſimę ſepulturæ tradat: prout ſtatuerat Valentinum Concilium primum in cap. 4. tom. II. Conciliorum) Verùm etiam ab univerſali Eccleſia fuerint receptæ, & executioni mandatæ, ut patet ex dicto Concilio Valentino primo cap. 1. dum ſtatuit, quod Euangelium in Miſſa poſt Epiſtolam, & ante munerum illationem legeretur, ut dixi in Floſculo *De Clericorum excellentiis* p. 2. §. 14. num. 92. & tetigit Franciſcus Gratianus in compendio Juris Canonici par. 1. diſt. 3. num. 62. ſcirem autem, prædictum Breve Pii V. non fuiſſe obſervatum in Concilio Toletano poſtea celebrato, anno ſcilicet 1582. neque in Mediolanenſibus Conciliis, etiam poſt dictum Breve habitis, & Tomo V. Conciliorum inſertis, ut patet ex Concilio primo in principio tit. *de profeſſione fidei*. Verſ. *ſacri igitur*, in illis verbis: *Nos & Coëpiſcopi noſtri, initio hujus ſanctæ Synodi.* & part. 3. tit. *De pœn.* verſ. *Ut nemini*. Et in Concilio IV. in ſubſcriptione Procuratoris Reverendiſſimi Epiſcopi Dertonæ, cum duabus ſequentibus, & alibi. Ideo ut epithetum, quo ante ipſum Breve Valentino Concilio, ſicut cęteris, uti licebat, omnibus etiam ubique celebrandis Provincialibus Conciliis, interdictum cenſeretur, ut ex ratione dicti Brevis colligitur; decrevi die 27. Januarii 1594. (licèt ut particularis illius Eccleſiæ, ac indignus presbyter, & inter U. J. Doctores minimus) allegationem quandam juris, ad ſacram Oecumenici Tridentini Concilii congregationem humiliter mittere.

Quàm verò benignè receperit prædicta Illuſtriſſima & ſacra Congregatio à me ibi adducta, ſatis apertè indicavit Illuſtriſſimus D. Cardinalis Hieronymus Matthæjus, vir utique apud omnes tam nobilitate generis, quàm integritate animi, quamque juris ſcientiâ, quàm denique maximo rerum uſu laudatiſſimus, & meritiſſimus illius ſacræ Congregationis Prefectus, in Epiſtola, quam mihi ſola benignitate ſua ſcribere dignatus fuit; in modum ſequentem.

Admodum Reverende Domine.

Quũ Provincialis illa Archiepiſcopi Valentini Synodus, de qua nuper ad me ſcripſiſti, ad ſacram hanc Congregationem Tridentini Concilii interpretẽ, inſpicienda ac recognoſcenda miſſa fuit; ſumma quidem cum diligentia ac maturitate omnia in ipſa Synodo contenta, expenſa, atque examinata fuerunt ab iis Patribus qui eo tempore prædictæ Congregationi præerant. Itaque quod nunc à me requiris, ut tibi ratio diverſitatis aperiatur, cur iidem Patres, tunc de dicta Synodo Provinciali dum ea ſancta Synodus appellatur, verbum ſancta tollendum cenſuerint; cùm tamen idem verbum in pluribus Provincialibus Conciliis non ſemel legatur; gratum mihi certè fuit quæſitum tuum, ſicut gratiſſimum extitit ſtudium & eruditio quam præfers in pluribus locis animadvertendis ac colligendis. Verùm cùm certò ſciam, graves illos Patres, tunc non niſi ſumma cum ratione, dictionem illam de hujuſmodi Synodo ſuſtuliſſe, minimè nunc meæ partes eſſe videntur (nulla neceſſitate cogente) hoc in controverſiam vocare; cùm potiùs meæ partes ſint, illorum Patrum auctoritati ac prudentiæ omnino acquieſcere, & eorundem ſententiæ planè adhærere. Quod reliquum eſt, meam tibi benevolentiam ac voluntatem promptam ac paratam ſcias, idq; ut reipsâ intelligas, ſi uſus venerit, curabo. Interim ſalutem & incolumitatem tibi à Domino exopto. Romæ die 14. Novembris MDXCIV. Tuus in Domino Hieronymus Cardinalis Matthæjus.

Ex hac enim Epiſtola prudentiſſima ſimul ac humaniſſima (quam inter prępcipua mea ſervo; tantùm enim copiam illius, & prędictæ meæ allegationis interpellatus dedi Domino Joanni à Ribera Archiepiſcopo Valentino, & ejus capitulo) & ex ſuperiori Pii V. Brevi apertiſſimè conſtat, prędictum *ſanctæ Synodi* epithetum, quod antiquitùs Provincialibus Conciliis commune erat, tractu temporis per dictum Breve conſultè fuiſſe Generalibus tantùm Conciliis reſervatum, quando videlicet dignatus eſt Dominus hoc Eccleſiæ ſuę aperire.

SCRIPTURA MISSA

CONCILIO PROVINCIALI SALMANTICENSI

A VENERABILI DOMINO

D. JOANNE DE RIBERA

Pacis Juliæ Epiſcopo, poſtea Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino.

Ex libro inſcripto: Idea exemplar de Prelados. *in Vita Illuſtriſs. D. Joannis de Ribera. Auctore Hyacinto Buſquets Matoſes cap.* 2.

CUM Eccleſiis propoſueritis, ut de modo qui in reformatione ſervabatur, præſertim verò de iis quæ ad ſtatum Epiſcopalem attinebant, fideliter exponerent; nonnulla ſignificârunt ad juſtitiæ adminiſtrationem ſpectantia, alia verò ad habitûs & domûs Epiſcopalis decentiam. At cùm ego ſubjungerem, quòd quamvis hæc magni eſſent momenti ac ponderis, quæque remedio indigerent; non tamen præcipua, ac urgentiora quæ in hoc ædificio requiruntur; ideoque aliqua proponerentur quæ gravioris eſſent momenti: ut aliqua proferrem mihi juſſiſtis, quæ velut exemplar proponerentur, ut alia inſtar eorum requiri poſſent. Quare ut mandatis veſtris in hoc, ut & in aliis omnibus, obtemperem, ex plurimis quæ in hoc capite dici poſſent, nonnulla proponam.

Illud igitur de quo hîc præcipuè agere oportet, eſt de modo qui ſervari poſſet, ut homines ad æternam ſalutem dirigerentur. Hoc enim eſt præcipuum Epiſcoporum munus, totiuſque Eccleſiaſtici regiminis ſcopus. Antequam verò ulteriùs progrediamur, conſiderandum eſt, quòd cùm id negotium tam latè pateat, non omnia quę in eo occurrunt, hauriri poſſunt; & cùm à ſubditorum voluntate, quæ adeò libera eſt, eorum medela dependeat, non adeò efficacia ut par erat, remedia adhiberi poterunt. Solùm itaque ex iis quæ in profundiori oblivione immerſa videntur, aliqua eruere tentabo, maturo tamen judicio veſtro prudentique cenſuræ illa ſubjiciens, è quorum ſanctitate & prudentia, remedium quantocyùs meritò adhibendum creditur.

Finis igitur, ut ſuprà dixi, omnium Epiſcoporum, eorumque ſcopus eſt, animas in cœlum manuducere, per aptiores ſemitas, expeditioreſque vias eas dirigendo. quod è ſacris literis adeò patet, ut nihil in eis tam obvium reperiatur. Jeſus Chriſtus Dominus noſter, verus Epiſcopus, ideo in mundum venit, *ut peccatores ſalvos faceret*. Et Apoſtolos, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, hominum piſcatores eſſe voluit. Ad quem finem conſequendum plura requiruntur: quò enim major eſt finis, eo efficacioribus mediis indigere perſpicuum eſt.

Unum ex Epiſcopalis officii muneribus, licèt minus principale, eſt delicta punire. Infimum quidem illud eſt; nam corpus immediatè reſpicit, quod animâ tot paraſangis inferius eſt. Quapropter Apoſtolus eos qui ſpiritu minùs profeciſſent, ad id requirebat; inquiens: *Contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum*. Nec ſtatui Epiſcopali congruere videtur. Epiſcopus enim pater magis quàm judex eſſe debet. quod in ſummo Paſtore clariſſimè patet, qui potentiæ ac majeſtatis titulis rejectis, Pater appellari voluit. Et cùm per Prophetam malos Paſtores reprehendit, criminum punitione penitùs omiſsâ, quod rectè patrum officio uſi non fuerint, illis tantùm objicit. immo eos vehementer increpat, quòd cum dominio & imperio in ſubditos ſe geſſerint. *Quod infirmum fuit non conſolidâſtis, quod ægrotum non ſanâſtis: ſed cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia*.

Non propterea juſtitiam rejicimus, quæ oportuno tempore miſericordia eſt, & Reipublicæ Chriſtianæ prorſus neceſſaria. Sed quaſi medium conſtituimus, quo Epiſcopus velut invitus uti debet, poſtquam alia, quæ patri propriora ſunt, contrectaverit: ut medicus ſcilicet, qui poſtquam mitia ac ſuavia medicamenta ægroto adhibuerit, ſi nihil juverint, cauteriis veluti coactus utitur. Nec dubium eſt, quin ſi remedia prępararentur, ſæpè ſæpiùs in animabus graviores morbi excuſarentur, qui poſtea difficillimè expelluntur. Poſterior hic ſe gerendi modus priore valdè difficilior apparet: nam delicta punire nihil laboris præſefert; immò potiùs quòd imperium denotat, natura proprio pondere in illud vergit. at virtutes in animabus ſerere & nutrire, ac zizania & vepres radicitùs avellere, quæ illarum augmentum impedire valerent, id maximi eſt laboris; utpote quod charitate & zelo ſancto indigeat,

Aliud etiam requiritur quod Epiſcopale munus præcipuè reſpicit: exterior ſcilicet Antiſtitis moderatio; quod nempe ad familiam, menſam,

domuſque ſupellectilia attinet: quæ omnia non affluentia, ſed valdè moderata eſſe oportet, & iis quę vulgò fieri ſolent, prorſus contraria. Nam cùm Epiſcopus (ut ait Apoſtolus) omnium bonorum operum norma & exemplar eſſe debeat, decet eum ita vivere ac ſe gerere, ut nullam offenſionis aut ſcandali anſam cęteris præbeat, ſimulque mundum damnet, propriis operibus docens, vanitatum exceſſus, faſtuſque immoderatos quos ſectatur, à Dei lege penitùs alienos. Quod ſecus evenit quum Antiſtes proprio exemplo mundi vanitatem approbat & fovet. Quod quia ſpeciali reformatione indiget, tantùm ſubdam, mihi admodùm neceſſarium opportunumque videri, ut quo rigidiori modo id moderari valeat, perficiatur: conſiliis ac interpretamentis eorum neglectis, qui ut proprio genio indulgeant, ampliare conantur, nullius ponderis rationes ad id adducentes: cujuſmodi fuit illa Prophetę Eſdræ, quę paucis ab hinc diebus huc allata fuit. Si autem ita conciliari auctoritatem miniſteriis officiiſque Eccleſiaſticis neceſſariam, aſſerant; falſum quidem eſt: cùm experientiâ compertum ſit, exiſtimationem & auctoritatem non ſolùm non acquiri, ſed potiùs deperdi, cum magno ipſius perſonæ dedecore.

Nec id quod diximus ſufficit. ſi quidem accidere poteſt aliquem Epiſcopum crimina diligenter punire, domique parciſſimè vivere, nec ideo munus ſuum adimplere, immo potiùs condemnationis periculum ſubire, ob præcipuę conditionis defectum, quæ eſt patris officium prębere: filios nempe exaltare & nutrire.

Officium noſtrum, Reverendiſſimi Domini, eſt malis damniſque ſubditorum noſtrorum providere, & diù noctuque oves, quarum cuſtodia penes nos eſt, vigilanter circumluſtrare, ne in eos dæmoni aditus pateat. Et id quidem non modò ob generalem Chriſtianorum obligationem, cui minori curâ ac diligentiâ fit ſatis; ſed etiam ob particularem, cui nos aſtrinximus cùm paſtoris munus accepimus. Peccatis etiam vitandis incumbere debemus, ut Dei miniſtri, quorum intereſt Domini ſui offenſas impedire. Et quidnî tam peccata occulta vitare, quàm publica punire totis viribus tenebimur, cùm ob iſta etiam, anima quæ in mei cuſtodia eſt, æterno cruciatu digna conſtituatur? præſertim verò cum in noſtra conſecratione dixerimus: *Promitto reddere rationem in die judicii de ovibus mihi commiſſis*.

Imprimis igitur opus eſt ut Epiſcopus verbum Dei prædicet, niſi ægritudine aliqua teneatur. & hoc illi cordi præcipuè infixum ſit; ac memor Domini noſtri Jeſu Chriſti huic curæ incumbat, qui id muneris Apoſtolis adeò commendavit, volens ut toti in ea re eſſent. qui poſt Domini Aſcenſionem, & Spiritûs ſancti adventum, omnia exuerunt, ut illud ſolùm induerent. Sed non ſua prædicatione contentus eſſe debet Epiſcopus. Nam cùm fœcunda ſit ſeges, multi requiruntur meſſores. Oportet itaque ut verbi Dei præcones per propriam diœceſim mittat, qui doctrinâ & exemplo præcellant, ac in iis quæ operari debent apprimè inſtructi ſint. Nempe doctrinam obviam & neceſſariam prædicare, quam omnes capiant, & in qua proficere valeant. Et ſpecialiter loquendo, id quoque moneo, ut ipſi Epiſcopi Doctrinam Chriſtianam prædicent. huicque miniſterio totis viribus incumbant. Et ſi in Eccleſia id facerent, quamvis etiam pueris, non ideo contra ſtatûs ſui decentiam agerent, immò potiùs illi conformiùs, & ad exemplar Domini noſtri Jeſu Chriſti ajentis: *Sinite parvulos venire ad me*. Omnes enim à parvulis ad ſenes hujus doctrinæ prędicatione indigent. Et ubique gentium, in politioribus etiam urbibus, craſſiſſimâ ignorantiâ aliqui laborant, ita ut mihi quondam ſuper quinto legis divinæ mandato prædicanti contigerit, ut neſcio quis ad me venerit, qui filii occiſionem peccatum non eſſe eouſque crediderat, quapropter illud confeſſario celaverat. Et efficaci conſideratione dignum eſt, quòd cùm præcipuum Epiſcoporum munus ſit hanc doctrinam docere, adeò ejuſmodi miniſterium eviluit, ut in abjectiſſimam Eccleſiaſtici ordinis perſonam, ædituum nempe, tranſierit.

Oportebit etiam ut ejuſmodi concionatores, confeſſarii aliqui comitentur, ut ſi illi utrumque munus adimplere non valeant, eorum vices gerant. Siquidem plurimi reperiuntur, qui domeſtico exhomologiſtæ peccata præ verecundia celant, quę extraneis liberè produnt. Quod non ſolùm perutile eſt, immo & neceſſarium in locis ubi monaſteria non adſunt, ſed etiam ubi illa extant. Quandoquidem eſſe miſſum magni eſt momenti, & ad verbi divini vigorem & efficaciam plurimum facit, juxta Apoſtoli verba: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*? Et ea quæ dixi, in aliquibus diœceſibus comperta ſunt cum magno animarum profectu, & omni quidem fide majora.

Oportet ſimiliter Epiſcopum interdum clericos loci in quo moretur, congregare, ac cum iis ſermonem inſtituere, ad virtutem eos exhortando, & ad charitatis opera promovendo, veluti ad arcana conſcientiæ fidelium expianda, ac ægrotos, & carceribus incluſos viſendos.

Frequens ſacramentorum uſus medium eſt quidem ad ſalutem adipiſcendam aptius. Non ſolùm enim illis peccata remittuntur, ſed ad peccata ulteriùs vitanda vigor acquiritur. Quapropter peropportunum & valdè neceſſarium erit, ut Epiſcopus hujuſmodi frequentiam totis viribus perſuadere conetur, ſæpè ſæpiùs tam ipſe quàm ejus miniſtri in publicis concionibus ea monendo, & eos qui exequerentur, indulgentiis alliciendo: eos verò qui ſecus, quique eam reprobant & damnant, quà publicè, quà ſecretò acriter increpando.

Ideò cùm ad hæc, tum ad alia quamplurima oportet Epiſcopum ſacramenta tam ægrotis quàm ſanis miniſtrare. quod fieri debet non quaſi per cæremoniam, ſed velut medium ad animarum ſalutem apprimè neceſſarium. Et dolendum ſanè eſt, quòd cùm præcipuum Epiſcopi

ſcopi munus reſpiciat, eſſe myſteriorum Dei dispenſatorem; cumque ad id tanta dignitas & puritas requirantur (ut ſcire licet ex iis quibus Deus in veteri Inſtrumento legis ſacerdotes præditos poſcebat) ad id ventum eſt, ut ea peragere pro humili ac minùs digno miniſterio habeatur, ac Epiſcopali dignitate prorſus alieno. Quod dubium non eſt, quin arte & verſutiâ dæmonis factum, qui futurum damnum prævidit, ſi paſtor ſuarum ovium morbos agnoviſſet: ideoque ſophiſticis ac vanis rationibus eos deludere tentat.

Hîc locum habet neceſſitas quam habet Epiſcopus ſæpè ad Dominum recurrendi per orationis medium, ac pœnitentiam agendi, non minoribus viribus ſe præditum credens, quàm ii qui eam agunt: immò in Dei auxilio ſperans, & propriis viribus fretus, ſe quamcumque macerationem laturum firmiter credat. Nec mirum, cùm tam robuſtis humeris ſe præditum crediderit, ut Epiſcopale onus illis imponere non dubitaverit. Apoſtolus Paullus cùm vas electionis eſſet, eo utebatur medio, quòd docere & predicare deberet. Maximum fructum experietur Epiſcopus aliis perſuadendo quæ ipſe exequutus fuerit: ex adverſo verò ſe velut impeditum & alligatum ſentiet, os velut obturatum, & vires impotentes, ſi ea quæ ipſe non facit, ſuadere conetur. Alias rationes omitto, ob quas debet Epiſcopus hiſce mediis uti. Supervacaneum quidem eſt, cùm Scriptura ſacra paſſim id ipſum moneat.

Mittat frequenter Epiſcopus Epiſtolas encyclicas, quà clericis, quà curatis, quà verò locorum incolis, omnes exhortando, ut eorum officia diligenter adimpleant. Et in ſingulis locis homines virtute excellentes conſtituat, qui ſpeculatorum vice fungantur, & de iis quæ correctione indigent, cautè illum moneant. Nam cùm ea ſcrutari eorum ſit muneris, par erit ut diligenter & ſolicitè ſcire ſatagant. maximè quidem utilitatis illud eſſet. Cùm enim eorum quæ ubique acciderent, notitiam haberet; literæ quæ ad preſentia mala detrudenda directè mitterentur, effectum feliciter ſortirentur.

Decet etiam Epiſcopum, ut pauperum, ægrotantium præſertim, curam gerat, ut eis in neceſſitatibus ſubveniat. Et in diœceſeos locis aliquos ſubſtituat, qui id ejus expenſis exequantur. Quoquidem auxilio plurimis offenſis aditus clauderetur, quæ Deo fiunt ab iis qui humana ope penitùs diſtituuntur. Apoſtoli huic rei maximè incumbebant; & ſi quando deſtitiſſe viſi ſunt, prædicationis gratiâ id factum. At nihilominus inter ipſos conventum eſt de aliquibus eorum loco ſubrogandis, qui id munus obirent. Conſiderandum igitur Epiſcopo, ex penito munere id exequi debere, quod ſi omiſerit, non ob leviorem cauſſam fieri valeat, quàm ob Euangelii predicationem. & tunc quidem alium vice ejus ſuffectum iri. Sed nec verbi divini præconio vacare, nec id per ſe aut per miniſtros exequi, ſummâ culpâ carere nequit.

Non hîc de Epiſcopalis muneris obligatione circa eleemoſynas agere inſtituì. hoc ſiquidem ſpeciali opere, juſtoque tractatu abſolvendum erat. Sufficiat tantùm eum monere, ut patris pauperum titulum, quo pollet, memoriâ infixum tenaciter ſervet. Quod ſi re in hac aliquanto parciùs quàm par eſt, ſe geſſerit, incaſſum ac ſterilis erit ejus predicatio, cùm per eleemoſynam præcipuè auditorum animi flectantur allicianturque. cujus rei exemplum nobis præbet Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui turbas eum ſequentes alebat, ut neceſſario victu eorum animos conciliaret.

Debet etiam curare magnopere Epiſcopus, ut recèns ordinati omni ſtudio ac diligentia inſtruantur in modo quo ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrandum præparari debent, quoque poſt celebrationem grates rependere. maximâ enim incuriâ in iis ſe gerunt: unde emergit, ut ſacerdotes irreverenter admodùm Miſſam celebrent, detrahendo potiùs, quàm augendo populi devotionem.

Nec inutile fore crediderim remedium aliquod quærere, ut ſacerdotes non adeò frequenter Miſſam celebrarent. Siquidem tantum miniſterium jam inde quaſi eviluit: ac plurimi quotidie celebrant, de quorum moribus, ac nullo penè fructu qui inde emittitur, haud temerè credi poteſt, ſe neutiquam debita diſpoſitione ad Miſſæ celebrationem accedere.

Dolendum ſanè eſt, peccata ac delicta Reipublicæ conſiderare, quorum ſi radicem perquirere velimus, omnia ferè è divitum fonte ſcaturire offendemus, immò & nobilium: nam libertate qua pollent, & incuriâ quæ in ipſis erudiendis educandiſque fuit, liberè peccant; nec peccant tantùm, ſed opulentiâ & divitiis anſam aliis ad peccandum præbent. Cumque præcipuus miniſtrorum Dei ſcopus, peccata vitare eſſe debeat; operæ pretium erit, ut quantum in nobis eſt, remedium adhibere conemur. Quod igitur facilius apparet, eſt quod Epiſcopus ipſe nobilium filios educandos curaret, magiſtrum illis aſſignando, qui in ipſa Epiſcopi domo libros ab eodem Epiſcopo eligendos legeret; necnon confeſſarium illis deſtinaret, ac omnibus quæ ad rectam eorum educationem conducerent ſolicitè incumberet. Atque in ea diſciplina à decimo anno uſque ad decimum ſextum ſaltem perſiſterent. Ac in locis pariter in quibus Epiſcopus ipſe non adeſſet, præceptorem ſimiliter & confeſſarium deſignaret, ut ſuprà dictum eſt. Cùm autem diœceſim viſitaverit, hoc præcipuè illi præ oculis habendum.

CONCILIUM COMPOSTELLANUM PROVINCIALE

CELEBRATUM SALMANTICÆ ANNO MDLXV.

PRÆSIDE ILLUSTRISS. D.

D. GASPARE DE ZUÑIGA ET AVELLANEDA

ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLANO.

Correctum à B. PIO V. Papa anno MDLXIX. juxta diploma in fine ejuſdem Concilii edendum.

Ad finem cujuſcumque Decreti correcti à B. Pio V. citamus Bullam ipſius, ut in ea legatur quid inibi corrigendum, moderandum, aut addendum eſt.

CONGREGATIS jam Salmanticæ Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, ac admodùm Illuſtri Comite Montacutano, & Reverendiſſimis ſuffraganeis Epiſcopis, ac ferè omnibus procuratoribus Eccleſiarum, cùm jam apertionis Concilii tempus adeſſet, Archiepiſcopus univerſæ provinciæ devota jejunia & orationes, aliaque opera pia, uti decebat, & mos eſſe ſolet Conciliorum, indixit publicis edictis, quorum hæc erat ſeries.

GASPAR à Zuñiga & Avellaneda miſeratione divina Archiepiſcopus Compoſtellanus, ejuſdemque civitatis dominus, Regięque Majeſtatis Cappellanus major, & ejus conſiliarius, necnon Legionenſis Regni Notarius major, &c. Reverendiſſimis Epiſcopis, qui in hoc Concilio Provinciali congregari debent juxta ſacrorum Canonum & Conciliorum ſanctiones, ac omnibus aliis perſonis tam hujus inſignis urbis Salmanticę, quàm aliarum civitatum & locorum noſtræ Compoſtellanæ provinciæ ſalutem in Domino ſempiter-

ternam. Auſpicia ab orationibus, jejuniis, & eleemoſynis ducere veterum Conciliorum mos erat, quo divina bonitas his præclaris operibus exorata, benigniori quodam afflatu Patrum pectora perfunderet, & in rebus graviſſimis diſſiniendis tanquam manu regeret. Quam prudentiſſimam & pientiſſimam conſuetudinem nos ſequuti, cùm animadvertamus negotia ardua, & maximi ponderis atque momenti fore illa quæ in noſtro hoc Concilio Provinciali, Deo auſpice, ſunt diſcutienda & tractanda; omnes Chriſti fideles cujuſcumque ſexus, ſtatus, gradus, & conditionis ſint, monemus & exhortamur (ne quid prætermittamus eorum quæ ad noſtrum munus ſpectant) ut per hos dies interim dum aperitur Concilium, in preces, jejunia, eleemoſynas, reliquaque opera pia incumbant, ardentiſſimè Deum maximum precati, ut proſperos ſucceſſus det noſtro conventui jamjam inchoando, atque ipſa in illo conſtituat, quæ in divinam gloriam, almæ fidei propagationem, ſacroſanctique Tridentini Concilii executionem cedant, & noſtræ Compoſtellanæ provinciæ fructuoſa, uti ſperamus, ſint futura. Iis autem, qui ſe in hujuſmodi Chriſtianis operibus exercuerint, octoginta dies indulgentiæ pro noſtra Archiepiſcopali dignitate concedimus & elargimur. Datis in hac urbe Salmantina poſtridie Kalend. Septembris anno Domini MDLXV. Gaſpar Archiepiſcopus Compoſtellanus. Mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi domini mei Archiepiſcopi. Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius, & Secretarius.

Septima die menſis Septembris cùm admodùm Illuſtris Comes Mont-acutanus, qui jam urbem ingreſſus fuerat, ut nomine Philippi Regis noſtri invictiſſimi Concilio intereſſet, Illuſtriſſimum Archiepiſcopum adiiſſet ac ſalutâſſet, ſeque velle dixiſſet Catholicæ Majeſtatis Philippi Regis noſtri literas Concilio Compoſtellano reddere, Archiepiſcopus per ſuos curſores vocari Epiſcopos fecit, videlicet Petrum Poncium de Leon Epiſcopum Placentinum, Didacum Sarmiento Epiſcopum Aſtoricenſem, Franciſcum Maldonado Epiſcopum Mindonienſem, Petrum Gonçalez de Mendoça Epiſcopum Salmanticenſem, Alvarum de Mendoça Epiſcopum Abulenſem, Franciſcum Delgado Epiſcopum Lucenſem, Joannem Riberam Epiſcopum Pacenſem, Didacum de Tor-quemada Epiſcopum Tudenſem, Jacobum Simancas Epiſcopū Civitatenſem, Joannem Manuel Epiſcopum Zamorenſem, Fernandum Tricium Epiſcopum Aurienſem. Quibus in ædibus Archiepiſcopi in duobus choris ſedentibus, vocatis quoque & præſentibus Cathedralium Eccleſiarum procuratoribus, ſcilicet primo loco Doctore Franciſco Gomez canonico Pœnitentiario Compoſt. deinde locorum non habita ratione, Chriſtophoro Vela Archidiacono, & Alphonſo de Avila canonico Abulenſis Eccleſiæ, Franciſco Guerrero canonico Pacenſi, Doctore Joanne Ochoa de Arteaga canonico Lucenſi, Doctore Joanne Delgado canonico Tudenſi, Bernardino de Aguila Decano Civitatenſi, Joanne de Almaraz portionario Placentino; Comes Mont-acutanus ſignificatâ primùm verbis Philippi invictiſſimi Regis noſtri erga Chriſtianam religionem optima mente, atque in executionem Generalis Concilii Tridentini, & in hāc Provincialem Synodum animi propenſione, produxit tandem literas regias pridie Kalend. Septembris ſcriptas, nomineque regio ſubſcriptas. quas cùm ſecretarius Antonius de Alguibar, audientibus, omnibus, qui aderant, perlegiſſet, Comes benigniſſimè ſuſceptus eſt, ſuoque præſtantiſſimo loco collocatus. Literæ verò Regis admodùm Reverendo in Chriſto Patri Archiepiſcopo Compoſtellano, ejus majori Cappellano, & Conſiliario, Reverendis in Chriſto Patribus Epiſcopis, ſimiliterque Conſiliariis, venerabilibus quoque Abbatibus & Canonicis, cæteriſque omnibus in Concilio Provinciali, quod in civitate Salmantica celebrabatur, convocatis & congregatis miſſæ, in hanc fermè ſententiam erant ſcriptę: Se perſpectis his quæ de celebrandis Conciliis Provincialibus à ſancta Tridentina Synodo, renovatis antiquis Canonibus, & Eccleſiæ uſu conſtituta ſunt, eamque rem Domini Dei noſtri obſequio & ejus Eccleſię commodo, reformationi quoque & adminiſtrationi Eccleſiaſtici ſtatus, atque executioni ſacrorum Canonum, & antiquorum Conciliorum, ejus maximè, quod nunc demum Tridenti habitum eſt, futuram fructuoſiſſimam cùm animadverteret, omnem adhibuiſſe diligentiam, nè hęc effectu carerent, ſed ut cogerentur quamprimum hujuſmodi Concilia, quorum inſtaurationi, uſui, progreſſuique ſentiat ſe & in præſens, & in futurum favere oportere eâ curâ, quam & nunc habet, & in omnibus quæ ad Dei cultum & ejus Eccleſiæ utilitatem pertinebunt, habebit ſemper, ut Catholici Regis & Chriſtiani principis reſpondeat nomini, & ſatisfaciat. Itaque congregato hoc ſancto Concilio Provinciali, eodem ſe ſtudio & ſolicitudine cupere, ut quâ tam ſanctum decet negotium pace, concordiâ, quiete, ſecuritate, & libertate id habeatur: utque ex eo, Deo favente, mediiſque, ſancta intentione, ſtudio, literatura, prudentiaque eorum, qui aſſiſtunt, optatus fructus atque ſperatus capiatur. Id ut commodiùs fiat, utque directioni, progreſſui, finique hujus negotii præſidium ſuum atque adjumentum, ſicubi fuerit neceſſarium, præſentiùs impartiatur; exemplo majorum ſuorum Regum decreviſſe ſe, virum aliquem rebus gerendis aptum mittere, qui ſuo nomine adſit, interſitque Concilio: qualem cùm eſſe noverit cognatum ſuum Comitem Mont-acutanum, cujus prudentiam, ſtudium, & bonitatem habeat perſpectam, ei hanc provinciam dediſſe, juſſiſſeque ita ſingula conponere ac temperare, ut nemo qui ad Concilium acceſſerit, aut defuiſſe ſibi quicquam, aut de offenſione ulla, injuria, vel contumelia meritò queri poſſit; ſed eâ omnes libertate & ſecuritate fruantur, quæ tam ſancto negotio & congregationi conveniat, quiete-

teſque, & cum pace, una mente, ſi fieri poſſit, atque una voce concordiſſimè omnia peragantur. Denique ut ſuo nomine regiam interponens auctoritatem & manum conficiendis negotiis expediendoque Concilio, opem auxiliumque ferat, ubique paratum futurum prædictum Comitem, ſiquis ejus operâ ad ea quæ dicta ſunt, uti velit, eumque internuncium habiturum commodiſſimum, qui de re quapiam ſe admonendum putaverit, per eundem quoque, cui maximam jubet haberi fidem, ſe quæ advertenda eſſe judicâſſet, explicaturum Concilio, qui divinum affulgere lumen impensè optare ſe poſtremo loco dicebat, & Dei optimi gratiam, ut ad ejus voluntatem & honorem omnia dirigantur.

Quibus perlectis, ſtatim Archiepiſcopus, & ſuo & Concilii nomine, multa in laudem Catholicæ Majeſtatis præfatus, immortales illi gratias deberi dixit, quòd tanto favore hanc Synodum proſequeretur, quòdque talem virum miſiſſet, qui ſuas vices gereret: tum etiam, quòd Tridentinas ſanctiones pietati ac religioni ſaluberrimas, exequi atque obſervari ſtudioſiſſimè curaret. Poſtmodum verò Archiepiſcopus, ſimulque cæteri Epiſcopi, in hanc propè ſententiam reſcripſerunt: Acceptis per Comitem Mont-acutanum ſuæ Majeſtatis literis, maximâ ſe gratiâ, atque ingenti eſſe & legatione ipſa & legato affectos beneficio. Rem eſſe dignam tam Catholico Principe, & cui tot tam amplaque Deus dederit Imperia, religionis antiquiſſimam & pietatis habere rationem. Certiſſimis enim argumentis, atque ſuæ providentiæ indiciis, regibus in hanc curam incumbentibus ubique, commonſtrâſſe Deum, ad temporale, ſpiritualeque reipublicę bonum permagni hoc eſſe momenti. Itaque quoniam frui regali ejus præſentia huic Concilio non contigit, quo nihil gratius in vita, neque optatius poſſet evenire, mirifici muneris loco habere ſe quòd ſanctam hanc congregationem obumbrare regia auctoritate, & intereſſe alium ſuo nomine voluerit, fore ut ejus Chriſtiano exemplo, piæ omnium mentes & recta conſilia conformentur, cœleſtem autem favorem certiorem multò eſſe ſolere, & copioſiorem, ut plurima ſacræ Scripturæ docent documenta populis, & populorum principibus, quæ Dei ſunt, unà pariter cogitantibus. Cæterùm quòd Comitem Mont-acutanum miſerit qui pro ſe aſſideat, id propter illius multa bonaque merita ſingularis ſe beneficii loco ponere, uſurum ejus prudentiâ, induſtriaque Concilium, ubicumque eam, aut Dei cultui, aut expeditioni negotiorum ſenſerit eſſe neceſſariam. Ei verò ipſi honorem habiturum, qui auctoritati à ſua Majeſtate datæ, & illi ipſi pro ſuo jure debeatur. Præterea ſperare ſe, Deum auxilium ſuum affluenter, atque ſpiritum communicaturum, ut optimo hujus ſancti operis proceſſu ac fine, & muneris, atque officii ſui obligationi, & ipſius menti ac deſiderio, tum etiam horum temporum neceſſitati abundè ſatisfiat. Iſtam verò ſpem cùm omnium communi voto, bonis initiis felicem exitum precantium ali atque foveri, tum maximè regali illius tutela & ſolicitudine, quę miram omnibus ſecuritatē tranquillitatemque præſtant, pro quibus perpetuam incolumitatem, majorumque ditionum ac regnorum incrementa ad Dei gloriam & Eccleſię utilitatem optare ſe illi dicebat extrema Epiſtola ſcripta Salmanticæ. XI. Kalend. Octob. anno MDLXV.

DIE octava menſis Septembris Nativitati beatiſſimæ Virginis matris Dei ſacra, omnibus ad apertionem Concilii neceſſariis compoſitis, publicam atque ſolenniſſimam proceſſionem ſummo mane à parochiali Eccleſia divi Martini Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, & admodùm Illuſtris Comes Mont-acutanus, omnes quoque Reverendiſſimi Epiſcopi pluvialibus ornati, prę̃ter Salmanticenſem, qui quòd Miſſam illo die erat celebraturus, Pontificiis veſtibus indutus incedebat. procuratores etiam Eccleſiarum cùm ipſius Cathedralis capitulo, necnon totius civitatis clerus, ſimul & omnium ordinum monaſticorum religioſi ſuas cruces ſacraque inſignia ferentes, ad Cathedralem, ubi ſolenni ritu erat aperiendum Concilium, deduxêre: ubi celebratâ Miſsâ, & cæremoniis quæ in tali ſolennitate adhiberi ſolent, peractis, Epiſcopus Salmanticenſis tetendit in theatrum, ex quo ad Patres & populum habita fuerat concio ab Archiepiſcopo, aſſidenſque in ſella, pluviali & mitrâ compoſitus, alta & clara voce recitavit decreta quæ ſequuntur, quibus perlectis, celebrata fuit prima Actio.

ACTIO PRIMA

IN CONCILIO PROVINCIALI

COMPOSTELLANO

Sub Gaſpare Archiepiſcopo Salmanticæ, & in ejuſdem urbis templo Cathedralis Eccleſiæ celebrata, die ſabbathi, ſexto Idus Septembris anno à Chriſto nato MDLXV. indictione octava, & ſanctiſſimi, ac domini noſtri Papæ Pii IV. Pontificatûs anno ſexto, & ultimo, ac regni Catholici, & invictiſſimi Regis noſtri Philippi II. anno decimo.

DECRETUM

SANCTÆ SYNODI TRIDENTINÆ

De celebrandis Conciliis Provincialibus.

PROVINCIALIA Concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis, renoventur. Quare Metro-

tropolitani per ſe ipſos, ſeu illis legitimè impeditis, Coepiſcopus antiquior intra annum à fine præſentis Concilii, & deinde quolibet ſaltem triennio, poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittat Synodum in provinciam ſuam cogere, quò Epiſcopi omnes, & alii qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis his, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet, convenire omnino teneantur. Nec Epiſcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet conſuetudinis ad Metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inviti compellantur. Itidem Epiſcopi, qui nullo Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſervent atque obſervare faciant: in reliquis omnibus eorum exemptio & privilegia ſalva atque integra maneant. Synodi quoque diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti, etiam omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur: ratione tamen parochialium aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicunq; illi ſint, Synodo intereſſe. Quòd ſi in his tam Metropolitani quàm Epiſcopi, & alii ſupraſcripti, negligentes fuerint, pœnas ſacris Canonibus ſancitas incurrant.

DECRETUM I.

GASPAR Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopus Compoſtellanus cum Epiſcopis Comprovincialibus & adjunctis, declarat Compoſtellanum Concilium Provinciale ab ipſo Archiepiſcopo in hac inſigni Univerſitate Salamantina convocatum, & congregatum in hac hie, hoc eſt, in feſto Nativitatis beatiſſimæ Virginis matris Dei, quæ eſt octava menſis Septembris, ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, ad felicem ſtatum ac reformationem hujus noſtræ provinciæ & Eccleſiarum ei aggregatarum, incipere, & inceptum eſſe.

Reverendiſſimi Patres, placet ne vobis?

Reſponderunt: Placet.

DECRETUM II.

OMNIBUS, præſentibus & abſentibus, ex loco aſſignato Reverendiſſimis Epiſcopis, ac Reverendis procuratoribus, ſive Comprovincialibus, ſive aggregatis Concilij cauſsâ, nullum cuique prejudicium factum, aut inde futurum declaratur, ſed omnibus & ſingulis, & quibuſcumque aliis, cujuſcumque ordinis aut dignitatis ſint, ſua jura & prærogativas ſalva & integra eſſe & fore poſt finem Concilii, & in eodem ſtatu permanere, quo ante præſens Concilium Provinciale reperiebantur.

Reverendiſſimi Patres, placet ne vobis?

Reſponderunt: Placet.

In quorum fidem infraſcripti Secretarii Concilii ſubſcripſimus.

Petrus Vellejus Gueuara Doctor.
Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius & Secretarius Concilii.

QUIBUS recitatis, Epiſcopus Salmanticenſis ad ſtationem rediit, & promotor & choragus Concilii Patrum ſententias ab Archiepiſcopo exorſi, ſingillatim & in hunc modum rogaverunt: *Placet ne vobis, vel non placet?* quiſque autem reſpondit: *Placet*. ac promotor ejus rei teſtimonium petiit, Secretarii quoque omnium reſponſa conſcripsêre. nimirum: *Placet* &c.

Poſt hęc Archiepiſcopus & Patres Tridentinis decretis obedientes publicè & ſolenniter almam fidem, & ſanctę Romanæ Eccleſiæ obſequium, rogante Archiepiſcopo, & reſpondentibus Patribus, clero & populo in hunc modum profeſſi ſunt.

Primum omnium creditis firmiter, & confitemini omnia & ſingula quæ traduntur in Symbolo fidei in Niceno Concilio edito, quo ſacra & Romana Eccleſia parens & magiſtra religionis in ſacris utitur? Cumque Archiepiſcopus recitâſſet integrum Symbolum, cuncti ſubjecerunt: Ita credimus & confitemur.

Hîc inſerta erat formula profeſſionis fidei à Pio IV. præſcripta. Quam, cùm jam edita fuerit ſuprà initio Concilii Provincialis Toletani, prætermittere duximus.

Eâdem formâ ſervatâ Epiſcopus Placentinus ab ipſo Archiepiſcopo Compoſtellano fidei profeſſionem, & Concilii Tridentini receptionem ſuſcepit.

CALEND. Novembris, quo die ab Eccleſia omniũ Sanctorum ſub una ſolennitatis lætitia feſtivitas celebratur, cùm in Cathedralem conveniſſent Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, admodùm Illuſtris Comes Mont-acutanus, cęterique Reverendiſſimi Prælati, habuiſſetque piiſſimam ac facundiſſimam concionem Joannes Ribera Epiſcopus Pacenſis; procuratores Eccleſiarum, ſcilicet, Zamorenſis, Pacenſis, Ovetenſis, Aſtoricenſis, Caurienſis Placentinus, Mindonienſis, Civitatenſis, Lucenſis, atque Tudenſis poſt Miſſam celebratam virtute mandatorum, quæ à ſuis illis data fuerant Eccleſiis, ſuo Eccleſiarumque ſuarum nomine ſanctum Concilium Tridentinum receperunt, fidemque Catholicam proteſtati ſunt. Quod cùm aliarum Eccleſiarum procuratores eo die, quo prima hujus Concilii Actio celebrata eſt, feciſſent, ii qui ad eam rem ſuarum Eccleſiarum ſpeciale mandatum non habebant, facere hactenus non potuerunt. Cæterùm res ipſa hoc ordine peracta eſt. Archiepiſcopus ſingulos eorum coram ſe ſtantes interrogabat: Accipitis quæcumque à ſacris Canonibus Conciliiſque Univerſalibus, atque ſpecialiter à ſacro Concilio Tridentino, conſtituta ſunt, ut in ipſis ſunt diffinita & declarata? Dannatis atque anathematizatis omnia illis

con-

contraria, atque omnes hæreſes ab Eccleſia damnatas; eas maximè, quas prędictum Tridentinum Concilium anathematizavit? Cui à ſingulis reſponſum eſt: Recipimus, & contrarium ac omnes hæreſes anathematizamus & deteſtamur.

Octavo Kalend. Aprilis, hoc eſt in feſto Annũciationis Virginis matris Dei anni MDLXVI. omnibus, quibus ad ſecundam Actionem habendam opus erat, præparatis jam, Archiepiſcopus, Comeſque Mont-acutanus, atque Epiſcopi pluvialibus, mitris, & crucibus pectoralibus induti, Salmanticenſis verò, qui ſacra illo die peracturus erat, Pontificiis veſtibus ornatus, proceſſionem, quæ per clauſtrum Cathedralis Eccleſiæ ſolenniſſimè ducta fuit, ſunt proſequuti: ac tandem peracto Miſſæ ſacrificio, ſolitiſque in hujuſmodi ſolennitate cæremoniis adhibitis, Epiſcopus Salmanticenſis locum illum conſcendens, ex quo ad Patres & populum concio habita fuerat ab Archiepiſcopo, infraſcripta legit de creta: quibus perlectis, atque à Prælatis per Secretarium reſponſo accepto, quòd placerent illis decreta, fuit celebrata ſecunda Actio.

ACTIO SECUNDA

IN CONCILIO PROVINCIALI

COMPOSTELLANO

Sub Gaſpare Archiepiſcopo Salmanticæ, & in ejuſdem urbis templo Cathedralis Eccleſiæ celebrata, feriâ ſecundâ octavo Kalend. Aprilis, anno à Chriſto nato MDLXVI. indictione nona, ac ſanctiſs. & domini noſtri Papæ Pii V. Pontificatûs anno primo, ac Catholici, & invictiſſimi Regis noſtri Philippi II. regni anno decimo.

GASPAR DE ZUÑIGA

ET AVELLANEDA

Miſeratione divina Archiepiſcopus Cõpoſtellanus Metropolitanus, & Epiſcopi Comprovinciales, & coadjuncti ſtatuimus hæc decreta.

PRÆFATIO.

MAXIMIS reipub. Chriſtianæ periculis opportuniſſimum & præſentaneum remedium Oecumenica & Generalia Concilia fuêre ſemper: ad corrigendos verò exceſſus, tollendosq; uniuſcujusq; provinciæ abuſus, Provincialia Concilia, quorum præcipuus finis ac ſcopus plerumq; fuit, ut ea quæ in Univerſalibus Conciliis decreta fuerunt, plenè obſervarentur, quæq; diſponenda & diffinienda Provincialibus Conciliis commiſſa fuiſſent, diffinirentur: necnon eorum, quæ ad cultum divinum ſpectant, dilucidatio ac directio, miniſtrorumq; Eccleſiaſticorum cujuſque provinciæ ſancta & ſalubris reformatio juxta ſacrorum Canonum ſanctiones. Nos igitur ſanctorum Patrum veſtigiis inhærentes, & nobis commiſſa maxima cum diligentia adimplere cupientes, in Provinciale Compoſtellanæ provinciæ Concilium convenimus, nihil provinciæ ſalutarius eſſe exiſtimantes. Quod quidem non deſiderio tantùm & verbis, ſed opere & veritate abundè efficiemus & demonſtrabimus, ſi quæ dicta ſunt, pro ratione temporis ad debitum & optatũ finem perduxerimus. Hæc autem ut à nobis rectiùs, & ut expedit, fiant, non noſtræ prudentiæ ſapientiæve, aut merito innitendum eſſe exiſtimamus, ſed in Domino Deo noſtro, qui omnia ſcit & poteſt, cujus miniſtri non idonei ſumus, ſpem expectationemq; noſtram collocamus, ſimulq; confidimus quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus nobis aderit, paracletusq; Spiritus ſanctus ſuam lucem cordibus noſtris infundet, & nos ipſos regent ac dirigent, præſtabuntq; omnia neceſſaria quibus hoc Concilium congruum initium, proſperum ſucceſſum, & felicem exitum habeat in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui cum Patre & eodem Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DECRETUM I.

EXAMEN illud, quod de promovendorum ad Cathedrales Eccleſias qualitatibus ac moribus, juxta ſacri Concilii Tridentini decreta fieri oportet, non ſolùm eorum teſtimonio, quos electus vel deſignatus obtulerit, faciendum eſt, ſed aliorum etiam qui ab eo fuerint ex officio vocati, cui ſecundùm præfati Concilii formam ea cura committitur. Quod verò ad gradus attinet, optatur fore neceſſarium, ut in aliqua ex horum regnorum probatis Academiis, vel in aliis exteris, quę ab eis approbatæ ſunt, requiſitos gradus ratione ſtudiorum ac literarum legitimè fuerint adepti.

DECRETUM II.

TESTES, ſive qui electi nomine oblati, ſive qui ex officio rogati fuerint, non alii, quàm legitimi, atque fide digni admittantur. Hi primùm generalibus interrogationibus examinandi ſunt. Deinde an promovendus triceſimum annum expleverit? An ſacris initiatus ſit? Quonam tempore ſacros ordines receperit? Num ex legitimo matrimonio fuerit ortus? An ipſe, vel parentes, aut avi aliqua infamiæ nota fuerint infecti, ratione cujus, juxta canonicas ſanctiones, promoveri non poſſit? An honeſtis moribus ſit prædituſ, & ea fuerit anteactæ vitæ integritas, quæ illum futuræ dignitati idoneum & commendabilem reddat? An gradus Doctoratus, aut Magiſterii, ſive Licentię in Theologia, vel Jure Canonico ab aliqua Academia fuerit adeptus? quænam illa? & an inter probatas hujus regni cenſeatur? & an ratione literarum eum gradum fuerit aſſecutus? Quòd ſi gradus nondum acceperit, an ab aliqua prædictarum Academiarum ſufficiens habeat teſtimonium, quo ad alios erudiendos idoneus judi-

judicetur. Si religioſus fuerit, an habeat ſuorum ſuperiorum approbationem, quam Generale Concilium Tridentinum expreſſit.

DECRETUM III.

CUM de adhibenda ſolicitudine circa promovendos ad parochiales Eccleſias multa in ſacro Concilio Tridentino ſtatuta ſint, quædam adhuc explicanda Conciliis Provincialibus ſunt commiſſa. Id ut convenientiùs executioni mandetur, præſenti decreto præcipitur, ut quandocumque & quomodocumque parochialis Eccleſia vacaverit, etiam ſi juris patronatûs Eccleſiaſtici exiſtat (dummodo circa præſentationem & inſtitutionem ejus, quæ à ſacro Concilio Tridentino ſtatuta ſunt, obſerventur) Epiſcopi intra quindecim dies ab eo tempore numerandos ex quo noverint Eccleſiam eſſe vacantem, per publicum & neceſſarium edictum convocent omnes, quotquot examinari voluerint, id verò in valvis Cathedralis Eccleſiæ, ſimiliter illius, ad quam pertinet Beneficium, & ubi aliàs Epiſcopo viſum fuerit, per viginti dies, ut minimum, præfigatur ſub cenſuris & pœnis contra eos, qui tale edictum vel tollere vel delere auſi fuerint. Eo etiam tempore, ſi qui ab Epiſcopo nominati fuerint, & antequam examen eorum, qui priùs comparuerunt, ſit abſolutum, venerint, ad ſubeundum examen admittantur. Quòd ſi fuerit juris patronatûs laïcorũ, illa ſolùm edicta proponantur, quæ de jure vel cõſuetudine decerni poſſunt ad cõmonendos patronos ut legitimo tẽpore examinandos nominent. Examinis autẽ modus ſic Epiſcopis committitur, ut unumquemque examinandorum in ea, in qua verſatus eſt, facultate, publicè, & eâdem ſervatâ formâ examinari præcipiant ab examinatoribus juxta ſacri Concilii Tridentini decreta conſtitutis, quibus munus ſuum ex ejuſdem Concilii ſententia fideliter exequentibus, æquam laboris mercedem Prælati ſuæ rectæ conſcientiæ arbitrio jubeant perſolvi: quæ omnia expenſis Beneficii vacantis fieri debent, atque eadem & ſingula ſerventur in iis etiam Beneficiis curatis, quorum inſtitutio aut collatio jure devoluto ad Epiſcopos pertineat. Quæcumque adversùs ſupradicta deinceps facta proviſio fuerit, nulla, irrita, & inanis ſit.

DECRETUM IV.

CURENT Epiſcopi, unuſquiſque in ſua diœceſi, juxta formam & regulas à ſacroſancta Synodo Tridentina propoſitas, ut quàm citiùs fieri poterit, puerorm collegia & ſeminaria erigantur, erecta augeſcant, & aucta in optimum finem perducantur.

DECRETUM V.

SANCTARUM imaginũ legitimum uſum ſic Epiſcopi obſervari præcipiant, ut ea quæ in ſacro Tridentino Concilio piè & ſanctè præcepta ſunt, cuſtodiantur. Quare is tantùm velaminum ac veſtium ornatus imaginibus apponatur, qui ab Epiſcopo vel ejus vicario viſus & approbatus fuerit.

DECRETUM VI.

SANCTORUM reliquias fidelibus honorandas, atque venerandas eſſe, & antiqua traditione, & ſacri Tridentini Concilii, & aliorum ſacrorum Conciliorum decretis facilè conſtat. Sed ne ſub religionis ſpecie ſuperſtitio militare videatur, curent locorum Epiſcopi, ut illę reliquiæ, quæ populo venerandę fuerint expoſitæ, quàm diligenter examinentur, ſive quæ honoris aut devotionis cauſsâ collo appenſæ geſtari ſolent: & quę verę inventæ fuerint, honeſtè collocentur, quæ verò nullo teſtimonio conſtiterint, removeantur. In chartulis, quas vulgus *nominas* vocat, inutilia multa & vana ſæpè reperiuntur. Provideant ergo, ut intra certum tempus edicto publico præfigendum, omnes qui hujuſmodi chartulas habuerint, deputatis perſonis eas exhibeant, ut frivola rejiciantur, digna ſerventur; ad quorum executionem, opportuna juris remedia, ſi opus fuerit, ab eiſdem Epiſcopis adhibeantur.

DECRETUM VII.

QUOD altaris miniſterio, aut divinis officiis congruit, grave judicandum eſt. Quapropter omnia & ſingula ſecundùm ordinem ita ſunt diſponenda, ut Deo noſtro ſit jucunda decoraque laùdatio; Cumque juxta noſtri muneris ſolicitudinem, à Generali Concilio nunc denuò injunctum ſit, ut quæ circa divina officia, aut circa miniſtrorum aſſiſtentiam emendanda videntur, ſedulò corrigantur, hæc circa ejuſmodi ſtatuere viſum eſt, quę tam in Cathedralibus, quàm Collegiatis, atque aliis Eccleſiis firmiter obſerventur. Et quoniam ex capitularium frequentia congregationũ divina officia vel impediri aut deſtitui ſolent; deinceps ſemel tantùm in hebdomada hujuſmodi congregatio habeatur; die Veneris, ſic tamen, ut propter feſtũ incidens, aut præveniri poſſit, aut differri. Extraordinariæ verò cõgregationes non fiant tempore, quo vel Miſſa, vel conſueta officia in choro celebrantur. Qui verò talibus interfuerint, ſtipendio illis horis quę interim dicuntur aſſignato, tenore hujus decreti, privati ſint. *Vide Pii V. diploma, in quo hoc decretum moderatur, aut corrigitur.*

DECRETVM VIII.

IN omnibus Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ſanctiſſimum Chriſti corpus in medio maximi altaris ſub decenti ac fideli cuſtodia ſervetur, & octavo quoque die conſecratæ hoſtiæ renoventur. In Cathedralibus verò Eccleſiis, quibus animarum cura incumbit, etiam in alia cappella Prælati judicio deſignanda collocetur: quòd ſi hucuſque deſtinata erat, ibidem remaneat.

DECRETUM IX.

CUM feſtivitates omnes quibus noſtræ reparationis beneficia recoluntur, profuſis gaudiis à Chriſtiano populo ſint excipiendæ, præcipuè tamen in die Natalis Domini, & in ſolennitate ſacratiſſimi corporis Chriſti ſigna ſpiritualis lætitiæ ſunt præferenda. Convenit itaque devotioni fidelium in utraque ſolennitate externis exultare obſequiis, & etiam internis in ſpiritu & veritate, & non ſolùm inani exultatione diffundi. Miſſarum proinde ſolennia aliaque divina officia graviter ac devotè peraganturnulli actus, ſive repræſentationes, nec tripudia, aut choreæ in Eccleſia fieri permittantur, dum ſacra peraguntur (quæ perturbari aut interpellari nefas eſt,) ſed aut ante, aut poſt illud tempus, ſecundùm quod Epiſcopo loci, aut ejus vicario viſum fuerit: nulli etiam actus, ſive ſacræ hiſtoriæ, ſive profanæ in his, aut aliis ſolennitatibus admittantur, niſi menſe uno antequam agantur, ab Epiſcopo vel ejus vicario lecti fuerint, gratiſque approbati. *Vide Breve Pii V.*

DECRETUM X.

IN ſolennitate corporis Chriſti admoneantur fideles, ut interiori devotione, & exteriori apparatu & cultu, quantum in Domino potuerint, tam immenſi beneficii memoriam feſtivè recolant, neque aliquid eorum fieri prohibeatur, quod ad hujus ſacramenti venerationem attinere poſſit, ſive in luminaribus, aut muſicis inſtrumentis, ſive in viarum ornatu. In ſolenni autem proceſſione illius diei, ad quam omnes, cujuſcumque ſint gradus, convenire debent, per loci Epiſcopum provideatur, ut ordinatè, & ſine tumultu omnia fiant, & ſemel tantùm proceſſio ſubſiſtat cauſsâ horum actuũ vel repræſentationum in eo loco extra Eccleſiam, quem Prælatus aut ejus vicarius idoneum judicabit. Prælatos verò ipſos, clerum etiam, & populum curare decet, ratione primùm habita ſilentii ac modulationis divinorum officiorum ne ſolennia hæc tollantur; ſed ita fiant, ut nemini ſcandalum detur. *Vide Bullam Pii V.*

DECRETUM XI.

CUM hebdomadæ ſanctæ tempore Dominicæ Paſſionis memoriam Eccleſia recolat, & unigeniti mortem lugeat; nulli actus aut repræſentationes illis diebus permittantur, niſi talia ſint quę aguntur, ut devotionem potiùs quàm tumultum excitare poſſint. quod arbitrio Epiſcopi, aut illius cui ipſe commiſerit, examinandum eſt. Quia verò ex hoc quod conciones de Paſſione Domini nocturno tempore luminaribus extinctis haberi ſolent, aliqua inconvenientia deprehenſum eſt evenire, curent Epiſcopi & eorum vicarii, ut in omnibus Eccleſiis & monaſteriis ſuæ diœceſis hujuſmodi & quicumque alii ſermones, ortâ jam luce prædicentur, nec tamen aut vigiliæ, aut Eccleſiarum viſitationes, quæ per totam illam noctem Chriſtiano populo ſunt in uſu, per hoc interdicantur.

DECRETUM XII.

IN proceſſione confratrum veræ-crucis, ſeu ſe verberantium, ab Epiſcopis rejiciantur abuſus, ſi qui forſitan obrepſerint. Nullo autem modo permittendum eſt, ut mulieres viris permiſtæ nec ſeparatæ publicas illas diſciplinas per vias ſuſcipiant, ne quod nomine pœnitentiæ fit, occaſionem præbeat delinquendi. Si quæ verò de cætero, aut vota ſolvant, vel injunctam pœnitentiam, aut motu etiam animi voluntario, verberibus, vel aliquo ſupplicio caſtigare corpus velint & in ſervitutem redigere, domi, & ſecretò huic propoſito piè & caſtè ſatisfaciant.

DECRETUM XIII.

IN cæremoniis, quæ in cultu divino fiunt, ea debet puritas inveniri, ut fidei quam profitemur, & internæ devotionis indicia præferant. Superſtitionibus autem, non ſolùm manifeſtis, ſed etiam eis, quæ religioni propinquæ ſunt, his maximè temporibus reſiſtere graviter Epiſcopos decet, juxta Apoſtoli ſententiam, qui non à malo ſolùm, ſed ab omni ſpecie mali præcipit abſtinere. Quare nihil perniciosum, nihil profanum, vel indecorum ſacris officiis eſt admiſcendum; ſed attentâ Paſtorum diligentiâ, ab omni ſuperſtitionis ſpecie ſunt penitus expurganda, & illa tantùm admittenda, quæ pietatem & memoriam debitam redolent, & morum correctioni utilia eſſe poſſent. Obſervationes verò illæ, quibus populi attentio à divinis officiis avocatur, ſi tamen aliàs aliquid eruditionis habeant, tempore quo divina peraguntur, non fiant, ſed in aliud commodius Epiſcopi arbitrio eligendum tranſferantur, ut ſecundùm quod Apoſtolus præcipit, in Eccleſiis Chriſti omnia ſecundùm ordinem fiant.

DE-

DECRETUM XIV.

IGNORANTIA eorum, quæ unuſquiſque pro ſui muneris ratione facere tenetur, ſæpenumerò negligendi aut deficiendi ſolet eſſe occaſio. Ut igitur omnibus, qui Eccleſiaſtica Beneficia obtinent, officia quibus deputantur, facilè innoteſcant, quilibet Prelatus in ſua Eccleſia cum conſilio duorum capitularium, quorum alter ab ipſo Prælato, alter à capitulo ſit electus, antiquas illius Eccleſiæ conſtitutiones, & debitas conſuetudines circa officia altaris & chori dignitatum & aliorum perſonatuum, aut aliarum prębendarum, & eas obtinentium, diligenter exquirat, atque accuratè ordinet ac diſponat ea quę à ſingulis agenda ſunt, additis iis quę à ſancto Concilio Tridentino denuò ſunt conſtituta, eaque omnia per ordinem digeſta in tabula deſcribi faciat, quam in choro appendi jubeat, ut omnibus ſui officii norma ſit manifeſta. Quod ne fruſtra factum videatur, ſolicitè curabunt Epiſcopi, adjectis pœnis, ut omnia & ſingula executioni mandentur.

DECRETUM XV.

CIRCA divina officia propter cæremoniarũ ignorantias multi defectus committi ſolent. Ut igitur rectè & piè omnia peragantur, ſtatuitur, ut in omnibus Cathedralibus Eccleſiis aliquis de numero eorum qui in tali Eccleſia præbendam obtinuerint, ſuffragiis ſecretis decani & capituli in magiſtrum cæremoniarum eligatur, ita quòd dicto officio toto vitæ ſuæ tempore abſque rationabili cauſſa Prælati judicio approbanda, nequeat privari. Et priuſquam perſona ad id exequendum idonea deſignetur, per Prælatum de capituli conſilio ſufficiens ſtipendium ultra propriæ præbendæ fructus preſcribatur: quod ex Epiſcopali & capitulari menſa, & ex fabricæ proventibus ſecundùm æquas portiones deſumendum eſt. Diligenter verò attendant capitula, ut virum idoneum, & his qualitatibus præditum ſemper deligant, qui tali officio maximè conveniat. Ad hæc ut prędictus magiſter cæremoniarum apertiùs intelligat quid eum facere oporteat, & quid aliis ſuggerere debeat, tam circa divina officia, quàm circa quæcumque alia, det operam Prælatus cum conſilio capituli, ut in libello cæremoniali omnia diſtinctè ac diligenter conſcribantur, & ſecundùm formam ibidem expreſſam deinceps omnia ſtudiosè perficiantur.

DECRETUM XVI.

QUONIAM verò circa tempus, quo ad divina officia ingredi oportet, in Eccleſiis hujus provinciæ variæ conſuetudines inveniuntur, ut omnibus, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis una eademque ſit conſuetudo; ſtatuitur, ut dignitates, officia, perſonatus, & canonici, & qui portiones integras, & dimidias poſſident, quo in Miſſa præſentes habeantur, ultimo Kyrie, teneantur adeſſe. In diurnis autem horis majoris officii ad verſum, *Gloria Patri* primi Pſalmi: In Matutinis ad *Gloria Patri*. Invitatorii. At curati & cappellani, aut alii clerici, qui miniſterio chori deputati ſunt, in Miſſa teneantur adeſſe ad verſum introitûs. In Matutinis, Veſperis, & Completorio, ad primum *Gloria Patri*, poſt *Deus in adjutorium*. In aliis horis ad ultimum verſum hymni. Hebdomadarius autem in principio cujuslibet officii & horarum adeſſe teneatur. Poſtquam verò ſemel ingreſſi fuerint, exire non poſſint uſque ad benedictionem ſacerdotis in Miſſa, & in aliis horis uſque ad *Benedicamus Domino*, niſi de licentia præſidentis, quæ ſolùm cauſſâ celebrandi, aut pro corporali neceſſitate concedatur. Si ſecus factum fuerit, illius horæ ſtipendio ſint privati. Circa minoris officii horas, & proceſſiones particularium Eccleſiarum, ſtatuta ab Epiſcopis confirmata obſerventur.

DECRETUM XVII.

IN Matutinis Natalis Domini, & trium dierum ante ſanctum Paſcha, & in proceſſionibus Dominicæ in ramis Palmarum, & litaniarum majorum & minorum, & ſanctiſſimi corporis Chriſti, quicunque proventus manuali diſtributione conferantur, nec aliis quàm actu præſentibus aſſignari poſſint, omni excuſatione, etiam infirmitatis, ſublatâ. *Vide Pii V. diploma.*

DECRETUM XVIII.

IN die Sabbathi cujuſcũque hebdomadę cantor, ſive alius ad cujus munus pertinet, omnia officia quæ ſequenti hebdomadâ ſunt peragenda, expreſſis nominibus eorum quibus injuncta fuerint, in tabula deſcribi faciat, eaque in choro publicè legantur. Iis verò, quibus aliquid horum commiſſum fuerit, præcipitur, ut omni excuſatione remota, id ſedulò per ſe ipſos exequantur, nec alium ſibi ſubſtituere liceat, niſi cauſſâ infirmitatis, & tunc ſtatuta circa infirmos ſerventur. Quod ſi ſecus fiat, illius hebdomadæ diſtributiones amittant; & ſi creverit inobedientia, ſeveriùs à Prælato puniantur. Poſtquam verò ad aliquod officium deſignatus fuerit quiſpiam, intra eam hebdomadam cauſſâ recreationis diſcedere non poſſit, aut ab officiis abeſſe. *Vide idem diploma.*

DECRETUM XIX.

DEambulationes quæ in templis fiunt, ſæcularibus ipſis, ne dum Eccleſiaſticis ſunt prohibitæ. Quocirca diſtrictiùs inhibetur, ne tempore quo divina peraguntur, Dignitates vel canonici, ſive quicumque alii Beneficiati, aut illius Eccleſiæ clerici in Eccleſia vel clauſtro, ſive cappellis deambulent, aut maneant, etſi aliàs choro aſſiſtere non teneantur.

Si contrà fecerint, omnium horarum illius diei diſtributiones amittant.

DECRETUM XX.

NON oportet, ut qui divinis laudibus interſunt, aliis canentibus ſileant. Omnes igitur Beneficiati, cujuſcumque gradus aut dignitatis ſint, quibus pro officio in choro aliqui proventus aſſignantur, in Miſſa aliiſque divinis officiis corde & voce Deum laudare ſtudeant. Quod ut commodiùs fieri poſſit, curent Epiſcopi, ut ante ſingulorum ſedes præter communes libros qui in faciſtorio (ut vocant) ſunt expoſiti, breviaria ſive pſalteria fabricæ ſumptibus collocentur, libri quoque proceſſionales omnibus exhibeantur. Quòd ſi aliqui fuerint negligentes, à præſide admoneantur ut canant, & ſi non acquieverint, ſtipendio illius horæ multentur, & creſcente inobedientia, debitis pœnis & cenſuris ab Epiſcopo puniantur. Et ut hæc convenientiùs & attentiùs fiant, nullo modo aut recitent, aut in aliquo libro legant dum officia celebrantur. Deinceps verò ne cantûs ignorantiam aliquis prætexere poſſit, præſenti decreto præcipitur, ut poſtquam alicujus prebendæ in Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis poſſeſſionem obtinuerint, circa Eccleſiaſticum cantum ab Epiſcopo examinetur, & ſi fuerit imperitus, præcipiatur ei, ut intra ſex menſes addiſcere teneatur, ſub pœna decem aureorum fabricæ applicandorum. Quòd ſi negligens fuerit, pœnâ viginti aureorum, fabricæ etiam applicandorum admoneatur ut intra alios ſex menſes addiſcat. Quòd ſi adhuc negligens fuerit, gravioribus pœnis adversùs eum procedat Epiſcopus donec ſufficienter inſtructus ſit. Propter quod in ordinationibus clericorum in cantu diligenter promovendi examinentur, & quouſque didicerint, non admittantur.

DECRETUM XXI.

UT inter agendum ſacra officia purior ſit vox laudis, nec inutiles confabulationes adſtantium attentionem abducant, ſolicitè in choro ſilentium obſervetur: & ſi quis à præſidente admonitus ſilere contempſerit, illius horæ ſtipendio ſit privatus. Quòd ſi adhuc perſtiterit, gravior ei multa imponatur, quam nec ipſe præſidens nec capitulum remittere poſſit. At ne ſæcularium frequentia clericorum quietem impediat, nullus ſæcularis tempore divinorum officiorum choro interſit, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, exceptis iis, quibus eam facultatem Prælatus concedendam judicaverit.

DECRETUM XXII.

QUICUMQUE Beneficiatus Cathedralis Eccleſiæ aut Collegiatæ ſacris concionibus non interfuerit, nec Miſſæ nec proceſſionis diſtributiones illo die aſſignatas obtineat: nec illi qui ad gerenda in communi negotia deputantur, à divinis officiis exempti judicentur.

DECRETUM XXIII.

IN Miſſis, quæ majores appellantur, *Gloria in excelſis Deo*, *Credo*, (ſi dicenda ſunt) Præfatio, *Pater noſter*, ſemper in cantu dicantur; *Sanctus* verò, & *Agnus*, à choro, & organis alternè dici poterunt: nec aliter fieri permittatur, quacumque etiam cauſſâ ſuperveniente: & omnia divina officia, tam quæ pertinent ad Miſſas, quàm ad alias horas, in cantu dicantur in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, niſi tempore interdicti, & tunc in altari maximo & choro clauſis januis, & ſubmiſſa voce, juxta canonicas ſanctiones, celebrentur.

DECRETUM XXIV.

IN majoribus ſolennitatibus, Prælatus cum toto capitulo tempore offertorii in Miſſa majori à choro uſque ad altare ad offerendum procedat. Euntes verò atque redeuntes, & ſua loca, & debitum ordinem ſervent.

DECRETUM XXV.

FERIA quinta in cœna Domini omnes Dignitates & canonici, & quicunque Beneficiati, & Eccleſiæ miniſtri, etiam ſacerdotes, in majori Miſſa ſacrum Chriſti corpus de manu celebrantis ſuſcipiant: nec ſuper hoc cum aliquo ulla ratione diſpenſetur. Si quis verò contrà fecerit, omnes illius hebdomadæ diſtributiones amittat.

DECRETUM XXVI.

QUOTIESCUMQUE Beneficiati, & miniſtri Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiæ cum proceſſione fuerint progreſſi, eâdem ſolennitate ſervata ad Eccleſiam unde exierant revertantur, niſi Epiſcopus aliud viderit expedire.

DECRETUM XXVII.

QUI præſentium in choro rationes fuerit habiturus, coram Prælato, aut ejus vicario, ante omnia juret, quòd fideliter exequetur id officium, & quòd libellum rationum ſolicitè cuſtodiet, nec alicui oſtendet, aut capitulo exhibebit antequam rationes reddat: quibus redditis & ſignatis, in Eccleſiæ archivum inferatur. & ſi aliquando abeſſe

abeſſe contigerit, præfatum libellum ſubſtituto nullo modo committat, ſed talis ſubſtitutus in alio libello rationes deſcribat, præſtito priùs juramento ſupradicto modo : & cum primùm abſens fuerit reverſus, illi reddantur rationes in abſentia deſcriptę, ut in ſuum libellum transferantur. Nemo autem ad prædictum munus aſſumi poſſit, niſi clericus : nec poſtquam fuerit aſſumptus, abſque legitima cauſſa removeri poſſit. *Vide idem Pii V. diploma.*

DECRETUM XXVIII.

QUONIAM indecorum eſt, ut majores ordine minoribus ſubjiciantur, nullus in choro, ubi ſacerdotes fuerint, præſidere poſſit, niſi fuerit ſacerdotio conſecratus. *Vide ſæpè dictum diploma.*

DECRETUM XXIX.

HÆC autem omnia ad divinum altaris & chori cultum pertinentia, ita conſtituta eſſe intelligantur, ut ſi alicubi aliqua ex his fuerint diſpoſita ſub gravioribus pœnis, per hæc ſeveriori diſciplinæ nulla ex parte detractum ſit.

DECRETUM XXX.

SACRIS ordinibus initiatos tales ſe convenit exhibere, ut inania oblectamenta, & ſpectacula voluptuoſa ipſi deſpiciant. Quo fit, ut meritò presbyterorum quorundam, diaconorum, & ſubdiaconorum repreſſa ſacris Canonibus intemperantia ſit, qui non ſolùm theatrales ludos in Eccleſiis introducunt, verùm in aliquibus feſtivitatibus ſuæ etiam inſaniæ ludibria exercere preſumunt. Nulli igitur prædictorum liceat, mimum, joculatorem, aut hiſtrionem agere, ſive res profana agatur, ſive ſpiritualis. Quòd ſi quis contrà fecerit, ab Epiſcopo debitis pœnis Eccleſiis applicandis ita puniatur, ut decretum hoc piè inviolateque ſervetur.

DECRETUM XXXI.

QUONIAM paſtoralis ſolicitudinis eſt, ſedulò attendere ut paſcua bona, & puriſſimæ aquę commiſſis ovibus proponantur, ne in furtivis aquis, vel in abſcondito pane, qui ſuavior videri ſolet, aut mortiferum, aut noxium deliteſcat; hoc potiſſimùm tempore remedium aliquod apponendum fuit, quo mille nocendi artes impietas adinvenit. Nemini proinde, cujuſcumque ordinis, religionis, dignitatis, & conditionis ſit, liceat deinceps libellos, tractatus, colloquia aut vivendi formulas manu ſcriptas, ſi moralia, aut ſpiritualia documenta contineant, alicui legenda tradere, vel ab aliis accepta legere, aut retinere abſque proprii Epiſcopi, vel ejus, cui ipſe commiſerit, approbatione ac licentia in ſcriptis obtenta. Curent verò Epiſcopi, ut horum opuſculorum examen quàm citiſſimè fiat, & licentia gratis conferatur ſolius Epiſcopi vel ab eo deputati ſubſcriptione. Cavendum tamen eſt, ne dum noxia ſubtrahere intendunt, illa, quæ ad pios affectus excitandos, & ad vitam inſtruendam utilia eſſe poſſunt, pariter auferant. Si quis verò contra decreti hujus formam fecerit, in eum Epiſcopus pro tranſgreſſionis menſura judicium det.

DECRETUM XXXII.

PURIS fidelium auribus adeò inviſum eſſe debet hæreticorum nomen, qui adversùs fidei veritatem perfidas linguas exacuerunt, ut ſi fieri poſſit, numquam eorum memores ſimus per labia noſtra. Ea igitur cura divini verbi predicatoribus eſſe debet, ut fidei dogmata Chriſtiano populo neceſſaria luculenter proponant, ſtudioſè confirment Scripturarum teſtimoniis, Patrum ſententiis & rationibus pro vulgi captu interim adductis. Hæreticorum verò ſectas vel argumenta, quæ pro illis fiunt, nulla ratione in populari frequentia referantur, cùm hæc in addientium ſubverſionem, potiùs quàm ædificationem vergere compertum ſit, nec illorum execranda nomina commemorentur. In literariis quoque diſputationibus nulle aſſertiones erroneæ, aut periculoſæ, vel hæreſim redolentes, etiam diſputationis aut exercitii gratiâ aliquatenus interſerantur, ſed quæ juxta morem cujuſcumque Univerſitatis fuerint priùs approbatæ. In iis verò diſputationibus, quæ in preſentia imperitæ multitudinis haberi ſolent, argumenta adversùs fidei aſſertiones vulgari ſermone non admittantur, nec præſidens his argumentis, etiam Latino ſermone propoſitis, reſponderi ſinat, ante quàm publicè proteſtetur arguens, ſe Catholicam veritatem agnoſcere, & ut clarior certiorque fiat, argumenta contuliſſe. Diligenter quoque obſervandum eſt, ut ab iis diſputationibus, quibus fidei aſſertio examinanda eſt, non antea diſcedatur, quàm argumenta pro hæreticorum parte adducta plenè à preſide, vel ab aſſidentibus magiſtris & doctoribus diſſolvantur, & quid ab omnibus tenendum ſit, dilucidè fuerit propoſitum: & qui in his deliquiſſe inventi fuerint, ſuorum judicum debitę animadverſioni ſubjaceant. Quòd ſi illi neglexerint, per Epiſcopum, vel ejus vicarium de opportuno remedio provideatur. Si qua verò in Univerſitate, aut alibi, aliis etiam remediis huic morbo precautum & proviſum ſit, omnia ſimul (ſi ſit neceſſe) adhibeantur.

DECRETUM XXXIII.

PLURIMUM intereſt, quibus libris tenera puerorum ætas inſtituatur. Quare ſingulis puerorum magiſtris, & aliis qui hoc munus habuerint, vulgarium librorum index, quibus pueri erudiendi ſunt, ab Epiſcopo, vel ab aliis quos ipſe delegerit, exhibeatur eorum

rum manu ſubſcriptus. Sunt verò ii libri teneris annis permittendi, qui pietatem ſapiant, & mores componant, non qui inanibus fabulis, aut laſcivis narrationibus ætatem illam corrumpant. Porrò Chriſtianæ doctrinæ rudimenta nullus publicè docere permittatur, niſi examine prævio ſit etiam approbatus, & in ſcriptis & gratis licentiam obtineat: & ne quid horum negligatur, Epiſcopi & eorum officiales in ſuis viſitationibus hujus decreti rationem habeant.

DECRETUM XXXIV.

UT præbendæ, quas magiſtrales, aut doctorales, aut lectionis ſacræ Scripturæ vocant, conſultiùs conferantur, neque privatis affectibus locus ſit, publico & neceſſario edicto (quod intra quindecim dies à die certæ vacationis computandos neceſſariò affigatur) ad examen convocentur quicumque voluerint admitti. Affigentur autem edicta in Cathedrali Eccleſia aliiſq; publicis locis, & in Univerſitatibus Salmanticenſi, Complutenſi, & Valliſ-oletana, ut intra triginta dierum ſpatiũ compareant: neque prætextu cujuſque rationabilis cauſſæ præfixum tempus augeri poterit vel minui. Et quamvis per procuratorem alicujus abſentis oppoſitio fuerit admiſſa, nullus tamen ad electionem de eo faciendam admittatur, niſi ad examen præſcriptos actus publicè fecerit, aut morbo ſontico laboret, quem ſufficienti teſtimonio coram Epiſcopo, aut ejus vicario comprobare teneatur. Et quo ipſis electoribus plenior ſit ad digniorem eligendum libertas, nulli eorum liceat tempore illius vocationis munus aliquod à competitoribus, vel ab aliquo eorum nomine percipere, nec alicujus eorum partes agere, aut merita apud alios commendare. Nulli etiam petitorum liceat munera offerre, aut literas commendatitias afferre, aut vim metumve cuipiam electorum inferre. Quòd ſi aliquis de his ſufficientiſſimis probationibus fuerit infamatus, aut notabiliter ſuſpectus, Epiſcopus vel ejus vicarius in abſentia diligenter cauſſæ merita inquirat, & quem reum invenerit, pro illa vice inhabilem ad eligendum activè vel paſſivè declaret, aliàs cum ceteris admittat. Quòd ſi tempore dicti examinis aliquis ex electoribus carceri ſit addictus, omnibus actionibus competitorum & ipſi electioni liberè adeſſe permittatur, adhibita ſufficienti cuſtodia, ne ſuo jure ante ſententiam privetur. Quòd ſi excommunicatus ſit ab Epiſcopo vel ejus vicario, aliâve cenſurâ innodatus, à qua tamen Epiſcopus vel ejus vicarius abſolvere poſſit, ad effectum tantùm audiendi oppoſitores, aut ferendi in tali electione ſuffragium, ad reincidentiam Epiſcopus vel ejus vicarius eum abſolvant. *Vide prædictam Pii V. Bullam.*

DECRETUM XXXV.

QUI doctorali præbenda potitur, teneatur in omnibus negotiis ad Eccleſiam Cathedralem pertinentibus ſententiam ſuam verbo aut ſcripto, prout requiſitus fuerit, adferre, atque in eiſdem patrocinari. Ad idem teneatur in cauſſis quæ ad dignitatem Epiſcopalem ſpectant, dummodo inter capitulum & Epiſcopum non controvertantur. tunc enim ſuo capitulo adeſſe honeſtius erit. Erit etiam ſui muneris, cùm ab Epiſcopo, vel capitulo ad id requiſitus fuerit, judicem in ea civitate, ubi eſt Cathedralis Eccleſia, commorantem adire, de cauſſis & negotiis capituli vel Epiſcopi modo ſupradicto, verbo aut ſcripto, cùm opus fuerit, inſtruere, omni excuſatione remota: quod tamen urgenti neceſſitate injungi debet, atque hæc quidem omnia gratuitò. At qui magiſtralem, hoc eſt prædicatori aſſignatam obtinuerit, tenebitur omnibus iis diebus ſermonem habere ad populum, qui vel confirmatis ab Epiſcopo ſtatutis Eccleſiæ, vel antiqua conſuetudine jam ſunt præſcripti, & inſuper, quando ab Epiſcopo ob rationabilem cauſſam occurrentem in Eccleſia Cathedrali, ſeu in alia ejuſdem civitatis ipſi fuerit peculiariter injunctum.

DECRETUM XXXVI.

QUI ſacræ Scripturæ prælegendæ juxta formam Concilii Tridentini fuerit deputatus, teneatur omnibus profeſtis diebus lectionem publicè legere loco & tempore ab Epiſcopo deſignando. Illi verò ad legendum materiam ſingulis annis Epiſcopus aſſignet, quam utiliorem auditoribus judicaverit, dũmodo ſuper aliquo Scripturæ loco verſetur lectio, poterit ad morales caſus, ac dubia ſcholaſtica ſe interim convertere. Ne tamen in vacuum laborare contingat, & ubi non eſt auditus in caſum ſermo fundatur (quamquam ne hac quidem occaſione hujuſmodi lectio prætermittenda eſt) provideant Epiſcopi, ut clerici, ſive ad Cathedralem Eccleſiam, ſive ad alias pertineant, dictæ lectioni interſint, canonicis pœnis & cenſuris adhibitis, ſi opus eſſe judicaverint. Præfato etiam lectori ſua multa arbitrio Epiſcopi fabricæ Eccleſiæ Cathedralis applicanda, cùm officio deeſſe contigerit, inponatur, & ea cura viſitandi quotidie lectioni aſſignatum locum alicui fideli timorato viro committatur, cui moderatum ſtipendium ſive ex multis, ſive aliunde per Epiſcopum aſſignetur. *Vide Pii V. Breve.*

DECRETUM XXXVII.

QUONIAM pœnitentiarii munus ab officio viſitatoris ſive proviſoris diverſum eſt, nullus utrumque ſimul obtineat: ſed ſi proviſor, ſeu vicarius,

aut

aut visitator Episcopi fuerit in pœnitentiarium assumptus, teneatur intra duos menses à die obtentæ pacificæ possessionis dicto officio renunciare, alioquin eo tempore elapso, dicta prębenda ipso jure vacare censeatur, & inhabilis sit ut eam rursus obtinere possit.

DECRETUM XXXVIII.

AD pœnitentiariæ officium pertinet, omnibus ad se accedentibus, dubiorum & casuum in foro conscientiæ occurrentium verbo aut scripto, cùm rogatus fuerit, rationem reddere, & pœnitentium illius diœcesis, maximè ministrorum Cathedralis, confessiones audire, à casibus reservatis absolvere, juxta formam & facultatem, quam in his omnibus Episcopus scripto tradiderit, quam ipsi Episcopi concedere poterunt, gratis tamen & facilè. Quòd si facultatem dicto pœnitentiario etiam in scriptis aut quomodolibet concessam, aut stringere, aut penitùs auferre ipsi Episcopo visum fuerit, absque ulla exterioris judicii forma, aut strepitu limitare aut penitùs revocare possit.

DECRETUM XXXIX.

STATUITUR etiam præsenti decreto, ut quoties juris doctor verbo tantùm super aliquo negotio sententiam dicturus fuerit, duobus integris diebus, sin autem scripto, quatuor, ab Ecclesia sua possit abesse, & pro præsenti & intereſſenti computentur ad omnes horas, excepto majoris Missæ sacrificio, cui tenebitur adesse, nisi fortè illo eodem tempore Ecclesiæ causam agere oportuerit. Prædicatori liceat, quotiescumque sermonem habiturus est, per octo dies integros abesse, dum tamen Missæ majoris sacrificio adsit. Scripturę lector sive ante, vel post meridiem sit lectionem habiturus, omnibus pro præsenti & intereſſenti censeatur, dummodo Missæ primę aut majori adsit: mensibusque Julii, Augusti, & Septembris legere non teneatur: nec in aliis novem mensibus feriâ quintâ cujuslibet hebdomadæ, in qua festus dies non inciderit. Pœnitentiario quoque totum id tempus liberum sit quo audiendis confessionibus fuerit impeditus, juxta formam ei ab Episcopo prescriptam, & sicut à sancta Synodo Tridentina constitutum est.

DECRETUM XL.

NON solum Episcopum oportet esse doctorem, sed studiorum cultorem, ac bonarum literarum parentem, ut ignorantiæ tenebræ & à Cathedralibus Ecclesiis, & ab aliis suę diœcesis, quoad fieri poterit, procul depellantur, repleaturque terra scientia domini, quasi aquâ maris operientis. Quod ut faciliùs atque feliciùs obtineri possit, deinceps Episcopus his, qui de capitulo erunt, cum consilio capituli cæteris suæ diœcesis clericis suo arbitrio licentiam ad prosequenda studia conferat, sive in eadem civitate singulare studium, vel generale ibi fuerit, sive in aliqua Universitate ex iis quæ probatæ sunt. Poterit etiam & debet aliquando, quos dociles aut habiles adolescentes invenerit, ad prædicta studia compellere, cùm ei opportunum visum fuerit. Dicta vero licentia nec iis, qui tricesimum ætatis annum excesserint, nec ultra septennium concedatur. Et ut temporis ibi exacti ratio habeatur, pro uno tantùm anno licentia detur. in fine ejus teneantur dicti studentes testimonium Episcopo mittere, quo fideliter referatur & authenticè, ut fidem faciat se in tali Universitate illo anno perstitisse, studiis vacâsse, & libros ejus facultatis cui adscripti sunt, habuisse. Tunc pro sequenti anno licentiam gratis obtineant, atque ita consequentibus annis, donec septimus fuerit completus, quo peracto ad suas Ecclesias revertantur. *Vide Breve Pii V.*

DECRETUM XLI.

UT autem studentibus necessaria suppetant, præcipiat Episcopus, ut in Cathedrali Ecclesia tanquam præsentes habeantur, quotidianis distributionibus exceptis. Quòd si prębendarum præcipua, vel major pars ex quotidianis distributionibus obveniat, tunc Prælatus juxta juris dispositionem, certam aliquam dictæ præbendæ portionem iis studentibus assignare poterit, quam teneatur capitulum fideliter ac sine mora restituere, ne propter molestam recipiendi fructus dilationem, à suis studiis intempestivè revocentur. At si aliàs parochiale Beneficium, aut quodvis aliud obtinuerit, & necessario studio vacare intenderit, idoneus aliquis pro tempore studii judicio Prælati approbandus quæratur, & loco ejus interim sufficiatur, assignatâ ei præbendę portione, quam Prælatus congruam judicaverit: reliquos proventus studentes liberè percipiant. Cùm verò Prelato constiterit aliquos his favoribus abuti, vel alia rationabilis causa se obtulerit, his qui è capitulo erunt, cum capituli consilio, aliis suo arbitrio dictas licentias revocare, eosque ad proprias Ecclesias poterit transmittere, dum tamen studiosis ac proficientibus sua jura integra sint. *Vide Pii V. diploma.*

DECRETUM XLII.

ILLUD presenti decreto statutum ac declaratum sit, super scribendi formulis aut etiam modo decreta ipsa condendi & componendi, quibus in hoc Concilio Actiones omnes ordinatæ sunt, nullum prejudicium factum esse, aut inde futurum Illustrissimo ac Reverendissimo Metropolitano, sive ejus dignitati, vel Reverendissimis Episcopis comprovincialibus, & adjunctis, sive eorum dignitatibus; aut cuique eorum, qui aliter inscribendum vel aliis verbis & locutionibus aut modo decreta ipsa esse promulganda putaverit: sed omnium &

ſingulorum circa hæc jura & prerogativas ſalva & incolumia eſſe, neque præſentibus actibus infringi illa, aut derogari, vel abrogari.

Reverendiſſimi Patres, placent ne vobis?

Reſponderunt: Placent.

In quorum fidem infraſcripti Secretarii Concilii ſubſcripſimus.

Petrus Velleius Guevara Doctor.
Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius, & Secretarius Concilii.

QUÆ ad Prælatorum officium, quæque ad eorum ſuppellectilem, menſam, ac famulatum, tum etiam ad eorum miniſtros & tribunalia attinebant, nonnullaque alia, quæ Cathedrales Eccleſias, aut clerum tangebant, ea in tertiam poſtremamque Actionem, quo maturiori conſilio ac deliberatione conſtituerentur, rejecta ſunt: de quibus cùm omnes id unum contenderent, exemplum ſe ubique ſubditis præbere bonorum operum; poſt longum earum rerum tractatum hæc potiſſimùm digna viſa ſunt, quæ decerni deberent. Itaque indictâ ab Archiepiſcopo Actione ad quartum Kalend. Maji, id eſt, Dominicum diem, quo boni paſtoris munera Chriſti propoſito exemplo refert Eccleſia: conſtituto tempore Archiepiſcopus, Comite, Prælatiſque omnibus, & clero, ac populo frequentiſſimo illum comitantibus, ad Cathedralem venit Eccleſiam, ubi acceptis ab Epiſcopis pluvialibus & mitris, crucibusque pectoralibus, deductâ per Eccleſiæ clauſtrum proceſſione, ut & ſecunda Actione fuerat effectum, Miſſam Epiſcopus Aſtoricenſis celebravit, concionem verò ad populum Zamorenſis Præſul habuit luculentam, nihil prætermittens, quod ad expoſitionẽ Euangelii, vel ad propoſitionẽ decretorũ eâ Actione promulgandorũ poſſet pertinere. Miſsâ autem celebratâ, precibuſque eiſdem, atque eodem loco, ut in ſecunda Actione ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo habitis, Reverendiſſimus Epiſcopus Aſtoricenſis ex eadem ſede è qua verba fecerat Zamorenſis, infraſcripta decreta publicè, ut ab omnibus audiri poſſent, perlegit. Deinde Secretarii præſentibus Fiſcali aliiſque teſtibus, Epiſcopos interrogaverunt, an illis placerent quæ lecta fuerunt decreta? omneſque placere ſibi unanimes reſponderunt, excepto Mindonienſe, qui cùm infirmus decumberet, venire non potuit ad Eccleſiam.

ACTIO TERTIA
ET ULTIMA
IN CONCILIO PROVINCIALI
COMPOSTELLANO

Sub Gaſpare Archiepiſcopo Salmanticæ, & in eiuſdem urbis templo Cathedralis Eccleſiæ habita, die Dominica, quarto Kalend. Maji anno à Chriſto nato MDLXVI. indictione nona, ac ſanctiſſimi & domini noſtri Papæ Pii V. Pontificatûs anno primo, & Catholici ac invictiſſimi Regis noſtri Philippi II. regni anno decimo.

DECRETUM I.

QUÆ de reſidentia à Generali Concilio Tridentino declarata ſanctiſſimè & conſtituta ſunt, Prælatos, quos præeſſe in ſolicitudine jubet Apoſtolus, ita preſtare convenit, ut ipſorum reſidentiam ii quibus præſunt, frugiferam eſſe ſentiant & officioſam. Prædicent igitur, ſubjectos viſitent, ſacramentum pœnitentiæ aliaque Eccleſiæ ſacramenta (ſi neceſſe fuerit, aut id expedire cenſuerint) per ſeipſos adminiſtrent, actus Pontificales exerceant, examini ac probationi eorum, qui ſacris initiandi, quive ad Beneficia curata erunt promovendi adſint, horas certas ſtatuant & convenientes, quibus ſubditis ad eos liber aditus pateat, & ſaltem ſemel quolibet menſe ſuos carceres viſitent, & publicè cauſſas inferiorum (eorum maximè qui pauperes erunt) in judicio audiant, atque à proviſoribus aliiſque miniſtris, quid agatur, & quomodo res eant, inquirant diligenter. Denique in omnibus ſe tum judices æquos, tum patres indulgentes exhibeant ſicut Dei miniſtros.

DECRETUM II.

EPISCOPI, parochi, & alii quos prædicare verbum, curareque ut prædicetur ſacra Tridentina Synodus præcepit, quæcumque de hac re ſibi mandata ſunt, ſervent & exequantur. Futurum autem Provinciale Concilium, quam quiſque eorum perficiendo negotio adhibuerit diligentiam exquirat, & ſi quid deeſſe viderit, jubeat provideri. Illud quoque Prælati curent, ut & eis, qui in Eccleſiaſticis aut ſæcularibus carceribus detinebuntur, aliquoties Dei verbum denuncietur.

DE-

DECRETUM III.

CONGRUIT Epiſcopis, ut patrum nomini ex æquo reſpondeant, eſurientibus filiis panem benignè ac liberaliter frangere : & tum publicè ut cæteros inſtruant exemplo, tum etiam in abſcondito largè eleemoſynas indigentibus dare: quibus ſi quis viſcera clauſerit miſericordiæ, quomodo charitas Dei manet in eo ? Ut autem huic debito ſatisfaciant, certum miniſtrum habeant, ad quem pauperum omnium, maximè infirmorum, cura pertineat.

DECRETUM IV.

CUM per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam ab Eccleſiaſticis oportere oſtendi Tridentinæ Synodo viſum fuerit; Epiſcopi non ſolùm ſibi nihil permittant in veſtibus quod non conveniat illorum ſtatui, verùm illud quoque debere ſe præſtare ſentiant, ut ipſorum domeſtici ita ſe modeſtè induant, ut Pontificum decet familiares.

DECRETUM V.

CUM modeſta ſupellectili Generale Concilium, ex aliorum etiam Conciliorum ſententia Prælatos jubeat eſſe contentos ; pretioſis domorum ornamentis, ſplendidis, curioſis, vel profanis, ſcilicet lectis, tapetis, ſtragulis, auro argentoque plumatis, ſive telis, quibus intextum ſit aurum argentumve Epiſcopi non utantur. Quòd ſi quemquam illorum mandatum hoc fuiſſe prætergreſſum futura Provincialis Synodus judicaverit, præter amiſſionem rerum, in quibus deliquiſſe illum cenſuerit (quæ quidem ejuſdem Synodi arbitrio pio alicui uſui applicabuntur) in eum pro modo culpæ animadvertat. Cæterùm Pontificalibus ornamentis, eiſve, quæ altaris miniſterio, cultuique divino deſtinata erunt, nullus hoc loco modus præſcribitur.

DECRETUM VI.

FRUGALI victu quotidiano uti, cùm & naturâ ſaluberrimum, & ſacris teſtimoniis honeſtiſſimum eſſe probetur, Prælati eam menſis adhibeant parcimoniam, quam ab illis cuſtodiri, & plurima jam dudum Concilia, & nunc ſacra Synodus Tridentina jubet. Illud quoque provideant diligentiùs, ut aſſidua lectione potiùs, colloquiiſque moderatis ac doctis, quàm ſumptuoſa epularum & condimentorum varietate menſa ſemper referta ſit, otioſis hominibus & ſcurris abactis.

DECRETUM VII.

QUÆCUMQUE pecuniæ in Eccleſiaſtico foro pœnæ nomine Epiſcopali cameræ attributæ erunt, non ad privatas rationes & commoda referantur; ſed in pios uſus & impenſas in executionem juſtitiæ faciendas, idque Prælatorum arbitrio deinceps erogentur, quibus colligendis, Epiſcopi receptores conſtituant, qui ſibi, eive, cui ipſi mandaverint, accepti expenſique reddant rationem.

DECRETUM VIII.

IN collatione dignitatum aut præbendarum Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive alterius cujuſcumque Eccleſiaſtici Beneficii, etiã curati, nemo, ſive Prælatus ſit, ſive eo inferior, ratione tituli, aut inſtitutionis, vel inveſtituræ, vel poſſeſſionis, vel ſigilli, vel ſubſcriptionis, aut alia quacumque occaſione, quicquam exigere poſſit, aut recipere, non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ſeu Synodalibus conſtitutionibus: etiam ſi quod acceperint, ſoleant, ac velint piis in rebus & religioſis expendere. Quòd ſi laudabili conſuetudine, aut obſervata conſtitutione Synodali obventiones hujuſmodi vel earum pars fabricis Eccleſiarum, ſive alii operi pio fuerit applicata; quod ita debebitur, & reverâ perſolvi conſuevit, id prædictæ fabricæ, aliaque opera pia jure præfatæ conſtitutionis aut conſuetudinis poſſint percipere: Epiſcopis autem, ut dictum eſt, aut aliis inferioribus nihil conferatur: eorum tamen Notariis aut Secretariis, à quibus prædictorum inſtrumenta conficienda ſunt, mercedem habere laboris & aſſiſtentiæ permittitur, ſcilicet tres argenteos regales pro quovis titulo, & unum pro charta & cera ſigilli.

DECRETUM IX.

NON fiant dehinc exactiones illæ, quæ pro examinandis iis, qui apud Beneficium aliquod ſervituri ſunt, vel pro licentia adminiſtrandi Beneficium, aut pro facultate cantandi vel celebrandi Miſſam, ſive ut caſibus à jure permiſſis bis in die poſſit quis Miſſam celebrare, aut pro erectione Beneficii Eccleſiæ vel cappellæ, aut translatione defuncti, vel Eccleſiæ, à Prælatis quibuſdam fieri conſueverunt.

DECRETUM X.

PRO ſepulturis ipſis, aut pro facultate ut aperiantur, ſive ratione ſubſcriptionis, ſive alia quavis occaſione, Epiſcopi aliique inferiores nihil omnino percipiant, etiam ſi quæ inde veniunt, piè ſoleant & religioſè diſtribuere, non obſtantibus quibuſcumque conſue-

ſuetudinibus,etiam immemorabilibus, aut conſtitutionibus Synodalibus, quibus talia illis jura concedantur. Si verò laudabili conſuetudine vel conſtitutione aliqua Synodali ſpirituræ gratiâ dari quicquam fabricæ Eccleſiæ piove alicui uſui conſuetum eſt, piæ conſuetudines hæ, & religioſa hæc jura obſerventur, fabriciſque ſupradictis & operibus piis in his integra ſint quæ hactenus habere conſueverunt,

DECRETUM XI.

HOSPITIA præbere, niſi viſitationis tempore,Epiſcopi clericos non poſſint compellere.

DECRETUM XII.

EPISCOPI erga domeſticos curam in hoc potiſſimùm verſari convenit, probis ut moribus & religione commendentur. Habeat quoque Prælatus grammaticum literis & virtute præditum, ac docendo aptum, à quo pueri & Eccleſiaſtici homines, qui in ejus erunt famulatu, doceantur.

DECRETUM XIII.

DECET Epiſcopos jura illa dignitatis, quæ tot ſummorum Pontificum, ac Regum beneficiis & privilegiis, tum & pia devotione fidelium tam aucta acceperunt, omnibus viribus ſuſtentare: quod minus difficile obtinebunt, ſi ſcripturas omnes ad ſuam dignitatem pertinentes ſolicitè conquirant, & renovatis, atque factis authenticis, quas renovare opus erit & comprobare, peculiari archivo tribus clavibus obſignato includant. Unde quaſi è præſentiſſimo promptuario, finem litibus, & ſibi Chriſtianum otium ad majora negotia obeunda poſſint depromere. Archivum autem ipſum ubi manere oporteat, & claves quis habituru s ſit, vivente Epiſcopo, aut etiam ſede vacante, ad Epiſcopi ipſius curam pertinebit, à quo ſi hæc proviſa non erunt, claves quidem à vicariis & viſitatoribus de mortui, aut illis abſentibus, à Prælatis monaſteriorum ordinum antiquiorum religioſorum obſervantium qui in eadem civitate erunt, ita habeantur ſede vacante, ut non unus omnes, ſed ſinguli ſervent ſingulas. archivum verò apud vetuſtioris inſtituti religioſos obſervantes interim deponatur, dum novus Epiſcopus quid ſit agendum decernat.

DECRETUM XIV.

QUÆ legitimâ Eccleſiarum Cathedralium ſtatuta, laudabileſque conſuetudines (adhibita ad id, ſi opus fuerit, à Prælato inquiſitione) vigere probabuntur, Epiſcopus intra ſex menſes, aut plus eo,ejuſdem arbitrio, cum conſilio quatuor ad ſummum Beneficiatorum Eccleſiæ Cathedralis à capitulo electorum ordinet & componat, ac proponat impreſſa: illud etiam decernens, ut fides eis & auctoritas habeatur; cæteris quæ non ex eo libro recitabuntur, derogetur: Beneficiatis autem ſingulis, ubi primum recepti fuerint, ſingula præſententur volumina, quæ illi abſcedentes ab Eccleſia, vel de vitâ decedentes reſtituere teneantur. *Vide dictum Breve.*

DECRETUM XV.

CUM à nonnullis Epiſcopis Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, non quæ Jeſu Chriſti, ſed alienas oves quærentibus, multa plerumque indignè fieri ſacrum Tridentinum Concilium commemoret; curent Epiſcopi, ut cùm in caſibus à jure & ſacro Concilio permiſſis aliquorum titularium Epiſcoporum operâ uti voluerint, bonis eos moribus, & literatura, ſufficienti probatione commendatos, idoneoſque magis Pontificalibus actibus eligant perficiendis: atque ex his, qui poſthac hujuſmodi creabuntur,ratione literarum in aliqua Univerſitate graduatos, aut ſi religioſi fuerint, juxta Concilii Generalis formam approbatos. Titulares verò ipſi pontificalia exercentes, nihilque præter ſalarium, quod illis Epiſcopi de ſuo dederint, accipientes, Concilium ubique ſervent Tridentinum.

DECRETUM XVI.

QUI proviſores vel vicarii deinceps erunt creandi, intra ſex menſes à die ſuſceptæ adminiſtrationis, doctoris vel licentiati gradum (ſi tales non erunt) in aliqua publica Univerſitate, ratione literarum conſequantur. atque ſi ordinati non fuerint, intra annum ordinem ſacrum ſuſcipiant. Viſitatores autem presbyteri jam, & ut minimum, baccalaurei deſignentur.

DECRETUM XVII.

PROVISORES, vicarii, viſitatores, & alii judices Eccleſiaſtici ex multis quas in foro Eccleſiaſtico irrogaverint, nullam ſibi partem poſſint vendicare,immo ſi qua pars illis conſtitutione aut conſuetudine, etiam immemorabili, aliove jure applicata erit, piis uſibus cedat,arbitrio Epiſcoporum, à quibus prædictis aliiſque miniſtris, talia ſunt ſtipendia decernenda, ut & liberè atque integrè judicare, & ſuſceptum negotium gerere poſſint incorruptè.

DECRETUM XVIII.

MUNUS, donumve proviſores, vicarii, viſitatores, fiſcales, notarii, cæterique miniſtri Eccleſiaſtici non accipiant. Si contrà fecerint,gravibus pœnis à Prælatis puniantur.

DE-

DECRETUM XIX.

EPISCOPI per ſe vel per alios, quibus hoc opus delegaverint, ad minus quolibet triennio, proviſores viſitatoreſque (ab adminiſtratione officiorum triginta ſolùm diebus ſuſpenſos, etiam ſi tardiùs ferenda ſententia ſit) viſitent diligenter; alios autem miniſtros ſyndicatum reddere diſtrictè compellant. Quòd ſi quis ex prædictis ante triennium vel ſponte ſe officio exonerare velit, vel à ſuperiore deponere officium juſſus fuerit, muneris adminiſtrati ratio tunc quoque ab eodem exigatur.

DECRETUM XX.

ADVERSUS ejuſdem criminis reos (quãtum commodè fieri poterit) unicus proceſſus fiat, atque ejus expenſæ non à quovis eorum in ſolidum, ſed à ſingulis pro rata parte repetantur.

DECRETUM XXI.

NOVUM opus faciendum, quodcunque illud ſit, quod ad Eccleſias pertineat, dare locareve nemo poſſit, niſi Epiſcopus, aut is cui Epiſcopus mandaverit. *Vide dictam diploma.*

DECRETUM XXII.

FISCALES dehinc, qui ſacris initiati ſint, conſtituantur: aut certè poſtquam conſtituti fuerint, intra annum initientur.

DECRETUM XXIII.

PROBATIONES criminum ſive informationes, fiſcales aut notarii abſque ſpeciali commiſſione judicis competentis facere non poſſint. Fiſcalis præterea deferre cujuſpiam nomen non poſſit, niſi precedente informatione, nec niſi eâdem visâ primùm & lectâ, ejus accuſationem judex admittat. *Vide Pii V. diploma.*

DECRETUM XXIV.

TRIBUNALIUM Eccleſiaſticorum notariæ ab his, ad quos earum proviſio pertinet, aut ab illis, quibus datę dehinc fuerint vel proviſæ, nec vendi nec locari ullo modo poſſint. Si ſecus factum fuerit, emptor vel conductor officio, venditor aut locator pecuniâ ipſo jure privati ſint. Qui autem nunc eas ad vitam poſſident, ſemel dumtaxat (modò gratis faciant, & in idoneorum favorem) renunciare poſſint, idque ita effici Epiſcopi permittant. Sciant verò hi, quibus ratione hujus reſignationis hæc dabuntur officia, ſe nec vendituros, nec locaturos, & libera voluntate conferentium amovendos, juxta ea quę hoc decreto & ſequenti præcipiuntur.

DECRETUM XXV.

NOTARIORUM Eccleſiaſticorũ officia, quantumvis hactenus perpetua fuiſſe conſtabunt, deinceps tamen cum vacaverint, ſive per obitum, ſive per reſignationem, ſive alio quocunque modo vacatio contingat; amoveri, ac provideri libera voluntate poſſint eorum, quorum erit illa providere: atque in eo tribunali, ubi plures notarii erunt (ſi commodè fieri poterit) ſaltem unum ex his officium habenti ordinem ſacrum conferatur.

DECRETUM XXVI.

ILLUD quoque procurent Epiſcopi cùm Tridentinum Concilium exequentes notariorum ſufficientiam ſcrutabuntur, ut iis tantùm, quos vitâ, moribus, & aliis ad id munus obeundum neceſſariis inſtructos eſſe repererint, quorumque domicilium indagaverint, exercendi officii uſum permittant, & Latina prohibeant tractare eos qui Latinè neſciant. Abſque prædicto autem Epiſcopali examine ac probatione nemini hujuſmodi officio fungi liceat.

DECRETUM XXVII.

NOTARII fori Eccleſiaſtici, niſi, quę à litigantibus acceperint, & ſingillatim poſt unumquemque actum, & omnia ſimul ad finem proceſsûs conſcripſerint, quæcumque recepiſſe probabuntur, duplicata reſtituere piis uſibus applicanda compellantur. Si quis verò eorum, expenſarum titulo ampliùs debito probabitur percepiſſe, quadrupli pœnam ſubeat, ex qua litigatoribus quod præter jus ab illis fuerat exactum, refundatur; reliquum piis detur operibus: atque utroque caſu, Prælatus, prout jus eſſe viderit, puniat delinquentes. Cæterùm notarii ipſi, quid ſibi debeatur, nominatim pronuncient litigantibus, nec id in eorum manu, aut liberalitate ponant.

DECRETUM XXVIII.

QUOCUMQUE modo notariatûs officium tribunalium Eccleſiaſticorum ad alterum perveniat, primùm protocolla, ſive regeſta omnium quæ coram ſe acta erunt, ſucceſſori tradat, priùs tamen eorum authentico inventario facto, quod in Epiſcopi archivo collocetur: atque ita ſe facturos prædicti notarii, cùm officii titulus ſibi dabitur, jurent: eâque conditione illis conferantur officia, atque ab illis acceptentur. Secretarii quoque Epiſcoporum, utcunque officium depoſuerint, nemini regiſtra dent eorum quæ ab ipſis ut ſecretariis facta erunt, ſed in prędicto Prælati ponant archivo.

DECRETUM XXIX.

MINORES viginti duobus annis notarios Epiſcopi non creent.

DECRETUM XXX.

RECEPTORES teſtium & probationum (quos quidem poſthac à notariis nominari non liceat) aliorum criminum non quærant informationes, quàm eorum, quorum cauſsâ miſſi ſunt, nec illis commiſſiones generales, aut non expreſſis de quibus debeant inquirere, ullo pacto concedantur. Si quis eas judex ſubſcripſerit, pro ſingulis ſex nummos aureos, ducatos ſcilicet, ſolvat fabricæ Eccleſiæ Cathedralis & piis operibus ab Epiſcopo nominandis. Præterea cùm ex officio judex de delicto aliquo cognoverit, qui recipiendis probationibus deſtinabitur nihil expenſi nomine poſſit à litigantibus exigere, donec à judice taxatum fuerit ac pronunciatum, quantum, & à quibus debeat percipere. Similiterque cùm illi commiſſio dabitur adversùs plures, ſive ejuſdem negotii participes, ſive diverſorum, judex etiam debebit æſtimare quid ille ab omnibus pro rata habeat, neque pati à ſingulis integrum ſalarium extorqueri.

DECRETUM XXXI.

IN Eccleſiis ubi doctoralis, magiſtralis, lectoralis, vel pœnitentiaria præbenda, aut quævis earum ex ſummorum Pontificum diplomatibus atque indultis, & Generalis Concilii decretis nondum conſtituta fuerit & deputata, quæ primò vacaverit vel vacaverint, juxta prædicta diplomata & indulta, atque decreta, ad eum uſum conſtituantur ac deputentur.

DECRETUM XXXII.

CUM in Eccleſiis Cathedralibus hujus provinciæ, atque adjunctis, præbenda pœnitentiario, quæ deinceps vacaverit, conferenda erit, priùs triginta dierum publicis edictis in Univerſitatibus Salmantina, Complutenſi, & Pinciana propoſitis, nulla verò ratione prorogandis aut breviandis, ſi qui eam petere voluerint, convocentur. Quicumque autem acceſſerint, literaturæ, & aliarum qualitatum examine probentur.

DECRETUM XXXIII.

QUOD ſancta Tridentina Synodus in provinciis ubi id fieri poterit, archidiaconos omnes præcipit, alias autem dignitates, & ſaltem dimidiam canonicorum partem Cathedralium Eccleſiarum & Collegiatarum inſignium, ubi commodè fieri poterit, doctores, vel magiſtros, aut licentiatos in Theologia, vel Jure canonico hortatur inſtitui, id quandoquidem in hac provincia fieri poſſe, & id quidem commodè declaratur, ut Generalis Concilii juſſa hortatuſque perficiantur, poſthac in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, archidiaconatus quicumque cæteræque dignitates, & dimidia pars canonicatuum ab his, ad quos proviſio & collatio pertinet, tantùm doctoribus, aut magiſtris, vel licentiatis in Theologia vel Jure canonico conferantur: atque canonicatus quidem hoc ordine, ut qui primò vacaverit, graduato alicui, ut dictum eſt, provideatur: qui ſecundò, eo modo detur, quo antehac fieri conſuevit: rurſus, qui tertiò, graduato iterum, atque ita viciſſim, donec dimidia dumtaxat pars canonicatuum qui in ea Eccleſia erunt, prædictam gradûs qualitatem habentibus collata ſit: eâ tamen lege, ut, qui ſemel canonicatus doctori vel magiſtro aut licentiato proviſus fuerit, quocumque modo iterum vacaverit, niſi doctori itidem, magiſtro, aut licentiato non provideatur; ſed archidiaconatus omnes, atque omnes dignitates, & ut dictum eſt, dimidia pars canonicatuum, ut graduatis perpetuò conferantur, affecta ſint. Quos quidem gradus in publicis horum regnorum Univerſitatibus, vel aliis, quæ licèt extra hæc regna ſint, in his tamen regnis approbantur, idque ratione literarum, & prævio ſevero examine obtinuiſſe illos opus ſit, qui ad hæc erunt Beneficia promovendi.

DECRETUM XXXIV.

RESIDENTIA dignitatum, quæ dehinc à ſancto Concilio Tridentino reſidere præcipiuntur, eo tempore anni incipiat, quo cæterarum dignitatum & canonicorum, qui in eiſdem Eccleſiis erunt, incœperit reſidentia.

DECRETUM XXXV.

PRIMIS ſingulorum menſium ſecundis feriis, aut ſi dies is feſtus celebrabitur, eo die, qui proximè feſtus non erit, in Eccleſiis Cathedralibus capitulum ſpirituale convocetur, in quo ea ſolùm quæ de altaris & chori, cæterarumque rerum ſpiritualium miniſterio conſtituta ſunt, recitentur. Epiſcopi autem cùm gravioribus occupationibus vacui erunt, aut id convenire putaverint, his aliiſque capitulis interſint.

DECRETUM XXXVI.

DIE corporis Chriſti nulla proceſſio publica aut privata in monaſterio ullo religioſorum, aut ulla parochia fiat; ſed illa ſolùm quæ generaliter à populo fieri ſolet, ad quam religioſi quicumque ex Synodi Tridentinæ decreto ad proceſſiones generales accerſiri poſſunt, advocentur, vocatique accedere teneantur.

DE-

DECRETUM XXXVII.

MONEANT Episcopi parochos, immò adhibita severitate compellant, ut juvandis confortandisque morientibus sedulam operam dent. Congruit enim illorum ministerio, extremè laborantibus suis, & adversùs communem hostem adeò periculosè decertantibus adesse.

DECRETUM XXXVIII.

DIEBUS Dominicis, & festivis, aliisque, quibus ex necessitate pro populo Missa celebranda est, illud debet inviolabiliter observari, ut Missa major de eadem die, ac pro populo celebretur, nec ea defuncti alicujus tumulandi occasione, aut propter votivas Missas & peculiares prætermittatur.

DECRETUM XXXIX.

PAROCHI funera parochianorum domo in sepulcrum deducere teneantur. Religiosi verò apud se humandum cadaver suscepturi ultra monasterii portam vel cœmeterium crucem ferentes non procedant.

DECRETUM XL.

SUPPLICATIONIBUS publicis sive litaniis, aliisque processionibus, quæ pro devotione in oppidis, aut extra oppida fieri solent, aut vigiliis, quæ ad divorum templa, vel eremitoria devotionis causâ suscipiuntur, comessationes plerumque intemperatissimæ, & perpotationes miscentur, profanaque alia & pernicioſa exempla, quæ à tam piis rebus ac sanctis arceri procul debent & amandari. Proinde Episcopi quàm maximâ poterunt curâ & solicitudine, adhibitis etiam ad id censuris & pœnis, hos abusus & quoscumque alios in his esse senserint, vitari curent & extirpari, utque in prædictis processionibus aut vigiliis piè & sanctè omnia peragantur, provideant diligenter.

DECRETUM XLI.

EXECRABILIS eorum cupiditas, qui præsentando, nominando, instituendo, renunciando, aut in Beneficiis alios introducendo, à quibus fructus, vel fructuum partem percipiant, tamquam ab sponte dantibus, vel aliis quibuscumque artibus Ecclesiastica bona per suppositas & subſtitutas personas usurpare nituntur, omnibus modis coërcenda est. Quæcumque igitur de re hac à sacro Concilio Tridentino constituta sunt, ea Prælati severè ac diligenter exequantur, atque in singulis diœcesanis Synodis, aliisque temporibus ac locis quibus sibi videbitur, publicari faciant & declarari populo.

DECRETUM XLII.

AD provinciale Concilium clerus eum mittere procuratorem possit, quē magis è re sua esse putaverit, cui pecuniam quidem propter salarium, propterque impensas in negotium factas clerus ipse persolvat. Imponendi verò eam, & exequendi ratio pertineat ad Episcopum.

SECRETARII verò Concilii cum fiscali, ac aliis, interrogaverunt Illustrissimum Archiepiscopum, & omnes Reverendissimos Patres, placerentne eis decreta? & omnes responderunt: Placent. Et statim cantores incœperunt, & prosequuti sunt usque ad finem, *Te Deum laudamus*, omnibus genibus flexis adstantibus. Quo finito, Archiepiscopus sedens in medio altaris, indutus cruce pectorali, pluviali, ac mitra, dixit altâ voce: Reverendissimi Patres, finitum est Concilium Provinciale Compostellanum: Ite in pace. Vosque Reverendi procuratores Ecclesiarum, ite cum benedictione Domini, eâdem super omnes missâ. Atque inta intra paucos dies omnes recesserunt in Domino ad suas Ecclesias.

Gaspar Archiepiscopus Compostellanus.
Joannes Æmilianus Episcopus Legionensis.
Petrus Ponce de Leon Episcopus Placentinus.
Didacus Sarmiento de Sotomayor Episcopus Astoricensis.
Hieronymus de Velasco Episcopus Ovetensis, Comes de Norueña.
Petrus Gonçalez de Mendoça Episcopus Salmanticensis.
Alvarus de Mendoça Episcopus Abulensis.
Franciscus Delgado Episcopus Lucensis.
Joannes de Ribera Episcopus Pacensis.
Didacus de Tor-quemada Episcopus Tudensis.
Jacobus Simancas Episcopus Civitatensis.
Joannes Manuel Episcopus Zamorensis.
Ferdinandus Tricio Episcopus Aurensis.

In quorum fidem infrascripti secretarii Concilii subscripsimus.

Petrus Vellejus Guevara Doctor.
Antonius Alguibar Apostolicus Notarius, & Secretarius Concilii.

BREVE
PII PAPAE V.

Super confirmatione concordiæ, ac declaratione aliorum decretorum Concilii Provincialis Compoſtellani, ultimo loco celebrati.

NICOLAUS Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus Patavinus, Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Gregorii divinâ providentiâ Papæ XIII. ſanctæque ſedis Apoſtolicæ cum poteſtate Legati de latere in Regnis Hiſpaniarum Nuncius. Univerſis præſentes inſpecturis & audituris, notum facimus, nos nuper vidiſſe, & diligenter inſpexiſſe, literas Apoſtolicas felicis recordationis Pii Papæ V. in forma Brevis, ſub annulo Piſcatoris ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte ſuſpectas, tenoris ſubſequentis, videlicet:

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX ſolita Sedis Apoſtolicæ clementia, ad ea libenter intendimus, per quæ inter Prælatos Eccleſiaſticos, & illorum Eccleſiarum capitula, ac alias perſonas Eccleſiaſticas, paci & quieti opportunè conſulitur, ac iis, quæ propterea facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuò & illibata perſiſtant, favorabiliter, cùm à nobis petitur, Apoſtolici adjicimus muniminis firmitatem. Cùm itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilium fratrum Archiepiſcopi Compoſtellani Metropolitani, & aliorum Coëpiſcoporum ſuorum, & dilectorum filiorum Capitulorum Eccleſiarum provinciæ Compoſtellanæ petitio continebat, ipſa Capitula prætenderent gravari ex nonnullis decretis factis in Concilio Provinciali Compoſtellano; ac ſuper hoc contentio & diſcordia inter ipſa Capitula, & eorum Metropolitanum, & Coëpiſcopos orta eſſent, venerabilis frater Archiepiſcopus Roſſanenſis noſter, & eiuſdem ſedis in Hiſpaniis Nuncius, ad diſcordias hujuſmodi ſedandas, ut inter Prælatos Eccleſiarum earumque Capitula hujuſmodi pax & unio vigeret, Metropolitanum, & Epiſcopos, & Capitulares perſonas ſuper decretis Concilii Provincialis hujuſmodi, juxta formam & tenorem capitulorum infraſcriptorum, ſub noſtro & dictæ ſedis beneplacito ad concordiam reduxerit, quæ amicabiliter & abſque aliquo diſcrimine facti, per prædictos Prælatos & Capitula hujuſmodi acceptata fuit. quorum capitulorum tenor ſequitur, videlicet: Primò quòd in quolibet decreto, in quo de punitione & pœna contra aliquem ex capitularibus agitur, in Eccleſiis, in quibus Capitula exemptionem habere ſolita ſunt, intelligeretur juxta diſpoſitionem & modum Concilii Tridentini cap. 6. Seſſ. 25. Item in ſeptimo capite ſecundæ Actionis, ubi habetur, quòd ſemel tantùm in hebdomada fieret capitulum, congruum eſſet, ut concederetur bis fieri, & nihilominus ita declaretur, ut non cenſeatur excluſus caſus neceſſitatis ſeu utilitatis Eccleſiæ. Item in nono & decimo capitibus Actionis hujuſmodi, ubi habetur, quòd actus & repræſentationes, quæ fieri ſolent in proceſſionibus, fiant loco & tempore ab Epiſcopo ſeu ejus vicario deſignandis, quandoquidem harum rerum ordinatio videtur ad Capitulum, ſaltem ex antiqua conſuetudine pertinere; quod concordat cum Concilio Tridentino hujuſmodi capite 6. §. Cæteris autem, eâdem Seſſione 25. declaratum cenſeatur, ut ſi Epiſcopus præſens foret, ipſe diſponat, ſi verò abſens, Capitulum juxta laudabilem ejus conſuetudinem ordinet & diſponat. Item in 17. capite dictæ Actionis, ubi diſponitur, quòd proventus omnes dierum ibi deſcriptorum ſint diſtributiones quotidianæ, admittendum videtur decretum, declarando hac lege intelligi, ut diſtributiones totius anni iſtis computatis, tertiam partem omnium fructuum

ctum non excedant, ita ut ſervetur prorſus diſpoſitio ipſius Concilii Tridentini, & non excedatur. Et in eodem capite 17. *ubi cavetur, quòd nulla admittatur excuſatio, etiam infirmitatis; quia videtur quodammodo inhumanum, declarari poteſt, infirmitatis excuſationem non excludi, ſi vera ſit, & fide medicorum cum juramento approbata. Item in* 18. *capite ejuſdem Actionis, ubi ii quibus aſſignata ſunt officia in hebdomada facienda, excuſari nullatenus poſſint, niſi cauſſâ infirmitatis, aliàs totius hebdomadæ diſtributiones amittant, &c. declarari deſideratur, non excludi aliam veram, juſtam, vel rationabilem cauſſam, quo caſu ſubſtituere alium ſuis expenſis poſſit & debeat, qui ſit ſui gradus & ordinis. Item in* 27. *capite ejuſdem Seſſionis, ubi ſtatuitur, ut is, qui præſentium in choro rationem habet (quem* Punctador *vulgò appellant) librum punctorum hujuſmodi alicui non oſtendat, &c. declaretur, id civili modo intelligi debere, videlicet, librum oſtendere, vel alteri legere poſſe, ſi voluerit, non tamen illum tradere, vel apud aliquem deponere, ſed ſolùm in archivo, ut ibi dicitur. Item in eodem* 27. *capite, ubi dicitur, quòd aſſumptus ad dictum munus, ſine legitima cauſſa removeri non poſſit, declarandum, non propterea intelligi eum creatum eſſe ad vitam, ſed ad tempus, non tamen ad minus quàm biennium, quo tranſacto, non poſſit confirmari, neque de novo eligi, niſi elapſo alio biennio. Item in eodem* 27. *capite, ubi dicitur, eum debere eſſe clericum, id intelligi debeat, de clerico in ſacris conſtituto. Item* 28. *cap. ejuſdem Actionis, ubi ſacerdos in choro præſidere mandatur, ſi anteriores ſacerdotes non ſint, &c. declaretur, intelligi inter pares, videlicet, inter dignitates is præſideat, qui ſit ſacerdos, abſentibus dignitatibus, ex canonicis is præſideat, qui ſit ſacerdos: ne fortè ordo Eccleſiarum & dignitatum confundatur. Item in* 34. *capite ejuſdem Actionis, ubi dicitur, quòd Epiſcopus ſolus, ſeu ejus vicarius, declaret & judicet inhabiles electores, & eligendos ad doctoralem, & magiſtralem præbendam, ſeu lectionem ſacræ Scripturæ, &c. declaretur, quòd Epiſcopus, vel ejus vicarius generalis, id faciat circa eligendum, procedendo, & pronunciando ſimul cum capitulo, ubi talis eſt conſuetudo. Sicut enim eligendorum electio ad capitulum unà cũ Epiſcopo pertinet, ita etiam inhabilium cognitio communis eſſe debeat. Quò verò ad vota eligentium & ad eorum inhabilitatem, recuſationem, ſeu voti privationem, ſervetur juriſdictio, ſeu conſuetudo uniuscujuſque Eccleſiæ. Item in* 36. *capite ipſius Actionis, ubi cavetur, quòd deputatus ad legendum ſacram Scripturam, legere debeat tempore & loco, ac materiam ab Epiſcopo deſignandam, &c. declaretur, id fieri ſaltem de conſilio Capituli. Nam cùm id priùs ad Capitulum ſpectaret, non debet hoc decreto prorſus excludi. Item in* XL. *&* XLI. *capitibus præfatæ Actionis, ubi diſponitur, quòd Epiſcopus det licentiam capitularibus aptis, ut literarum ſtudiis incumbant, eis providendo de neceſſariis ad victum &c. in Eccleſiis, in quibus conſuetudo antiqua eſt, ut etiam Capitulum hanc facultatem concedere poſſit; non intelligatur, hoc decreto hanc Capituli facultatem ſublatam eſſe. Modus autem ibi aſſignatus, etiam à Capitulo ſervetur. Item in* 14. *capite tertiæ Actionis, ubi dicitur quòd Epiſcopus ſtatuta, laudabileſque conſuetudines Eccleſiæ in unum librum redigat, & imprimi mandet cum conſilio quatuor de Capitulo, decernens illis fidem tantùm adhiberi, cæteris ſtatutis & conſuetudinibus idem Epiſcopus deroget &c. intelligantur omnia de conſenſu illorum quatuor à capitulo electorum. Item in* 21. *cap. dictæ tertiæ Actionis, ubi dicitur quòd ſolus Epiſcopus dare aut locare poſſit quodcumque opus novum in Eccleſia faciendum &c. quia omnia, quæ pertinent ad fabricam Eccleſiæ, præcipuè ad Capitulum ſpectant, & eorum eſt hoc munus; declaretur, decretum intelligi in aliis Eccleſiis, quàm Cathedralibus. Item in* 33. *capite ejuſdem tertiæ Actionis, ubi cavetur quòd dignitates omnes, & dimidia pars canonicorum ſit graduatorum in ſacra pagina, vel Jure canonico, juxta decretum ipſius Conc. Trid. &c. declaretur, intelligi citra præjudicium optionum, & optandi conſuetudinis legitimè præſcriptæ, vel à ſede Apoſtolica confirmatæ. quod declarationi & voluntati Sanctiſſimi Domini noſtri relinquatur, qua omnia præfata in capitulis dictæ concordiæ, ſuper celebratione hujuſmodi confactis, pleniùs contineri dicuntur. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Metropolitanus, Epiſcopi, & Capitula prædicta, cupiant declarationes hujuſmodi in dictis capitibus factas, pro illarum ſubſiſtentia firmiori noſtro, & dictæ ſedis munimine roborari, ſupplicari nobis fecerunt humiliter, quatenus declarationes hujuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmare, & nonnulla etiam declarare, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur inter fideles quoslibet, præſertim perſonas Eccleſiaſticas, pacem & concordiam vigere, ſinceris affectibus exoptantes, ac Metropolitanum, Epiſcopos, & Capitula hujuſmodi ac eorum ſingulos, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliis q; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam & declarationes præfatas, & omnia & ſingula in eis contenta quæcumque Apoſtolica auctoritate præfata, per præſentes confirmamus. Declarantes difficultatem optionis nobis remiſſam, tunc dictæ optioni locum eſſe debere eo modo & tempore, quo illi ante hujuſmodi Concilium locus erat, & non aliàs. ſicque dictis concordiæ & declarationibus, noſtræ approbationis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, eaque valida & efficacia exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & per Metropolitanum, Epiſcopos, & Capitula Eccleſiarum provinciæ Compoſtellanæ prædictæ, ac eorum ſingulos, illorumque ſucceſſores, perpetuò inviolabiliter & firmiter obſervari debere, illoſque ullo unquam tempore ab illis reſilire aut reclamare non poſſe, ſed ad omnium & ſingulorum præmiſſorum veram obſervationem teneri, & efficaciter obligatos exiſtere, ac ad id ſententiis & cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis pœnis, cogi & compelli poſſe per Epiſcopos præfatos. ſicque per quoſcumque judices, & commiſſarios, ac etiam cauſſarum Pa-*

latii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & interpretari debere. Irritum quoque & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, omnesq; & ſingulos facti & juris defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem ſupplemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictarum Eccleſiarum, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Eccleſiis, illarumque Epiſcopis, & Capitulis præfatis, ac quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſis, & approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Cæterùm quia difficile foret, eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus & declaramus, quòd earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici munitis, eadem prorſus fides ubicumque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Octobris M D LXIX. Pontificatûs noſtri anno quarto.

Cæſar Glorierius.

ET quia difficile foret, dictas literas Apoſtolicas ad ſingula quęque loca deferri, ideo illas imprimi mandavimus, volentes & declarantes, quòd illarum tranſumptis impreſſis, ac manu noſtra ſubſcriptis, noſtroque ſigillo munitis, vel ſaltem manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę eiſdem originalibus adhiberetur ſi forent exhibitę vel oſtenſę. Datum in oppido Madrid Toletanæ diœceſis, Anno MDLXXIII. Pontificatûs ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri anno primo.

ELOGIUM
D. D. GASPARIS DE ZUÑIGA
ET AVELLANEDA,

Archiepiſcopi Compoſtellani, præſidis hujus Concilii, poſtea Archipræſulis Hiſpalenſis, & S. R. E. Cardinalis.

Ex Hiſt. Pontificali Alphonſi Ciaconii cum additionibus. Tomo III.

GASPAR DE ZUÑIGA AVELLANEda, Mirandæ Comitis, è primaria inter Hiſpanos nobilitate viri, filius, Theologus inſignis, & in florentiſſima Salmanticæ Academia, propter acre fœcundumq; ejus ingenium, publicus Theologiæ interpres, cùm parem literarum cognitioni, religionem ac vitæ ſanctitatem adderet, nihilq; minus vel ambiret, vel cogitaret, à Carolo V. Imperatore, invitus, Epiſcopus Segobienſis, ac poſtea à Philippo II. ejus filio Hiſpaniæ Rege, primùm Archiepiſcopus Compoſtellanus, deinde Hiſpalenſis nominatur. Quas dignitates piè, ſapienter, ac laudabiliter cùm adminiſtrâſſet, à Pio V. Romano Pontifice, apud quem Joannes de Zuñiga ejuſdem Gaſpāris conſobrinus pro eodem Rege Oratoris partes agens, ipſi Pontifici in fœdere contra Turcas ineundo magnificè ſatisfecerat, purpurâ decorari, & Presbyter Cardinalis titulo S. Barbaræ abſens, anno MDLXX. deligi meruit. Et paullò pòſt eodem Philippo Rege mandante, Annam Maximiliani Cæſaris ex Maria Regis ſorore natu maximam, ipſi deſponſatam, è Sicambris in Hiſpaniam venientem, unâ cum Franciſco à Zuñiga Bexaris Duce, eâ, quâ decuit, pompâ comitatus, dum celebratis nuptiis, Segobiâ Hiſpalim ad grègem ſibi creditum curandum revertitur, in caſtro Martos Giennenſis diœceſis, ſive in civitate, vulgò Jaën dicta (quò ut exemplar Veronicæ, & ſanctiſſimi Chriſti Sudarii inviſerit ac veneraretur, iter arripuiſſe affirmat Gonſalvus de Illeſcas in ſua hiſtoria Pontificali) è vita migravit extorum dolore, IV. Nonas Februarii anno ſalutis MDLXXI. Hujuſce Cardinalis corpus in Eccleſia Hiſpalenſi, in ſacello Deiparæ ſacro ante aræ gradus quieſcit.

CON-

CONCILIUM GRANATENSE
PROVINCIALE

Celebratum anno circiter MDLXV. Præſide Petro Guerrero Archiepiſcopo ejus urbis: cujus Acta invenire nondum licuit.

CONCILIUM BRACARENSE
PROVINCIALE

Ab Epiſcopis Luſitaniæ celebratum eodem anno MDLXV. ut teſtatur Spondanus ad eundem annum num. XXII. Ejus Acta ab Illuſtriſs. Archiepiſcopo Ulyſſipponenſi à nobis petita, ac diù expectata, habere minimè potuimus.

CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM
PROVINCIALE

Coactum eodem anno MDLXV. ut memorat Spondanus ubi ſuprà, & fuſiùs Carrillo in *Catalogo Præſulum Cæſarauguſtæ*, pag. 281. Præfuit in eo D. Alphonſus de Aragon Archiepiſcopus, & nepos D. Ferdinandi Regis Catholici. Interfuerunt Epiſcopi Uticenſis, Pampilonenſis, Calagurritanus, Oſcenſis, & Jaccenſis. Plura piè & ſanctè ordinata ſunt juxta Concilium Tridentinum. Acta illius expectata diu ab Illuſtriſs. Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ S. Salvatoris (à quo plura alia monumenta ſacra accepimus) nondum habere licuit.

CONCILIUM EBORENSE
PROVINCIALE

In Luſitania celebratum anno MDLXV. Præſide D. D. Joanne Melo Archiepiſcopo Eborenſi. In eo vir cl. Andreas Reſendius concionem ad Patres congregatos habuit. Lege inſignem ſcriptorem, & ſcriptorum Hiſpaniæ clariſſimum encomiaſten D. Nicolaum Antonium Tomo I. Biblioth. Hiſp. pag. 62. Ejus Acta adhuc latent.

SYNODUS DIOECESANA

VALENTIAE CELEBRATA

PRÆSIDE

MARTINO AYALA

ARCHIEPISCOPO VALENTINO.

LECTORI.

QUAMVIS curæ nobis fuerit in hac Collectione dumtaxat edere Concilia Nationalia, aut Provincialia, veluti majoris momenti; viſum adhuc iis nonnulla Diœceſana adjungere; ſive ob ſpecialem doctrinæ & ſtyli gravitatem; ſive propter quorundam Præſulum, qui ea coëgerunt eximias pietatis atque eruditionis dotes. Hæc eſt cauſſa cur præſens Concilium, & nonnulla alia ſequentium annorum, luci publicæ committere viſum fuerit.

ACTIO PRIMA

IN URBIS VALENTIÆ METROPOLITANO TEMPLO

Habita die quinto menſis Maji, anno à Chriſto nato MDLXVI.

EA ſolet eſſe morum pro temporis viciſſitudine varietas, ut niſi novis ſubinde legibus hominum mentes excolantur, ex ipſa ad malum propenſione, & libera peccandi conſuetudine veterem illam ac laudabilem Eccleſiaſticam diſciplinam labi, ac propemodum interire ſit neceſſe. Ut enim agri, niſi crebriùs, & diligenti cultura exerceantur, ipſæque renaſcentes ſpinæ ſedulò evellantur, inutiles planè redduntur, & pro fruge bona, tribulos tantùm & nocentia proferunt; ita Eccleſiæ niſi ſalutaribus inſtitutis frequentiùs excultæ fuerint, & decorem ſuum amittunt, & earum miniſtri deteriores quotidie fiunt. Meritò igitur ſacroſancta & Oecumenica Tridentina Synodus inſtituit, ut præter Provincialia Concilia, quæ tertio ſaltem quoque anno congregánda eſſe decrevit, Synodi etiam Diœceſanæ ſingulis annis habeantur: ut earum beneficio corrupti mores emendentur, boni ac utiles conſerantur, & renovatis perſæpè ſanctiſſimis inſtitutis divinus cultus indies accreſcat. Cùm igitur in Provinciali Concilio, quod nuper in hac Metropolitana Eccleſia celebratum fuit, toti provinciæ fuerit proſpectum, & de iis, quæ communia erant, ea decreta ſancita fuerint, quæ magnam provinciæ utilitatem ſint allatura; hoc certè unum tantùm ſupererat, ut quæ huic diœceſi propria eſſent, convocato diœceſano cœtu, diligenti etiam cura & ſtudio tractarentur. Quare his rationibus adducti, & ut ſanctorum Patrum, ſacræq; Tridentinæ Synodi præceptis pareamus, nos Martinus Ayala Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Valentinus pro munere nobis injuncto huic noſtræ diœceſi, quantum in nobis eſt, conſulere cupientes, hanc diœceſanam Synodum, quam ad xxv. diem menſis Aprilis præſentis anni MDLXVI. indixeramus, duximus celebrandam. Ut ſcilicet diligenti conſultatione, & multorum ſimul ſententiis inter ſe collatis, ea decernantur, quæ cunctis hujus diœceſis Eccleſiis ſint profutura, & eorum obſervatione Eccleſiarum pax conſervari, & Dei cultus multò magis augeri & amplificari poſſit.

CAPUT I.

Approbatio & receptio Concilii Provincialis.

QUONIAM latæ in provincia leges, ſingulis illius diœceſibus communes eſſe debent, illiſque comprovinciales omnes devinciuntur; hęc Diœceſana Synodus principiò Concilium, quod nuper in hac provincia habitum eſt, omniaque ejus decreta probat, recipit, ac modis omnibus obſervanda admittit. Sperat enim fore, ut ſanctis illius conſtitutionibus cleri & populi moribus reformatis, majore animi tranquillitate faciliùs ac laudabiliùs Deo in poſterum ſerviatur.

CA-

CAPUT II.

Ludis, ſaltationibus, & aliis, quæ profanè fiunt, Eccleſiaſtici abſtinere debent.

MERITO non ſolùm arguendi, ſed gravibus etiam pœnis coërcendi ſunt, qui Eccleſiaſtico munere indigna faciunt. Quare nos Martinus Ayala Archiepiſcopus Valentinus, ſacrâ approbante Synodo, mandamus, ne ullus ſacris ordinibus initiatus pila, aut aliis ludis publicè ludat: ac ne etiam in Miſſis novis aut nuptiis, ſaltationibus aut choreis dare operam auſit: ne etiam larvatus, aut perſonatus unquam incedat: neve inſtrumenta muſica pulſando, aut per vicos profano more cantando vagetur. Quæ omnia in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna etiam ſex argenteorum præcipimus. Qui verò hoc noſtrum mandatum ſecundò fuerit tranſgreſſus, duplicata hac pecuniæ multa puniatur: & qui creſcente magis contumacia adversùs idem hoc ſtatutum deliquerit, is acerbiores pœnas Ordinarii arbitrio luat. Quarum rerum diligenter inquirendarum curam viſitatori & miniſtro Fiſcali demandamus.

CAPUT III.

Qui ſacris initiati ſunt, ſpectaculis publicis ne interſint.

CUM iis ſpectaculis, ex quibus hominum interitus, & animæ pericula per ſe ac frequenter accidere ſolent, intereſſe minimè liceat; ii verò qui ſacris ſunt initiati, non ſolùm prohibita vitare, ſed aliquando, ne ullam cęteris dent offendiculi occaſionem, iis etiam abſtinere debeant, quæ laïcis ſunt permiſſa; ideo omnes ſacris ordinibus initiatos monemus, ac in Domino hortamur, ut publicis omnibus ſpectaculis abſtineant; ſive ejuſmodi ſint, in quibus equites haſtis invicem concurrunt, vel emiſſis ultrò citroque arundinibus ludunt, ſive alii quicunque publici ludi, aut certamina fiant. Cæterùm eiſdem omnibus in ſacris ordinibus conſtitutis in virtute ſanctę obedientiæ pręcipimus, ne publicis taurorum ſpectaculis interſint, aut ejuſmodi torneamentis, in quibus ſanguis facilè funditur, & mors etiam ſępè conſequi ſolet. Si quis verò ſacris initiatus adeò temerarius fuerit, ut non ſolùm taurorum ſpectaculis adeſſe, ſed etiam decertantium more taurum provocare, figere, ac inſequi non vereatur, excommunicatione latæ ſententiæ ſit adſtrictus. Porrò templa in iis plateis ſita, in quas ad ejuſmodi taurorum ſpectacula convenitur, omnino claudi eo tempore, quo cum tauris decertatur, aut luditur, mandamus. Trangreſſoribus verò multam duarum librarum imponimus.

CAPUT IV.

De veſtibus eorum, qui in ſacris ordinibus ſunt conſtituti.

IN Concilio noſtro Provinciali ſtatutum fuit, omnes in ſacris ordinibus conſtitutos, veſtibus uti debere talaribus: cui decreto, ſacrâ approbante Synodo, adjicimus, ut altera ſaltem eorum veſtis ita ſit vel integra, vel fibulata, ut nihil indecorè oſtentari poſſit: ac illud etiam, ne in templis, cùm ſacra fient, galero, vel canabinis ſoleis, aut ſparteis utantur: ut totus ipſe habitus congruentem ſacro ordini honeſtatem præſeferat.

CAPUT V.

Ad diſtributiones quotidianas ne admittatur qui canere neſcierit.

QUONIAM cantus ad ea munia obeunda, quæ in Eccleſiis exequi oportet, neceſſarius eſt; iccircò, ſacrâ approbante Synodo, mandamus, ne ullus in Eccleſiis noſtræ diœceſis ad quotidianas diſtributiones admittatur, qui cantu ſaltem planiore canere neſcierit: ita ut eum tantùm rector, decem alioqui libras ſoluturus, ad diſtributiones admittere debeat, qui Euangelium, Epiſtolam, Præfationem, Lectionem, Reſponſorium, & Antiphonam decantare ſciat: niſi fortè talis fuerit, qui alioqui ob inſignem eruditionem frugi atque utilis ipſi Eccleſiæ à nobis judicetur. Ii verò, qui ſunt jam ad diſtributiones admiſſi, ſi horum ignari fuerint, hæc ipſa intra annum unum canere diſcant. Quo quidem anno peracto, ſe intra menſem unum coram perſonis deputandis ſiſtant, de ea re examen ſubituri. Quod niſi fecerint, ipſos rector ſub eadem decem librarum pœna quotidianis diſtributionibus privet. Illos tamen excipimus, qui legitimo aliquo impedimento, vel ſenectutis, vel alio à nobis, aut vicario noſtro generali approbando, fuerint præpediti.

CAPUT VI.

De Veſperis & Matutino officio.

UT divinus cultus in hac noſtra diœceſi continuò magis augeatur, ſtatuimus, ſac. ap. Syn. in oppidis, in quibus id commodè fieri poterit, diebus ſaltem Dominicis & feſtis colendis Veſperas cantari oportere. Ubi verò uſu non eſt receptum ut Matutinum officium ſequentibus feſtis dicatur, præcipimus, ut præter Matutinum officium, quod in ipſo Natalis Domini profeſto, & in triduo ante Paſcha dicitur, Matutinum etiam officium Sancti, cui templum conſecratum fuerit, Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis beatæ Mariæ, Apoſtolorum

rum Petri & Paulli, & omnium Sanctorum diebus ipſis profeſtis, ſi non pleniore cantu, ſubmiſſiore ſaltem, poſt ipſum ſtatim Completorium decantetur. Si quis verò ex presbyteris, vel Beneficiatis Matutino officio his diebus intereſſe noluerit, is nihil emolumenti ex primo actu, aut primo perpetuali referre valeat. In iis tamen Eccleſiis, in quibus Matutinum officium prędictis feſtis aut media nocte, aut alia quacumque hora dici conſuevit, eum uſum auferre præſenti ſtatuto nequaquam volumus, ſed eundem illum morem ſedulò obſervari mandamus.

CAPUT VII.

Conciones feriâ ſextâ in Paraſceve ne noctu fiant.

UT nocturna pericula & ſcandala, quantum in nobis eſt, evitentur; prohibemus, ne eæ conciones, quæ de Chriſti Paſſione feriâ ſextâ in paraſceve ad populum haberi ſolent, ante ipſum ſolis ortum inchoëntur, ac ne ultra horam unam & dimidiam, aût ad ſummum duas, protrahantur.

CAPUT VIII.

Quibus diebus Miſſa conventualis pro populo celebranda ſit.

NE populus ſpiritualibus ſuffragiis privetur; placuit nobis ſac.ap. Syn. ut ubi conſuetudine receptum fuerit, tã intra civitatem, quàm extra, ſingulis diebus Miſſam conventualem pro populo celebrari, idem mos in poſterum obſervetur. In iis vero Eccleſiis, in quibus ea conſuetudo nondum invaluit, ſi Beneficium curatum ducentarum librarum valorem attigerit, quas verè in ſuum uſum curatus recipiat, curatus ipſe quotidie per ſe, aut per alium Miſſam pro populo celebret. Ita tamen, ut cùm pro defuncto, præſenti corpore; vel pro novis nuptis; vel juxta quorundam morem pro defunctis ſemel in hebdomada; aut in ſabbathis de beata Virgine Miſſam celebrabit, dummodo in ea pro populo oret, ejus Miſſæ celebratione ſit illo die populo ſatisfactum. Quòd ſi minus quàm ducentas libras curatus pro Beneficio percipiat, diebus tantùm Dominicis & feſtis colendis pro populo Miſſam celebrare teneatur. In oppidis tamen eoram, qui ſunt nuper ad fidem converſi, etiamſi Beneficii curati redditus ad ſummam ducentarũ librarum perveniant, ter in hebdomada Miſſa pro populo celebretur.

CAPUT IX.

In baptiſmi & extremæ-unctionis adminiſtratione an aliquid capi debeat.

CUM ſacramenta ſine ulla ſpecie quæſtûs adminiſtrari debeant; cerei autem capittæque uſus in adminiſtratione baptiſmi ſit in Eccleſia vetuſtiſſimus; ſtatuimus, ſac.ap.Syn. ut cùm alicui hoc ſacramentum conferendum erit, in arbitrio & optione ipſius commatris ſit poſitum, cereum & capittam deferre. Quòd ſi id ipſi non placuerit, poſſit curatus pro cereo & capitta novem nummos juxta morem recipere. Ob adminiſtrationem tamen ſacramenti extremæ-unctionis nihil curatus percipiat. Quod quidem extremę-unctionis ſacramentum iis tantùm conferatur, qui juris conſtitutione ad peccatorum confeſſionem faciendam ſunt jam obligati.

CAPUT X.

De Breviario, Diurnali, & Miſſali.

CUM hæc noſtra diœceſis Breviario, & Miſſali, quæ apto convenientique ordine compoſita ſint, jampridem indigeat; ſitque iam ferè utrumque non mediocri ſtudio ac diligentia peractum, meritò tota hæc Diœceſana Synodus tam Miſſale ipſum, quàm Breviarium cum Diurnali ſe admiſſuram eſſe promiſit. Nos verò, eâdem ipsâ approbante Synodo, omnibus noſtris diœceſanis Beneficiatis & in ſacris ordinibus conſtitutis auctoritate noſtra ordinaria mandamus, ut cùm Breviarium ipſum typis fuerit excuſſum, illo preces horarias perſolvant: utque in Miſſis conventualibus celebrandis Valentino Miſſali, quod propediem in lucem edetur, & non alio, in omnibus Eccleſiis utantur. Ut verò in Miſſarum, totiuſque divini officii celebratione unus idemque ritus in tota diœceſi ſervetur, prȩcipimus, ut rituum Miſſæ & cærimoniarum ordinarius liber, quando à nobis editus erit, ab omnibus recipiatur, & juxta illius regulas cæremonię & ritus in divinis officiis obſerventur.

CAPUT XI.

Nullus regularem vel exemptum teſtamenti ſui executorem conſtituat.

QUONIAM teſtamentorum executores, quos manumiſſores vulgò dicimus, ſi noſtra juriſdictione exempti fuerint, neque compelli ut ea impleant, ad quę eo nomine obligantur, neque ullis pœnis ad rationem reddendam à nobis adigi poſſunt; ideo ne piæ teſtantium voluntates debitis ſuffragiis defraudentur; ſac.ap.Syn. ſub excommunicationis pœna præcipimus, ne ullus teſtamenti ſui executorem conſtituat, vel regularem aliquem, vel alium, qui noſtræ juriſdictioni non

ſit

sit subjectus. Notariis etiam sub eadem excommunicationis pœna mandamus, ne cùm eam testamenti clausulam conscribent, in qua de executoribus agitur, hosce exemptos ad testamenti executionem admittant. Si quę verò clausulæ in testamentis positæ fuerint, in quibus eorum conditores ab obligatione rationis Prælato reddendæ executores ipsos eximant, cùm nulla id auctoritate vel jure ab eis fieri possit, omnes ejusmodi clausulas irritas, & nullius omnino valoris esse declaramus.

CAPUT XII.

Testamentorum clausulæ, in quibus pia opera demandata sunt, in singulis Ecclesiis in libro describantur: singulæ etiam Ecclesiæ visitationis librum habeant.

PIIS testantium voluntatibus consulentes ut certiùs pia opera in animarum suffragium ab ipsis relicta impleantur; capitulis & rectoribus sac. ap. Syn. sub decē librarū pœna præcipimus, ut in singulis suis Ecclesiis librum unum habeant, in quo omnes testamentorum clausulæ, quibus pia opera in animarum suffragium perpetuò in illis Ecclesiis agenda demandantur, in forma, ut decet, authentica, expensis ex iis, quæ à testatoribus relinquuntur, desumptis conscribantur. Quod idem de iis, quę hactenus demandata sunt, intra annum unum diligenter etiam fiat. Notarii verò qui ad hujusmodi testamentorum clausulas exhibendas difficiliores fuerint, intelligant, se à nobis justis pœnis ad id esse compellendos. Librum etiam visitationis singulæ Ecclesiæ sub eadem decem librarum pœna habeant, in quo ornamenta omnia, & Ecclesię bona inventario ordinatim dispolita; omnesque rationes visitatori redditę, & ab eo probatæ; & quæ etiam visitationis nomine mandata fuerint, fideliter scribantur. Qui liber iis tantùm rebus, quę ad visitationem spectant, sit destinatus.

CAPUT XIII.

Quomodo eleemosynæ servandæ, & in libro describendæ, ut successoribus ratio reddi possit.

UT Ecclesiarum regimini, & illorum etiam piis mentibus, qui in Ecclesiæ fabricam, ac ipsius luminaria, & ornamenta eleemosynas erogant, providè ac prudenter prospiciatur; statuimus, sanctâ approbante Synodo, ut in singulis Ecclesiis omnes eleemosynæ, quæ ad prædicta pia opera datæ fuerint, in arcam unam reponantur, quæ tribus clavibus obseretur: quarum unam rector, vel ejus vicarius penes se habeat, alteram Jurati ipsius oppidi, tertiam verò fabricæ præfectus, quem operarium fabricæ dicimus. Quæ quidem arca, ubi in ipsis sacristiis servari solet, ibidem etiam id in posterum observetur. Alioqui, præsertim ubi non erit tutus in Ecclesia locus, fabricę præfectus arcam ipsam domi suę diligenter custodiendam curet. Quoties verò prędictæ eleemosynæ in eam reponentur (quod fiet præsente curato, vel ejus vicario) curatus ipse seu vicarius omnium quæ repolita fuerint, summam in libro, qui in ipsa arca ad eam rem inclusus servabitur, sedulò describet. Ex quibus eleemosynis si magna aliqua portio insumenda erit, id cum Prælati, vel ejus vicarii, etiam si foraneus sit, facultate, & non aliter fiat. Porrò ipse fabricæ præfectus, & qui ad ornamenta conficienda eleemosynas petit, qui etiam ad Christi corpus honorificè colendum, & ad beatæ Virginis sacellum decorandum, & alia pia opera eleemosynas colligunt, librum habeant, & successoribus præsente parocho rationem reddant. De his verò omnibus visitator in ipsa visitatione inquirat. Quæ si minus fideliter curata viderit, ea remedia adhibeat, quæ rei convenire judicabit.

CAPUT XIV.

De absolutionibus in die commemorationis defunctorum, & eo die non aliam quàm conventualem Missam esse decantandam.

ILLUD certè longè à Christiana pietate est alienum, eo tempore, quo Deus præcipuè orandus est, litibus & controversiis sacra templa profanari. Quod eo die accidere solet, quo defunctorum commemoratio in Ecclesiis agitur, dum alter alteri in ipsis absolutionibus vult præferri. Quare, sanctâ approbante Synodo, præcipimus, ut cùm generales absolutiones eo die in Ecclesiis fient, generatim sine ullo personarum discrimine fiant. Deinde verò liceat ad sacella, juxta eum ordinem, quo sita sunt, nullâ antiquitatis ratione habitâ, divertere: non obstante consuetudine ulla, quam potiùs corruptelam dici debere censemus. Capitulum, ac etiam parochus, si minus præsenti decreto paruerint, decem libras pendant: reliqui verò hujus constituti ordinis perturbatores sententiâ excommunicationis, & aliis pœnis arbitrio Ordinarii imponendis afficiantur. Ut autem tumultus ille cesset, qui ex pluribus simul decantatis Missis in Ecclesiis oriebatur, præcipimus ut Missa tantùm conventualis eo die cantetur: reliquæ verò submissa voce celebrentur, vel in alium illius octavæ diem differantur.

CAPUT XV.

De monumentis, quæ immoderatis sumptibus in Quadragesima construi solent.

CUM magnifica illa & summo artificio elaborata ædificia, quæ Dominicæ sepulturæ monumenta vocamus, multo labore, immoderatisque sumptibus construantur, & eo tempore fiant, quo divina officia in Quadragesima ipsorum fabricatione maximè per-

perturbari ſolent; quin & aliquando inani quadam contentione horum auctores de reportanda victoria certare inter ſe videantur; æquum certè judicavimus his modum aliquem ponere, quo & fidelium devotioni ſatisfiat, & hic exceſſus ad juſtam aliquam rationem reducatur. Quare, ſanctâ approbante Synodo, ſtatuimus, ut in poſterum hujuſmodi monumenta in unam certamque formam ſemel redacta, quæ vel ſacelli alicujus magnitudini aptari poſſit, vel alteri loco, ut commodius pro templi ratione viſum fuerit, in alios ſequentes annos conſerventur, ligneâ ipsâ materiâ elaboratâ apto & competenti loco cuſtoditâ: ut & paucis impenſis, & duorum aut trium dierum tantùm ſpatio erecta, minus negotii Eccleſiis exhibeant, & toto illo Quadrageſimæ tempore ſacra ipſa tranquilliùs peragi, ac celebrari poſſint. Fabricæ præfecti, qui huic noſtro mandato non obedierint, aureis quinquaginta multentur: quos eidem ipſi fabricæ deputamus.

CAPUT XVI.

Laïci & fœminæ quibus locis in templis prohiberi debeant.

CUM deceat omnia in Eccleſiis decenti ordine eſſe conſtituta, præcipimus, ne laïci in choro inter presbyteros ſedeant, aut illorum ſedilia occupent: ac ne fœminæ in quibuſcumque Eccleſiis intra cancellos ſacelli maximi, ubi virorum conſeſſus eſſe ſolet, ad ſacra audienda ingrediantur.

CAPUT XVII.

De ſervandis ornamentis, quæ Beneficiis ſunt addicta: & ne pretia cenſualium, cùm redimuntur, in Beneficiati, aut patroni poteſtatem veniant: neque cenſualia fiant ſine depoſiti clauſula, aut ſine Ordinarii decreto redimantur.

CUM Beneficiatorum incuriâ, fortè etiam fraude, ornamenta Beneficiis addicta amitti aliquando videamus; decernimus, ut omnis Beneficiatus intra triduum à Beneficii accepta poſſeſſione calicem cæteraque ornamenta ad Beneficium ſpectantia in inventarium redigat, & de his omnibus fideliter cuſtodiendis tutam cautionem exhibeat. Quod quamdiu non præſtiterit, ſaltem calicem ipſum in ſacriſtiam reponat. Hoc etiam præcipientes, ut cùm Beneficii curati vel ſimplicis cenſualia redimentur, eorum pretia in ipſius Beneficiati vel patroni poteſtatem minimè veniant: ſed in ſacriſtiis, vel aliis Rectoris & Beneficiati judicio tutis locis, nullâ ob id factâ impensâ, deponantur, donec alii redditus emi poſſint. Curatus, vel Beneficiatus, ſive patronus, qui cenſualium pretia penes ſe receperit, excommunicatione latæ ſententiæ ſit devinctus. Hoc itidem ſub eadem pœna addentes, ne hujuſmodi cenſualia conficiantur ſine depoſiti clauſula, quâ deponendæ in loco tuto pecuniæ, cùm cenſuale redimendum erit, obligatio contineatur. Denique præcipimus, ne in hac urbe vel oppidis interſtitio leucarum quatuor circa eam ſitis hujuſmodi cenſualia redimantur, vel alii redditus emantur ſine Odinarii decreto. In aliis verò hujus diœceſis civitatibus aut locis id non aliter fiat, quàm parocho rem approbante. quòd ſi ad ipſum porochum res pertinebit, id fiat Juratis loci conſentientibus.

CAPUT XVIII.

Parochi in Quadrageſima confeſſores habeant, & quo ſtudio ac diligentia ad ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem uti debeant.

COMPERTUM ſanè eſt omnibus, quanto ſtudio ac diligentia adminiſtrationi ſacramenti pœnitentiæ parochi incumbere debeant, eo potiſſimùm tempore, quo fideles ex Eccleſiæ præcepto ad peccatorum ſuorum confeſſionem faciendam obligantur. Parochis igitur omnibus præcipimus, ut ipſo ſtatim Quadrageſimæ initio pro populi multitudine, unum aut plures ſecum habeant, qui ſubditorum confeſſiones audire poſſint. Quorum numerum procedente Quadrageſimæ tempore, quo populus frequentiùs ad hoc ſacramentum percipiendum convenire ſolet, ſi res ita exegerit, augere debeant. Ut autem ſervato ordine faciliùs hoc ſacramentum omnibus adminiſtrari poſſit, curati principio Quadrageſimæ per vicos, ac etiam domos, unum certumque diem modò his, modò aliis deſignent, quo ad confitendum peccata ſe conferant. Qui ſi eo die non ierint, alio certè die, qui reliquis deſtinatus erit, illis meritò cedere debebunt. Primo igitur Quadrageſimæ ſabbatho proximè ſequentem ſecundam feriam aliquibus deſignent, atque ita procedente Quadrageſima alios dies aliis deputent. Hoc enim ſtudio & diligentiâ fiet, ut nullis ad faciendam peccatorum confeſſionem locus deſit. Quia verò intelleximus, in quibuſdam noſtræ diœceſis Eccleſiis miniſtrum, quem *Scholanum* vocamus, ſuum munus ob minorem ætatem exequi non poſſe; mandamus, ut is in poſterum habeatur, qui & deferendæ cruci, & aliis faciendis, quæ miniſterio Eccleſiæ ſunt neceſſaria, ſufficere poſſit.

CAPUT XIX.

De cereis candelis, quæ dum ſacra Euchariſtia ſumitur, parochis offeruntur.

ABUSUS quidam in nonnullis Eccleſiis inolevit, ut cùm in illis Euchariſtia ſacra miniſtranda eſt, parochi cereas candelas, quæ ipſis poſtea offeruntur, populo vendant: quod ne in poſterum fiat, diſtrictè mandamus:

damus: ac multò minùs, cùm ipsis jam semel oblatæ fuerint. Oportet enim omnem turpis lucri speciem, potissimùm in administratione sacramentorum, prorsus esse sublatam. Qui aliter egerit, solidos viginti solvat.

CAPUT XX.

Quæ parochiis propria esse debent, in monasteriis ne fiant.

CUm hęc ex jure communi ad parochorum munia pertineant, populo festa indicare; sacram Eucharistiam quando ex præcepto Ecclesiæ sumitur, illi ministrare; oblationes ab eo recipere; ob campanarum pulsationem aliquid jure exigere, & similia; quæ tamen in quibusdam monasteriis non aliter fieri audiamus, quàm si parochiales Ecclesię essent: ideo illorum monasteriorum præfectos in Domino hortamur, ne hæc in posterum fieri permittant. Alioquì id remedii pro nostro munere adhibere curabimus, quod rei consentaneum & conveniens esse judicabitur.

CAPUT XXI.

Corpora ne exhumentur sine facultate Ordinarii.

CURATIS omnibus mandamus, ne unquam sine facultate Ordinarii in suis Ecclesiis corpora exhumari sinant. Qui non paruerint, arbitrio Ordinarii pro ratione delicti puniantur.

CAPUT XXII.

Quomodo curatorum domus, & aliæ, quæ Beneficiis Ecclesiasticis sunt annexæ, reparandæ sint.

QUONIAM curatorum domus, ac illæ etiam, quæ dignitatibus, canonicatibus, vel aliis Beneficiis sunt annexæ, possessorum incuriâ eò redigi solent, ut ruinam planè minentur, & aliquando etiam omnino concidant; præcipimus, sanctâ approbante Synodo, ut simul atque Beneficii curati, vel alterius Beneficii, cui domus aliqua sit annexa, possessionem aliquis acceperit, sedulò statum ipsius domus expendat. Quam si ruinosam viderit, & reparatione aliqua indigere, taxandum atque æstimandum omnino curet, quanti domus ipsa instaurari possit: & ex bonis defuncti curati, vel Beneficiati eam reparari ac refici faciat. Qua in re procuranda & conficienda, si negligens fuerit, sciat se à nobis cogendum, ut propriis impensis dumum ipsam instauret: ut ita & suæ negligentiæ pœnam ferat, & domus ipsa, ut par est, reficiatur.

CAPUT XXIII.

Domini temporales, primitias ac decimas suorum locorum conducere prohibentur.

QUIA oppidorum, vel quorumcumque locorum domini temporales, cùm territorii sui decimas conducendi facultatem habebant, quam *jus arrendamenti* vocamus, multa adversùs decimarum jura moliebantur; prudentissimè Apostolico indulto Xysti Pontificis Maximi sub anathematis etiam pœna cautum fuit, ne domini temporales primitiarum vel decimarum, quæ ex ipsorum locis colliguntur, negotiis per se vel per alios se quacumque ratione immisceant. Nos igitur id etiam æquissimum esse judicantes, Xysti bullam typis excudi, & sub festum Natalis Domini in templis à curatis publicari mandamus: illud itidem adjicientes, ne alicui primitias vel decimas ex aliquo loco colligendi jus solenniter tradatur, qui non juret priùs, nihil se in hoc jure procurando egisse, quod Xysti Pontificis Maximi indulto repugnet. Cujus contrarium si quando constiterit, temporalis ipse dominus & supposita illa persona excommunicati publicè declarentur.

CAPUT XXIV.

De executore jurium decimalium, & ejus ministris.

MAGNO animi affectu desiderantes, omnes nostræ hujus diœcesis abusus prorsus convellere; cùm audiamus, inopes ab iis ministris, quos jurium decimalium executor ad hæc jura exigenda mittit, valdè opprimi; & plura ab ipsis pro suo ministerio exigi, quàm jure sit eis permissum; statuimus, ne in posterum, quando cùm diversis mandatis ad diversos mittentur, ex singulis integrum diei unius stipendium accipiant: sed ut omnes, ad quos mandata uno eodemque die detulerint, totum unius diei stipendium pro rata parte conferant. Eidem etiam executori, ejusque ministris mandamus, ne pro re levi quempiam ex oppidis in hanc urbem venire compellant, nisi priùs de ea re solvenda admonitus fuerit: ne ex levi culpa magnum dispendium patiatur. Mandamus etiam, ne ullus profana bona, perinde ac si decimæ essent, foro executoris prædicti submittat, aut ejus executione vel mandato exigenda procuret. Qui non obedierit, latâ sententiâ excommunicatur. Qui si criminis convictus erit, jus actionis, quod in judicio illo ad decimas exigendas alioqui haberet, amittat.

CA-

CAPUT XXV.

Judices ne permittant excommunicatum actoris partes in judicio agere.

CUM eorum communione, qui publico edicto, & nominatim ſunt excommunicati, omnes abſtinere debeant; idque à quibuſdam judicibus ſæcularibus contemni intelligamus; illis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præcipimus, ne eum quem prædicto modo excommunicatum eſſe ſciverint, actoris partes in judicio agere ſinant. Cùm omnis actio in judicio ſit illi prohibita, quem communione fidelium Eccleſia privavit.

CAPUT XXVI.

Eorum, qui communia hoſpitia habent, abuſus quidam prohibentur.

OMNIA quæ adversùs bonos mores in hac noſtra diœceſi invaluerunt, prorſus excludere cupientes, ſub excommunicationis & ſex librarum pœna mandamus, ne qui communia hoſpitia habent, fœminas proſtitutas domicilium in ipſis habere, & turpi lucro operam dare permittant: cùm id magno bonorum ſcandalo & animarum detrimento fiat. Quia verò qui communia hoſpitia in publico obſcœnoque loco habent, proſtitutas mulieres ita opprimunt, & in eam etiam ſervitutem ſæpè redigunt, ut omnem ipſis recedendi à peccato viam intercludere videantur, ſub excommunicationis pœna illis mandamus, ne ejuſmodi fœminas debitis & ære alieno obſtringant; aut ulla alia ratione opprimant, quâ illarum ſalutem & converſionem aliquo modo poſſint impedire. Quia verò pervicax & obſtinatus in peccando animus Deo execrabilis eſt; ſtatuimus, haſce fœminas, quæ ultra biennium peccato inſiſtere non verebuntur, exilio damnandas eſſe.

DUM hæc agerentur, Synodoque collectâ, iis ſtatuendis, quæ Eccleſiæ noſtræ utilia eſſent, intenti eſſemus, literæ à ſanctiſſimo domino noſtro Pio V. nobis datæ ſunt. Quas tanta animi alacritate perlegimus, quantam admirabilis in Deum tanti Pontificis pietas, & ſingularis erga nos benevolentia & humanitas excitare in nobis debuerunt: ut verè ad ea proſequenda quæ inceperamus, & ad alia etiam majora in Eccleſiæ noſtræ utilitatem meditanda, ac etiam deliberanda fuerimus planè confirmati. Utinam Deus Opt. Max. qui talem Chriſtianæ Reipub. indulſit Pontificem, illum nobis diutiſſimè ſervet: faxitque, ut tam felici Pontificatûs initio optimus, & ab omnibus deſideratus finis, quod futurum certò confidimus, reſpondeat. Ne verò ipſæ ſummi Pontificis literæ apud nos ſuppreſſæ laterent, eas typis excudendas curavimus, ut ex communi bono, communis etiam lætitia poſſet ad omnes pervenire.

PIUS PAPA V.

VENERABILIS frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſt injunctum, ſicut Domino placuit, nobis, licèt indignis, Apoſtolicæ ſervitutis officium, miſerabilem ac luctuoſum Eccleſiæ ſtatum intentis mentis oculis non ſine acerbiſſimo animi dolore & gemitu contemplantes, omnes qui in ſolicitudinis noſtræ partem vocati ſunt, hortari, monere, & excitare compellimur, ut ad ſuſtinendam tanti oneris molem nobis adſint, & infirmitatem noſtram ſublevent: ut mutuo capitis & membrorum auxilio Eccleſia tot calamitatibus afflicta & deformata, erigatur ac reformetur: nec minùs à domeſticis inimicis, quàm ab externis hoſtibus defendatur. Vides, frater, quàm longè lateque manaverint hæreticæ peſtis venena: quantam hæreticis materiem ad perdendas Dominicas oves præbuerit paſtorum negligentia, & cleri mores depravati atque corrupti: eaſdemque ob cauſſas quantopere imminuta fuerit laïcorum devotio, & aucta vivendi licentia. Illud quoque intelligis, ob peccata noſtra & populi Chriſtiani quantopere divinæ iræ flagella timenda ſint. Ad tot & tanta Eccleſiæ vulnera ſananda, atque ita placandum Deum, unum omnino remedium reliquum eſt, decretorum ſanctæ Generalis Synodi Tridentinæ fidelis & diligens obſervatio. Proinde fraternitatem tuam hortamur, rogamus, & ſub divini judicii obteſtatione monemus, ut quæ in ea Synodo adeò maturè, piè, & providè, Deo auctore conſtituta & decreta, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmata, ac ubique obſervari juſſa fuerunt, officii tui memor ad effectum adducere, & ſine mora exequi ſtudeas. Et quia Paſtores gregis forma eſſe debent, & ad ſacerdotum vitam laïci mores ſuos effingere & conformare ſolent; clerum, & populum tuum ab omnibus, quæ illos offendere poſſint, ipſe abſtinens, cùm ſalutaribus monitis atque præceptis, tum virtutum exemplis ad pietatem, ad religionem, ad charitatem facexcites. Clericis minus honeſtè viventibus, opportunè & importunè, ut ſeſe corrigant, inſta arguendo, obſecrando, increpando, & ſi opus fuerit, ſeveriùs agendo. Seminarium, tamquam cleri ipſius ſobolem, in Eccleſia tua, juxta Concilii Tridentini ſaluberrimum decretum, utique inſtitue, ac diligenter tuere. Denique à commiſſis tibi ovibus hæreticorum, tanquam luporum graſſantium, inſidias pervigili cura repelle: & ne qua ovis pravitatis hæreticæ morbo laborans, cæteras contagione ſua corrumpat, provide. Illud aſſiduè cogita ac meditare, poſt hujus brevis & fragilis vitæ curriculum, reddendam tibi de eis rationem fore ſummo illi æternoque Paſtori, ac tremendo judici. Cura igitur, ut cùm ad eum veneris, non mercenarii ſegnis negligentisque mercedem; ſed boni & fidelis ſervi laudem ac præmium accipere merearis. Ad munus autem noſtrum implendum, ſicut tuam opem exigimus; ita ad paſcendum commiſſum tibi gregem, noſtrum

ſtrum tibi auxilium pollicentur. Illud quoque diligenter & ſedulò curare te volumus, ut notitiam habeas clericorum non ſolùm civitatis, ſed etiam diœceſis tuæ, quos conſtet eſſe Catholicos, quique vitæ ac morum honeſtate, & doctrina, ad ſerviendum Deo, & huic ſanctæ Sedi ſint idonei: ac delectu quodam eorum cum fide, & ſine acceptione perſonarum habito, nobis indicem ſigillo tuo obſignatum, & manu tua ſubſcriptum, cum eorum nominibus, & locis ubi habitant, mittas. Nos enim ut communis omnium parens, proborum virorum ubicumque ſint, rationem habere decrevimus, & eorum operâ uti, cùm occaſio oblata fuerit, ad eas res, quæ ad Dei & hujus ſanctæ Sedis obſequium pertinebunt. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die primo Februarii MDLXVI. Pontificatûs noſtri anno primo.

Ant. Florebellus Lavellinus.

ACTIO SECUNDA

Habita die nona menſis Maji MDLXVI.

CAPUT I.

Curati extremè laborantes ad piè moriendum gratis hortentur: & de eligendo uno vel pluribus qui rectorem in hoc munere juvent.

CUM ad curatorum munus pertineat, eos, qui morti proximi ſunt, ſanctis monitionibus ad piè moriendum hortari, illis, ſacrâ approbante Synodo, præcipimus, ut id diligenter, ac etiam gratis exequantur. Quod ut faciliùs fiat, ſtatuimus, ut in iis parochialibus Eccleſiis, in quibus numeroſus eſt populus, & animarum cura ad totum clerum ſpectat, ſingulis annis duo ſaltem eligantur ex Beneficiatis, qui in hoc munere viſitandi & hortandi mortis periculo laborantes, ipſum prorectorem juvent. In aliis verò, in quibus gubernandæ parochiæ cura penes unum rectorem fuerit, & ipſa parochia domos quadringentas, aut plures habuerit, teneatur rector probum aliquem presbyterum eligere, qui judicio Ordinarii probatus, ipſum in prædicto munere adjuvet. Qui & competens ſtipendium à rectore accipiat, & ad quotidianas Beneficiatorum diſtributiones admittatur. Ita tamen, ut ubi rector ob parochianorum multitudinem vicarium habere conſuevit, etiam nunc vicarium, præter hunc presbyterum, habere debeat: cùm hujus presbyteri ordinarium munus fore ſtatuamus, extremè laborantibus adeſſe, quando rector ex officio ſuo aliud egerit; aliis verò temporibus choro intereſſe, & non aliàs, quàm cùm neceſſitas poſtulabit, ſacramenta miniſtrare.

CAPUT II.

Miſſas, ad quas Beneficiati obligantur, & alia pia opera diligenter impleri debere.

CUM in aliis rebus negligentia plectenda ſit, tum maximè in iis Miſſis celebrandis, quæ à Beneficiorum fundatoribus ſunt inſtitutæ; & Beneficiatis, ut in animarum ſuffragium celebrentur, injunctæ. Quare conſtitutionem Reverendiſſimi Fr. Thomæ de Villanova prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Non ſine animi noſtri diſplicentia*, innovantes, & illi etiam, ſi opus ſit, vim ac robur addentes, omnibus Beneficiatis præcipimus, ut Miſſas omnes, ad quas Beneficiorum nomine obligantur, celebrent; & alia etiam pia opera ſedulò ac diligenter impleant. Ita ut Miſſarum dimidia pars ſingulis ſaltem mediis anni partibus peractis ſit celebrata. Rationalibus autem injungimus, ut cùm Miſſas Beneficiatis ad celebrandum committent, ejus obligationis, quâ illi ad alias Miſſas nomine ſuorum Beneficiorum ſunt adſtricti, rationem habeant; ut ſcilicet locus ad illas celebrandas ſemper eis relinquatur. Curent præterea ſedulò eas Miſſas, ad quarum celebrationem abſentes ſunt obligati, à præſentibus celebrari, ſumptâ ex melioribus Beneficii fructibus eâ portione, quæ ad earum celebrationem erit neceſſaria.

CAPUT III.

Miſſas votivas Rationali manifeſtandas eſſe, & earum eleemoſynas à receptore aliquo eſſe colligendas.

UT Miſſarum votivarum celebratio poſſit cum æquitate omnibus eſſe communis, ac ne piæ eorum voluntates, qui Miſſas celebrari faciunt, defraudentur; ſtatuimus, Miſſas omnes votivas à Beneficiatis omnibus, ſubſtitutis, & aliis, qui in ipſa Eccleſia ſolent ſacra facere, ac iis etiam omnibus, qui eleemoſynarias patinas circumferunt, ſub excommunicationis pœna ipſi Rationali eſſe manifeſtandas: qui eas in libro deſcribat, & celebrari faciat, aliqua tamen illius ratione habita, cui primùm demandatæ fuerint. Harum autem eleemoſynę à receptore aliquo colligantur, quem clerus ad eam rem ſingulis annis eliget eâ formâ, quæ ad eligendum Rationalem in hac Synodo præſcribetur. E ſingulis verò Miſſis votivis nummus unus deſumatur, Rationali & receptori pro ipſorum miniſterio tribuendus. Qua quidem ratione hic ordo in Eccleſiis ſervari, & illarum Miſſarum celebratio commodè ac certò fieri poterit.

CAPUT IV.

Miſſa conventualis quotâ horâ inchoanda ſit, & ne in templis permittantur qui officia ſacra perturbant.

MISSAM conventualem in quibuſdam diœceſis hujus Eccleſiis nonnunquam ſeriùs quàm convenit, incipi intelleximus. Iccircò ſtatuimus ſub duarum librarum pœna, eam ab octava hora uſque ad nonam nulla perſonarum habita ratione inchoari debere: ita ut inchoatum ſemel divinum officium nullius perſonæ cauſsâ poſt inceptam Tertiam interrumpatur. Intra ipſa verò templa parochi minimè ferant aut larvatos homines, aut qualeſcumque alios, qui officia ſacra perturbent. ſed neque tormentis manuariis in ſacris ipſis templis, neque ſulphurariis machinis in campanarum turribus aliqui utantur. Porrò ejuſmodi tympana, tubæ, & inſtrumenta alia muſica, quibus recenter ad fidem converſi frequentiùs uti ſolent, à curatis in templis ne permittantur. In proceſſionibus etiam, quæ in oppidis fiunt, ſclopetarii à nobis prohibentur.

CAPUT V.

Dum officia ſacra aguntur, aut concio ad populum habetur, nulla ſolutio fiat: neque capitulum eo tempore congregetur.

UT chorus, cùm divina officia aguntur, haud quaquam deſeratur, Rationalibus & collectoribus mandamus, ne pro Miſſis, aut perpetualibus, aut aliis quibuſcumque actibus, eo tempore quo divina officia celebrantur, aut ſacra concio ad populum habetur, ullam ſolutionem faciant. Si aliter agerint, pœnam duarum librarum incurrant. Rectori verò & ejus vicario ſub duarum etiam librarum pœna præcipimus, ne prædicto tempore capitulum congregari ſinant. Capitulum autem nunquam convocetur aut congregetur, niſi priùs de qua re in eo ſit agendum rector aut curatus certior fiat. Cùm verò iis, qui literis dant operam, omni ratione favere cupiamus; placuit, eos quamdiu audiendis lectionibus incumbunt, punctum ad ſequentem actum non amittere.

CAPUT VI.

De chori ſedilibus, & altaris patena.

QUO tranquilliùs ac modeſtiùs omnia in choro gerantur; & ne quæ ſacro miniſterio peculiari conſecratione dicata ſunt, parum decorè tractentur; mandamus, ne in choro ſedilia cum ſtrepitu demittantur; ac ne patena oſculi pacis gratiâ extra ipſum altare efferatur.

CAPUT VII.

Quibus diebus qui publica Eccleſiarum officia adminiſtrant, diſtributiones percipere poſſint.

CUM diſtributiones quotidianas ii tantùm juſtè percipiant, qui divinis officiis interſunt; ſciant qui publica Eccleſiarum officia adminiſtrant, ſe non poſſe eas recipere, aut ſuas facere, niſi cùm fuerint ſuorum officiorum adminiſtratione occupati; non autem quando intereſſe ſacris ſine ſui officii incommodo poſſunt. Neque enim par eſt, ut is toto anno præſens choro habeatur, cui multis anni diebus licet ab adminiſtratione ſui officii vacare.

CAPUT VIII.

De aqua benedicta.

SOLENT nonnulli aquæ benedictæ, dum ea in feſtis populo aſpergitur, odoriferam aquam, & quam muſcatam dicimus, permiſcere: quem uſum è noſtris Eccleſiis tolli volumus.

CAPUT IX.

Feſtis præcipuis & ſolennibus Miſſam diei non eſſe omittendam.

QUIA non probamus illorum morem, qui in feſto Natalis Domini, & cæteris feſtis præcipuis ac ſolennibus diei Miſſam prætermittentes, Miſſas alias celebrant; id deinceps fieri prohibemus. Quòd ſi eo die Miſſa annualis de alio feſto celebranda alioqui eſſet; ſciant, ſe Miſsâ diei celebratâ ſatisfeciſſe, dummodo pro illo offeratur, qui annualem Miſsam demandavit.

CAPUT X.

De adjurationibus quæ fiunt ingruente tempeſtate.

CURATI quando tonitrua, fulgura, cæterçque tempeſtates ingruunt, execrationibus & adjuratione procelloſas nubes, ipſamque tempeſtatem nituntur diſpellere. Quibus præcipimus, ne extra Eccleſiam id faciant: ſed in ipſa potiùs Eccleſia ad ſacra, ac potiſſimùm ad ſanctam Euchariſtiam procumbentes, Deum obnixè orent, ut qui ventis ac mari imperat, plebis ſuæ miſereri, & tempeſtatem ſedare atque arcere velit. Hoc etiam addentes, ut omni ſuperſtitione rejecta, non alia precum ratione, aut alio adjurandi modo utantur, quàm eo, qui in libris noſtris Ordinariis conſcriptus eſt.

CA-

CAPUT XI.

Sacram Eucharistiam ad locum incendii vel inundationis non esse deferendam.

CUM in civitatibus aut oppidis incendia vel inundationes accidunt, solent curati ad ejus incendii aut inundationis locum sacram Eucharistiam deferre. Quibus præcipimus, ut in ipso potiùs templo, sacrâ Eucharistiâ in altari positâ, unà cum clero & populo Deum, qui solo verbo sanare potest, fide sincera, puroque animo, ut hæc mala avertat, piè ac sanctè precentur.

CAPUT XII.

De fenestris, quæ intra templorum parietes extrui solent.

SOLENT nonnulli templorum parietes perforare, ibique fenestras extruere, ò quibus sacra audire possint. Cumque ex eo scandala & incommoda multa Ecclesiis accidant, hæc in posterum fieri prohibemus: cumatisque & cleris districtè præcipimus, ne deinde facultatem ad hæc cuiquam concedant. Quę verò hactenus sunt extructæ, à nostris visitatoribus visitentur, & in his abusus omnes tollantur.

CAPUT XIII.

De fœminis, quæ templorum parietibus circumseptæ degunt.

FOEMINÆ, quæ solent parietibus circumseptæ in templis degere, posthac non admittantur. Quæ verò sunt jam in nostris Ecclesiis admissæ, visitentur; & Ordinarii jurisdictioni subdantur, nisi expelli inde maluerint. Missa verò apud eas ne celebretur, nisi ipsis in mortis articulo constitutis.

CAPUT XIV.

De eremitis.

NULLUS in eremitorium admittatur, qui non sit priùs ab Ordinario vel ejus vicario examinatus, nisi notus fuerit, & communi consensu probus habeatur. Porrò ipse eremita illi curato, in cujus parochia eremitorium situm erit, nisi cùm aliud Ordinario visum fuerit, sit subjectus. Exercere autem in eremitoriis eos actus, qui curatis sunt proprii; vel eremitoria nova erigere, aut collapsa instaurare, nemo sine Ordinarii facultate ausit.

CAPUT XV.

Ne viduæ ab audienda Missa diu abstinentes, aliquid novi ritus in Ecclesiam inducant.

VIDUAS, quæ defunctis maritis, multo tempore domi se continent, & interim ab audienda Missa abstinent; domoque tandem egressæ, Euangelium in Missa sedentes audiunt, in Domino hortamur, ut moderato Christianoque animo adversa ferant, memores ejus, quod ad Thessalonicenses 1. cap. 4. scripsit Apostolus: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.* Quibus injungimus, ut pietatem sectantes, Ecclesiæ præcepta impleant, & nihil novi vanique ritus in Ecclesiam temerè inducere audeant. Curatorum autem erit, hæc sedulò in Ecclesiis prohibere.

CAPUT XVI.

In quibus oppidis possit sacra Eucharistia reservari.

IN iis oppidis, quæ à veteribus Christianis simul ac novis incoluntur, si Christianorum veterum domus ut minimum viginti fuerint, in iis verò, in quibus veteres tantùm Christiani degunt, si eorum domus fuerint saltem quindecim; & sacrosancta Eucharistia tuto decentique loco apud eos reservari possit; ipsique veteres Christiani fide data apud Ordinarium se obstringant, facturos se, ut ea decenter atque honorificè apud ipsos habeatur, liceat rectori sacram Eucharistiam in his oppidis cum honore reponere ac reservare. Cupimus enim hac in parte eorum devotioni esse consultum.

CAPUT XVII.

Ne laïci in sacra templa Concilia vel cœtus convocent.

INOLEVIT in multis nostræ diœcesis Ecclesiis abusus, ut laïci concilia & cœtus in sacra ipsa templa convocent, & in eis profana negotia tractantes, jurgiis & maledictis aliquando inter se contendant. Illis igitur sub excommunicationis pœna mandamus, ne in posterum hæc in Ecclesiis agant: quas constat orationi & divino cultui esse dicatas.

CAPUT XVIII.

Qui adversùs proximum in judicio pejerant, excommunicantur.

CUM ii, qui falsò aliquid jurant, impudenter religionem violent; & nomen Dei, testante Levitici scriptura cap. 19. polluant; cumque apud Malachiam cap. 3. adversùs eos qui pejerant, testem se futurum in judi-

judicio promptum atque velocem dicat Dominus; meritò qui apud judicem, vel perſonam publicam in alterius damnum falsò aliquid juraverit, à nobis latâ ſententiâ excommunicatur. Judicibus autem præcipimus, ne aliquem ob rem levem; ac ne ob gravem quidē eum, quem pejeraturum probabiliter conjiciunt, ad jusjurandum ex officio adigant.

CAPUT XIX.

Qui in confraternitatem aſciſcuntur, ne jurejurando obligentur.

CONFRATERNITATUM prioribus & præfectis mandamus, ne cùm aliquem in ipſam confraternitatem admittent, ipſum juramento obligent: ſed moneant tantùm, ut confraternitatis ſtatuta obſervet.

CAPUT XX.

Ordinarius ex illius bonis, qui inteſtatus obierit, portionem deputet in animæ ipſius ſuffragium.

QUONIAM non eſt æquum eos qui inteſtati moriuntur, ſpiritualibus ſuffragiis privari; ſtatuimus, ut ſi quis nullo teſtamento edito moriatur, Ordinarius ex demortui bonis pro ſuo arbitrio eam portionem in ſuffragium animæ illius deputet, quam pro perſonæ qualitate & bonorum ratione deputandam eſſe judicabit. quæ ſuffragia, ut ſedulò fiant, eorum cura ipſis hæredibus minimè ab Ordinario committatur; ſed illis, quibus hęc tutò credi poſſe confidet. Parochus verò, cùm aliquis ſine teſtamento obierit, intra dies decem Ordinarium de ea re certiorem reddat.

CAPUT XXI.

Excommunicatio ne decernatur ob leves cauſſas.

NE excommunicatio, quæ nervus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, contemptui potiùs ſit, quàm formidini; ſtatuimus, ne ea ob leves cauſſas, ſed re maturè ac diligenter perpenſa decernatur. Pro rebus igitur deperditis, vel furto ſublatis ne infligatur, niſi in rebus quidem certis, is qui excommunicationis literas petit, juret unam ex iis, quæ deperditę ſunt, vel furto ſublatæ, valorem excedere trium librarum; in rebus verò incertis veriſimile ſibi eſſe, quæ deperdita ſunt vel furto ſublata, valorem excedere librarum quindecim.

CAPUT XXII.

Eccleſiaſtici ab omni genere vectigalium liberi eſſe debent.

QUI ſacris initiati ſunt, ab omnibus vectigalibus, tributis, publiciſque oneribus liberi jure eſſe debent. Quare omnibus Conſulibus, Juratis, aliiſque civitatum vel locorum præfectis ſub excommunicationis pœnâ mandamus, ne cenſibus, aut vectigalibus, quæ ex pane, vino, carnibus, aliiſve rebus colliguntur; aut cùm ab Eccleſiaſticis propriâ pecuniâ ſibi, vel etiam aliis aliquid emitur, perſonas ipſas Eccleſiaſticas aliqua ratione opprimant. Quòd ſi aliquid ſimile ab ipſis hactenus tentatum ſit; vel ab eo prorſus deſiſtant, vel quamprimùm rationem nobis reddere, & quâ id auctoritate faciant, oſtendere curent.

CAPUT XXIII.

Qui putant ſe onere ſolvendi decimas exemptos eſſe, privilegia intra duos menſes Ordinario oſtendant.

OMNES quacumque dignitate aut præeminentia fulgeant, qui exiſtimant, ſe privilegio aliquo, pacto, conventione, aut concordia cum noſtris præceſſoribus inita à decimis ſolvendis, vel à quocumque alio onere eſſe exemptos, intra menſes duos hujuſmodi privilegia, conventiones, aut pacta nobis exhibeant; ut pro æquitate expendi ac examinari poſſint. Quod niſi fecerint, iis rationibus in eos agemus, quæ juſtæ, & juri conſentaneę videbuntur.

CAPUT XXIV.

De miniſtro Fiſcali.

CURIÆ miniſter Fiſcalis ſuæ commiſſionis fines minimè excedat, & à reo extra conſtitutam cauſſam nihil inquirat. Neque enim ad alia juriſdictionem habet, quàm ad ea, quæ fuerint illi à judice commiſſa: quòd ſi aliter fecerit, duabus libris multetur.

CAPUT XXV.

Qui Beneficio ſuccedit, debita præceſſoris ſui ſolvere ne compellatur, niſi pro illa portione, quam nomine Beneficii fortè recuperavit.

NISI juſti & æqui ratio in Eccleſiis habeatur, diſciplina Eccleſiaſtica planè langueſcet, & tandem deficiet. Cùm igitur nobis injuſtum meritò videatur, ut qui Beneficio ſuccedit, oneribus præceſſoris ſui gravetur; ſtatuimus, ne qui ad alicujus Beneficii

poſ-

poſſeſſionem fuerit admiſſus, debita præceſſoris ſui, ſive ex Miſſis ab illo non celebratis, ſive aliunde contracta ſint, ſolvere compellatur: niſi fortè aliquid titulo & nomine Beneficii ex redditibus ad defunctum pertinentibus ſit ab eo recuperatum. tunc enim pro illa portione onera præceſſoris ſubire debebit.

CAPUT XXVI.

De media annata ſolvenda.

QUI mediam, quam vocant annatã ſoluturi ſunt, antequã Beneficii curati poſſeſſionem accipiant, eam ſolvant; aut tuta cautione data, ſe ad eam intra anni dimidium ſolvendam adſtringant. Collector autem, qui in his colligendis negligens fuerit, intelligat, ſuo ſe id damno eſſe facturum.

CAPUT XXVII.

Clerus in rebus ſpiritualibus acceptationis tantùm actum faciat.

UT à rebus ſpiritualibus omnis conventionis & pacti ſpecies arceatur; ſtatuimus, ne quando Eccleſiis pia opera mandabuntur, à clero obligationis actus, ſed acceptationis tantùm fiat.

CAPUT XXVIII.

De jure ſepeliendi.

QUANDO in Eccleſiis noſtræ diœceſis jus ſepeliẽdi, quod ad ſucceſſores perveniat, alicui dabitur, id non fiat ſine Ordinarii; aut officialis ejus facultate. qui verò hujuſmodi jus accipiet, ipſi fabricæ Eccleſiæ, cujus nulli aut tenuiſſimi redditus in noſtris Eccleſiis eſſe ſolent, decem ut minimum libras in hac urbe, extra eam verò ſex, ſaltem erogabit. Poſſit autem qui hoc ſepeliendi jus habet, ſuis locum ad ſepeliendum dare: nulloque ob id gravamine aut moleſtia ab ullis afficiatur.

CAPUT XXIX.

De electione Rationalis, Collectoris, & Syndici.

CUM Rationalis in Eccleſiis noſtræ diœceſis eligendus erit, clerus duos nominet, quos Ordinario proponat, è quibus alterum pro ſuo arbitrio Ordinarius eligat. qui electionis modus Valentiæ ſervetur: extra eam verò è duobus alterum eligere, munus erit rectoris.

Collector autem Eccleſiæ ita ubique eligatur, ut è duobus, quos clerus nominabit, rector alterum eligat.

Syndicus verò à majore parte Capituli eligatur.

Porrò in prædictis electionibus, cùm vota utrimque paria erunt, eam partem, cui rectoris votum adhæſerit, alteri præferendam eſſe decrevimus.

CAPUT XXX.

De multis, quæ indicuntur à curatis vel eorum vicariis.

SI quando rector aut curatus, vel eorum vicarii multam alicui indixerint, eam Rationalis ne remittat, alioqui ſolidos duos ſoluturus, quos Eccleſiæ luminaribus deputamus. Hoc etiam placuit, ut abſente rectore & vicario, præcentor chori adminiſtrationem gerat.

CAPUT XXXI.

Doctorum inſignia quibus concedenda, & de loco in Eccleſiis cuique aſſignando.

UT certam aliquam rationem in Eccleſiis conſtituamus, quæ ad concedenda doctorum inſignia, & locum cuique pro ejus qualitate deſignandum conveniens ſit, & à noſtris obſervari debeat; ſtatuimus, ut in poſterum nullus ad doctoris inſignia in noſtris Eccleſiis admittatur, niſi in approbata aliqua Univerſitate, arduo præcedenti examine, juxta illius Univerſitatis morem, fuerit in Theologia, aut in Jure canonico doctor creatus. Quibus quidem doctoribus æquum eſſe ducimus, inſignem honoris locum dari: utpote quem multis literarum ſtudiis ſint promeriti.

In Eccleſiis parochialibus doctores, qui non fuerint ad ſacrum presbyteratûs ordinem promoti, presbyteris, etiam ſi non ſint doctores, loco poſteriores erunt.

Presbyteri diaconos loco præcedant, quantumvis diaconi ſint antiquiores Beneficiati.

Vicarius temporalis abſente rectore, ipſius rectoris locum teneat. Cui præſente rectore inter antiquiores Beneficiatos, non in, ipſo rectoris choro, ſed in altero locus detur: itaut unus tantùm è Beneficiatis, is nempè, qui eorum antiquiſſimus erit, illum præcedat.

Confirmatio conſtitutionum Synodalium Reverendiſſ. Fr. Thomæ de Villa-nova Archiepiſcopi Valentini.

CUM conſtitutiones ſynodales Reverendiſſimi Fratris Thomæ de Villa-nova prædeceſſoris noſtri ſint ab eo ſanctiſſimè inſtitutæ, & à nobis maximè probentur; ſtatuimus, ut in iis omnibus, quæ in noſtro Provinciali Concilio nuper habito, aut in præſenti Diœceſana Synodo non fuerint aliter ſtatuta, aut limitatione aliqua reſtricta, in noſtra diœceſi ſedulò obſerventur.

Statuta hujus Synodi, quæ ad laïcos ſpectant, tem-

tempore Adventûs, & Quadrageſimę à curatis populo in templis publicentur.

Caſus Archiepiſcopo Valentino in Synodo reſervati.

Crimen hæreſis & ſimoniæ.
Sacrilegium.
Homicidium proditoriè commiſſum, facto, conſilio, favore.
Inceſtus, ubi neceſſaria eſſet diſpenſatio.
Percuſſio parentum.
Aborſus procuratus.
Clandeſtinè contrahentes.
Incendium Eccleſiarum.
Teſtis falſus jurans in judicio.

Multæ in hac Synodo tranſgreſſoribus impoſitæ, tribus æquis portionibus dividendæ; Eccleſiarum fabricæ, pauperibus loci, & miniſtris executoribus, ſimul ac criminis delatori, applicantur.

ORDINATIONES

Pro choro Eccleſiarum diœceſis Valentinæ editæ à Reverendiſſimo Fr. Thoma de Villa-nova Archiepiſcopo Valentino in Diœceſana Synodo Valentina, Anno Domini MDXLVIII. die xiv. Junii.

CUM ſacerdotes, & alii clerici divino cultui mancipati non ſolùm animæ, & conſcientię puritate, verùm etiam corporali, & exteriori gravitate, ac morum decentia pollere debeant, ac in divinorum celebratione ſeipſos bene compoſitos circumſpicientibus exhibere, ut per exteriorem honeſtatem intrinſecam cordis compoſitionem oſtendant; iccircò nos Don Frater Thomas de Villa-nova Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopus Valentinus volentes in his quæ ad divinum officium, & ad ſacerdotalem ordinem pertinent providere, ſequentes ordinationes pro choro Eccleſiarum noſtræ diœceſis, ſanctâ Synodo approbante, fecimus, quas inviolabiliter ſervari mandamus.

Primò ſtatuimus & ordinamus, quòd cùm divinum officium celebratur, curatus, Beneficiati, ſubſtituti, & cęteri clerici cum omni reverentia & devotione aſſiſtant, ſilentium & ſacras cęremonias tenentes & obſervantes: Pſalmodiam, Antiphonas, Reſponſoria attentè, punctuatim, & ſpatiosè cantantes, ac pronunciantes. Itaque durante dicto officio legere, ſeu aliquas horas ſubmiſſa voce dicere non præſumant. quòd ſi ſecus egerint, & per curatum, vel ejus locumtenentem moniti non deſtiterint, pœnam duorum denariorum incurrant.

Statuimus quòd in proceſſionibus omnes compoſiti & ordinati procedant, quilibet in ſuo loco, & in ſuo choro ſecundùm antiquitatem & dignitatem. Contrarium facientes, ſi moniti non deſtiterint, pœnam duorum denariorum ipſo facto incurrant.

Inſuper volumus, quòd quicumque de clero in ſcandalum cleri & populi divinum officium conturbare, & verba injurioſa, ſeu contumelioſa, contra ſuum rectorem, vicarium, aut alium clericum, citra manus injectionem, intra Eccleſiam vel chorum, aut extra, in proceſſionibus aut funeralibus dicere præſumpſerit, ſeu rixando aut vociferando, durante divino officio, ſcandalum fecerit; ſi Beneficiatus, vel ſubſtitutus fuerit, percaciis, quę ei pervenient per menſem continuum, ſit ipſo facto privatus: & nihilominus divino officio per eundem menſem aſtare teneatur, quę percacia, & cæteræ pœnæ ſuprapoſitæ, aut infraponendę, per rectorem vel vicarium à collectore percaciorum exigantur; & inter illos qui ad horas & divinum officium in formâ aſſueta convenerint, dividantur.

Præterea ſtatuimus & ordinamus, quòd dum dicitur officium divinum ſanctæ Mariæ Virginis, propter ejus reverentiam & honorem omnes ſtent, his exceptis, qui propter imbecillitatem, infirmitatem, aut ſenectutem pedibus ſtare nequeunt. Et eodem modo dum *Gloria Patri*, aut Euangelium, aut canticum Euangelicum, ſicuti *Magnificat*, *Nunc dimittis*, *Benedictus*, *Gloria in excelſis*, vel *Credo* in Eccleſia dicitur: ſimiliter in capitulis, orationibus, Hymnis, & Præfationibus omnes ſtare teneantur: contrarium verò facientes, unius denarii pœnam incurrant.

Divino officio perdurante in choro nullus clericus ab una parte chori ad aliam tranſire præſumat cauſâ legitimâ ceſſante: qui contrarium fecerit, illius horę puncto privetur.

Nullus clericus cujuſque conditionis ſeu gradûs exiſtat, dum divinum officium celebratur, intret chorum, niſi ſit ſuperpelliceo & muſſâ indutus, aliàs punctum illius horæ amittat, aut uno denario multetur.

Omnes ſupradicti presbyteri interſint proceſſionibus; contrarium facientes quatuor dena-

riis

riis multentur, quando proceſſio ſit in Eccleſia: ſed ſi fiat extra Eccleſiam ſolenniter, ſolvant unum regale; niſi fortè aliquis illorum exierit ad concionandum.

Nullus durante officio exeat à choro, aut diſcurrat per Eccleſiam, aut dum prædicatio fit, niſi coactus neceſſitate: nec chorum intret alis ſuperpellicei ſuper humero plicatis, contrarium facientes, pœnam unius denarii incurrant.

Statuimus quòd nulli præter rectorem vel vicarium liceat ſe excuſare à cappa & à ſceptro ſuo ordine tenendo, cùm ei injunctum fuerit à vicario; ordine tamen inter presbyteros ſervato per boxardium, ut dicitur. Et ſi contrarium fecerit, & monitus non paruerit, duorum denariorum pœnâ multetur.

Statuimus & ordinamus, quòd presbyteri præſentes pro abſentibus Miſſas dicant ad quas tenentur, & de melioribus redditibus Beneficii pro qualibet Miſſa unum ſolidum Valentinum accipiant.

Quilibet Beneficiatus fideliter adimpleat Miſſas ad quas tenetur infra annum, ſic ut uſque ad diem Sancti Joannis Baptiſtæ medietatem illarum expleat, aliàs non recipiat à clero Miſſam, donec dictam medietatem expleverit: & uſque ad feſtum Nativitatis reliquam medietatem adimpleat: alioquin à clero Miſſam non recipiat, donec adimpleverit, ultra pœnam in conſtitutione Synodali appoſitam.

Quia hodie in dicto clero noſtræ diœceſis non ſunt diſtributiones pro Miſſa majori & Veſperis quotidianis, ut divinum officium, ſicut oportet, ſolenniter dicatur, & à presbyteris & Beneficiatis quotidie frequentetur; ſtatuimus quòd qui non adfuerit Veſperis, medietatem anniverſarii illius diei perdat. Et qui Miſſæ majori defuerit, alteram medietatem amittat: & hoc quando in illa die in Eccleſia anniverſarium erit; nam aliàs quoque ſemper obſervabitur, ſive fuerit, ſive non fuerit anniverſarium. Quòd quicumque clericus, Beneficiatus, vel ſubſtitutus non adfuerit Miſſæ majori, perdat punctum omnium actuum & funeralium à meridie uſque ad mediam noctem illius diei. Et quicunque non adfuerit Veſperis, ſimiliter amittat punctum omnium actuum & funeralium à media nocte uſque ad meridiem diei ſequentis, & deputabitur in clero presbyter unus, qui aſſiſtêtes Miſſæ & Veſperis ſupradictis puncto deſignet.

Ordinamus & ſtatuimus, quòd omnes clerici & presbyteri deferant honeſtum & clericalem habitum, ſecundùm ſtatuta ſacrorum Canonum. Quòd ſi aliquis illorum ſine veſte talari Eccleſiam introierit, illius horæ puncto privetur.

Ordinamus quòd nullus ſacerdos deferat cadaver in funeralibus, niſi cadaver fuerit alicujus presbyteri, vel in ſacris conſtituti, ſub pœna decem ſolidorum.

Statuimus & mandamus, quòd omnes Beneficiati & ſubſtituti, & reliqui de clero obediant rectori ac vicario parochiæ in his, quæ ad officium divinum pertinent. Quòd ſi quis rebellis fuerit, vel aliquid commiſerit, ſeu omiſerit circa officium & decentiam ac honeſtatem chori, dictus rector, ſeu vicarius habeat facultatem multandi eos, qui ſupradicta non ſervaverint: & quod ſic multatum fuerit, inconcuſsè obſervetur.

Fr. Thomas Archiep. Valent.

ELOGIUM
ILLUSTRISSIMI
D. JOANNIS DE RIBERA

Ex cl. viro D. Nicolao Antonio Biblioth. Hiſpanæ Tomo I. pag. 588.

D. JOANNES DE RIBERA, *Petri Afan de Ribera Tarifæ Marchiones & Alcalitani Ducis, qui Neapolitanum regnum pro Rege adminiſtravit, filius nothus, germanum chriſtianæ pietatis virtutumq; ſacro Imperio dignarum exemplar. Poſt gubernatam Pacenſem Eccleſiam, Valentinus Archiepiſcopus, ſimulq; Patriarcha Antiochenus creatus fuit anno exacti ſæculi LXVIII. ætatis ſuæ XXXVI. cujus præcipuè impulſu memorabilis illa facta eſt è regno illo atque univerſa Hiſpania Mauriſcorum, hoc eſt Mauri ſanguinis reliquiarum, expulſio; de qua multi multa dicunt, atque inter alios Gaſpar Eſcolanus lib. X.* Hiſtoriæ Valentinæ *cap. XXVIII. & ſequentibus. Edidit Franciſcus Scrivà Jeſuita quidquid ab Archiepiſcopo in literas datum fuit ſuper hoc argumento, ſcilicet:*

Inſtancia hecha para la expulſion de los Moriſcos.

Memorial para lo miſmo.

Sermon quæ prædicò luego que ſe publicò la expulſion. *Valentiæ apud Petrum Mey.* 1612. *in* 4. *Item prodierunt ab eo:*

Conſtituciones de la Capilla y Colegio del Corpus Chriſti, *quod ipſe erexit Valentiæ anno* 1605.

AD

AD LECTOREM.

QUANDOquidem de Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Joanne de Ribera mentio opportunè incidit; operę pretium viſum eſt, nonnulla quæ tanti Præſulis egregia merita ac eximiā pietatem teſtantur atque commendant, hìc inſerere; ut tanti viri ac integèrrimi Paſtoris laudes omnibus innoteſcant. Ea itidem accepimus à cl. viro D. Joſepho de la Torre & Orumbella, Valentino, deprompta ex libro MS. cui titulus: Vida del Illuſtriſs. y Reverendiſs. D. Juan de Ribera &c. *Auctore P. Franciſco Scrivà è S. JESU.*

EPISTOLA B. PII V.

AD

D. JOANNEM DE RIBERA

Patriarcham, & electum Archiepiſcopum Valentinum, in qua eum hortatur ne dictum Archiepiſcopatum renunciet.

Ex P. Franciſco Scrivà S. JESU in lib. inſcripto: Vida del Illuſtriſs. y Reverendiſs. D. Juan de Ribera *&c. cap. 9.*

Venerabili fratri noſtro Joanni Patriarchæ Antiocheno.

PIUS PAPA V.

VENERABILIS frater noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Literas tuas XVI. Kal. Auguſti ſcriptas accepimus, ex quibus conſilium tuum de onere Epiſcopalis curæ deponendo cognovimus. Qua in re conceptum à te ipſo quidem, ob præſentium temporum calamitates, Epiſcoporumq; ignaviam, animi dolorem, utpote à divini honoris zelo profectum, & amavimus vehementer, & in Domino commendavimus. Eſt enim Apoſtolicæ ſolicitudinis ſignum haud obſcurum, ſi quis pro parte ſua populorum peccatis ingemiſcit, ſi præpoſitorum deſidiam dolet, ſi denique ſcandalis, quæ ubique cernuntur, uritur. Conſilium tamen tuum probare nullo modo potuimus: quia omnibus manendum eſſe in ea vocatione ab Apoſtolo didicimus, in qua vocati ſunt. Te verò ad Epiſcopatum Deo vocante, contra voluntatem etiam tuam, perveniſſe, & tu ipſe in tuis literis fateris, & nos pro comperto habemus; cujus onere depoſito, vide ne non tam illud depoſuiſſe, quàm ab eciſſe, neque tam Eccleſiæ tuæ conſuluiſſe, quàm officium tuum prodidiſſe, munuſque ab omnipotenti Deo tibi aſſignatum deſeruiſſe videaris. Præſertim cùm cauſſæ, quas ipſe tui conſilii affers, non ad recedendum, ſed ad permanendum in ea, in qua poſitus es à Deo, Eccleſiæ tuæ cuſtodia, potiùs te impellere debeant. Quid enim, ſi, ut ais, multa opponuntur? ſi impedimenta Epiſcopali muneri rectè adminiſtrando objiciuntur? Iccircò ne animo & viribus deficere, ac non potiùs fortiter reſiſtere debes? ſed fac non impedimenta ſolùm & moras ad bene agendum afferri, ſed etiam terrorem, minas, mortem denique intentari. Illicò ne tanquam miles ignavus abjectis armis ſtationem tibi creditam deſeres? Cùm potiùs ſacerdotali vigore aſſumpto ſtare in fortitudine, poteſtatibus mundi ex adverſo aſcendere, potentis vultum non vereri, & pro domo Domini murum opponere debes, ne vivus, hoc eſt ſciens, in infernum deſcendas. Illud etiam frater conſidera, cujuslibet eſſe hominis ad navis gubernacula ſedentis, tranquillo mari, ſecundis flatibus, curſum dirigere: effervescentibus autem undis, ventis adverſantibus, clavum ſic moderari, ut curſum teneas, & in portum venias; id verè ſpecimen eſt ſpectatæ virtutis. Quòd ſi in iſto, cui præpoſitus es, munere adminiſtrando, aut parum proficere, aut non tantum, quantum velles, gregi tibi credito prodeſſe videris, noli ob eam cauſſam diutiùs triſtari, neque id, quod te facere decet, prætermittere: noſtrum enim eſt currere; divinæ autem poteſtatis eſt, nos, ubi ei placuerit, ad victoriæ palmam perducere. Etſi enim agri Dominici cultores ſumus, tamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Nam quod ad alteram Epiſtolæ tuæ partem attinet, in qua ad illud, quo fungeris, munus obeundum ineptum te atque infirmum eſſe ſcribis, primum hæc tua prædicatio magnum virtutis & juſtitiæ tuæ ſignum eſt. Juſtus enim in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Deinde ut hoc tibi concedamus, non iccircò tamen ſequitur, ut tuum de Epiſcopatu deponendo conſilium probare debeamus. Quamvis enim tu infirmus, Deus tamen qui te ad illud munus vocavit, omnipotens eſt. In eo ſperare, fiduciamque tuā reponere debes. Qui enim Abraam contra ſpem filium dedit, is potens eſt tibi pro ſua Eccleſia laboranti ſpiritualium frugum incrementa donare, & earundem uberrimos fructus multiplicare. Quocirca fraternitatem tuam ut bono fidentique in Deum animo ſit, fraternè monemus, eamque ad ſui gregis cuſtodiam, ad cleri populique ſibi commiſſi depravatos mores corrigendos, ad tollendos abuſus, ad veterem piè ſanctèque vivendi diſciplinam revocandam hortamur. Ob hæc autem, ſi quid aut adverſi pateris, aut hominum vel gratiâ impediris, vel terrore turbaris, hæc omnia patienter & æquo animo tibi ſuſtinenda eſſe ſcito. Qui enim

cordis

cordis tui eſt inſpector Deus, laborum tuorum juſtam tibi mercedem reddet. A nobis autem omnia ad exequendum iſtud tibi ab omnipotenti Deo injunctum munus, fraternæ noſtræ erga te benevolentiæ, poteſtatiſque à Domino nobis conceſſæ auxilia ſemper expectato. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Septembris MD LXIX. Pontificatûs noſtri anno quarto.

T. Aldobrandinus.

EPISTOLA

S. CAROLI BORROMÆI

AD ILLUSTRISS. DOMINUM

D. JOANNEM DE RIBERA

Archiepiſcopum Valentinum & Patriarcham Antiochenum.

Ex libro MS. Vida del Illuſtriſs. y Reverendiſs. D. Juan de Ribera. *Auctore P. Franciſco Scrivà Soc. JESU cap. 27.*

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine.

MULTORUM hominum qui iſthinc ad nos ventitant, commemoratione, & P. Ludovici Granatæ literis, cum magna animi mei voluptate accepi de cura & de ſolicitudine eximia, vereq; paſtorali, quam Illuſtriſſima A. T. continenter adhibet ad vineam ſibi à Domino locatam tuendam, atque excolendam: qua quidem re factum eſt, ut ego ſenſerim ad Eccleſiæ meæ curam, & ad omnem officii mei perfectionem tanti viri exemplo vehementer inflammari: atque erga Illuſtriſſimam A. T. ſtudio quodam, obſervantiaque commoveri, quam his literis tibi ſignificandam teſtandamq; eſſe duxi. Nam pro eo divinæ gloriæ zelo, quem bonorum omnium parens atque auctor Deus, mihi impertitur, cùm omnes ejus Majeſtatis famulos, charitate, obſervantiâq; ſingulari complector; tum præcipuè eos, qui in Epiſcopali dignitate, & quaſi vigilia poſiti, cavent ne Chriſti ſanguis, quo nihil eſt omnino pretioſius, fruſtra pro ovibus ſuis effuſus eſſe videatur: easq; tamquam orbes quidam cœleſtes, & Euangelicæ doctrinæ luce illuſtrant, & boni exempli impulſu excitant ad omnem Chriſtianæ vitæ præſtantiam. Quo in numero quoties Illuſtriſſimam A. T. eſſe audio, magna mihi materies offertur divinæ bonitatis prædicandæ, magnumque deſiderium injicitur illam propiùs cognoſcendi: quod cùm per utriuſque noſtrùm occupationes minimè liceat, literis ſaltem compellare, ut his meis tuas eliciam, plenas prudentiæ, plenas charitatis non dubitavi. Qua in re, ut Illuſtriſſimam A. T. ſe mihi benignam liberalemq; pro ſua egregia humanitate præbeat, magnopere peto atque obteſtor. Epiſtolis enim Illuſtriſs. A. T. me pro ipſius prudentia, rerumq; Eccleſiaſticarum uſu, ad Eccleſiæ meæ conformationem atque adminiſtrationem, vehementer adjutum iri ſpero, atque adeò confido. Ac ne Illuſtriſſima A. T. ullam habeat excuſationem, mitto ad illam ſextum meum Concilium Provinciale, ut hoc, licèt exiguo munere, meum erga eam ſtudium obſervantiamq; declarem: tum etiam aliquod Concilium Illuſtriſſimæ A. T. aliamve Eccleſiaſticam lucubrationem, cum fœnore, ab ea obtineam. Mediolani 26. Martii MDLXXXIV.

A. T. Illuſtriſſimæ

Addictiſſimus frater in Domino

C. Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis.

BREVE

PAULLI PAPÆ V.

Ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominum

D. JOANNEM DE RIBERA

Archiepiſcopum Valentinum & Patriarcham Antiochenum.

Ex eodem libro ac capite.

PAULLUS PAPA V.

VENERABILIS frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Egregia fraternitatis tuæ pietas, atque in procurandis ſtudioſè his quæ ad divini cultûs amplificationem, populorumq; devotionem pertinent, ſingularis munificentia atque liberalitas ſatis nobis perſpecta eſt. Nam eo tempore, quo apud te divertimus, facilè omnia propriis oculis intueri potuimus. Propterea te ſemper ſumma in Domino charitate proſequuti ſumus. Quare exiſtimare debes petitiones tuas nobis cordi eſſe, noſque tibi, quantum licuerit, libenter in omnibus ſemper gratificaturos fore, ſicuti reipsâ experieris. Tu verò quemadmodum hactenus feciſti, ſuper gregem tuum ſedulò vigila, & pro nobis Deum Patrem miſericordiarum ora: quem ut te incolumem ſervet precamur, ac ſimul tibi Apoſtolica benedictione noſtra benedicimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Kalendis Aprilis MDCVI. Pontificatûs noſtri anno primo.

ELOGIUM
S. THOMÆ DE VILLA-NOVA.

Ex cl. viro D. Nicolao Antonio Bibliothecæ Hiſpanæ Tomo II. pag. 255.

S. *THOMAS DE VILLA-NUEVA, fauſtis natalibus* Fuen-llana *oppidum, unde erat mater, agri Laminitani, atque item educatione ſuâ* Villam-novam ab Infantibus *appellatam, duobus à Fuen-llana milliaribus diſtantem (nam ex ea oriundus fuerat Alphonſus Garſias pater) egregiè nobilitavit. Compluti hic tranſacto literarum tirocinio, inter ſodales allectus fuit Collegii Ildephonſini ab erectore ipſo Franciſco Ximenio Toletano Antiſtite nunquam ſatis laudato. In hac Academia facto ſibi inter laureatos ejus patres loco, ſextum & viceſimum annum agens, philoſophiam docere juſſus eſt, jam tum non literis tantùm, ſed & morum exemplo juventuti proficuus: in quo auditorum cœtu tunc temporis numerabantur (quod Alvarus Gomezius in de* Ximenii rebus geſtis *annotavit) Dominicus Sotus, & Ferdinandus Enzinas. hic ſubtilis poſtea philoſophus fuit ſimul & Theologus. Sed curæ huic jam biennio intentum alia ſui juſtior & honeſtior cura inde abripuit; Salmanticæque inter eremitas Auguſtini Patriarchæ aſſeclas dicere juſſit hujus regulæ ſacramentum. Cœpit autem, cùm ſeſe primò dare in publicum potuit, de verbo Dei pro concione verba facere, eâ quidem commotione Salmanticenſis populi, ut tanquam ad Apoſtolum aliquem vitæ redditum, angelumve in terris apparentem ab omni ſexu & ætate concurreretur. Hujus muneris cùm collegiſſet non minùs quàm in pœnitentiæ ſacramenti adminiſtratione fructus perquam opimos, inter Cæſareos Caroli Eccleſiaſtas cooptatus, mirum in modum obſervari à religioſiſſimo hoc Imperatore, atque item de republica in cauſſis Theologicis ante alios conſuli atque probari. Charitatem ſodalium, & erga eum obſervantiam commiſſa ei præmaturè domeſtica produnt munera. Bis Salmanticæ, & quidem duobus à profeſſione tantùm annis primùm, bis Burgis, atque item Pinciæ præfectum egit; quemadmodum & bis provinciæ Rectorem cùm Bæticæ, tum Caſtellæ. Salutatum à Generali magiſtro ſui Ordinis eo elogio, quod jam ponimus, hominem ſubditum, talem fuiſſe oportet, qualem fuiſſe certiſſimis documentis jam comprobatum eſt. Hieronymus Seripandus ad nos veniens vir graviſſimus adiri ſe ab eo per epiſtolam rogat, certioremq; eum facit ſe jam audiviſſe* clariſſimâ, & unâ omnium voce (*verba Epiſtolæ audis*) divina tibi omnia munera cumulatiſſimè eſſe conceſſa, ita ut idem ſis eloquentiſſimus divini verbi interpres, & vitæ & ſanctimoniæ tanta integritate, ut ſummos illos primos noſtri Ordinis patres non ſequi, ſed præire videaris. *Fama eſt Granatenſi Eccleſiæ deſtinatum à Cæſare Antiſtitem, ſubtraxiſſe ſe, ut imparem oneri. Sed Valentinam admiſit paullo pèſt; nec priùs tamen quàm imperio & præcepto ejus, cui non obedire religio eſſet, adigeretur. Undecim in hac ſede non ampliùs annos paſtorem exercuit, dignus qui in cæterorum exemplar, vitæq; in terris actæ cœleſtis, diutiſſimè cum ægris mortalibus commoraretur. Planè ſui ſolicitum & quietis cupidum, ſuper eoq; novum à Cæſare gratiusq; beneficium renunciandæ in Pontificis manibus bonâ illius gratiâ dignitatis calidè expoſcentem, imago Domini Jeſu cruce-pendentis, domeſtici oratorii ſumma, de brevi intra paucos menſes obitu paratum, & in procinctu militem ſacrum admonuiſſe dicitur. Contigit is die ipſo Nativitatis Mariæ Deiparæ anno MDLV. cùm anginæ graſſantis morbo non multos dies par eſſe potuiſſet; quem quidem inter cœlites ab anno MDCLVIII. præeunte Alexandro VII. P. M. ſuppliciter colimus ac veneramur. Vitam ejus ſcripſerunt Latinè Nicaſius Baxius Antuerpienſis, Hiſpanè verò Hieronymus Canton Valentinus, Auguſtiniani. Fruimur hodie doctrinæ illius monumentis haud magnæ molis, attamen auro contrà non caris, nempe:*

Concionum *Tomis duobus, quæ primùm typis mandatæ ſunt Complutenſibus* Ferdinandi Ramirez *anno MDLXXXI. in folio, Petri Uzedæ Guerreri Auguſtiniani operâ, Gundiſalvo Ferdinando à Corduba Sueſſæ Duci noncupatæ. Et poſt antiquiorem hanc, & alias fortè editiones, prodierunt Coloniæ anno MDCXIV. & MDCXVI. in 4. Nuper Joannes Baptiſta de Pinnis Auguſtinianus in alma Romana urbe publicus Bibliorum, & in Univerſitate ordinarius interpres novam editionem curavit, adjunctâ ſancti viri vitâ, elogiis & indicibus verborum ſententiarumq;. Romæ apud Angelum Bernabò à Verme MDCLIX. in folio. Sed & Coloniæ prodierunt MDCLXI. in 4. duobus Tomis.*

LE-

LECTORI.

POST tanti viri elogium, viſum eſt hic adjungere Epiſtolam Paullo III. miſſam, in qua ei ob Archiepiſcopales Eccleſiæ Valentinæ infulas ſibi collatas, grates rependit; quamvis ejus humeros tanto oneri impares fore maximè vereatur. Epiſtolæ tenor hic eſt:

EPISTOLA

S. THOMÆ A VILLA-NOVA AD PAULLUM III.

Beatiſſime Pater,

LITERAS S. V. ſub plumbo, quibus me Eccleſiæ Valentinæ in Archiepiſcopum & Paſtorem præfecit, nuper accepi, non ſine timore multo & tremore. Quis enim tanti miniſterii pondus, & tam ſublimis dignitatis faſtigium (ſi fidei lumen habet, & futuri judicii, ac reddendæ rationis immemor non eſt) ſubire non vereatur? Faciat hoc piiſſimus ac clementiſſimus Chriſtus, ut Eccleſiæ ſuæ Catholicæ, ad quam ſuo & ſuorum ſanguine fundandam, de cœlo deſcendere dignatus eſt, idoneus miniſter inveniar, ut Sanctitati veſtræ, cui pro tanta in me benevolentia gratias nullo ſermone referre ſufficio; vel ſic ex parte opere reſpondeam, ut injunctum officium diligenter ac fideliter exequar. Nihil enim gratius acceptabiliuſve Beatitudini veſtræ crediderim, quàm ad Eccleſiam Dei ſibi commiſſam regendam, conſervandam, & ampliandam, quos in partem ſolicitudinis vocat, fideles ac promptos coadjutores invenire. Et ad hoc velle quidem pro certo adjacet mihi, utinam & perficere condonetur. Cæterùm ſi quid eſt in me virium aut ſufficientiæ, id totum hac ſua clementia ſibi veſtra Sanctitas vindicavit; ita ut neminem ſubditorum gratiorem, humiliorem, & ad omnia mandata paratiorem (ut par eſt) toto orbe Sanctitas veſtra reperiat. Teſtimonium quoque præſtiti juramenti antè conſecrationem (ut moris eſt) ſicut per eaſdem literas Beatitudo veſtra expoſcit, cum his literis mitto. Valeat pia & benigna Sanctitas veſtra ad multos annos ad Eccleſiæ Dei utilitatem & pacem.

Sanctitatis veſtræ

Humilis & devota creatura

Fr. Thomas à Villa-nova.

EPITOME,
SIVE COMPENDIUM
CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ,

AB ANNO CIRCITER MCC. USQUE AD MDLXXX.

AD ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. JOANNEM A RIBERA

Patriarcham Antiochenum & Archiepiſcopum Valentinum, ejuſque perilluſtres Canonicos & Capitulum, Bernardini Gomeſii Miedis Canonici & Saguntini Archidiaconi, in epitomen ſive compendium Conſtitutionum Valentinæ Eccleſiæ.

PRÆFATIO.

UT auditori brevitas grata eſt, cùm in dicente aut nullum redundat verbum, aut tantum verborum ineſt, quantum neceſſe eſt; ita lectori gravi percurioſo, cujus eſt attentè ſcripta percurrere, nihil ſolet eſſe gratius, & quod ipſum provocet ad legendum intentiùs, quàm demptis ſupervacaneis, ea tantùm quæ ad rem faciunt, expreſſa invenire: quòd magnam ſibi is temporis jacturam facere videatur, dum ad inveniendam rem, oblongo verborum ambitu circumducitur. Quæ planè ratio, te quidem Antiſtes Illuſtriſs. vos, canonici perilluſtres, meritò ac jure movit, ut in recenſendis tam multis hujus Metropolitanæ Eccleſiæ legibus, ſive conſtitutionibus, ad hanc uſque diem ab ejus exordio editis, magnam quoque brevitatis rationem haberetis: propterea quòd hæ non ſolùm numero & multitudine, ſed variâ multiplicique verborum ſupellectile, cùm legentibus faſtidio erant, tum ex hoc etiam pleræque in deſuetudinem turpiſſimè abire cœperant. Quid enim turpius, quàm ſacras Eccleſiæ leges, ad ipſam regendam conditas, atque jure jurando firmatas, earum conditores ſimul ac vindices, non modò miſſas quandoque facere, ſed à relegendis illis abhorrere? Quid vecors ille inde oriens erga divinum cultum negligentiæ abuſus? nonne paullatim in eam ipſam damnationem, quâ digni ſunt qui opus Dei negligenter faciunt, abutentes detrudebat? Cui tandem incommodo, ut pro communi Eccleſiæ bono officiique debito occurreretis, ſcitè diligenterque providiſtis, ut Conſtitutionum tot inventæ centuriæ, confuſaque multitudo, redigerentur in ordinem: utque ſingulæ quæque ad breves quaſdam ſummas rerum, & ſententias reductæ, in commentarium, ſeu parvum quendam codicem referrentur; cujus brevitate ac contractione, unuſquiſque ad perlegendum allectus, eodem veluti Enchiridio, ad debitam Eccleſiæ adminiſtrationem impendendam, pièque ac ſapienter eius neceſſitati occurrendum ac conſulendum uteretur. Quod redigendi onus, tametſi grave arduumque profectò (res enim dilatandi, quaſi naturæ opus eſt, contrahendi, artis) ut primùm tamen mihi injunxiſtis, curavi ſedulò, proque virili parte, perficere, veſtroque rem omnem propoſito accommodare. Nam primùm quidem variam ac diſperſam tot veterum atque novarum Conſtitutionum congeriem in quoſdam communes locos, ſive titulos, quibus res in univerſum à re, atque argumentum ab argumento diſtingueretur, digeſſi-

geſſimus. Deinde detractis ſuperfluis, ipſam ſummam rerum, quantâ maximè potuimus brevitate ac ſucco è ſingula quaque conſtitutione expreſſam, in compendiola retulimus: in quibus & Antiſtitis tunc præſidentis nomen prænomenque appoſuimus; ac diem, menſem, & annum, quibus acta illa fuere, adſcripſimus: & originarium codicem Conſtitutionum veterum impreſſarum; in quo illæ fusè atque ad longum conſcriptæ ſunt, cum folio, ſive pagina citavimus: ut ad illum, tanquam fontem rerum, facilis atque apertus ſit inquirenti aditus. Poſtremò indicem copioſum ſumma continentem capita ſive rubricas reductarum ſic Conſtitutionum, Operi affiximus; ut pro titulo & pagina in promptu ſit ejuſmodi compendiola invenire. Cæterùm, quòd nonnullas Conſtitutiones, ſive ſtatuta, antiqua potiſſimùm, contrario nunc uſu abolita, reliquerimus; mirandum non eſt: conſultò enim id fecimus, ut eorum, ſi non uſus, ſaltim perpetua ratio, ut legis anima, quâ condita fuêre illa, appareat; ut poſteris ſubſerviat ad aliquid vel renovandum, vel ex cauſſa immutandum. Quin & iiſdem quoque vocabulis, ac etiam dictionibus, quibus tum erat dicendi ac ſcribendi uſus, uſi quoque fuimus; ne mutatis illis, immutâſſe rem, atque à vero eius ſenſu & intelligentia diſcrepâſſe videremur. Quibus peractis librum juſſu veſtro typis excuſſum, ac non mediocri labore noſtro abſolutum, vobis, tanquam perpetuæ noſtræ erga vos & Eccleſiam obſervantiæ ac pietatis teſtem futurum, in manus damus: quem ut præ oculis manibuſq; ſemper habeatis, vos etiam atque etiam oramus, obteſtamurque, ut cuius aſſidua lectione, cùm muneris officiique veſtri erga Eccleſiam præclarè admoneamini: tum ad eam piè fideliterque regendam & gubernandam, ut debetis, nulla ſit mora; quin tu eius Princeps vigilantiſſime, ſummam cum auctoritate mentem adhibeas: voſque ejuſdem conſortes laboris canonici, omnem veſtram curam, ſtudium, ac diligentiam, nervos denique omnes intendatis.

EPITOME,

SIVE COMPENDIUM

Omnium Conſtitutionum Eccleſiæ Valentinæ.

TITULUS PRIMUS

De diſtributionibus in communi.

Conſtitutio prima diſtributionum Eccleſiæ Valentinæ.

HÆC conſtitutio continet donationem factam per Epiſcopum & capitulum de quibuſdam fructibus decimalibus, quos poſſidebant in locis, oppidis, & territoriis ibidem expreſſis, in favorem Eccleſiæ, pro dotandis atquè augendis diſtributionibus ejuſdem; dividendis inter canonicos, qui tunc erant numero viginti, & alios Eccleſiæ officiales numero decem: nempe Hebdomadarios quatuor, Diaconos & Subdiaconos quatuor; Succentores duos; necnon Vicarium Sancti Petri. Ac inſuper, quantum unicuique ex prædictis, quotave portio pro ſingulis horis erogabatur intereſſentibus, exprimitur. Quin & modus colligendi ejuſmodi fructus, & in diſtributiones convertendi; necnon abſentium portiones præſentibus accreſcendi, ordo diſponitur. Ac inſuper quibus maximè diebus ſolennibus ejuſmodi portiones, duplas dici ſolitas, inter preſentes dividerentur, forma proponitur. Poſtremò duo probatæ fidei clerici eliguntur, qui quotidie pro reſidentia illorum exigenda, & præſentes notent, & abſentes pungant, & reliqua ad id neceſſaria officia exerceant: pro quibus aſſignata ibidem ſibi ſalaria accipiant; aliaque etiam, ad ejuſmodi diſtributiones colligendas & dividendas pertinentia, caveant & obſervent. Quæ conſtitutio per Epiſcopum & capitulum de communi conſenſu edita & jurata fuit; ac per Archiepiſcopum Tarraconenſem, tamquam Metropolitanum, confirmata. Actum Valentiæ, in capitulo Paſchali 7. Idus Aprilis MCCCXXXIV. *Ex imp. fol.* 1. *a.*

Conſtitutio de diſtributionibus, præcedentem corroborans.

RAYMUNDUS Epiſcopus anno Domini MCCCXXXVIII. unà cum honorabili capitulo, præſenti conſtitutione confirmârunt præfatam donationem de diſtributionibus inter canonicos & officiales dividendis, ultra eas, quæ in præcedenti conſtitutione aſſignatæ fuerunt unicuique ex dictis ſingulis horis, in certa quadam ibi expreſſa portione & augmento. Ad hæc duplæ diſtributionum in eadem conſtitutione expreſſæ inter eoſdem dividendę, ex cauſſa reducuntur ad certam ſummam unicuique ſingulis diebus erogandam. Demum nonnulla alia habentur nullius ferè conſiderationis, atque à quotidiano ac præſenti uſu Eccleſiæ, ut videre eſt, ſatis aliena. Quæ fuerunt acta in capitulo Paſchali menſe & anno præfixis. *Ex impreſs. fol.* 3. *b.*

Conſtitutio de augmento diſtributionum Eccleſiæ.

SIMILITER per hanc conſtitutionem ab eodem Raymundo Epiſcopo & capitulo confirmantur tam donationes fructuum prędictæ, quàm eorundem diſtributiones inter canonicos & officiales dividendæ, in duabus præcedentibus conſtitutionibus expreſſę. Necnon propter augmentum & excreſcentiam fructuum, adduntur etiam atque augentur portiones ultra prędictas, unicuique illorum in certa ibi expreſſa quantitate, pro ſingulis horis, divinis officiis intereſſentibus. Denique nonnulla alia caventur à præſenti Eccleſiæ uſu aliena.

Act.

Act. in capitulo Paſchali, xiij Kalend. Madii, anno MCCCXL. *Imp. fol. 4. b.*

Conſtitutio de augendis & non alienandis redditibus diſtributionum Eccleſiæ.

HAc etiam conſtitutione jurata ab eodem Raymundo & capitulo, confirmatæ fuerunt præcedentes conſtitutiones de dotandis, & augendis, atque nullo unquam tempore alienandis, neque in alios uſus convertendis redditibus ſive proventibus ad dictas diſtributiones pertinentibus. Quinimmo creſcentibus fructibus, diſtributiones quoque fore augẽdas decernitur. Addito quòd ſi fructus decreſcerent ob ſterilitatem aut alios caſus, poſſint etiam Epiſcopus vnà cum capitulo de diſtributionibus aliquid ſubtrahere, & ab illorum perceptione amovere perſonas aliquot ad illas antea admiſſas. Acta in capitulo Paſchali 4. nonas Aprilis, anno MCCCXLV. *Ex impreſſ. fol. 5. b.*

Conſtitutio de diſtributionibus à canonicis & officialibus recipiendis.

HAC etiam conſtitutione ſtatutum fuit, ut ex accremento & augmentatione, tam ex unionibus & incorporationibus per ſedem Apoſtolicam menſæ capitulari factis de ſeptingentis quinquaginta ſolidis ſingulis annis perſolvendis in feſto omnium Sanctorum à quolibet præpoſito, quàm etiam ex fructibus præpoſituræ menſis Octobris eidem menſæ perpetuò, eâdem auctoritate, unitæ pro diſtributionibus Eccleſiæ de cætero portiones canonicorum (qui jam tum erant viginti quatuor) & præfatorum decem officialium, actu horis divinis intereſſentium, augerentur; prout auctę fuerunt, modo & quantitate ibi expreſſis. Necnon de emolumentis, quæ ſupererunt ex abſentia canonicorum & officialium, conſtituerunt fieri duplas in certis feſtis ſolennibus inter eoſdem canonicos & officiales divinis intereſſentes dividendas: & ſi quid ultrà ſupereſſet, id quoque in fine menſis cujuſque inter eoſdem intereſſentes divideretur. Inſuper eâdem conſtitutione fit creatio pedis canonicalis de mille libris. Demum fuit ordinatum, ut canonicus novus nihil recipiat ex duplis, niſi per ſex menſes continuos reſederit in Eccleſia. Cui decreto jampridem mandato Apoſtolico derogatum eſt, neque ampliùs eſt in uſu. Acta die 20. Junii MCDXXIX. Sede paſtore carente. *Ex impreſſ. fol. 7. a.*

Ordinatio ſuper duplis accreſcentibus canonicis.

DOMINI de capitulo unanimes & concordes ordinârunt ſuper diſtributione duplarum ſedis Valentinæ, quòd canonicis accreſceret unus denarius pro qualibet hora divina, ac etiam Beneficiatis dictæ Eccleſię accreſcat obolus pro quavis hora divina, etiam in Matutinis horis. Act. decimo tertio menſis Aprilis anno MCDXIII. *Ex impreſſ. fol. eod. a.*

Præfatio conſtitutionum à domino Ugone Epiſcopo Valentię editarum.

CONSTITUTIO prima domini Ugonis Epiſcopi Valentini, per quam idem omnes alias conſtitutiones per Epiſcopos prædeceſſores ſuos editas in unum corpus ſe velle colligere aſſerit. In quibus nonnulla correxit, pleraque immutavit, innovavit, eaque conjunxit cum conſtitutionibus à ſe editis: quas gravi ac pereloquenti procœmio præmiſſo, univerſas ipſe primus in ordinem redegit, & in locos communes digeſſit. Nam primo loco poſuit conſtitutiones, quæ ſpectant ad canonicos, ſecundo quæ ad Dignitates, tertio quę ad Præpoſituras, quarto quæ ad reliquos Beneficiatos & perſonatus ſedis. *Ex imp. fol. 8. a.*

Conſtitutiones duæ Vitalis Epiſcopi ſuper decimis & præpoſituris.

PRIMA conſtitutio domini Vitalis Epiſcopi, anno Domini MCCCLX. cum honorabili capitulo edita, cõtinet, quòd decimæ non vendantur, nec arrendentur, aut modo aliquo concedantur dominis locorum, ſeu procuratoribus, curatoribus, tutoribus, & adminiſtratoribus eorundem, in quibus hujuſmodi decimæ percipiuntur: & eſt jurata. Altera verò continet, quòd arrendatores præpoſiturarum, vel alicujus ipſarum, dare habeant fidejuſſores in civitate habitantes, de faciendo ſervitium & onera perſolvenda ad quæ præpoſitura ipſa arrendata eſt aſtricta, aliàs eſt ibi excommunicationis ſententia lata, ſub eiſdem menſe & anno. *Ex imp. fol. 81. b.*

Bulla, quòd de diſtributionibus & anniverſariis Eccleſiæ Valentinæ non exigatur decima nec ſubſidium.

DE mandato ſanctiſſimi domini Benedicti Papæ XIII. vivæ vocis oraculo, Ludovico Epiſcopo Majoricenſi facto, generali collectori ſubſidii & decimarum Cameræ Apoſtolicæ debitarum in provinciis Tarraconenſibus & Cæſarauguſtanis; necnon ſubcollectori in Valantina civitate & diœceſi conſiſtenti mandatur, ne de cætero, ratione ſubſidii impoſiti & imponendi, necnon decimarum quæ levantur, aut in poſternm levabuntur per ſedem Apoſtolicam, nihil ex nunc petant, aut exigere permittant à venerabili capitulo Valentino ex redditibus, quæ pro communibus diſtributionibus quotidianis & anniverſariis dantur in choro Eccleſiæ Valentinę intereſſentibus. Dat. Valentiæ ſeptimâ Julii MCDV. Pontificatûs præfati Benedicti Papæ anno xxi. *Ex impreſſ. fol. 17. a.*

Con-

Conſtitutio permutationis factæ inter Epiſcopum & capitulum ſuper decimis de Garchio & Chullella cum certa quantitate ſuper decimis de Alzira.

JACOBUS Epiſcopus & capitulum Valentinum, ad quos decimæ & territoria oppidorum de Chullella & de Garchio ex donatione Regia cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ex æquo, & pro dimidia pertinebant; initâ inter ipſos concordiâ, capitulum mediam partem dictarum decimarum ad ſe pertinentem, Epiſcopo, ejuſque juridictioni in totum tradit; omneque jus ſuum in illum tranſtulit; permutatione facta pro ſeptem mille ſolidis eidem capitulo pro diſtributionibus, ſibi annuatim ſolvendis, ſuper decimis oppidi de Alzira: illiſque auctoritate propria levandis & exigendis, & in dictas diſtributiones convertendis, franchis & quitis, & abſque omni onere expenſarum percipiendis. Quæ conſtitutio ſeu permutatio auctoritate Apoſtolica confirmata fuit ad perpetuam rei memoriam, per Gregorium Papam XI. ſub dat. Avinione, nonis Julii, Pontificatûs ejus anno tertio. cujus virtute Bullæ permutatio facta fuit. Hoc ſalvo & retento tamen, quòd ſi contigerit aliquem, vel aliquos de dicto capitulo, gravibus de cauſſis habere recurſum ad alterum ex dictis caſtris de Chullella & de Garchio, aut aliquo ex caſu ad illa confugere; quòd Alcaydi eos benignè recipiant, tutentur, atque ut dominos tractare debeant. Quæ fuerunt acta Valentiæ in ſede Valentina, ſeptimâ menſis Junii, anni MCCCLXXIII. *Ex imp. fol. 42. b.*

TITULUS SECUNDUS

De his quæ ſpectant ad canonicos & capitulum.

Conſtitutio, per quam inſtituuntur viginti canonici.

JAZPERTUS Epiſcopus Valentinus, nono Kalend. Martii, anno Dñi MCCLXXIX. vnà cum capitulo, viginti canonicorum numerum inſtituerunt, neque ultra præfatum numerum augeri, neque in canonicum admitti poſſe quenquam jurârunt; ſalvâ tamen in omnibus ſedis Apoſtolicę auctoritate. Ac inſuper providerunt quòd canonici expectantes, à voce in capitulo, portione canonica, domibus capitularibus, præpoſituris, perſonatibuſque fiant alieni, donec actu accipiant præbendam, & ſint de numero aſſignato. HUGO. nec poſſint petere, quòd ad audiendos tractatus aliquos capituli, vel ad diſtributiones aliquas admittantur. *Ex imp. fol.* 8. b.

Creatio quatuor canonicatuum presbyteralium.

CONSTITUTIONE Raymundi Epiſcopi & capituli edita anno Domini MCCCXLV. ultra numerum viginti, denuò creati ſunt quatuor canonicatus ſive præbendæ in Eccleſia Valentina, presbyterales dictæ, quæ dotatæ fuerunt ex bonis, ſive decimis plurimorum locorum, tunc ab eodem Raymundo Epiſcopo de manibus laïcorum ereptis, recuperatiſque, ac menſę Epiſcopali acquiſitis. Quæ dotatio facta eſt ſine præjudicio & onere Præpoſitorum, & aliarum Dignitatum, ſive perſonatuum Eccleſiæ; cùm & veſtiarium, & prima menſis ſolvi ſoleant prædictis quatuor canonicis, non ex præpoſituris, ſed de menſa canonicali, cui præfatę decimæ ad dotandum fuerunt unitę & incorporatæ. Ideoque in omnibus æquales ſint, atque in omni jure percipiendi, & omnes canonicales actus in capitulo & Eccleſia exercendi, habeantur pares reliquis viginti canonicis, ſintque presbyterales; ita ut niſi presbyteri, actu eas obtinere non poſſint: quòdque perſonaliter in Eccleſia reſidere; idque jurare in admiſſione teneantur. Quorum etiam quatuor canonicatuum ſeu præbendarum collatio, ſive proviſio in ſolidum ad Epiſcopum ejuſque ſucceſſores perpetuò pertineat. Quę conſtitutio ſive creatio canonicatuum, atque prębendarum quatuor, Bullâ Apoſtolicâ Clementis Papæ VI. fuit confirmata, & per dictum Raymundum Epiſcopum (cui etiam commiſſa fuit) executioni mandata. Quę acta fuerunt pridie idus Decembris, anno MCCCXLV. *Ex imp. fol.* 9. *a.*

Conſtitutio: per quos creentur canonici deficiente numero.

STATUIT Ferrarius electus Epiſcopus Valentinus, in primitiva ordinatione Eccleſiæ, factâ nono Kalen. Julii, anno Domini MCCXL. ut Canonici in Eccleſia Valentina eligantur de communi conſenſu Epiſcopi & capituli. Id intellige, exceptis quatuor canoniis & præbendis presbyteralibus per Raymundum Epiſcopum creatis: cùm illarum ad ſolum Epiſcopum ſpectet collatio. *Ex impreſſ. fol.* 12. *b.*

Conſtitutio de portione canonica, & veſtiario.

AB eodem Andrea Epiſcopo & capitulo Kalend. Julii, anno MCCLIV. ſtatuitur, ut abſens canonicus cauſsâ ſtudii de licentia Epiſcopi, quoad portionem canonicam & veſtiarium pro præſenti habeatur. Et quòd non reſidens in Eccleſia per octo menſes anni, veſtiarium non habeat. Item ſtatuitur ab eiſdem, ut canonicus cauſsâ ſtudii de licentia Epiſcopi ad ſcholas accedens, habeat & percipiat canoniam ſuam integrè & liberè tanquam reſidens, cum veſtiario ſuo, quamdiu in

ſcho-

ſcholis reſideat: proviſo tamen quòd dimittat ipſe unum clericum in Eccleſia, qui ſerviat in ea loco ſui, clericali tamen in ordine, ne Eccleſia numero deſervientium defraudetur aut minuatur. Item ſtatuitur, ut quicumque canonicus in civitate aut diœceſi Valentina exiſtens, per octo menſes, licèt non continuos, reſidentiam perſonalem non fecerit in Eccleſia, veſtiario ſuo penitùs careat eo anno, niſi propter negotia capituli fuerit abſens, de ipſius Epiſcopi vel capituli licentia: cùm tunc reſidens cenſeatur. Hugo addidit: vel niſi unus fuerit de duobus canonicis, qui ſervitio Epiſcopi aſſiſterent. *Ex imp. fol. eodem. b.*

Jazpertus Epiſcopus, anno MCCLXXIX. præmiſſam conſtitutionem de ſtudentibus loquens reſtringit ad illos, qui poſt receptionem in canonicos, reſidentiam fecerunt per ſex menſes. Quam reſidentiam idem Hugo declarat fieri debere per ſex menſes continuos, ſaltim unicuique ex horis canonicis, ſive nocturnis, ſive diurnis, in Eccleſia aſſiſtendo; neceſſitate tamen ceſſante, aut quia pro negotiis Eccleſiæ ſit occupatus: quo caſu quenquam pro præſenti haberi voluit. *Ibidem.*

Conſtitutio declaratoria præcedentis circa veſtiarium.

* Hic eſt S. Thomas à Villa-nova.

FRATRE Thoma * Archiepiſcopo, vicarius generalis & capitulum, die viceſima ſeptima menſis Aprilis MDXLVI. Addentes conſtitutioni per Andream olim Epiſcopum editæ circa veſtiarium canonicorum, atque eam declarantes, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſi canonicus captâ poſſeſſione ſui canonicatus continuè reſideat in Eccleſia, licitè poſſit lucrari, & obtinere veſtiarium, etiamſi non fecerit reſidentiam antea per octo menſes: etiamſi à die poſſeſſionis uſque ad menſem Madium, quo incipitur juxta conſtitutiones annus, non fuerint completi octo menſes; modò tamen continuet reſidentiã per octo menſes, poſt acceptã poſſeſſionem. Quæ conſtitutio ſimiliter jurata fuit & irrevocabilis, uno contradicente. Act. ut ſuprà.

Conſtitutio, quòd canonici habentes præpoſituram recipiant veſtiarium, exceptâ prepoſiturâ menſis Octobris.

IN capitulo paſchali Roderico Cardinale Epiſcopo Valentino, capitulum ſtatuit conſtitutione jurata, ut omnes canonici præbendati, qui obtinent præpoſituras, exinde recipiant veſtiarium, ſicut & cæteri canonici non habentes recipere ſolent à dictis prepoſitis. Inſuper ordinârunt & ſtatuerunt, ut exinde quotieſcumque prepoſituræ vacent per ceſſum vel deceſſum, præpoſiti moderni ſolvant & ſolvere teneantur omnibus canonicis duplex veſtiarium, exceptâ præpoſiturâ menſis Octobris, quæ jam eſt de menſa capitulari. Demum ſtatuerunt ne quiſpiam proviſus ad poſſeſſionem prepoſiturę admittatur, quin priùs præſentem conſtitutionem obſervandam juret. Act. ſextâ Aprilis MCDLXXVIII. *Ex imp. fol. 19. b.*

Conſtitutio de canonicali & aliis portionibus.

CONSTITUTIONE Fratris Andreæ Epiſcopi anno Dñi MCCLIX. declaratur, quòd canonici præbendati recipiant in canonica portione quindecim denarios ultra duodecim, quos antea recipiebant. Item quòd canonici habeant duodecim feſta duplicia in anno, in quibus dictorum quindecim denariorum portio duplicetur: quæ feſta ultimâ die cujuslibet menſis celebrentur. Item ſtatuerunt, quòd portio canonicalis quindecim denariorum detur fabricæ Eccleſiæ, & Epiſcopus det quoque aliam ſimilem, aut ſi libuerit, majorem, eidem Eccleſiæ. Item quòd duæ portiones, ſcilicet duodecim denariorum pro qualibet, dentur quotidie ad expenſas communes capituli, ad cauſsas & negotia illius pertractanda, & illas recipiat unus canonicus, qui diſtribuat, & computum reddat capitulo in fine anni. Reſiduas autem expenſas capituli teneantur facere præpoſiti Eccleſię, ut in erectione præpoſiturarum continetur. Act. ut ſuprà. *Ex imp. fol. 13. b.*

Conſtitutio declaratoria de abſentibus, qui portionem quotidianam poſſunt accipere.

JAZPERTUS Epiſcocus & capitulum conſtitutione ſanxerunt, ne quotidiana portio de cætero concedatur abſentibus, niſi ei ſolummodo, qui pro Eccleſiæ utilitate, non pro ſuo tantùm privato commodo, de mandato eorundem Epiſcopi & capituli ad alium locum deſtinetur. Tametſi per hanc conſtitutionem nulla eſt intentio derogare in aliquo his, qui licentiam à domino Epiſcopo habentes, in ſcholis veſtiarium & canonicam portionem recipiunt: neque duobus etiam canonicis Epiſcopum aſſociantibus præjudicium facere. Acta fuerunt hęc viii. Idus Auguſti, anno MCCLXXXI. *Ex imp. fol. 13. a.*

Conſtitutio, quòd canonici abſentes tempore peſtis recipiant portionem canonicam & veſtiarium.

DIE ſexta Aprilis MCDLXXVIII. Reverendum capitulum decrevit, ut quicumque canonicus tempore peſtis à præſenti civitate ſeu diœceſi recedere voluerit, recipiat portionem canonicam & veſtiarium integrè, perinde ac ſi reſideret in dicta civitate & diœceſi, vel in aliquo ſuorum Beneficiorum. *Ex imp. fol. 20. a.*

Con-

Conſtitutio ſuper portione quam accipiunt abſentes propter peſtem de diſtributionibus canonicalibus.

RODERICO Cardinale & Epiſcopo, capitulum ſtatuit & ordinavit, quòd ſi contingat civitatem Valentiam peſtilentiâ opprimi, & cives ex ea recedere; canonici qui abeſſe & fugere voluerint, recipiant de diſtributionibus canonicalibus tantùm tres ſolidos quotidie, & reſiduum accreſcat præſentibus. Idque donec peſtilentia ceſſet, civeſque & optimates revertantur; & tunc fiat monitorium canonicis abſentibus, ut infra menſem revertantur: in valvis Eccleſiæ affigendum quo menſe elapſo dictâ gratiâ & portione gaudere non valeant. *Ibidem.*

Bulla Innocentii Papæ VIII. confirmat prędictam conſtitutionem, ac etiam conſtitutionem ſolatii unius menſis. Sub dat. Romæ anno MCDLXXIX. *Ibidem b.*

Ordinatio, quòd canonici qui propter inimicitias, ſeu bandos timent ad Eccleſiam venire, recipiant diſtributiones quotidianas, & idem pro Beneficiatis.

LUDOVICUS Cardinalis & Archiepiſcopus & capitulũ de communi conſenſu, jurata conſtitutione decreverunt & ordinârunt, quòd quotieſcumque contigerit canonicos & presbyteros in Eccleſia Beneficiatos, cauſsâ belli, contentionis, & rixarum, ſeu quæ *bandos* vulgari ſermone dicuntur, ad Eccleſiam non venire, ſed domi manere, ſeu aliò ſe transferre, dum tamen canonici & presbyteri prædicti, principales belli, contentionum, & rixarum non fuerint, neque illis cauſſam dederint, habeant & recipiant diſtributiones dictæ Eccleſiæ; illas videlicet, quas recipere conſueverant perſonaliter ad Eccleſiam venientes. Act. tertiâ menſis Februarii, anno MDIII. *Ex impreſs. fol. 24. a.*

Conſtitutiones diverſæ editæ ſub uno capitulo Paſchali ſuper adminiſtratione diſtributionum canonicalium.

IN hoc cupitulo Paſchali, ſede paſtore carente, ſtatuta varia & ordinationes ſunt editę per reverendum capitulum, reſpicientes adminiſtrationem diſtributionum canonicalium; & præcipuè ſuper ſolatio & partitione quantitatum, quæ ex redditibus diſtributionum prædictarum ſupereſſe ſolent. Imprimis facta fuit enumeratio & ſumma omnium cenſualium quibus capitularis menſa onerata eſt, quę accepit ad effectum expediendi uniones præpoſiturarum, quæ de præſenti auctoritate Apoſtolica unitæ & redintegratę fuerunt eidem menſæ capitulari, atque ex hoc multò uberior & locupletior reddita eſt. Necnon facto computo, quinam ex dictis cenſualibus, & quot ſint, ac quibus Eccleſiæ adminiſtrationibns debeantur, fit declaratio. Quin & mandatur, ut ex redditibus canonicalibus certa quędam annuatim portio ſumatur ad effectum luendi & quitandi quotannis prędata cenſualia. Præterea aſſignatur quantitas portionis canonicalis quotidiana unicuique canonico & officialibus altaris majoris & chori dari ſolita. Inſuper deſignatur quantitas, quam adminiſtrator canonicalis habere tenetur pro pede & fundamento dicti canonicalis; & quæ ad id facere & præſtare debeat dictus adminiſtrator; quotumque ſit ejus ſalarium, & ad quę alia onera teneatur, & obligatus ſit, oſtenditur. Ad hęc declaratur ſuper excreſcentiis & reſiduis quantitatibus, quę ſupereſſe ſolent ex adminiſtratione canonicalis annuatim; & quomodo computandum ſit ſolatium, ſignificatur. Poſtremò, quantitas quędam, quę ex dicta adminiſtratione ſupererat, inter canonicos prędentes dividitur. Et capitulum Paſchale, ut moris eſt, prorogatur. Act. die 13. Aprilis anni MDLXIII. Joanne Alamany notario & ſcriba.

Conſtitutio ſuper modo diſtribuendi canonicalem portionem.

ILLUSTRISS. D. D. Joannes de Ribera Patriarcha & Archiepiſcopus cum reverendo capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd nullus ex canonicis, ſive præſens, ſive abſens fuerit à civitate, poſſit aut valeat habere, vel accipere ſolatium interpolatum, niſi priùs ſe Eccleſiæ reuniendo, quibuſvis conſuetudinibus hactenus uſitatis in aliquo non obſtantibus. Ac inſuper providerunt, quòd ſingulis diebus dentur ſive erogentur unicuique canonico reſidenti, aut ſolatium habenti, duodecim ſolidi pro diſtributione canonicali, comprehenſis ſex ſolidis ex proviſione dicti capituli Paſchalis. Et reſiduum dictorum redditum & diſtributionum canonicalium, exceptis duplicis, deducto dicto augmento, detur & erogetur diebus Dominicis, juxta dictæ proviſionis ſeriem, continentiam, & tenorem. Act. in capitulo Paſchali, 29. Aprilis MDLXXIII. Petro Lopez ſcriba capituli.

Conſtitutio ſuper diſtribuendis quantitatibus quæ ſuperſunt ex redditibus canonicalibus.

JOANNE de Ribera Archiepiſcopo, ejus Vicarius generalis, & honorabile capitulum providerunt & ordinârunt, quòd nullus de cætero canonicus participare poſſit, neque recipere partem aliquam de eo quòd ſuperfuerit ex redditibus canonicalibus annuatim: nec poſſit gaudere tempore ſolatii anni ſequentis, quantumcumque præſens fuerit in dicto capitulo Paſchali, & in primo die menſis Madii in Eccleſia, niſi priùs Eccleſiæ perſonaliter deſervierit per tempus duorum menſium, in quibus non computetur tempus ſolatii, quod antea acceperit, exceptis qui in Univerſitate aliqua ſtudendi gratiâ reſederint, aut pro negotiis pro-

priis Eccleſię de mandato capituli abſentes fuerint. Act. in capitulo Paſchali 29. Aprilis, anno MDLXXIV. Petro Lopez ſcriba capituli.

Conſtitutio de portionibus abſentium canonicorum, quomodo dividi debeant inter præſentes intereſſentes.

HÆc conſtitutio, quâ cavetur, quòd diſtributiones abſentium accreſcant præſentibus, & quòd dividantur qualibet die, abrogata eſt per aliam ſuperiùs poſitam, quâ cavetur, quòd non qualibet die, ſed unoquoque menſe dividantur inter præſentes & reſidentes in Eccleſia, ea ipſa die qua fiet diviſio. Quæ conſtitutio præcedens edita fuit die viceſima Aprilis MDLVIII.

Conſtitutio ſuper accreſcentia diſtributionum canonicalium.

FRATRE Thoma de Villa-nova Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum capitulo ſtatuerunt, quòd Rationales Eccleſię teneantur recipere computum à procuratore diſtributionum canonicalium ante diem feſtum ſanctiſſimi corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad effectum, ut quod ſupererit teneatur procurator dividere inter canonicos qui habuerint partem portionis, juxta conſtitutionem editam die quarta Aprilis anni MDLII. in capitulo Paſchali. Quæ conſtitutio irrevocabilis eſt, uno contradicente. Act. in die 4. menſis Aprilis MDLIII.

Conſtitutio ſuper diviſione laudemiorum canonicalium.

EODEM Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & capitulum addentes conſtitutioni de laudemiis canonicorum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd in laudemiis præfatis firmandis in civitate ipſa, laudemia dividantur inter dominos canonicos reſidentes Valentiæ, in die firmæ dictorum laudemiorum. In laudemiis verò Setabis & Algeziræ ejuſdem adminiſtrationis, dividantur in feſtis Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, inter eoſdem Canonicos intereſſentes, ut dictum eſt. Quæ conſtitutio irrevocabilis eſt, uno contradicente. Act. 20. Octobris MDLIII.

Conſtitutio ſuper portione canonicorum in proceſſionibus.

EOdem Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & capitulum conſtituerunt & ordinârunt, quòd de cætero in proceſſionibus, tam ordinariis, quàm extraordinariis, quandocumque extra ſedem canonicos proceſſionaliter exire continget, ſolvantur unicuique ultra tres ſolidos ſolvi conſuetos, alii tres ſolidi actu intereſſentibus, ratione ſuæ præſentiæ, eundo & redeundo: abſentibus verò, ſive cauſsâ infirmitatis, ſolatii, bandoſitatis, aut officiorum, tantùm dentur tres ſolidi, propterea quòd in proceſſiouibus omnino neceſſaria eſt præſentia. Act. 20. Aprilis MDLIV.

Conſtitutio, quòd canonici ſint in ſacris.

HUGO Epiſcopus cum capitulo, anno Domini MCCCLII. 18. die Aprilis conſtitutione ſanxerunt de communi conſenſu, ut quicumque canonicus pleno jure fuerit cum aſſecutione præbendæ in Valentina Eccleſia receptus in canonicum, infra annum à die receptionis computandum, legitimo impedimento ceſſante, ſe faciat ad minus ad ſubdiaconatus ordinem promoveri. Quod ſi non fecerit, abſque alia monitione, citatione, vel vocatione, per Epiſcopum canonicatu privetur, & loco ejus per Epiſcopum & capitulum alius eligatur. Quam conſtitutionem canonicos recipiendos, non jam receptos, comprehendere declarârunt.

Conſtitutio de canonicis, qui non ſunt in ſacris quid deſerviendo lucrentur.

JOANNE de Ribera Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quicũque canonicus nondum in ſacris conſtitutus, in ea tamen ætatæ fuerit, ut ſaltem ad ſubdiaconatûs ordinem promoveri poſſit, ſeque ad promovendum diligentiam adhibuerit: verùm aut ſede Paſtore carente, aut aliâ honeſtâ de cauſsâ, minimè promoveri potuit; de cętero idem divinis officiis interveniens, ac reſidentiam in Eccleſia faciens, medietatem quarumcumque diſtributionum canonicalium, etiam duplarum, percipiat, quas percipit quilibet canonicus prębendatus in ſacris conſtitutus actu reſidens, donec ad ſubdiaconatus ordinem fuerit promotus: fructus verò, & reliqua quęcumque emolumenta canonicatûs, etiam quæ in diſtributionibus manualibus conſiſtunt, ex nunc etiam integrè, & ſine diminutione accipiat, juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem: non obſtante contraria hactenus conſuetudine in dicta Eccleſia obſervatâ: hanc enim in perpetuum abrogârunt, ac voluerunt quòd deinceps quoad prędicta, tantùm jus canonicum, & ſacrorum Canonum diſpoſitio obſerventur. Act. die

Petro Lopez ſcriba capituli.

Conſtitutio de modo recipiendi canonicum.

DECRETO Petri Archiepiſcopi Tarraconenſis, in ſolenni viſitatione Eccleſiæ Valentinæ mandatur, quòd cumprimùm canonicus de novo creatus fuerit, ſtatim obedientiam faciat Epiſcopo, & indemnitatem Eccleſiæ, atque fidelitatem ſe pręſtiturum juret; ſicque recipiatur ad oſculum pacis, & antequam hæc omnia præſtiterit, pro canonico minimè habeatur. Item decrevit ne canonici

nici ſine auctoritate Epiſcopi ſtatuta facere poſſint, atque facta irrita eſſe declaravit. Item decreto Hugonis, canonici in ſua nova receptione jurare tenentur, ſe nemini ſcienter revelaturos id, quod in capitulo vel extra per Epiſcopum aut aliquem de capitulo ſub ſecreto ſibi indicetur ſilendum: prout latiùs in conſtitutione de ſecreto capituli declaratur. *Ex impreſs. fol.*13.*b.*

Conſtitutio de eodem modo, & de quibus gaudeant, & de capitulo Paſchali.

VITALIS Epiſcopus, vnà cum capitulo Paſchale capitulum celebrantes, in quo per canonicos præſentes fiunt omnes actus abſque convocatione abſentium, addentes conſtitutioni, quæ ſuprà continetur de modo recipiendi canonicum; ſtatuerunt, quòd canonicus, cui auctoritate Apoſtolica ſive ordinaria de canonicatu & præbenda fuerit proviſum, etiam ſi fuerit in ſubdiaconatus ordine conſtitutus, priuſquam obedientiâ factâ indemnitatis juramentum præſtiterit, & ad oſculum receptus, ac poſſeſſionem canonicatûs & præbendæ nactus fuerit, à tractatibus communibus & voce capituli, & receptione præbendæ, atque diſtributionibus dumtaxat ſit excluſus. In cæteris omnibus pro vero & præbendato canonico habeatur. Inſuper, ut quivis canonicus non actu præbendatus in ſui receptione in canonicum jurare teneatur, quòd Eccleſiæ Valantinæ utilitatem procurabit, & damna pro poſſe evitabit. Acta fuerunt hæc in prædicto capitulo Paſchali 10. menſis Junii MCCCLXIII. *Ex impreſs. fol.*14.*a.*

Conſtitutio de capitulo celebrando prima die cujuslibet menſis.

RODERICUS de Borja Epiſcopus, de conſenſu capituli ſtatuit & ordinavit quòd præcentor & ſuccentor ſervent omnia ſibi ex officio incumbentia onera circa chori regimen, & aliis obſervari faciant, ſub pœnis in ordinationibus & conſueta chori contentis: cùm regimen chori ad præcentorem, & eo abſente, ad vicarium generalem de capitulo, & in eorum abſentia, ad antiquiorem canonicum, qui præſens in choro fuerit, ſpectet. Præterea ſtatuit & ordinavit, quòd canonici habeant celebrare capitulum in prima die cujuslibet menſis, eâque impeditâ, in ſecunda, aut tertia. Quo in capitulo nihil aliud tractari debeat, niſi præcisè & dumtaxat de regimine chori, & de cappella majori beatæ Mariæ, & de pulſatione campanarum, quòdque vocentur ad id hebdomadarii, diaconi, ſubdiaconi, ſuccentores, ac etiam ſubſacriſta; à quibus quæratur de regimine chori, & aliis prædictis, & de ſcholaribus, quo pacto ſe habeant in cuſtodienda Eccleſia, & ſi aliqua corrigenda ſint, corrigant & emendent. Et quòd in dicto capitulo tunc temporis nulla alia negotia præterquam quæ dicta ſunt pertractentur, ſub pœna perjurii. Et quòd ea die per integram horam conſiſtant in capitulo quouſque finiantur ſupradicta negotia. Et quòd canonici omnes qui fuerint præſentes in Eccleſia, teneantur adire capitulum ſub pœna in conſtitutione contenta: itaut ſi eorum quivis adire recuſaverit, careat portione illius horæ. Idem etiam ordinavit obſervari in diebus capitularibus, ac quotieſcumque vocentur pro quibuſvis negotiis facta Eccleſiæ concernentibus, ſub eiſdem pœnis. Acta in capitulo ſedis Valentinæ, anno MCDXX. Kalen. Martii. *Ex impreſs. fol.*18.*a.*

Conſtitutio, quòd die 15. cujuslibet menſis congregetur capitulum, ubi ſyndici reddant rationem negotiorum Eccleſiæ.

MARTINO de Ayala Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſicuti ex antiqua Eccleſiæ conſtitutione primo die cujuslibet menſis capitulum abſque convocatione præcedente, celebrari ſolet, quod primâ menſis dicitur, in quo ad integram horam unam, nulla alia negotia præterquam ea quæ ad bonum Eccleſiæ regimen dumtaxat pertinent pertractantur: ita deinceps perpetuis futuris temporibus, etiam abſque convocatione præcedente, quintodecimo quoque die cujuſvis menſis, aut eo impedito, in proximo ſequenti die capitulum congregetur. In quo tam reverendi domini canonici adminiſtratores, quàm ſyndicus vnà cum aliis ſyndicis & ſubſyndicis Eccleſiæ teneantur aſſiſtere, ibique rationem reddere de omnibus Eccleſiæ negotiis, præſertim litigioſis, quæ gerunt: quoque in ſtatu ea ſint diligenter exponere, ut ab univerſo capitulo ea, ut par eſt, intelligantur, atque conſultiùs iis quæ gerenda ſunt, provideatur. Ac quòd præterea cùm ſint plura forſan negotia, quàm quæ à præfatis ſyndicis expediri poſſint, ſtatuerunt etiam & ordinârunt, quòd per archiverios capituli fiat unum memoriale omnium negotiorum Eccleſiæ, eorum maximè quæ litigioſa ſunt, & quòd per ſortes, aut viva voce, unicuique dominorum canonicorum ſingula diſtributa negotia, ſingulo quoque menſe gerenda commendentur, de quibus unuſquiſque etiam eâdem decimaquintâ menſis, ut ſuprà dicitur, rationem ſui penſi reddere teneatur. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta 16. Aprilis, anno MDLXXVI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio de ſecreto capituli.

JAZPERTUS Epiſcopus unà cum capitulo, anno MCCLXXXVII. Idibus Auguſti, ſtatuerunt, quòd nullus de capitulo audeat de cætero publicare, neque revelare, quæ duxerint non eſſe revelanda, alii vel aliis qui de capitulo non exiſtunt, ſub excommunicationis pœna, ſententia tunc promulganda: cujus ſententiæ ab-

abſolutionem ſibi ſoli reſervavit dominus Epiſcopus. Declarantes hujuſmodi ſententiam minimè ferri in eos qui non ſcienter, ſed ex abrupto, ac neque deliberato animo ſecretum dixerint. Quæ ſententia non modò fertur in canonicos præſentes, ſed in abſentes etiam, poſtquam ſecretum ſciverint, & revelaverint. HUGO adjunxit, revelatores ſecreti intelligi eos, qui illis qui non ſunt de capitulo ſecreta revelant. Nam iis qui ſunt de capitulo capitularia communicare poſſunt negotia, niſi tale fuerit negotium, quod ipſos tangat: quo caſu eis non licet, ſicuti nec aliis revelare. *Ex impreſſ. fol.* 13. *b.*

Conſtitutio de pœna juramentorum.

DOMINI de capitulo præſenti decreto ſtatuerunt & ordinârunt, ut ſi clericus Beneficiatus, ſi canonicus, aut in dignitate poſitus, intus ſacram ædem, aut ejus capitularem domum, per Dei aliquod membrum, ejuſque virginis matris Mariæ juraverit, & in ſimilia verba, ſcilicet, *renech de Deu* proruperit, ſi clericus aut Beneficiatus fuerit, pœnam quinque ſolidorum; canonici verò & in dignitate poſiti, pœnam decem ſolidorum incurrant. Quam pœnam ſive multam per totam illam diem ſolvere teneantur: quæ protinus in ornamentorum dictæ Eccleſiæ utilitatem convertantur. Quòd ſi delinquentes ſolvere renuerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant, vitenturque ab omnibus donec ſatisfecerint, neque aliter abſolvi poſſint. *Ex imp. fol.* 19. *a.*

Conſtitutio de modo votandi in capitulo, & quòd canonici in Eccleſiam, ſeu capitulum non intrent cum armis.

RODERICUS de Borja Archiepiſcopus & capitulum ſtatuerunt; ut cùm vota danda erunt ſuper propoſito negotio aliquo à canonicis; quòd canonicus dum votum ſuum retulerit, nemo aliorum canonicorum audeat referentem interpellare, donec votum ſuum ille plenè protulerit: qui ſecùs fecerit, expelli à capitulo jubeatur; quòd ſi exire renuerit, careat voce & voto. Præterea adjicimus, propter ſcandala & pericula quæ evenire poſſunt, quòd nullus canonicus intus chorum, nec intra domum capitularem cum armis offenſivis intrare audeat, ſub dictæ pœnæ incurſum. *Ex impreſſ. fol. eod. b.*

Conſtitutio de ordine, qui eſt habendus in apponendis votis per fabas in ſaccis.

FRATRE Thoma* Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt, addentes ſuperiori conſtitutioni de apponendis votis per fabas in ſaccis, quod de cætero nullus canonicus in capitulo præſens exiſtens valeat votum ſuum per fabam alteri canonico, ut in ſacco reponat, tradere: quin potiùs illud per ſeipſum apponat. Id quod abſenti à capitulo, in civitate tamen præſenti conceditur; nempe ut votum ſuum alteri mandet in ſacco apponendum. Demum, quòd vota ſeu fabas hujuſmodi per ordinem, ſcilicet, poſt dignitates, antiquiores canonici, & cæteri, ut fuerit ordo, in ſaccis reponant. Superiori conſtitutione aliàs in ſuo robore permanſurâ. Quę conſtitutio præſens jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta 23. Maji, anni MDL.

* S. Thomas à Villa-nova.

Conſtitutio ſuper dandis votis in capitulo per fabas.

TEnor hujus conſtitutionis, quę facta fuit die 23. Maji MDL. habetur in ſuperioribus, & ſubſequentibus conſtitutionibus; & ideo nunc intermittitur ejus mentio tamquam ſuperflua, ac pluries repetita.

Conſtitutio alia de votis canonicorum, quot, & quo pacto concurrere debeant ad electionem capitularem.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicario jus generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero quotieſcumque ſit conferendum aliquod officium, vel Beneficium, ſeu ſignum eleemoſynæ; quin & eleemoſyna etiam, quæ annuatim dari ſolet ſemel in Quadrageſima, tam pro redimendis captivis, quàm pro orphanis puellis maritandis, ſive quodcumque aliud negotium, quod cum votorum exhibitione, ſive per fabas, in ſacco miſſas, ſive per vota viva voce expreſſa, fuerit peragendum; ſine tamen præjudicio aliarum conſtitutionum, per quas diſponitur, quòd non tantùm major pars capituli, ſed duę ad minus partes ex tribus conſentire ſeu concordare debeant; ad majorem illarum corroborationem decreverunt, quòd ut negotia prędicta meliùs decidantur, major pars canonicorum ibidem in capitulo præſentium, concordare in ſingulis eorum & convenire debeat. Quod in hunc modum voluerunt intelligendum, ut ſi fiat convocatio, & tractetur ſuper electione & nominatione perſonę ad conferendum ei vel officium, vel Beneficium, vel ſignum, vel eleemoſynam, ut ſuprà dictum eſt, & vota canonicorum diviſa in plures partes, nempe in oppoſitores, per ſaccos diſtributas reperiantur, nec major pars in unum convenerit: tali caſu vota canonicorum iterum & ſecundò in ſaccos referantur. Quòd ſi iterum & ſecundò major pars canonicorum præſentium non concurrat in unum ſuper eodem negotio; iterum & tertiò vota referantur; hoc tamen ſervato ordine, quòd hac vice tertia non poſſint concurrere niſi duæ tantùm perſonæ, quæ plura habuêre vota in prędcedenti ſecunda votorum collatione; rejectis aliis minoris numeri. Vnde qui ex duabus concorrentibus perſonis hac tertia vice plura vota habuerit, hoc eſt

majo-

majorem partem ex omnibus canonicis, censeatur electa, atque eligi & nominari debeat per capitulum. Quòd si æqualia vota habuerint, illa electa sit, & esse censeatur, cui reverendus vicarius generalis cum suo voto adhęserit. Et similiter fiat in alio quovis negotio capitulari, quando vota sic sint divisa, tunc canonici vota dare teneantur priùs super una sententia seu opinione, & postea super alia, quoad vota majoris partis canonicorum in unum conveniant. Quæ constitutio jurata est, neque revocari potest, uno contradicente. Acta die 25. Novembris, anno MDLVIII.

Constitutio de non captandis aliorum votis: & de absentibus quomodo vota sua dare possint.

ILLUSTRISS. D. D. Joannes de Ribera Archiepiscopus Valentinus & Patriarcha Antiochenus, unà cum reverendo capitulo, constitutione inter alia sanxerunt, in quovis negotio capitulariter tractando, atque per vota concludendo; quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nullus canonicus captare valeat per se vel per interpositam personam, ab alio canonico suum votum: quòd si secus fecerit, tam canonicus captans, quàm dans votum hujusmodi, pœnam excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrat. Idipsum in provisione signorum eleemosynæ Denconesa servari voluerunt. Ac insuper quoniam gravia & magni ponderis negotia per capitulum, canonicorum votis decernuntur; & propterea valdè expediat quòd in recipiendis absentium votis cautiùs provideatur; statuerunt, quòd canonici absentes à capitulo teneantur vota sua in scriptis expressa tradere alicui ex canonicis præsentibus, qui illa referat, neque aliàs ejusmodi vota admittantur, nisi de illis constet vicario generali capitulari, aut cum instrumento publico, aut cum scriptura particulari, manu propria ipsius canonici absentis scripta; sicque observetur: dum tamen votum committens, in civitate aut illius suburbiis legitimè impeditus existat. Si verò in Ecclesia existat, votum nemini committere valeat. Act. die XXIV. mensis Martii MDLXXVI. Petro Lopez notario & scriba.

Constitutio super jurisdictione in canonicos præbendatos delinquentes.

JACOBUS Episcopus & honorabile capitulum constitutione jurata sanxerunt, quòd in inquirendis, puniendis, & corrigendis excessibus canonicorum præbendatorum jurisdictio omnis criminalis de & super quocumque crimine vel delicto, criminaliter aut civiliter, per viam accusationis, denunciationis, aut inquisitionis, ad instantiam partis, vel aliàs ex officio, quovis modo contra canonicum præbendatum, ad capitulum communiter, simul cum Episcopo pertineat. Ac insuper ordinârunt attestationem, ac cujusvis pœnæ impositionem, in personam alicujus canonici, seu bona ipsius, pro quocumque crimine seu delicto, criminaliter aut civiliter, quovis modo intentando, aliaque in constitutione expressa faciendo, cõmunia illa omnia esse debent Episcopo & capitulo & ad quẽlibet ipsorum pro dimidia pertinere. Insuper ordinârunt capitulum, seu personas ab eo deputandas, fore unà & simul cum Episcopo, seu ejus vicario generali, aut officiali, conjudices & consessores ad judicandum & deliberandum in præmissis, seu eorum aliquo. Præterea statuerunt & ordinârunt, causas civiles canonicorum spectare, solùm & in solidum ad Episcopum. Quæ facta fuerunt in palatio Episcopali, die XVI. Octobris, anno MCCCLXXXIII. *Ex impress. fol. 15. a.*

Provisio sive additio facta superiori constitutioni.

IDEM Jacobus Episcopus Cardinalis administrator unà cum capitulo ejusdem Ecclesiæ Valentinæ constitutione jurata statuerunt & ordinârunt, ut Episcopus, neque per se, neque per suos vicarios generales seu officiales, possit in canonicum quemvis præbendatum procedere, accusando, denunciando, inquirendo, visitando, ex officio, seu ad instantiam fiscalis, seu aliàs quomodocumque; nisi solùm ad instantiam partis privatæ, ac læsæ, excepto dumtaxat crimine hæresis. Act. supradictis die & anno. *Ex imp. fol. eod. b.*

Conservatoria Ecclesiæ Valentinæ Paulli Papæ III.

BULLA Paulli Papæ III. *conservatoria* nuncupata in favorem capituli canonicorum Ecclesiæ Valentinæ concessa, per quam universis & singulis judicibus per ipsum capitulum nominandis committitur conservatio bonorum omnium, jurium, fructuum, proventuum, & aliarum quarumcumque rerum, ad mensam, fabricam, capitulum, personas familiares, cappellanos, officiales, & alios ministros ipsius Ecclesiæ & capituli pertinentium, & aliàs cum reliquis exemptionibus super ejusmodi conservatoriis concedi solitis in forma. Sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXXXIII. quarto nonas Junii, Pontificatûs ejusdem Paulli anno secundo.

Bulla Clementis Papæ VII. confirmatoria constitutionum de conjudicibus.

HÆC Bulla confirmat constitutionem superiùs positam de conjudicibus, sive de exercitio in canonicos præbendatos, estque constitutio, ejusque additio de verbo ad verbum inserta Bullæ: ac quoniam illius tenor est paullò superiùs expressus, & auctoritate Apostolica confirmatus, hîc non est repetendus. Fuitque Bulla expedita sub dat. Avinione, III. nonas Aprilis. Pontificatûs ejusdem anno decimo.

Alia

Alia Bulla ejuſdem Clementis confirmatoria earundem conſtitutionum.

HAC ſecunda Bulla idem Pontifex tollit omnem dubietatem motam ſuper validitate prioris confirmationis conſtitutionum de conjudicibus, quas haberi voluit pro expreſſis, & tanquam à ſe editis. Sub dat. Avinione, XVI. Kalendas Maji Pontificatûs ejus anno decimo.

Bulla confirmationis gratiarum Eccleſiæ per Julium Papam III.

JULIUS Papa III. præſenti Bulla confirmat Apoſtolica auctoritate, omnes libertates, facultates, gratias, exemptiones, per ejus prædeceſſores Eccleſiæ Valentinæ conceſſas, & alias, prout in præcedenti ſummario Bullę Paulli Papæ III. in favorem ejuſdem capituli & Eccleſiæ conceſſæ. Dat. Romæ, anno Incarnationis dominicæ MDLI. Pontificatûs Julii anno ſecundo.

Conſtitutio de his qui in Eccleſia aut capitulo convitia proferunt verbis factiſq; injurioſa.

RODERICUS de Borja Epiſcopus de communi conſilio & conſenſu capituli, cupiens cum pace & charitate divina canonicos inter ſe agere, atque in primis unicuique canonico, ſecundùm ordinem ſuæ receptionis, ita locum ei ad loquendum, & votum ſuum proferendum dare, conſtitutione etiam jurata ſanxit, ut de cętero, ſi quis ex canonicis in capitulo, aut in Eccleſia, in alterum canonicum verba inhoneſta contumelioſè protulerit, privetur diſtributione unius floreni: ſi autem gravior increſcat injuria, cōminando, aut turpiſſima verba proferendo, tunc ipſo facto privetur diſtributionibus unius hebdomadæ, & per menſem à capitulari conventu: nec poſſit hanc pœnam remittere capitulum, ſed accreſcat ornamentis Eccleſiæ. Si verò temerario auſu canonicus in canonicum in capitulo, aut Eccleſia manus injecerit violentas, aut diſtrinxerit arma, cultrum, aut gladium, comminando; tunc præter remedia juris, privetur per annum diſtributionibus canonicalibus, & ab interventu capituli: neque habeat vocem, neque officium, etiam ſi pars injuriata aut comminata remiſerit. Inſuper voluit, atque diſtrictè præcepit cum ejuſdem conſenſu capituli, quòd teneatur ejuſmodi delinquens prædictas pœnas ſolvere, & parère huic conſtitutioni, ſive ſententiæ judicis, ſeu ſuperioris, non ad inſtantiam injuriati, ſed de per ſe. Quòd ſi recuſaverit, fertur ab Epiſcopo nunc pro tunc, & è contrà in eum excommunicationis ſententia in his ſcriptis. Præcipientes cæteris canonicis quòd eum evitent, ſub pœna excommunicationis: nec poſſit capitulum dictas pœnas remittere. Act. ſupradictis die & anno. *Ex impreſſ. fol.* 18. *b.*

Conſtitutio, quòd canonici qui ſunt præſentes poſſint quolibet anno accipere ſolatium unius menſis.

ANNO MCDLXXIX. undecima menſis Martii, capitulum conſtitutione jurata ſtatuit & ordinavit, quòd de cętero liceat unicuique canonico, qui in Eccleſia præſens ſervire inveniatur, quolibet anno per unum menſem continuum, aut per intervalla, prout elegerit, recreationis aut ſolatii gratiâ, ab ipſa Eccleſia Valentina abeſſe. Et qui rector fuerit alicujus parochialis Eccleſiæ, cauſsâ viſitandi ſuam Eccleſiam, ſi abſens à noſtra fuerit, & extra civitatem ſaltem ultra dimidiam leucam, fructus, & quotidianas diſtributiones canonicales, diurnas tantùm percipere poſſit, quas præſens recipere conſueverat. Quæ conſtitutio confirmata eſt auctoritate Apoſtolica per Bullam Innocentii Papæ VIII. ſub dat. pridie idus Junii, anni MCDLXXXIX. Pontificatûs anno quinto. Acta quo ſuprà die & anno. *Ex impreſſ. fol.* 20. *a.*

Conſtitutio quo die & menſe annus incipiat.

POSTMODUM eodem anno duodecima menſis Auguſti iidem domini de capitulo ordinârunt, quòd unuſquiſque canonicus à die præſenti, uſque per totum menſem Aprilis proximè ſequentem, poſſit eligere menſem ſolatii juxta formam conſtitutionis: attento quòd abinde anno quolibet, menſis & annus incipere debent prima die Madii, ut eſt moris ac conſuetudinis Eccleſiæ Valentinæ. *Ex impreſſ. fol.* 21. *b.*

Conſtitutio, quòd canonici accipiant quolibet anno ſolatium quatuor menſium.

ERARDO de la Marcha Archiepiſcopo, capitulum de communi conſenſu ordinavit, & conſtitutione jurata decrevit, quòd ex tunc deinceps liceat cuicumque canonico, qui in Eccleſia præſens deſervire inveniatur, quolibet anno eligere quatuor menſes tantùm, continuos aut per intervalla, in quibus à dicta Eccleſia, & extra civitatis mœnia, ac ubicumque, & pro quacumque cauſſa abſentare ipſum, ſive abeſſe contigerit, fructus, redditus, & quotidianas diſtributiones canonicales, diurnas tantùm, percipiat; quas ſi in dictis quatuor menſinus præſens eſſet in Eccleſia, percipere poſſet & valeret. Acta die XX. Novembris, anno MDXXV. *Ex impreſſ. fol.* 22. *a.*

Bulla Legati de latere confirmatoria præcedentis conſtitutionis.

JOANNES Cardinalis de Salviatis nuncupatus, Legatus à latere in regnis Hiſpaniarum ſuâ Bullâ confirmat de verbo ad verbum præfatam conſtitutionem ſuper ſolatio quatuor menſium cum deputatione judicum, & in ampliſſima forma. Sub dat. Toleti, undecimo Februarii, anno incarnationis Dominicę MDXXV. Clemente Papa VII. *Ibidem b.*

Conſtitutio, quòd ſolatium quatuor menſium lucrari poſſint canonici, etiamſi in civitate reſideant.

GEORGIO ab Auſtria Archiepiſcopo, domini de capitulo unanimes conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd canonici de cætero perpetuis futuris temporibus poſſint accipere ſolatium eis per conſtitutionem conceſſum, & Apoſtolico munimine confirmatum, per tempus quatuor menſium; illudque lucrari tam præſentes in civitate, quàm etiam ab eadem civitate abſentes. Acta die XXIV. menſis Januarii, anni MDXXXIX. *Ex impr. fol. 24. a.*

Conſtitutio de forma accipiendi ſolatium.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, declarantes conſtitutionem ſuperiùs poſitam, & Apoſtolica auctoritate confirmatam, ſuper ſolatio quatuor menſium, ſtatuerunt atque interpretati fuerunt, dictum ſolatium eiſdem conceſſum, quòd canonicis reſidentibus extra mœnia civitatis dabatur lucrandum, de cætero ſe extendat ad eos qui etiam intra mœnia ſe continent, neque in Eccleſiam ſe conferunt. Itaque liberum ſit unicuique canonico, tam intra, quàm extra mœnia civitatis, totum ſimul aut interpolatim, ſemel aut pluries, quoad dictos quatuor menſes expleverit, annuatim accipere. Quæ conſtitutio jurata eſt, uno & contradicente irrevocabilis.

Conſtitutio declaratoria alterius de ſolatio quatuor menſium.

EODEM Franciſco Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd canonicus, qui à prima die Madii uſque ad ultimam diem Aprilis, præſentialiter in Eccleſia deſervire non cœperit, non poſſit accipere neque lucrari ſolatium juxta formam Eccleſiæ conſtitutionum: ex eo quia annus de conſuetudine præſentis Eccleſiæ & diœceſis & conſtitutionum ejuſdem, incipit & computari debet à prima die menſis Madii, uſque ad ultimam diem menſis Aprilis. Item etiam ſtatuerunt, quòd canonicus qui interfuerit in capitulo Paſchali, etiamſi poſtea ſe abſentaverit à civitate & diœceſi Valentina, & reperiatur abſens prima die Madii ab Eccleſia, poſſit incipere lucrari & accipere ſolatium, non ſolùm à prima die Madii, ſed ab aliis ſequentibus ejuſdem vel aliorum quorumque menſium diebus, perinde ac ſi præſens in capitulo prima die Madii inveniretur. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta die viii. Aprilis MDLXII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Declaratio congregationis Concilii Tridentini Romæ facta de ſolatio lucrando.

JOANNE de Ribera Archiepiſcopo dubitante de ſolatio quatuor menſium, quod canonici reſidentes quolibet anno percipere ſoliti erant, propterea quòd Tridentina Synodus ubivis Eccleſiarum ſolatium canonicorum ad tres dumtaxat menſes reduxit; canonici ad ſedem Apoſtolicam recurrentes, ante ſacram congregationem Cardinalium Concilii interpretum, libellum propoſuerunt, per quem rationibus atque allegationibus de jure probârunt, ipſos prædicto quatuor menſium ſolatio liberè frui atque gaudere poſſe, ex eo potiſſimùm quòd decretum Concilii cap. 12. Seſs. 24. De reformat. derogat ſtatutis & conſuetudinibus, non tamen juratis & confirmatis, quale eſt decretum canonicorum, & juratum, & per Apoſtolicam ſedem confirmatum. Unde præfata congregatione referente, dictum libellum coram ſanctiſs. Domino noſtro Papa Gregorio XIII. Sanctitas ſua ſtatutum illud non fuiſſe ſublatum à decreto Concilii, ſed obſervari debere declaravit. Prout Reverendiſs. Dominus Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Xyſti, vivæ vocis oraculo ſibi facto, de ejuſmodi expreſſa mente, ſententiaque Pontificis literas unà cum libello ad dictum Reverendiſs. Archiepiſcopum dedit tenoris ſequentis:

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine. Cùm libellus hic canonicorum Eccleſiæ Valentinæ propoſitus eſſet in ſacra congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, & deinde ad ſanctiſs. dominum noſtrum relatus; Sanctitas ejus declaravit, ſtatutum illud, quo permiſſum eſt canonicis quatuor menſes anno quolibet ab Eccleſia abeſſe, non fuiſſe ſublatum à decreto Concilii, Seſs. 24. cap. 12. & ideo obſervari debere: ſi tamen verum eſt quod aſſeritur, fuiſſe à ſancta ſede Apoſtolica confirmatum. Qua in re amplitudo tua, quod ſui muneris erit, aget. Valebitque in Domino, Romæ die 18. Januarii MDLXXVI. Amplitudinis tuæ ut frater, Philippus Boncompagnus Cardinalis Sancti Xyſti.

Quas literas unà cum libello propoſito excipiens idem Reverendiſs. dominus Archiepiſcopus ab eiſdem canonicis, eaſque in pleno concilio evolvens ac legens; quin & conſtito ſibi de prædicta decreti canonicorum Apoſtolica confirmatione, à ſua tandem dubitatione & repugnantia diſceſſit, atque canonicos prædicto quatuor menſium ſolatio anno quolibet,

juxta

juxta decretum à ſummo Pontifice declaratum, frui atque gaudere permiſit.

Conſtitutio ſuper cappis quas tenentur præſtare canonici & præpoſiti, & dignitatem habentes.

HUGO Epiſcopus & capitulum ſtatuto preſenti jurato, perpetuo ordinârunt, quòd quilibet obtinens Archidiaconatum majorem, vel Archidiaconatum Xativæ, ſolvat quinquaginta libras: & quilibet obtinens præcentoriam, ſacriſtiam, decanatum, archidiaconatum Muri-veteris, vel Algeziræ, triginta libras; & quilibet obtinens præpoſituram, quadraginta libras regalium pro cappis hujuſmodi, caſu quo illas non eligant facere, exolvere teneantur. Adjecto quòd quicumque canonicus recipiendus auctoritate quacumque, cappam ſericeam de quindecim libris facere, vel ipſas quindecim libras exolvere abinde penitùs ſit aſtrictus. Acta fuit die xx. Junii, anno MCD VIII.

Conſtitutio ſuper valore capparum ab eorum unoquoque præſtando.

LUDOVICO Cardinali Epiſcopo, capitulum & canonici addentes ſuperiori conſtitutioni de cappis canonicorum & aliorum, conſtitutione jurata ſtatuerunt de communi conſenſu, quòd abinde, & antequam quilibet ad poſſeſſionem dignitatum, canonicatuũ, & præbendarum dictę Eccleſiæ admittantur, ſolvere teneantur pro jure cappæ, videlicet Archidiaconus major ſexaginta libras, Archidiaconus Xativæ ſeptuaginta quinque libras, præcentor quadraginta; ſacriſta verò, decanus, archidiaconus Muri-veteris, archidiaconus Algeziræ, & quilibet præpoſitus, quinquaginta libras, & quilibet canonicus viginti quinque libras. Declarantes, quòd ſi aliquis canonicus & alii dignitates prędictas obtinentes poſt eorum admiſſionem cappam facere voluerit, ſeu voluerint, recuperent quantitatem per eos ſolutam in eorum admiſſionibus. *Ex impreſſ. fol. eod. b.*

Conſtitutio de domibus canonicalibus.

JAZPERTUS Epiſcopus & capitulum anno MCCLXXXV. ſtatuerunt, quòd nullus canonicus habere poſſit duplices domos de illis quæ ſunt, vel erunt de capitulo, neque obtentas vel obtinendas tradere poſſint ad inhabitandum, niſi canonico, ſeu clerico alii, ſi eum contigerit à civitate diſcedere: ac neque ad tempus, ſeu firmam concedere alicui laïco, aut uxorem habenti clerico, in preſentia vel abſentia, niſi de noſtra ſpeciali licentia. Hugo Epiſcopus hanc conſtitutionem adeò reſtrinxit, ut ſi quis contrà fecerit, pœnas ibi expreſſas eidem indixerit: ſtatuitque alia ad conſervationem & condirectum domorum canonicalium, & dignitatum utilia & neceſſaria. Ac demum de ejuſdem conſilio & conſenſu capituli decrevit, ut quotieſcumque per obitum aut renunciationem, vel aliàs, hoſpitium aliquod capituli, quod non ſit certæ dignitati deputatum, vacare contigerit, antiquior canonicus, qui ſit tamen de reſidentibus, poſſit optare infra decem dies à tempore quo ſibi nota erit vacatio, illud hoſpitium, ſi voluerit. Eo autem repudiante, expreſsè vel tacitè, per lapſum dictorum decem dierum, tunc antiquior canonicus poſt eum poſſit ſimiliter optare, & ſic de aliis canonicis perpetuò obſervetur. *Ex imp. fol. 26. b.*

Conſtitutio ſuper mercede ſolvenda per conductores hoſpitiorum, dignitatum, & canonicorum.

PRÆSENTI conſtitutione quæ facta fuit anno MCDLXII. vicarius generalis & domini canonici ordinârunt, quod canonici ſeu clerici, qui in domibus capitularibus, ſeu dignitatum, abſentibus earum poſſeſſoribus habitare voluerint, pro condirecto dictarum domorum & conſervandis ædificiis, teneantur ſolvere ſingulis annis mercedem ſecundùm taxam in eadem conſtitutione pro ſingulis domibus aſſignatam, ſub nonnullis conditionibus ibidem expreſſis. *Ex impreſſ. fol. 27. a*

Conſtitutio ſuper optandis hoſpitiis capituli.

VALENTINA ſede paſtore carente, vicarius generalis & domini de capitulo in Paſchali capitulo celebrato, uſque ad nonam diem menſis Junii MCCCXCVII. ſtatuerunt & ordinârunt, pro nonnullis tollendis quęſtionibus & controverſiis circa optionem hoſpitiorum canonicalium, quòd nullus canonicus, ex quo ſemel aliquod de hoſpitiis canonicorum optaverit, & poſſeſſionem pacificam adeptus fuerit de illo, ad aliud de prædictis hoſpitiis poſſit modo aliquo variare; ſed de hoſpitio, quod primùm optaverit, & poſſeſſionem habuerit, contentus ſit. Et optio primi vacantis hoſpitii ad alium, & poſt eum antiquiorem canonicum reſidentem pertineat: juxta dicti ſtatuti ſeriem & tenorem. *Ex impreſſ. fol. 28. a.*

Conſtitutio, quòd poſſeſſiones hoſpitiorum canonicalium non recipiantur auctoritate propria, nec cum armis.

DOMINI vicarius generalis & capitulum conſtitutione ſtatuerunt, ne aliquis canonicus cùm aliquod ex hoſpitiis canonicalibus optaverit, ad poſſeſſionem ejuſdem habendam cum armis, per ſe, vel per alios accedere ullo modo poſſit nec præſumat, neque habitam per hujuſmodi armorum violentiam cuſtodiat: ac neque auctoritate propria poſſeſſionem, per ſe vel alium recipiat de hoſpitio: ſed quiſquis in ipſo jus prætendat ſe habere, priùs domino Epiſcopo, ſeu vicario generali & capitulo illud demonſtret: quo cognito,

gnito, per eoſdem poſſeſſionem hoſpitii per manus alicujus canonici, per dictos Epiſcopum, ſeu vicarium generalem & capitulum deputandi, recipiat pacificam & quietam: contrà facientes, jure ſuo ad hoſpitium illa vice omninò privati exiſtant: & ad aliud antiquiorem canonicum hoſpitium devolvatur. Acta die 10. menſis Decembris, anno MCCCXCVII. *Ex impreſſ. fol. 16. b.*

Conſtitutio, ſive proviſio de taxandis domibus canonicorum.

REVERENDI domini de capitulo providerunt, quòd ſervetur antiqua conſtitutio de taxandis annis ſingulis, hoc eſt viſitandis domibus canonicorum, dignitatum, præpoſiturarum, & rectoriarum, ac Beneficiorum civitatis. Acta die 4. Februarii MDXVII.

Conſtitutio, quòd canonici qui non ſunt in ſacris, hoſpitia optare non poſſint, neque alia facere.

HUGONE Epiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum præſenti edicto conſtituerunt, quòd de cætero canonici qui in ſacris non fuerint conſtituti, officiis omnibus, & ambaſciatis, ſive legationibus Eccleſiæ ſint privati; neque de canonicalibus hoſpitiis, cùm vacabunt per obitum ſeu renunciationem, aut aliàs, illa dimittentium, optare valeant aliquod ſive habere. Nam tales canonici, qui non ſunt in ſacris conſtituti, à tractatibus communibus & voce capituli ſunt penitùs alieni. Acta die menſis Decembris 10. anno MCCCXCVII. *Ex impreſſ. fol. 29. a.*

Confirmatio Apoſtolica conſtitutionis precedentis.

HUJUS ſtatuti confirmatio Apoſtolica obtenta eſt à Clemente Papa VII. ſub dat. Avinione, quarto idus Aprilis, Pontificatûs ſui anno 14. *Ex impreſſ. eod. b.*

Confirmatio alia ejuſdem.

ALIA confirmatio Apoſtolica ejuſdem Clementis, ſuper domibus canonicorum & dignitatum, ſub dat. Avinione 16. Kalen. Madii, Pontificatûs anno 10. *Ibidem.*

Confirmatio alia etiam ejuſdem Benedicti Papæ.

EST alia etiam confirmatio Apoſtolica Benedicti Papæ XIV. ſub dat. Perpiniani 14. Kalendas Julii Pontificatûs ejus anno 15.

Conſtitutio, quòd pecunias taxationum domorum canonicalium recipiat vice-operarius.

RODERICO Cardinali Epiſcopo, vicarius generalis & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd pecuniæ, quæ taxatæ fuerint ad opus reparationis domorum canonicalium, non illas recipiant novi poſſeſſores dictarum domorum, ſed vice-operarius fabricæ ſedis Valentinæ, qui in inſtaurationem dictarum domorum exponat & convertat, & de expenſis & adminiſtratis rationem reddat. *Ex impreſſ. fol. 39. a.*

Conſtitutio declaratoria alterius, ſuper optandis domibus canonicalibus.

REVERENDISSIMUS dominus Franciſcus de Navarra Archiepiſcopus & capitulum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd cuicumque canonico antiquiori præſenti ac reſidenti, ſecundùm antiquitatem liceat optare domum canonicalem, quam maluerit, pro tempore vacantem. Ita quòd una vacante domo, ſi illam canonicus optare noluerit, poſſit aliam ſecundo loco vacantem optare. Idemque liceat canonico antiquiori abſenti poſtquam ad Eccleſiam redierit, ac præſens & reſidens fuerit; etiam quòd eo abſente, alius canonicus junior domum aliquam vacantem optaverit. Canonicus verò abſens pro negotiis Eccleſiæ alicubi illa tractans, pro præſenti ac reſidenti habeatur, poſſitque per procuratorem domum optare: fierique debeat certior de vacatione per literas reverendi capituli intra decem dies in ſuperiori conſtitutione contentos, & pro termino aſſignatos, modò hi computentur à die præfatæ per literas notitiæ. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis, ac etiam auctoritate Apoſtolica confirmata per Pium Papam IV. ſub dat. Romæ 12. Kalendas Decembris MDLXIV. Pontificatûs anno V. Actum 20. Aprilis MDLXI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd hoſpitia canonicorum & Dignitatum recognoſcantur & reparentur.

RODERICO Epiſcopo, per capitulum ſtatutum fuit, quòd ſingulis annis in Paſchali capitulo eligatur unus canonicus, qui unà cum magiſtro operis Eccleſiæ, & notario capituli, ejuſdem, ac etiam Dignitatum hoſpitia habeat recognoſcere, & ad oculum videre, & in ſcriptis redigere, & Epiſcopo vel ejus vicario generali, & capitulo referre, quali reparatione indigeant hoſpitia prædicta, ut de bonis & redditibus obtinentis dignitatem cujus eſt hoſpitium, vel canonici inhabitantis, vel alterius, cujus interſit, faciat di-

ctus Epiſcopus, & capitulum dicta hoſpitia reparari. *Ex imp. fol.* 30. *b.*

Conſtitutio, quòd hoſpitia Eccleſiarum parochialium urbis, & Beneficiorum viſitentur anno quolibet à deputatis per capitulum.

DOMINI de capitulo die quarta Madii, anno MCDXI. proviſerunt, quòd hoſpitia Eccleſiarum parochialium, & Beneficiorum civitatis & diœceſis Valentinæ viſitentur anno quolibet, more hoſpitiorum capituli & Dignitatum. Hæc conſtitutio facta eſt ſede paſtore carente, atque curam totius Archiepiſcopatus capitulo regente, alioquin non pertinet ad ipſum talis viſitatio.

Conſtitutio, quòd canonici non ſolvant in ſubſidiis, aut talliis Epiſcopalibus, pro rectoriis eorundem.

JACOBUS Cardinalis adminiſtrator Eccleſiæ & capitulum, juratâ conſtitutione ſtatuerunt & perpetuò ordinârunt, quòd canonici de cætero rectorias, ſeu alia Beneficia Eccleſiaſtica, unà cum canonicatu obtinentes, in quibuſcunque donis gratuitis, vel coactis, aliiſvè ſervitiis, ſubſidiis, vel talliis, exactionibus, vel demandis, per Epiſcopos pro tempore exiſtentes imponendis atque exhibendis, ex quavis cauſa vel neceſſitate, nullatenus teneantur contribuere, aut aliquid dare vel ſolvere, directè nec indirectè, pro eorumdem rectoriis, ſeu aliis Beneficiis quæ poſſederint, nec ad id modo aliquo compelli poſſint: neque excommunicationibus ab Epiſcopo propterea latis quoquomodo ſubjaceant, niſi ſpecialis mentio de aliquo illorum fiat in literis ſeu mandatis. *Ex imp. fol.* 16. *b.*

Conſtitutio, quòd nullus admittatur ad Dignitatem, præpoſituram, adminiſtrationem, vel officium, niſi fuerit actu canonicus præbendatus.

HUGO Epiſcopus & capitulum unanimes & conformes, renovantes antiquam conſtitutionem bonæ memoriæ Jazperti Epiſcopi prædeceſſoris ſuper his juratam, quæ incipit: *Juri conſonum &c.* pro utilitate & ſtatu tranquillo Eccleſiæ, ſtatuerunt, & conſtitutione jurata declarârunt, ut nullus in dicta ſede, in qua certus canonicorum & præbendarum numerus exiſtit, ad dignitatem, perſonatum, præpoſituram, adminiſtrationem perpetuam, vel officium, domos canonicales, ſeu vocem capitularem, quomodolibet admittatur, niſi fuerit canonicus numerarius, actuque in eadem Eccleſia præbendatus: ſalvâ tamen ſemper in omnibus Apoſtolicæ ſedis auctoritate. Acta fuerunt hæc, die 2. menſis Januarii anno MCDXXII. *Ex imp. fol.* 17. *b.*

Conſtitutio, ſeu capitula edita ſuper adminiſtratione loci de Albalat erga bona & perſonas, ac etiam loci de Benimaclet locorum capituli.

PRÆSENTI conſtitutione & capitulis, quæ edita fuerunt die 22. menſis Octobris MDLXVIII. multa continentur quæ pertinent ad bonum regimen & pacificam adminiſtrationem dictorum locorum. Sed quia varia ſunt, atque mutationi obnoxia, & quæ pro varietate ac neceſſitate temporis, neceſſe eſt mutare, ac variè ſe in adminiſtratione gerere, neque in una re certa conſiſtere. Iccircò viſum fuit nunc illa prætermittere, cùm poſſit, qui velit univerſa capitula in libro novarum capitularium conſtitutionum perampliè videre. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd arrendamenta menſæ capitularis fiant, prout arrendamenta menſæ Epiſcopalis.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo conſtituerunt & ordinârunt, quòd de cætero arrendamenta decimalium menſæ capitularis, & aliarum quarumvis adminiſtrationum Eccleſiæ, fieri non poſſint, niſi in loco ſeu locis, ac tempore & temporibus, ac voce præconis, modo & forma quibus fiunt arrendamenta fructuum menſæ Archiepiſcopalis Valentinæ, & præſentibus canonicis, ad hæc per reverendum capitulum electis ac deputatis: & cum aſſiſtentia ſyndici capitularis, & quòd dicta arrendamenta concedantur plus offerentibus. Aliter facta, nullius ſint roboris vel momenti, ſic ut revocari poſſint à capitulo. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta die 11. menſis Septembris, anno MDLI.

Conſtitutio, quòd protocolla arrendamentorum reponantur in archivo capituli: & de officio ſcribæ.

HÆC conſtitutio quæ edita fuit die 10. Aprilis, anno MDXX. ab honorabili capitulo, ſede paſtore carente, continet aliam conſtitutionem domini Vitalis Epiſcopi, in qua recenſentur ea quæ competunt officio & exercitio ſcribæ ſive notarii reverendi capituli, & quæ præſtare & jurare teneatur dictus ſcriba. Quæ conſtitutio de novo per præſentem confirmatur, ac etiam præcipitur, ut libri & protocolla arrendamentorum jurium decimalium, tam domini Archiepiſcopi quàm capituli, & præpoſiturarum & adminiſtrationum Eccleſiæ, reponantur in archivo ſedis & capituli: necnon mandatur eidem ſcribæ capituli, ut ſupradicta omnia Arrendamenta recipiat ipſe, tam pro parte Archiepiſcopi, quàm pro parte capituli, & aliorum. Poſtremò ſalaria

quæ

quæ eidem competunt, & à quibus recuperari illa debeant, & quota vel quanta pars ſit, quam ab unoquoque ſcilicet Archiepiſcopo, capitulo, dignitatibus, prepoſituris, & adminiſtrationibus debeat ſcriba recipere, in ea ipſa conſtitutione ſpeciatim continentur. Acta die, menſe, & anno præfixis.

Conſtitutio de conſultando Advocato capituli in controverſia per fabas.

JOANNE de Ribera Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, attendentes quòd in negotiis & tractatibus capitularibus nonnulla ſepe occurrunt, quę niſi de jure decerni, ac niſi de juriſperitorũ conſilio determinari non poſſunt; iccircò ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero quotieſcumque alicui ex canonicis viſum fuerit, ac requiſiverit, quòd ſuper negotio in capitulo propoſito, antequàm fiat determinatio, ſuper ea conſulantur advocati capituli, atque alius quivis ex canonicis contradixerit; tunc ſuper eo, num dicta conſultatio fiat necne, canonici mittant vota ſua per fabas in ſacculis; & id, quod major pars canonicorum inventa fuerit voluiſſe, ac decreviſſe ſuper conſultatione, omnino fiat & exequatur. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta 23. Novembris, anni MDLXXVI. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Conſtitutio de ordinibus canonicorum.

REVERENDISS. D. D. Martinus de Ayala Archiepiſcopus Valentinus, unà cum ejus reverendo capitulo, attendentes, quòd in Provinciali Synodo, quàm nuper idem Revendiſs. dominus celebravit Valentiæ, unà cum Epiſcopis ſuffraganeis, atque ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ canonicis, anno MDLXVI. virtute decreti in Seſſione tertia ejuſdem Synodi editi, & 21. menſis Decembris præcedentis anni publicati, decernitur oportere debitę executioni mandari duodecimũ decretũ Seſſion. 23. Concilii Tridentini, quo diſponitur, quòd in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, omnes canonicatus & præbendæ habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatûs, vel ſubdiaconatûs: & quòd Prælatus de conſilio capituli deſignet, aut diſtribuat, prout expedire viderit, quibus quiſque ordo ex ſacris in poſterum annexus eſſe debeat: ita quòd dimidia ſaltem canonicorum pars ſint presbyteri, cæteri verò diaconi & ſubdiaconi. Iccircò volentes ejuſmodi per ſanctum decretum ad unguem obſervare & exequi, conſtituerunt & ordinârunt, quòd ex canonicatibus & præbendis Eccleſiæ Valentinæ, qui ſunt numero viginti tres, medietas, nempè duodecim, ordini presbyteratûs (comprehenſis tamen illis quatuor canonicatibus, qui ab eorum primæva inſtitutione & fundatione presbyterales ſunt) alii verò ſex, ordini diaconatûs; reliqui autem quinque, ordini ſubdiaconatûs, reſpectivè perpetuò annexi ſint & efficiantur: ſuper quo, conſcriptis canonicorum viventium atque poſſidentium nominibus, ſortes coràm miſſæ fuere, ex quibus octo, ultra præfatos quatuor presbyterales, in presbyterii; alii autem ſex, in diaconatûs; reliqui verò quinque, in ſubdiaconatûs partem ceſſerunt. Unde notatis nominibus dictorum viventium atque poſſidentium canonicorum, eorundem canonicatus ad ſingulos præfatos ordines in perpetuum relati fuerunt, atque eiſdem ordinibus annexi. Itaque in poſterum, neque collatio, neque poſſeſſio cujuſvis canonicatus & prębendæ conferri neque dari poſſit cuiquam, quacumque auctoritate, etiam Apoſtolica, proviſo, niſi verè canonicè, atque actu promotus fuerit ad ipſummet ordinem, ad quem ejus canonicatus affectus eſt, & in libris conſtitutionum adnotatus; prout in dicta conſtitutione hęc latiùs continentur. Quæ conſtitutio ab omnibus unanimiter, & nemine diſcepante edita, jurata eſt, ac etiam quoniam non ſolùm ordinariâ, ſed Apoſtolicâ, atque Tridentini, & Provincialis Concilii auctoritate ſuffulta & confirmata, irrevocabilis eſt omnino, atque in perpetuum inviolabilis. Acta in capitulo ſedis, die viceſima menſis Februarii, anni MDLXVI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

TITULUS TERTIUS

De his quæ communiter ſpectant ad Dignitates ſedis Valentinæ.

Dignitates quomodo creatæ fuerint. & primò de Archidiaconatu majori, & de Archidiaconatu Xativæ, & aliis Dignitatibus.

FERRARIUS electus Valentię Epiſcopus cum capitulo ſtatuerunt: Dignitates de novo ſine conſenſu capituli non creentur: & cùm creatę fuerint de communi conſenſu Epiſcopi & capituli, tamen per ſolum Epiſcopum conferantur. Archidiaconus Valentinus, ſive major, & Archidiaconus Xativæ, eorumque juriſdictio & termini, in quibus redditus percipiunt, deſcribuntur. In Archidiaconatu verò majori ita decreverunt: quòd ſcilicet, duret à Xucaro citrà, in quantum extendatur Epiſcopatus Valentiæ. Ita ut Archidiaconus illius loci habeat decimam partem totius partis decimarum Epiſcopi, deductis expenſis circa collectionem factis. In Xativa verò ſic ſtatuimus: quòd ſit Archidiaconus, teneatque ejus Archidiaconatus ultra Xucaron fluvium, uſque ad Alcalà ſub Xorca, & uſque ad portum de Biar, & uſque ad Alacant, et uſque in mare, quantum intus protenditur jus conquiſtæ. Voluerunt autem & ſtatuerunt, quòd in parte decimarum Epiſcopi, deductis deducendis, prout in conſtitutione; Archidiaconus major habeat undecimam partem. In Sacriſtia verò ita ſtatuimus:

quòd in tota parochia ſanctę Marię habeat ab integro primitias & oblationes, cum aliis in dicta conſtitutione contentis & aſſignatis. In Præcentoria verò ita ſtatuerunt quemadmodum in dicta conſtitutione deſcribitur, ubi multa continentur, quæ contrario uſu abrogata ſunt & immutata. *Ex imp. fol. 47. a.*

Conſtitutio de collatione Dignitatum & præpoſiturarum.

ALPHONSUS Epiſcopus, & honorabile capitulum, anno Domini MCCCCXXXII. conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero vacante aliqua ex Dignitatibus aut perſonatibus Eccleſiæ, collatio illius pertineat ad Epiſcopum & ejus ſucceſſores in ſolidum, & quòd de illis provideri poſſit, illaque perſonis idoneis, etiam aliis quàm canonicis Eccleſię, conferre. Inſuper ſtatuerunt, quòd de cętero aliquâ, ſive aliquibus de prępoſituris Eccleſiæ vacantibus, Epiſcopus, ſive canonicus ejus vicarius generalis, teneantur duas prępoſituras vacantes canonico, ſive canonicis Eccleſię actu prębendatis, juxta formam in conſtitutione fratris Andreæ Epiſcopi, aliàs traditam, conferre. *Ibidem. b.*

Conſtitutio de viſitatione, & cœna Archidiaconi Valentini.

PETRUS Archiepiſcopus Tarraconenſis in generali viſitatione Epiſcopatûs & capituli Valentini, ſtatuit, ut Archidiaconus major Valentię in Archidiaconatu ſuo correctionem & viſitationem habeat, & cœnam recipiat moderatam, ſecundùm quod de conſuetudine Archidiaconis eſt conceſſum. HUGO correctionem de jure vel conſuetudine non habet, ſed ſolùm Epiſcopo debet referre. Cœna autem hodie limitata eſt per conſtitutionem domini Papę Benedicti. Quibus conſtitutionibus, & conſuetudini firmiter ſtetur. *Ex impreſ. fol. 48. b.*

Creatio decanatûs Eccleſiæ Valentinæ.

FRATER Andreas Epiſcopus & honorabile capitulum anno Domini MCCLX. Kalen. Februarii creârunt & erexerunt Dignitatem decanatûs in Eccleſia Valentina: cui dignitati aſſignârunt & incorporârunt omnes decimas, & omnia jura eis pertinentia, pleno jure in Eccleſiis de Segorb & de Altura, quæ tunc antequam Eccleſia Segobricenſis erigeretur in Cathedralem, ſub Epiſcopatu & diœceſi Valentina continebantur. Et quòd collatio decanatûs ſemper ſpectaret ad Epiſcopum, ejuſque ſucceſſores in ſolidum, cum aliis immunitatibus pro conſervatione decanatûs in præſenti conſtitutione contentis. *Ex impreſ. fol. 49. a.*

Applicatio Eccleſiæ de Chelva decanatui Valentino.

JAZPERTUS Epiſcopus Valentinus, propter ſubtractionem Eccleſiarum de Segorb & Altura, quæ fuerunt per ſententiam adjudicatæ Epiſcopo & capitulo S. Mariæ de Albarrazino, & à decanatu abſtractæ; pro ejus Dignitatis inſtauratione, de conſenſu capituli, dedit, aſſignavit, & incorporavit eidem decanatui cum omni juris plenitudine, Eccleſiam de Chelva cum omnibus ejus decimis ſibi antea, & Eccleſiæ Valentinæ pertinentibus; cum primitiis etiam dictæ Eccleſiæ de Chelva, ac collationibus Beneficiorum ſimplicium, & aliis emolumentis in dicta conſtitutione applicationis contentis. In qua aliæ quoque decimæ atque primitiæ multorum locorum ibi expreſſorum dignoſcuntur fuiſſe applicata dicto decanatui, in termino & diœceſi de Segorb; de quibus in præſenti non gaudet, immo omnino privatus exiſtit. *Ibidem.*

Conſtitutio de Eccleſiis unitis decanatui.

IDEM Jazpertus de conſenſu capituli ad reparandam neceſſitatem, & inopiam decanatûs Valentini, univit, & incorporavit eidem decanatui in perpetuum parochiales Eccleſias Sancti Stephani Valentinæ civitatis. & populi ſive loci de Benaguaziro Valentinę diœceſis, ſuppreſſis rectoriis, & harum loco inſtitutis vicariis perpetuis; ut ex fructibus, ſive decimis earundem Eccleſiarum vicarii teneantur quinquaginta libras annuatim decano ſolvere in perpetuum: reſiduis fructibus pro vicariis, quos penes ſe & in ſuos uſus ipſi retineant. *Ex imp. fol. 49. b.*

Creatio Archidiaconatûs Muri-veteris & Algeziræ.

JAZPERTUS Epiſcopus de conſenſu capituli, anno MCCLXIX. de novo creârunt & inſtituerunt duos perſonatus, ſive Dignitates in Eccleſia Valentina. Quarum una ſit, & vocetur Archidiaconus Muri-veteris, & altera Archidiaconus Algeziræ; quas dotârunt de primitiis, quæ in dictis duobus oppidis percipientur: inſtitutis duobus etiam vicariis in dictis oppidis, quos ex dictis primitiis competenter dotârunt; aſſignando vicario Muri-veteris certos redditus, qui in fructibus ab Archidiacono ei ſolvuntur. Necnon ordinârunt ad eaſdem magis decorandas Dignitates, ut Archidiaconus Muri-veteris habeat ſextam vocem in congregationibus Eccleſiæ capitularibus, Archidiaconus verò Algeziræ ſeptimam. *Ex impreſ. fol. 50. a.*

Inſtitutio ſeu incorporatio vicariæ Muri-veteris.

RAYMUNDUS Epiſcopus cum aſſenſu capituli, ac etiam Geraldi de Albalato, tunc Archidiaconi Muri-veteris, conſtituerunt & ordinârunt, quòd in ipſa Eccleſia oppidi Muri-veteris ſit unus perpetuus vicarius, qui gerat curam animarum; cui pertineant oblationes & alia quævis emolumenta Eccleſiæ, exceptis decimis & primitiis ipſius parochiæ: ſed quòd idem Archidiaconus teneatur annuatim ei de primitiis tot fructus, quot in præcedenti inſtitutione referuntur, erogare; cum declaratione & injunctione onerum & curæ, ad quæ tenetur vicarius prædictus, ut bene ſerviat dictæ curæ. Necnon quòd preſentatio dictæ vicariæ pertineat ad ipſum Archidiaconum pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Demum quod vicarius & clerici, ſeu Beneficiati Muri-veteris teneantur obedire Archidiacono quamdiu præſens in dicta Eccleſia fuerit. Acta Valentiæ, quinto idus Aprilis, anno MCDXCIX. *ibid. b.*

Unio ſeu incorporatio vicariæ perpetuæ Sancti Joannis de mercato, *facta præcentoriæ ſedis Valentinæ.*

RAYMUNDUS cum conſilio & conſenſu capituli, ad ſupplicationem preçentoris Valentinæ Eccleſiæ, cui præcentoriæ annexa & unita erat parochialis Eccleſia S. Joannis *de mercato*, tunc de la Boatella dicti: ſtatuerunt & ordinârunt, ut vicarius perpetuus per ipſum preçentorem præſentatus in præfata parochiali Eccleſia inſtituatur, qui onera Eccleſiæ, ejuſque curam animarum ſuſcipiat, & ad quem oblationes, & alia quævis emolumenta Eccleſiæ pertineant. Et quòd præcentori pro juribus ſuis teneatur perpetuò annuatim MCC. ſolidos francos &c. ſolvere, & alia quædam præſtare in preſenti conſtitutione contenta: à qua ordinatione ſive inſtitutione vicariæ perpetuò exceperunt, tam Epiſcopus quàm capitulum totam decimam, quam infra limites ipſius Eccleſiæ & parochiæ S. Joannis recipiunt & recipere poſſunt, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum, & omnia alia, quæ lege diœceſana, vel juriſdictionis ad Epiſcopum pertinere poſſunt. Præſentationem dictæ vicariæ quoties vacare contigerit, eidem præcentori & ſucceſſoribus ſuis reſervantes. Acta Valentiæ decimo quarto kalendas Octobris MCCCII. *Ex impreſſ. fol. 51. a.*

Conſtitutio ſuper concordia inter capitulum & Sacriſtam.

CONSTITUTIONE præſenti continetur concordia quæ inita fuit inter reverendiſs. Dominum Jacobum Epiſcopum & capitulum ex una, & Joannem Montanearii Sacriſtam Eccleſiæ Valentinæ, partibus ex altera, ſuper oneribus eidem Sacriſtæ incumbentibus, ratione dignitatis ad cuſtodiam & reparationem ornamentorum, ad illuminationem chori & altaris majoris, ſtatutis per annum diebus, cum pleriſque aliis oneribus in dicta concordia ſingillatim expreſſis & enumeratis: pro eo quòd ipſe Sacriſta remiſit Eccleſiæ & capitulo quas recipiebat, aut penes ſe retinebat oblationes, donationes, & munera, quæ tam in cenſibus, quàm in his quæ comeſtibilia, atque combuſtibilia ſunt, Eccleſiæ offerebantur. Unde ex deliberatione Epiſcopi & capituli oblationes illę & emolumenta, quæ Sacriſta percipiebat, partim in officium Theſaurariæ, partim in officium Armarii ceſſerunt: quæ duo officia, omnia illa onera olim Sacriſtę incumbentia nunc exſolvunt ac præſtant, atque Sacriſtam ab obligatione exſolvendi illa omnino liberant. Quæ tandem concordia, ejuſque inſtrumenta acta fuerunt di 26. menſis Julii anno Domini MCCCLXXIV. *Ibidem. b.*

Conſtitutio, in quo ordine eſſe debeat Præcentor & Sacriſta, & de ſede eorum & Decani: necnon Archidiaconorum Valentiæ, Xativæ, Muri-veteris, & Algeziræ.

FRATER Andreas anno Domini MCCLV. cum conſenſu capituli ſtatuit, quòd ſi qui fuerint in ſacriſtiæ vel præcentoriæ dignitatibus conſtituti, ſemper locum presbyterorum obtineant, ut à majoribus exemplum detur minoribus, quali eos in ſtatu deceat exiſtere. Item volens chorum eſſe circumdatum perſonis in dignitatibus conſtitutis, ſtatuit ut Sacriſta & Archidiaconus Xativę primas cathedras chori versùs altare obtineant. Itaque è regione alter ex una parte, alter ex contraria ſedeant. Et Archidiaconus Valentiæ, & Preçentor ſedeant in cathedris conſuetis utraque in parte chori. Alii autem canonici dividant ſe per chorum, & adhęreant perſonis in dignitatibus conſtitutis.

Hugo adjecit: Sedes autem Decani ſit in choro preçentoris, in cathedra quæ rectè eſt in angulo, ſeu cantone chori. Archidiaconus verò Muriveteris ſimilem cathedram habeat è regione, & in angulo in choro Epiſcopi: Archidiaconus autem Algeziræ, poſt Decanum habeat immediatè ſequentem cathedram. *Ex impreſſ. fol. 57. b.*

Declaratio de cathedra Archidiaconi majoris ubi ſit locanda.

ALPHONSO Epiſcopo, anno Domini MCDXXXIX. ortâ controverſiâ inter dominum Epiſcopum & Archidiaconum majorem ſuper prima cathedra chori Epiſcopi, pretendente Archidiacono illam ad ſe pertinere: contrà Epiſcopo, eandem de jure ad ſe ſpectare, neque alium quempiam præter ipſũ in ea debere ſedere afferente; vicarius generalis & honorabile capitulum conſtitutione decreverunt ac declarârunt; quòd dicta prima cathedra dicti chori, ſuper qua fit quęſtio, cedat, atque

per-

perpetuò aſſignetur domino Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis. Ita videlicet, quòd Archidiaconi majores Valentini pro tempore exiſtentes, dictis dominis Epiſcopis Valentinis præſentibus vel abſentibus, nullo modo audeant, vel preſumant, in dicta prima cathedra ſedere, ſed in ſecunda cathedra dicti chori, poſt dictam primam immediatè ſequentem: quam eiſdem Archidiaconis, pro eorum ſeſſione, perpetuò deputârunt, ac etiam aſſignârunt. Acta die & anno prefixis. *Ex impreſſ. fol.* 58. *a.*

Conſtitutio, quòd nullus ad Dignitates admittatur, niſi priùs juraverit conſtitutiones Eccleſiæ.

HÆC conſtitutio jurata continetur infrà, ubi enumerantur conſtitutiones jurandæ, titulo *De juramentis*. Acta 30. Madii MCDVIII. *Ex impreſſ. fol.* 58. *b.*

Conſtitutio, quòd Epiſcopus antequam admittatur ſolvat jura fabricæ.

SIMILIS habetur conſtitutio infrà titulo *De juramentis*, per quam edicitur ne admittatur quivis Epiſcopus ad poſſeſſionem, niſi priùs ſolvat mille florenos auri in augmentum fabricę Eccleſiæ; idque ſaltem primo anno receptionis illorum. Quodque non ſolùm Epiſcopus, ſed alii quicumque ad dignitates, perſonatus, prębendas, & prępoſituras ipſius Eccleſię nec non rectorias, & vicarias perpetuas, & alia Beneficia per bonę memorię Vitalis Epiſcopi Valentini conſtitutionem, quæ incipit: *Cum piæ deſiderium voluntatis &c.* expreſſa, admitti non poſſint, niſi priùs iidem domini Epiſcopi de ſolvendo prefatos mille florenos, & ceteri de ſolvendis annatis, vel mediis annatis (prout Vitalis conſtitutio continet) ad voluntatem capituli, idoneam & ſufficientem præſtiterint cautionem. *Ex impreſſ. fol.* 59. *a.*

Quæ ſolvere tenentur Epiſcopus & Dignitates.

PRÆTEREA fuit adjectum, quòd Epiſcopus in admiſſione ſua ſolvat ſubdiaconis ſex libras: & dignitates habentes, & prępoſiti, ſexaginta ſolidos, ac totidem etiam canonici in ſuis admiſſionibus. Act. ſecuuda menſis Januarii, anno MCDIX. *Ibid. b.*

Conſtitutio alia, quòd nullus admittatur ad illorum poſſeſſionem, niſi priùs actu ſolverit jura fabricæ, & theſaurariæ, ac ſalaria officialium.

ERARDO de la Marcha Cardinali Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero nullus ad poſſeſſionem Archiepiſcopatûs, canonicatuum, & prębendarum, dignitatum, & præpoſiturarum Eccleſiæ admittatur, niſi priùs & ante omnia, realiter & cum omni effectu ſolvat jura fabricæ, & theſaurarię, unà cum ſalariis aliorum officialium: antiquo uſu & conſuetudine de admittendis ipſis, & cautione de ſolvendo infra annum, penitùs abrogatâ & rejectâ. Acta 23. Aprilis, anno MDXXXIV. *Ex impreſſ. fol.* 60. *a.*

Conſtitutio jurata, quòd Eccleſia Valentina non dividatur in plures.

HUGONE Epiſcopo, ejus vicarius generalis & honorabile capitulum in Paſchali capitulo ſtatuerunt & decreverunt, quòd dominus Epiſcopus & ſui ſucceſſores, necnon omnes canonici ac dignitates habentes, atque præpoſiti antequam ad poſſeſſionem admittantur aut recipiantur, teneantur jurare, quòd neque per ſe, neque per alios conſentient, quòd Metropolitana Eccleſia Valentina, vel ejus diœceſis, in duas vel plures cathedrales Eccleſias, ſeu diœceſes ſit diviſa. Ulteriùs ordinârunt, quòd rectores & alii quicumque Beneficiati, jurent tempore ſuarum collationum, in eorum admiſſionibus, de tenendo fidelitatem ſedi Valentinę. Acta 13. Madii, anno MCDIX. *Ex impreſſ. fol.* 60. *b.*

Ordinatio ſuper diſtributione ſapientiarum.

HUGO Epiſcopus & honorabile capitulum, volentes diſtributionem vulgò dictam *de la ſapiencia*, quę fit in ſingulis Veſperis novem dierum ante diem feſtum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, largitione & expenſis domini Archiepiſcopi & dignitatum & prępoſiturarum, in choro ſedis noſtrę, ſub certis forma & ordine regulare; ſtatuerunt & ordinârunt, quòd diſtributio ante dicta fiat, & detur in prefatis diebus cum cedula inter perſonas, per modum in conſtitutione ſuper hoc facta tunc expreſſis: quę hic minimè exprimuntur, propterea quòd idem expreſſus tunc ordo fuit noſtris temporibus, propter conſecutos abuſus, in melius commutatus: & univerſa illa pecuniæ quantitas novem diebus erogari ſolita in communem burſam minuti ad augendas duplas diſtributionum erogata. Retento tamen ex antiquo ordine, quòd Hebdomadariis, qui dixerint antiphonam Sapientiæ, dupletur portio illâ die. *Ex impreſſ. fol.* 61. *a.*

Conſtitutio de bonis Archiepiſcopi & capituli.

FERRARIUS electus Valentinus anno domini MCCXLIX. Kalen. Julii, & totum capitulum, diſtinguentes bona Epiſcopi à bonis capituli, ſtatuerunt & ordinârunt, in primis ſuper dominiis, ſive poſſeſſionibus acquiſitis, ſive in poſterum acquirendis, quòd Epiſcopus Valentinus percipiat medietatem & capitulum canonicorum majoris Eccleſiæ aliam medietatem ab integro per totum Epiſcopatum & extra, ubicumque ſint; prout in ipſa conſtitutione continetur. In decimis autem proveniennien-

nientibus in territorio Valentino, ſcilicet à Puçolio, qui eſt inter Murum-veterem & podium Sanctæ Mariæ, uſque ad Almuçafes, & Spioca, & Picacent, & Torrentem, & Manizam, & Paternam, & Moncatam, & ſicut tenet Cequia uſque ad dictum Puçolium, & totum incluſivè uſque ad Culleram, quòd habeat ſcilicet Epiſcopus medietatem, capitulum verò aliam medietatem. De toto verò reliquo Epiſcopatu habeat capitulum terriam partem omnium decimarum ſive reddituum. HVGO ſuper his tamen ex diverſis conventionibus & contractibus, extunc uſque multa ſunt immutata, & ideo ſuper his ſtetur conſuetudini & his quæ in uſu ſunt. *Ex impreß. fol.* 61. *b.*

Conſtitutio, quòd procuratores Epiſcopi & capituli, non poſſint emere jura decimalia.

HUgone Epiſcopo, ejus vicarius vnà cum capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd procuratores domini Epiſcopi, vel habentium dignitates ſeu præpoſituras, ac canonicatus & præbendas in Eccleſia Valentina, cujuſcumque ordinis aut conditionis exiſtant, non audeant, neque poſſint jura aliqua decimalia Epiſcopo ſeu capitulo, aliiſve ſupradictis pertinentia, conjunctim vel diviſim, per ſe vel alios, aut cum aliis tacitè vel expreſsè, directè vel indirectè, aut quovis alio quæſito colore, arrendare vel emere, aut in arrendamentis & exemptionibus eorundem aliquam partem habere ſeu in illis reſpectu commodi proprii, ſe quoquomodo immiſcere. Quòd ſi ſecus fecerint, præterquam quòd arrendamenta & pacta ſupradicta irrita ſunt omnino, excommunicationis etiam ſententiam iidem incurrant. Act. 17. Decembris, Anno MCCCCIX. *Ex impreß. fol.* 62. *a.*

Conſtitutio de teſtamentis per Epiſcopum, Prælatos, & canonicos Eccleſiæ Valentinæ faciendis.

JAZPERTUS Epiſcopus & capitulum inſimul cõgregati, anno Domini MCCLXXXVII. Idus Auguſti, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd præfatus dominus Epiſcopus, ejuſque ſucceſſores de omnibus rebus mobilibus & ſe moventibus, quæ habentur tempore mortis eorundem, ab Eccleſia vel aliunde, & de redditibus Muri-veteris & Algezirę unius anni, ad menſam videlicet Epiſcopalem ſpectantibus, poſt obitum vel religionis ingreſſum, poſſint condere teſtamentum & propriam facere voluntatem. Prę-lati etiam, ſive dignitates habentes, & canonici Eccleſiæ, eodem gaudeant privilegio & favore, ſcilicet quòd de bonis ſuis mobilibus & immobilibus ab Eccleſia vel aliunde acquiſitis, poſſint etiam condere teſtamentum, & habeant ſimiliter per annum poſt mortem vel religionis ingreſſum, omnes redditus & proventus, quos habent, vel habuerint in Eccleſia, vel ratione ipſius, tempore mortis ſuæ. De quibus redditibus per unum annum poſt obitum recipiendis, ſi debita vel injurias habuerint, nec aliunde ſuppetunt facultates, unde ſatisfaciant, totum illud diſtribuatur ad injurias & debita perſolvenda; ſi verò non ſint aſtricti debitis, nec injuriis, Epiſcopus & ſucceſſores de redditibus oppidorum Muri-veteris & Algezirę, Prælati & canonici Eccleſiæ de dictis poſt mortem redditibus Beneficiorum ſuorum poſſint quod ſequitur ordinare, videlicet de duabus partibus reddituum legare illas ad fabricam vel alia ornamenta Eccleſiæ: de tertia verò parte, quòd libuerit facere; modò onera & ſervitia Beneficii inde compleantur. Hæc autem, cęteraque alia, quæ in dicta conſtitutione continentur, Hugo inquit, intelligantur ſub determinatione Extravagantis domini Papæ Joannis XXII. quæ incipit: *Suſcepti regiminis. Ibidem b.*

Confirmatio Apoſtolica conſtitutionis ſupradictæ, per quam Epiſcopus, Prælati, & canonici teſtari poſſunt & fructus unius anni poſt eorum obitum recipere.

CONFIRMATUR per Benedictum Papam conſtitutio ſuperiùs relata, quæ de verbo ad verbum inſerta eſt Bullæ; neque aliud quàm quæ ſuperiùs commemorata ſunt, continet. Datum Avinione, quarto Idus Octobris Pontificatûs ejus anno I. *Ex impreß. fol.* 64. *a.*

Conſtitutio, pro quo tempore Præpoſitus ſeu alius perſonatus Eccleſię debent habere poſt ſuum obitum fructus Prępoſiturę, ſive perſonatûs.

JAZPERTUS anno MCCLXXXI. de conſenſu capituli, per hanc conſtitutionẽ nonnulla ordinavit de fructibus præpoſiturarum vacantium per obitum illas poſsidentium, à quo tempore in favorem pręmortui converti debeant, quæ fortè jam non ſunt in uſu. Ideoque cupienti reſcire illa, conſtitutionem integram videat. Atque in pręſenti ſufficiat videre appendicem domini Hugonis Epiſcopi in calce conſtitutionis poſitam, ſic inquiens: Nos autem, ut ſine omni difficultate prædicta procedant, de conſenſu noſtri capituli ſic ordinamus, ut quocumque tempore decedat præpoſitus, annus incipiat in Kalendas Madii; & quanto tempore poſt dictas Kalend. præpoſitus vixerit, tanto tempore pro rata fructus percipiat, & onera ſubeat; & poſtmodum à die mortis ſuæ per annum completum fructus percipiat & onera ſubeat, ſub determinatione prædicti capituli. Hæc ille. *Ex impreß fol.* 63. *b.*

Conſtitutio, quòd ſi cui habenti prælaturam aliquam in Eccleſia alia prelatura conferatur, habebit per annum fructus prælaturę dimiſſę.

HÆC conſtitutio, quæ à Jazperto Epiſcopo & capitulo edita fuit anno Domini MCCLXXXVI. declarat, quòd ſi alicui canonico habenti præpoſituram, vel aliud

ſim-

ſimplex aut curatum Beneficium, præpoſitura vel Beneficium aliud conferatur, fructus priorum per annum integrum percipiat, niſi Beneficii de novo ſibi collati fructus in continenti ipſum recipere contingat. Item ſtatuitur, quòd vaſa vinaria, in quibus reponitur vinum Dignitatum, vel præpoſiturarum, ſint futurorum præpoſitorum, ſeu dignitatem habentium; non obſtante conſtitutione, quâ cavetur, quòd canonici & alii Eccleſiaſtici teſtare poſſint de rebus mobilibus: cùm de vaſis vinatiis non intelligat conſtitutio. *Ex impreſſ. fol. 65. b.*

Corroboratio conſtitutionis annatæ mortis.

CÆSARE Cardinali & Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, virtute duarum conſtitutionum auctoritate Apoſtolica per Benedictum Papam confirmatarum, de quibus paullò ſuprà diximus, circa annatas fructuum poſt mortem, ſtatuerunt & ordinârunt conſtitutione juratâ, quòd canonici qui nunc ſunt, & pro tempore erunt, poſſint virtute dictarum duarum conſtitutionum, diſponere de omnibus menſatis & veſtuario poſt eorum obitum, ad diſponendum de illis juxta tenorem dictarum duarum conſtitutionum. Acta die 29. menſis Julii, anno MCDXCVII. *Ex impreſſ. fol. 66. a.*

Fundatio monaſterii beatæ Mariæ de Porta-cœli, per Reverendiſſimum Dominum Andream Epiſcopum, & capitulum Valentinum.

FRATER Andreas Epiſcopus Valentinus de communi conſenſu capituli, anno Domini MCCLXXII. 8. Idus Novembris, ſtatuerunt & ordinârunt ædificare, prout ædificârunt, monaſterium Ordinis Cartuſienſium, in loco vocato olim *Lulen* Valentinæ diœceſis, quatuor à civitate Valentina leucis diſtante, quem deinceps vocare decrevit monaſterium Sanctæ Mariæ de Porta-cœli, cum Priore & conventu, & omnibus requiſitis ad perpetuas in eo quotidie preces Deo fundendas pro vivis ac defunctis: ac ſpeciatim pro his, qui in conſtitutione exprimuntur: retento ſibi patronatu atque patrocinio dictæ domus, ac etiam quòd ratione decimarum dicti loci de *Lulen*, & terminorum ſuorum monaſterio ab Epiſcopo & capitulo relictarum, Prior & conventus, ſuique ſucceſſores teneantur ſolvere Epiſcopo & capitulo præfatis & ſucceſſoribus, annis ſingulis in feſto S. Michaëlis Septembris, decẽ ſolidos monet. regal. Valen. Act. menſe & anno præfixis. *Ex imp. fol. 66. a.*

Conſtitutio, quòd poſſeſſio Archiepiſcopatûs non tradatur cum eiſdem ſolennitatibus procuratoribus, ſicuti ipſimet Archiepiſcopo.

MARTINO de Ayala Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero poſſeſſio Eccleſiæ & Archiepiſcopatûs, quæ hactenus tradi ſolita erat procuratoribus Archiepiſcoporum cum proceſſione & pallio, & decantatione cantici, *Te Deum laudamus*; ac tanta ſolennitate, quantâ ipſimet domino Archiepiſcopo foret tradenda, deinceps nulla cum pompa & ſolennitate, præterquam ſimpliciter coram notario & teſtibus, prout de jure eſt, atque in aliis dignitatibus & canonicatibus præſentis Eccleſiæ fieri conſuevit, dictis procuratoribus tradatur. Supradictas verò ſolennitates ſoli domino Archiepiſcopo, cùm perſonaliter acceſſerit ad Eccleſiam, prima vice exhibendas fore declarantes. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta die 29. Januarii MDLXV. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd originem trahentes à Judæis, non admittantur ad dignitatem, canonicatum, aut alium Eccleſiæ perſonatum.

EODEM Martino de Ayala Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, cauſſis & rationibus eiſdem bene viſis conſtituerunt & ordinârunt, quòd de cætero quicumque ex Judæorum proſapia originem ducentes, aut ſi fuerint deſcendentes ex hæreticis de hæreſi damnatis, forſan Eccleſiæ unitati reconciliatis, ac reincorporatis, dignitates, canonicatus, & præbendas, ac alia Beneficia Eccleſiaſtica minimè obtinere poſſint in hac Eccleſia Valentina: ſed ſint penitùs ad talia inhabiles, du mmodo per dictam lineam deſcendentes ſint prædictis hæreticis intra quartum gradum conſanguinitatis conjuncti. Qui verò intra ſecundum gradum prædictis hæreticis per lineam tranſverſalem ſeu collateralem conjuncti fuerint, ſimili inhabilitati, & prohibitioni ſubjaceant: & hoc intelligatur ſive dicta conſanguinitas proveniat per lineam paternam, ſive maternam. Demum pro majori conſtitutionis robore & firmamento decreverunt petere illius confirmationem à ſede Apoſtolica. Acta die 13. Auguſti MDLXVI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Sententia per Illuſtriſſ. D. D. Joannem de Ribera Archiepiſcopum Valentinum promulgata ſuper præcedentia Dignitatum & canonicorum, in exercitio & aſſiſtentia actuum Pontificalium.

ET quia ſecundùm formam & ordinem in libro Pontificalium deſcriptum, circa actus Pontificales in dicto libro memoratos exercendos, docetur apertè, digniores canonicos de capitulo aſſiſtere & miniſtrare debere, nulla de Archidiacono, nec de aliis Dignitatibus mentione facta; cumque in viam juris, quando ſuper forma gerendi actus Pontificales, & precedentia perſonarum, quæ dictis actibus intereſſe debent, aliqua ſuboritur quæſtio, ſecundùm in dicto Pontificali diſpoſita, uti legem

dictis

dictis negotiis descriptam decidenda veniat. Ea propter & aliàs. Et quia de prætensa per dictum reverendum Archidiaconum consuetudine, quam oportebat esse præscriptam, ut ejus intentio eâ juvari possit, non constat, sententiamus, pronunciamus, & declaramus, digniores canonicos de capitulo debere in dictis Pontificalibus actibus, in dicto Pontificali libro memoratis, per nos, seu successores nostros in dignitate exercendis, assistere & ministrare. Declarantes, sicuti cum præsenti diffinitiva sententia declaramus, digniores canonicos, de quibus dictum Pontificale loquitur, illos esse, qui simul cum canonicatibus in sede præsenti Valentina dignitatem habent, seu pro tempore habuerint, servata tamen inter ipsos, si plures habentes dignitatem fuerint, præcedentiâ, juxta majoritatem & ordinem dignitatum. Inter verò simplices canonicos, nullam in sede dignitatem habentes, digniores declaramus, qui primo loco canonicatum adepti fuerint, cùm de jure, qui priores sunt tempore potiores sint in honoribus. Et ita pronunciamus omni meliori modo, & in expensis ex causâ neutram partem condemnamus.

El Patriarcha Arçobispo.

Lata fuit, publicata, & intimata præsenti die xxi. Madii MDLXXIII.

Petro Lopez notario & scribâ.

TITULUS QUARTUS.

De his quæ spectant ad præposituras sedis Valentinæ.

Constitutio de institutione præpositurarum sedis Valentinæ, deq; earum oneribus & de fundatione hebdomadariorum, & aliorum officialium Ecclesiæ.

FRATER Andreas Episcopus anno Dominî MCCLIX. unà cum honorabili capitulo, statuerunt & ordinârunt, quòd sint in Ecclesia Valentina duodecim præpositi: propterea quòd ex bonis capituli totidem eriguntur præposituræ. Item statuerunt, ut cùm in Ecclesia non sint nisi duo sacerdotes hebdomadarii, creentur alii duo hebdomadarii: ita quòd deinceps in perpetuum sint quatuor hebdomadarii in Ecclesia majori Valentina, quorum unus celebret Missam in sua septimana pro defunctis, & aliam Missam conventualem; & alii duo in alia septimana & in choro intersint omnibus horis canonicis, nocturnis & diurnis, statim in principio horarum. Cùm ad eos pertineat incipere & complere officium in omnibus horis. Et duo sint de uno choro, & alii duo de alio. Item statuerunt unum magistrum qui regat scholas in grammatica in Ecclesia, expensis domini Episcopi & capituli. Item statuerunt duas portiones duorum denariorum pro qualibet, ad expensas communes capituli faciendas; prout est dictum suprà in titulo de canonicis, ubi statuitur ad expensas capituli præpositos teneri. Item juxta formam dictę constitutionis, ad quam habeatur relatio, statuerunt, quòd administratio & collectio fructuum decimalium, tanquam bonorum capituli tradatur præpositis. Item mandatur eisdem, quòd infra sex annos à die traditionis computandos, teneantur præparare & habere cellaria, vegeces, & alia necessaria ad recondendos fructus præpositurarum in tribus partitis, nempe præpositi ultra Xucarum, in Xativa & Gandia; præpositi verò tres citra Xucarum, extra hortam, apud Murum-veterem, & Alhal. Aliis quoque pactis & obligationibus obstricti fuerunt præpositi pro bona eorum administratione præstanda, in dicta constitutione expressis, quibus se omnino Episcopo & capitulo summiserunt. Tandem super expensis capituli à præpositis solvendis, examinatis controversiis, quæ pro parte præpositorum sunt motæ, Hugo concluſit, quòd in causis, quæ generaliter tangunt jura capituli, vel statum Ecclesiæ, utpote quia negaretur capitulum non habere partem in decimis vel similibus, tunc præpositi omnes expensas faciant, quas capitulum esset facturum. Tandem statuit de consensu capituli, quòd in omnibus expensis per Episcopum faciendis in locis, pro juribus sui Episcopatûs conservandis, præpositi dimidiam partem exsolvant. Similiter econtrà in omnibus expensis in litibus, quę pro servandis juribus præpositurarum, vel alicujus earum fieri habebunt, partem dimidiam solvere Episcopus teneatur. *Ex impress. fol. 67. a.*

Creatio nova duodecim præpositurarum.

FRATER Andreas Episcopus anno Dominî MCCLIX. & capitulum Valentinum de communi consensu omnium canonicorum, post multos tractatus circa ordinationem præpositurarum & collectionem fructuum, ac perceptione quotidianæ portionis & vestuarii annualis canonicorum, ex deliberata concordia, statuerunt & ordinârunt, quòd bona omnia capituli Valentini in duodecim præposituras dividantur: ex quibus sex præposituras cõstituerunt de omnibus redditibus & proventibus, quæ competunt & competere possunt capitulo in civitate & horta Valentina, cum omnibus terminis ejus. Quibus addiderunt omnes bisantios, sive denarios, quos fratres de Calatrava & de Ucles tenentur dare capitulo annuatim. Item decimam carnium, & animaliũ, & piscium civitatis & totius diœcesis Valentinæ, ac etiam Albuferæ. Terminos sex præpositurarum posuerunt, videlicet Puçolium, Podium S. Mariæ, Museros, Foyos, Moncada, Burjaçot, Paterna, Manizes, & Torrent: descendendo per torrentem ad mare, cum omnibus intra dicta loca contentis parochiis & Alcheriis. Et quòd sex præposituras dictas obtinentes, de illis servitium faciant sex mensibus, Augusto, Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, & Januario, prout est il-

iis injunctum. Item creârunt alias tres præpoſituras de decimis & proventibus, quæ capitulo competunt in Epiſcopatu Valentino citra Xucarum, extra terminos tamen hortæ, in Cullera, & ejus termi nis, tam ultra, quàm citra Xucarum: excepto eo de Calatrava & de Ucles & decima carnium, & animalium, & piſciũ,& denariis de Albufera,& aliis exceptis,prout in conſtitutione. Et quòd hi tres præpoſituræ ſerviant tribus menſibus Madio, Junio & Julio,prout eſt illis injunctum. Item ordinârunt alias tres præpoſituras de omnibus redditibus &c. quæ competunt capitulo Valentino, in Epiſcopatu, in quibuſcumque locis ultra Xucarum, exceptis quæ ſuprà aliis præpoſituris aſſignata ſunt:adjicientes & donantes iſtis præpoſituris medietatem omnium fructuum ad Valentinum capitulum pertinentium, granarii villæ de Algezira. Et quod obtinentes dictas præpoſituras ſervitium faciant tribus menſibus Februarii, Martii, & Aprilis, cum aliis tunc oneribus in conſtitutione expreſſis. Item ſtatuerunt ſervitium, quod præſtare debent in ſolvendo veſtuarium & primam menſis, canonicis & officialibus Eccleſiæ dari ſolitis, ut ibidem exprimitur. Item ſtatuerunt, quòd ſi procedente tempore, fructus præpoſiturarum benedicente Domino excreverint uſque adeò, ut ſolutis ſolvendis augeri poſſint veſtuarium, ſeu quotidianæ portiones, vel numerus canonicorum, vel Eccleſiæ ſervitorum, hoc totum relinquitur faciendum cognitioni & ordinationi Epiſcopi & capituli. Item ſtatuerunt, quòd quicquid in futurum accreſcet de locis deſertis, & hactenus incultis, totum illud colligant præpoſiti uſque ad ſex annos, ratione præpoſiturarum ſuarum. Item ſtatuerunt, quòd cedentibus, vel decedentibus aliquibus prepoſitis, præpoſituræ vacantes conferantur aliis canonicis, habentibus, vel non habentibus præpoſituras, prout Epiſcopus, & tota, vel major & ſanior pars capituli viderint expedire. Hugo. Sed poſtea inter aliquas præpoſituras, per ſpeciales conventiones factas cum conſenſu Dominorum Epiſcoporum & capituli ſunt factæ diviſiones. Quibus contractibus ſtare voluimus, nulla per hanc innovationem facta mutatione. Acta die, menſe, & anno quibus ſuprà. *Ex imp. fol.* 68. *b.*

Conſtitutio, quòd præpoſiti teneantur facere cellaria, & habere torcularia, & fidejuſſores dare.

FRATER Andreas Epiſcopus & honorabile capitulum ſtatuerunt, quòd ſub pœnis expreſſis, præpoſiti ſex de horta faciant cellaria & torcularia communia in civitate ad recondendum vinum. Prepoſiti verò citra Xucarum & extra hortam, apud Murum-veterem, & locum de Albal. Qui autem ſunt ultra Xucarum, apud Xativam & Gandiam, ſimilia cellaria ſub eiſdem pœnis faciant. Item ordinârunt, quòd prepoſiti non admittantur ad percipiendos fructus præpoſiturarum, donec idoneos & ſufficientes fidejuſſores de bene adminiſtrando præpoſituras & ſolutiones ſtatutas,de veſtuario, & aliis portionibus, canonicis & aliis perſonis debitas congruo tempore faciendas, preſtent, atque alia onera illis injuncta compleant, ſeque, ac bona ſua obligent, renunciantes ſuo foro. Acta die & anno in precedenti conſtitutione prefixis. *Ex impreſs. fol.* 69. *b.*

Conſtitutio de bajulis præpoſitorum.

FRATER Andreas, anno MCCLXXVI. decimo Kalen. Aprilis, & honorabile capitulum ſtatuerunt, quòd ſententiam excommunicationis incurrat præpoſitus, ſeu ejus bajulus, qui expenſas capituli ſolvere recuſaverit. Item ſtatuerunt, quòd canonici defuncti per annum poſt mortem gaudeant portione canonica & veſtuario: dando illa pro uno anniverſario fundando, ſi debita non habuerint, prout in dicta conſtitutione decernitur. Item ſtatuerunt, quòd canonicus non eligens ſepolturam in Eccleſia Valentina, careat beneficio hujus conſtitutionis. Demum ſtatuerunt, ut ſi qui bajuli & procuratores Epiſcopi, necnon & præpoſitorum, aliquid de parte alterius præpoſiti vel Epiſcopi, ſive Domini ſui licentia receperint, & id ſolvere retardaverint requiſiti, excommunicationis ſententiam non ſolventes incurrant, *Ex impreſs. fol.* 70. *a.*

Conſtitutio trium millium ſolidorum.

VITALIS Epiſcopus, anno Domini MCCCLVIII. ſeptimo idus Aprilis, unà cum honorabili capitulo, cauſſis & rationibus in preſenti conſtitutione jurata expreſſis, ſtatuerunt & ordinârunt, quatenus de cetero ſingulis annis quilibet præpoſitor dare teneatur, & det cum effectu, ultra id quod jam antea canonicis & officialibus Eccleſię ſolvere tenebatur in menſe ſuo, theſaurario Eccleſiæ & capituli, in augmentum quotidianum portionis canonicæ & veſtuarii canonicorum, & aliorum Eccleſiæ ſervitorum, annuatim tres mille ſolidos Barcinonenſes, mille quingentos in feſtivitate omnium Sanctorum, & reliquos mille quingentos in carnis privio ſubſequenti. Idque ſub pœna excommunicationis in contravenientẽ quempiam ex prepoſitis: ac etiam quòd fructus univerſi & proventus prepoſituræ ejuſdem recuſantis, toto illo anno ex integro communi menſæ capituli ſint eo ipſo applicati, dividendi in augmentum quotidianę portionis & veſtuarii canonicorum, & aliorum Eccleſię ſervitorum. Decernentes neminem ex præpoſitis admittendum eſſe ad poſſeſſionem prepoſiturę, niſi priùs preſentem conſtitutionem obſervandam juraverit. Acta ut ſuprà. *Ex imp. fol.* 71. *a.*

Confirmatio Apoſtolica conſtitutionis de mille quingentis ſolidis ſolvendis per præpoſitos ſedis Valentinæ.

BULLA Clementis confirmatur precedens conſtitutio trium millium ſolidorum per ſingulos prepoſitos capitulo annuatim perſolvendorum: inſertâ Bullę de verbo ad verbum dicta conſtitutione, ſub dat. Avinione, octavo Kalendas Junii, Pontificatûs anno quindecimo. *Ex impreſs. fol. 72. a.*

Conſtitutio ſuper dandis fidejuſſoribus per præpoſitos, ac ſolvendis veſtuario & menſata.

PRÆSENTI conſtitutione jurata domini Hugonis Epiſcopi & honorabilis capituli, quæ edita fuit 30. menſis Madii, anno MCDVIII. repetuntur duę conſtitutiones ſuprà poſitæ ad eas corroborandum, ſcilicet, quòd fidejuſſores ad præpoſituras, dentur ad voluntatem & electionem capituli, ſeque omnino foro Eccleſiæ ſubmittant; proprioque renuntient. Oſtenditur etiam caſus in quo fidejuſſores ſunt renovandi, de novoque repetitur, quòd prepoſiti debent ſolvere veſtuarium prima die Madii, & portionem canonicam, prima quaque die ſui menſis: contrafacientibus pœna excommunicationis indicitur, quam de facto incurrunt. Acta die, menſe, & anno prefixis. *Ex impreſs. fol. 74. b.*

Incorporatio præpoſituræ menſis Octobris auctoritate Apoſtolica diſtributionibus canonicalibus Eccleſiæ Valentinæ.

BULLA Clementis Papæ, per quam ex reſignatione Amadei Cardinalis præpoſituram menſis Octobris motu proprio unitur & incorporatur menſæ capitulari Valentinæ, pro diſtributionibus quotidianis canonicorum & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum debitis ſupportatis oneribus præpoſituræ. Sub dat. Avinione, quinto Kalendas Aprilis, Pontificatûs Clementis anno decimo. *Ex impreſs. fol. 76. a.*

Bulla aſſignationis penſionum ſuper fructibus prepoſiturarum vacaturarum.

BULLA Paulli Papæ II. per quam ad petitionem Roderici Cardinalis & Epiſcopi Valentini, ac etiam canonicorum & capituli, aſſignatur penſio ſuper fructibus prepoſiturarum cùm primùm vacarent, nempe ſuper ſingulis montaneorum octoginta; & ſuper cujuslibet aliarum localium, & de hortis nuncupatarum, quadraginta librarum monetę Valentinæ, quoties ſingulas illarum vacare contigerit, pro augmento, tam denarii minuti, quàm diſtributionum canonicorum perpetuis temporibus exſolvendas. Sub dat. Romę apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCDLXV.

Executio Bullę Paulli Papę II.

PRO executione ſupradictæ Bullæ Apoſtolicę, vacante prepoſitura menſis Decembris Eccleſiæ Valentinę, per obitum ultimi poſſeſſoris, & de ea auctoritate ordinaria proviſum cuidam Franciſco Corts canonico, poſſeſſione conſecuta pro parte procuratoris denarii minuti, ac etiam pro parte ptocuratoris diſtributionum canonicalium, fuerunt intimatę ſupradictę literę Apoſtolicæ eidem Franciſco Corts canonico, & præpoſito Decembris, qui reſpondit ſe promptum atque paratum eſſe ad ſolvendam penſionem auctoritate Apoſtolica ſuper prepoſitura ſua Decembris aſſignatam in favorem diſtributionum canonicalium & denarii minuti Eccleſię. Prout hec inſtrumento publico latiùs continentur. *Ex impreſs. fol. 78. b.*

Requiſitio facta per procuratores.

SEQUITUR ibidem iuſtrumentum requiſitionis per prędictos procuratores factę dicto prepoſito menſis Decembris in ampla forma, anno à Nativitate Domini MCDLXX. viceſima tertia menſis Junii, cum decreto vicarii generalis & capituli, ſuper acceptatione ſupradictę Bullę Paulli Papę II. Quod decretum jurârunt, & tanquam conſtitutionem juratam inter alias Eccleſiæ conſtitutiones juratas Domini de capitulo redigi voluerunt. *Ibid.*

Conſtitutio approbationis tam ſuperioris Bullę Paulli II. quàm alterius conſtitutionis Vitalis Epiſcopi ſuper alia penſione per prepoſitos Eccleſię ſolvenda.

RODERICO Cardinale & Epiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cętero quicunque prepoſitus cujuslibet prepoſituræ Eccleſiæ Valentinę, antequâ admittatur ad poſſeſſionem ſuæ prepoſituræ teneatur jurare tam dictam Apoſtolicam gratiam Paulli II. quàm etiam conſtitutionem bo: memoriæ Vitalis Epiſcopi auctoritate Apoſtolica confirmatam, ſuper mille quingentis ſolidis ſuper unaquaque prepoſitura impoſitis pro diſtributionibus canonicalibus. Quam conſtitutionem omnes unanimes jurârunt obſervare, atque obſervari facere, mandantes hanc conſtitutionem in libro conſtitutionum Eccleſiæ continuari. Acta 27. menſis Junii, anni MCDLXX. *Ex impreſs. fol. 79. b.*

Applicatio certę partis fructuum prepoſiturarum menſę capitulari.

ERARDO de la Marcha Cardinali & adminiſtratore Epiſcopatus Valentini, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, præmiſſis multis graviſſimis ac efficaciſſimis rationibus, quibus manifeſtò concluditur,

univerſas duodecim præpoſituras Eccleſiæ Valentinæ fuiſſe de fructibus decimalibus ad menſam capitularem pertinẽtibus erectas & dotatas, & per eorum præpoſitos, tanquã per œconomos canonicorum adminiſtratas, indeque juxta tenorem fundationis illarum excreſcentias, & augmentum fructuum ad canonicos tanquam veros dominos, non ad præpoſitos ſpectare: ideoque creſcentibus illis, canonicales etiam reddítus debere excreſcere. Iccircò juxta formam conſtitutionis, tam Vitalis Epiſcopi, quàm de mille quingentis ſolidis annuatim per ſingulos præpoſitos capitulo ac canonicis ſolvendis, quàm alterius de octoginta libris ſuper præpoſituris montanearum; & quadraginta ſuper ſingulis de la horta & localium, quoties vacare contingeret in favorem capituli aſſignatis, & auctoritate Apoſtolica confirmatis penſionibus, præfatas canonicales portiones, & ſeu diſtributiones ampliùs accreſcere volentes, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd occurrente ſimiliter vacatione prepoſiturę, vel prepoſiturarum, quomodocumque, ac ubicumque ipſas vacare cõtigerit, quilibet ex prepoſitis præpoſiturarum Februarii & Aprilis, quadringentos ducatos: quilibet autẽ ex præpoſitis prepoſiturarũ aliorũ novem menſium, centum quinquaginta ducatos annuatim adminiſtratori diſtributionum canonicalium capituli, duabus ſolutionibus ibi expreſſis, in augmentum quotidianarum diſtributionum ſolvere teneantur & ſint adſtricti; ſub pœnis in conſtitutione contentis. Quæ conſtitutio jurata fuit per univerſos de capitulo. Quodque, niſi jurata ipſa, prepoſiti ad poſſeſſionem ſuarum prepoſiturarum admitti non debeant. Acta die 23. Aprilis, anno MDXXXIV. *Ex impreſſ. fol.* 80. *a.*

Conſtitutiones duę domini Vitalis Epiſcopi, ſuper decimis & præpoſituris.

PRIMA conſtitutio domini Vitalis Epiſcopi anno Domini MCCCLX. cum honorabili capitulo edita continet, quòd decimæ non vendantur, nec arrendentur, aut modo aliquo concedantur dominis locorum, ſeu procuratoribus, curatoribus, tutoribus, & adadminiſtratoribus eorumdem, in quibus hujuſmodi decimæ percipiuntur: & eſt jurata. Altera verò continet, quòd arrendatores præpoſiturarum, vel alicujus ipſarum, dare habeant fidejuſſores in civitate habitantes, de faciendo ſervitio & oneribus perſolvendis, ad quæ prepoſitura ipſa arrendata eſt aſtricta, aliàs eſt ibi excommunicationis ſententia lata ſub eiſdem menſe & anno. *Ex impreſſ. fol.* 81. *b.*

Conſtitutio quâ ſupprimuntur omnes præpoſituræ Eccleſiæ Valentinæ cùm primùm vacaverint.

FRATER Thomas de Villa-nova Archiepiſcopus, unà cum admodum reverendo capitulo Valentino, ex tam multis, honeſtis, & rationabilibus cauſſis, quas in preſenti conſtitutione ſuppreſſionis videre eſt, quam fuſiſſimè deductis; unanimes & concordes, de plenitudine ordinariæ poteſtatis, volentes conſtitutionem, creationem, & erectionem antiquas, per quas erectæ & creatæ fuerunt omnes & ſingulæ præpoſiturę ſedis Eccleſiæ Valentinæ de decimis, & bonis capituli, in totum tollere, ac ſupprimere, & earum fructus & proventus ad menſam capitularem, unde exierunt, redigere ac redintegrare: omnes & ſingulas præpoſituras Eccleſiæ prædictæ ex nunc perpetuò ſuppreſſerunt, caſsârunt, & illarum nomen ac denominationem ſubtraxerunt, & annullârunt, omneſque illarum fructus, jura, & obventiones univerſas, menſæ capitulari perpetuò applicârunt, redintegrârunt, & incorporârunt. Ita quòd præpoſiturę ipſæ, ex nunc, cumprimùm vacare ipſas contigerit, ſive per obitum, aut per reſignationem, in curia Apoſtolica, vel extra eam, quocumque modo vacaverint, eo ipſo caſſæ, extinctæ, nullæ, atque ſuppreſſæ cenſeantur, fructuſque illarum præfatæ menſæ redintegrati, uniti, & reſtituti habeantur: poſſitque dictum capitulum illorum poſſeſſionem liberè apprehendere, & in ſuos, & canonicorum uſus perpetuò convertere. Non obſtantibus quibuſcumque &c. Act. Valentiæ, ultima Octobris MDLIII. Balthaſſare Abella notario & ſcribâ. Quæ conſtitutio confirmata eſt per Bullam Julii Papæ III. de verbo ad verbum. Sub dat. Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ MDLIV.

TITULUS QUINTUS

De juramentis Archiepiſcopi, Dignitatum, canonicorum, & præpoſitorum.

Juramentum, quod præſtare debet Reverendiſs. D. Archiepiſcopus, vel ipſius procurator antequam ad poſſeſſionem admittatur.

PRIMO jurat & promittit ſervare Eccleſiæ fidelitatem &c. Item, quòd non conſentiet dividi Eccleſiam, ſeu diœceſim Valentinam in duas, &c. Item jurat conſtitutionem de ſolvendo fabricæ ante poſſeſſionem mille florenos &c. Item, quòd diſtributiones Eccleſiæ non vendantur, neque alienentur &c. Item conſtitutionem de conjudicibus, &c. Item conſtitutionem de MD. ſolidis ſolvendis capitulo per præpoſitos, in feſto omnium Sanctorum, & aliam ſimilem ſuper quantitatibus per eoſdem prepoſitos ſolvendis in feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & S. Joannis Baptiſtæ, &c. Item conſtitutionem novam, & veterem ſuper veſtuario ſolvendo per prepoſitos, &c. Item conſtitutionem de dandis diſtributionibus canonicis, ac prębendatis, &

aliis

aliis decem perſonis, &c. Item jurat conſtitutionem confirmatam, per quam dominus Archiepiſcopus, canonici, præbendati, & alii dignitatem obtinentes, poſſunt de bonis ſuis, & fructibus dignitatum unius anni per obitum teſtari, &c. Item conſtitutionem juratam, quòd canonici non contribuant in ſubſidiis, & aliis exactionibus per Archiepiſcopum imponendis, &c. Item quòd dominus Archiepiſcopus non mittat ad curias generales, aut particulares regias, aliquem nobilem laïcum, niſi canonicum, ſeu presbyterum Eccleſiæ, vel diœceſis Valentinæ. Item conſtitutionem juratam, quòd nullus ad dignitatem, canonicatum, prebendam, & præpoſituram admittatur, niſi priùs juraverit conſtitutiones juratas Eccleſiæ; & illas pro poſſe obſervare, &c. Item jurat omnes alias conſtitutiones juratas Eccleſiæ, & non juratas pro poſſe obſervare. *Ex impreſſ. fol.* 41. *b.*

Juramentum canonici noviter intrantis.

PRIMO jurat & promittit obedientiam & reverentiam Reverendiſſimo domino Archiepiſcopo Valentino, & ejus ſucceſſoribus canonicè intrantibus, & fidelitatem, ac indemnitatem Eccleſiæ Valentinæ tenere & obſervare. Item jurat conſtitutionem quòd Eccleſia & diœceſis Valentina in plures cathedrales Eccleſias, ſeu diœceſes non ſit diviſa, &c. Item jurat conſtitutionem novam & veterem ſuper quantitatibus per præpoſitos ſolvendis annuatim, &c. Item jurat conſtitutionem ſuper exercitio juriſdictionis in canonicos prębendatos, &c. Item conſtitutionem ſecreti capituli obſervandi, &c. Item jurat omnes alias conſtitutiones juratas dictę Eccleſię, & non juratas promittit pro poſſe ſervare. Item jurari etiam debet per canonicos intrantes conſtitutio, quæ fuit auctoritate Apoſtolica confirmata, diſponens quòd quilibet prępoſitus de juribus ſuę prępoſiturę teneatur ſingulis annis exſolvere MD. ſolidos diſtributionibus fabricę Eccleſiæ: & quòd, niſi quilibet prępoſitus, ſeu ejus procurator id juraverit, non admittatur, ut in conſtitutione exprimitur. Item quòd canonici expectantes teneantur hanc ipſam conſtitutionem de mille & quingentis ſolidis ſimiliter jurare.

Juramentum, quòd dignitatem habens prę-ſtare debet, ſimile eſt prącedenti canonicorum.

TITULUS SEXTUS

De laudabili eleemoſyna Denoneſa.

Conſtitutio, quòd procurator eleemoſynæ audiat computa inferiorum ſuorum.

DOMINI de capitulo unanimes providerunt, quòd procurator generalis eleemoſynæ audiat omnia computa adminiſtratorum, & procuratorum quorumlibet dictæ eleemoſynæ, & habeat quolibet anno pro ſalario centum ſolidos. *Ex impreſſ. fol.* 38. *b.*

Conſtitutio ſuper firma & approbatione adminiſtratorum.

IDEM domini de capitulo ſtatuerunt, ut ſi contingat quovis in tempore aliquas proprietates, ſive feuda, ac prædia ad eleemoſynam ubivis pertinentia, ut quis vendat, & in alias perſonas tranſportare velit; inſtrumenta talium venditionum ſeu tranſportationum, per alterum ex duobus canonicis adminiſtratoribus & non per alium, manu propria in ipſis venditionibus, ſive tranſportationibus ſcribendo firmari habeant, & laudari, alioqui firmatio ſeu laudatio nulla ſit ipſo facto. *Ibidem.*

Conſtitutio, quo pacto adminiſtratores eleemoſynæ duplarum & anniverſariorum firmare debent in tranſportationibus proprietatum.

CÆSARE Cardinale & adminiſtratore Archiepiſcopatus Valentini, ejus vicarius generalis & honorabile capitulum conſtitutione ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero adminiſtratores laudabilis eleemoſynæ ac anniverſariorum, & duplarum Eccleſię, non firment, nec firmare poſſint in traditionibus & traſportationibus de poſſeſſionibus & proprietatibus tentis & tenendis ſub directo dominio eleemoſynæ, & anniverſariorum, & duplarum, niſi præſentibus notario, & ſcribâ capituli, & procuratore majore eleemoſynæ, pro receptione laudemiorum, & preſente collectore cenſûs illius collectæ, pro receptione cenſûs, & ut cognoſcat emphiteutas, & pleraque alia faciant, in dicta conſtitutione latiùs contenta & expreſſa. Et quod de venditionibus & tranſportationibus fiendis, faciant, & facere poſſint dicti adminiſtratores gratias de laudemiis eis bene viſas, & idem conſtituerunt de adminiſtrationibus fabricæ, & armarii. Poſtremò decreverunt, quòd in laudemiis diſtributionum canonicalium, & ſex præpoſiturarum, dela horta nuncupatarum, nulla fieri poſſit gratia. *Ex impreſſ. fol.* 39. *a.*

Con-

Conſtitutio quòd non poſſit fieri gratia in laudemiis.

GEORGIO ab Auſtria Archiepiſcopo, capitulum & vicarius generalis conſtitutione jurata ordinârunt, quòd de cætero pro laudemiis ſpectantibus ad adminiſtrationes duplarum, & anniverſariorum, & Denconeſa, non poſſit fieri gratia ultra tertiam partem, & pro laudemiis ſpectantibus ad adminiſtrationem canonicalem, non poſſit fieri aliqua gratia, niſi præcedente convocatione omnium canonicorum præſentium, nullo contradicente. Quæ conſtitutio irrevocabilis exiſtit, conſentientibus omnibus de capitulo.

Ordinatio, quòd Rationalis, ſeu adminiſtratores poſſint definire computa manumiſſorum illorum qui eleemoſynam hæredem conſtituerunt.

JACOBO Cardinale, adminiſtratore perpetuo Eccleſiæ Valentinæ, ejus vicarius generalis, cum honorabili capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd capitulum, aut Rationalis eleemoſynæ, aut quicumque alii qui per ipſum capitulum ad hoc fuerint deputati, liberè poſſint à quibuſvis manumiſſoribus & executoribus teſtamentorum, qui dictam eleemoſynam de cætero hæredem inſtituerint, audire & plenariè diffinire. Ita ut ſuper hoc neque Ordinarius, neque Chriſti pauperum procurator, ſe intromittant; niſi fortè ad inſtantiam partis privatæ. Act. 21. Madii, anno MCCCXCIV.

Inſuper providerunt, quòd de cætero Rationalis eleemoſynæ, & auditores computorum officialium ſedis, audiant computa, & de eis relationem in capitulo faciant, & capitulum ad relationem eorum diffiniat; & abſolvat procuratores eleemoſynæ, & officiarios antedictos. *Ex imp. fol. 40. a.*

Ordinatio de augendo ſalario procuratori eleemoſynæ.

DIE Mercurii 28. Auguſti MCDXX. domini de capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd à modò procurator ſubſtitutus eleemoſynæ, ultra illas triginta libras, quas pro ſuo ordinario ſalario annuatim recipit, habeat & recipiat annuatim quindecim libras. Attento, quòd ab illo tempore citrà, redditus & fructus eleemoſynæ benedicente Domino multum excrevere; ex quo etiam ejus negotia, ad miniſtratio, & labores conduplicati fuerunt. Hoc addito, quòd procurator ratione dicti augmenti ſalarii teneatur habere mulam ad hoc, ut promptiùs valeat poſſeſſiones & proprietates recognoſcere & negotia eleemoſynæ commodiùs gerere.

Conſtitutio ſuper diſtributione ſignorum eleemoſynæ, quâ revocantur ſigna conceſſa ad beneplacitum.

HUGONE Epiſcopo unà cum capitulo, conſtitutione ſtatuerunt & ordinârunt, quòd omnia ſigna conceſſa ad beneplacitum perſonis quibuslibet, ad commune eleemoſynæ reducantur, quæcumque beneplacita ſerie cum præſenti revocantes, & exinde ſigna ipſa pauperibus intra civitatem degentibus erogentur, modis & formis quibus in ipſa conſtitutione latiùs exprimitur. Adjecto tamen quòd per hujuſmodi diſtribuendi ſeriem & ordinem, non intendunt dictorum originalibus inſtitutorum voluntatibus, quatenus contrariæ videntur in aliquo derogare. Quin potiùs providerunt, & mandârunt eaſdem voluntates ad unguem ſine mutatione aliqua obſervari debere. Actum ſecundâ Junii MCDVIII. *Ex imp. fol. ibid. b.*

Conſtitutio, quòd ſigna Denconeſa dentur ſive deſignentur ſabis.

ERARDO Cardinali Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum capitulo, conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſigna laudabilis eleemoſynæ de cætero, dum pro tempore vacabunt, dentur per vota canonicorum: quę vota debeant per fabas in ſacculis appendendis, ut fieri conſuevit, dari & non aliàs, aliter, nec alio modo. Et quòd ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ promulgandæ è vicario generali, nullus audeat dicere, neque propalare, quis cui dedit votum ſuum, et quod debeat illa, quæ ibi geſta fuerint, ſub ſecreto tenere. Actum die tertia menſis Aprilis, anno Domini MDXXXVII. *Ex impreſſ. fol. 41. a.*

Conſtitutio, quòd in domo eleemoſynæ non poſſit legi niſi facultas Theologica.

DOMINI de capitulo cum vicario generali ordinârunt, quòd in domo eleemoſynæ ſedis non poſſit legi ſcientia cujuſcumque facultatis exiſtat, ſive legum, aut canonum, niſi dumtaxat Theologica, quę ibidem legi eſt conſuetum. *Ex imp. fol. 116. a.*

Conſtitutio, quòd ibidem non poſſint laïci habitare.

JACOBO Cardinale Sabinenſe, adminiſtratore Epiſcopatûs Valentini, vicarius generalis & capitulum, die 20. Decembris, anni 1393. conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd nulli de cætero laïco nobili vel militi, civi aut generoſo, ſeu alii cujuſvis ordinis, ſtatûs, & conditionis exiſtat, neque per Epiſcopum, neque per capitulum, hoſpitium ſive domus laudabilis eleemoſynę Sedis poſſit concedi ad inhabitandum, vel hoſpitandum, ad tem-

tempus, ſeu in perpetuum, ſed tantùm ad ſervitia Eccleſiæ, & ipſius eleemoſynę, ut in conſtitutione diſponitur, quemadmodũ & aliâ quoq; conſtitutione ſub die nona Julii, anni MCDXCVII. quæ habetur ſub titulo, de his quæ pertinent ad hebdomadarios, cõſtitutione tertia edicto cavetur, ne unquam de cætero in domo eleemoſynæ ſedis habeantur animalia ulla ad equitandum per præpoſitum, ſeu cappellanum majorem dictæ eleemoſynæ, aut clericos quoſcumque vel laïcos, nec etiam mulieres: excepto quòd idem præpoſitus, ſeu cappellanus major poſſit & valeat unam tantùm ancillam antiquam, ſeu præcipuam pro ſuo honeſto ſervitio habere: ſub pœna inibi expreſſa, unius ſcilicet ſolidi pro quolibet die, quo fecerint contra edictum hujuſmodi. Acta fuerunt hęc in camera dicti domini Cardinalis & Epiſcopi, die, menſe, & anno præfixis. *Ibidem.*

Conſtitutio, quòd hoſpitium de Benimaclet nulli poſſit locari.

HUGONE Epiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, die 7. Januarii, anni MCDXXIV. ſimilibus de cauſis ſtatuerunt & ordinârunt, quòd hoſpitium, quod dicta eleemoſyna habet & poſſidet in loco de Benimaclet, nulli valeat ad hoſpitandum vel commorandum, ad tempus, vel in perpetuum, locari, tradi, nec etiam commodari, dominis Epiſcopo, & canonicis de capitulo ſedis dumtaxat exceptis. Quæ conſtitutio eſt jurata, & ſententiâ excommunicationis in contrafacientes munita. Acta die, menſe, & anno prædictis. *Ex imp. fol. 117. a.*

Conſtitutio de non admittendis reſignationibus ſignorum eleemoſynæ, niſi ſub certis conditionibus.

FRATRE Thoma de Villa-nova Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſi quis habens ſignum laudabilis eleemoſynæ Denconeſa, illud alicui reſignare voluerit, ejus non poſſit admitti reſignatio per capitulum, niſi precedente convocatione & majore parte capituli conſentiente: & quę effectum non habeat niſi poſt viginti dies ab ipſo admiſſionis die computandos: ita quòd ſi deceſſerit reſignans antea, tunc ſigna non per reſignationem, ſed per obitum vacare cenſeantur. Et tali caſu conferantur cum fabis, ut moris eſt; quòd ſi integros viginti dies reſignans ſupervixerit, conferantur ei in cujus favorem facta fuit reſignatio: tollitur enim omnis facultas admittendi coadjunctos. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta die 25. menſis Auguſti, anno MDXLVI.

Conſtitutio, quòd reſignationes ſignorum, niſi præcedente edicto tanquam vacantium per obitum, admitti non poſſint.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt, addentes conſtitutioni ſupradictę, quòd ſi quis ſigna alteri in manibus noſtris reſignare voluerit, non admittatur, neque ſigna ejuſmodi concedantur, niſi facto edicto, præcedente convocatione, & cum fabis, modo & forma, quibus alia ſigna per obitum vacantia conferri ſolent: contrarium nullius eſſe roboris decernentes. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta die 17. menſis Aprilis, anno MDLI.

Conſtitutio de laudemiis quando ſit concedenda gratia, quando neganda.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, dubium omne tollentes ab alia conſtitutione edita anno 1541. de laudemiis, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd conſtitutio prædicta comprehendat omnes adminiſtrationes Eccleſiæ. Ita quòd de cætero in quibuſcumque adminiſtrationibus, pro laudemiis non valeat fieri aliqua gratia ultra tertiam partem: in adminiſtratione autem canonicali nulla penitùs, niſi precedente convocatione omnium canonicorum præſentium, ac nullo contradicente. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta die 28. Novembris, anno MDXLVIII.

Conſtitutio de diſtribuendis quolibet anno centum libris pro maritandis puellis, & captivis redimendis de eleemoſyna Petri Garro.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt, circa executionem eleemoſynę centum librarum ſingulis annis, quondam Petri Garro, quòd de cætero qualibet die 2. menſis Januarii cujuslibet anni fiat edictum publicandum in ſede & parochialibus Eccleſiis Sancti Martini, Sancti Joannis de Mercato, & Sancti Nicolai, civitatis Valentinæ, & affigendum tam in valvis dictarum Eccleſiarum, quàm in domo eleemoſynę Denconeſa, tenoris videlicet, quòd reverendum capitulum intendit centum illas libras monetę regalium Valentinę, quas quondam Petrus Garro annuatim erogandas reliquit pro maritandis orphanis puellis, & captivis redimendis; die Veneris ſecundę ſeptimanę Quadrageſimæ conferre. Iccircò compareant, qui maximè de parentela dicti Petri Garro fuerint, coram reverendo capitulo, ubi elapſo termino, pleneque examinatis gradibus parentelæ, necnon aliis paupertatis, & perſonarum qualitatibus, fiet

dicta

dicta die Veneris diſtributio dictarum centum librarum; ſervatâ unicuique ſui gradus, qualitatis, atque meriti exigentiâ, & juſtitiâ. Nam quamvis inter puellas orphanas, & captivos pauperes de civitate dicta eleemoſyna diſtribuenda ſit; tamen propria teſtatoris voluntate expreſſa, qui de ejus parentela invenientur petentes, aliis non conſanguineis omnino præferendi erunt. Mandantes ex tunc procuratori majori eleemoſynæ, ut ipſas centum libras præſtò, atque paratas habeat ad ſolvendum. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis.

Conſtitutio, quòd ſigna eleemoſynæ non ceſſionentur.

ERARDO dela Marcha Cardinale & Archiepiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo proviſerunt & mandârunt, quòd nemo ex habentibus ſigna laudabilis eleemoſynæ ſedis, poſſit ceſſionare alteri ſignum aliquod, ne lites inde ſuboriantur, & procuratori ſolventi ſigna perturbationis occaſio fiant. De quo edicto publicatio facta eſt per Eccleſias parochiales civitatis. Acta die 18. Januarii, anno MDXVIII.

Conſtitutio, quòd non poſſint dari ſigna eleemoſynæ habitantibus extra civitatem, & de revocatione ejuſdem.

ALPHONSO Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum conſtituerunt ſuper ſignis laudabilis eleemoſynæ, quæ hactenus abſentibus à civitate, & alibi commorantibus, dari ſolita erant, virtute licentiarum, ſive ſpecialium gratiarum à capitulo obtentarum; quòd de cætero non poſſint dari concedive ſimiles licentiæ ad recuperandum ſigna pro abſentibus à civitate alibi commorantibus, niſi per omnes de capitulo, nemine contradicente. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta quartâ Maji MDXV. Hæc conſtitutio poſtea fuit à capitulo revocata, aſſerentibus, atque de jure probantibus advocatis capituli, nequaquam poſſe excludi à perceptione eleemoſynæ conſanguineos inſtitutorum extra civitatem degentes; cùm hi ab inſtitutoribus, neque tacitè, neque expreſsè excludantur, & ſic admittantur ad petitionem ſignorum, perinde ac ſi in civitate degerent.

Conſtitutio de non ſolvendis ſignis, niſi elapſo certo tempore à die vacationis.

ERARDO Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis, cum reverendo capitulo proviſerunt & ordinârunt, quòd de cætero quoties vacaverit, ſignum aliquod laudabilis eleemoſynæ, illud conferri non poſſit, niſi elapſis quatuor menſibus à die vacationis computandis. Quòd ſi infra illos dari contingat, exigi ſolutio non poſſit, niſi totidem elapſis quatuor menſibus à die vacationis, ut prædicitur, computandis. Acta die ſeptima Octobris MDXXVII.

Proviſio de procuratoribus eleemoſynæ, qualiter ſigna ſolvere debeant, cum aliis proviſionibus.

DOMINI de capitulo providerunt, quòd procuratores eleemoſynæ non ſolvant ſigna aliqua, niſi burſario eleemoſynæ in pecunia numerata & non aliter, die 8. Aprilis MDXXV. Item quòd negotia propria dominorum canonicorum determinentur per vota ſecreta cum fabis in ſacco, die 25. Junii MDXXXIX. Item quòd non poſſit fieri gratia laudemiorum niſi præcedente convocatione. Sub die 19. Decembris MDXXXIX. Et quoniam in præcedentibus conſtitutionibus in ſpecie fit plenior determinatio de ſingulis, intermittuntur impræſentiarum.

Conſtitutio ſuper diſtributione reſidui, & laudemiorum adminiſtrationis eleemoſynæ inter cantores, & alios Eccleſiæ miniſtros.

REVERENDISS. D. Franciſcus de Navarra Archiepiſcopus cum reverendo capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt honeſtis admodum, prout in conſtitutione habetur, de cautis, quòd perpetuis futuris temporibus ſigna eleemoſynæ, illa videlicet, quæ precedente edicto ex defectu parentelę à nullis fundatorum conſanguineis fuerint requiſita, unà cum laudemiis ac reſiduis, quæ ſupereſſe ſolent, quantitatibus, quæ juxta eorundem inſtitutorum mentem poſſunt, ac debent diſtribui, non inter certas perſonas, ſed indifferenter, ac promiſcuè, inter pauperes civitatis; de cætero, prout viſum fuerit reverendo capitulo, & canonicis, nemine diſcrepante, diſtribui poſſint ac diſtribuantur inter cantores, ac alios Eccleſiæ miniſtros, necnon pouperes & ſeu infirmos ſacerdotes, aliaſque perſonas indigentes, & in inopia conſtitutas. Pacto tamen adjecto, quòd ſi ullo unquam tempore inventi fuerint conſanguinei, & de parentela inſtitutorum talium ſignorum, qui ad ea petenda ſeſe ut tales opposuerint, tali caſu, capitulum & ſucceſſores teneantur ad dictos conſanguineos admittendum, ipſiſque jus ſuum legitimè probantibus, ejuſmodi ſigna & eleemoſynas conferendum; non obſtante, quòd ab immemorabili tempore ordo fuerit in contrarium. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis: eſt etiam auctoritate Apoſtolica per Pium Papam IV. confirmata. Sub dat. Romę, anno MDLXIV. 12. Kalendas Decembris. Actum 20. Aprilis, anni MDLXII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Con-

Conſtitutio ſuper adminiſtratione cenſualium pretii de Burjaçot ad eleemoſynæ adminiſtrationem pertinentium.

ILLUSTRISS. & Reverendiſs. Ferdinandus de Loazes Patriarcha Antiochenus & Archiepiſcopus Valentinus, unà cum reverendo capitulo, attendentes, quòd pretium quindecim mille & ducentarum librarum monetæ Valentinæ, quod reſultavit ex venditione loci de Burjaçot cum omnibus ſuis terminis, juribus, & juriſdictione, in evidentem utilitatem adminiſtrationis pauperum eleemoſynæ dictæ Denconeſa facta, ac cenſus ex dicto pretio provenientes, in cenſualibus per magnificos Juratos præſentis civitatis Valentiæ, ſuper bonis ejuſdem Univerſitatis oneratis ſolvendi ſunt: ac volentes quòd ejuſmodi cenſualia ad opus dictæ eleemoſynæ, & illius pauperum utilitatem, perpetuò conſerventur; ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quotieſcumque aliquod ex dictis cenſualibus redimatur & quitetur, pretium, ſeu proprietas illius, in ſacriſtia dictę Eccleſię, vel in tabula Valentina deponatur, & inde non extrahatur, niſi de Ordinarii licentia, ad opus onerandi & reſmerciandi illud ſuper dicta Univerſitate Valentiæ, ſeu generaliter, aut alia Univerſitate ſecura preſentis regni; & niſi ad dictos effectus, pretia dictorum cenſualium à ſacriſtia vel tabula nullo modo extrahantur, ac neque in aliud unquam convertantur, diſtribuantur, neque applicentur; etiam ex quacumque alia cauſſa & neceſſitate, quantumcumque qualificatâ, urgenti, aut neceſſariâ. Idque per dictum capitulum, & canonicos, ac eorum ſucceſſores obſervari debere, & ad effectum perpetuò deduci. Mandavit idem Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus, ſub excommunicationis pœnâ, quam ex tunc prout ex nunc in contravenientem quemcumque tulit in his ſcriptis. Decernentes præſentem conſtitutionem revocari non poſſe, neque in aliquo commutari, uno ex canonicis contradicente. Quam etiam jurârunt cum omnibus & ſingulis in ea contentis decretis. Actum in palatio Archiepiſcopali, die 21. menſis Februarii, anno MDLXVIII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio revocatoria duorum conſtitutionum ſuper habitatione domorum de Benimaclet, & eleemoſynæ civitatis.

SEDE paſtore carente, domini de capitulo conſtituerunt et ordinârunt, quòd licèt per conſtitutionem aliàs editam, decretum fuit, quòd domus de Benimaclet nemini poſſet locari ad inhabitandum; tamen juſtis de cauſſis commutata, ſive revocata præfata conſtitutione decreverunt, quòd dicta domus detur, & concedatur inquilino ad inhabitandum, ne ob deſertionem, ipſam demoliri contingat. Idque ad beneplacitum reverendi capituli, præcedente convocatione. Ac inſuper revocârunt aliam quoque conſtitutionem, quâ fuit ordinatum, quòd in domo eleemoſynæ non poſſint habitare laïci. Nam ſimilibus atque honeſtis de cauſſis decreverunt etiam, quòd dicta domus eleemoſynę valeat, et poſſit concedi ad inhabitandum perſonæ ſeu perſonis ipſi capitulo, præcedente etiam convocatione, bene viſis. Actum die ſecunda menſis Junii, MDLXVIII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

TITULUS SEPTIMUS

De his quæ ſpectant ad Beneficiatos.

Conſtitutio de Beneficiis inſtituendis.

VITALIS Epiſcopus, vnà cum honorabili capitulo, ſtatuerunt, quòd de cætero quicumque in ſede Valentina Beneficium dotare voluerit, non admittatur niſi redditus Beneficii ad minus ſummam viginti librarum regalium Valentiæ attingant. Et quòd teneatur idem inſtitutor perpetuò in eadem Eccleſia anniverſarium quinquaginta ſolidorum dictæ monetæ inſtituere. Adjicientes, quòd in aliis Eccleſiis civitatis vel diœceſis Valentinæ, non admittatur ſimilis inſtitutio Beneficii, niſi ſaltem ſummam quindecim librarum attingat: ac etiam anniverſariorum per modum qui ſequitur: videlicet, ſi in civitate Xativæ inſtituatur anniverſarium, ſit 30. ſolidorum: ſi verò in Muro-veteri, vel in oppido de Algezira 20. ſolidorum, ſi in aliis locis civitatis vel diœceſis, decem ſolidorum. *Ex imp. fol.* 89. *a.*

Conſtitutio per quam Beneficium unitur magiſtro ſcholæ cantûs ad nutum, & amovibile.

EPISCOPUS & capitulum, die 26. Februarii, anni MCDXV. ordinârunt & voluerunt, quòd primum vacans Beneficium valoris quindecim vel viginti librarum ad præſentationem, collationem, ſeu diſpoſitionem ipſorum communiter vel diviſim pertinens, adjungatur, & perpetuò uniatur officio ſeu magiſtro ſcholæ cantûs ſedis Valentinæ: qui tamen dictas ſcholas teneatur regere, ac divinis officiis in Eccleſia intereſſe, & quòd ſit ad nutum ipſorum Epiſcopi & capituli amovibile. *Ex impreſ. fol. eod. a.*

Conſtitutio de tertia parte reddituum Beneficiorum, & quomodo diſtribui debeat.

RODERICO Cardinali Epiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo Valentino, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd tertia pars redditûs Beneficiorum omnium in ſede inſtitutorum, quibus per Beneficiatorum abſentiam, vel negligentiam

minimè deſervitur perſonaliter, & per conſtitutiones Eccleſiæ ad ſubſtitutos talium Beneficiorum olim pervenire ſolebat, conferatur, & deveniat ad manus presbyteri per capitulum eligendi, qui illam colligat & recipiat, & alterius, qui illam diſtribuat inter illos presbyteros, quos loco ſubſtitutorum ad Miſſas celebrandas iidem Epiſcopus & capitulum duxerint eligendos. Reſiduum verò quod ſupererit, diſtribuatur intereſſentibus in horis canonicis diurnis & nocturnis. Act. fuit die octavo menſis Julii, anno MCDLIX. *Ex impreſs. fol.* 89. *b.*

Bulla ſuper tertia parte fructuum ſolvenda per Beneficiatos abſentes.

BULLA Pii Papæ III. per quam confirmatur precedens conſtitutio ſuper tertia parte reddituum Beneficiorum: & quomodo diſtribui debeat. Sub dat. Mantuæ, anno incarnationis Dominicę, MCDLIX. decimo Kalend. Septembris. Pontificatûs ejuſdem anno primo.

Conſtitutio, quòd Beneficiati non admittantur ad percatia, niſi priùs ſolvant debita prædeceſſorum.

ERARDO de la Marcha Cardinali & Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cętero nullus in dicta Eccleſia Beneficiatus ad percatia & emolumenta Eccleſiæ admittatur, niſi omnia & ſingula ſui prædeceſſoris debita, & alia onera ipſi Beneficio incumbentia, juxta conſtitutiones & laudabilem conſuetudinem ipſius Eccleſiæ, hactenus obſervatas, priùs & ante omnia habentibus adminiſtrationem tertiorum, ac duplarum, & anniverſariorum, ac aliis Eccleſiæ miniſtris integrè, realiter, & cum effectu perſolvat. Act. 23. Aprilis, anno MDXXXIV. *Ex impreſs. fol.* 91. *a.*

Conſtitutio, quòd nullus admittatur ad percatia Eccleſiæ, niſi fuerit verè Beneficiatus.

EODEM Erardo Cardinali, Archiepiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, conſtitutione irrevocabili, conſtituerunt & ordinârunt, quòd nullus ad percatia Eccleſiæ admittatur, niſi ſit verè Beneficiatus in dicta Eccleſia, & pro tali per nos admiſſus. Actum die decima octava menſis Februarii, anno MDXXXVI. *Ex imp. fol.* 91. *b.*

Conſtitutio de ordine ſervando circa celebrandas Miſſas Beneficiorum Eccleſię.

GEORGIO ab Auſtria Archiepiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum Rever. capitulo, cupientes celebrationem Miſſarum Beneficiorum, in ſede inſtitutorum, quæ ſub variis, ac diverſis celebrandi modis in eorum inſtitutionibus expreſſis relictæ ſunt, ad germanam eorum intelligentiam redigere; ac juxta inſtitutorum mentem, veram celebrandi formam Beneficiatis præſcribere; breviter hæc in ſumma ſtatuerunt & ordinârunt. Imprimis, ut fiat unus liber, in quo numerus Miſſarum, ad quas celebrandas quilibet ex Beneficiatis ratione ſui Beneficii, aut aliàs tenetur, ac etiam annualium, & votivarum, aut teſtamento relictarum, deſcribatur, & annotetur. Qui liber authenticus ſit, ac in archivo Eccleſiæ reponatur, eique fides indubia adhibeatur. In quo etiam ſeu in ejus manuali, quilibet Beneficiatus Miſſas à ſe celebratas, manu propria ſcribere teneatur: & quòd canonicus, ſive cappellanus ad id deputati ſingulo quoque quadrimeſtri inquirant, num Beneficiati dixerint Miſſas, præſertim ad quas ratione Beneficiorum ſuorum tenentur. Quodque non celebrantibus pœna indicatur & Miſſæ intermiſſæ cappellano, expenſis intermittentis, dicendę committantur. Item ne quis ex Beneficiatis, circa onus Miſſarum ſibi incumbentium dubitet pro varietate clauſularum inſtitutionis ſui Beneficii, declarârunt, quòd inſtitutio loquitur imperſonaliter, ſcilicet, quòd quotidie, vel expreſsè quod per ſe, vel per alium celebret, ſeu faciat celebrare; tunc intelligitur quòd talis Beneficiatus quotidie celebret, vel per ſe, vel per alium, ſub pœna ante dicta. Si verò ſimpliciter inſtitutio dixerit, quia Beneficiatus celebret quotidie, perpetuò, vel aſſiduè, neque appoſuerit, per ſe, vel per alium, intelligendum eſt, quòd celebret non quotidie, ſed quando frequentiùs poterit, ac quòd legitimo impedimento ceſſante, debeat ſemper celebrare. Si verò per hebdomadam à celebratione abſtinuerit, cauſſam impedimenti eiſdem canonico, aut cappellano, quibus ſuprà, exponere teneatur: quæ ſi futilis ac vitioſa fuerit, prædicti, relictas Miſſas, ejuſdem prætermittentis expenſis, alteri celebrandas committant: & quòd ſubſacriſtæ, & aliis Miſſarum diſtributoribus præcipiatur, ne ultra Miſſas eidem intermittenti dent ad celebrandum. Ac etiam quòd ſi talis Beneficiatus intermittens, repertus fuerit pro aliis, quàm pro ſuo Beneficio Miſſas celebrare, puniatur in quinque ſolidis pro qualibet vice. Quòd ſi inſtitutor aliter de Miſſis dicendis non diſpoſuerit, tunc quilibet Beneficiatus pro qualibet libra ex redditibus Beneficii teneatur tres Miſſas quolibet anno celebrare. Idque intelligi debeat de Beneficiatis reſidentibus in dicta Eccleſia. Nam quoad abſentes volumus conſtitutiones & literas Apoſtolicas circa tertios, ut dici ſolet, Beneficiorum ob abſentiam diſponentes, inviolabiliter obſervari, habita ratione tamen eorum, qui antequam ſe abſentârunt, Miſſas prædixerunt. Demum ut meliùs ſatisfiat devotioni inſtitutorum, providerunt, quòd Beneficiati annuales celebrent in ſuis propriis cappellis, & ſimiliter fiat de Miſſis Beneficiatorum abſentium. Quæ conſtitutio

jurata

jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act. 16. Madii MDXLI.

Conſtitutio de ordine ſervando circa celebrandas Miſſas tam Beneficiorum Eccleſiæ, quàm etiam votivas.

ILLUSTRISS. ac Reverendiſs. D.D. Joannes de Ribera Archiepiſcopus Valentinus & Patriarcha Antiochenus, in generali viſitatione Archiepiſcopatûs, quam habuit 20. Decembris anni MDLXXVI. incipiens à Metropolitana ſede Valentina; inter alia agens de ordine qui circa celebrationem Miſſarum, tam Beneficiorum in Eccleſia fundatorum & inſtitutorum, quàm etiam votivarum, & ut dicunt, adventitiarum, haberi debet, ut commodè, atque ſervato ordine voluntati ac ſuffragio illas relinquentium ſatisfiat, & omnis abuſus & perturbatus ordo hactenus in celebrando habitus, de medio tollatur; conſtitutionem edidit, de conſilio reverendi capituli, per quam duos officiales creavit, unum videlicet Rationalem, & unum Collectorem, ad colligendam & ſolvendam charitatem Miſſarum; quibus ordinem atque modum ſervandum in ipſa collectione & diſtributione Miſſarum, per libros cum ſuo computo & ratione præſcripſit. Quam conſtitutionem 20. capitulis expreſſam, & declaratam diſtinxit: & quoniam eandem in quadam magna tabula in ſacriſtia appenſa patentibus literis exarari juſſit; ibique ipſam videre eſt, ac legere cuiquam in propatulo; iccircò ſingulorum capitulorum enarrationem hîc prætermittendam duximus. Quæ fuerunt acta die, menſe, & anno prefixis. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Beneficia in ſede Valentina per diverſos inſtituta, quorum collatio ſeu præſentatio pertinent ad dominum Archiepiſcopum ſimul cum capitulo, aut capitulo & Dignitatibus, ſeu Præpoſitis inſolidum.

BENEFICIUM inſtitutum per Joannem de Borgues canonicum & præpoſitum, pertinet ad preſentationem præpoſiti menſis Aprilis. habet in redditibus 20. *ſol.*

Item Beneficium inſtitutum in cappella ſanctæ Luciæ per Octavianum Malferit canonicum ad præſentationem Epiſcopi & capituli, eſt unitum rectoriæ del Real, valoris 23. *lib.* 13. *ſolid.*

Item Beneficium inſtitutum Jeſu Chriſti, & ejus ſpinæ, per Jacobum de Albalat Sacriſtam ſedis, ad collationem, ſeu præſentationem Sacriſtæ & Subſacriſtæ ſedis, valoris 12. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum per quondam Aguilo canonicum ad præſentationem domini Epiſcopi, & capituli, valoris 18. *lib.*

Item Beneficium in cappella ſancti Bernardi, & ſancti Ægidii, inſtitutum per Jacobum Conill ad præſentationem Epiſcopi & capituli, valoris 20. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum in capella ſanctæ Eulaliæ, per Petrum de Centellas Præcentorem ſedis, ad preſentationem precentoris 20. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Guillermum Mulum canonicum, ad præſentationem ejuſdem Præcentoris, valoris 15. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum in cappella omnium Sanctorum, per Raymundum Deſponç Epiſcopum: ſunt patroni adminiſtratores eleemoſynæ ſedis, valoris 33. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum in eadem cappella omnium Sanctorum per ipſum dominum Epiſcopum: eſt patronus prepoſitus dictæ eleemoſynæ. valoris 21. *lib.* 5. *ſol.*

Item aliud Beneficium inſtitutum in eadem cappella per dominum Epiſcopum: ſunt patroni adminiſtratores dictæ eleemoſynæ. ſimilis valoris 21. *lib.* 5. *ſol.*

Item Beneficium inſtitutum in cappella ſancti Narciſſi per Berenguerium de Pau militem, ad præſentationem domini Epiſcopi & capituli, valoris 15. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum in cappella ſancti Joannis Euangeliſtæ per Raymundum de Montanya canonicum: ſunt patroni Sacriſta & Præpoſitus eleemoſynæ, valoris 16. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Raymundum de Buccenit eſt patronus præpoſitus eleemoſynæ ſedis. valoris 15. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum in cappella ſanctiſſimæ Trinitatis per Guillermum de Vall-vert canonicum & præpoſitum ſedis, ad præſentationem Epiſcopi & capituli, valoris 20. *lib.*

Item Beneficium aliud inſtitutum in eadem cappella per dictum Guillermum ad præſentationem Epiſcopi, & capituli, valoris etiam 20. *lib.*

Item aliud Beneficium inſtitutum in eadem cappella, per dictum Guillermum ad præſentationem Epiſcopi & capituli, ſimilis valoris 20. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Raymundum Geuta Præcentorem; ad præſentationem Præcentoris, valoris 18. *lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Jacobum de Navarra canonicum & Præcentorem, ad præſentationem Epiſcopi & capituli. Ex impreſs. fol. 123. b.

Beneficia ſedis, quorum collatio ſeu præſentatio pertinent ad Archiepiſcopum tantùm.

PRIMO, Beneficium in cappella ſancti Michaëlis inſtitutum per Epiſcopum, habet in redditibus 20. *lib.*

Item aliud in eadem cappella inſtitutum per eundem Epiſcopum, valoris 20. *lib.*

Item Beneficium in cappella beatæ Magdalenæ, inſtitutum per Pontilianum Zagarriga Archidiaconum Xativæ, valoris 27.*lib.*

Item Beneficium in eadem cappella inſtitutum per dominum Gizbertum Epiſcopum Valentinum, valoris 17.*lib.*

Item aliud Beneficium in eadem cappella per eundem Epiſcopum, valoris 20.*lib.*

Item Beneficium in cappella Sancti Auguſtini, inſtitutum per Guillermum Arenys, valoris 32.*lib.*

Item Beneficium in cappella Sancti Benedicti, inſtitutum per Bernardum de Vila de Corts, civem Valentinum, valoris 13.*lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Guillermum Juliani Portarium, valoris 15.*lib.*

Item Beneficium in cappella omnium Sanctorum inſtitutum per Ferrarium Spinavull notarium: pertinet ad præſentationem officialis Valentini. valoris 15.*lib.*

Item Beneficium inſtitutum per dominum Tamarit, & Franciſcam coniuges, valoris 15.*lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Raymundum de Puiol canonicum & præpoſitum ſedis, valoris 36.*lib.*

Item Beneficium in cappella ſancti Spiritus, quod obtinet hebdomadarius primus, & eſt perpetuò hebdomadariæ unitum, valoris 20.*lib.* 17.*ſol.*

Item Beneficium inſtitutum per Petrum de Lara canonicum, valoris 18.*lib.*

Item Beneficium inſtitutum per Petrum Llopis de Bellxir, valoris 27.*ſol.*

Item Beneficium Converſionis Pauli in Palatio domini Epiſcopi, inſtitutum per ipſummet Epiſcopum.

Item Beneficium in cappella ſancti Spiritus, vel omnium Apoſtolorum, ſine expreſſione valoris.

Item Beneficium quod obtinet Petrus Martini in ſede, neque habet propriam cappellam, ſine expreſſione valoris.

Item in parochia Sancti Nicolai civitatis Valentinæ, in altari majori ſub invocatione S. Petri Martyris.

Conſtitutio de Beneficiis inſtituendis, & quòd Beneficium annuale non admittatur.

LUDOVICO Cardinali Epiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, Paſchale repreſentantes, adjicientes conſtitutionibus antiquis ſuper Beneficiis in civitate & diœceſi Valentina, inſtituendis editis, conſtituerunt, quòd à modò inſtituens Beneficium in Eccleſia Valentina, duplam, & anniverſarium dotationis annuæ quindecim librarum monetæ Valentinæ; in aliis verò Eccleſiis civitatis, quinquaginta ſolidos, pro celebratione unius vel duorum anniverſariorum conſignare teneatur. Conſtituerunt etiam, quòd Beneficium annuale in dicta majori Eccleſia ampliùs non admittatur, neque in aliis Eccleſiis civitatis. Act. die 13. menſis Auguſti, anno MDI.

Conſtitutio alia de Beneficiis noviter inſtituendis & de quantitate.

JOANNE de Ribera Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & honorabile capitulum, ſtatuerunt & ordinârunt, quodammodo quicumque Beneficium ſimplex, ſeu capellaniam in ſede voluerit inſtituere; ad hoc ut ejus cappellanus admittatur ad diſtributiones Eccleſiæ, percatia vulgò dicta, more aliorum Beneficiorum; teneatur, ultra ipſum corpus Beneficii inſtituendi, tradere & conſignare ipſi Eccleſiæ, ſeu adminiſtrationi duplarum, & anniverſariorum, ad minus triginta quinque libras monetæ Valentinæ, in annuis redditibus emerciatas, ut vulgò dicitur, ad rationem unius ſolidi, pro unaquaque libra, & non aliàs, &c. Proviſo tamen quòd penes capitulum maneat facultas admittendi vel non, dictorum Beneficiorum inſtitutiones & conſignationes cenſualium, ac juxta occurentiam temporum, aliquod ultra dictas triginta quinque libras addere, ac neque poſſit ad eas acceptandum ullo unquam tempore, ſi Eccleſiæ minimè fuerit expediens, compelli. Quę conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Actum 13. Octobris, MDLXXIV. Petro Lopez notario & ſcribâ capituli.

Dotatio vicariæ perpetuæ Sancti Petri ſedis Valentinæ, & de ejus augmento.

MARTINO de Ayala Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, volentes vicariam perpetuam ſancti Petri ſedis, quę olim canonicatui ejuſdem perpetuò auctoritate Apoſtolica unita erat: & poſtea eâdem auctoritate unio diſſoluta, ob ejus tenuitatem fructuum, quibus vix ſe poteſt vicarius ſuſtentare, majoribus eam redditibus, atque emolumentis dotare; ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero, vicario perpetuo Sancti Petri, ejuſque ſucceſſoribus, perpetuis futuris temporibus, pro eorum congrua ſuſtentatione dentur ac tribuantur omnia & ſingula percatia, obventiones, & oblationes, erogari ſolitæ per Chriſti fideles & quę in poſterum erogabuntur, inter cappellam Sancti Petri, necnon charitates, quæ per eoſdem gratiosè tribui ſolent, quando miniſtrantur per ipſum ſacramenta baptiſmi, extremę-unctionis, Miſſarum nuptialium, & Euchariſtiæ, ac in quibuſvis Jubileis, tam intra, quàm extra cappellam, modò vicario, ſeu ejus ſubſtituto offerantur. Ac inſuper eidem, & ſucceſſoribus, pro ampliori dote, perpetuò conceſſerunt commodam pro ſe & familia ipſius, habitationem in domo eleemoſynæ dictæ ſedis, per reverendum capitulum aſſignandum, cum aliis requiſitis in dicta conſtitutione & dotatione contentis. Actum die quinta Decembris MDLXV.

AUG-

AUGMENTATIO.

POSTMODUM die 26. Novembris anni MDLXXVI. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. D. Joannes de Ribera Archiepiſcopus, unà cum reverendo capitulo, iiſdem ipſis de cauſſis, ampliantes ipſam dotationem, ultra prędicta de novo annexârunt & incorporârunt in augmentum dictæ vicarię, ſeu ejus vicario, & ſuis in perpetuum ſucceſſoribus, conceſſerunt, ex nunc prout ex tunc, Beneficium primò vacaturum in dicta ſede Valentina, per obitum, ſeu aliàs, ad præfati domini Archiepiſcopi, ſeu capituli, conjunctim vel diviſim, & ſeu quarumcumque Dignitatum ipſius Eccleſię præſentationem pertinens & ſpectans. Necnon ultra predicta auxerunt præfatam vicariam, ejuſque vicario, & ſucceſſoribus perpetuò aſſignârunt ſingulis annis, nonaginta libras monetæ Valentinæ, in annuis redditibus; videlicet, triginta libras ſuper menſæ Archiepiſcopalis, alias triginta libras, ſuper menſæ canonicalis, & reliquas triginta ſimiles ſuper fabricæ ejuſdem Eccleſiæ fructibus, redditibus, & proventibus, ſolvendas eidem vicario & ſucceſſoribus ſuis, in terminis in conſtitutione expreſſis: quæ dotatio, ſive augmentum facta ſunt, cum conditionibus requiſitis ad optimam dictæ vicarię adminiſtrationem, juxta formam Concilii Tridentini de reſidentia, & aliis; & non aliàs, aliter, nec alio modo, prout in eadem conſtitutione pleniùs continetur. Actum die, menſe, & anno præfixis. Petro Lopez notario & ſcribâ.

TITULUS OCTAVUS

De his quæ ſpectant ad chorum, cappellam majorem, & proceſſiones.

Conſtitutio de horis, & divino officio.

PETRUS Archiepiſcopus Tarraconenſis, in ſolenni viſitatione Eccleſiæ Valentinæ, anno Domini MCCXLII. ordinationem fecit matura deliberatione, ac præcepit, ſuper horis divinis decantandis, quòd canonici & alii clerici Beneficiati in Eccleſia Valentina, interſint divinis horis diurnis & nocturnis: & quòd injungat prȩcentor, ſive ejus ſuccentor in die præcedenti, qui reſponſoria, lectiones, antiphonas, officium, & invitatorium, & ad divinum officium pertinentia cantare debeant, ſub pœna & multa ibidem expreſſa in deficientes; tam contra injungentes, quàm contra eos, quibus illa injungentur officia. Atque imprimis mandavit, quòd ſummo mane dicatur Miſſa matutinalis populo; & cùm cantabunt *Sanctus* pulſetur ad Primam: quâ cantatâ celebretur Miſſa conventualis pro defunctis, & poſt Tertiam celebratam cantetur Miſſa major in altari beatæ Virginis, juxta morem Cathedralium Eccleſiarum. Item adjecit, quòd nullus prædictorum chorum intret, dum divinum officium celebratur, ſine habitu clericali conſueto. Item quòd nullus in choro altè loquatur: niſi quid, correctionis gratiâ, prȩcentor indixerit ordinandum.

Conſtitutio de puncto temporis quo eſt intrandum in choro.

HUGO ſtatuit unà cum capitulo, quòd nullus canonicus ad Matutinos chorum intret, niſi venerit antequam ſit finitus primus pſalmus Matutinorum majorum; nec ad Miſſam, niſi ante finitam Epiſtolam: nec ad Veſperas, niſi ante finitum primum pſalmum Veſperarum majorum. Ita quod ſeriùs intrans, per ſuccentorem, vel alios chorum regentes, expellatur à choro. *Ibidem.*

Conſtitutio de iiſdem horis.

HUGO Epiſcopus, anno Domini MCCCXLI. de communi conſenſu capituli, in Paſchali capitulo, conſtitutione ſanxit, quòd quicumque Beneficiatus in Miſſa defunctorum fuerit, ac poſtmodum ſine licentia ejus cui competit dare illam, à dicta Miſſa ſe abſentaverit, duas partes eorum, quę ratione anniverſarii eſt habiturus, amittat: quodque collectores anniverſariorum, ſive burſarii ante completam Miſſam nemini anniverſarium ſolvant, punctaneque in dicta Miſſa teneantur: ut ſciant quibus in ſolidum, vel dumtaxat pro tertia parte anniverſarium ſolvere teneantur. Et idem per omnia cenſemus de illis Beneficiatis, qui poſt Veſperas Matutinis interfuerint defunctorum: & poſtmodum ſe in completorio ſine prædicta licentia abſentabunt. Quo autem pacto prędictæ multæ dividendæ ſint, ibidem declarârunt. Quæ omnia collectores jurare debent pro poſſe obſervare. Item ſtatuitur, quòd quicumque Beneficiatus ſine prędicta licentia, in Matutinis, in Miſſa, aut in Veſperis non fuerit prȩſens, pœnam ibidem expreſſam ſingulorum duorum denariorum pro qualibet hora ipſo jure incurrat. Quas pœnas per dictos collectores diſtribuendas, juxta diſtinctionem de anniverſariis, quæ dictis ſic ſe abſentantibus debebuntur, voluerunt ſibi retinere; ac nihilominus ſi hęc non ſuffecerint, ad alia juris remedia recurrere. Acta die, menſe, & anno præfixis. *Ibidem.*

Conſtitutio alia qua hora canonici & Beneficiati teneantur intrare chorum.

EPISCOPUS & capitulum de communi conſenſu, conſtitutione etiam jurata ordinârunt, quòd canonici & Beneficiati chorum intrantes, niſi venerint ad Matutinum

in

in primo pſalmo & in choro perſeveraverint uſque ad *Te Deum laudamus*, incluſivè: & in Miſſa dum cantatur Epiſtola diebus Dominicis & feſtivis colendis, uſque ad Poſt communionem, aliis verò diebus uſque ad elevationem corporis Chriſti: in Veſperis à primo pſalmo, uſque ad capitulum, in choro ſimiliter perſeveraverint; priventur diſtributionibus canonicalibus illius horę, in qua defecerunt: & Beneficiati itidem illius etiam horę ſolutione. Volumus etiam, ut in anni verſariis fiat ſolutio, in Matutini s ad *Benedictus*, & in Miſſa & proceſſione in ultima abſolutione; niſi utroſque excusârit legitimum impedimentum, & hoc idem in cæteris divinis horis, in Prima ſcilicet, Tertia, Sexta, Nona, & Complétorio, finita oratione Virginis Mariæ: niſi à principio uſque ad finem interfuerint, illarum horarum careant portione. Et hoc obſervare teneantur burſarii portionum diſtributores medio juramento, quod preſtabunt in principio ſui officii. Actum 20. Septembris, anni MCDVIII. *Ex impreſſ. fol.* 18. *b.*

Conſtitutio alia ſuper reſidentia canonicorum in choro.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, volentes de cætero veram ac perſonalem reſidentiam ab omnibus ex æquo, ut par eſt, in choro laudabiliter exhiberi: ac contra non reſidentes, condignis etiam pœnis ac multis abſque remiſſione procedere, ſequentia capitula, ſive reſidentiæ Canones ſtatuerunt & ordinârunt. Primùm quòd de cętero omnibus & ſingulis Dominicis atque feſtivis diebus colendis, in quibus proceſſiones ordinarię per Eccleſiam ante Miſſam majorem fiunt, omnes & ſinguli canonici veſtibus & inſigniis canonicalibus induti, teneantur proceſſionibus perſonaliter intereſſe: ſaltem quoad proceſſio pervenerit ac ſtatio fiat, ante portam ſacriſtiæ majoris; quo termino elapſo, abſens incurrat multam ſive marcam duorum regalium Valentiæ, niſi legitimè impeditus, infirmus, aut pro negotiis ſibi ab Eccleſia commiſſis occupatus fuerit, aut ei ſolatium ſuffragetur: de quibus impedimentis ante finitas Veſperas eodem ipſo die teneatur burſario canonicali notitiam dare. Volentes tamen quòd pro ea prima Dominica ſeu feſto, ſic impediti, prefatam multam abſque remiſſione incurrant: ſi verò poſtea Eccleſiæ reuniantur, & iterum à prima proceſſione defecerint, toties pro prima vice multam incurrant. Quòd ſi impedimentum, aut infirmitas duraverit cum abſentia, atque alia ſecunda, aut tertia vice defecerint, à multa ſint immunes. Item ſtatuerunt & ordinârunt, quòd horâ Miſſæ conventualis ſupradicti domini canonici teneantur intrare chorum: & in Veſperis, in hunc modum; quòd unicuique concedatur tempus & facultas intrandi chorum, dum Miſſa celebratur, uſque ad elevationem ſacramenti corporis Chriſti incluſivè: tempore verò Veſperarum, uſque ad *Magnificat*, excluſivè: alioqui incurrat multam portionis canonicalis, quam intereſſendo reſpectivè lucratus fuiſſet, niſi fuerint eo tempore legitimè impediti, prout ſupradictum eſt, modò impedimenti cauſſam cenſori, vel burſario canonicali in tempore retulerint, eodem quo ſuprà tempore. Ac etiam quòd ſi infirmis, durante infirmitate, contigerit aliquem per civitatem extra domum exire, niſi urgentiſſima de cauſſa fecerint, quam exponere teneantur, multentur ſine ulla remiſſione: nec poſſint ampliùs quoad Eccleſiæ reuniantur, diſtributiones lucrari. Item ſtatuerunt, quòd canonici, tametſi adminiſtrationes & officia aliqua obtinuerint, pro quibus diſtributiones in abſentia percipiunt: nihilominus tamen aſtricti & obligati exiſtant omnibus Dominicis & aliis feſtivis colendis diebus, in Eccleſia reſidere; ſub præfatis multis & pœnis. Et quod eandem teneantur reſidentiam facere in aliis diebus anni, quando negotiis Eccleſiæ minimè occupantur. Item ſtatuerunt, quòd quicquid ex marchis, ſive multis abſentium cujuſvis hebdomadæ reſultaverit, id totum dividatur die Dominica ſubſequenti inter eos dumtaxat canonicos, qui in Eccleſia tunc præſentes inveniantur; cùm de jure ſit cautum, ut abſentium portiones accreſcant præſentibus, & intereſſentibus divinis officiis: quodque ex diviſione non participent niſi infirmi vera infirmitate, non autem ſolatii, aut aliorum quorumvis negotiorum Eccleſiæ cauſsâ impediti. Item ſtatuerunt, ut neque canonicus adminiſtrator canonicalis, neque ejus cenſor ſive burſarius; teneantur cauſſam impedimenti examinare, niſi quòd ſtetur ſimplici verbo canonici impediti, ejuſque conſcientiæ & diſcretioni. Item ſtatuerunt, quòd pro executione præmiſſorum præſatus cenſor ſive burſarius teneatur ſingulis diebus horâ Miſſæ & Veſperarum in choro reſidere, tenereque in manibus ſchedam nomina canonicorum continentem, pro multandis abſentibus, ut dictum eſt: ſuper quibus optimè exequendis, idem burſarius ſive cenſor tenetur hanc conſtitutionem jurare, atque omnia in ea contenta inviolabiliter obſervare. Quæ conſtitutio & capitula jurata ſunt; & uno contradicente irrevocabilia. Acta die 18. Auguſti MDLXI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Hęc conſtitutio in omnibus ad unguem obſervari ſolet, præterquam in primo capitulo, ubi dicit, quòd unicuique liceat intrare chorum dum Miſſa celebratur, uſque ad elevationem corporis Chriſti incluſivè; tempore verò Veſperarum uſque ad *Magnificat*, excluſivè. Et in quarto capitulo, ubi dicitur, quòd multæ cujuſvis hebdomadę dividantur inter præſentes intereſſentes qualibet die Dominica, in fine hebdomadæ &c. Proviſum enim poſtea fuit ab eodem reverendo capitulo & canonicis, ut de cętero ingreſſus chori ſit tempore Miſſæ, uſque ad decantatam à ſubdiacono Epiſtolam incluſivè; tempore verò Veſperarum uſque per totum primum decantatum pſalmum. Et quoad diviſionem multæ, quòd illa fiat in fine cujuslibet

men-

menſis. In reliquis autem prefata conſtitutio rata & firma habetur.

Conſtitutio de cappis, & de ceteris canonicorum inſigniis, & aliorum.

JAZPERTUS anno Domini MCCLXXVII. unà cum capitulo conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quilibet canonicus quacumque auctoritate recipiendus in Eccleſia, in ſui receptione, honorabilem cappam ſericam emat, & ſerviat ad opus Eccleſiæ valentem ad minus decem libras, vel totidem ſolvat theſaurario Eccleſiæ, ad id per Epiſcopum & capitulum aſſignatum. Et hoc antequam recipiat portionem canonicam. Quam cappam teneat canonicus de vita ſua, quo mortuo Eccleſiæ reſtituat. Et quòd canonici ante ſui receptionem teneantur hanc conſtitutionem jurare. Hugo addidit, ut habentes dignitatem vel præpoſituram teneantur facere, ſub eiſdem modo & pœna quibus ſuprà, cappam valentem viginti libras. Item ſtatuerunt, ut quilibet canonicus actu præbendatus habeat tenere unum cereum ponderis ſex librarum, qui ardeat diebus ſabbathinis in Miſſa beatæ Mariæ, & in quatuor feſtivitatibus ejuſdem beatæ Mariæ in Miſſa majori.

Conſtitutio circa delationem muzarum.

RODERICO Cardinali Epiſcopo, capitulum & canonici præſenti conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd canonici & Archidiaconi, Præcentor, Sacriſta, & Decanus, in Eccleſia ſedem obtinentes, muzas panni nigri fini, ex cetino carmeſino ſuffultas, & cappas ejuſdem panni nigri, cum cappuciis, etiam ſuffultis ex ermineis, temporibus Eccleſiæ conſuetis deferre teneantur. Canonici verò foranei & alii in dignitatibus foraneis conſtituti, magiſtri in Theologia, doctores juris in una vel altera facultatibus, & hebdomadarii Eccleſiæ muzas panni nigri ex cetino violaceo fodratas, & cappas panni prædicti cum cappuciis ex doſcibus ſive griſeis forratis portent. Rectores autem, vicarii perpetui, Beneficiati altaris majoris, diaconi, & ſubdiaconi Eccleſiæ, muzas panni nigri ex ſaya nigra lividi ſeu viridis coloris fodratas, & cappas ejuſdem panni nigri cum cappuciis, pellibus etiam nigris fodratis, temporibus prædictis incedant. Acta fuerunt die xxi. menſis Octobris, anno Domini MD. *Ex impreſſ. fol. 26. a.*

Conſtitutio ſuper committendis cappis canonicis in choro.

ALPHONSO de Aragonia Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis vnà cum reverendo capitulo, providerunt, quòd canonicus, cui committitur cappa cum ſceptro in choro, teneatur illam recipere, & in choro aſſiſtere; ſi renuerit acceptare, multetur in uno ſolido pro qualibet vice, qua noluerit acceptare; tametſi aliâ conſtitutione cavetur, quòd poſſit loco ſui alterum canonicum ſubſtituere ad dictam cappam tenendam & tunc excuſari à renitentia. Act. die 1. Junii MDXII. *Ex impreſſ.*

Conſtitutio de cappis tenendis in choro, & de ſervitio ibidem faciendo.

HUGO Epiſcopus cum capitulo ſtatuerunt, quòd clerici quibus commiſſæ fuerint cappæ ſericæ, in choro in primis Veſperis in feſtivitatibus, teneantur etiam tenere eas mane ſequẽti, dum Invitatorium in Matutinis dicitur. Adjicientes, quòd ſi quis ſibi cõmiſſas tenere recuſaverit: item & illi quibus ſuccentor lectionem, reſponſorium, vel antiphonam, vel alia, quæ tangunt divinum officium intus chorum commiſerit, adimplere neglexerint cum effectu, pro qualibet vice, pœnam duorum denariorum incurrant, quæ illicò ornamentis Eccleſiæ acquiratur, niſi aliquo juſto impedimento fuerit excuſatus. *Ex impreſſ. fol. 84. a.*

Conſtitutio ne clericus indutus ſuppellicio intra Eccleſiam cum cappucio exiſtat, ac niſi cum ſuppellicio vel cappa chorum intret.

HUGO Epiſcopus & capitulum, conſtitutione ſanxerunt, quòd nullus clericus, ſeu Beneficiatus cujuſcumque conditionis & ſtatûs exiſtat, intus Eccleſiam ſuppellicio indutus, audeat caput ſuum cappucio velare. Adjicientes etiam, quòd nullus eorundem, ac vel civitatis & ſeu diœceſis, audeat chorum Sedis ingredi dum inibi divina celebrantur, niſi induatur ſuppellicio, vel cappâ, illis temporibus, quibus eſt illis utendum, ſub pœna quinque ſolidorum pro fabrica ejuſdem ſedis. *Ex impreſſ. fol. 84. a.*

Conſtitutio de cappis nigris utendis.

UITALIS Epiſcopus & honorabile capitulum ſtatuerunt, quòd de cætero quicumque Beneficiati in Eccleſia Valentina obtinentes extra ipſam Eccleſiam aliud Beneficium cum cura vel ſine cura, valoris vigintiquinque librarum Barcinonenſium, vel ampliùs, necnon quatuor hebdomadarii, & duo capellani auroræ, à feſtivitate omnium Sanctorum, uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ, cùm pro celebratione divini officii ad Eccleſiam convenerint, cappis nigris utantur, quemadmodum canonici jam utuntur, ſub pœnis in conſtitutione contentis. *Ex impreſſ. fol. eod. b.*

Conſtitutio ſuper deferendis inſigniis.

HÆc ſimiliter coſtitutio edita iv. Martii MDLII. habetur in ſuperioribus conſtitutionibus, conſtitutione circa delationem muzarum, & per incuriam de novo fuit edita: ideo tanquam repetita omittitur.

Con-

Conſtitutio, quòd non valeant uti inſigniis in choro & Eccleſia qui non fuerint conſtituti in ſacris.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum xxvii. Aprilis MDXLVI. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd rector parochialis magiſter in Theologia, vel licentiatus in utroque jure, vel canonicus extraneus, ut Beneficiatus, vel aliàs in ſede reſidens, quibus pro cujuſque ordine inſignia dari ſolita ſunt, non valeant illa quoquomodo deferre, neque in ſedibus chori ſedere, niſi fuerint in ſacris ordinibus ad minus ſubdiaconatûs conſtituti. Neque ſpecialis licentia, aut privilegium cuiquam ad id concedi poſſit, niſi per omnes de capitulo, nemine diſcrepante cõcedatur. Ac inſuper neque poſſe quemquã uti inſigniis, niſi capitulo fidem fecerit de ſuo magiſterio, doctoratu, aut canonicatu extraneo, aut rectoria. Necnon voluerunt, ut quibus hactenus ſine ſacris ordinibus conceſſæ fuerunt tam inſignia, quàm ſedilia chori, iidem ſi in ætate legitima conſtituti fuerint, teneantur per totum præſentem annum facere ſe promovere, alioqui conceſſa gratia nullius ſit momenti. Quæ conſtitutio jurata eſt, & irrevocabilis, uno contradicente. Acta die, menſe, & anno præfixis.

Conſtitutio de his ad quæ obligatur cappellanus auroræ.

VITALIS Epiſcopus & capitulum ſtatuerunt, quòd ſi cappellani auroræ, qui ſunt duo, alter eorum, vel ambo in celebratione Miſſarum hujuſmodi defecerint ulla die, quòd ornamentis Eccleſiæ ſex denarios Barcinonenſes, & totidem uni cappellano, qui eandem Miſſam celebret ipſa die, teneantur ſine remiſſione erogare, atque à theſaurario Eccleſiæ cogi poſſint. *Ex impreſſ. fol.* 84. *b.*

Ordinatio, quòd repræſentatio Spiritus ſancti fiat tantùm in prima die Pentecoſtes.

IDEM Epiſcopus & capitulum ſtatuerunt, quòd in feſtis Pentecoſtes non fiat repræſentatio emiſſionis Spiritus ſancti, niſi in primo feſto bis, horis Miſſæ & Veſperarum, modò tunc temporis non fiant tonitrua cum balliſtris, quæ damnum non modicum inferunt zamborio Sedis: in contrafacientes laïcos, excommunicationis pœnam inferentes; clericis etiam & presbyteris, qui conſenſerint, multam decem morabitanorum imponentes. *Ibidem.*

Ordinatio, quòd non cantetur in choro cantus de orgue.

IDEM Epiſcopus & capitulum ordinârunt, quòd in choro Sedis non cantentur cantus de *orgue*, vel de *contrapunt*, ſine expreſſa licentia & voluntate domini Epiſcopi vel præcentoris, vel alicujus ex præſidentibus chori, ſuccentoribus conſentientibus ſit pœna in dicta. *Ex imp. fol.* 95. *a.*

Ordinatio ſuper illuminatione altaris majoris.

IDEM Epiſcopus & capitulum in Paſchali capitulo providerunt circa illuminationem altaris majoris, & quibus diebus & feſtis fieri debeat, juxta ordinem in præſenti conſtitutione expreſſum & declaratum, ad quam habeatur recurſus. *Ex impreß. ibidem.*

Conſtitutio de cereis canonicorum.

DIE xx. Junii anni MCCCXCVIII. capitulo Paſchali adhuc durante, vicarius generalis & canonici capitulariter cõgregati, præſenti ordinatione ſtatuerunt, quòd à modò certi cerei, quos canonici tenent in Eccleſia, qui ardent certis in feſtivitatibus, reficiantur bis in anno; videlicet in feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ menſis Auguſti, & in feſto Purificationis ejuſdem. *Ex impreß. fol.* 26. *b.*

Ordinatio proceſſionis in qualibet die Veneris.

IDEM Epiſcopus & capitulum in Paſchali capitulo ordinârunt, quòd cùm in diebus ſabbathinis fiet majoritas beatæ Mariæ, die Veneris præcedentis, ſtatim poſt Veſperas fiat proceſſio, quę exiens de choro in viam circuli ſe extendant apud altare majus beatæ Mariæ infra cimborium, & dicant unam antiphonam cum reſponſorio, ac oratione beatæ Mariæ; & poſtea ad chorum reddentes, dicant aliam antiphonam cum reſponſorio, ac oratione beatę Mariæ; & hoc ſervetur etiam ſi in dicto die Veneris veniat feſtum duplex. *Ex impreſſ. fol.* 85. *b.*

Conſtitutio ſuper modo & ordine qui debet in proceſſionibus ſervari.

HUGO Epiſcopus & capitulum Valentinum de communi conſenſu in Paſchali & generali capitulo, præſenti ſtatuto ordinârunt, quòd de choro Epiſcopi ſtatim poſt Epiſcopum incedat Archidiaconus major Eccleſiæ, poſtea Archidiaconus Xativæ, & exinde Archidiaconus Muri-veteris. De choro autem Præcentoris, primò ipſe Præcentor, poſtea Sacriſta, deinde Decanus, ac poſtmodum Archidiaconus Algeziræ; ulteriùs canonici præbendati, ſcilicet duodecim de uno choro, & duodecim de alio, ſecundùm antiquitatem eorum, quâ in præbendis ſuis ſunt recepti. Deinceps præpoſiti ſimplices non habentes præbendas. Et ſubſequenter in ſacra Theologia magiſtri, deinde doctores in juris una vel altera facultate: & poſt ipſos officialis principalis, & unicus dicti Epiſcopi, licentiatus, vel doctor, & poſt ipſum canonici præbendati cæterarum Eccleſiarum quarumcumque, poſtea Beneficiati auroræ, præterea rectores, & vicarii

rii perpetui Eccleſiarum parochialium ipſius civitatis Valentinę: & poſt ipſos foranei rectores, atque vicarii perpetui diœceſis Valentinæ. Poſt hos autem alii rectores, atque vicarii perpetui cęterarum diœceſium: & exinde Beneficiati Sedis: & poſt eos Beneficiati aliarum Eccleſiarum civitatis: & poſtmodùm Beneficiati Eccleſiarum diœceſis Valentinæ: & poſtea Beneficiati aliarum civitatum, & diœceſium quarumcumque: & demum presbyteri Beneficia non habentes. Hoc declarato expreſsè, quòd ſemper ii præcedere habeant, qui cæteris antiquiores, aut primò in præbendis, vel præpoſituris, rectoriis, vicariis perpetuis, ac aliis Beneficiis in magiſtratibus, doctoratibus, ſive gradu recepti fuerint, ſervato ſuo ordine antè expreſſo. Quodque ordo Beneficiatorum ſervetur inter eos qui in ſacris fuerint conſtituti: alii namque qui in ſacris non fuerint, accedant prout Epiſcopus, & capitulum duxerint ordinandum. Actũ fuit 28. menſis Madii MCDXII. *Ex impreſs. eod.*

Conſtitutio, quo in loco incedant cappellani octo cappellaniarum noviter erectarum, in proceſſionibus.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, ad dandum locum condignum octo cappellanis totidem cappellaniarum nuper in Sede erectarum, in proceſſionibus Eccleſiæ faciendis; quòd deinceps talis ſervetur ordo: nempe quòd in proceſſionibus poſt rectores, ſeu vicarios perpetuos civitatis & diœceſis, in dicta Eccleſia Beneficiatos reſidentes, immediatè incedat organiſta, in choro reverendiſs. D. Archiepiſcopi, ſuis cum inſigniis, quibus incedunt rectores; & poſt organiſtam incedant præfati cappellani cum ſimilibus inſigniis, quatuor videlicet poſt organiſtam in choro Reverendiſs. Archiepiſcopi, & reliqui quatuor in alio choro Præcentoris immediatè poſt ipſos rectores & vicarios perpetuos civitatis & diœceſis. In reliquis verò ſervetur conſtitutio ſuper dicto ordine totius cleri ſuperiùs poſita. Acta die 7. Octobris MDLXII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd laïci non ſedeant in cathedris chori.

IDEM Epiſcopus & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, ſub eiſdem menſe & anno, quòd dum divinum officium celebratur, ne laïci clericis ſe immiſcentes, illud perturbent, nullo modo cathedras chori ſuperiores, neque inferiores, à primo fadiſtolio uſque ad caput chori conſcendere, neque in illis ſedere audeant. *Ex impreſs. fol. 86. a.*

Conſtitutio, quòd claudatur janua cancelli cappellæ majoris.

IDEM ſtatuerunt & ordinârunt, quòd poſt auroræ Miſſam ſubſacriſta Sedis jubeat unũ ex ſcholaribus, ut in diebus Dominicis, feſtivis, & ſolennibus, januam, quæ ante ſacriſtiam eſt conſtructa, clauſam teneat uſque ad ingreſſum illius qui Miſſam celebrabit; quo ingreſſo claudat, uſque ad finem Miſſæ: & ſic obſervetur ſub pœnis inibi contentis. *Ex impreſs. eod.*

Conſtitutio, quòd non detur collatio, ſive guſtatio deferentibus cuſtodiam die corporis Chriſti.

GEORGIO ab Auſtria Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, die 19. Julii, anno MDXLII. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero collatio ſive guſtatio hactenus dari ſolita per ſubopererarium Eccleſię canonicis aliiſque presbyteris, atque miniſtris deferentibus cuſtodiam in proceſſione quæ fit in die ſacratiſſimi corporis Chriſti, ad tollendam indecentiam, quæ inde ſequitur, ampliùs non detur ullo modo, neque in confecturis, neque in pecunia numerata, ſub pœna inibi contenta. Acta die, menſe, & anno præfixis. eſt etiam irrevocabilis uno contradicente.

Conſtitutio ſuper delatione corporis Domini ad monumentum.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum capitulo, Paſchale celebrantes ſtatuerunt, quòd de cætero canonicus antiquior Eccleſiæ deferat ſanctiſſimum Chriſti corpus, die Jovis hebdomadę ſanctæ cum pompa ad monumentum, ibique illud ſuis ipſe manibus ſepulchro recondat & obſignet, duobus aliis canonicis antiquioribus ſibi aſſiſtentibus. Actum 15. Aprilis anno MDXLIV.

Conſtitutio de his ad quæ tenetur magiſter cantûs infantium deputatorum.

HÆC conſtitutio quoniam continet capita circa officium & exercitium infantium, & eorum magiſtri in Eccleſia; neque ad canonicos pertinet illa ſpeciatim reſcire; intermittitur interim, ut curioſo ſit ad eam recurſus. Acta die 4. Madii MDLIV.

Conſtitutio de diſtributione eroganda in proceſſionibus corporis Chriſti, & Aſſumptionis beatæ Mariæ.

EODEM Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & reverendum capitulum conſtituerunt & ordinârunt, quòd de cætero in proceſſionibus feſtorum corporis Chriſti, &

Aſſumptionis Virginis, adminiſtrator duplarum & anniverſariorum, ſolvat canonicis intereſſentibus in ſacris conſtitutis, quatuor regalia; tenentibus verò cappas, duo ampliùs regalia; non conſtitutis autem, duo tantùm regalia; Beneficiatis quidem in ordinibus conſtitutis & acolytis, duo regalia; non conſtitutis, unum regale: magiſtris autem, rectoribus, ſuccentoribus, tenentibus cappas & ſceptra, necnon diacono & ſubdiacono, cum aſſiſtente, aſſociantibus dominum Epiſcopum, quin & cantoribus, bidello, ſcholaribus, deputatis, unicuique prædictorum unum regale. Quæ ſolutio perveniat etiam uſque ad infirmos & legitimè impeditos. Acta die 13. menſis Auguſti MDLIV.

Conſtitutio, quòd officium Matutinorum feſtorum ſolennium poſſit decantari poſt officium Completorii. Confirmata per Pium Papam IV.

REVERENDISS. D. Franciſcus de Navarra & capitulum Valentinum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, in alma Sede Valentina, non ſolùm in vigilia diei ſacratiſſimi corporis Chriſti, ſed in reliquis ejus Octavæ diebus, necnon vigiliis Aſſumptionis, & Conceptionis intemeratæ Virginis, in cujus honorem præfata Sedes dicata eſt: quin etiam in vigilia beati Petri & Pauli Apoſtolorum, ac etiam in aliis feſtivis anni diebus, prout nobis & ſucceſſoribus noſtris pro tempore videbitur expedire, officium Matutinorum hujuſmodi, quod antea media nocte dici ac decantari conſuetum erat, ex nunc anticipare, & poſt Completorium ſolenniter dici, & decantari poſſit & valeat; nec ad decantandum illud media nocte in hiſce diebus teneri, quovis modo in dicta Eccleſia Beneficiati teneantur, ſed perinde ac ſi media nocte illud celebrarent, conſuetudini Eccleſiæ ſatisfaciant. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta in palatio Archiepiſcopi 20. menſis Aprilis anno MDLXII. Eſt confirmata auctoritate Apoſtolica per Pium Papam IV. ſub dat. Romæ, anno MDLXIV. Pontificatûs anno quinto. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio ſuper electione burſariorum chori.

ACISCLO Moya de Contreras Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero burſarii chori, qui à domino canonico tunc denarii minuti adminiſtratore deputari ſolent ad ſolvendas diſtributiones manuales in choro, eorum deputatio, ſive nominatio debeat per omnes canonicos de capitulo approbari & laudari. Idque per fabas in duobus ſaccullis per unumquemque miſſas, videlicet, quòd ſuper uno ſacculo adſcribatur hæc vox *ſi*, ſuper altero verò hæc vox *non*; & ſi plures fabæ fuerint repertæ in ſacculo *ſi*, talis burſarius admiſſus eſſe cenſeatur: ſi verò in altero fuerint plures fabæ, repulſus fuiſſe intelligatur: ſimiliter de alio burſario fiat. Et ſic caſu quo alter aut ambo repulſi fuerint, canonicus adminiſtrator alium ſeu alios nominare teneatur, qui ſimili quoque examine ſeu ordine probari debeant, quouſque idonei reperiantur. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque irrevocabilis uno contradicente. Acta die 30. Decembris, anni MDLXVI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio de inſigniis magiſtris in Theologia & licentiatis in utroque Jure concedendis.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, conſtitutione ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero nullus doctor ſeu magiſter in ſacra Theologia, & in utroque vel altero Jurium licentiatus ſeu doctor, ad inſignia in Eccleſia ab eiſdem deportari ſolita admittatur, niſi priùs facta fide de uniuſcujuſque gradu reverendo capitulo; & ſignanter actum publicum, hoc eſt, aſſertiones Theologicas, ſive ſacrorum Canonum teneant & ſuſtineant in capitulari aula Eccleſiæ majoris per totum diem, aſſignandum per dictum reverendum capitulum. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta die 4. Martii anni MDLII.

Conſtitutio ſuper diſtributione denarii minuti in choro.

GEORGIUS ab Auſtria Archiepiſcopus cum reverendo capitulo, præſenti conſtitutione, quâ continetur alia ſimilis edita ſuperiore anno, die 24. Aprilis, conſtituit & ordinavit, quòd de cætero burſarii chori denarii minuti debeant ſolvere intereſſentibus divinis officiis in denariis bonis: & quòd aſſiſtere debeant præfati burſarii ad latus canonicorum gubernatorum chori quolibet menſe per capitulum deputandorum, ſeu ipſis abſentibus, ad latus antiquioris canonici, ad effectū, ut inde potiùs notent in choro intereſſentes & ab eo recedentes: & quòd canonicis, niſi in choro, aut capitulo intereſſentibus, non dentur diſtributiones, niſi cauſsâ infirmitatis, aut quia occupati ſint in negotiis Eccleſiæ; & ſimiliter Beneficiatis, niſi præſentibus in choro, aut Miſſam celebrantibus, aut officium Eccleſiæ adminiſtrantibus, qui ſunt in cedula, aut ob infirmitatem detentis, nullis aliis percatia chori ſolvantur. Et quòd finitâ Nonâ, ipſe gubernator canonicus, & burſarius deferant burſam ſubſacriſtæ, qui eam cuſtodiat uſque ad Veſperas, ubi idem canonicus & burſarius accipiant burſam & aſſiſtant, ſolvantque in Veſperis, Completorio, & de mortuis. Quibus finitis, debeant ſcribere ejus diei quantitatem diſtributam in libro conſueto. Quę conſtitutio jurata eſt, ac neque revocabilis, uno contradicente. Acta die 19. Januarii MDXLI.

Conſtitutio ſuper dandis diſtributionibus chori non intereſſentibus.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, conſtituerunt & ordinârunt modum, qui habendus eſt in concedendis diſtributionibus chori non intereſſentibus divinis officiis,& quibus ſint illæ negandæ. Imprimis præcipientes, quòd nulli Beneficiati Eccleſiæ, magiſtri in Theologia, etiamſi ad alias Eccleſias verbum Dei prædicaturi accedant, diſtributiones chori recipiant ullo modo, nec pro præſentibus habeantur: cùm ſiquidem pro ſua prædicatione ſtipendii charitatem accipiant, ſecùs erit in Sede concionaturis, qui pro ea hora habentur pro præſentibus. Item tam Beneficiati,quàm canonici infirmantes, qui ſoliti ſunt reſidere,infirmitate tali durante, quæ rationabilis ſit impedimenti cauſſa ad non interveniendum officiis, iis ſive in civitate ſive extrà infirmentur, ſive ex medicorum conſilio ſe civitate abſentaverint, diſtributiones juxta juris diſpoſitionem concedantur. Item magiſtro Theologo ſacram Scripturam in capitulo Sedis profitenti pro illa hora; necnon confeſſoribus Quadrageſimali, ſive Jubilei tempore, quia fidelium, atque Eccleſiæ utilitati intendunt. Quin & correctori chori deputato ad cuſtodiendam bibliothecam majorem Eccleſiæ, quamdiu tenetur illam habere apertam & cuſtodire, quia eidem ſervit utilitati, diſtributiones concedantur. Reliqui verò qui tempore divinorum ad ſepulturam mortuorum accedentes, tametſi alia quæcumque pia opera erga mortuos ac infirmos exerceant, quoniam ſuo donantur ſtipendio, à diſtributionibus ejus horæ priventur. Quæ conſtitutio acta eſt die 14. Septembris anni MDXLVIII.

Conſtitutio exprimens quibus permiſſum eſt in proceſſionibus incedere, & in prioribus Eccleſiæ cathedris ſedere.

REVERENDISS. D. Franciſcus de Navarra Archiepiſcopus & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, quoties Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus, ejuſque ſucceſſores in choro Sedis reſederint, aut proceſſionibus, vel aliis Eccleſiæ actibus publicis, unà cum canonicis & univerſo clero veſtibus inſigniti Eccleſiaſticis incedentes intervenerint, ipſemet Archiepiſcopus veſtibus canonicalibus, cappâ ſcilicet de choro dictâ, ex ermineis, aut carmeſino,pro varietate & uſu Eccleſiæ duplicatâ; necnon dignitatem habentes, canonici, ac reliqui Beneficiati & officiales, cum ſuis cappis, roquetis,almuciis, & ſuperpelliceis, ſecundùm uniuſcujuſque gradum & Eccleſiæ conſuetudinem induti, teneantur incedere. Ac quòd in proceſſionibus generalibus, aut privatis, tam intra, quàm extra Eccleſiam peragendis; ac etiam in feria quarta cinerum, ad capitis inclinationem, & in die Veneris ſancto ad ſolennem Dominicæ crucis adorationem; necnon aliis actibus, in quibus præfatus dominus Archiepiſcopus, ſeu abſente illo, capitulum & canonici & dignitatem habentes, veſtibus (ut dictum eſt) Eccleſiaſticis induti ſolent incedere, nulla alia perſona Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis,cujuſvis ordinis aut conditionis exiſtat, admittatur ad ejuſmodi proceſſiones & alios prænarratos actus intereſſendum, exceptis dumtaxat Reverendiſſimis Cardinalibus, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, vel Nunciis. Ac inſuper decreverunt,quòd primæ cathedræ chori, quæ dicuntur collaterales, altera videlicet Archidiaconi majoris, contigua cathedræ D. Archiepiſcopi; altera Præcentoris, qui totius chori eſt præſidens, neque concedi, neque ab ipſiſmet Archidiacono & Præcentore permitti poſſit ad ſedendum cuivis alteri, præterquam Epiſcopo, aut Prælato conſecrationis munus conſecuto; necnon dignitatibus & canonicis Eccleſiæ. Addentes, quòd neque in aliis quoque ſubſequentibus cathedris Dignitatum & canonicorum admitti poſſint aliæ perſonæ ad ſedendum, niſi de conſenſu reverendi capituli, aut canonicorum tunc in choro præſidentium. Tandem de cathedra Reverendiſſimi domini Archiepiſcopi ſtatuerunt, quòd nulli perſonæ cujuſcumque ordinis, ſtatus, aut conditionis exiſtat, etiamſi Dignitas, aut canonicus exiſtat, præterquam Cardinali aut Legato, vel Nuncio Apoſtolico; ac niſi abſente domino Archiepiſcopo, concedi poſſit ad ſedendum. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis, ac etiam confirmata auctoritate Apoſtolica per Pium Papam IV. Sub dat. Romæ 12. Kalend. Decembris MDLXIV. Pontificatûs ejus anno quinto. Acta die 20. Aprilis MDLXII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio declaratoria præcedentis, & quòd per eam non excluduntur monachi à proceſſionibus.

IDEM Archiepiſcopus & capitulum, 19. ejuſdem menſis & anni declarârunt, per præcedentem conſtitutionem non fuiſſe mentis ſuæ excludere à proceſſionibus generalibus monachos ſive fratres ordinum mendicantium, ac neque aliorum ordinum, quotiens ad Eccleſiam accedunt proceſſionaliter, & interponi ſolent inter canonicos & reliquos Beneficiatos, ſecundùm antiquam conſuetudinem Eccleſiæ. In reliquis præfatam conſtitutionem in ſuo robore permanere declarantes. Acta die, menſe, & anno prædictis.

TITULUS NONUS

De his quæ ſpectant ad hebdomadarios, diaconos, ſubdiaconos, & ſuccentores, decem perſonatus nuncupatos.

Conſtitutio de aſſocietate, quam debent præſtare reliqui officiales hebdomadariis, deq; eorum officio, & de inſtitutione magiſtri qui regat ſcholas Grammaticæ.

EPISCOPUS de conſilio & aſſenſu capituli, in ſolenni capitulo Paſchali, volentes unumquemque Eccleſiæ miniſtrorum ſui officii admonere, ſtatuerunt, quòd cùm hebdomadarium ad altare accedere, cauſsâ ſui officii exercendi contigerit, ſubdiaconi & diaconi eundem aſſocient & ſequantur, donec ejus officium fuerit omnino expletum: & idem de ſuccentoribus ſtatuimus, niſi tunc eorum officium ipſos exequi contingat; recuſantes, pœnam amiſſionis diſtributionis illius diei incurrant. Quæ quatuor hebdomadariæ creatæ fuerunt ab Epiſcopo & capitulo anno Domini MCCLIX. eodem ipſo die, quo inſtitutæ, ſive erectæ etiam fuerunt duodecim præpoſituræ Eccleſiæ, ut habetur in titulo de his quæ ſpectant ad præpoſitos, conſtitutione prima: ubi exprimuntur onera hebdomadariis incumbentia, nempe quòd unus celebret Miſſam in ſua ſeptimana pro defunctis, & alius Miſſam conventualem, & alii duo in alia ſeptimana in choro interſint omnibus horis canonicis, nocturnis & diurnis, ſtatim in principio horarum: cùm ad eos pertineat incipere & complere officium in omnibus horis: & duo ſint de uno choro, & alii duo de alio; necnon eâdem conſtitutione ſtatuerunt unum magiſtrum, qui regat ſcholas in Grammatica in Eccleſia, expenſis domini Epiſcopi & capituli. *Ex impreſs. fol.* 100. *b.*

Bulla Benedicti Papæ quâ confirmatur facultas capituli Valentini ad conferendum hebdomadarias, diaconalia, & ſubdiaconalia officia, contra illa expectantes.

BENEDICTUS Papa per hanc Bullam conceſſit indultum Epiſcopo & capitulo, ut ſtatueret & ordinaret, quoad hebdomadarias, & diaconalia, & ſubdiaconalia Beneficia Sedis, aut eorum aliquod, quòd nulli pro tempore expectantes illa, auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus recipi, ſeu ad poſſeſſionem admitti poſſint, neque ab Epiſcopo & capitulo, quorum eſt mera collatio ſive electio dictorum Beneficiorum, tolli quoquomodo valeat, etiamſi in literis expectantium exprimantur clauſulæ, cujuſcumque tenoris atque favoris fuerint, ut in ea exprimuntur, ſed totum jus conferendi illa, ad ipſos Epiſcopum & capitulum devolvatur omnino. Acta Avinione 13. Kalend. Junii, Pontificatûs ejus anno primo. *Ex impreſs. eod.*

Conſtitutio, ad quid ſubdiaconi ſint aſtricti.

SEDE paſtore carente, vicarius generalis cum honorabili capitulo, ordinârunt circa officium ſubdiaconorum, quòad aſſiſtentiam in capitulo ad convocandum canonicos, & alia ibi expreſſa onera: quæ quoniam ſunt contrario uſu abolita, iccircò prętereunda duximus, unà cum aliis in dicta conſtitutione contentis; cùm ſint extra propoſitum, & pertineant ad laudabilem eleemoſynam Sedis, ſub ejuſque titulo conſtitutione propria referuntur: excepto quòd de domo laudabilis eleemoſynæ in eadem conſtitutione exprimitur fuiſſe ſtatutum, quòd in domo ejuſdem eleemoſynæ Sedis animalia quælibet ad equitandum, per prępoſitum vel cappellanum majorem dictæ eleemoſynæ, aut clericos quoſcumque, vel laïcos, nunquam teneantur; nec etiam mulieres; excepto quòd præpoſitus, ſeu cappellanus major, poſſit & valeat unam tantùm ancillam antiquam, ſeu pediſequam pro ſuo honeſto ſervitio habere; ſub pœna inibi expreſſa, unius ſcilicet ſolidi pro quolibet die, quo fecerint contra edictum hujuſmodi. Acta die 9. Julii, anni MCDXCVII.

Conſtitutio, quòd nullus ad diaconum vel ſubdiaconum ſe induat in altari majori, niſi cui competit ex officio.

IDEM honorabile capitulum ſtatuit, ut nullus niſi cui ex officio vel Beneficio incumbit, aut qui deputatus eſt per capitulum, ſe induat ad diaconum vel ſubdiaconum Sedis ſub pœna quinque ſolidorum pro quaque vice, fabricæ applicandorum. Sed quòd unuſquiſque eorum in ſua ſeptimana fungatur ſuo officio, cantandi ſcilicet, ſive recitandi Euangelium, ſeu Epiſtolam; ac quòd impediti non poſſint alteri, quàm ſuo collegę tale officium quoties impediuntur committere, ſub pœna ibi expreſſa, ac etiam mercede reddita ei, qui pro collega ſervierit. *Ex impreſs. fol.* 102. *a.*

Conſtitutio ſuper dandis officiis altaris majoris, & aliis dictæ Eccleſiæ.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd vacantibus aliquo ex quatuordecim Eccleſiæ officiis, nempe hebdomadariis quatuor ſubdiaconis, & diaconis quatuor, ſuccentoribus duobus, quin & officio lectoris in Theologia, correctoris chori, ſubſacriſtæ, & organiſtæ, per obitum illa obtinentium, nulli valeat provideri, niſi præcedenti edicto, in valvis Eccleſiæ majoris, & Sancti Martini, & Sancti Joannis de Mercato parochialibus Eccleſiis civitatis, & ſedis Segobricenſis;

cenſis; necnon collegiatarum Eccleſiarum civitatum de Xativa, & de Oriola, & oppidi de Gandia, cum termino triginta dierum, affigendo; quo elapſo, in capitulo congregati dicta officia votis per fabas in ſacco appoſitis, dari debeant, & non aliàs. Quòd ſi aliquis ex prædictis officialibus officium ſuum reſignare, aut aliquem in coadjutorem ſibi dari petierit, is niſi per duas capituli partes, votis ut præfertur, cum fabis in ſacco poſitis, nullatenus admitti poſſit: prohibentes ne ullus canonicus dare poſſit, neque promittere alteri canonico votum ſuum ad ejuſmodi electionem officialium. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Acta die 22. menſis Martii, anni MDL.

Conſtitutio declaratoria ſuperioris conſtitutionis, ſuper dandis officiis altaris majoris, & de coadjutoribus eorundem.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, addentes conſtitutioni factę, die 12. menſis Februarii MDL. ſuper dandis officiis altaris majoris, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd in ea parte de coadjutoribus dictorum officiorum, ſimiliter ſuper eiſdem admittendis, fiat edictum in omnibus, perinde ac ſi per obitum, aut aliàs vacâſſet tale officium: ac quòd non aliter provideri poſſit de eo. In reliquis conſtitutione illa in ſuo robore permanente. Quę conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicẽte irrevocabilis. Act. 28. menſis Julii MCLXI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Proviſio de marchis, ſive multis contra hebdomadarios non intereſſentes.

PRÆFATI domini de capitulo providerunt & mandârunt, quòd hebdomadarii non intereſſentes choro, pro quacumque hora divina, quâ defecerint, multentur in uno regali, bacino fabricæ in continenti, ac ſine remiſſione applicando. Acta die 1. Aprilis MDXVII.

Conſtitutio declaratoria alterius, ſuper proviſione officiorum decem, chori & altaris majoris.

MARTINO de Ayala Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſi contingat aliquem eſſe deputatum coadjutorem à reverendo capitulo cum futura ſucceſſione alicujus hebdomadarii, ſuccentoris, diaconi, aut ſubdiaconi Eccleſiæ, & vacante ſimili officio, coadjutor petat ſibi illud conferri; tali caſu, capitulum & canonici concordes, & nemine diſcrepante, poſſint tale vacans officium eidem coadjutori conferre, etiam non præcedente edicto, nec ſervatis ſolennitatibus dictæ conſtitutionis. Et quòd idem ſervetur vacantibus aliis ſimilibus coadjutorum deputationibus aliorum ſupradictorum officiorum; dummodo tales coadjutores fuerint aſſumpti ad coadjutorias, præcedente edicto, & ſervatis aliis in prænarrata conſtitutione contentis. Act. die 30. Decembris MDLXV. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd decem officia altaris & chori Eccleſiæ ſint deinde ad nutum amobilia, & de ejus revocatione.

SEDE paſtore carente, canonici & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt honeſtis de cauſſis in Paſchali & generali capitulo, quòd de cætero decem officia Eccleſiaſtica per dictum reverendum capitulum provideri ſolita, ſint amobilia ad nutum reverendi capituli. Quæ conſtitutio irrevocabilis eſt, uno contradicente. Act. die 20. Aprilis MDLXVIII.

Hæc conſtitutio penitùs cenſetur abrogata, tanquam contraria præſcripto uſui, & conſuetudini conferendi ejuſmodi officia, tanquam collativa, per manus vicarii generalis capitularis, cùm niſi per ſententiam privari poſſit quiſquam officialium prædictorum à ſuo officio: ideo penitùs abolenda illa, immo cenſetur abolita.

Conſtitutio de eiſdem officiariis, ſive perſonatibus.

ITEM Vitalis Epiſcopi, & honorabilis capituli conſtitutione cavetur, quòd nullus Beneficiatus, aut officiarius in altari majori procurationis onus laudabilis eleemoſynę Sedis aſſumere poſſit, nec ad hoc etiam coarctari, ne altare prędictum ſuo valeat ſervitio defraudari. *Ex impreſſ. fol. 84. b.*

Conſtitutio de hebdomadariis, diaconis, ſubdiaconis, ſuccentoribus, non nominandis ad alia officia Eccleſiæ.

SEDE paſtore carente, in capitulo Paſchali, reverendum capitulum & canonici renovantes conſtitutionem antiquam Vitalis Epiſcopi de non admittendis ad onus procurationis laudabilis eleemoſynę Beneficiatos altaris majoris, addentes eidem, conſtituerunt & ordinârunt, quòd dicti Beneficiati, qui ſunt hebdomadarii, diaconi, ſubdiaconi, & ſuccentores, nullo modo de cætero nominari poſſint, nec ad onus procurationis eleemoſynę, nec ad aliud quodvis Eccleſię officium, ne altare majus neque chorus ſuo defraudentur ſervitio. Act. 10. Aprilis MDXX.

TITULUS DECIMUS

De ſalariis & officiis Eccleſiæ, tam canonicorum, quàm aliorum.

Conſtitutio, quòd canonici qui tenent officia, habeant certum ſalarium.

DOMINI de capitulo cum vicario generali ordinârunt, quòd à modò canonicus, qui fuerit procurator diſtributionum communium Sedis, habeat quolibet anno pro ſalario decem florenos, canonicus qui officium rationum communium, quinque florenos, canonicus qui officium theſaurariæ, tres florenos, auditores computorum pro definiendo computo theſaurariæ, quilibet unum florenum, & notarius capituli habeat pro laboribus, tam de computis theſaurariæ, quàm rationum communium, de quolibet medium florenum. *Ex impreſſ. fol.* 30. *b.*

Augmentatio ſalarii quorumdam officiorum, & de præſtandis fidejuſſoribus.

CONSTITUTIONE jurata, Erardo Cardinale & Archiepiſcopo, domini de capitulo cum vicario generali, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quicumque canonicus cui officia rationum communium, theſaurariæ, ſeu annatarum obvenerint, antequam ad illa admittatur, idoneos fidejuſſores ad arbitrium capituli præſtare teneatur, ac quòd pro officio rationum communium, pro ſalario habeat decem libras: qui verò theſaurariæ, alias decem: qui officium annatarum, habeat unum regale monetæ Valentinæ pro libra, ſcilicet pro annatis Archiepiſcopatûs, dignitatum, & præpoſiturarum, & canonicatuum. In quo regali in præpoſiturîs comprehendatur ſalarium ſubſtituti. Et canonicus, qui ſyndicatum habuerit, habeat pro ſalario quindecim libras; qui officium de Albalj quinque libras: diviſis compoſitionibus ratione delictorum loci, æquis portionibus, inter adminiſtratorem & Eccleſiam Sanctæ Annæ, eremitorium dicti loci. Qui autem adminiſtrationem eleemoſynę Denconeſa habuerit, quindecim libras: qui officium *de dobles, y anniverſaris*, decem libras. Qui verò officium *de la obra*, quindecim libras. Quæ augmentatio ſalariorum, intelligitur comprehenſis antiquis ſalariis, & abſque ſalario ſubſtitutorum. Quod eſt actum die 23. menſis Aprilis MDXXXIV. *Ex impreſſ. fol.* 31.

Conſtitutio, quòd adminiſtratores, ſive procuratores nullo modo exerceant officia antequam præſtent fidejuſſores.

JOANNE de Ribera Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero nullus canonicus, neque alia quęvis perſona Eccleſiaſtica, quæ ad officium, ſeu adminiſtrationem Eccleſiæ à reverendo capitulo nominata fuerit, ac vel ex conſtitutione, vel ex conſuetudine Eccleſię, ad præſtationem fidejuſſorum ratione ſui officii, ſeu adminiſtrationis eſt obligata; ſeſe in officio, ſeu adminiſtratione exercenda intromittant, ac neque per ſe, neque per interpoſitam perſonã, quantitatem aliquam ratione dicti officii, ſeu adminiſtrationis, recipere audeat, quin priùs tam ipſe principalis, quàm ejus fidejuſſores in forma ſolita ſe obligaverint ac per dictum reverendum capitulum admiſſi; & approbati illi fuerint. Mandantes ſcribæ & archiveriis capituli, ſub pœna decem librarum, ne libros, neque inſtrumenta ad ejuſmodi officium, ſeu adminiſtrationem pertinentia eis tradant, donec dictus ſcriba prædictas obligationes & firmas cum effectu receperit. Quod eſt actum 9. menſis Januarii MDLXXVII. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd non perpetuentur officia.

CONSTITUTIONE jurata, Roderico Cardinali & Epiſcopo, ejus vicarius generalis cum dominis de capitulo, Paſchale capitulum celebrantes, ſtatuerunt & ordinârunt in perpetuum, ut officia Eccleſiæ dividantur ſic: quòd antiquior canonicus eligatur ad officium Rationalis, & junior etiam ex canonicis in ſocium ſeu adjutorem computorum cum dicto Rationali: & alius canonicus immediatè ſequens poſt antiquiorem, ſit procurator generalis eleemoſynę. Item quòd canonicus ex junioribus, qui ſequitur poſt auditorem computorum, ſit adminiſtrator annatarum mortis. Item quòd ſic cenſeatur, & fiat de adminiſtratoribus laudabilis eleemoſynę, ſingulis annis per turnum, quoad impleatur turnus eorum, qui non recepti ſunt, ad inſtar officii impoſitionis albaranorum. Et quia ex perpetuitate officiorum, quæ per clericos adminiſtrantur, lęſa fuit quandoque Eccleſia; ſtatuerunt & ordinârunt, ne deinceps unus clericus, ſeu Beneficiatus in adminiſtratione ſibi commiſſa poſſit ampliùs quàm biennio illam regere. Act. anno MCDXXVII. decimâ menſis Aprilis. *Ex impreſſ. fol.* 31. *b.*

Conſtitutio, quòd officia diſtribuantur per turnum.

DOMINI de capitulo cum vicario generali, Paſchale capitulum celebrantes, quintâ menſis Junii, anno MCDXCII conſtituerunt & ordinârunt, quòd officia, quæ antea per electionem ſolebant inter canonicos diſtribui, deinceps diſtribuantur per turnum, hoc videlicet modo: quòd officium rationum communium detur antiquiori canonico, officium theſaurarii, ſequenti antiquiori; ad denarium minutum ſequens eligatur; ad ſyndicatum alter ſuo ordine; ad diſtributiones canonicales, alter ſuo ordine ſequens; ad anniverſaria & duplas, immediatè veniens; ad procuratorem de Albal huic proximus. Et iſti ſeptem antiquiores per ordinem ſint primi anno ſequenti. Alii verò ſeptem de antiquioribus ſequentibus, anno pòſt venienti; & ita deinceps uſque ad ultimum canonicum incluſivè: & ſic revertatur ad primum & antiquiorem, ut priùs, ſuo ordine. Voluerunt tamen & ordinârunt, quòd prædicta officia poſſint retineri ſimul cum aliis officiis per turnum venientibus, ſcriptis in conſtitutione ſuperiùs dicta, & etiam cum officiis albaranorum, & operarii murorum, & vallorum. Conſtituentes quòd adminiſtratores dictorum officiorum teneantur rationem reddere ſuarum adminiſtrationum ſecundùm formam conſtitutionis ſuprà expreſſæ. *Ex imp. fol. 32. b.*

Conſtitutio de cæteris officiis concedendis per turnum.

CAPITULUM unà cum vicario generali, in capitulo Paſchali conſtituerunt & ordinârunt, quòd quædam officia, nempe ad dandum ſigna; ad bacinum fabricæ; ad pedem altaris; ad accendendum cereos; ad ordinandum ſuper tertiis Beneficiorum; quæ officia olim per electionem dari ſolebant, deinceps dentur per turnum: & antiquior canonicus habeat primum, ſequens ſecundum. Ita quòd de dictis officiis fiat diſcurſus per ſingulos deſcendendo ſuo ordine; & finito turno redeant ad primum; & quòd prædicta officia ſint compatibilia, haberique poſſint ſimul cum aliis officiis, & quòd in his officiis, ſicut in aliis, habentes teneantur nominare ſubſtitutos ad illa regendum, Beneficiatos Sedis; qui jurare debeant de bene & fideliter adminiſtrando. Et quòd nominati ſubſtituti debeant dare fidejuſſores, & idoneas cautiones; necnon computum & rationẽ de adminiſtratis reddere. Et ſi canonicus noluerit nominare ſubſtitutum, capitulum eligat, & idoneas cautiones ab electo accipiat. Acta fuerunt die 30. Aprilis MCDXCIII. *Ex impreſſ. fol. 33. a.*

Bulla Alexandri VI. confirmatoria duarum conſtitutionum de turnis.

HÆC Bulla confirmat de verbo ad verbum duas conſtitutiones Eccleſiæ præhabitas ſuper officiis per turnum dari ſolitis. Sub dat. Romę anno Incarnationis Domini MCDXCIII. decimo Kalen. Julii. Pontificatûs anno primo. *Ibid. b.*

Conſtitutio contra canonicos abſentantes ſe in fraudem, ut alii canonici priventur officiis ſibi per turnum provenientibus.

VICARIUS generalis & capitulum in ſolenni Paſchali capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quilibet canonicus qui in tertio feſto Paſchæ Reſurrectionis (in quo ab antiquo conſuetum eſt celebrari capitulum Paſchale dictę Sedis) præſens fuerit in civitate vel diœceſi Valentina, & poſtea receſſerit à dicta civitate vel diœceſi; licèt tempore electionis, & conceſſionis officiorum, & adminiſtrationis dictę Sedis non ſit preſens, quòd habeatur pro preſenti, ac ſi non receſſiſſet, & officium, ſive adminiſtratio in illa electione ſibi incumbens detur eidem, ſervato ordine turni juxta formam conſtitutionum per Apoſtolicam Sedem confirmatarum. Et quòd canonico, cui competit officium, recedente, neque procuratorem ad nominandum in dicto officio dimittente, capitulum poſſit nominare ſubſtitutum ad regendum dictum officium pro abſente, ejus abſentiâ, ſeu contumaciâ in aliquo non obſtante. Act. die 21. Aprilis, anno MDXVI.

Conſtitutio, quo tempore reſidere teneatur canonicus, ut habeatur preſens ad obtinenda officia, etiamſi abſens.

REVERENDI domini de capitulo Paſchali celebrantes (in quo nullus erat vicarius generalis, ſed antiquior canonicus vices ejus gerebat, de antiqua Eccleſię conſuetudine) ſtatuerunt & ordinârunt, quòd abinde quicumque canonicus prębendatus qui fuerit preſens in civitate, in primo die menſis Aprilis, ſeu quolibet die dicti menſis, licèt poſtmodùm tempore electionis officiorum capituli ſeu Eccleſiæ abſens fuerit, habeatur ut præſens ad quęcumque officia per turnum ad ſe ſpectantia. Act. 21. Aprilis MDXXII.

Conſtitutio revocatoria præcedentis conſtitutionis, quòd canonicus Paſchali capitulo interveniens obtineat officia, etiamſi abſens prima die Madii.

SEDE paſtore carente, reverendum capitulum & canonici ad tollenda inconvenientia, quæ ſequi ſolent ex conſtitutione aliàs edita, quâ cavetur, quòd nullus ad officia ſingulorum trium turnorum de capitulo admit-

mitti poſſit, niſi qui prima die cujuslibet menſis Madii præſens in Eccleſia, ſeu in civitate reſidens fuerit, prout in præſenti conſtitutione de inconvenientibus eſt relatio. Iccircò ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero nullus ad præfata ſingulorum trium turnorum officia admittatur, niſi qui tertio die Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, in ſolenni capitulo Paſchali præſens interfuerit, ac neque ampliùs pro obtinendis dictis officiis intereſſe prima die Madii teneatur, ſeu obligatus exiſtat. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. die 16. Aprilis MDLXVII.

Conſtitutio ſuper erectione officii ſubſacriſtæ Eccleſiæ.

RAYMUNDUS Epiſcopus Valentinus, unà cùm honorabili capitulo, attendentes circa curam & cuſtodiam vaſorum & inſtrumentorum templi, ad ſacrificia peragenda, neceſſe eſſe non cuivis, ſed perſonis probatæ fidei & religionis commendari debere, à quo repoſci ratio, & damnum, ac ſacrilegia, ſi quæ ſequantur, exigi poſſint; maturè ſtatuerunt, atque de novo creârunt officium ſubſacriſtę Sedis, qui perpetuò in Eccleſia ſit, quî cuſtodiat, fideliterque conſervet commiſſas ſibi res intra Eccleſiam, & ſacriſtiam, ſcilicet reliquias, theſaurum, ornamenta, bona omnia, & jura apud ſacriſtiam depoſita & commendata. Et hoc juret quoties ad ejuſmodi officium eligatur. Qui etiam de dolo, culpa, & negligentia remaneat obligatus Epiſcopo & capitulo, ac quòd rationem reddere teneatur de omnibus cùm fuerit requiſitus. Cui ſubſacriſtæ pro annuo ſalario & mercede aſſignantur quantitates in præſenti conſtitutione deſignatæ, prout in ipſa latiùs continentur. Act. 15. Kalend. Junii, anno MCCCIII.

Conſtitutio de theſaurariis & de eorum officio.

FRATER Raymundus Epiſcopus, anno Domini MCDVIII. & capitulum in Paſchali ſtatuerunt, quòd à modò duo theſaurarii ordinentur annuatim canonici vel Prælati, qui bona communia capituli colligant, recipiant, & requirant à quolibet detentore, eaque conſervent fideliter, ac etiam expendant in uſibus neceſſariis & communibus Eccleſiæ, non privatis; neque præfata bona alicui de capitulo, vel extrà mutuare, neque credere quovis modo valeant. Et qui computum & rationem ſuæ adminiſtrationis reddere teneantur aliis ſubſtituendis theſaurariis. Quique in principio adminiſtrationis jurare teneantur, & alia facere in conſtitutione expreſſa, quæ etiam jurata exiſtit. *Ex impreſs. fol.* 36. *b.*

Conſtitutio ſuper collatione officii lectoris Theologiæ.

ALPHONSO Epiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, anno MCDXLIII. undecimâ menſis Septembris conſtituerunt & ordinârunt (alias in contrarium facientes conſtitutiones revocantes) quòd de cætero vacante lectoriæ Theologię officio in Eccleſia, ad illud aſſumatur & eligatur per dominos Epiſcopum & capitulum, canonicus ejuſdem Eccleſiæ ſi reperiatur idoneus, aliàs in defectu, presbyter Eccleſiæ Beneficiatus, aut alius de civitate vel diœceſi Valentina, qui in ſacra Theologia graduatus exiſtat, qui ſalarium dari conſuetum recipiat. Act. die & anno præfixis. *Ex impreſs. fol.* 87. *a.*

Conſtitutio, quòd unus canonicus ſtet in loco de Burjaçot, & de ejus revocatione,

HÆc conſtitutio eſt omnino abrogata per venditionem, ſive tranſportationem factam ejuſdem loci, ac poſſeſſionis de Burjaçot cum omnibus juribus ſuis in evidentem utilitatem adminiſtrationis eleemoſynæ Denconeſa, ad quam dicta poſſeſſio loci ſpectabat: prout in patentibus ſcripturis venditionis quę facta fuit anno MDLX. continetur. *Ibidem fol.* 87. *a.*

Conſtitutio, quòd procurator de Albal eligatur ad voluntatem capituli.

DOMINI de capitulo cum vicario generali Paſchale capitulum celebrantes conſtituerunt & ordinârunt, ne deinceps præpoſitus prępoſituræ vulgò dictæ *de Albal* ſit procurator dicti loci, qui eſt dicti capituli. Immò ſit, & eligatur ad voluntatem capituli, unus ex canonicis qui ad eorum beneplacitum dictam procurationem exercere debeat: & in continenti fuit unus ex canonicis ad id nominatus qui accepit. *Ex imp. fol.* 37. *b.*

Conſtitutio de oratoribus, & ſalariis.

CONSTITUTIONE decretum fuit per dominos de capitulo, ut occurrente neceſſitate de mittendo legato, ſive oratore ad curias regias, aut in alia loca, convocentur omnes canonici, qui in civitate, vel ad leucam inventi fuerint, & quòd proponatur; an mittendus ſit orator, an cauſsa ſit utilis vel neceſſaria Eccleſiæ, vel non. Idque à duabus partibus capituli determinetur; niſi ſit controverſia inter Epiſcopum & capitulum. Tunc enim an mittendus ſit orator, à majori parte capituli determinetur. De electione verò perſonæ, & quis ex canonicis mittendus ſit; à majori parte capituli fiat determinatio & electio. Salarium verò ſit canonici ſimplicis 20. ſolidorum. Di-

gni-

gnitatem verò habentis, 25. Si verò pro communibus Epiſcopi & capituli negotiis eligatur, habeat canonicus ſimplex, 25. Dignitatem autem habens, 30. De quibus verò pecuniis dicta ſalaria exigantur, voluerunt ſtari conſtitutionibus ſuper hoc diſponentibus. *Ex impreſſ. fol.* 38. *a.*

Conſtitutio, quòd canonicus ſyndicus ad curias generales miſſus deferat ſecum ſubſyndicum Eccleſiæ clericum.

ERARDO de la Marcha Cardinali & Archiepiſcopo, canonici & capitulum unà cum vicario generali conſtitutione jurata ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſi canonicus ſyndicus ad curias generales deſtinatus, voluerit ſecum deferre ſubſyndicum, hunc eligat ex Beneficiatis Eccleſiæ, dummodo ſit idoneus ad cognitionem & approbationem capituli: cui ſubſyndico provideatur de ſalario quindecim ſolidorum quolibet die ſeorſum. Act. die nona Madii, anno MDXXXII. *Ibidem.*

Conſtitutio, quòd nullus mittatur ab Archiepiſcopo ad curias generales, niſi canonicus actu prębendatus.

JACOBO Cardinali Epiſcopo, domini de capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, ut de cætero in quibuſcumque curiis generalibus ſeu particularibus celebrandis per dominum Regem, aut alium loco ejus, nulla perſona laïca quantumvis nobilis, cujuſcumque gradus aut conditionis exiſtat, poſſit quovis modo pro parte, atque ordine Epiſcopi in illis intereſſe. Quinimmo de neceſſitate quicumque ad intereſſendum in celebratione dictarum curiarum mittetur per Epiſcopum, ſit, atque eligi debeat de canonicis Eccleſiæ, ſeu de presbyteris Eccleſiæ, ſeu diœceſis Valentinæ.

Conſtitutio de modo quo eligendus eſt ſyndicus ad curias generales mittendus.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero quando ſyndicus ad curias generales erit mittendus, à duabus partibus capituli ſit eligendus, diverſus ab eo, qui prima die Madii per turnum Syndicus Eccleſiæ fuerit nominatus. Is enim nullo pacto ad curias mittendus eſt, nec in hiſce negotiis ſe intromittere debet, niſi ſpecialiter fuerit propter ejus ſufficientiam & peritiam negotiorum, ad id de novo electus. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act. 13. Novembris MDL.

Conſtitutio ſuper dietis & ſalario legationis canonici.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quicumque fuerit deſignatus orator à capitulo, ac miſſus pro negotiis Eccleſiæ in quemcumque locum, ubi Regis curiam reſidere contigerit extra regnum Valentię, intra tamen Hiſpaniæ fines, ſi fuerit canonicus, tantùm habeat pro ſalario unoquoque die, durante legatia, tres ducatos auri: hoc eſt ſexaginta ſex ſolidos; ſi autem canonicus dignitatem habens, adduntur illi juxta morem antiquum, ſingulo quoque die quinque ſolidi ultra dictos ſexaginta tres. Ac inſuper quòd tam canonico tantùm, quàm dignitatem etiam habenti canonico, ultra prædictum ſalarium, addantur etiam pro expenſis extraordinariis, quas facturus eſt, tam in diſceſſu, quàm in regreſſu, biſcentum ducati auri ſemel tantùm. Quando verò præfatus legatus iturus eſt ad curias generales in oppido Montiſoni, aut alio in loco, modo ſit extra Regnum Valentiæ, tunc canonicus tantùm habeat pro ſalario ordinario quinquaginta ſolidos, dignitatem autem habens ſimul canonicus quinquaginta quinque ſolidos. Ac etiam pro expenſis extraordinariis, ſive canonicus tantùm, ſive unà etiam dignitatem habens, accipiat centum ducatos dumtaxat. Prętera etiam ſubſyndicus quem prędictus orator debet ſecum aſſumere ad curias Regias comitem, habeat etiam pro ſuo ſalario ſingulis diebus unum ducatum auri. Quòd ſi contingat mitti hujuſmodi oratores, aut extra regna Hiſpaniæ, aut intra Regnum Valentiæ, tunc ejuſmodi ſalarii deputatio & aſſignatio arbitrio ac deliberationi capituli relinquitur determinanda. Similiter ubi neque canonicus, neque dignitatem habens fuerit orator, à capitulo determinetur ſalarium. Quę conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act. 22. Decembris, anno MDLXI. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio de perſonis mittendis ad viſitandum Archiepiſcopum noviter electum, & de ſalario eis perſolvendo.

SEDE paſtore carente, reverendum capitulum ſtatuit & ordinavit, quòd de cætero quotieſcumque per Regiam Majeſtatem fuerit deſignatus & nominatus novus Archiepiſcopus Valentinus, reverendum capitulum mittere poſſit, ac mittat, ut ęquum eſt, unicum tantùm canonicum de eodem capitulo ad Archiepiſcopum nominatum, viſitationis, atque congratulationis gratiâ, cum ſalario ordinario ſexaginta trium ſolidorum quolibet die; & ſi fuerit canonicus in dignitate conſtitutus, uſque ad ſexaginta octo ſolidos, & quòd non poſſit ampliùs quippiam habere, etiam ratione ſubventionis, ſeu donationis, aut expenſarum, aut

quovis alio titulo, ſeu colore. Quę obligatio mittendi canonicum ad viſitandum, intelligenda eſt, quando ipſe Archiepiſcopus electus reſidet intra fines Hiſpanię: extrà enim non erit mittendus canonicus orator expenſis capituli, ſeu Eccleſiæ Valentinæ. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. 7. Februarii MDLVII.

Conſtitutio de officio ſyndicatûs, & de limitatione mandati pro ſyndicis.

IIDEM ſtatuerunt, quòd ſyndico canonico, cui officium ſyndicatûs venerit prima die Madii per turnum, detur mandatum ad lites tantùm, cum poteſtate ſubſtituendi, & ſimiliter ſyndico laïco detur mandatum ad lites tantùm; daturi novum atque ſpeciale mandatum ſyndico, & ſubſyndicis, prout fuerit exigentia negotiorum. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Actum 13. Novembris MDL.

Conſtitutio de officiis mechanicis Eccleſiæ.

ALPHONSO Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum proviſerunt, quòd à modò nullus canonicus, abſque expreſſa voluntate & mandato reverendi capituli, poſſit nec valeat infimos officiarios Sedis, videlicet carpentarium, fabriferrarium, latomum ſive lapicidam, ſcoparium, & alios ejuſmodi mutare, & loco eorum adhibere alios, ſub pœna per capitulum indicenda. Act. die 2. Junii MDXIII.

Proviſio de officio lapicidę.

REVERENDI de capitulo, unà cum vicario generali proviſerunt, quòd ſalarium lapicidę Eccleſiæ, quòd vacavit per obitum alterius lapicidę, quod ſolvi ſolet à Præpoſitis Eccleſiæ, ſit applicatum, prout perpetuò applicârunt, fabricæ dictę Sedis, quæ fabrica ſive operarius recipiat illud ad opus dictæ fabricę. Act. die 30. Decembris MDXXIV.

Proviſio de non aſſignando ſalario ordinario advocatis.

EADEM die iidem domini de capitulo ſtatuerunt & proviſerunt, quòd mortuis advocatis Eccleſiæ, qui nunc ſunt, ſalarium illorum penitùs vacet, nec ampliùs ſalarium ordinarium cuiquam advocato dari poſſit, niſi quibuſvis juriſperitis, qui pro Eccleſia aut capitulo advocaverint, eiſdem non vice ſalarii, ſed pro laboribus fiat honeſta recompenſatio. Act. 20. Decembris MDXXIV.

Proviſio de non eligendo advocato.

FRATRE Thoma de Villa-nova Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum proviſerunt, quòd occurrente vacatione alicujus ex advocatis Eccleſiæ, qui numero ſunt quatuor, non fiat electio alterius advocati de novo donec omnes quatuor ceſſaverint, per obitum, aut aliàs. Quo caſu non eligantur niſi duo tantùm cum ſalario ordinario 15. librarum. quæ proviſio jurata eſt. Act. die 15. Aprilis MDXLVII.

Conſtitutio de electione, ſive acceptatione cantorum, eorumq; ſalario, & quòd augeri non poſſit.

EODEM Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & reverendum capitulum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd nominatio & acceptatio cantorum Eccleſiæ fiat præcedente convocatione, & cum fabis. Et quòd ſalarium cujuſcumque cantoris non poſſit excedere ſummam ſexaginta librarum Valentiæ, in hunc modum: ſex ſcilicet ſaccis appenſis, in quorum primo duo ſigna, in alio quatuor, in alio quinque, in alio ſex, in alio ſeptem, in reliquo vero ſexto ſacco octo deſignentur: & hujuſmodi ſic obtentum ſalarium ampliùs augeri non poſſit, neque diminui. Ad hęc quòd de cætero non poſſint fieri gratiæ, nec ſubventiones dictis cantoribus. Demum quòd volentibus ex magna aliqua cauſa, ſive occaſione præcellentis cantoris, aut aliàs, ſalarium augere, id fieri non poſſit, niſi per omnes de capitulo unanimes & concordes, ac nemine diſcrepante. Exceptis tamen præſentibus, qui nunc Eccleſiæ deſerviunt cantoribus, penes quos augendi una vice tantùm facultatem ſibi capitulum retinuit. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. 4. Julii MDLIII.

Conſtitutio ſuper augmento ſalarii cantorum, & officialium Eccleſiæ.

HÆc conſtitutio quæ edita fuit à reverendo capitulo, ſub dat. 18. Junii MDLXII. continet ſalaria quę dantur cantoribus, non in genere, ſed certis cantoribus Eccleſiæ nominatis: & continet multa membra, & particularia ſtatuta, quæ ſingula enarrare eſſet ſuperfluum & inutile: ideo curioſo habeatur recurſus ad illam in ipſo libro conſtitutionum manuſcriptarum. Act. dicta dia, menſe, & anno prædictis, Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio, quòd cantores & tibicines Eccleſiæ Valentinæ, non exerceant officium extra Eccleſiam, niſi de licentia, & qui appunctentur propter abſentiam.

SEDE paſtore carente, domini de capitulo proviſerunt & ordinârunt, quòd cappella cantorum & miniſtrilium dictorum, aut pars aliqua dictæ cappellę, nec aliquis ejus ſingularis cantor, ſeu miniſtrilis, de cętero non poſſit ullo tempore diebus feſtivis, nec feriatis, die aut nocte cantare, neque perſonare in aliqua Eccleſia, monaſterio, ſeu alio quocumque loco, conjunctim vel diviſim, nec à Sede exire ad alias Eccleſias ad cantandum, abſque expreſſa licentia petita & obtenta à reverendo domino vicario generali capitulari, ſub pœna unius aurei à dictis cantoribus & miniſtrilibus, ſine remiſſione exigenda, & fabricæ ſedis applicanda. Atque ut meliùs ſupradicta obſervari debeant, voluerunt, quod prædicti cantores & miniſtriles appũctentur per eum qui à capitulo deſignabitur. Et quod abſentes abſque cauſa legitima, pro quolibet puncto in quo defecerint, ſolvant unum ſolidum præfatæ fabricæ, ad arbitrium vicarii generalis, qui ex nunc ſit perpetuus utrorumque muſicorum magiſter cappellę. Actum die 5. menſis Novembris MDLXVIII. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Ordinationes per reverendum ſubſacriſtam ſedis Valentinę ſervandæ.

HÆ ordinationes offerri ſolent ſubſacriſtæ Sedis ad officium ſuum exercendum, quas de bene & legaliter obſervandis tenetur jurare, & idoneos fidejuſſores ad id dare, prout in libro conſtitutionum ſub hoc titulo latiſſimè continentur: ad quas habeatur relatio. Act. 14. Decembris, anno MDLVIII.

Conſtitutio contra procuratores petentes à reverendo capitulo dilationem ad ſolvendum.

EODEM Franciſco Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd omnes clerici & Beneficiati, qui hactenus officia, ſeu procurationes Eccleſię habuerunt, ſeu in poſterum obtinebunt, qui pacta & conventiones cum reverendo capitulo fecerunt, ſeu de cætero facere attentabunt, ad effectum, ut temporis prolongationem ad ſolutionem eorum quæ apud ſe reſidua fuerint, impetrent, tales ipſo facto inhabiles ſint & incapaces ad quodcumque officium, ſeu procurationem in Eccleſia de cętero obtinendam. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act. 16. menſis Aprilis, anno MDLX.

Conſtitutio de procuratoribus majoribus eleemoſynæ duplarum, & anniverſariorum, denarii minuti, & adminiſtrationis de Perellos, quæ præſtare debeant, ut ſequenti anno admittantur ad eadem officia.

MARTINO de Ayala Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero nullus Beneficiatus qui aliquod ex quatuor officiis ſive adminiſtrationibus procuræ majoris, duplarum, & anniverſariorum, denarii minuti, necnon Melchioris de Perellos, obtinuerit, admitti poſſit, neque admittatur ad aliquod ex prædictis officiis iterum adminiſtrandum, neque per ſe, neque per interpoſitam perſonam, niſi prius computum & rationem reddiderit obtenti ſui antea officii, & adminiſtrationis, atque ab eis omnino abſolutus & definitus fuerit. In aliis verò officiis, & adminiſtrationibus Eccleſiæ ſervetur ordo antiquus juxta conſtitutiones Eccleſiæ. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act. die nono menſis Aprilis, anno MDLXV. Joanne Alamany notario & ſcribâ.

Conſtitutio circa officium ſcribæ, atque notarii capituli.

HÆC conſtitutio quæ edita fuit die decima Aprilis, anno MDXX. ab honorabili capitulo, Sede paſtore carente, continet aliam conſtitutionem domini Vitalis Epiſcopi, in qua recenſentur ea quæ competunt officio & exercitio ſcribæ, ſive notarii reverendi capituli, & quæ præſtare & jurare teneatur dictus ſcriba. Quæ conſtitutio de novo per præſentem confirmatur: ac etiam præcipitur, ut libri, & protocolla arrendamentorum jurium decimalium, tam domini Archiepiſcopi, quàm capituli, & præpoſiturarum, & adminiſtrationum Eccleſię, reponantur in archivo Sedis & capituli: necnon mandatur eidem ſcribæ capituli, vt ſupradicta omnia arrendamenta recipiat ipſe tam pro parte Archiepiſcopi, quàm pro parte capituli, & aliorum. Poſtremò ſalaria quæ eidem competunt, & à quibus recuperare illa debeat, & quota vel quanta pars ſit, quam ab unoquoque, ſcilicet, Archiepiſcopo, capitulo, Dignitatibus, Præpoſituris, & adminiſtrationibus debeat ſcriba recipere, in ea ipſa conſtitutione ſpeciatim continetur. Act. die, menſe, & anno præfixis.

Conſtitutio, quòd officia albaranorum, & murorum, non ad clerum, ſed ad canonicos exerceri ſpectent.

IDEM ordinârunt & proviſerunt, quòd neque ſyndicus, ſeu procurator cleri Valentini, neque totus ipſe clerus, poſſint aliquem ad regendum, ſeu exercendum officium muro-

rum & albaranorum eligere, ac præficere: cùm dictorum officiorum electio, nominatio,& regimen ad Epiſcopum & capitulum tantùm ſimul & communiter ſpectent, ac omnino pertineant. Acta fuerunt tertia die menſis Auguſti, anno MCCCXCII.

Conſtitutio de modo recipiendi capſou *per canonicum impoſitorem.*

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum attendentes, quòd cùm à tempore immemorabili inſtitutum fuerit, quòd canonicus, cui per turnum competit officium, vulgò *de la impoſicion*, ut aſſiſtat in loco, & horis,quibus per arrendatores civitatis, *de la ſiſa* dictos, clericis, ac religioſis fit recompenſatio impoſitionis *de la ſiſa*, ut unicuique fiat vera & juſta reſtitutio, neque de ſuo cuiquam detrahatur; ideoque prefatus canonicus pro labore ſuo & aſſiſtentia à ſimili & immemorabili tempore habeat, & recipiat, ut vulgò dicunt, *el capſou*; ſtatuerunt & ordinârunt, quòd juxta ordinem, & antiquum modum in hac ipſa conſtitutione expreſſum, & vetuſto computandi uſu receptum, dictus dominus canonicus impoſitor teneatur obſervare præfatum uſum in exigendo *capſou* uſitatum,modo & forma prænarratis in præſenti conſtitutione, ad quam habeatur recurſus. Et quòd canonicus impoſitor tempore electionis officii teneatur jurare ſe illam omnino obſervaturum. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Actum 15. Octobris MDXLVIII.

Cenſtitutio, quando ſit ſalarium ſolvendum canonicis Rationalibus.

EODEM Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero canonici Rationales pro tempore exiſtentes, non poſſint habere ſalaria dicti officii, niſi computato libro, & facta definitione: quòd ſi procuratores ſolverint ante tempus, talis ſolutio eiſdem non admittatur. Ideoque mandârunt, quòd procuratores adminiſtrationum jurent de non ſolvendo dicta ſalaria, antequam ſupradicta fiant. Act.die 3. Aprilis MDXLVIII.

Conſtitutio ſuper electione ſyndici, ad negotia ſtamenti, & brachii Eccleſiaſtici pertractanda.

ILLUSTRISS. ac Reverendiſs. D. D. Joannes de Ribera Archiepiſcopus, unà cum reverendo capitulo Valentino, attendentes, quòd ab immemorabili tempore officium ſyndicatûs capituli, non ſolùm totius cleri civitatis & diœceſis, ſed totius etiam ſtamenti, & brachii Eccleſiaſtici univerſi regni Valentini, annexum habet ſyndicatûs officium,atque utrumque plenè exercet unus capitularis Eccleſiæ canonicus, cui per turnum illud obvenerit: ſed quia ob tantum negotiorum pondus, & multitudinem, quæ ſuſtinet, ſæpè accidit, ut niſi cum magna negotiorum jactura & detrimento, utrumque ſolus exerceat; iccircò provid è ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero ultra ſyndicum capituli unoquoque anno per turnum eligendum, eligatur etiam alter de gremio ejuſdem capituli in ſyndicum, ad negotia dicti brachii, ſive ſtamenti Eccleſiaſtici, extra curias tantùm gerenda; ejuſque electio fiat modo & forma, atque cum ſolennitatibus in præſenti conſtitutione expreſſis. Cùm hoc tamen quòd ſyndicus capituli per turnum nominatus, teneatur quolibet anno ſubſtituere ad negotia dicti brachii, ſive ſtamenti, præfatum electum ſtamenti ſyndicum, ſeu ab eo nominandum, caſu quo idem electus perſonaliter deſervire noluerit, prout in conſtitutione latiùs continetur. Electionem verò ſyndici, qui in curiis regiis, tam generalibus,quàm particularibus celebrandis interveniat & aſſiſtat, capitulum penes ſe reſervat faciendam de uno etiam ex canonicis dicti capituli, conferendo ei plenam poteſtatem ad interveniendum & aſſiſtendum, juxta aliàs editam conſtitutionem. Quem etiam electum prædictus ſyndicus capitularis per turnum nominatus (vtpote penes quem ſemper reſidet univerſa officii facultas) teneatur ad cautelam ſubſtituere. Niſi tamen idem ſyndicus per turnum nominatus denuò eligatur ad curias mittendus. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act 24. Martii, anni MDLXXVI. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Revocatio ſyndicatûs cleri Valentini.

JACOBUS Cardinalis, Sabineníis Epiſcopus, & adminiſtrator Epiſcopatûs Valentini,unà cum honorabili capitulo, die 18. Januarii, anno MCCCXCVI. attendentes, quòd aliàs vigore quorundam capitulorum, ſive ſupplicationum, per quoſdam presbyteros & clericos civitatis,pro parte cleri, rectorum, vicariorum, Beneficiatorum, & aliorum presbyterorum civitatis & diœceſis Valentinæ, interpoſitarum in eorundem favorem, & ab eodem Epiſcopo, ſeu vicario generali, vel officiali admiſſarum, tot ſcandala, inſolentiæ, & conſpirationes inſequutę fuere contra poteſtatem & juriſdictionem Ordinarii,& aliorum ſuperiorum Eccleſiaſticorum; propterea quòd vigore dictorum capitulorum præfati curati, presbyteri, & alii Beneficiati civitatis & diœceſis Valentinæ, fecerunt, & tenuerunt ſyndicum, & certos nominatos deputato s à clero, quin & burſam ſive arcam communem, indeque congregationes, parlamenta, & ſecreta concilia celebrârunt; variis juramentis ſe ad illicita, & quodammodo manipolia adſtringentes; multa quotidie peſſima & illicita mala ad ſubvertendam religionem, & perdendam rempublicam Eccleſiaſticam machinabantur; iccircò impiæ illorum malitiæ occurrentes, maturo conſilio, & ſana delibera-

beratione prœmiſſis, omnem facultatem, ſeu licentiam faciendi vel inſtituendi ſyndicum, deputatos, arcam, vel burſam communem tenendi, vel alia quæcumque, quę ſaperent congregationem, collegium, Univerſitatem, vel corpus, dictus dominus Epiſcopus, de, & cum conſilio honorabilis capituli præſentis, revocavit, caſſavit, infirmavit, & annullavit, ac nullius exiſtere firmitatis decrevit. Mandantes univerſis & ſingulis curatis, presbyteris, & aliis clericis, præſentibus & futuris, ſub pœna carceris ad decem annos, & quinquaginta marcorum argenti, quatenus exinde in eorum cauſſis, & quæſtionibus, vel aliis quibuſcumque actibus, dicto vocabulo ſyndici, aut alio æquivalente, non utantur, vel per ſyndicum eorum negotia gerant, aut deputatos habeant; arcam vel burſam communem teneant, congregationes, parlamenta, ſive concilia, publicè ſive occultè celebrent, vel alia faciant, quæ videantur ſapere collegium, Univerſitatem, vel corpus, abſque Epiſcopi & capituli expreſſa & ſpeciali licentia & permiſſu. Quam dare non negârunt ſuis caſibus utilibus, neceſſariis, & de jure permiſſis, prout Epiſcopo & capitulo requiſitis, debitè videbitur faciendum. Quam conſtitutionem revocationis idem Epiſcopus & capitulum perpetuò obſervandam jurârunt, ac publicum de ea confici inſtrumentum mandârunt. Act. Valentiæ in palatio Epiſcopali, die, menſe, & anno præfatis, *Ex impreſs. fol.* 120. *b.*

TITULUS UNDECIMUS

De his quæ ſpectant ad fabricam, aut alia jura Eccleſiæ.

Conſtitutio, per quam excommunicantur Eccleſiæ debitores.

RODERICO Cardinali, & Epiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, Paſchale ac generale celebrantes, anno MCDLXXVII. die 11. Aprilis, ſtatuerunt, & ordinârunt, quòd de cætero canonici & clerici qui fuerint adminiſtratores pecuniarum adminiſtrationum Eccleſię, & comperti fuerint debitores dictarum adminiſtrationum, quòd non gaudeant officiis dictæ Eccleſiæ donec plenariè ſatisfecerint.

Item die 16. Aprilis, anno MCDLXXIX. Idem capitulum adjicientes conſtitutioni, ſtatuerunt, quòd ſi aliquis ex dictis adminiſtratoribus, tam canonicis, quàm clericis, infra annum rationem non reddiderit, preſumatur debitor, & ad officia non admittatur. Et ſi debitor fuerit, & officium acceperit, vel adminiſtrationem, intra menſem teneatur ſolvere quicquid debuerit, alioqui privetur officio, & ſolvat debita, ſub pœna excommunicationis: quam ſententiam, renitentes ſolvere, & debitores ſeſe officiis immiſcentes, ipſo facto incurrant. Act. die, menſe, & anno præfixis. *Ex impreß. fol.* 92. *a.*

Conſtitutio contra non reddentes computa ſuarum adminiſtrationum.

EODEM Roderico Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo anno MDXXI. menſis Aprilis, addentes præcedenti conſtitutioni, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd abinde tenens aliquam adminiſtrationem, ſive procurationem Eccleſiæ, ſive ſit canonicus, ſive Beneficiatus, per duos annos à die ſuæ procurationis computandos, non poſſit acceptare aliquam ex dictis adminiſtrationibus, neque ei per capitulum concedi, niſi infra duos dictos annos dederit computum & rationem ſuæ adminiſtrationis, & ſolverit totum id quod adminiſtrationi debuerit, & fuerit abſolutus & definitus à reverendo capitulo in forma ſolita, atque omni cum effectu. Quæ conſtitutio irrevocabilis eſt uno contradicente. Act. menſe & anno prædictis. *Ex impreß. eod. b.*

Proviſio contra collectores adminiſtrationum Eccleſiæ.

REVERENDI domini de capitulo proviſderunt, quòd omnes procuratores adminiſtrationum Sedis teneantur plenè facere diſcuſſionem & executionem contra omnes emphyteutas cenſuum ſive cenſualium, prout eis tanget, & de cenſibus ſive cenſualibus *nihils* nuncupatis. Hoc ſi facere recuſaverint, non admittantur eis in computum, ſed remaneât ad eorum onus, donec fecerint dictam diſcuſſionem & executionem, per quas conſtiterit dictos emphyteutas non eſſe ſolvendo. Quo caſu admittantur adminiſtratoribus legitimè factę expenſæ. Actum die 10. Decembris MDXIII.

Conſtitutio, quomodo canonici & Beneficiati debent compelli ad ſolvendum debita Eccleſiæ.

CÆSARE Cardinali Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum univerſo capitulo, die 12. menſis Auguſti, anni MCDXCII. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cętero quicumque canonicus, ſive Beneficiatus Eccleſię, ad quem pertinet exactio ſive collectio debitorum, quę quivis ex canonicis debet, & in poſterum debebit Eccleſiæ, teneatur intimare procuratoribus diſtributionum canonicalium, & dominorum præpoſitorum, ad quos pertinet ſolvere menſatas canonicis, quatenus retineant penes ſe dictas menſatas in principiis ſingulorum menſium, & ratione veſtuarii in prima die Madii, tamdiu, & quouſque de debitis prædictis Eccleſiæ fuerit ſatisfactum. Et eas pecuniæ quantitates penes ſe retentas, ipſis ad quos exactio ſive collectio dictorum debitorum pertinet, ſolvere teneantur. Alioqui ſi exactor, ſive collector ex negligentia non intimaverit, & poſt-

ea conſecuta morte canonici, debitoris debita ſoluta non fuerint, neque ſit unde ſolvantur; tali in caſu collector de ſuis bonis prædicta debita ſolvere teneatur. Idem ſtatuerunt in procuratoribus qui poſt factam intimationem, penes ſe portiones non retinuerint, & exactoribus, ſive collectoribus illas non ſolverint. Acta die, menſe, & anno prefatis. *Ex impreß. fol.* 93. *b.*

Conſtitutio, quo ordine debet procedi contra debitores fabricæ Eccleſiæ.

RODERICO Cardinali, & Epiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo Paſchale celebrantes ſtatuerunt & ordinârunt, quòd debitores qui jam debere comperti ſunt, quique admoniti, quòd infra ſex menſes perſolvant fabricæ debitum, neglexerint, neque ſolverint cum effectu elapſo termino, excommunicationem latæ ſententiæ incurrant, & quòd aliis quoque juris remediis contra eos agi poſſit. Ac inſuper ſtatuerunt, quòd ad præpoſituram ſeu dignitatem nemo admittatur, niſi dederit fidejuſſores, qui ſe obligent ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſolvere fabricam infra tempus conſtitutum ex forma conſtitutionum. *Ex impreß. fol.* 94. *a.*

Conſtitutio de redditibus acquirendis fabricæ propter vacationem.

IIDEM Epiſcopus & capitulum ſtatuerunt, quod à modò vacantibus ubicumque dignitatibus, perſonatibus, præbendis, præpoſituris Eccleſiæ, rectoriis, & vicariis perpetuis, & aliis Beneficiis quibuſvis Sedis, vel diœceſis Valentinæ, dummodo ſimplicia non fuerint, vel etiam pro defunctis inſtituta, vel etiam per permutationem vacantia, ſi taxata in decima fuerint, habeat fabrica dictæ Eccleſiæ primo anno vacationis taxationem, pro qua decimam ſolvere conſueverunt. Si verò non fuerint in decima taxata, habeat dicta fabrica fructuum ac reddituum primi anni medietatem. Adjicientes, quòd ſi dignitates, perſonatus, præpoſituras, præbendas, vel alia Beneficia ſuperiùs ſpecificata, quis forſan ex collatione Apoſtolica obtinuerit, eo caſu medietatem taxæ ſolùm fabricæ ſolvere teneatur: qua collatione excepta, qui alioqui Beneficia obtinuerit, præmiſſæ fabricæ integram taxam ſolvat, ac ſine diminutione aliqua eidem acquiratur. *Ibidem b.*

Confirmatio Apoſtolica ſuperioris conſtitutionis in favorem fabricæ.

HÆC conſtitutio eſt confirmata, auctoritate Apoſtolica per Benedictum Papam XIII. ſub dat. Perpiniani Elnenſis diœceſis 14. Kalendas Julii Pontificatûs ſui anno quindecimo.

Conſtitutio, quòd in permutationibus Beneficiorum ſolvatur fabricæ annata pro inæqualitate valoris.

LUDOVICO Cardinali electo Epiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo ſtatuerunt & ordinârunt conſtitutione jurata, quòd ratione factarum permutationum de quibuſcumque dignitatibus, præbendis, præpoſituris, rectoriis, vicariis perpetuis, & aliis Beneficiis in præcedenti conſtitutione contentis, cum quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus ejuſmodi Beneficiis, ſi permutatorum valores ſint inæquales; totum illud, in quo unum alteri excedit, excedens fabricæ ſolvere teneantur: debentque titulati exceſſum ſolvere fabricæ, ad inſtar camerę Apoſtolicæ, cui pro quantitate diſſimili valoris dignitatum, & Beneficiorum, de quibus fit permutatio, ſolvitur exceſſus. *Ex impreß. fol.* 94. *b.*

Conſtitutio, qualiter debeant reddditus dividi rectoris vel cappellani defuncti cum ſucceſſore: & in qua die incipit annus.

EPISCOPUS & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd decedentibus Eccleſiarũ rectoribus, ſeu vicariis perpetuis, quid ſuper proviſione ſucceſſoris agendum ſit, qualiterque redditus inter mortuum & vivum ejuſdem anni dividi habeant, ad conſtitutionem provincialem Tarraconenſem remittatur. In cappellaniis verò Sedis, & Eccleſiarum civitatis, ſeu diœceſis Valentinæ, quomodocumque eas per mortem, renunciationem, permutationem, aut aliàs vacare contigerit, inter prędeceſſorem & ſucceſſorem ſic redditus & cenſualia dividantur: videlicet quòd computentur redditus & cenſualia totius anni quo vacaverint. Qui annus incipiat in Kalendis Madii, & dividantur inter prædeceſſorem & ſucceſſorem pro rata temporis illius anni quo quilibet fuit ipſius cappellanię poſſeſſor: ita quod redditus ſive cenſualia, quæ fuerint prima die Madii, tempus & ſervitium ipſius cappellaniæ futurum ſemper reſpiciant, non pręteritum. *Ex impreß. fol.* 95. *a.*

Declaratio virtute Bullæ Martini Papæ in favorem Eccleſiæ Valentinę.

DECLARATIO facta per Abbatem Sancti Bernardi, tamquam executorem Bullæ Martini Papæ IV. quòd per reductionem taxationis Beneficiorum Eccleſiaſticorum ad decimam, factę per dominum Dalmatium Archiepiſcopum Tarraconenſem, auctoritate Apoſtolica, non fuit prejudicatum annatis fabricæ Sedis Valentinæ, quin potiùs quoad hujuſmodi annatas fabricę taxa Beneficiorum remanet in ſuo antiquo valore ſeu æſtimatione. Quę Bulla fuit ſub dat. Romę tertio Idus Decembris, Pontificatûs ejuſdem anno decimo.

Dat.

Dat. executionis Bullę fuit in monaſterio Sancti Bernardi extra muros Valentię 16. menſis Novembris, anno Domini MCDXXVIII. *Ibidem b.*

Similis declaratio virtute Bullę ejuſdem Martini Papę IV. in favorem annatarum canonicorum Sedis.

FIT etiam ſimilis declaratio virtute Bullę Martini, quòd per reductionem taxationis decimę Beneficiorum ad decimam factam per D. Dalmatium Archiepiſcopum Tarraconenſem, non prejudicetur annatis canonicorum Sedis, neque conſtitutioni antiquę ipſorum, ejuſque continuato uſui & obſervantię, neque eis fuiſſe in aliquo derogatum; perinde ac ſi reductio prædicta taxationis à Dalmatio facta non fuiſſet. Quæ dat. fuit Romę tertio Idus Decembris, Pontificatûs ſui anno decimo. Proceſſus ſuper executione Bullę ab eodem Abbate Sancti Bernardi fuit decretus in dicto monaſterio Sancti Bernardi extra muros Velentię, die 16. Novembris, anno Domini MCDXXVIII. *Ex impreſ. fol.* 98. *a.*

Conſtitutio, quòd neque ſcriba neque miniſtri teneantur ſuccumbente canonico aut Dignitate, reſtituere ſalaria, neque etiam capitulum cappam, neque jura fabricę, elapſo anno poſt receptionem.

ERARDO de la Marcha Cardinali, Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo xxiij. Aprilis, anni MDXXXIV. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd ſi alicui fuerit capitulariter tradita poſſeſſio dignitatum, canonicatuum, aut præpoſiturarum Eccleſiæ, etiamſi poſtea in juribus ſuis ſuccumbat, amittatve poſſeſſionem, nihilominus ſcriba, convocatores, & ſcholares, & alii miniſtri Eccleſiæ, minimè reſtituere teneantur id, quòd ratione ſui præſtiti officii in præfata poſſeſſione lucrati fuerunt & receperunt, immò eorum ſalaria integrè ſolvantur toties quoties poſſeſſio tradetur. Ac etiam ſi contingat ejuſmodi poſſeſſionem adeptam per annum integrum poſſediſſe, attento quòd ex poſſeſſione annua totidem fructus percipit: ac ne Eccleſiæ fabrica ſuis defraudetur juribus, cappam, neque mediam annatam, neque aliud quippiam Eccleſia teneatur reſtituere: ſed illud Eccleſiæ cedat. Quę conſtitutio jurata eſt. Act. die, menſe, & anno præfixis. *Ex impreſ. fol.* 115. *a.*

Conſtitutio ſuper receptione annatarum Eccleſiæ.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero ſuboperarius Eccleſiæ non poſſit recuperare aliquam annatam ex Beneficiis vacantibus, niſi in præſentia domini operarii canonici, ejuſque abſentiâ, in præſentia domini vicarii generalis capitularis, aut canonici antiquioris reſidentis. Et quod partitas, quas receperit in libro ſuboperarii, notet ſcriba capituli & operarius, ſeu præfati alii ſubſcribant illas. Si ſecus fecerit operarius, multetur pœnâ viginti quinque librarum fabricæ applicandâ: quodque ſuboperarius in ingreſſu officii teneatur jurare hanc conſtitutionem. Quam revocari non poſſe decreverunt, uno contradicente. Act. die quinta Septembris MDLII.

Conſtitutio, ex qua parte teneatur operarius reſpondere ornamentis Eccleſiæ.

EPISCOPUS & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd à modò de omni pecunia, ſeu alia re, quæ obvenerit fabricæ Eccleſiæ, operarius illam recipiens, quintam partem adminiſtratori ornamentorum tradere teneatur, ut ſacerdotalia inde ornamenta fiant. *Ex impreſ. fol.* 95. *a.*

Proviſio, quòd procuratores ornamentorum recipiant jura ſua in poſſeſſionibus dignitatum.

DOMINI de capitulo providerunt & mandârunt, quod abinde procuratores ornamentorum non recipiant, neque retineant penes ſe pecunias ſolutas per accipientes poſſeſſiones dignitatum, canonicatuum, & præpoſiturarum in eorum ingreſſu, ſed dictæ pecuniæ reponantur in continenti in communi theca, & in libro majori computorum Eccleſiæ: & cautelæ firmentur à reverendo capitulo ſolventibus dictas pecunias. Act. die prima Decembris MDXV.

Conſtitutio, quòd nullus admittatur ad poſſeſſionem, niſi priùs oſtendat titulos in publica forma.

FRANCISCO de Navarra Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum capitulo cõſtituerunt & ordinârunt, quòd de cætero nullus proviſus de canonicatu, & præbenda, vel dignitate Sedis admittatur ad poſſeſſionem eorumdem, niſi priùs de titulo, ſeu collatione, & proviſione illorum, in publica & authentica forma, fidem atque oſtenſionem fecerit. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. 23. Octobris MDLVIII.

Conſtitutio de non commodandis extra Eccleſiam pannis auri, & aliis ornamentis ſacriſtiæ.

ERARDO de la Marcha Cardinali Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero ſubſacriſta Sedis non poſſit commodare cuiquam extra Eccleſiam pannos auro contextos, neque cappas, neque pallia, neque veſtimenta ſacra, neque alia quæcumque Eccleſię & ſacriſtię ornamenta aurea, ſive ſerica, etiam in partes ſecata, ad opus ornandi & palliandi monumenta, ſeu Eccleſias, exceptis

ceptis pannis *de brocat*, qui Eccleſiæ donati ſunt à Chriſti fidelibus, retenta ſibi facultate de repetendis illis certis diebus anni, præſertim in feſto omnium Sanctorum pro ſepulturis ſuis. Quę conſtitutio facta eſt irrevocabilis, uno contradicente. Act. 27. Aprilis MDXXXVI. *Ex impreſſ. fol.* 88. *b.*

Conſtitutio de non extrahendis pannis de raz *dictis, extra Eccleſiam.*

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd tapetes, ſeu panni *de raz* octo, quos idem Illuſtriſs. D. Thomas de Villa-nova Archiepiſcopus in honorem ſeptem gaudiorum cum octavo myſterio, apud Flandros, ſuis propriis ſumptibus fieri curavit, atque Eccleſię ſuę Valentinę, tanquam ſponſę, perpetuò dono dedit, pro eorum conſuetudine, nequaquam de cętero detrahi, neque commodari cuiquam poſſint extra Eccleſiam, ſub graviſſima excommunicationis pœna, in contrafacientes, aut ullo modo procurantes. Quę conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. die viceſima Junii MDLIV.

Conſtitutio de pannis de brocat, *quibus commodari poſſint.*

ALPHONSO Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, decreverunt, & ad tollendos abuſus ſuper accommodatione pannorum, ſtatuerunt, quòd de cętero panni auro contexti, ſive *de brocat* dicti, commodentur aliis extra Eccleſiam, niſi tantummodo canonicis rectorias intra civitatem poſſidentibus, ad opus ornandi ſive palliandi Eccleſias prędictas, diebus quibus celebratur feſtum invocationis illarum; necnon pannum unum ad ſepulturam reverendiſſimi domini Cardinalis Montis-Regalis, Io. Caſtella dicti, quolibet anno in feſto omnium Sanctorũ, & commemorationis omnium defunctorum. Act. 1. Novembris MDXIII.

TITULUS XII.

De his quæ ſpectant ad immunitatem Eccleſiæ.

Bulla Eugenii Papæ de præferendis naturalibus in aſſecutione Beneficiorum, extraneis.

HÆC Bulla continet conceſſionem, ſive indultum Eugenii Papæ, per quam concedit oriundis ex civitate & diœceſis Valentina, quòd in proviſione, ſive collatione dignitatum, canonicatuum, perſonatuum, adminiſtrationum, & aliorum quorumcumque, cum cura vel ſine cura Beneficiorum Eccleſiaſticorum facienda, auctoritate ordinaria per Epiſcopum, & alios quoſcumque inferiores collatores, prędferantur præfati oriundi naturales in hujuſmodi aſſecutione, aliis quibuſvis clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis de civitate prædicta non nativis. Ac propterea præcipit, ut Epiſcopus & capitulum Valentinum teneantur præferre naturales extraneis in collatione Beneficiorum. Non obſtantibus quibuſcumque, &c. ſub dat. apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ MCDXXXV. Idibus Martii, Pontificatûs ejus anno primo. *Ex impreſſ. fol.* 118. *b.*

Tranſumptum epiſtolæ Margaretæ Reginæ Aragonum ad Epiſcopum & capitulum miſſæ, unà cum certis Sanctorum reliquiis.

HANC epiſtolam, quæ vulgari Catalonico idiomate ſcripta eſt, Margareta Regina uxor ſereniſſimi Martini Regis Aragonum, &c. ſcripſit ad Epiſcopum & capitulum Valentinum, à quibus fuerat tunc precibus exorata, ut aliquot ſanctorum corporum reliquias Eccleſiæ Valentinæ communicaret: ad quos reſpondens ipſa humaniſſimè, ſimul dono dedit, ac miſit in reliquiis duos articulos digitorum beati Lucæ Euangeliſtę. Item os quoddam corporis beati Matthiæ Apoſtoli. Item particulam pellis beati Bartholomęi Apoſtoli. Item partem veli beatiſſimę matris Mariæ Virginis: de quibus reliquiis teſtificatur ipſa penes ſe retinere in archivis regiis repoſitas literas Apoſtolicas de veritate dictarum reliquiarum ad prędfatum Martinum Regem, ejus virum, unà cum dictis reliquiis miſſas. Demum ſe, ac Regem, ob maximum, quem ambo gerebant affectum & devotionem erga Eccleſiam Valentinam, ejuſque continua & devota ſacrificia, valdè commendat. Dat. fuit in oppido de Prades Principatûs Cataloniæ Vicenſis diœceſis, die 11. Junii, anni MCDXX. *Ex impreſſ. fol.* 123. *a.*

Bulla Paulli III. confirmatoria gratiarum Eccleſiæ Valentinæ conceſſarum.

PAULLUS Papa III. prędfenti Bulla confirmat auctoritate Apoſtolica omnes libertates, exemptiones, immunitates, facultates, gratias, conceſſiones à Calliſto IV. Xyſto IV. Innocentio VII. & Julio II. ac aliis Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alia indulta, Eccleſiæ Valentinæ, ſive ejus benefactoribus conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus, ab aliiſque, Eccleſię & capitulo rationabiliter indultas, &c. Dat. Romæ anno Incarnationis Dominicæ MDXLV. quarto nonas Julii, Pontificatûs ejuſdem anno decimo.

Conſtitutio, quòd nullus notarius poſſit recipere acta intus Eccleſiam.

DOMINI canonici & capitulum, die 28. Madii MCDXII. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd notarius quacumque auctoritate fungatur, contractus intus Eccleſiam recipere non valeat, ſub pœna excommunicationis; qua ipſa pœna innodentur clerici inſtantes tales contractus, demptis tamen actibus capitularibus, & qui concernunt Eccleſiam, dum tamen fiant intus capitulum, vel ſacriſtiam, *Ex imp. fol.* 86. *b.*

Bulla per quam in Eccleſia tempore interdicti poſſunt admitti ad divina advocati, ſyndici, & ſcribæ.

BULLA Martini Papæ, ad petitionem honorabilis capituli obtenta, quâ advocati, ſyndici, & ſcribæ ejuſdem capituli & Eccleſiæ, uſque ad numerum decem dumtaxat, tempore, quo civitas eſt Eccleſiaſtico, tam ordinario, quàm Apoſtolico interdicto ſuppoſita, admitti poſſunt ad divina, & Eccleſiæ ingreſſum habere, in eaque Miſſas, & alia divina officia celebrare, aut facere celebrari, dummodo advocati, ſyndici, & ſcribæ prædicti cauſſam non dederint interdicto. Sub dat. Romæ idibus Octobris Pontificatûs ejuſdem anno octavo. *Ibidem.*

Conſtitutio ſuper confugientibus ad Eccleſiam.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & capitulum, addentes conſtitutioni editæ 29. Februarii, MDXLIX. ſtatuerunt & ordinârunt quædam ſtatuta & decreta circa confugientes ad Eccleſiam, quæ quoniam varia & multa ſunt, ac neque in præſentiarum in uſu, ſed penitùs abrogata; intermittenda eſſe cenſentur, curioſo tamen ad ipſam erit recurſus. Actum 31. Julii MDLIII.

Conſtitutio de non recipiendis confugientibus ad Eccleſiam in capitulo, nec in ſacriſtia, ſed in locis ad id deputatis.

FRATER Thomas de Villa-nova Archiepiſcopus, unà cum honorabili capitulo, die 29. Februarii, anni MDXLV. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero confugientes ad Eccleſiam nullatenus recipi, nec hoſpitari valeant in loco capitulari, neque in ſacriſtia, neque in aliqua ex cappellis Eccleſiæ, neque in ſacriſtiis dictarum cappellarum; ſed ſi confugientes ſint Comites, Barones, nobiles, ſeu milites, aut cives, recipiantur in cameris campanarii: ſi verò plebeji fuerint, in quadam camera, per nos in foſſareto ad hoc deputata: qui confugientes plebeji ſtent clauſi, ita quòd nullo modo per Eccleſiam incedant. Quæ conſtitutio irrevocabilis eſt uno contradicente. Act. die, menſe, & anno præfixis.

TITULUS XIII.

De anniverſariis.

Conſtitutio de collectoribus anniverſariorum, & eorum ſalario: & de privilegio altaris cappellæ majoris.

RAYMUNDUS Epiſcopus cum honorabili capitulo conſtitutione circa regimen anniverſariorum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd duo collectores anniverſariorum eligantur per Epiſcopum & capitulum, aut illo abſente, per capitulum ſolum. Qui collectores electi ad diſtribuendum anniverſaria, nec eligant, nec evocent ſuccentores, nec hebdomadarium illius ſeptimanæ ad anniverſarium, ſeu proceſſiones, dum Miſſa, Veſperæ, vel aliud divinum officium in choro Eccleſiæ celebretur. Quin & alia multa ad celebrationem anniverſariorum ſtatuerunt, quæ partim uſu antiquata ſunt, partim immutata; ſed quæ nunc exſtant in libris dictorum collectorum conſcripta, tenenda ſunt, ad illoſque eſt habenda relatio. Demum eâdem eſt conſtitutione cautum, ut in altari majori nullus cantet, niſi ſit canonicus, vel hebdomadarius Eccleſiæ, vel cappellanus de alba, vel presbyter novus, vel canonicus alterius Eccleſiæ cathedralis, vel Prior, vel Abbas, vel Guardianus, ſub pœna ibi expreſſa. Act. in capitulo Paſchali. Idibus Aprilis, anno MCCCLII. *Ex impreſſ. fol.* 103. *b.*

Conſtitutio, quòd fructus Beneficii vacantis per dimidium anni accreſcant anniverſariis.

IIdem decreverunt, quòd de cætero decedente aliquo ex Beneficiatis, ejus Beneficium vacet per dimidium anni, indeque procedentes fructus ejus convertantur in emendis redditibus pro anniverſariis Eccleſiæ pro fidelibus defunctis. *Ex impreſſ fol.* 104. *b. Hæc conſtitutio non eſt in uſu.*

Conſtitutio de recuperandis mediis annatis Beneficiorum quæ pertinent ad anniverſaria.

IIDEM ſtatuerunt, quòd in habendis mediis annatis fructuum Beneficiorum ſimplicium ad anniverſaria ſpectantium, talis modus ſervetur, videlicet quòd contra novos obtentores Beneficiorum infra medium annum à die obitûs Beneficiati computandum, minimè procedatur: ſed elapſo eo, nî perſolverint, à diſtributionibus communibus *del diner menut*, & à duplis, & anniverſariis, ac ab aliis quibuſcumque Eccleſiæ percaciis, ſint penitùs privati,

quoad per eos media annata integrè ſoluta fuerit. *Ex impreſs. fol.* 105. *a. Similiter in uſu non eſt hæc conſtitutio.*

Ordinatio, quòd Miſſa pro defunctis perpetuò celebretur in Sede, & fiant quatuor anniverſaria ſine diſtributione.

HUGO Epiſcopus cum honorabili capitulo, pro ſupplemento anniverſariorum, quæ ex cauſſis expreſſis ſolenniter celebrari non poſſunt; conſtitutione ordinârunt, quòd à modò diebus ſingulis anni, feſtivis, & aliis, nullo excepto, & etiàm tempore interdicti, atque perpetuò, per unum ex Beneficiatis Sedis, per ſingulos chori presbyteros, à primo uſque ad ultimum celebretur quotidie pro animabus defunctorum, & aliorum, qui inſtituerunt anniverſaria in Sede, in eorundem refrigerium, una Miſſa *de requiem*, in cappella beatæ Mariç Sedis, horâ, dum Tertia incipit decantari. Cui presbytero celebranti dentur quotidie pro charitate duodecim denarii de pecuniis dictæ collectæ. *Ibidem.*

Celebratio quatuor anniverſariorum generalium.

INSUPER ex cauſſa prædicta, ſtatuerunt etiam, ut ſingulis annis, atque perpetuò, celebrentur & fiant in dicta Sede quatuor anniverſaria generalia pro animabus inſtituentium prædictorum: in quibus teneantur intereſſe omnes canonici, & presbyteri Sedis, prout in aliis anniverſariis generalibus, gratis tamen ac ſponte, & ſine aliqua diſtributione pecuniariæ portionis. Quorum primum celebretur infra octavas Pentecoſtes, ſecundum infra octavas beatæ Mariæ menſis Auguſti, tertium infra octavas Nativitatis Domini: quartum infra octavas Reſurrectionis. Act. die 24. Junii, anno MCDVII. *Ibidem b.*

Ordinatio de percaciis Sancti Petri, quoad anniverſaria ejuſdem.

ITEM domini de capitulo ordinârunt, quòd procurator anniverſariorum & duplarum ſolvat percacia Sancti Petri, die illa, quâ fuerint acquiſita. *Ibidem b.*

Ordinatio, quòd anniverſaria, & duplæ punctentur.

ITEM voluerunt, quòd anniverſaria & duplç Sedis punctentur cum cedula, illa die, quâ celebrabuntur. Et eâdem die ſolvantur, ſi fieri poteſt, aut fiat prout in ordinatione. *Ibidem b.*

Conſtitutio ſuper ordine anniverſariorum, & proceſſionum particularium pro defunctis in Eccleſia, quæ Sancti Petri dicuntur.

HÆC conſtitutio de tempore Hugonis Epiſcopi, tertia die Octobris, anni MDXX. facta, continet quædam, quæ pro varietate temporum ac ordinationum abrogata ſunt, ac in diverſum ordinem commutata. Iccircò hîc intermittenda ſunt, & loco illorum, ea quæ nunc ſunt in laudabili Eccleſiæ uſu circa ordinem ac diſtributionem anniverſariorum, in fine apponenda. *Ibidem.*

Conſtitutio ſuper anniverſariis reducendis ad unum nocturnum.

FRATRE Thoma de Villa-nova Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum honorabili capitulo, ſtatuerunt & ordinârunt, juſtis ac honeſtis de cauſſis in conſtitutione jurata expreſſis, ut quæcumque pro tempore in Eccleſia Sedis inſtituta ſunt anniverſaria, quæ hactenus, potiùs ex dictæ Sedis conſuetudine, quàm ex ordinatione relinquentium, illa ſub tribus nocturnis celebrari ſolita fuerunt, quçque ob illorum prolixam decantandi moram vix commodè celebrari poterant: ſub unico nocturno tantùm, & conſuetis laudibus, prout in aliis Eccleſiis conſuetum eſt, celebrari debeant. Adjecto quòd tali die mortuorum una Miſſa pro defunctis ſummiſſa voce perpetuò in Eccleſia celebretur. Act. 15. Kalendas Novembris, anno MDXLIV. *Ex imp. fol.* 196. *b.*

Bulla ſacræ pœnitentiariæ confirmatoria præcedentis conſtitutionis.

ANTONIUS Cardinalis ſummus Pœnitentiarius confirmat per officium Pœnitentiariæ præcedentem conſtitutionem factam pro reductione trium nocturnorum officii defunctorum in Eccleſia Valentina, ad unum tantùm nocturnum: quæ fuit commiſſa in partibus, & à judicibus executioni demandata, ſub dat. Romæ ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ, 15. Kalendas Januarii. Pontificatûs Pauli Papæ III. anno decimo. *Ex imp. fol.* 107. *a.*

Conſtitutio de anniverſariis, & Beneficiis inſtituendis in Sede, & aliis Eccleſiis parochialibus.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum, die 27. menſis Aprilis, MDXLVI. præſenti conſtitutione, quæ continet multa & diverſa, tantùm per ſumma capita attingenda (ut qui clariorem habere voluerint notitiam de ſingulis ejus decretis, ad eandem perlegendam recurrant) in ſumma ſtatuerunt & ordinârunt, qualiter in Eccleſia anniverſaria celebrari debent:

qua

qua hora denunciari in choro illa, & à quo: quibus etiam horis celebrari: quod in eis à ſuccentoribus præſtandum officium: quod ab hebdomadariis, ſcholaribus, & à Beneficiatis: maximè verò à Beneficiatis cappellæ, in qua ſitum eſt anniverſarium, aut abſolutio facienda: quâ multâ ſunt, ſi defecerint, puniendi: quoto anniverſarii temporis articulo ſolvenda diſtributio, & quota unicuique portio danda: quando transferenda illa ob impedimentum diei. Item quoad inſtitutionem anniverſariorum novorum, deque eorum dotatione & portione diſtribuenda; provida, neceſſaria, & Eccleſiæ utilia ſimiliter, ut ibi videre eſt, proviſerunt: & quomodo tutiùs fundanda illa ſint, & quoad quantam ſummam inſtituenda, declarârunt. Item expreſſerunt quæ adimplere teneatur quicumque ſepulturam perpetuam in Sede obtinere voluerit. Item forma & portio quæ ſumi debet, decedentibus Archiepiſcopo & dignitatibus, à capitulo ad inſtituendum pro unoquoque anniverſarium; & qualiter diſtributio facienda ſit: ac etiam abſolutionis formam deſignârunt: quin & præſentibus tantùm, non abſentibus, niſi in caſibus à jure permiſſis, ſolvi portionem voluerunt. Ad hæc in proceſſionibus extra Eccleſiam faciendis, unicuique certam portionem aſſignârunt. Item addendo conſtitutioni de Beneficiis noviter inſtituendis, quæ edita fuit anno MDI. ſtatuerunt ultra expreſſam ibi ſummam, quid addere, & accumulare oporteat pro dupla dotanda: retinentes penes ſe facultatem addendi, minuendi, & in melius commutandi dictam conſtitutionem antiquam & modernam. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. die, menſe, & anno præfatis.

Conſtitutio, quòd clerici ſint in abſolutionibus generalibus.

VITALIS Epiſcopus & capitulum ſtatuerunt & ordinârunt, quòd in generali abſolutione, quæ fit ſingulis ſeptimanis in præfata Eccleſia, Beneficiati omnes aſſiſtant, abſenteſque multentur pœnâ duorum denariorum pro unoquoque fabricæ applicandorum. *Ex impreſſ. fol.* 109. *b.*

Proviſio, quòd Miſſæ defunctorum celebrandæ diſtribuantur per armarierium inter Beneficiatos.

PRÆFATI domini de capitulo proviſerunt, quòd Miſſæ defunctorum relictæ ad celebrandum per quendam Guillermum Ferrer, & alios deinceps, celebrentur ad arbitrium, & prout diſtribuerit armarierius, inter Beneficiatos Sedis. Actum nonâ Junii anni MDXVI.

Conſtitutio ſuper anniverſario canonici defuncti.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, vicarius generalis & capitulum ſtatuerunt, quòd de cætero infra octo dies poſt obitum canonici, ſeu citiùs, ſi fieri poteſt, unum anniverſarium, hoc eſt, Miſſa ſolennis pro defunctis, pro anima canonici defuncti in capitulo dictæ Sedis celebretur, ubi domini canonici ſepulturam habent: in quo anniverſario ſeu Miſſâ aſſiſtere habeant omnes canonici, & Beneficiati, cantores, & miniſtri Eccleſiæ gratis, & abſque diſtributione; necnon & ſcholares pulſare campanas, tempore quo anniverſarium, ſeu Miſſa celebrabitur, gratis & abſque ſtipendio, ac etiam componere tumulum, ac incendere ſex antorchias ad expenſas menſæ canonicalis. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. die 4. Aprilis MDLIII.

Conſtitutio ſuper reductione anniverſariorum perpetualium Eccleſiæ Valentinæ.

SEde paſtore carente, capitulum & canonici ſtatuerunt & ordinârunt, quòd anniverſaria quæ hactenus ad numerum centum quinquaginta quinque aſcendebant, ad nonaginta ſex reducantur, & accumulentur; prout ex nunc reduxerunt & accumulârunt: ac voluerunt quòd illa Miſſa quæ antea in die celebrationis anniverſarii ſubmiſſa voce in cappella Sancti Petri pro reductione priore anniverſariorum celebrabatur, de cætero illa quotidie celebretur, tam pro præſenti, quàm pro quacumque alia hactenus facta reductione anniverſariorum in dicta Sede. Voluerunt etiam, quòd pro reductione hujuſmodi obtineatur confirmatio Apoſtolica. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. 16. Octobris MDLXVI.

Conſtitutio ſuper reductione Miſſarum & anniverſariorum Eccleſiæ Valentinæ.

ILLUSTRISS. ac Reverendiſs. D. D. Joannes de Ribera Archiepiſcopus Valentinus, & Patriarcha Antiochenus in generali Archiepiſcopatûs viſitatione, quam fecit anno Domini MDLXXI. incipiens à Metropolitana Sede Valentina; in primis agens ſuper reductione Miſſarum & anniverſariorum, ibidem ratione Beneficiorum, aut aliàs relictorum & inſtitutorum, pro debita & exacta ſui muneris executione, cauſſis & rationibus ibi expreſſis, cum conſilio reverendi capituli, ejuſque precibus inclinatus, tam auctoritate ordinaria, quàm etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, juxta ſacri Concilii Tridentini decreta, Miſſas omnes tam votivas, quàm perpetuas, non modò Beneficiorum, ſed etiam annualium, quovis modo inſtitutas & fundatas, ad minorem numerum reduxit, modo & forma in octo capitulis in præſenti con-

conſtitutione contentis & declaratis. Imprimis ſtatuit, quòd Beneficiati, quibus juxta inſtitutionem Beneficiorum, nulla eſt appoſita celebrandi obligatio, teneantur ſingulis annis ſaltem ad unam Miſſam celebrandam pro qualibet libra de reſtantibus ex fructibus Beneficii, deductis omnibus oneribus, & ſubſidio. Item declaravit in Beneficiis, quorum non exſtant, neque comparent inſtitutiones, ideoque non conſtat de obligationibus illorum, ad duas Miſſas pro qualibet libra ſimiliter Beneficiatos obligari. Item quoad inſtitutiones Beneficiorum, in quibus non eſt expreſſus numerus Miſſarum, ad duas etiam Miſſas pro qualibet libra ſimiliter obligari. Item quoad inſtitutiones ubi expreſsè dicitur, quòd Beneficiati celebrent ſub his adverbiis, aſſiduè, continuè, ſemper, vel perpetuò, vel tribus diebus, aut uno eorum, declaravit teneri eos ad celebrandum quinque Miſſas pro qualibet libra. Item ubi dicitur celebrandum eſſe quotidie, decrevit obligari ad decem Miſſas pro qualibet libra. Item quando redditus Beneficii ſufficiunt ad perſolvendam charitatem omnium Miſſarum in inſtitutione expreſſarum ad rationem unius regalis Caſtellani pro qualibet Miſſa, tametſi per inſtitutionem aſtringatur ad celebrandum quotidie, nihilominus ad integram Miſſarum omnium celebrationem obligari decrevit. Item reliquas omnes Miſſas, quæ non ratione Beneficiorum per quoſcumque Chriſti fideles in Eccleſia relictæ ſunt, ſub quibuſvis inſtitutionum formis & obligationibus, ad earum medietatem reduxit: ita quòd pro duabus una tantùm Miſſa ſufficiat, & pro charitate uniuſcujuſque Miſſæ, unum regale Caſtellanum perſolvendum aſſignavit. Denarius autem qui ſupereſt ex duobus ſolidis antea erogari ſolitis pro duabus Miſſis, converti voluit in expenſas, quæ ſint pro conſervatione & reparatione ornamentorum, & ſalariorum Rationalis, ac collectoris, & miniſtrorum ad dictas Miſſas deputatorum. Quorum officialium, atque miniſtrorum electionem & collationem, eidem reverendo capitulo annuatim faciendam in perpetuum commiſit. Reſpectu verò anniverſariorum in dicta Eccleſia, ejuſque cappella Sancti Petri inſtitutorum, quę hactenus ad numerum centum quinquaginta quinque aſcendebant, ad numerũ 96. eâdẽ auctoritate reduxit, atque pro unoquoque eorũ charitatẽ ſingulis, tam canonicis quàm Beneficiatis, erogandam deſignavit. Demum pro recompenſatione & antiquo numero anniverſariorum reductorũ, totidem privatas Miſſas in Eccleſia annuatim perpetuò celebrari mandavit, atque unde earum charitas ſolveretur, expreſſit; prout in viſitationis conſtitutione hæc latiùs continentur. Act. die, menſe, & anno præfixis. Petro Lopez notario & ſcribâ.

TITULUS XIV.

De ſepulturis, & exequiis generalibus.

Conſtitutio de Prælatis & canonicis intra domum capituli tumulandis.

VITALIS Epiſcopus in capitulo Paſchali unà cum honorabili capitulo & canonicis ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quantociùs domus capituli ædificata fuerit, incinerentur in ea canonicorum corpora decedentium, & ibidem ſepeliantur, in communi ſarcophago, quod ibi eſt conſtruendum; in quo recondantur oſſa jam defunctorum canonicorum, & ad illud transferantur. Item ſtatuerunt, quòd intra pavimentum capituli, nemo ad ſepulturam admittatur niſi Prælatus, nempe Dignitates, Præpoſiti, & canonicus Sedis. Ac etiam quoties abſolutiones generales fieri contingat in Eccleſia, perpetuò ſecunda abſolutio fiat in prædicta domo capituli. *Ex impreſſ. fol.* 109. *a.*

Conſtitutio de Beneficiatis in Eccleſia tumulandis.

PRÆTEREA ſtatuerunt & ordinârunt, quòd clerici Beneficiati Sedis decedentes ab humanis, perpetuò ſepeliantur infra clauſtrum Eccleſiæ, in ea parte clauſtri, quæ ab Epiſcopo & capitulo fuerit deſignata. *Ibidem.*

Conſtitutio de illis, qui volunt intra Eccleſiam tumulari.

IDEM Epiſcopus & capitulum, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd quicumque de cætero infra Eccleſiam Sedis elegerit proſe, ſuiſque in poſterum perpetuò ſepeliri, neceſſariò in eadem Sede, in propria cappella, teneatur dotare Beneficium valoris viginti librarum, ac etiam unum anniverſarium quinquaginta ſolidorum. Et quòd ſi eligens ſepulturam prædictam cappellam noviter voluerit ſibi ſub invocatione alicujus Sancti erigere, teneatur dimittere duplam aliorum quinquaginta ſolidorum, faciendam die invocationis, ſeu feſti illius Sancti, ſub cujus honore cappella fuit ædificata. Exceptis, quibus ab antiquo in Eccleſia ſepultura conceſſa extitit: quos non obligat conſtitutio præſens. *Ibidem.*

Conſtitutio de ſolennitate faciendain ſepulturis.

IDEM Epiſcopus & capitulum conſtituerunt, quòd Epiſcopi, Prælati, canonici, & Beneficiati Eccleſiæ, qui in capitulo, ſeu clauſtro, ſau cœmeterio Sedis ſepelientur, antequam eorum corpora ſepulchro inferantur, mittantur intus chorum Eccleſiæ in hunc modum: ſi enim mane in Eccleſiam deferantur, celebretur Miſſa ſolenniter, cadavere in choro conſiſtente, quâ finita cadaver tradatur ſepulturæ, & eâdem die, horâ Veſperorum celebrentur cum devotione in choro pro anima defuncti novem lectiones, ſcilicet, tres nocturni officii defunctorum: ſi verò horâ Veſperorum deferatur, cadavere ſimiliter in choro impoſito, pro anima ipſius novem tantùm lectiones defunctorum, & eis finitis, juxta morem Eccleſiæ tradatur ſepulturæ, & in craſtinum celebretur Miſſa ſolennis pro illius defuncti anima, & fiat abſolutio ſuper tumulum, ut moris eſt in Eccleſia. *Ibidem b.*

Conſtitutio, quòd pulſentur cimbala ſolenniter pro parentibus canonicorum, Præpoſitorum, ac Dignitatem habentium, & pro officialibus Regis.

HUGO Epiſcopus & honorabile capitulum, 19. Novembris, anni MCDX. ordinârunt, addentes conſtitutioni Eccleſiæ, quòd pro canonicis, & Prepoſitis, & habentibus dignitatem in Eccleſia, cùm decedunt, fiat orationis in hora pulſatio cimbalorum & campanarum, conſimilis illis, quæ fieri ſolent nobilibus; quodque ſimilis, & eadem pulſatio obſervetur, ac fiat pro patribus & matribus canonicorum, & præpoſitorum, ac dignitatem habentium: ſi tamen decedentes elegerint, aut habeant ſepulturam in dicta Sede. *Ex impreſſ. fol.* 110. *b.*

Conſtitutio ſuper pulſatione campanarum pro parentibus canonicorum.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, volentes conſtitutionem antiquam ſuper pulſatione campanarum, pro parentibus canonicorum declarare, ſtatuerunt & ordinârunt: quòd hujuſmodi pulſatio campanarum fieri ſolita in ſepulturis patris vel matris canonicorum, fiat, ſive præfati parentes habeant, aut eligant ſepulturam in Eccleſia, ſive extra, in aliqua Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum civitatis, ſive ejus ſuburbiis. Et quòd quando præfati parentes in Eccleſia majore ſepeliri voluerint, & exequias generales celebrari, non ſolvat unuſquiſque pro tota ſepultura, & campanis, niſi viginti libras. Ad hæc quòd canonici non teneantur aſſociare cadaver. Et ſi alibi ſepeliri velint, tantummodo ſolvatur ſcholaribus pulſatio campanarum majoris Eccleſiæ, niſi voluerint exequias generales facere. Tunc enim ſolvant juxta continentiam & tenorem conſtitutionum circa exequias generales per capitulum editarum. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. 26. menſis Madii MDLIII.

Conſtitutio, quòd fiat dicta pulſatio pro Gubernatore & Bajulo Generali.

HUGO Epiſcopus, & honorabile capitulum, 19. Novembris, anni MCDX. cum vicario generali ordinârunt, quòd dicta pulſatio ad modum canonicorum, fiat etiam orationis in hora ſub utroque crepuſculo, & in meridie, pro Gubernatoribus & Bajulis Generalibus Regni Valentini, ſive eligant, aut habeant ſepulturam in Sede, vel non: dum tamen in ejus ſepulturis interſit proceſſio generalis dictæ Sedis. Demum punctator Sedis ſolus, non ex aliis Eccleſiis, curam aut facultatem punctandi habeat, in ſimilibus actibus ſolennibus. *Ex impreſſ. fol.* 110. *a.*

Conſtitutio de ſepulturis canonicorum.

DIE ſecunda Januarii, anni MCCCCLXXXIII. reverendi domini de capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd abinde in ſepulturis faciendis pro canonicis Valentinis morientibus, talis ordo ſervetur: videlicet, quòd immediatè poſt obitum fiat pulſatio antiqua campanarum, quæ vulgò dicitur *los tres clachs*, & deinde ſequatur pulſatio campanarum, tam ordinaria, quàm extraordinaria, duratura quamdiu Litaniæ cadaveri dicentur, & quouſque cadaver canonici ſepulturę tradatur: & quòd cadaveri celebretur Litania generalis, cui interſint omnes canonici & Beneficiati Eccleſiæ, qui reſident: & de qua nullum ſtipendium habere debeant, cùm id gratis facere teneantur: ac neque de ſepultura hujuſmodi, quæ generalis quoque eſſe debet, quicquam habere poſſint: ac ſicut Litaniæ, ita & ſepulturę ſupradicti omnes aſſiſtant. Quantum autem debeat dari canonico, & aliis Beneficiatis, & officialibus, necnon ſcholaribus, & aliis miniſtris pro ſepultura canonici, in eadem conſtitutione exprimitur. *Ibidem.*

Conſtitutio, quòd cadaver canonici non per canonicos, ſed per Beneficiatos deferatur ad ſepulturam.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum, die 27. Aprilis, anni MDXLVI. ſtatuerunt & ordinârunt congruentibus de cauſſis, quòd de cætero cadaver, ſeu corpus canonici defuncti non deferatur per ipſos canonicos, ut antea mos

fue-

fuerat, ſed per Beneficiatos ejuſdem Sedis, quibus deferentibus ſtipendium in conſtitutione expreſſum pro labore erogetur: canonicis tamen ipſum cadaver circumſtantibus, ut quantum ipſis de onere deferendi mortuum ſubtrahitur, tantundem liberiùs in ejus animam orationis impendant. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Act. die, menſe, & anno ſuprà dictis.

Conſtitutio, à quibus deferantur cadavera canonicorum ad ſepulchrum.

EODEM Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, addentes conſtitutioni de ſepeliendis canonicis, in qua cavetur, quòd cadavera canonicorum ad ſepulchrum, non per canonicos, ſed per Beneficiatos deferantur, illam in melius commutantes, ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero prædicta cadavera deferantur per duos veſpiliones, vulgò dictos *macipos*, cappis, ſive cotis albis indutos, quorum unus partem feretri anteriorem teneat, alter poſteriorem; & quòd canonici circum circa aſſiſtant, & portent etiam feretrum. Act. die 2. Octobris MDLIII.

Conſtitutio de coadjutoribus canonicorum, quoad ſepulturam.

EODEM Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero coadjutores canonicorum per Apoſtolicam Sedem approbati, atque in majorem Eccleſiæ ſervitium & reſidentiam deputati, in funerali pompa ſepulturæ, & exequiis, ſimili cum honore & complemento, atque veri canonici prębendati deducantur ad ſepulturam, neque ab eis in hoc detrahatur quicquam de eo, quod per conſtitutiones Eccleſiæ de ſepulturis, canonicis actu præbendatis tribui atque concedi ſolet. Act. 17. menſis Martii MDXLVIII.

Ordo ſervandus in ſepulturis Dignitatum, & Præpoſitorum, non canonicorum.

SIMILEM ordinem ſtatuerunt ſervari in ſepulturis Dignitatum, vel præpoſituram habentium, qui non fuerint canonici, ac ſervatur in ſepulturis canonicorum: excepta prima pulſatione campanarum *los tres clachs* nuncupata, quę tantùm fieri ſolita eſt immediatè poſt obitum canonici: cùm hujuſmodi pulſatio pro ſolis canonicis ſit ab antiquo fieri introducta. *Ex impreſſ. fol.* 110. *b.*

Ordo ſervandus in ſepulturis Beneficiatorum.

HIC ordo ſepeliendi, & aſſiſtendi canonicos in ſepulturis Beneficiatorum, eſt penitùs antiquatus, & ſtandum eſt ordini & conſuetudini moderną dictarum ſepulturarum; niſi quòd pro ſepulturis canonicorum intra civitatem, vel in ſuburbiis morientium, ſolvuntur in omnibus viginti libræ, in ſepultura verò Beneficiatorum, decem libræ. *Ex impreſſ. ibidem.*

Conſtitutio de ſepulturis & exequiis generalibus.

ERARDO de la Marcha Cardinali, & Archiepiſcopo Valentino, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, die 23. Aprilis, anni MDXXXIV. ad tollendas omnes difficultates & dubia, quæ ſuper ſepulturis, & exequiis generalibus ex obſcuritate antiquarum Eccleſię conſtitutionum, & varietate conſuetudinis, atque uſûs, quotidie oriri ſolitę erant; ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cætero quando aliquis requiſierit celebrari ſepulturam, ſeu exequias generales pro aliquo defuncto, non admittatur petitio niſi ex determinatione capituli, & ſolvat priùs, vel pignora det pro ſumptibus neceſſariis. Quin & portiones deſignantur, quæ dari debent Epiſcopo celebranti, canonicis, & dignitatem habentibus, coadjutoribus canonicorum, Beneficiatis Sedis, Beneficiatis parochialium, miniſtris Sedis, cantoribus, deferenti crucem, ſcholaribus pro pulſatione campanarum, archiveriis, procuratori fiſcali, canonico procuratori duplarum & anniverſariorum, tum & Beneficiato procuratori duplarum pro appunctatione, necnon duobus burſariis. Ad hæc quando duplicatur portio unicuique, vel ex conduplicato officio, vel ex majori diſtantia ad locum ſepulturæ, maximè verò ſi de nocte fiant ejuſmodi actus, & à quibus exigi debeat *capſou*, declaratur. Caveturque ne ſuper hujuſmodi ſepulturis, ſive exequiis generalibus, tranſactio ſeu pactum aliquod fiat. Quæ conſtitutio jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. *Ex impreſſ. fol.* 111. *a.*

Conſtitutio ſalarii ſcholarum pro pulſatione campanarum.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & capitulum conſtituerunt & ordinârunt; adjicientes conſtitutioni ſuper pulſatione campanarum, quòd in exequiis generalibus, præſertim in *cappellardent* vulgò nuncupato, pro domino Rege, Principe, Regina, ſeu Principiſſa, ſolvantur ſcholaribus pro pulſatione campanarum octo dierum, viginti octo libræ monetæ regalium Valentiæ, & ſi oportuerit ultrà pulſare, ſolvatur eis pro ra-

ta

ta temporis; quòd ſi pauciores dies quàm octo ſit pulſatio, nihilominus ſolvatur integra prædicta portio, in reliquis conſtitutione prædicta in ſuo robore permanente. Acta 5. Madii MDLV.

Conſtitutio declaratoria alterius conſtitutionis ſuper exequiis generalibus.

SEDE paſtore carente, vicarius generalis & capitulum ſtatuerunt & providerunt, quòd quatuor Beneficia, ſive cantoriæ de novo in Eccleſia erectæ, ſive earum nominatæ perſonæ, de cętero recipiant duplicem portionem in exequiis generalibus, ſic & prout recipiũt cantores beneficiati Eccleſiæ: in reliquis conſtitutione de exequiis in ſuo robore permanente. Act. 19. Junii anno MDLVI.

Conſtitutio augmenti portionis pro dominis canonicis in exequiis generalibus.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, addentes conſtitutioni de exequiis generalibus, quæ edita fuit anno MDXXXIV. conſtituerunt & ordinârunt, quòd canonicis & quibuſdam aliis officium aliquod exercentibus, in diſtributione portionum addantur ſtipendia, prout in præſenti conſtitutione exprimitur. In reliquis prędatam antiquam conſtitutionem in ſuo robore permanere volentes. Quæ conſtitutio jurata eſt, nec revocabilis uno contradicente. Acta die ſeptima menſis Novembris anni MDL.

Conſtitutio alia ſuper augmento portionis canonicorum in exequiis.

HÆC etiam conſtitutio, quæ edita fuit die ſeptima Novembris MDL. fuit etiam in ſuperiori conſtitutione de ſimili augmento ſalarii comprehenſa, & ſic per incuriam de novo edita, ſeu potiùs ut repitita, omittitur.

Proviſio ſuper augmento portionis canonicorum, in exequiis generalibus.

DOMINI canonici & capitulum unà cum Vicario generali providerunt & ordinârunt, quòd non obſtantibus antiquis conſtitutionibus, quas honeſtis de cauſſis in aliquibus, pro exigentia temporum, corrigere & emendare neceſſe eſt; de cætero perpetuis futuris temporibus, in quibuſcumque generalibus defunctionibus, ſepulturis, ſeu exequiis generalibus, portiones dominorum canonicorum ſint duplices. Ita quòd pro dictis portionibus in futurum quadraginta octo aurei, ſive ducati, & non viginti quatuor, quemadmodum hactenus, exigantur & exigi debeant, dictis conſtitutionibus circa alia in ſuis robore & firmitate remanentibus. Act. die 1. Auguſti MDLXX. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Declaratio præcedentis conſtitutionis ſuper augmento portionum.

IIdem declarantes præcedentem conſtitutionem ſequenti die, quæ fuit 2. ejuſdem menſis & anni, providerunt, quòd per portionem illam quadraginta octo ducatorum, intelligatur ſimplex portio; ita quòd ſi fuerit portio cum dimidia, exigantur ſeptuaginta duo aurei; & pro duabus, nonaginta ſex aurei: & ſi plures portiones, augeantur ad dictam rationem. Quæ conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Petro Lopez notario & ſcribâ.

Proviſio, quòd in funerariis generalibus armarierius accipiat cereos ſex.

DOMINI de capitulo providerunt & mandârunt, quòd in omnibus funerariis generalibus, vulgò *Cors general* nuncupatis, armarierius Sedis accipiat ſex cereos magnos de melioribus, qui reperientur in dictis funerariis; ex eo quia portat ſex candelabra, ſive ceroferaria. Et quòd rectores parochialium, ſive vicarii civitatis Valentiæ abinde non poſſint ſe concordare occaſione cereorum cum manumiſſoribus ſive hęredibus defunctorum; ſed ab integro recipiant ſuam portionem, ſive cereos eis pertinentes; ne fiat præjudicium ſucceſſoribus, atque juribus Eccleſiæ derogetur. Acta die prima Decembris MDXV.

Conſtitutio ſuper dandis portionibus cantoribus Eccleſię in exequiis generalibus.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum ſtatuerunt & providerunt, quòd de cętero unicuique ex cantoribus dictæ Sedis in particularibus mortuoriis tantummodo dentur & tradantur portiones ſequentes, videlicet pro litania ſex ſolidos, pro cadavere ſepeliendo quatuor ſolidos, pro Miſſa duplex portio Beneficiatorum, & ſi fuerit pro Beneficiatis, ſit etiam duplex pro cantoribus. Act. die 21. menſis Junii MDLIV.

TITULUS XV.

De ſubſidiis Papalibus.

Conſtitutio de taxatoribus & collectoribus ſubſidii & decimę Papalibus.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis cum reverendo capitulo, die 2. menſis Aprilis anni MDXLVI. ſtatuerunt & ordinârunt, quòd de cętero quoties continget auctoritate Apoſtolica imponi decimam ſive ſubſidium ſuper fructibus Eccleſiaſticis

cis præſentis Archiepiſcopatûs, aut univerſi regni, conſtituantur duo collectores ejuſmodi ſubſidii ex antiquioribus canonicis per annum, quibus ſuccedant ſequenti anno alii duo propinquiores in ordine, ut fieri ſolitum eſt in officio impoſitionis; & ita per turnum ſequantur alii duo, donec & quouſque omnes canonici, qui eo anno obtinent canonicatum & præbendam, habuerint & exercuerint ejuſmodi officium. Qui canonici collectores teneantur dare fidejuſſores ad voluntatem capituli, de fideliter ſe habendo & dando computo & ratione cum ſolutione infra ſex menſes à die ultimæ ſolutionis computandos, cum aliis pactis & rationibus, & cum expreſſione ſalarii, tam pro ipſis, quàm pro cappellanis ad eos juvandum aſſumendis, prout in eadem conſtitutione latiùs continetur. Inſuper ſtatuerunt, quòd in eo caſu ſubſidii ſint quatuor taxatores ex antiquioribus canonicis, qui antea ejuſmodi officium non habuerint. In quibus officiis ſervetur per turnum idem ordo, prout in collectoribus eſt dictum. Qui etiam jurent de ſe bene & fideliter habendo; & cuilibet eorum detur ſalarium in conſtitutione expreſſum. Quę conſtitutio jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta die, menſe, & anno præfixis.

Conſtitutio, quòd prędicti taxatores & collectores exerceant per ſe officium, & non per ſubſtitutos.

IDEM vicarius generalis & capitulum die tertia ejuſdem menſis & anni ſtatuerunt & ordinârunt, quòd collectores & taxatores præfati ſubſidiorum teneantur ejuſmodi officia per ſeipſos, & non per interpoſitas perſonas exercere, etiamſi canonicos alios loco ſui ſubdelegent: quin potius non valentibus ipſis exercere officium, ad propinquiores in ordine, ac per turnum canonicos, officia exercenda deveniant, juxta formam conſtitutionis præfatæ. Quę conſtitutio ſimiliter jurata eſt, & uno contradicente irrevocabilis. Acta die, menſe, & anno prędictis.

Conſtitutio ſuper allegantibus privilegia & exemptiones in ſolutione ſubſidiorum & aliorum onerum.

GEORGIO ab Auſtria Archiepiſcopo, vicarius generalis cum reverendo capitulo ſtatuerunt & ordinârunt contra quoſcumque clericos, presbyteros, Beneficiatos, ſeu ſubſtitutos Eccleſiarum civitatis & diœceſis Valentinæ, qui ad ſubterfugiendam Ordinarii correctionem & juriſdictionem, necnon & eximendum ſe à contributione communium Eccleſiaſticorum onerum, aliquas exemptiones privilegia, & immunitates allegantes, quorum prætextu à contributione & ſolutione ſubſidii, & onerum hujuſmodi ſe eximere conantur: prę-ter alia juris remedia contra eos inferenda proviſerunt, quòd de cętero quicumque clerici, ſeu presbyteri talia allegare tentaverint, ſint ipſo facto privati à quibuſcumque officiis, etiamſi procuratores præpoſiturarum, & collectores fuerint, & aliis quæ in ſuis quiſque Eccleſiis obtinebunt: ſintque eo ipſo ad alia quævis adminiſtranda officia penitùs inhabiles & privati, ſub pœnis excommunicationis, & aliis in conſtitutione appoſitis. Quæ jurata eſt, atque uno contradicente irrevocabilis. Act. 10. Novembris MDXL.

Conſtitutio ſuper collectoribus ſubſidiorum quartæ decimæ.

FRATRE Thoma Archiepiſcopo, ejus vicarius generalis & reverendum capitulum, declarantes per conſtitutionem aliàs editam die 2. Aprilis MDXLVI. ſtatuiſſe, quòd collectores decimarum, ſive ſubſidii teneantur dare computum, & ſatisfacere de omnibus partitis exactis vel non exactis: quæ conſtitutio riguroſa nimis eſſet & aſpera, nî declaratione & intellectu fieret benignior, ſtatuerunt & declarârunt, quòd ejuſmodi collectores teneantur dare computum & ſatisfactionem de partitis exactis vel non exactis, niſi tamen oſtenderint debitas diligentias colligendi adhibuiſſe circa partitas non exactas. Quo caſu minimè teneantur de non collectis neque exactis per eos cęteris in dicta conſtitutione contentis in ſuo robore permanſuris. Acta 26. Aprilis MDLXVII.

Conſtitutio, quòd heredes canonicorum, ſeu alii detentores hujus libri compendii conſtitutionum, decedentibus illis, teneantur ipſum reſtituere archiveriis capituli, ſub excommunicatione, & aliis pœnis.

IN Dei nomine amen. Pateat cunctis, quòd nos canonici & capitulum ſanctæ Metropolitanæ Sedis Valentinæ, in quo ſumus præſentes Gaſpar Honoratus Pellicer canonicus, ac pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo in Chriſto patre & domino D. Joanne à Ribera, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Patriarchâ Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino, vicarius generalis capitularis, Federicus de Borgia Archidiaconus major, Vincentius Roca de la Serna Archidiaconus Setabis, Bernardinus Gomeſius Miedes Archidiaconus Saguntinus, ſive Muri-veteris, Petrus Hieronymus Gombau, Hieronymus Ægidius Roda, Michaël de Villa-nova, Franciſcus Dionyſius Sanchis, Franciſcus Ludovicus Balaguer, Petrus Català, Joannes Baptiſta Cardona, Matthias Pallas à Guzman, & Franciſcus Tudela, omnes canonici præbendati dictæ Sedis in ejuſdem capitulo inſimul capitulariter congregati, præcedente convocatione per nuncium reverendi capituli, prout idem mihi notario & ſcribæ infraſcripto retulit & fidem fecit, major pars canonicorum reſidentium, ac totum capitulum repræſentantes, attendentes quòd ſuperioribus diebus per dictum Illuſtriſſimum Patriarcham & Archiepiſcopum, ejuſque totum capi-

capitulum & canonicos capitulariter congregatos, verbo fuit proviſum, quòd omnes hujus Metropolitanæ Eccleſiæ conſtitutiones, tam typis impreſſæ, quàm manuſcriptæ, hucuſque ab ejus primordio & fundatione editæ, quę ob earum multitudinem, ſingularumque prolixitatem, à paucis legi, minuſque in memoriam redigi, ideoque in maximum Eccleſiæ damnum, & capitularium detrimentum animarum, neque debitæ quandoque executioni mandari ſolebant, in compendium, ſeu in breves quaſdam ſummas rerum & ſententias ſingulæ redigerentur, ut earum brevitate ac reductione allecti canonici, meliùs ad eas relegendas, memoriâque tenendas afficerentur: cujus proviſionis vigore, reductæ jam illæ, & in compendium redactę, ac etiam typis excuſſæ extiterunt. Ac inſuper inhęrentes conſtitutioni olim editę per bonę memorię Thomam de Villa-nova Archiepiſcopum Valentinum, & tunc exiſtentes canonicos & capitulum, ſub die nona Novembris MDXLV. quæ in calce libri conſtitutionum impreſſarum habetur, necnon cauſſis & rationibus in ea contentis: omnes unanimes & concordes, ac nemine diſcrepante, ſtatuimus & ordinamus, quòd de cętero ejuſmodi ſic redactæ conſtitutiones, & in libellos compactæ, quorum centum dumtaxat numero typis excuſſi ſunt, ſinguli ex iis Antiſtiti & unicuique canonico tradantur, ut eorum aſſidua lectione ea omnia, quæ ad optimum Eccleſiæ regimen & adminiſtrationem pertinent, diligentiùs perdiſcant: ac quòd reliqui libri, ne aliorum quàm canonicorum manibus terantur, in archivo Eccleſię aſſervandi reponantur. Ita tamen quòd quandocumque canonicus libellum habens obierit, hęredes ſeu manumiſſores defuncti canonici, ſive quicumque alii detentores, obligati ſint eundem libellum intra tres dies, ex quo fuerint à Syndico capituli requiſiti, archiveriis ejuſdem reſtituere, ſub excommunicationis & aliis pœnis contra Eccleſiaſticarum rerum detentores à jure imponi ſolitis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium prędmiſſorum juſſimus hoc præſens publicum inſtrumentum per Hieronymum Julianum Real notarium & ſcribam dicti capituli fieri & confici ad perpetuam rei memoriam. Quod fuit actum in dicto capitulo die 11. menſis Auguſti anno à Nativitate Domini MDLXXXII. prędſentibus ibidem venerabilibus Joachimo Ruvio & Gregorio Ivañes presbyteris archiveriis dicti capituli, ac Beneficiatis ejuſdem Sedis Valentinę, teſtibus ad prędmiſſa vocatis, pariterque rogatis.

CONCILIUM TOLETANUM PROVINCIALE

Celebratum Toleti anno MDLXXXII.

PRÆSIDE AMPLISSIMO

D. D. GASPARE DE QUIROGA

Cardinale, Archiep. Toletano, Hiſpaniarum Primate, Inquiſitore Generali, &c.

Nunc primò editum ex MS. Eccleſiæ Primatis Toletanæ, juxta correctionem factam Romæ à S. Congregatione Concilii Tridentini, & additiones ipſius, quæ in decurſu Actorum exhibentur literis curſivis.

Edictum generale convocatorium poſt miſſas literas ſingulis Reverendiſſimis Epiſcopis, Abbatibus, & Capitulis.

GASPAR de Quiroga S. R. E. tituli Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum Primas, Regnorum Caſtellæ major Cancellarius, & in Regnis atque dominiis Catholicæ Majeſtatis contra hæreticam pravitatem & apoſtaſiam Generalis Inquiſitor, omnibus & ſingulis Reverendiſſimis Epiſcopis Comprovincialibus, Abbatibus, Eccleſiarum capitulis, & univerſis hujus provinciæ Toletanæ Chriſtifidelibus, ad quos ſequentia attinent, ſalutem in Domino. Frequens Conciliorum Provincialium celebratio, & multis ſacris Canonibus commendata eſt, & jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ magnas utilitates provinciis omnibus attulit. Sed cùm is mos ſanctiſſimus vel temporum perturbationibus, vel nonnullorum fortaſſe negligentiâ in deſuetudinem abiiſſet; nuper ſancta & Oecumenica Synodus Tridentina, ut multa alia utiliter reſtituit, ſic hujuſmodi Concilia Provincialia quolibet ſaltem triennio à Metropolitanis haberi præcepit. Itaque nos ab eo tempore, quo huic Eccleſiæ Toletanæ (licèt tanto oneri impares) præpoſiti fuimus; nihil equidem magis optabimus, quàm ut Concilium Provinciale primo quoque tempore cogeremus, ſuperiore tamen

men triennio publicæ occupationes, ne id pro voto præſtare poſſemus, impedierunt. Nunc autem Dei benignitate commodam occaſionem nacti, præſertim cùm animi noſtri ſententiam ipſi imprimis Catholicæ Majeſtatis Regis Philippi Domini noſtri probari videamus (qui favorem ſuum nobis ad id Concilium habendum per literas benignè obtulit) rem non ulteriùs duximus differendam. Quapropter ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ad emendandos hujus provinciæ mores, tollendoſque abuſus, & ad controverſias, ſi quæ ſunt, componendas, ad reſtituendam denique (ut in Domino ſperamus) ſicubi apud nos collapſa eſt, Eccleſiaſticam diſciplinam, Concilium Provinciale in hanc urbem Imperialem Toletanam indiximus, diemque octavum menſis Septembris proximè venturi, quo Nativitas B. MARIÆ celebratur, ipſi Concilio inchoando præfiximus. Itaque etiam ſingulatim veſtras paternitates, Reverendiſſimi Patres Epiſcopi Comprovinciales, voſque Abbates, & Eccleſiarum capitula, ac cæteros, quibus vel ſuffragii ferendi, vel conſilii dandi, in hujuſmodi Conciliis Provincialibus permiſſa poteſtas eſt, edictis noſtris ad eam diem convocamus. Ne quis verò ex hac provincia Toletana ignorationis excuſationem obtendere poſſit, hoc edicto generali, quod in valvis noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ affigi volumus, omnibus & ſingulis hujus provinciæ Toletanæ Reverendiſſimis Epiſcopis Comprovincialibus noſtris, & Abbatibus, qui in hujuſmodi Conciliis Provincialibus ex jure vel conſuetudine ſententias definiendo dicere ſolent, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris & pœnis, quæ jure, & hujus provinciæ conſtitutionibus continentur, diſtrictè præcipimus & mandamus, ut ad illum diem Toletum ad Concilium Provinciale nobiſcum celebrandum conveniant, vel ſi qui ipſorum fuerint legitimè impediti, unà cum impedimenti teſtimonio procuratores cum auctoritate mittant. Cæteros autem, hoc eſt capitula, tam hujus noſtræ Metropolitanæ, quàm aliarum hujus provinciæ Cathedralium, Collegiatarumque Eccleſiarum, Univerſitates quoque, & civitatum oppidorumque magiſtratus, ac denique perſonas omnes, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, quacumque dignitate, officio, vel auctoritate fungantur, quæ jure, privilegio, vel conſuetudine his Conciliis Provincialibus ad dandum conſilium intereſſe ſolent, aut nobis in hoc proximè celebrando Concilio admonitiones aliquas vel libellos ſupplices ad reformationem pertinentes offerre voluerint, præſentium literarum tenore requirimus, invitamus, & ut ad dictam diem adſint, convocamus; de iis, quæ propoſuerint, libenter eos, & benevolè audituri. Omnes autem in univerſum admonitos volumus, nos gravibus pœnis, quæ ſacris Canonibus ſunt conſtitutæ, contra rebelles & inobedientes fore proceſſuros, atque illorum abſentiâ non obſtante, & contumaciâ accuſatâ, Concilium Provinciale nihilominus cum iis qui ad diem præſtitutam affuerint, celebraturos. Interim hortamur in Domino omnes hujus provinciæ Reverendiſſimos Epiſcopos & Chriſti fideles, ut quamprimùm, & dum ipſum agetur Concilium, publicas indicant orationes, & ſingulis privatas peragant, quo propitius nobis reddatur Deus optimus maximus, ut hujus Concilii à nobis habendi exordia gratiâ ſuâ prævenire, acta dirigere, & ad optatum exitum perducere dignetur, ad gloriam nominis ſui, & hujus provinciæ utilitatem. Id enim ipſum nos quoque in hac noſtra ſancta Eccle-

sia & diœcesi continenter ut fiat, sedulò curabimus. Datum Toleti in ædibus nostris Archiepiscopalibus die 12. mensis Julii anno à Nativitate Domini MDLXXXI. G. Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus. Mandato Illustrissimi & Reverendissimi domini Cardinalis Archiepiscopi, magister Hieronymus Paullus Secretarius.

PRIMA PROROGATIO

CONCILII PROVINCIALIS

Ad diem tertium mensis Decembris ejusdem anni.

GASPAR de Quiroga miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli S. Balbinæ presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, regnorũque Castellæ major Cancellarius, statûs Catholici Regis Philippi domini nostri Regius Consiliarius, ac etiam in omnibus regnis & dominiis suæ Majestatis contra hæreticam pravitatem & apostasiam Inquisitor Generalis: Reverendissimo in Christo Patri domino N. Superioribus diebus fraternitatem vestram, & reliquos Reverendissimos Episcopos Comprovinciales nostros convocavimus ad Concilium Provinciale, quod in hanc urbem Imperialem Toletanam indiximus, diemque octavum mensis Septembris proximè futuri hujus anni millesimi quingentesimi octogesimi primi ipsi Concilio inchoando designavimus. Postea tamen intelleximus, Catholicam Majestatem Regis Philippi domini nostri velle duabus Ecclesiis Cordubensi & Segoviensi, quæ proprios Pastores nuper amiserunt, futuros Episcopos nominare, easque præsentationes ad sanctissimum dominum nostrum Papam quamprimum mittere. Cùm verò hæc expediri, & confici sine aliqua mora non possint, cumque etiam quidam ex Reverendissimis Patribus Comprovincialibus nostris legitimis caussis impediti, dicto Concilio celebrando adesse nequeant, nisi terminus primò assignatus prorogetur; visum est nobis, quò plenior Episcoporum hujus provinciæ conventus haberi possit, ut hujus futuri Concilii terminus paullò ulteriùs prorogetur. Itaque nos harum literarum tenore prædicti Concilii Provincialis à nobis in hac Toletana urbe celebrandi terminum, à die octava mensis Septembris, ad diem tertium mensis Decembris primò sequentis hujus ipsius anni MDLXXXI. (quo die primam Dominicam Adventûs sancta mater Ecclesia celebrabit) producimus & prorogamus, ipsamque prorogationem vobis significamus & denunciamus. Quamobrem vestram fraternitatem enixè rogamus, & quatenus opus sit, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à Jure statutis, vobis districtè præcipimus & mandamus, ut ad prædictum diem tertium mensis Decembris Toletum ad Concilium nobiscum ineundum & celebrandum conveniatis, & reliquas istius nostræ diœcesis personas, quæ jure, consuetudine, vel privilegio his Conciliis Provincialibus interesse debent, de hac nostra prorogatione moneatis, cæteraque præstetis, quę in superioribus nostris literis convocatoriis vestræ injunximus fraternitati; quas mutato dumtaxat prędicto termino, omnino volumus in suo robore permanere, & debitæ executioni mandari. Datum Toleti anno Domini MDLXXXI. die verò vicesimo mensis Julii.

G. Cardinalis Archiepiscopus.

Magister Hieron. Paullus Secretarius.

Eodem exemplo missæ sunt literæ prorogationis ad singulos Reverendissimos Episcopos, Abbates, & capitula provinciæ Toletanę.

PROROGATIO SECUNDA

CONCILII PROVINCIALIS

TOLETANI ANNO MDLXXXI.

GASPAR de Quiroga miseratione divina sacrosanctæ Romanę Ecclesię tituli S. Balbinæ presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, regnorum Castellę major Cancellarius, statûs Catholici Regis Philippi domini nostri Consiliarius, ac etiam in omnibus regnis & dominiis suæ Majestatis contra hęreticam pravitatem & apostasiam Inquisitor Generalis: Reverendissimo in Christo Patri domino Alvaro Episcopo Palentino Comprovinciali nostro salutem & felicitatem in Domino. Cùm Provinciale Concilium ex decreto sanctę Synodi Tridentinæ in hac Ecclesia Metropolitana celebrare statuissemus, superioribus diebus Coëpiscopos Comprovinciales nostros per literas & publica edicta in diem octavum mensis Septembris proximè præteriti ad id Concilium convocavimus, nihil omnino dubitantes, quin & omnes ad eam diem expediti adesse, & id Concilium nobiscum ad optatum usque finem possent perducere. Sed publicatâ jam, & ad ipsas diœceses missâ hac nostra convocatione, Deo sic volente, accidit, ut quibusdam Episcopis hujus

nostræ

noſtræ provinciæ morte ſublatis, quibuſdam etiam publica occupatione, & morbo impeditis, minùs frequens Epiſcoporum numerus fuerit relictus, quàm ut pro dignitate hoc Concilium congregari poſſit. Itaque nos ſperantes Eccleſiis brevi providendum fore, impedimentaque omnia ceſſatura, diem inchoando Concilio præſtitutam alteris literis, in primam Dominicam Adventûs hujus ipſius anni proximè ſequuturam produximus. Sed nunc cùm is jam dies in proximo ſit, neque hactenus Eccleſiis, quæ ſuis carent Paſtoribus, alii ſucceſſores dari tam maturè potuerint; cumque præterea aliqui ex cęteris Epiſcopis hujus noſtræ provinciæ etiam nunc juſtis impedimentis teneantur, neceſſariò de nova prorogatione nobis cogitandum fuit. Verumtamen en rurſus anni tempora omnium maximè impedita ſequuntur, nempe Adventus, Nativitas Domini, Quadrageſima, & Paſcha, quibus temporibus Epiſcopos à ſuis Eccleſiis abeſſe, non modò veteres Canones, ſed novum Synodi Tridentinæ decretum prohibet. Itaque tota hac noſtra deliberatione cum ipſa Catholica Majeſtate Regis Philippi domini noſtri communicata, id omnino placuit, ut hoc Concilium in ſecundam Dominicam poſt Paſcha prorogetur, ſicuti & nos harum literarum tenore hujuſmodi Concilii Provincialis à nobis Toleti habendi initium in ſecundam Dominicam poſt Paſcha, qua, *Ego ſum paſtor bonus*, ſolet ab Eccleſia cani, quæque in diem viceſimum nonum menſis Aprilis anni ſequentis milleſimi quingenteſimi octogeſimi ſecundi incidit, producimus, differimus, & prorogamus; & ſi opus eſt, ad eandem ſecundam Dominicam denuò indicimus & convocamus. Quamobrem fraternitati veſtræ injungimus, atque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut ad prædictum hujus noſtræ ſecundæ prorogationis terminum in hanc urbem Toletanam conveniatis ad id Concilium Provinciale nobiſcum & cum cæteris noſtris Epiſcopis celebrandum. Interea verò eos, qui veſtræ curæ commiſſi ſunt, quique in iſta diœceſi jure, conſuetudine, aut privilegio hujuſmodi Conciliis Provincialibus intereſſe ſolent, de hac noſtra prorogatione certiores faciatis, cæteraque diligenter præſtetis, quæ in prioribus noſtris literis, tam convocationis, quàm primæ prorogationis termino, integrè impleri, & ſuam vim volumus retinere. Datum Toleti anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, die verò octava menſis Novembris.

EPISTOLA

GREGORII XIII.

PONT. MAX.

AD CARDINALEM QUIROGAM.

Dilecto filio noſtro Gaſpari S. R. E. Presbytero Cardinali, Toletano nuncupato, ac in regnis Hiſpaniarum Generali Inquiſitori.

GREGORIUS *Papa XIII. Dilecte fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores facti ſumus imminere tempus Synodi Provincialis Toletanæ; ſuſpicari autem nonnullos poſſe facilè accidere, ut aliquid impedimenti afferatur, quominus tanta hac in re libertas adhibeatur, quantam oportet tam gravi in re adhiberi. Volumus hoc tibi ſignificare, teque etiam hortari, ne ulla omnino in re patiaris hanc ipſam libertatem lædi, aut minui; tametſi licet ſperare, quoniam iis potiſſimùm de rebus agendum erit, quæ ad Dei gloriam, ad Eccleſiarum dignitatem, ad animarum ſalutem pertinebunt, neminem fore qui conetur obſiſtere. Ut autem certum habemus, te pro tuo munere, proque præſtanti pietate & zelo, nunquam paſſurum libertatem Eccleſiaſticam ulla in re violari; tamen non potuimus in his literis ſcribendis noſtro ſummo ac perneceſſario muneri, Eccleſiarumque omnium nobis à Deo impoſitæ ſolicitudini deeſſe. Cætera ex Nuncio noſtro cognoſces, omnemque ejus verbis fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXX. Octobris MDLXXXI. Pontificatûs noſtri anno decimo.*

Ant. Bucca-Padulius.

Fuit facta poſtea alia prorogatio ejuſdem Concilii uſque in diem octavum Septembris anni ſequentis milleſimi octogeſimi ſecundi, quâ tandem inchoatum fuit.

PRECES

PRO ECCLESIA,

Pro ſalute Regis, & Principis, & pro Congregatione Concilii dicendæ in Miſsis majoribus.

Finito à ſacerdote in Miſſa Pater noſter, *immediatè dicitur à choro, omnibus genua flectentibus,*

Antiphona. *Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine.*

℣. *Salvum*

℣. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*
℣. *Gloria Patri &c. Exaudi nos Domine &c.*
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Celebrans dicit *Pater noster* secretò.
℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
Populus & chorus cantat: *Deus misereatur nostrî*, totum cum *Gloria Patri &c.* & celebrans etiam dicit flexis genibus:
℣. *Memento congregationis tuæ.*
℟. *Quam possedisti ab initio.*
℣. *Emitte spiritum tuum & creabuntur.*
℟. *Et renovabis faciem terræ.*
℣. *Domine salvum fac Regem.*
℟. *Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*
℣. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

ORATIO.

ECCLESIÆ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, securâ tibi serviat libertate.

Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Et famulos tuos Papam, Philippum Regem nostrum, Principem cum prole regia, Antistitem nostrum, & præsentis Concilii congregationem, ab omni adversitate custodi. Per Christum dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Deinde sacerdos, acceptâ patenâ, prosequitur: *Libera nos &c.*

ACTIO PRIMA CONCILII PROVINCIALIS TOLETANI

Celebrata die octavo Septembris MDLXXXII.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDLXXXII. indictione decima, die verò octavo mensis Septembris, quo festum Nativitatis B. Mariæ ab Ecclesia celebratur, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris, & domini nostri Gregorii divinâ providentiâ Papæ XIII. anno undecimo, regni verò Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici domini nostri anno vicesimo septimo. Cùm ex veterum Canonum, & novissimę sanctæ Tridentinæ Synodi decreto, Toleti in Ecclesia Metropolitana hoc sanctum Provinciale Concilium convenisset, præsidente Illustrissimo & Reverendissimo domino Gaspare Sanctę Romanę Ecclesiæ tituli Sanctæ Balbinæ presbytero Cardinali, Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum Primate, *excitante & favente* imprimis eodem Philippo Rege Catholico domino nostro clementissimo, assistentibus Reverendissimis Episcopis Comprovincialibus Alvaro Palentino, Antonio Cordubensi, Francisco Giennensi, Gomezio Carthaginensi, Alphonso Oxomensi, vocatis quoque & comparentibus, tam hujus Metropolitanæ capitulo, & ab ipso deputatis, quàm aliarũ Ecclesiarum Cathedraliũ hujus provincię venerabilibus procuratoribus; post Missarũ solennia celebrata, & Spiritûs sancti gratiam ex more rituque Ecclesiastico invocatâ, interrogati sunt Patres per Concilii Secretariũ altâ & intelligibili voce in hæc verba:

Reverendiss. Patres, placet ne vobis, ad laudem & gloriam sanctę & individuæ Trinitatis, decernere & declarare hoc sanctum Concilium Provinciale in hanc Metropolitanam Ecclesiam ad præsentem diem indictum, ritè & rectè incipere, inceptumque esse? & singuli responderunt: Placet.

Placet ne etiam, ut pro felici hujus Concilii inchoatione legatur decretum sanctę & Oecumenicæ Synodi Tridentinę de habendis Conciliis Provincialibus? & responderunt: Placet. & lectum est à diacono sacris vestibus induto.

Placet ne quoque, ut tam ad notitiam præsentium, quàm ad convincendam absentium negligentiam, vel contumaciam, recitentur indictio prima hujus Provincialis Concilii, & ultima ejusdem prorogatio, ab Illustrissimo & Reverendissimo Metropolitano factæ? & responderunt: Placet. Et recitatæ sunt.

Placet ne præterea decernere & declarare, per sedendi ordinem, si fortè in hac aut cæteris sequentibus Actionibus, vel congregationibus, aliquis non suo loco sederit, steterit, vel incesserit, nulli jus quæsitum, nulli præjudicium in posterum factum esse? & responderunt: Placet.

Placet ne etiam, ut usque ad futuram proximam Actionem, interea pro loco ad congregationes habendas, aula, quæ Conciliorum dicitur, in ædibus Archiepiscopalibus hujus civitatis designata deputataque sit? & responderunt: Placet.

Postea die decimo septimo Septembris Patribus placuit, locum habendarum congregationum extendere ad quodcumque conclave earundem ædium Archiepiscopalium, ab Illustrissimo Metropolitano eligendum.

Ego Gaspar Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas diffiniens subscripsi.

Ego

Ego Alvarus Epiſcopus Palentinus & Comes diffiniens ſubſcripſi.
Ego Antonius Epiſcopus Cordubenſis diffiniens ſubſcripſi.
Ego Franciſcus Epiſcopus Giennenſis diffiniens ſubſcripſi.
Ego Gomezius Epiſcopus Conchenſis diffiniens ſubſcripſi.
Ego Alphonſus Epiſcopus Oxomenſis diffiniens ſubſcripſi.
Ego Laurentius Epiſcopus Seguntinus diffiniens ſubſcripſi.
Ego Andreas Epiſcopus Segovienſis diffiniens ſubſcripſi. Qui nuper, ut Abbas de Alcalà la Real diffiniens.

In quorum fidem ſubſcripſi
Joannes Baptiſta Perez Canonicus Toletanus, ſancti Concilii Provincialis Secretarius.

Poſt primam Actionem advenerunt Reverendiſſimus Epiſcopus Seguntinus, & D. Abbas Alcalæ Regalis, mox factus Epiſcopus Segovienſis, & D. Abbas Valliſ-oletanus, qui ſimiliter primę Actioni ſubſcripſerunt. Reverendiſſimus autem Gomezius Epiſcopus Carthaginenſis ipſius Concilii tempore translatus eſt ad Eccleſiam Conchenſem.

SECUNDA ACTIO
CONCILII PROVINCIALIS
TOLETANI

Celebrata feriâ quartâ, die nono menſis Martii, in feſto SS. Quadraginta Martyrum anno MDLXXXIII.

DECRETUM I.

Proteſtatio Catholicæ fidei.

CUM intelligat hæc ſancta Synodus Provincialis Toletana, fidem eſſe fundamentum ſine quo fruſtra bonorum operum ædificatio quæritur, ex veterum Conciliorum omnium exemplo, atque imprimis ſacroſanctę Synodi Tridentinę præceptis obſequuta, ſicuti profeſſionem fidei in ipſa prima hujus Concilii congregatione fecit, ſic nunc eandem publicè ex formula à felicis recordationis Pio Papa IV. præſcripta, pronunciantibus Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Cardinali Metropolitano, ac ſanctiſſimis Epiſcopis Comprovincialibus, repetit, & jure jurando confirmat. Ego Gaſpar Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum Primas, & ego Alvarus Epiſcopus Palentinus, & ego Antonius Epiſcopus Cordubenſis, & ego Franciſcus Epiſcopus Giennenſis, & ego Gomezius Epiſcopus Conchenſis, nuper Carthaginenſis, & ego Alphonſus Epiſcopus Oxomenſis, & ego Laurentius Epiſcopus Seguntinus, & ego Andreas Epiſcopus Segovienſis nuper Abbas Alcalæ Regalis, & ego Alphonſus Abbas Valliſ-oletanus, firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: *Credo &c.*

Hìc inſerta erat formula profeſſionis fidei à Pio IV. præſcripta. Sed cùm jam edita fuerit ſuprà, initio Concilii Provincialis Toletani celebrati anno MDLXV. viſum fuit illam de cætero prætermittere, legendam ibi.

DECRETUM II.

De ordine ſervando in hoc Concilio.

IN ſententiis dicendis, decretum undecimi Concilii Toletani, quod à pleriſque Synodis, tum Oecumenicis, tum Provincialibus uſurpatum legitur, multò magis à Patribus, qui in hanc Synodum convenerunt, & obſervari, & ob oculos ſemper haberi convenit. Id eſt hujuſmodi:

In loco benedictionis conſidentes domini Sacerdotes, nullis debent, aut indiſcretis vocibus præſtrepere, aut quibuſdam tumultibus perturbare, nullis etiam vanis fabulis vel riſibus agi, & (quod deterius eſt) obſtinatis diſceptationibus tumultuoſas voces effundere. Si quis enim, ut Apoſtolus ait, putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed deducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Cultum enim ſuum juſtitia perdit, quando ſilentia judicii obſtrepentium turba confundit, dicente Propheta: *Erit cultus juſtitiæ ſilentium.* Debet ergo quicquid aut collationibus conſidentium agitur, aut à cauſſantium parte proponitur, ſic mitiſſima verborum relatione proferri, ut nec contentionis vocibus audientiã turbent, nec judicum vigorem de tumultu enervent. Quicumque ergo in conventu Concilii hæc quæ præmiſſa ſunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis, vel riſibus concilium conturbaverit; juxta divinæ legis edictum, quo præcipitur: *Ejice deriſores, & exibit cum eo jurgium*; cum omni dedecore de confeſſione abſtractus, à communi cœtu ſecedat, & trium dierum excommunicationis ſententiam perferat.

DECRETUM III.

De quibus agendum ſit in hoc Concilio.

CUM multæ à ſacris Canonibus olim, & nuper à ſacroſãcta & Oecumenica Synodo de ſingulorũ ſacramentorũ ratione & uſu, deque omnium officiorum Eccleſiaſticorum genere, ac morum reformatione, ſanctiſſimè conſtituta ſint; ne ſingula capita repetere ſit neceſſe, hæc ſancta Synodus Provincialis quanto maximo poteſt ſtudio Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Metropolitanum, cęteroſque

hujus

hujus provinciæ ſanctiſſimos Epiſcopos, in Domino monet, hortatur, &, ſi opus ſit, illis mandat, ut pro muneris ſui officio eadem decreta aſſiduè verſantes, tum in ſe ipſis, tum in ſubditis, debitæ mandent executioni; cùm exploratum ſit, in illorum obſervatione præſentium morum correctionem & certam inſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſpem eſſe poſitam.

DECRETUM IV.

Quales debeant eſſe ii, qui ad Epiſcopatum evehuntur.

QUONIAM ſacra Tridentina Synodus in Conciliis Provincialibus pro ſingularum regionum more propriam examinis formulam præſcribi juſſit, ex qua de eorum, qui ad Epiſcopatus promovendi eſſent, qualitatibus inquireretur; hæc ſancta Provincialis Synodus ſubjectam formulam, tanquam eidem Synodo Tridentinæ conſonam, & moribus hujus provinciæ convenientem proponit, arbitrio tamen ſanctiſſimi domini noſtri approbandam; ut ſcilicet quoties in poſterum ad Metropolitanam vel Cathedralem aliquam hujus provinciæ Eccleſiam, nominatus quiſpiam, præſentatuſve fuerit, ſtatim Apoſtolicus Legatus ſive Nuncius, aut ipſius nominati Ordinarius, vel certè, eo deficiente, Ordinarius vicinior, vocatis teſtibus, non tantùm ab ipſo deſignato Epiſcopo oblatis, ſed aliis etiam ex ſuo officio quæſitis, de ipſius nominati qualitatibus per hæc præcipua capita inquirat. Sitne ex legitimo matrimonio natus. An triceſimum ætatis annum exegerit. An moribus gravis, & prudens, & an hoſpitalis ſit. Sitne in ſacro ordine antea, ſaltem ſex menſium ſpatio, conſtitutus. An ſcientiâ literarum ita polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere; ideoque in Univerſitate ſtudiorum magiſter, ſive doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel Jure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quòd ſi regularis fuerit, à Superioribus ſuæ religionis ſimilem fidem habeat. An præterea alicujus à ſancto Inquiſitionis officio damnati vel reconciliati filius nepoſve ſit, vel ipſe etiam de rebus fidei accuſatus fuerit, præterquam ſi exigente juſtitia, ab Inquiſitoribus fuerit abſolutus.

Profeſſionem quoque fidei idem deſignatus Epiſcopus ex formula à felicis recordationis Pio Papa IV. præſcripta faciat, & juramento confirmet.

Quòd ſi is ab uno Epiſcopatu ad alterum transferatur, quæratur etiam qualem ſe in anteriori geſſerit Eccleſia.

De ipſius etiam Eccleſiæ ſtatu rogentur teſtes, ſi Cathedralis ſit, quot dignitates, vel præbendas in ſe habet: ſi verò Metropolitana, quos præterea Epiſcopatus ſuffraganeos ſive Comprovinciales ſub ſe complectatur. Et demum, an ipſam Eccleſiam Paſtore vacare ſciant.

Hæc omnia acta in publicum inſtrumentum redacta, ipſe qui hujuſmodi examini præfuit Epiſcopus, ſigillo ſuo obſignata ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem gratis & fideliter referet.

DECRETUM V.

De reſidentia Epiſcoporum.

QUAMQUAM ſancta Tridentina Synodus Epiſcopos in Domino hortatur & admonet, ne præcipuis feſtis & temporibus per annum Eccleſiam Cathedralem deſerant, & jam olim à Concilio Carthaginenſi V. nuperque à proximo Toletano Epiſcoporum ab Eccleſiis Cathedralibus abſentia reprehenſa eſt; tamen ut alienis ac novis interpretationibus aditus præcludatur, mandat hæc ſancta Synodus omnibus hujus Provinciæ Prælatis, ne in poſterum extra Eccleſiam Cathedralem locum aliquem, etiam propriæ diœceſis, quamvis inſignem & celebrem, ad ordinariæ habitationis uſum ſibi eligant, ſed ipſam potiùs Cathedralem præſentiâ ſuâ ornent & conſolentur, niſi aut viſitationis cura aut neceſſaria Epiſcopalia munia eos aliò ad tempus avocent.

DECRETUM VI.

Ut Epiſcopi ſeminaria erigi curent.

SEMINARIA ubi pueri ex præſcripto Tridentinæ Synodi virtute & literis ad Eccleſiæ miniſteria imbuendi ſunt, licèt hactenus propter nonnullas difficultates nondum ſint inſtituta; quoniam tamen inſignem continent Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, hortatur hæc ſancta Synodus omnes hujus provinciæ Prælatos, ut vel præſtimoniorum aliquot Beneficiorumque ſimplicium annexionibus, vel aſſignatâ ex ſingulis Beneficiis moderatâ aliquâ portione, ea quamprimum erigenda curent. Quibus & mandat, ut re tota cum iis ad quos ſpectat communicata, juxta ejuſdem Concilii decretum, quod incipit: *Cùm adoleſcentium ætas*, difficultatibuſque, quantum fieri poterit, ſuperatis, quod deliberatum erit, intra annum à fine præſentis Concilii ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Metropolitanum mittant, ut conſiliis collatis, tam neceſſarium opus ulteriùs non differatur.

DECRETUM VII.

Archivum Epiſcopale extrui jubetur.

ARCHIVUM Epiſcopale, quo ſcripturæ ad Epiſcopi dignitatem pertinentes ſervari poſſint, ſicubi nondum extructum eſt, quamprimum conſtituatur. Illius porrò duæ ſint claves Sede vacante, una penes capitulum, aut ab eo deputandum, altera penes

nes Prælatum ejus monaſterii, in quo archivum depoſitum exſtiterit, juxta formam à ſuperiori Concilio Toletano ea de re pleniſſimè traditam, & declarationem ſanctæ memoriæ Pii V. Quod verò ibidem præceptum exſtat de juramento præſtando à monaſterii Prælato, non permiſſurum ſe ullam ſcripturam abſque Metropolitani vel Superioris licentia inde abduci; idem quoque jusjurandum exigat ipſum capitulum ab eo, cui alteram archivi Epiſcopalis clavem ſervandam tradiderit.

DECRETUM VIII.

Ne Epiſcopi, vel alii quicumque, pro Beneficiorum collatione, inſtitutione, vel fundatione pecunias accipiant.

NULLUS Prælatus, ſive eo inferior collator, pro cujuſcumque præbendæ, Beneficii, aut cappellaniæ collatione, inſtitutione, vel nova etiam fundatione, pecuniam, vel quod pecuniâ æſtimetur, exigere, ac ne à ſponte quidem dantibus poſſit accipere.

DECRETUM IX.

Nemini, niſi ab Ordinario approbato, Beneficium conferatur.

BENEFICIUM quodcumque, etiam ſimplex, nemini conferatur; nec etiam ad patroni nominationem præſentationemve quiſquam in eo inſtituatur, niſi priùs per Ordinarii examen ad horas canonicas perſolvendas, & pro qualitate Beneficii ad alia Eccleſiaſtica miniſteria præſtanda idoneus eſſe comprobetur.

DECRETUM X.

Piæ teſtantium voluntates ac ſuffragia ſedulò adimpleri jubentur.

PIAS teſtantium voluntates negligere iniquum eſt: officium autem eſt non charitatis modò, ſed etiam juſtitiæ legibus debitum, preces & ſacra à fidelibus defunctis relicta peragi præſcriptis temporibus, atque perſolvi. Quò graviori doloris ſenſu eſt à Patribus auditum, magnum Miſſarum numerum in quibuſdam Eccleſiis de Eccleſiarum capitulis aut cappellis, vel omitti, vel differri, propter veteris eleemoſynæ tenuitatem, ſi ad horum temporum charitatem referatur, ſive quod indecorum videatur, antiquum Miſſarum numerum imminuere. Cui incommodo ſancta Synodus cupiens providere, atque omnem maledicis noſtrum miniſterium vituperandi occaſionem præſcindere: primoque tempore Synodus per ſingulas diœceſes haberi vult, ac in illis diſtrictè mandat Epiſcopis, etiam ſub interminatione maledictionis æternæ, ut omni poſtpoſitâ morâ, ex præſcripto ſacri Concilii Tridentini, habitâ ratione temporum, locorum, fructuum, & onerum, ſi quæ præterea Beneficiis ſunt impoſita, generali conſtitutione decernant, quæ redituum quantitas ſingulis Miſſis debeat reſpondere. Id tamen ne vicarii Epiſcoporum, aut viſitatores faciant; alioqui irritum & inane erit, ſi quid contrà fuerit attentatum.

DECRETUM XI.

Rerum Eccleſiaſticarum alienationes & locationes prohibentur.

ECCLESIASTICA bona in privatorum hominum gratiam plerumque utilitatis ſimulatione diſtrahi alienariique ſolent, vel certè in longum tempus contrà jus & fas locari, non ſine gravi eorum Eccleſiaſticicorum ſcelere, qui hujuſmodi damnorum, vel auctores ſunt, vel diſſimulatores. Quapropter hæc ſancta Synodus omnes hujus provinciæ Epiſcopos in Domino hortatur, quos etiam, ſi opus eſt, ex auctoritate ſibi ab Oecumenico Concilio Tridentino attributâ, ad hoc ipſum in executores deputat; vt in ſuis diœceſibus quaſcumque rerum Eccleſiaſticarum alienationes vel locationes ad multorum (ut vocant) vitam, & ultrà tempus à jure permiſſum, *in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones factas fuiſſe judicabunt*, illas continuò nullas, irritaſque decernant, & Eccleſiarum jus in priſtinam libertatem vendicent.

Lectis à diacono decretis, Secretarius interrogavit:

Reverendiſſimi Patres, placent ne vobis hæc decreta? Et ſinguli reſponderunt: Placent.

Placet ne etiam futuram & ultimam hujus ſancti Concilii Provincialis Actionem celebrari proximo ſabbatho in feſto S. Gregorii Papæ, quod erit die duodecimo præſentis menſis Martii? Et reſponderunt: Placet.

Ego Gaſpar Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, & Hiſpaniarum Primas, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Alvarus Epiſcopus Palentinus & Comes, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Antonius Epiſcopus Cordubenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Epiſcopus Giennenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Gomezius Epiſcopus Conchenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Alphonſus Epiſcopus Oxomenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Laurentius Epiſcopus Seguntinus, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Andreas Epiſcopus Segovienſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Alphonſus Abbas Vallis-oletanus, diffiniens ſubſcripſi.

In quorum fidem ſubſcripſi,

Joannes Baptiſta Perez Canonicus Toletanus, ſancti Concilii Provincialis Secretarius.

ACTIO TERTIA

Habita 12. *Martii MDLXXXIII.*

DECRETUM I.

Ut miniſtri tribunalis Eccleſiaſtici, ſingulis trienniis, & quoties eorum officia per obitum Epiſcopi vacaverint, à ſucceſſore Epiſcopo viſitentur.

VICARII, proviſores, viſitatores, promotores fiſcales, & denique omnes miniſtri, qui in tribunali Eccleſiaſtico ipſius Metropolitani, & Epiſcoporum, aliorumque inferiorum ſuis funguntur muneribus, non modò ſingulis trienniis, ſed & quoties illorum officia per obitum Epiſcoporum vacaverint, à ſucceſſore Epiſcopo, vel ab eo deputando, & non ab alio, viſitari debent. *Si officiales iſti voluerint rationes reddere, ne diutiùs expectatione futuri Epiſcopi ſuſtineantur, poterit capitulum Sede vacante, rationes adminiſtrationis recipere, ipſis q; officialibus juſtitiam poſtulantibus adminiſtrare. Nihilominus licebit ſucceſſoribus Epiſcopis ab eiſdem officialibus officiorum, adminiſtrationis q; eorum rationes exigere, etiamſi prædicti officiales redditis rationibus liberationem à capitulo obtinerent. Quoniam verò defuncto Epiſcopo hujuſmodi miniſtri non facilè colligi poſſunt ad reddendam adminiſtrationis rationem, Epiſcopi, quando ſibi officiales aſſumunt, ac deputant, ab eiſdem exigant cautiones idoneas de reddenda ratione adminiſtrationis, & judicatum ſolvendo Epiſcopis ſucceſſoribus, ſi contigerit eorum officia per ceſſum vel deceſſum Epiſcoporum vacare.*

DECRETUM II.

Ut proviſores & vicarii nihil, etiam à ſponte dantibus, ultra taxam accipiant.

QUOD in primo Concilio Toletano fuit ſtatutum, ut proviſores, & vicarii, ubi ex delegatione Apoſtolica de quibuſcumque cauſſis cognoverint, nihil, etiam à ſponte dantibus, aſſeſſoris titulo accipiant, neque ipſi, aut notarii pro ſportulis plus exigant, quàm quod ex publica Ordinarii tribunalis taxa percipi ſolet; idem omnino, & ſub iiſdem pœnis ſervandum hæc ſancta Synodus mandat à quibuſcumque, etiam officialibus, & miniſtris, Sede Epiſcopali vacante à capitulo deputatis.

DECRETUM III.

Ut litigantes unum ex duobus judicibus ſuperioribus eligere poſſint.

QUANDO litiganti jure vel conſuetudine conceſſum eſt, unum ex duobus judicibus ſuperioribus eligere, ad quem ipſe appellare maluerit; nemo illi ſub excommunicationis pœna audeat eam libertatem, vel palam extorquere, vel dolo impedire.

DECRETUM IV.

Ut excommunicationes nemini, præter Epiſcopum, ferre liceat.

CUM excommunicationes illas, quæ monitionibus præmiſſis ad revelationis finem, ut ajunt, ſive pro deperditis, ſubſtractiſque rebus ferri ſolent, à nemine prorsùs præterquam ab Epiſcopo, & ex cauſſa gravi, decernendas eſſe, ſacra Synodus Tridentina ſtatuerit, ne facilis illarum frequentia cenſuræ Eccleſiaſticæ ſeveritatem apud vulgus imminuat; hæc ſancta Synodus omnium Epiſcoporum curæ injungit, ut eam facultatem nemini ex ſuis officialibus committant. Ipſis verò vicariis omnibus, etiam generalibus, cæteriſque Epiſcoporum miniſtris, diſtrictè præcipit, ut poſthac hujuſmodi excommunicatione ſ ferendi auctoritate abſtineant. *Ipſis verò Epiſcopis abſentibus, eorum vicarii generales hujuſmodi auctoritate uti minimè prohibentur.*

DECRETUM V.

Stipendium viſitatoribus dandum, ab Epiſcopo aſſignetur.

QUANTUM ſtipendium viſitatoribus in ſingulis diebus dari debeat procurationis & viſitationis nomine, Epiſcopi ſinguli in ſuis diœceſibus definiant & præſcribant, ſive eſculenta, poculentaque danda ſint, ſive pecunia numeranda, juxta Concilii Tridentini decretum.

DECRETUM VI.

Epiſcopi, eorum quibus Eccleſiæ indigent, curam ſibi reſervent, nec alii committant.

QUONIAM redditus fabricarum importunâ ſolicitatione artificum valdè ſunt exhauſti, dum quiſque amicorum ope nixus, ad ſuum quæſtum fingit Eccleſias indigere ſtructuris, imaginibus, crucibus, calicibus, libris, veſtibus, aut reliquo ſacrorum apparatu, unoquoque tempore multis Eccleſiis ſuam operam & induſtriam magno

ad-

addicit, neque poteſt omnibus, niſi longiſſimo tempore, ſatisfacere; prohibet hæc ſancta Synodus omnibus Epiſcoporum vicariis, viſitatoribus, aliiſque miniſtris, ne hæc, aliave ejuſmodi opera facienda committant, ſed Epiſcopi eam curam ſibi ſolis reſervent. Qui tamen, niſi operis neceſſitate, & Eccleſiæ facultate exploratâ, alienoque ære, quoad fieri poterit, priùs ſoluto, nihil hujuſmodi inchoari permittant. Neque verò capitulis Eccleſiarum Cathedralium Sede vacante id ipſum liceat, *niſi fortè aliqua urgente neceſſitate*.

DECRETUM VII.

Eccleſiarum ſupellectilia ne Epiſcopi cuiquam facienda vel emenda committant, niſi priùs neceſſitate inſpectâ.

CAVEANT, non modò capitula, Sede vacante, ſed Epiſcopi, ne libros, calices, corporalia conſecrationis, aut offerendæ pacis tabellas, omne demum ſacræ ſupellectilis genus univerſis & ſingulis totius diœceſis templis, aut emendum diſtribuant, aut faciendum imperent, ſed ſoli Epiſcopi, quod cuique Eccleſiæ opus eſſe viderint, id tantùm faciendum imponant.

DECRETUM VIII.

Eccleſiaſtica opera ſemel ſaltem in anno ab Epiſcopis inquirantur.

AD artificum verò negligentiam, & Eccleſiaſticorum operum cunctationem corrigendam, ſancta hæc Synodus decernit, ut inchoata opera, quæ deportari commodè poterunt, ea Epiſcopo recognoſcenda ſemel ſaltem per annum, vel frequentiùs, ſi ita videbitur, afferantur.

DECRETUM IX.

Aſſignantur ſtipendia iis qui de alicujus qualitatibus inquirere debent.

QUOTIES aliquis ex iis, qui dignitates, canonicatus, portiones, dimidiaſve portiones, ſeu cappellanias obtinent, à capitulo electus fuerit ad inquirendum de ejus qualitatibus, qui eſt ad poſſeſſionem admittendus, nihilo plùs ſtipendii in ſingulos dies accipiat, quàm quod dari conſueverit iis, qui ab eodem capitulo ad Eccleſiæ negotia peragenda mittuntur.

DECRETUM X.

Nihil accipiendum pro receptione vel admiſſione cujuſquam ad præbendam vel Beneficium.

PRO receptione, vel admiſſione ad alicujus præbendæ, vel Beneficii poſſeſſionem aliquid ſolvi, quod inter ipſos Eccleſiæ Beneficiatos dividatur, abuſus eſt jam pridem ſacris Canonibus, & nuper ſacroſancti Concilii Tridentini decreto damnatus. Eum ubicumque Epiſcopi agnoverint vigere, aboleri prorsùs curent. Poterit tamen offerri, & accipi quod in Eccleſiæ fabricam, aut alios pios uſus, immemorabili conſuetudine converti ſolitum eſt.

DECRETUM XI.

Ut ad Eccleſiam admittendi fidei profeſſionem emittant, formulâ à B. Pio IV. præſcriptâ.

PRÆSENTIUM temporum calamitas, & malorum impendentium metus facit, ut majore in dies cautione opus ſit Eccleſiæ miniſtris conſtituendis. Quod ergo Oecumenica Tridentina Synodus de habentibus dignitates & canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus ſtatuit, ut à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intrà duos menſes, non ſolùm coram Epiſcopo ſeu ejus officiali, ſed etiam in capitulo fidei profeſſionem faciant, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac jurent, id totum Cathedralium Eccleſiarum portionarii, & in Collegiatis dignitates, canonicatus, portioneſve obtinentes præſtent & faciant, ex formula à Pio IV. Pontifice Maximo præſcripta. Quòd ſi negligentes exſtiterint, chori diſtributionibus continuò priventur.

DECRETUM XII.

Ut in Cathedralibus Eccleſiis canonicatus portiones & deſignentur, quibus presbyteratûs, diaconatûs, & ſubdiaconatûs ordines annexi ſint.

CURENT diligenter Epiſcopi, ſicubi id nondum præſtitum eſt, ut in Cathedralibus Eccleſiis canonicatus, portioneſve deſignētur, quibus præsbyteratûs, diaconatûs, & ſubdiaconatûs ordines annexi eſſe debeant: ut juxta Tridentini Concilii præſcriptum, dimidia ſaltem pars presbyteri ſint, aut ſi laudabilior conſuetudo omnes eſſe presbyteros poſtulet, eadem obſervetur. Illę autem præbendæ, ut ſuperior Toletana Synodus definivit, ſacerdotium annexum habere cenſendæ ſunt, quibus celebratio Miſſæ vel incumbit, vel indici ex conſtitutionibus aut conſuetudine ſolet. *Quicumq; autem, tam in Cathedralibus, quàm in*

Collegiatis, intra annum requisitos ordines non susceperint, juxta Concilii Viennensis constitutionem, quæ incipit: Ut ii qui; *à Concilio Tridentino renovatam, non solùm voce in capitulo careant, sed neque plusquam dimidiam* distributionum quotidianarum partem percipiant. Nisi propter causam aliquam justam ab Ordinario approbandam, à suscipiendis ordinibus ad aliquod tempus impediantur.

DECRETUM XIII.

De residentia canonicorum, Dignitatum, aliorumque Ecclesiasticorum.

Quęcumque à sancto Tridentino Concilio, & proximo Toletano decreta sunt de residentia eorum, qui in Cathedralibus, sive Collegiatis Ecclesiis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones obtinent, & de illorum absentia ultra tres menses non extendenda; præsertim verò quæ de tertia fructuum parte in distributiones quotidianas assignanda, ejusdem Tridentini Concilii decreto, quod incipit: *Cùm Beneficia ad divinum cultum salubriter sint instituta*; dent operam singuli Episcopi, ut sine ulla mora, aut dissimulatione in ipsorum Ecclesiis accuratè præstentur.

DECRETUM XIV.

Ne ullus è clero ante horæ finem à choro discedere, absque rationabili caussa, audeat.

Qui altari deserviunt, eos de altari vivere, divina, & Apostolica auctoritate concessum est: iniquum autem, obsequii simulatione fructus intercipere Ecclesiasticos. Quod eos facere Beneficiatos certum est, quicumque ad principia horarum in chorum convenientes, reliquum tempus Deo dicatum deambulando, aut confabulando consumunt, magno dedecore nominis Ecclesiastici, præcipuâ Patrum, qui in hanc Synodum Provincialem convenêre, molestiâ. Ergo eum abusum multorum Conciliorum Canonibus graviter notatum animadvertens hæc sancta Synodus, detestatur primùm & damnat; deinde decernit, iis, qui in Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis dignitates, Canonicatus, portiones, dimidiasve portiones, seu officia obtinent, non licere ante horæ finem à choro discedere, nisi corporalis necessitas excusset, vel evidens Ecclesiæ utilitas, *vel alia rationabilis caussa*, petitâ priùs licentiâ ab Episcopo, si adsit, aut à chori præsidente, caussâque indicatâ ei, qui præsentes in choro signat. Alioqui ejus horæ distributionem in conscientia amittant, absque omni remissione, quæ potiùs corruptela dicenda est: cùm præsens esse, aut interesse dici non possit, qui exiguo tempore adest.

DECRETUM XV.

Ut concionis tempore nemo ex Beneficiatis à choro discedat.

Cum frustrà leges sint constitutę, si eorum, quibus executio commissa est, dissimulatione vel incuria negligentiùs observentur; mandat hæc sancta Synodus, etiam sub excommunicationis pœna, ei, qui singulis horis præsentes in choro signat, ut eos Beneficiatos observet, atque notet, qui absque legitima caussa, quo tempore sacra concio habenda est, à choro discedunt, ut Concilio proximo Toletano statutum est: aut festis ibi designatis Eucharistiam de manu presbyteri majorem Missam celebrantis non sumunt. *Porrò ii, qui concionis tempore se à choro subtraxerint absque legitima caussâ, tamquam ab illius diei processione & Missa absentes, nihil adquirant, distributioneque illis ea ratione aliàs debitæ, præsentibus, non obstante quacumq; remissione, accrescant. Qui verò admoniti, unam atque alteram proximam ex prædictis festivitatibus designatis siverint præterire, nec communicaverint, quia valdè verendum est, eos perniciosis peccatorum laqueis irretitos teneri, quominus ad cœlestem mensam his solennibus saltem anni temporibus accedant, cùm præsertim multò antè possint animam salubri medicamento pœnitentiæ præparare ad sumendum illum sanctissimum panem quotidianum in remedium quotidianæ infirmitatis; curabunt Episcopi de eorum vita & conversatione diligentiùs inquirere, ut occasiones auferant, quæ illos à via salutis divertere possunt.*

DECRETUM XVI.

Ut prębendati in solennioribus festis munus suum diligentiùs exerceant.

Decet eos potissimùm dies, qui sacratiora nobis Domini nostri referunt mysteria, & divinam in nos benignitatem copiosiùs testantur, ab universis Christi fidelibus solenniùs coli; qualia sunt festa Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri, Pentecostes, Corporis Christi, cum ejus octavis, Assumptionis Beatę Marię, & omnium Sanctorum. Quod ut diligentiùs fiat, & ipse populus, qui hisce diebus frequentior in Ecclesia convenire solet, vehementiùs, & Ecclesiasticorum copiâ ad Dei laudes concelebrandas accendatur; monet quidem sancta Synodus eos omnes, qui in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis præbendas obtinent, & plurimum in Domino hortatur, ut cùm diebus reliquis, tum his potissimùm solennioribus, munus suum agnoscant, & præstent: sed ut eos etiam emolumentis temporalibus invitet, statuit, ut in omnibus Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ex fructibus dignitatum, canonicatuum, personatuum, portionum, dimidiarumvè portio-

tionum, & officiorum, diſtributiones aliquæ pleniores, ac reliquorum dierum diſtributionibus majores aſſignentur (*ſi illæ, quæ aſſignatæ reperiuntur, tenues arbitrio Epiſcopi judicentur, ut horum dierum ſolennitatibus dignè non reſpondeant*) quas ii tantùm percipiant, qui prædictis diebus preſentes atque intereſſentes choro fuerint.

DECRETUM XVII.

Diſtributiones quotidianæ ſolis intereſſentibus aſſignantur.

JAM diù à Bonifacio VIII. in conſtitutione quę incipit: *Conſuetudinem*, improbatus ille abuſus eſt, ut diſtributiones quotidianæ ab iis percipiantur, qui licèt præſentes in civitate ſint, ubi ipſa ſita eſt Eccleſia, divinis tamen non interſunt officiis. Neque eâ lege excepti ſunt, niſi quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſat. Iccircò hęc ſancta Synodus eam conſuetudinem deteſtatur, aboleriqúe vult, quæ in quaſdam hujus provincię Cathedrales Collegiataſqúe Eccleſias irrepſit, ut ii, qui dignitates, canonicatus, perſonatus, portiones, dimidiaſve portiones, vel officia obtinent, recreationis, ut vocant, vel requiei diebus, quibus jure aut conſuetudine ab iiſdem Eccleſiis abeſſe poſſunt, *diſtributiones nihilominus meras quotidianas accipiant*, cum illæ præſentibus tantùm, & per ſingulas horas choro intereſſentibus conſtitutæ ſint.

DECRETUM XVIII.

Qui præbendas obtinent dignitatibus non unitas, ea miniſteria exequantur, quæ ejuſmodi præbendis injunguntur.

QUICUMQUE dignitates ſimul, & prębendas obtinent, quæ non ſint perpetuò ipſis dignitatibus unitæ, non modò in altari Miſſarum ſolennia, quæ ratione prębendarum ipſis incumbunt, celebrare teneantur (ſicuti à proximo Concilio Toletano ſtatutum eſt) ſed in choro aliis fungi miniſteriis debent, quę cæteris ejuſmodi prębendis injunguntur.

DECRETUM XIX.

Ut Epiſcopis in choro & capitulo prima ſedes, locus, auctoritas, ac poteſtas ſit: eisq; cùm capitulum convocandum erit, ſchedula cum capitibus rerum agendarum exhibeatur.

EPISCOPIS in choro & capitulo prima ſedes, & locus, quem ipſi elegerint, prębipua omnium rerum agendarum auctoritas, convocandi capitula, ſi adſint, vota exquirendi, & juxta ea concludendi, poteſtas prima eſſe debet, ut ſacro Concilio Tridentino ſancitum eſt. Quod ſi Epiſcopus capitulum non convocaverit, ut in deliberationibus maturiùs & conſultiùs procedatur, decernit hæc ſancta Synodus, ac diſtrictè mandat, *ut ſi ex conſuetudine ſchedula cum rerum agendarum capitibus ſingulis canonicis traditur, illa etiam Epiſcopo exhibeatur*; præterquam ſi de re ad Epiſcopi, vel ſuorũ commodum ſpectante, erit tractandum.

DECRETUM XX.

Ne quæ in uno capitulo rata ſunt, in alio irrita cenſeantur.

NE ea, quæ maturo prudentiqúe multorum conſilio bene inſtituta ſunt, paucorum fraude evertantur, Cathedralium Collegiatarumqúe Eccleſiarum canonicis, ea, quę legitimè aliquo capitulo decreta antè fuerint, alio poſtmodùm capitulo reſcindere non liceat, niſi totidem ſaltẽ ſententiæ revocandi ſtatuti fuerint, quot ejuſdẽ decernendi fuiſſe cõſtiterit. Cujus rei ut certior deinceps haberi ratio poſſit, curet is qui capitulo pręeſt, ut in ſingulis capitulis ſuffragiorum numerus & nomina in acta referantur.

DECRETUM XXI.

Ut parochiæ dividantur, deſcribanturq; per vicos & domos cuique Eccleſię viciniores.

SANCTISSIME à Tridentina Synodo ſancitum eſt, populum in parochias proprias certaſqúe deſcribi, ut ſciat unuſquiſque unde ſacra petere debeat, & quem vitę magiſtrum atque inſpectorem habeat. Invaluit autem in nonnullis hujus provinciæ oppidis prava conſuetudo, ut incolis liberum ſit parochiam cui adſcribantur eligere, unde gravia incommoda exiſtere neceſſe eſt, ovium curam negligi, ac ne cognoſci quidem, cùm certas ſedes non habeant per totum oppidum diſperſæ: diſſimulari delicta, remitti decimas tranſitionis metu, fædas ſolicitudines exiſtere, non abſque ſimoniacæ labis infamia. His incommodis occurrens hæc ſancta Synodus, hujus provinciæ Epiſcopis mandat, eum abuſum de urbibus & oppidis quibuſcumque quamprimùm tolli, dividiqúe parochias, atque deſcribi per vicos & domos cuique Eccleſiæ viciniores.

DECRETUM XXII.

Ut Beneficia parochialia, ſive curata, quibuſcumque locis unita & annexa, ab Ordinario ſingulis annis viſitentur &c.

BENEFICIA curata, ſive parochialia, quæ Cathedralibus Collegiatiſqúe Eccleſiis, dignitatibus, prębendis, capitulis, monaſteriis, collegiis, aliiſqúe piis locis quibuſcumque perpetuò unita & annexa reperiuntur, ab Ordinario ſingulis annis viſitentur, &

in

in iis ab eodem conſtituantur & deputentur vicarii perpetui, vel temporarii (prout ipſi Ordinario pro bono Eccleſiarum regimine expedire videbitur) cum tertia portione fructuum, aut majori vel minori, ejus arbitrio aſſignanda. *Quod moderandum erit ad præſcriptum Conſtitutionis Pii V. de portionibus, quæ vicariis perpetuis aſſignari debent. Ita tamen, ut ſi vicarii perpetui fuerint conſtituendi, non ad liberam Ordinariorum electionem, ſed ad nominationem illorum, in quorum Eccleſiis unitis ponentur, cum ipſorum Ordinariorum, ſeu eorum vicariorum prævio examine & approbatione, juxta eandem Pii V. conſtitutionem, deputentur.*

DECRETUM XXIII.

Ut examen, ſive ad Eccleſiam parochialem, ſive ad quodlibet aliud Beneficium, publicè fiat.

PROPOSITO edicto vacantis parochialis, qui convenient competitores, non clam, ſed publicè examinentur. Quòd ſi locus aliquis ex Theologia, aut Jure Canonico explicandus diſputatione ſit, cæteris autem competitoribus ſi quid objicere volent, poteſtas fiat: ſic enim de judicii æquitate conſtabit, & calumniæ auferetur occaſio. Idem fiat quoties per examen, etiam ſine concurſu parochialis Eccleſiæ, collatio ſive conſtitutio erit facienda.

DECRETUM XXIV.

Ut ſemel approbatus, aliâ parochiâ vacante, denùò examini ſubjiciatur.

NEQUE verò ſatis ſit aliquem ex competitoribus inſignem doctrinâ videri, examinatoribuſque notum eſſe, aut aliâ parochiâ vacante jam examinatum, probatumque fuiſſe, ſed neceſſe erit vacantibus ſingulis Eccleſiis, quas ille petierit, ad novum examen venire, & cum cæteris comparari.

DECRETUM XXV. aliàs XXVI.

Ne alicui parochia regenda conferatur, inſcio illo ad quem collatio ſpectat.

CAVEANT tum Epiſcopi, tum Epiſcoporum, ſive capitulorum Sede vacante vicarii, ne ei, quem magis idoneum per examen judicaverint, antè parochiam regendam committant, quàm idem ab eo, ad quem exſpectat collatio, fiat: ne in collationis literis impetrandis negligens effectus, ſine canonica inſtitutione Beneficium Eccleſiaſticum obtinere videatur.

DECRETUM XXVI. aliàs XXVII.

Ne ſacerdotes, vel intuitu confeſſionis, vel pro aliis ſacramentis adminiſtrandis, aliquid accipiant.

CUM profanis ſacriſque legibus interdictum ſit judicibus omnibus, ne ſe muneribus corrumpi patiantur, quò liberiores ſint ad ſuum jus cuique tribuendum; multò id magis in confeſſionis judicio ſervandum eſt, ubi ſalus agitur animarum. Nullus itaque ſacerdos, vel ratione confeſſionis, vel pro aliis ſacramentis adminiſtrandis, *præterquam ex laudabili conſuetudine à ſponte dantibus*, pecuniam, vel quod pecuniâ æſtimari poſſit, accipiat. Qui contra fecerit, ab adminiſtratione ejus ſacramenti ad arbitrium Ordinarii ſuſpendatur.

DECRETUM XXVII. aliàs XXVIII.

Confeſſionaria quo pacto fieri debeant.

UT inſtitutum ad peccatorum medicinam confeſſionis ſacramentum, ab omni criminis & calumniæ occaſione liberum ſit; confeſſionaria in ſingulis Eccleſiis conficiantur aperta, ita tamen ut inter confeſſorem & mulierem pœnitentem, honeſtatis cauſſâ, ferrea lamina, aut tabella minutis foraminibus pertuſa interponatur. *Ad hæc neque in hoſpitalibus, aut eremitoriis, neque in cappellis Eccleſiarum, neque in privatis domibus, niſi morbi cauſſâ, aut alia urgente neceſſitate, confeſſiones fœminarum audiantur.*

DECRETUM XXVIII. aliàs XXIX.

Confeſſariorum pœna, ſi cum fœminis, quarum confeſſiones audierint, polluantur.

SI quis ſacerdos, cum ea fœmina, cujus antea confeſſionem audierit, carnali commiſtione ſe polluiſſe, convictus fuerit; Beneficiis omnibus ab Epiſcopo privetur, & ab executione ordinum, ſacramentorumque adminiſtratione, quamdiu eidem Epiſcopo videbitur, ſuſpenſus erit, *aliis & pœnis, quibus graviſſimum hoc ſcelus ſacri Canones vindicant, ſeverè afficiantur.*

DECRETUM XXIX. aliàs XXX.

Qui fœminarum confeſſiones audire debeant, quâ ætate eſſe oporteat.

SACRAMENTORUM miniſtros non crimine modò, ſed etiam ſuſpicione criminis carere convenit, & ad officii nomen ætatis gravitatem adjungere. Iccircò nullus ſacerdos ante expletum quadrageſimum ætatis annum, exceptis tantum parochis, mulierum confeſſiones

nes

nos audiat. Qui in minore, quàm dictum eſt, ætate fœminis ſacramentum Pœnitentiæ miniſtraverit, quamvis alioqui idoneus & approbatus ab Ordinario, ipſo facto ab officio audiendi confeſſiones ſuſpenſus ſit tamdiù, donec eidem Ordinario viſum fuerit. Licebit tamen Epiſcopo, cujus id conſcientiæ relinquitur, hac ætatis lege ſolvere eos ſacerdotes, quorum probitatem habuerit exploratam.

DECRETUM XXX. aliàs XXXI.

Quonam habitu ſacramenta miniſtrari debeant.

SANCTA ſanctè tractanda ſunt, veſteſque adhibendæ rebus agendis conſentaneæ, diſcretéque à communibus. Optat ergo ſancta Synodus, ut divinum Miſſæ ſacrificium celebraturi ſacerdotes, veſtibus ſacris ſuperpelliceum ſubjiciant: iiſdem autem mandat, ut ſuperpelliceo induti, ſi commodè fieri poſſit, confeſſiones audiant, & cętera ſacramenta miniſtrent.

DECRETUM XXXI. aliàs XXXII.

Ne quis ſacris ordinibus initietur, niſi Beneficium Eccleſiaſticum, aut patrimonium vęrè obtineat.

QUAMQUAM ſacris Canonibus olim, & nuper Tridentinæ Synodi decreto ſatis cautum eſt, ut nemo ſacris ordinibus initietur, qui vel Beneficium, vel certè pro neceſſitate, aut commoditate Eccleſiarum, Epiſcopi judicio, penſionem, patrimoniumve non obtineat; tamen nonnulli ſe ipſos fallentes, non Deum, ſimulatis donationibus cum tacito vel expreſſo reſtituendi pacto, aliiſque fraudibus, conficta patrimonia, vel aliena Beneficia pro legitimis ac propriis, ordinationis cauſsâ producunt. Si quis ergo poſthac falſa confictaque hujuſcemodi patrimonia, vel commodata Beneficia, ut ordinetur attulerit, ab executione ordinum ipſo facto, quoad Ordinario viſum fuerit, ſuſpenſus exiſtat: ac præterea arbitrariis pœnis ſeverè multetur.

DECRETUM XXXII. aliàs XXXIII.

Ut quicumque ad ordines titulo patrimonii aut penſionis promoventur, ejus Eccleſiæ ſervitio addicantur, cui tamquam neceſſarii aut utiles ſunt ordinati.

QUONIAM patrimonii titulo ordinandi non ſunt, niſi quos propter Eccleſiarum neceſſitatem vel commoditatem aſſumendos Epiſcopus judicaverit; quique ipſarum Eccleſiarum miniſterio ita deputentur, ut locum inconſulto Epiſcopo non poſſint deſerere; multi tamen poſtquam occaſione raritatis miniſtrorum, ad titulum patrimonii vel penſionis ſunt admiſſi, incertis vagantur ſedibus, neque ullum officii genus ei Eccleſiæ præſtare curant, cui ſe fore utiles antea prædicabant; ideo hæc ſancta Synodus, Oecumenicæ Synodi Tridentinæ præcepto inhęrens, ſtatuit, ut quicumque poſthac ad ſacros ordines titulo patrimonii aut penſionis promovebuntur, ejus Eccleſiæ ſervitio addicantur, cui tanquam neceſſarii aut utiles ſunt ordinati. Ea verò deputatio in literis ordinum teſtimonialibus adſcribatur, ut viſitatores à ſingulis ejus monaſterii rationem exigant. Quòd ſi inconſulto Epiſcopo locum cui adſcripti ſunt deſeruerint, eis ex præſcripto Tridentinæ Synodi ſacrorum exercitium interdicatur.

DECRETUM XXXIII. aliàs XXXIV.

Quid de qualitatibus primâ tonſurâ initiandorum, aut ad minores ordines promovendorum, inquirendum ſit.

IN eorum qualitatibus inquirendis, qui vel primâ tonſurâ initiandi, vel ad minores, ſacroſque ordines promovendi ſunt, quòd ad genus quidem attinet, ſatis ſit de parentum & avorum qualitatibus interrogare, idque juxta conſtitutionem Bonifacii VIII., quæ incipit: *Statutum*: cum uſus doceat, pleniorem generis perſcrutationem, & difficilem eſſe, & multis præterea perjuriis, calumniis, & inimicitiis expoſitam.

DECRETUM XXXIV. aliàs XXXV.

De habitu clericorum.

GRAVITER fert hæc ſancta Synodus eorum clericorum luxum, qui & in ipſa prima tonſura, ut ignominiam ſæcularis habitus deponerent, ſunt admoniti; poſtea tamen, etiam ſacris initiati, ornatum pompamque ſæcularium imitantur & vincunt. Prohibet igitur, ne poſthac ulli clerici in ſacris ordinibus conſtituti, vel Beneficium obtinentes Eccleſiaſticum, utantur ſubucularum extremis oris ad collum manuſque criſpatis, aut femoralibus turgidis vel inciſis: nec in veſtibus laneis alios uſurpent colores, præter quatuor modeſtos & obſcuriores, nempe nigrum, violaceum, cinericium, hoc eſt pardum, & caſtaneum, hoc eſt leonatum. Neque togas interiores, quas ſotanas vocant, ex damaſco raſo aut villoſo ſerico conficiant, vel omnino ex ullo ſerici genere præter tafetanum, aut ſi quid eſt eo vilius, & inferius: neve ullum genus veſtium, etiam domeſticarum, auro vel argento intexto, vel aſſuto ornent: ne calceis ſericis vel inciſis, aut alterius coloris, præterquam nigri, utantur; neque pileolos venatorios, quos *monteras* vocant, aut galeros brevibus alis, in altumque aſſurgentes, deferant. Annulis verò abſtineant, niſi quibus ratione dignitatis uti fas eſt. Ne denique barbam tondeant, ſuperiori labro laïcorum more intonſo:

ſo: cùm hæc non modò levitatem animi præſeferant, ſed riſum etiam, & contemptum ordini pariant Eccleſiaſtico. Veſtes honeſtæ & talares ſint, non tamen caudatæ, nimiumque prolixæ. In Eccleſia verò lineis, hoc eſt, ſuperpelliceis, induantur, non acu pictis, & pretioſis, neque nimis brevibus, ſed planis, ſimplicibus, & ſalem unũ palmum, hoc eſt duodecim digitos ſub genu dimiſſis. Ut denique ubique in omni corporis cultu & geſtu ſimul, & gravitatem & modeſtiam referant Eccleſiaſticam. Qui fuerint his mandatis contumaces, ſciant ſe pœnis ſuſpenſionis, & ubi opus fuerit, etiam Beneficiorum privationis, ex decreto Concilii Tridentini ab Ordinario fore puniendos.

DECRETUM XXXV. aliàs XXXVI.

Ne clerici quicumque fœminas manuducant, vel eodem jumento ſecum vehant, eaſve comitentur.

EXCOMMUNICATIONEM latæ ſententiæ proximo Concilio Toletano impoſitam in eos clericos, qui cùm in ſacris ſint conſtituti, mulieres aut manuducerent, aut eodem inſidentes jumento veherent; hæc ſancta Synodus ad quoſcumque clericos Beneficium Eccleſiaſticum, etiam cappellaniam, obtinentes extendit. Utriſque præterea clericis vetat fœminas per urbem, aut oppida, cùm in ſella geſtatoria hominum manibus deportantur, pedibus comitari. Quibus mandatis ſi inobedientes fuerint, tam clerici, quàm fœminę, quæ hujuſmodi officia ſibi à clericis præſtari patiuntur, iidem latæ ſententiæ excommunicationi ſubjiciantur.

DECRETUM XXXVI. aliàs XXXVII.

Ut ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in altari maximo, nec alibi, reponatur.

SANCTISSIMO Euchariſtię ſacramento, cùm parem, ut cultum exhiberi, ita ſedem collocare humanæ facultatis non ſit; præcipuam certè & nobiliſſimam tribui convenit, ubi reponatur; hoc eſt altare Eccleſiæ maximum, ad quod populus plurimum orare, clerici diurnas nocturnaſque preces canere conſueverunt. In quibuſcumque ergo parochialibus, collegiatis, aut fortè etiam cathedralibus Eccleſiis extra ſacellum majus reponitur, omnino in altare maximum transferatur. Ubi ergo immemorabili conſuetudine, intra ſacellum quidem majus, quamvis extra altare maximum ſervatur, nihil hoc decreto innovetur. Templis tamen omnibus, quæ in poſterum extruentur, Euchariſtiæ ſedes altare maximum ſit. In ſanctimonialium autem monaſteriis, præterquam in altari maximo, nullo clauſtri, vel chori loco, ſive chori etiam pariete, Euchariſtia ſervari permittatur. Quod in Tridentina Synodo non obſcurè mandatum, quoniam alienis expoſitionibus eludebatur, Apoſtolicâ nuper auctoritate denuò, ut ita fiat, ſancitum & declaratum eſt.

DECRETUM XXXVII. aliàs XXXVIII.

Comœdiæ, tragœdiæ, ludi, choreæ, & ſaltationes, dum divina celebrantur, in templis prohibentur.

COMOEDIÆ, tragœdiæ, etiam de argumentis ſacris, & quicumque hiſtrionum ludi, choreæ quoque, & ſaltationes, quas noſtri *danzas* vocant, dum divina celebrantur officia, intra templum agi non permittantur: cùm experimento compertum ſit, populum, quem ad pietatem maximè ſacris temporibus & locis excitari convenit, earum rerum ſpectaculo, & auditione, atque promiſcuæ multitudinis concurſu plerumque depravari.

DECRETUM XXXVIII. aliàs XXXIX.

Ut fœminæ in templis ſeorſum à viris ſedeant.

VETUS Eccleſiæ conſuetudo fuit, ut in templis laïci à clericorum choro diſcreti, viri item à mulieribus, diverſo loco vel ſederent, vel ſtarent. Eum morem tamquam ſanctiſſimum, & myſteriorum dignitati, atque loci honeſtati convenientem, ex parte nunc reſtituere cupiens hæc ſancta Synodus, mandat, ut in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, dum divina celebrantur officia, mulieres omnes non modò à choro, ſed à ſacello etiam maximo excludantur. Sanctiſſimos autem Epiſcopos hortatur, ut eandem quoque legem in parochialibus, cæteriſque Eccleſiis, ſicut ipſis magis expedire viſum fuerit, obſervari curent.

DECRETUM XXXIX. aliàs XL.

Quonam in loco venerandum Miſſæ ſacrificium celebrari deceat.

QUO religionis cultu, & reverentiâ, venerandum, atque hominibus, ipſiſque angelis tremendum Miſſæ ſacrificium peragendum ſit, ex eo conſtat, quòd in illo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, verus Dei filius, quotidie immolatur & ſumitur. Quamobrem ex veteri ſanctorum Patrum & Conciliorum auctoritate, hoc divinum myſterium non niſi in locis Deo conſecratis celebrandum eſt, & ab eo infideles, ac profani per oſtiarios arcendi, & ſilentium per diaconos indicendum, omniſque ſtrepitus ac tumultus comprimendus eſt. Quæ cùm in rerum venalium foris, & macellis ſervari non poſſint, ubi profanis colloquiis, ſtrepitu, clamore, plena ſunt omnia, & fideles infidelibus ſervis ſępe permiſti; mandat hæc ſancta Synodus, ex omnibus rerum venalium foris, omnino eam conſuetudinem tolli, quia in eminenti aliquo, & vendentium

tium atque ementium oculis expoſito loco, tam ſanctum & arcanum myſterium peragi ſolet. Neque enim decet, cum dominus noſter ementes & vendentes ejecerit de templo, nos in ementium atque vendentium foro templum ipſum conſtituere. Exiguo præſertim promiſcuę plebis fructu in mercaturam intentæ, oblitæ officii, atque Eccleſiaſtici precepti, cui non curat ſatisfacere. Itaque Epiſcopi in iis oratoriis celebrandi adimant facultatem, ſacerdotes verò, qui poſtquam fuerint admoniti, in illis celebrare auſi fuerint, pro ratione delicti ſeverè puniantur.

DECRETUM XL. aliàs XLI.

Ne ſacerdotes in privatis domibus aut ſacellis Miſſam celebrent.

CUM templa ad divini ſacrificii uſum peculiari ritu conſecrata ſint, dicente Domino: *Non offeras holocauſtum tuum in omni loco, ſed in loco quem elegit Dominus Deus tuus*; non *concedant* Epiſcopi cuiquam ſacerdoti ad celebrandum in privatis domibus, aut earum cappellis, facultatem. Hic enim abuſus etiam olim à Laodiceno, & proximè à ſacro Tridentino Concilio eſt reprehenſus.

DECRETUM XLI. aliàs XLII.

Quâ horâ Miſſæ ſacrificium celebrandum eſt.

NULLUS ſacerdos ante auroram, vel poſt meridiem Miſſam celebret: neque poſt dictam generalem confeſſionem expectandi cujuſquam gratiâ ceſſet, ſed inchoatum ſemel ſacrificium ſine ulla mora ad finem uſque proſequatur: qui contrà fecerint, gravibus pœnis ab Ordinariis coërceantur.

DECRETUM XLII. aliàs XLIII.

De iis quæ circa monialium clauſuram obſervanda ſunt.

QUæcumque de Regularibus à ſancta Tridentina Synodo ſtatuta ſunt, ea curent Epiſcopi, ut in monaſteriis ipſorum juriſdictioni ſubjectis diligenter obſerventur. Imprimis autem, quæ de proprietate tollenda, & clauſuræ cuſtodia, tum ab eadem Synodo, tum Romanorum Pontificum felicis recordationis Pii IV. & Pii V. ac nuper ſanctiſſimi domini noſtri Gregorii XIII. conſtitutionibus decreta ſunt, ea quamprimùm in uſum inducant, atque reſtituant; ne ſublatis de religione caſtitatis & paupertatis præſidiis, religio ipſa labefactetur & corruat. Si quid ergo alicui ſanctimoniali relictum, donatum, legatumve ſit, aut ipſius labore vel induſtria quæſitum, id nihilominus in commune conferatur, deturque Prefectę cuſtodiendum atque diſtribuendum. Quæ tamen pro officio curabit, ut illius in primis neceſſitati ſuccurratur, cujus cauſsâ id monaſterio acceſſerit. Quod verò ad clauſuram attinet, meminerint Epiſcopi ſe egrediendi licentias, niſi in caſibus lepræ, & epidemię, & magni incendii, Pii V. conſtitutione definitis, dare non debere. Ad ingrediendum verò intra monaſteriorum ſepta nemini facultatem dare poſſe, niſi in ſcriptis, & in caſibus valdè urgentibus & neceſſariis.

DECRETUM XLIII. aliàs XLIV.

Ante electionem Abbatiſſæ vel Prioriſſæ, Epiſcopi monaſteria ſanctimonialium viſitent.

IN monaſteriis ſanctimonialium, quæ Ordinariis ſubjecta ſunt, quoties Abbatiſſæ, Prioriſſæ, ſeu quocumque alio nomine Præfecta nuncupetur, officium vacaverit, & nova electio facienda fuerit, Epiſcopus per ſe aut vicarium ſuum, vel alium ab eo deputandum, viſitet ipſum monaſterium, & ejus ſingulas perſonas, ita ut faciendam electionem viſitatio omnino precedat.

DECRETUM XLIV. aliàs XLV.

De fœminis quæ votum ſimplex virginitatis emittunt, quid obſervandum.

LICET hæc ſancta Synodus non damnet, ſed valdè potiùs commendet, illarum mulierum pietatem, quæ ſanctę virginitatis, aut caſtitatis propoſitum, vel etiam votum ſimplex domino offerunt, in habitu modeſto, etiam in privatis domibus, viventes; tamen ne ſub ſanctitatis ſpecie liberè vagandi occaſionem habeant, & ſanctiſſimis religionibus dedecus afferant; prohibet ſub latæ ſententiæ excommunicatione, ne in poſterum hujuſmodi mulieres, quas *Beatas* vocant, domi ſuæ viventes, deferre poſſint habitum, ſeu veſtem religionis certæ & probatę: ac preterea ne deinceps obedientias privatis clericis ſęcularibus vel regularibus, etiam nomine ſui ordinis, promittant, vel tradant: datas verò hactenus, ſancta Synodus præſenti decreto irritas & nullas eſſe decernit. Qui ſecus fecerint, & hujuſmodi obedientias aut dederint, aut acceperint, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant.

DECRETUM XLV. aliàs XLVI.

Nonnulla circa fœminas vulgò Tertiarias *ſtatuuntur.*

CONſtitutioni felicis recordationis Pii V. quæ incipit: *Circa paſtoralis*, de clauſura à ſanctimonialibus, & ab iis fœminis, quæ Tertiariæ, ſeu de pœnitentia vocantur ſervanda; inhęrens ſancta Synodus, eam in iis etiam mulieribus obſervari mandat, quę per totam hanc provinciam cùm *Beatæ* vocentur, in congregatione, & ſub obedientia vivunt; atque

juxta eam Epiſcopos curare diligenter, ut quæ profeſſionem emiſerunt, religioſę clauſuræ legibus conſtringantur; quę verò nondum emiſerunt, ſi paternis adhortationibus monitę, votis ſolennibus ſe adſtringere recuſaverint, nullomodo ampliùs permittãtur ad earũ ſe congregationem adjungere, ut ita paullatim extinguantur. Cùm ſit indecorum ſpeciem pietatis & caſtimoniæ perferre, pericula non vitare.

DECRETUM XLVI. aliàs XLVII.

Ne Epiſcopi Regulares ordinent, niſi ſuorum Prælatorum approbatione commendentur.

JAM olim veteri jure, & Bonifacii VIII. conſtitutione, quæ incipit: *Cùm nullus*; Regulares à propriis Epiſcopis ordinari debere ſatis conſtabat. Sancta autem & Oecumenica Tridentina Synodus animadvertens privilegia & exemptiones in ordinibus, multa in Eccleſiam abutentium culpâ invexiſſe ſæpè mala, eos neque ſimul duos ordines ſacros ſuſcipere voluit, neque in minore ætate, quàm ſæculares, neque ſine diligenti Epiſcopi examine ſacris initiari. Cujuſvis præterea generalis reſcripti vel privilegii prætextu, niſi à proprio Epiſcopo, aut ejus teſtimonio commendatum, quemquam ordinari generaliter vetuit. Ideo hæc ſancta Synodus ſtatuit, ut nemo ex hujus provinciæ Epiſcopis Regulares ordinet, niſi eos, qui in ipſis diœceſibus degentes, approbationem quoque ſuorum Prælatorum habent; aut ſi aliunde venerint, præter ſuorum Superiorum teſtimonium, literas quoque dimiſſorias eorum Epiſcoporum afferant, in quorum diœceſibus vivunt.

DECRETUM XLVII. aliàs XLVIII.

Circa denunciationes eorum qui matrimonium contrahunt, quid obſervandum.

EORUM, qui matrimonium contrahere volunt denunciationes, non in alterius tantùm, ſed in utriuſque parochiis fiant, in quibus vel nati ſunt, vel diuturnum domicilium conſtituerunt, & omnino ubi eorum conditio & mores erunt notiores. Eas tamen publicas denunciationes, vel differre, vel omittere, nulli parocho liceat, niſi ex ſolius Epiſcopi, non autem vicarii, etiam generalis, auctoritate.

DECRETUM XLVIII. aliàs XLIX.

Parochi in neophytis catecheſi inſtituendis, ac in fide roborandis, diligentes ſe præbeant.

UT plantæ novæ ſolent ab agricolis diligentiùs coli & foveri, ita præcipua ab Epiſcopis & parochis cura adhibenda eſt in his Chriſtianis inſtituendis, atque in fide confirmandis, qui ex Sarracenorum ſecta ad fidem recèns converſi ſunt, vel ab illis proximè genus ducunt, quos noſtri tum neophytos, tum Moriſcos vocare conſueverunt. Illorum ut eſt in tota Hiſpania innumerabilis multitudo, ita eos aſſiduâ parochorum vigilantiâ doceri, atque in officio contineri, hæc ſancta Synodus vehementer optat. quod futurum facilè ſperat, ſi parochi ex ſubjectarum legum præſcripto illos inſtituendos curaverint. Imprimis quiſque parochus omnium ejuſmodi neophytorum catalogum deſcribet, qui in ipſius parochia quintum ætatis annum exceſſerint, ſive ii ſervi ſint, ſive liberi: atque ubi ſinguli baptizati fuerint, diligenter inquiret. Quod ſi ab illorum aliquo mutari domicilium deprehenderit, alterum continuò parochum admonebit in cujus parochiam is migraverit, ut eadem ubique ejus ratio habeatur.

Curet præterea ut ſingulis diebus Dominicis, ac feſtis, quibus reliquus populus præcepto audiendæ Miſſæ tenetur, omnes illi ſimiliter in ſuis parochiis majorem, ſolennemque Miſſam audiant, & à parocho, ſive ſacriſta, datâ teſſerâ, vel è catalogo evocent, aut memorentur, pœnâ pecuniariâ abſentibus inflictâ, quæ in tres æquas partes diviſa, fabricæ, parocho, ſacriſtęque attribuatur. Eam pœnam ſi ab ipſo ſacriſta admoniti ſolvere recuſaverint, in catalogum relati, Epiſcoporum vicariis denuncientur. Sed privatam tamen Miſſam audire permittentur qui cęterorum Chriſtianorum ſervi famulive ſunt, modò illorum heri eam curam in ſe receperint.

Linguæ omnino Arabicæ his uſus interdicatur, ne ſimul cum ea generis originem, priſtinęque ſectæ meminerint errores. Si qui verò fuerint in uſurpanda patria lingua pertinaces, Epiſcopis quamprimùm indicentur.

Sacramenta his, quæ maximè communia ſunt, conferantur, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, extrema-unctio, & Matrimonium: ſed Euchariſtiam ne accipiant, niſi quibus à generalibus ſingularum diœceſum vicariis permiſſum fuerit: idque magno delectu, & cauſâ accuratè perpenſâ.

Per ſingulos autem dies feſtos horâ aliquâ pomeridianâ, docente parocho, vel ſi is impeditus fuerit, præeunte ſacriſta, catecheſin, & facilem aliquam Fidei rudimentorum explicationem, tum ipſi, tum illorum filii filięque audiant, & addiſcant.

DECRETUM XLIX. aliàs L.

De hujuſmodi decretorum publicatione.

DUobus veterum Conciliorum, Lateranenſis & Toletani, ſtatutis, quæ incipiunt: *Sicut olim*. Et: *Decernimus*, inhærens ſancta Synodus; præcipit omnibus hujus provinciæ Epiſcopis, ut intra ſex menſes à fine præſentis Concilii, in prima Synodo Diœceſana ab ipſorum unoquoque celebranda, & quoties expedire viderint, hujus ſancti Concilii Provincialis decreta publicent, & illorum obſervationem, quàm diligentiſſimè ſubditis ſuis com-

commendent: ne ſi commiſſæ illis oves à Patrum inſtitutis per ignorantiam abhorrent, graviſſimam ipſi negligentiæ culpam incurrant.

DECRETUM L. aliàs LII.

Teſtes Synodales deputantur.

LAteranenſis Concilii decretum, quod incipit: *Sicut olim*, hęc ſancta Synodus ſequuta, ſubjectas perſonas deputat in teſtes, ut vocant, Synodales, qui poſthac quæcumque correctione & reformatione digna viderint, ſimpliciter, & ſine juriſdictione inveſtigent, & ad proximam Synodum Provincialem fideliter referant. Hi verò intra duos menſes à fine hujus Concilii per ſe, aut per procuratorem in manibus ſui Epiſcopi jurent, ſe injuncto ſibi munere fideliter eſſe functuros.

Deinde adhibentur plurima nomina teſtium Synodalium, ſeu zelatorum (ut aiunt) quæ prætermittenda duximus.

GRATIARUM ACTIO.

PEractis his omnibus, quæ hoc tempore maximè, vel communi deliberatione tractanda, vel in decreta viſa ſunt referenda, imprimis omnipotenti Deo, unde omnia bona promanant, quanto maximo poſſumus cordis affectu, debitas laudes perſolvimus, quòd dignatus eſt nos in hunc cœtum conjungere, & in eo agenda inſpirare, ac tandem ſingulos in proprias Eccleſias ſalvos & incolumes dimittere. Præterea ſanctiſſimo domino noſtro Papæ Gregorio XIII. juſtitiæ amatori, Conciliorum protectori, qui Eccleſiam Catholicam, nosque, licèt indignos gregis Dominici paſtores, in viam ſalutis ſanctiſſimę dirigit & gubernat, multos annos comprecamur. Secundet Dominus ſanctiſſimos ejus pro religione conatus, detque decurſis longiſſimis vitæ ſpatiis in horrea cœleſtia copioſos frugum manipulos comportare. Philippo etiam Secundo Hiſpaniarum Regi Catholico, domino noſtro clementiſſimo, quàm maximas gratias agimus, quòd favore ſuo Regio hujus ſancti Concilii progreſſibus auctoritatem quietemque ſummam pręſtare voluit. Det illi Dominus de hoſtibus Fidei victoriam, & poſt longam vitam æterni regni cumulatiſſima prę-mia. Illuſtriſſimo denique & Reverendiſſimo Metropolitano, ſanctiſſimis Epiſcopis, quorum vigilantiâ & labore hęc ſancta Synodus ad felicem exitum perducta eſt, multos annos, & æternam felicitatem. Amen.

Poſt lecta à diacono hęc decreta, interrogati ſunt Patres per ſecretarium:

Reverendiſſimi Patres, placent ne vobis hęc decreta? & ſinguli reſponderunt: Placent.

Et iterum: Placet ne etiam ut ad laudē & gloriam omnipotentis Dei huic ſancto Concilio Provinciali Toletano finis imponatur? & reſponderunt: Placet.

Et ſtatim promotor fiſcalis Concilii petiit atque requiſivit, tum de hodiernis, tum de cæteris hujus Concilii Actis fieri unum ſeu plura inſtrumenta publica.

Poſtea Illuſtriſſimus Cardinalis Metropolitanus ad Concilium converſus, altâ voce dixit: Reverendiſſimi Patres, Concilium Provinciale finitum eſt, ite in pace. Et reſponſo *Deo gratias*, cantatum eſt: *Te Deum laudamus.*

Tandem Cardinalis dicto verſu: *Salvos fac*, &c. & oratione ex itinerarii formula ad dimittendos Patres, benedixit Synodo. Et à diacono publicata eſt centum dierum indulgentia, ab ipſo Cardinali prę ſentibus conceſſa.

Ego Gaſpar Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum Primas, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Alvarus Epiſcopus Palentinus & Comes, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Antonius Epiſcopus Cordubenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Epiſcopus Giennenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Gomezius Epiſcopus Conchenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Alphonſus Epiſcopus Oxomenſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Laurentius Epiſcopus Seguntinus, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Andreas Epiſcopus Segovienſis, diffiniens ſubſcripſi.

Ego Alphonſus Abbas Valliſ-oletanus, diffiniens ſubſcripſi.

Concordant decreta cum originali,
In quorum fidem ſubſcripſi
Joannes Baptiſta Perez Canonicus Toletanus, ſancti Concilii Provincialis Secretarius.

PETITIONES

Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium provinciæ & Metropolis Toletanæ, circa appellationem à decretis ejus Concilii ad Romanum Pontificem.

IN Concilio Provinciali Toletano ultimò celebrato, & publicato de menſe Martii proximè præteriti, multa fuerunt facta decreta contra Canones, ac ſacrorū Conciliorū ſtatuta, & laudabiles conſuetudines Eccleſiarum Cathedralium dictæ provinciæ: & in ſpecie fuerunt facta decreta de quibus ſuperiùs fuit mentio.

Quando hujuſmodi decreta fuerunt intimata ac publicata, capitula dictarum Eccleſiarum Cathedralium, videlicet Palentinæ, Cordubenſis, Giennenſis, Conchenſis, Oxomenſis, Seguntinæ, Carthaginenſis, & Segovienſis, per eorum

legitimos procuratores, ab illis, tanquam valdè gravatoriis & lęſivis appellârunt ad ſanctam Sedem Apoſtolicam, & obtinuerunt committi cauſſam appellationis cum expreſſione dictorum decretorum gravantium, prout in communicatione in Actis præſentata, in qua data fuit facultas inhibendi, prævia maturâ cauſſæ & decretorum prædictorum diſcuſſione. Ideo ad effectum inhibendi pro juſtitia iſtius partis adducuntur infraſcripta.

Primum, in dicto Concilio fuit factum decretum, quòd capitula non poſſint accipere reſidentias, id eſt, petere rationem adminiſtrationis ab officiali Epiſcopi præmortui.

Secundum, quòd non poſſint providere Beneficia curata, vacantia in Sede vacante, ſed vicarius. Quæ duo decreta valdè gravant capitula, nam Sede vacante, capitulum Cathedralis ſuccedit Epiſcopo, ut fungatur vices Epiſcopi, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, pen. & ult. *de ſupplen. neglig. Prelat.* lib. 6. cap. 15. qui *De elect.* lib. 6. & propterea poterit exigere rationes ab officiali Epiſcopi præmortui, maximè quòd plerumque evenit, ut vacatio Sedis Epiſcopalis duret longo tempore, & interim officialis vel diſcedit ad partes longinquas vel decedit, & ſi expectaretur uſque ad adventum novi ſucceſſoris, poſſet Eccleſia detrimentum pati.

Pariter ſecundum decretum gravat, quia vult, quòd collatio Beneficiorum curatorum expectet ad vicarium capituli, excluſivè ad capitulum: & cùm omnis poteſtas vicarii dependeat à capitulo, pen. in fin. *Ne ſede vacan.* lib. 6. abſurdum videtur, ut plus poſſit famulus quàm dominus,

Tertium eſt, quòd non poſſit capitulum dare licentias faciendi opera Eccleſiarum & locorum piorum. quod eſt contra poteſtatem tributam capitulo, Sede vacante, à Jure communi. Nam capitulum eſt neceſſarius adminiſtrator. Gloſ. in verb. *capituli*, Clem. 1. §. pen. *de hæred.* unde omnia adminiſtrare poteſt, lib. 2. cap. *de off. ejus qui vic. alt. per.* Et eſt contra pias defunctorũ voluntates, qui reliquerunt multa opera pia certo tempore annuatim diſtribuenda vel facienda: & hoc modo impedirentur, ſi capitulum impediretur ne poſſet illa adimplere.

Quartum, quòd in qualibet convocatione capituli ſemper oſtẽdatur priùs ſchedula Epiſcopo eorũ quæ in tali capitulo tractanda erunt: in quo etiam valdè gravatur capitulum, quia hoc modo erit in poteſtate Epiſcopi prævenire vota, & omnia ſubvertere; maximè ſi contingat aliquid tractari contra ipſum Epiſcopum, vel ſuos.

Quintum, quòd præbendati ponant tertiam partem fructuum indiſtinctè, nulla habita conſideratione, an habeant diſtributiones tenues & contemptibiles, nec ne: cum tamen Concilium contrarium determinet Seſs. 21. cap. 3. & plures ſint præbentati, qui diſtributiones notabiles habent.

Sextum, quòd præbendati ſeu Beneficiati non poſſint lucrari aliquod genus diſtributionum in menſibus recreationum, quos Conciliũ elargitur.

Septimum, quòd debeant augeri diſtributiones in certis feſtivitatibus anni, quas non poſſunt lucrari præbentati in dictis diebus recreationũ.

Ambo hæc decreta gravant hanc partem: quia quòd non poſſint lucrari aliquod genus diſtributionum in diebus recreationum, eſt injuſtum: quia ſi Concilium concedit tres menſes abſentiæ, licitè poteſt abeſſe. ſi igitur licet abeſſe, non debet ei pœna imponi. quod enim lege permittente fit, non meretur pœnam. Præterea gravat in eo, quòd vetat poſſe lucrari ullum genus diſtributionum: nam ſunt certæ diſtributiones, quæ dividuntur bis vel pluries quolibet anno, & non ſunt propriè diſtributiones, nec dantur dietim, aut ad manus, quas tamen non eſt honeſtum quòd quis amittat.

Octavum, quòd in certis feſtivitatibus anni omnes præbendati teneantur confiteri, communicare, aut celebrare Miſſam ſub pœna amiſſionis reddituum octo dierũ præcedentium. Gravat etiam hanc partem: qua videtur inconveniens, ut in ſimilibus pœna adjiciatur: quia hæc omnia ſponte fieri debent, non metu pœnæ. Videtur etiam pœna exceſſiva, quia redditus octo dierum poſſunt importare notabilem ſummam. Poſſunt etiam ex hoc oriri plura ſcandala: nam multa poſſunt intervenire, etiam inopinatè, ut non expediat ea die ſumere ſacram Euchariſtiam: & cogeretur quis ad evitandam pœnam propalare forſan aliqua, quæ non conveniunt referre, aut in judicium deduci: ultraque hinc mille lites oriri poſſunt.

Nonum, quòd ſi uno die ex novem menſibus reſidentiæ defecerint, medietatem fructuum, ſi ſecunda vice defecerint, etiam per unam aliam diem, omnibus fructibus, ſi verò defecerint tertia vice, etiam per unum alium diem, Beneficio ipſo priventur, eſt expreſsè contra Concilium Seſs. 24. cap. 12. quod non conſiderat abſentiam unius diei, ſed eam quæ ſit notabilis: & ſi hoc decretum ſubſiſteret, eſſet illaqueare omnes præbendatos.

Decimum, confirmat Concilium Provinciale Toletanũ aliàs celebratum de anno MDLXVI. illudque ſimul cum præſenti Concilio Provinciali omnino exſequendum etiam præcipit. Eſt etiam valdè injuſtum: quia à dicto Concilio anni MDLXVI. fuit pro hac parte appellatum, & nunquam fuit confirmatum, nec uſu receptum. & propterea non eſt æquum, ut nunc ex abrupto exſecutioni demandetur.

Pariter, quòd Epiſcopi exſequantur ea quæ per ipſos ſunt decreta, antequam per Papam ſint confirmata, eſt in diminutionem auctoritatis Sedis Apoſtolicæ: quia non debent procedere ad innovationem ſtatûs Eccleſiæ totius provinciæ inconſulto Pontifice.

Undecimum, gravamen capitulis manifeſtum fuit in Seſſione in Concilio, ex quo circa ordinem & formam ſedendi non fuit ſervatus conſuetus & debitus honor, ut dato cõpetente termino ad probandum, ſumus parati probare.

Interim tamen ſupplicatur pro inhibitione quoad ſupradicta decreta.

EPI-

EPISTOLA

D. CARDINALIS QUIROGÆ

Simul cum Concilio Toletano missa ad SS. D. Gregorium XIII. Pont. Max.

Beatissime Pater.

A eo tempore, quo V. B. me, licèt immeritum, Ecclesiæ præfecit Toletanæ, nihil magis in votis habui, quàm ut Concilium Provinciale cogerem. Exigebat id officii à me, tum Synodi Tridentinæ auctoritas, quæ singulis triennis Concilia Provincialia indixerat, tum Ecclesiasticarum rerum nostratium multitudo, quæ maturè corrigendæ, multorumque consiliis constituendæ videbantur. Itaque ubi primùm mihi per publicas occupationes licuit, Reverendissimos Episcopos meos Comprovinciales convocavi, & cum illis Concilium hoc ipso anno peregi, non sine magno (ut puto) hujus provinciæ fructu. Multæ enim graves dubitationes communi consilio diffinitæ sunt, multi abusus profligati, & de Tridentinæ Synodi observatione cum primis actum diligentissimè. Nova autem decreta, tum pauciſſima, tum breviſſima edidimus: eaque ipsa cum Synodo Tridentina & superiori Concilio Toletano omnino convenientia, ut eò fierent nostris gratiora, quò rerum novarum minùs continere viderentur.

Id Concilium nunc ad vestram mitto Beatitudinem, cui rerum nostrarum, à me imprimis, pro munere mihi in uncto, & acceptis maximis beneficiis, reddenda ratio est. Præsertim cùm à quibusdam nostri Concilii decretis ad vestram Sanctitatem nonnullarum Ecclesiarum capitula appellâsse videam. Spero enim fore ut V. B. his ipsis lectis, pro sua integritate & prudentia, parum justam capitulorum querelam esse judicet. Mei verò officii fuit, vel si nulla intercessisset appellatio, ut hujus nostri Concilii decreta ad V. B. mitterem, ejusq; Apostolicæ censuræ subjicerem. Id quod nunc facio supplex & humilis: Deum simul comprecatus, ut V. B. post multos Ecclesiæ feliciter gubernat annos feliciorem æternæ gloriæ coronam largiatur. Matriti die..... Julii MDLXXXIII.

NOTÆ V. CL.

JOANNIS BAPTISTÆ PEREZ

Canonici Toletani, & postea Episcopi Segobricensis, in quibus tuetur epigraphen hujus Synodi, & adversùs scrupulosos quosdam ostendit, Concilium Provinciale appellari posse Sanctum.

QUONIAM nuper à quibusdam dubitari ceptum est, an Conciliis Provincialibus *sanctæ* vel *sacræ Synodi* titulus conveniat; quasi id nomen Generalibus tantùm Conciliis tribuendum sit; placet ex multorum Conciliorum exemplis judicare, Concilia Provincialia *sancta* & *sacra* semper appellata esse, neque de eo unquam fuisse dubitatum. Quòd verò quidam ideo *sancta* dicenda negant, quòd non contineant certam & indubitatam veritatem atque Spiritûs sancti gratiam & assistentiam; non video cur ex eo continuò efficiatur *sancta* appellari non posse. Nam si vel maximè in istius significationis angustias *sanctum* nomen velimus redigere, neque profectò Generalia Cancilia *sancti* nomen usurpare possint. Siquidem & hęc ante Romani Pontificis confirmationem falli posse, Catholici probant nonnullorum Conciliorum exemplis, ut Ariminensis, Ephesini II. & Basileensis. At longè magis *sancti* & *sacri* nomen apud scriptores Ecclesiasticos patet, quàm ut istis terminis concludi debeat. Significat enim quidquid à religione Christiana profectum, quidquid sacris cæremoniis ritè & canonicè peractum, vel ad finem religiosum institutum est. Unde & *sacras religiones, terram sanctam, sancta templa, vasa sancta, sanctissimos Episcopos, sacros libros, sanctissimum Papam, sacras constitutiones, sanctum Inquisitionis officium, sanctas confraternitates* appellare solemus: in quibus tamen plerique homines Spiritûs sancti, & gratię divinę expertes reperiuntur. Quin & nulla Synodus Diœcesana his trecentis annis habita legitur, quę non ita solennia verba conceperit: *Nos N. Episcopus, sancta Synodo approbante, statuimus.* Ut verò ad Provincialia Concilia redeamus, appellari *sancta* in his exemplis subjectis lector animadvertet, per continuatam propè omnium sæculorum memoriam. Sed singulorum Conciliorum verba prætermisimus, satis esse arbitrati, si ex quatuor vulgatis Conciliorum tomis anno Christi MDLXVII. impressis, folia singula notaremus, in quibus ista facilè sit reperire.

TOMO I. CONCILIORUM.

Gangrense Provinciale vocatur *sanctum* fol. 370.
Laodicenum etiam fol. 453.
Aquilejense fol. 472.
Carthaginense IV. fol. 511.

Tauri-

Vide supra post Concil. Prou. le Valen. anni 1565. pag. 91. cum seq. et Breue S. Pij V. pa ter supra. pag. 88.

Taurinense fol. 516.
Agathense fol. 711.

TOMO II. CONCILIORUM.

Arvernense fol. 633.
Aurelianense IV. fol. 638.
Turonense II. fol. 642.
Valentinum II. fol. 681.
Toletanum III. fol. 688.
Toletanum V. cap. 7. fol. 740.
Toletanum VIII. fol. 855.

TOMO III. CONCILIORUM.

Toletanum XII. fol. 1.
Meldense cap. 6. & 8. fol. 552.
Triburiense fol. 555. & 556.
Salegunstadiense cap. 16. fol. 574.

TOMO IV. CONCILIORUM.

Senonense cap. 2. fol. 737. & cap. 41. fol. 747.
Treverensis Synodus diœcesana fol. 828.

Et alia hujusmodi exempla reperiuntur infinita.

EPISTOLA

D. CARDINALIS CARAFÆ

AD

D. CARDINALEM QUIROGAM

Circa Concilium Toletanum.

DECRETA Concilii vestri Toletani summâ curâ & diligētiâ ab Illustrissimis Patribus Tridentino Concilio præfectis recognita, unà cum eorundem animadversionibus ad Amplitudinem V. Illustrissimam nunc tandem remittimus. Faxit Deus, ut ad cultum ejus majestati puriùs & accuratiùs persolvendum, necnon ad eos, qui fuerunt vasa Domini, emundandos usque eò proficiant, ut ad sui imitationem cæteros trahant. Quod futurum omnino videntur polliceri non tam quidem tot Synodicæ leges, morum videlicet emendatrices, sed magis (id quod ad promovendos animos maximè valet) verè virtutis & religionis exemplum, quod ab Amplitudine V. Illustrissima, tanquam lumen aliquod altè sublatum, suis provincialibus ostensum est. Sed hæc, quæ Dei immortalis remunerationi, atque judicio sunt reservata, parciùs ab hominibus sunt commemoranda. Ad duo illa potiùs veniam, quæ privatim Amplitudini V. Illustrissimæ significanda Patres censuerunt. Quorum alterum est, Abbates minimè habere votum (quod vocant) decisivum, nisi si quod privilegium ab Apostolica Sede impetratum, vel legitima consuetudo præscripta eis suffragetur. Alterum est intervallum, quod longius visum est, inter unam atque alteram Actionem esse interjectum. Cùm enim prima Actio ad sextum idus Septembris fuerit celebrata, altera verò in mensem Martium insequentis anni rejecta, rei sanè exitus, quàm par sit, ductus est longiùs, & Episcoporum absentia facta est diuturnior. Quod an sine ipsorum Episcoporum, suarumque Ecclesiarum dispendio fieri potuerit, vestri erit consilii arbitrari, quando optimè novit prudentia vestra, Pastorum absentiam ovium esse perniciem. Sed hoc intempestivum in præsens monere, ac ne in futurum sit necessarium, providentiæ vestræ cautio erit. Quod pertinet ad quæstionem lectionis sacræ Scripturæ, quæ ex tribus ab Amplitudine V. propositis supererat explicanda, Illustrissimi Patres interpretandis Tridentini Cōcilii decretis præfecti in eam sententiam ierunt, ut is canonicus, qui ex præscripto Tridentini Concilii cap. 1. sess. 5. præbendam obtinet interpretationi sacræ Scripturæ deputatam, minimè quidem cogi possit ad docendum in ipso clericorum seminario. Cæterùm cùm animadvertam Amplitudinem V. Illustrissimam nihil magis, quàm rectam Ecclesiæ suæ administrationem spectare, eique cogitationes & studia sua verè Christiano Antistite dignissima retulisse, operæ pretium me facturum existimavi, si nonnulla cogitationis Concilii decreta ad distributiones quotidianas pertinentia colligerem, & ad Amplitudinem V. Illustrissimam mitterem. Id quod nunc facio, eo planè animo, ut argumenta sint meæ in Amplitudinem V. Illustrissimam observantiæ, quo videlicet impellor, ut quacumque ratione possim, ejus gloriæ faveam, & inserviam. Ita divina benignitas Amplitudinis vestræ Illustrissimæ votis & cœptis omnibus aspiret. Romæ 5. idus Septembris MDLXXXIII.

Amplitudinis V. Illustris. humillimus servus.

A. Card. Carafa.

ALIA EPISTOLA

D. CARD. BONCOMPAGNI

AD EUNDEM

D. CARD. QUIROGAM.

PROVINCIALEM Synodum Toletanam ab Amplitudine V. Illustrissima novissimè celebratam, & ad Sanctissimum dominum nostrum transmissam, Cardinales Tridentini Concilii interpretes, quorum id munus est, quo decuit studio ac diligentiâ perlegerunt, & considerârunt: ac postmodùm auditis tam Capitulorum, quàm Amplitudinis Illustrissimæ vestræ rationibus, & omnibus

quæ

quæ adducebantur, maturè examinatis, ac diſcuſſis, de tota re Sanctitati ſuæ retulerunt. Nunc igitur, quæ addenda, vel tollenda, aut mutanda viſa ſunt, ſeparatim adnotata & deſcripta, ſimul cum ipſa Synodo, & cum Brevi Apoſtolico mittuntur Amplitudini V. Illuſtriſſimæ. Quæ præſtantiſſima ipſius religione, ac fide, primo quoque tempore eam aptandam curabit, cui omnem à Deo precor felicitatem, meque humillimè commendo. Romæ die 7. Septembris MDLXXXIV.

Amplitudinis V. Illuſtriſſimę ac Reverendiſſimæ ſervus,

Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Xyſti.

DIPLOMA

GREGORII XIII.

AD

D. CARDINALEM QUIROGAM

Dilecto filio noſtro Gaſpari tituli S. Balbinæ Presbytero Cardinali, Toletano nuncupato, ac hæreticæ pravitatis in regnis Hiſpaniarum generali Inquiſitori.

GREGORIUS Papa XIII. Dilecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Mandavimus decreta Synodi Provincialis Archiepiſcopatûs tui Toletani per Venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, rebus ad Concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectos, diligenter examinari. Retulerunt magnam eſſe in iſta Synodo habitam rationem Dei gloriæ, atque animarum ſalutis. Incredibiliter lætati ſumus: non quòd non antè certum haberemus ſummo ſemper ſtudio te in utramque cauſſam incubuiſſe; ſed quia ſic ferè fit, ut quarum virtutum de aliis opinione & commendatione lætamur, earum ipſarum quaſi ſub oculos ſubjectione atque aſpectu vehementiùs afficiamur. Remittimus igitur decreta ipſa nonnullis in locis neceſſario emendata. Hortamur ut cures pari ſtudio quæ piè prudenterq; proviſa, decreta, emendata ſunt, quàm diligentiſſimè ſervari. Hæc enim tibi reliqua laboris, eaq; maxima pars eſt, ſine qua omnis hactenus opera fruſtra eſſet ſuſcepta. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 5. Septembris MDLXXXIV. Pontificatûs noſtri anno decimo tertio.

Ant. Bucca-Padulius.

CORRECTIONES

EJUSDEM CONCILII

TOLETANI

Iterum examinati à DD. Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus, prout eas miſit D. Cardinalis S. Xyſti.

Porrò nos ipſi ſuprà exhibuimus Acta Concilii Toletani juxta correctiones has Romæ factas. Illas autem edere viſum hoc loco ſeorſum, ad hiſtoriam ejuſdem Synodi pleniùs tradendam.

PAG. 4. in prima prorogatione ibi: *eſt Catholicæ Majeſtati & nobis*; dicendum: *viſum eſt*.

Pag. 6. in prima Actione ibi: *invitante*, dicendum: *excitante & favente*.

Pag. 12. in primo decreto, Actione II. ibi: *integram & immaculatam*; dicendum: *integram & inviolatam*.

Pag. 16. in decreto 6. Actione II. ibi: *ut vel præſtimoniorum*; dicendum: *ut vel aliquot præſtimoniorum*.

Pag. 16. in decreto 7. Actione II. poſt verba: *pleniſſimè traditum*; addendum: *& declarationem ſanctæ memoriæ Pii V.* quæ inſeratur, quatenus concernit hunc articulum.

Pag. 18. in decreto ultimo, Actione II. poſt verba: *ultra tempus à jure permiſſum*; addendum: *in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones factas fuiſſe judicabunt, illas irritas nullasq;*.

Pag. 21. in primo decreto, Actione III. poſt verba: *viſitari debent*; addendum: *ſi officiales iſti voluerint rationes reddere, ne diutiùs expectatione futuri Epiſcopi ſuſtineantur, poterit capitulum, Sede vacante, rationes adminiſtrationis recipere, ipſiſque officialibus juſtitiam poſtulantibus adminiſtrare. Nihilominus licebit ſucceſſoribus Epiſcopis, ab eiſdem officialibus officiorum adminiſtrationiſque eorum rationes exigere, etiamſi prædicti officiales redditis rationibus liberationem à Capitulo obtinerent. Quoniam verò defuncto Epiſcopo huiuſmodi miniſtri non facilè adigi poſſunt ad reddendam adminiſtrationis rationem, Epiſcopi, quando ſibi officiales aſſumunt ac deputant, ab eiſdem exigant cautiones idoneas de reddenda ratione adminiſtrationis, & judicatum ſolvendo Epiſcopis ſucceſſoribus, ſi contingat eorum officia per ceſſum vel deceſſum Epiſcoporum vacare.* Cætera in decreto deleantur.

Pag. 22. in decreto 4. Actione III. ver. *ipſis verò*; ſic aptetur: *ipſis tamen Epiſcopis abſentibus, eorum vicarii generales huiuſmodi auctoritate uti minimè prohibentur.*

Pag. 23. in decreto 6. Actione III. ibi: *niſi*

for-

fortè; dicendum: *nisi fortè aliqua urgente necessitate.* Cætera deleantur.

Pag. 24. in decreto 12. deleantur verba: *in collegiatis &.* & vers. *Hi ergo omnes*, sic aptetur: *Quicumque autem tam in Cathedralibus, quàm in Collegiatis intra annum requisitos ordines non susceperint, juxta Concilii Viennensis constitutionem, quæ incipit:* Ut ii qui; *à Concilio Tridentino renovatam, non solùm voce in capitulo careant, sed neque plusquam dimidiam &c.*

Pag. 25. in decreto 13. Act. III. ibi: *ejusdem Toletani*; dicendum: *Tridentini decreto quod incipit: Cum Beneficia ad divinum cultum salubriter sint instituta, dent operam singuli Episcopi.*

Pag. 26. in decreto 14. ibi: *vel evidens Ecclesiæ utilitas*; addendum: *seu alia rationabili caussa.* & in fin. vers. *& obtenta*, delendum.

Pag. 26. in decreto 15. deleatur vers. *multam*, usque in fin. & dicatur: *ut ii qui concionis tempore se à choro subtraxerint absque legitima caussa, tamquam ab illius diei processione & Missa absentes, nihil acquirant, distributionesque illis eâ ratione aliàs debitæ, præsentibus, non obstante quacumque remissione, accrescant. Qui verò admoniti, unam atque alteram proximam ex prædictis designatis festivitatibus fiverint præterire, nec communicaverint, quia valdè verendum est, eos perniciosis peccatorum laqueis irretitos teneri, quominus ad cœlestem mensam his solennibus saltem anni temporibus accedant, cùm præsertim multò antè possint animam salubri medicamento pœnitentiæ præparare ad sumendum illum sanctissimum panem: quotidianum in remedium quotidianæ infirmitatis, curabunt Episcopi de eorũ vita & conversatione diligentiùs inquiri, ut occasiones auferant, quæ illos à via salutis divertere possunt.*

Pag. 27. in decreto 16. post. vers. *assignentur*; addendum: *si illæ, quæ assignatæ reperiuntur, tenues arbitrio Episcopi judicentur, ut horum dierum solennitatibus dignè non respondeant, quas ii tantùm percipiant, &c.*

Pag. 28. in decreto 17. ibi: *distributiones nihilominus quotidianas*; dicendum: *distributiones nihilominus meras quotidianas.*

Pag. eâdem, in decreto 19. vers. *mandat schedulam*, deleat usque ad vers. *præterquam.* & sic aptetur: *mandat, ut si ex consuetudine schedula cum rerum agendarum capitibus singulis canonicis traditur, illa etiam Episcopo exhibeatur; præterquam &c.*

Pag. 29. in decreto 20. deleantur hæc verba: *in id duæ tertiæ totius capituli partes consenserint, vel.*

Pag. 30. in decreto 22. post vers. *arbitrio assignanda*; addendum: *quod moderandum erit ad præscriptum constitutionis Pii V. de portionibus, quæ vicariis perpetuis assignari debent. Ita tamen, si vicarii perpetui fuerint constituendi, non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum vicariorum prævio examine & approbatione, juxta eandem Pii V. constitutionem deputentur.* Cætera deleantur usque in finem.

Pag. 31. decretum 25. totum deleatur.

Pag. 32. in decreto 27. ibi: *Sacramentis administrandis*; addendum: *præterquam ex laudabili consuetudine à sponte dantibus pecuniam.*

Paginâ eâdem, in decreto 28. vers. *Ad hæc*; ita aptetur: *Ad hæc neque in hospitalibus, aut ergastoriis, neque in cappellis Ecclesiarum, neque in privatis domibus, nisi morbi caussâ, aut alia urgente necessitate, confessiones fœminarum audiantur.*

Pag. 33. in decreto 29. in fine adden. *aliisque pœnis, quibus gravissimum hoc scelus sacri Canones vindicant, severè afficiantur.*

Pag. 41. in decreto 41. ibi: *non debent*; dicendum: *non concedant Episcopi*, & deleatur verbum *dare.*

Pag. 46. decretum 50. totum deleatur.

Juxta quas notas Synodum prædictam sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum aptari voluit, decretaque in eisdem sic aptata observari. Die 10. Junii MDLXXXV. Ita est.

A. Card. Carafa.

Laurentius Frizolius Secretarius.

EPISTOLA

D. CARD. BONCOMPAGNI

AD

D. CARD. QUIROGAM.

De Legato Regio in Concilio Toletano nullatenus nominando.

Illustris. ac Reverendis. Domine observandissime.

PRÆTER ea, quæ aliis literis, *Illustrissimæ D. V. scripsi de Provinciali Synodo Toletana, placuit Sanctissimo D. N. ut seorsum his literis de re graviori ad eandem Synodum pertinente Illustrissimam Amplitudinem vestram admonerem, quo rectiùs quidquid facto opus sit intelligat, ac singulari prudentia dexteritateq; sua id quàm suavissimè fieri poterit, exsequatur. Nunquam invenitur, seculares Principes, eorumve Nuncios interfuisse Conciliis, nisi Universalibus, ubi agitur de Fide, reformatione, & de pace, quod non deceat, neque fas sit illos spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt, ut legitur in can. XVII. oct. Synodi Constantin. sess. 10. sub Adriano II. celebratæ. Interfuerunt nonnullis Conciliis Provincialibus antiqui Reges, sed non alia de caussa, quàm ut reciperent Fidem, & Patres ab immanitate infidelium, seu hereticorum tuerentur. Extra hos casus, Principes seculares, non invitatos, Conciliis intervenire, sanctorum Patrum decretis, histo-*

hiſtoriis, & conſuetudini, quæ in cæteris omnibus Chriſtiani nominis regnis & provinciis ad hanc diem obſervatur, valdè repugnat. Quamobrem Pius IV. & Pius V. Papæ maximi, ſpecialibus mandatis proviserant, ne aliqui nomine Regio in Concilio Provinciali ſuperiori Toletano intereſſe deberent, ſed ejus Concilii abſolutio Pontificum mandata tempore prævenit, adeò ut effectum debitum ſortiri tunc non potuerint. Nunc autem ne res tranſeat in exemplum aliis provinciis & regnis, jubet Sanctiſſimus D. N. in publicatione facienda poſtremò hujus Concilii Toletani expungi, etiam in ipſomet originali, mentionem Legati Regii, qui præſentiam ſuam in eo legitur exhibuiſſe pag. 6. in 1. Act. ibi: & ipſius nomine præſente admodùm illuſtri Gomezio de Avila, Marchione de Velada, &c. *atque eâdem ratione omitti illa verba pag. 55. in gratiarum actionibus:* Perilluſtri Marchioni Legato Regio. *Hæc habui, quæ Sanctitatis ſuæ juſſu & nomine D. V. Illuſtriſſimæ ſignificarem, cui quod reliquum eſt, bonam opto valetudinem, meq; omni animi ſtudio commendo. Romæ die 10. Septembris MDLXXXIV.*

D. V. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. humillimus ſervus.

Philippus Boncompagnus Card. S. Xyſti.

EPISTOLA

D. CARDINALIS QUIROGÆ,

In qua reſpondet

D. CARDINALI S. XYSTI

Circa ea quæ objecta fuerunt: & contendit exemplis variis ex ſacra antiquitate petitis, moris fuiſſe, ut Legati & miniſtri Regii in Actis Synodorum nominarentur: proindeq; id licuiſſe ac licere modò Patribus Concilii Toletani.

Illuſtriſs. & Reverendiſs. domine.

LITERIS Amplitudinis V. Illuſtriſſimæ, quas ad me 10. Septembris Sanctiſſimi D. N. nomine dedit, duo continentur, Unum eſt, ſæculares Principes, eorumve Nuncios, nunquam interfuiſſe Conciliis, niſi Univerſalibus. In Provincialibus enim non alia de cauſſa Reges adfuiſſe, quàm ut reciperent fidem, & Patres ab immanitate infidelium, ſeu hæreticorum tuerentur, vel quòd invitati veniſſent. Alterum verò eſt, Legati Regii nomen de noſtri Concilii Toletani initio fineq; expungi oportere. His literis, ut quâ decet veneratione reſpondeam, exponam priùs cauſſas, cur Legatus Regius in Concilio Provinciali ſit à nobis admiſſus: deinde cur videatur nomen ejus ſine magnis incommodis deleri non poſſe. Illud tamen præfabor, nihil me temerè & præcipitanter in eo tunc geſſiſſe, ſed doctis viris in Concilium adhibitis, & re tota cum Reverendiſſimis Epiſcopis Comprovincialibus meis maturè communicata.

Miſſus eſt igitur ad noſtrum Concilium perilluſtris Marchio Velada à Rege Catholico domino noſtro cum honorificentiſſimis & modeſtiſſimis literis, ut ejus Majeſtatis nomine noſtris tractatibus intereſſet: eumq; admiſimus his de cauſſis.

I. Quia in ea poſſeſſione Reges Hiſpaniæ fuiſſe videamus, ut præſentes Conciliis Provincialibus ſui regni eſſent, non modò ipſi, ſed eorum nomine illuſtres Comites officii palatini. Cujus conſuetudinis frequentia exempla ſunt in omnibus prope Conciliis Toletanis Gotthorum Regum tempore habitis. Nam in III. Toletano preſens eſt Reccaredus Rex cum optimatibus. In IV. Siſenandus Rex. In V. Chintila Rex cum ſenioribus palatii ſui. In VIII. Recceſvinthus Rex cum Comitibus. In XII. & XIII. Ervigius Rex cum eiſdem Comitibus. In XV. XVI. & XVII. quæ nondum ſunt impreſſa, Egica Rex cum Illuſtribus Palatinis ibidem ſubſcribentibus. Quibus omnibus Conciliis vix ulla quæſtio Fidei agitata, ſi tertium, decimumquartum, & decimumquintum excipias: reformationis tantùm capita tractata, nullum ibidem ab hæreticis, aut infidelibus periculum, cùm in III. Concilio Toletano Arianiſmus ab Hiſpania prorſus exulâſſet.

II. Poſt recuperatam quoque de Sarracenis Hiſpaniam idem factum in poſterioribus Conciliis Provincialibus, quorum mentio, aut in noſtris hiſtoriis exſtat, aut integra Actorum manuſcripta exemplaria apud nos magno numero cum fide ſervantur. Nam in Compoſtellano anno 876. adfuit Aldephonſus III. Rex, cognomento Magnus. Et in Ovetenſi anno 877. idem Rex cum Comitibus, quod ſcriptum reliquit Samp. rus Epiſcopus Aſturicenſis pervetuſtus auctor. In Legionenſi anno 1012. Aldephonſus V cum optimatibus regni. In Pampilonenſi anno 1023. Sanctius IV. Rex Navarræ cum optimatibus. In Cojancenſi diœceſis Ovetenſis anno 1050. Fredenãdus magnus. In Jaccenſi anno 1063. Aragoniæ Rex Ranimirus cum optimatibus. In altero Legionenſi anno 1090. ſub Renerio Cardinali Legato Urbani II. Aldephonſus Rex VI. In alio Legionenſi ſub Bernardo Archiepiſcopo Toletano anno 1130. idem Aldephonſus VI. In Palentino ſub Raymundo Archiepiſcopo Toletano anno 1129. Aldephonſus VIII. Calliſti II. fratris filius. In Carrionenſi eodem anno ſub Huberto Cardinali Legato Honorii II. idem Aldephonſus VIII. Quod de his tribus poſterioribus Conciliis memoriæ prodidit in hiſtoria Compoſtellana Munio Aldephonſiades Epiſcopus Mindonienſis, ejus ætatis ſcriptor. His verò omnibus Conciliis mores tantùm reformati leguntur; hæreſis nulla mentio.

Poſt id tempus rara apud nos Provincialia ſunt habita.

III. Similia exempla recenti memoriâ habemus in his Conciliis Provincialibus, quæ mox poſt finitam ſanctam Synodum Tridentinam anno MDLXVI. in omnibus Hiſpaniæ regnis ſunt cele-

brata. nempe in Toletano ſuperiore, Compoſtellano, Tarraconenſi, Valentino, Granatenſi, Cæſarauguſtano, Bracarenſi, Ulyſſipponenſi, & Eborenſi: quibus Legati Regii ſemper interfuerunt.

IV. Eam ipſam conſuetudinem fuiſſe apud alias nationes legeramus: ut in Italia, Gallia, Germania, & Anglia, in quibus Imperatores Occidentales & Reges cum ſuis optimatibus convenerunt ad Concilia Provincialia, in quibus reformatio, non cauſſa Fidei, agebatur. De jure non diſputamus: ſed paſſim tamen Conciliorum volumina & hiſtoriæ id factum eſſe teſtantur. Ut exempli cauſsâ in Sueſſionenſi anno 744. Pipinus adfuit cum ſuis optimatibus. In Concilio apud Theodonis villam anno 812. ſub Carolo Magno & Ludovico Imperatoribus, in fine dicitur: Imperatores, & Galliæ Principes ſubſcripſerunt ſinguli ſingulas facientes cruces. *In Metenſi Comites & plures nobiles. In Aquiſgranenſi celeberrimo anno 816. Ludovicus Imperator. In Meldenſi anno 845. ſub Carolo Juniore Canones repetuntur multorum Conciliorum, quæ præſentibus Regibus & approbantibus de reformatione eſſent habita. In Synodo quoque apud Sanctum Medardum anno 853. idem Carolus præſens fuit. Interfuit autem his ambabus Synodis magnus ille Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, Conciliorũ gravis deſcriptor. In Triburienſi, anno 896. Arnulphus Rex cũ regni ſui principibus. In Ingelheimenſi ſub Marino Legato Apoſtolico anno 958. Otho Germanorum, & Ludovicus Francorum Reges affuerunt. In Viceliaco Burgundiæ anno 1145. Ludovicus Rex cum regni principibus. In Pariſienſi anno 1187. Philippus Rex. In Herbipolenſi anno 1238. Rodulphus Imperator cum Ducibus, & Comitibus. Longum eſſet reliqua numerare. Et tamen conſtat hos principes inprimis Catholicos & libertatis Eccleſiaſticę vindices eſſe appellatos; quæſtionem autem Fidei nullam penè his Conciliis habitam. Tantum verò abeſt, ut hi principes invitatos ſe veniſſe dicant, ut ipſi potiùs, ſe Epiſcopos invitâſſe paſſim prædicent.*

V. Referri quoque ab ipſo Gratiano animadvertebamus, Reges aliquos, qui Conciliis hujuſmodi interfuiſſent. Ut Conradum Regem Concilio Alphefiano 31. q. 1. cap. Illud verò. *Pipinum Regem Concilio Wermerienſi 29. q. 2. cap.* Si quis ingenuus. *Henricum Regem Concilio apud Erphesfurt in Germania 15. q. 4. cap.* Placita. *ut in nova Gratiani correctione habetur.*

VI. Quorumdam Conciliorum expreſſis Canonibus præcipi videmus, ut ea præſentibus Regibus haberentur, vel judices Regii ad ipſa Concilia Provincialia convocarentur. Ut in Concilio apud Palatium Vernis anno 755. præcipitur cap. 4. Ut ſingulis annis menſe Martio Synodus fiat in Regis præſentia. *Et III. Concilio Toletano cap.* 18 Ad Concilia *inquit*) ſemel in anno Epiſcopi congregentur: judices quoque locorum, & actores fiſcalium patrimoniorum ſimul cum Sacerdotali Concilio in unum conveniant. *Et IV. Toletano cap. 2.* Executor (*inquit*) à Principe poſtuletur, qui cogat venire judices fæculares ad Synodum. *Et in VIII. Toletano Receſvinthus Rex ſic alloquitur Comites Palatinos*: Vos etiam illuſtres viros, quos ex officio palatino huic ſanctæ Synodo intereſſe primatus obtinuit, ac nobilitas expectabilis honoravit &c.

VII. Nunquam Pontificem aliquem Romanum, vel noſtrâ, vel ſuperiorum temporum memoriâ, fuiſſe legeramus vel audieramus, qui aut Reges noſtros intereſſe, aut Epiſcopos illos admittere prohibuiſſet.

VIII. Legatos Regis noſtri modeſtiſſimè hac ſuâ præſentiâ uſos in Conciliis omnibus ſuperioribus accepimus: adfuiſſe videlicet tantùm, non propoſuiſſe, non ſententias dixiſſe, non interloquutos fuiſſe, nihil denique per eos imminutam libertatem Eccleſiaſticam. Ipſius autem Regis noſtri Catholicam mentem & modeſtiam cùm ex reliquis ejus actionibus, vitaq; univerſa, tum ex his, quas ad Concilium noſtrum dedit, literis, agnovimus: quarum exemplum iiſdem verbis ad finem ſubjiciam.

Et hæ quidem potiſſimùm cauſſæ nos impulerunt ut Regium Legatum in Concilium noſtrum admitteremus.

Exſtat quidẽ Canon ille XVII. Synodi octavæ Generalis Conſtantinopolitanæ, quo Græcos Imperatores Conciliis tantùm Generalibus interfuiſſe dicitur, & in eandem ſententiam cap. Ubi nam legiſtis. *diſtin. 96. ex epiſtola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem. Neque ignorabamus Gloſſam in cap. fin.* De iis quæ fiunt à Prælato &c. *& in capitulo*: Adrianus I. *diſtin 63. & per multos Juris Canonici interpretes Gloſſæ auctoritatẽ ſequutos, exiſtimare, laïcos Conciliis tantùm Generalibus, quibus de Fide agitur, intereſſe poſſe; Provincialibus autem, niſi invitentur, non poſſe. Sed cùm tam multa contraria exempla reperiantur* (*fateor*) *aliquam aliam illorum Canonum fuiſſe ſententiam ſumus ſuſpicati: nempe vel factum dumtaxat ſuperiorum temporum narrâſſe, quod ita ad eam diem acciderat, ut Imperatores Orientales Synodis tantùm Generalibus interfuiſſent, quibus ſemper hæreſes aliquæ ſunt profligatæ: vel Canonem illum Conſtantinopolitanum, & Epiſtolam Nicolai, quæ eodem tempore ſcripta eſt, frænare inprimis voluiſſe Michaëlis Imperatoris audaciam, qui in Græcia Synodos aliquot Provinciales ad Ignatium Patriarcham deponendum. & Romani Pontificis auctoritatem minuendam paullò antè congregaverat: vel certè quocumque modo is Canon intelligendus ſit, in Occidente* (*quod multis Canonibus Græcis accidit*) *non admiſſum, & in Hiſpania præſertim contraria conſuetudine abrogatum: cùm tam multi Reges & optimates noſtris Conciliis Provincialibus interfuiſſe legantur, uti paullò antè è magno numero ſelectis exemplis eſt demonſtratum.*

Hæc de priore parte. Dicam nunc cur Legati nomen ex Actis Concilii ſine magnis incommodis (*meo quidem judicio*) *deleri non poſſit. Nam aut ſecretò id ſuaviterq; faciendum eſt, ut Amplitudinis V Illuſtriſſimæ literæ ſignificant, aut publicè. Secretò qui fieri poterit? cum frequentiſſimo populo*

pulo lecta ſint in templo ea decreta, Regisq́, & ejus Legati nomen, tum in principio, tum in gratiarum actionibus auditum? cùm Eccleſiarum Capitula ad ſuas appellationes multa exempla ejus Concilii deſcribenda curârint, omniumq́ oculis ſubjecerint? Cùm Rex ipſe ejus Concilii exemplum per ſuum Legatum obtinuerit, & diligenter à ſe lectum ad S. D. N. miſerit? Denique id Concilium exequutioni mandari non poteſt, niſi de more typis excuſſum per Provinciam divulgetur. Hiſpaniæ autem leges imprimi quidquam non patiuntur, niſi conſilii Regii auctoritate probatum, & cum originali collatum fuerit.

Publicè autem, & contra Regis voluntatem deleri Legati nomen, ſuaviter quidem nulla ratione poteſt. Nam Rex ipſe Catholicus, ut alioqui religionis, pietatisq́ eſt obſervantiſſimus, ita juris auctoritatisq́, quam ſibi deberi exiſtimat, acerrimus propugnator eſſe conſuevit. Spoliari autem ſe inauditum moleſtè feret hac, quam à majoribus poſſeſſionem accepit, & quâ ipſe etiam in aliis Conciliis eſt uſus.

Deinde periculum eſt, ne Reges, ſi ſe Conciliis excludi videant, incipiant variis artibus Conciliorum Provincialium convocationes impedire, cum magno detrimento Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ad quam vel inſtaurandam, vel retinendam, antiquis vel recentibus Patrum decretis eorum frequens celebratio tantopere commendatur: quæ nunc etiam valdè ſunt neceſſaria ad Sedis Apoſtolicæ auctoritatem apud Reges & populos tuendam.

Præterea hoc noſtrum Concilium, qualecumque eſt (quod magnis tamen laboribus nobis conſtat) perpetuâ obruetur oblivione: & periculum eſt in poſterum, ne Concilii Provincialis celebrandi mentionem quiſquam noſtrorum Epiſcoporum facere audeat, cùm timeat ejus celebrationem Regem noſtrum haud permiſſurum. Poſtremò non puto defuturos Regi Conſiliarios, qui ubi ſemel res in diſputationem venire cœperit, non id permiſſu, atque tolerantia Eccleſiæ, ſed jam ſuo jure Regibus licere, perſuadere conentur. Non modò enim pugnabunt exemplorum numero, & iis rationibus, quas ſuprà ad tolerandam illorum præſentiam retulimus; ſed cauſſabuntur fortaſſe, jure ſibi poſſe timere Reges Hiſpaniæ à Conciliis Provincialibus: cùm IV. Concilio Toletano, Svinthilâ Rege vivente depoſito, Siſenandus ejus hoſtis in Regem fuerit confirmatus. Et nuper anno 1473. Concilium Provinciale ab Archiepiſcopo, & Epiſcopis Regi Henrico IV. adverſis in oppido Aranda celebratum, cauſſa fuiſſe exiſtimetur, ut Aranda oppidum eo ipſo anno, & ejus exemplum aliæ urbes ſequute, à Rege deficerent.

Cavere quoque ſibi Reges poſſe, ne quid patronatibus Regiis incommodetur, quibus diligenter cautum eſt à Concilio Tridentino. Agi etiam ſæpè in Conciliis Provincialibus de iis quæ ad laïcos pertinent, ut de matrimoniis, & de aliis cauſſis communibus: quo eventu laïcos Conciliis intereſſe debere, jura non prohibent, doctores non negant.

Multaq́ hujus generis argumenta coacervabunt, quæ Regibus & eorum Conſiliariis in promptu erunt. Quòd ſi maximè cauſſâ cadant, cùm, ut res habet, & Amplitudo V. Illuſtriſſima fatetur, venire poſſint invitati, curabunt ſemper ſe ab Epiſcopis invitari, quod haud difficulter obtinebunt.

Quamobrem cùm ſummorum Pontificum prudentiâ in Regibus multa tolerentur, vel majoris utilitatis parandæ cauſſâ, vel majoris damni vitandi (cujus rei multa exempla proferri poſſent, è noſtra etiam Hiſpania petita, quæ Sedi Apoſtolicæ maximè obedientem ſe præbet) hoc certè tempore mihi tolerandæ videtur hujuſmodi Regum præſentia, tam longâ conſuetudine firmata; ne quæſtio graviſſima, & alto ſilentio hactenus ſopita, ſi ſemel ſuſcitetur, majora incommoda pariat, & negotium Reipublicæ faceſſat.

Hæc ſunt ſecreta animi mei conſilia, quorum ego neque Regem, neque quemquam ex Regiis miniſtris participem feci. Sed ea quæ mihi de re propoſita attentè cogitanti in mentem venerunt, his literis exponenda putavi. V. Amplitudinis Illuſtriſſimæ erit ea omnia, aut eorum partem, quæ maximè ex uſu eſſe videbitur, ad SS. D. N. referre, eâ cautione, quam rei magnitudo poſtulat, ne foras efferatur. Et quoniam à pleriſque jam intellectum eſt, remiſſum ad nos ab Urbe Concilium Provinciale, idq́ ab Epiſcopis & capitulis ſtudiosè efflagitatur; publicari autem vel executiani mandari, niſi hac difficultate ſublata non poteſt; ut me de ſuæ Sanctitatis voluntate quamprimùm Illuſtriſſima V. Amplitudo reddat certiorem, precibus omnibus obſecro. Quam Deus Opt. Max. diu ſalvam, fortunatiſſimamq́ ſervet. Toleti die 15. Novembris MDLXXXIV.

Amplitudinis V. Illuſtriſs. & Reverendiſs.
humillimus ſervus.

G. Cardinalis Toletanus.

EPISTOLA

CARDINALIS SANCTI XYSTI

Cum ſecundo mandato Apoſtolico de Legato Regio delendo ex Concilio.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. domine mi obſervandiſſime.

QUÆ *Illuſtriſſima Amplitudo V. ſuis literis, quibus Legati Regii in Synodo Toletana admiſſionem excuſabat, complexa eſt; ea ferè omnia Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum jam antea animo perſpexerat: ejus tamen conſiliorum ratio habita eſt: atque ideo quæ ſcripſit, fuerunt denuò à Cardinalibus ipſis diligenter examinata. Verùm (quod ipſa quoque pro ſua prudentia & religioſo animo intelligit) quæ ad ſacrorum Canonum obſervantiam, ad Dei gloriam, vel parvo momento propendent, cæteris omnibus debent longè eſſe graviora. Antiquiora illa, quæ in ipſis literis exempla collegit, hìc non omnino ignorabantur; ea tamen ipſa, ſi quales fuerint Synodi, quas recenſuit, & quibus temporibus ſint habitæ,*

& quæ in eis causſæ tractate, paullò attentiùs animadvertatur, existimandum erit minimè refragari. Recentiora verò, quæ ex omnibus Christiani orbis partibus peti possunt, in quibus post Oecumenicum Tridentinum Concilium complures, Deo dante, liberè celebratæ huc usque sunt Provinciales Synodi, in dies q; fine sæcularium Principum, eorumve Nunciorum præsentia ac interventu (paucis Hispanicis exceptis) celebrantur, quid de ea re sentiendum, quidque observandum sit, optimè declarant. Quod ad Majestatem Catholicam attinet, non est dubitandum, quin ejus religiosissima mens, cùm in omnibus rebus, tum etiam in modestissimis ad ipsam Synodum literis perspecta, hanc justam deliberationem, quandocumque ad eam permanaverit, in bonam partem accipiat, honestis q; & justis Sanctissimi domini nostri placitis piissimo ejus zelo obsecundet. Qua in re tota sibi verè Congregatio persuadet, V. Illustrissimam Amplitudinem non passuram, ut ejus studium, prudentia, auctoritas, & explorata fides desideretur, immo verò operam daturam, ut hæc ipsa omni ex parte eluceant; sanctæque R. E. Cardinalis officia & partes susceptura, & expleturam confidit. De impressione atque editione novissimæ hujus Synodi cautiùs forè putat, si ejusdem decreta ab Actis seiuncta, typis sola mandentur, quod multorum Conciliorum, etiam in Hispania, exemplo fiet, quorum constitutiones sine ipsis Actis excussæ & divulgatæ fuerunt. Quæ omnia pro sua pietate, & erga Sedem Apostolicam propensa animi devotione Amplitudini V. Illustrissimæ curæ fore speramus. Cui interea optimam valetudinem, & vigilantiæ suæ in ista Ecclesia regenda præmium à Domino, qui abundanter omnibus tribuit, exoptamus. Romæ die 25. Januari MDLXXXV.

Illustris. & Reverendis. Amplitudinis V.
humillimus servus.

Philippus Boncompagnus Card. S. Xysti.

DIPLOMA GREGORII XIII. PONT. MAXIMI, AD D. CARDINALEM QUIROGAM.

Ut deleatur nomen Legati Regii ex Concilio Provinciali.

Dilecto filio nostro Gaspari tituli Sanctæ Balbinæ Presbytero Cardinali, Toletano nuncupato, hæreticæ pravitatis in regnis Hispaniarum Generali Inquisitori.

DILECTE fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Curavimus tibi significari per literas venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, rebus ad Concilii Tridentini decreta pertinentibus præfectorum, quæ maximè emendari oporteret in decretis, aliis q; locis Synodi Toletanæ tuâ operâ confecte. In his illud erat imprimis, de Legati Regii mentione ex omnibus locis, in quibus facta esset, delenda, in quo voluimus & firmissimis sacrorum Canonum decretis insisti, & superiorum Romanorum Pontificum, proximè q; Pii V. exempla retineri. Quod igitur tum tibi significari curavimus, hoc nunc his literis mandamus, ut ex archetypo ipso facias omnibus in locis omnem Legati Regii mentionem deleri, neque aliter istius Synodi Acta aut decreta typis imprimi, aut exire patiaris. Speramus te nostris, atque Apostolicæ Sedis mandatis libenter, uti debes, obtemperaturum esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 26. Januarii MDLXXXV. Pontificatûs nostri anno decimo tertio. Ant. Boncompagnus.

Præter Episcopos jam nominatos, interfuêre eidem Concilio alii insignes viri; sed præcipuè celeberrimus ille scriptor & doctor BENEDICTUS ARIAS MONTANUS, Theologus PHILIPPI II. Regis catholici, & præterea eruditissimus JOANNES BAPTISTA PEREZ, secretarius ejusdem Concilii: cujus veluti ingenium & lingua ambo fuisse videntur. Placuit verò hoc loci exhibere utriusque elogium ex v. clarissimo D. Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispana mutuatum.

ELOGIUM CELEBERRIMI SCRIPTORIS BENEDICTI ARIÆ MONTANI,

Qui huic Concilio interfuit.

Ex Biblioth. Hispana D. Nicolai Antonii, Tom. I. pag. 162.

BENEDICTUS ARIAS MONTANO, quonam loco natus, haud perspicuum est: nam & se ipse libris editis, sive à natali, sive ab altrice urbe Hispalensem cognominare solet. Nertobriga *autem oppidum (id est nunc* Frexenal *Pacensis diœcesis) civem suum constanter ac secundiore famâ usque hodie jactat. Atque item in his, quæ hominem sibi arrogant, urbs* Xerezienſis, ab equitibus

bus cognominata nomen ſuum profitetur. Interim ſinamus nos, ne veritati præjudicium aliquod temerè hinc naſcatur, ita ut olim de Græco poëta ſeptem civitates, ſic plura inter nos oppida de ſummi Theologi, poëtæque divini patria digladiari. Nobilibus quidem hunc parentibus, ut audio, ſed inopibus natum, cùm juſtæ fuit ætatis, civitas Hiſpalis ſuſcepit expenſis gratuitis alendum, doctrinisq; imbuendum. Excitaverat enim quoſdam illius urbis cives ad id officium pueri indoles, ingeniumque vultu ipſo emicans. Poſt tirocinium Grammaticæ, Philoſophiæq; artium, jam Theologiæ par, cujus ſtudio ſemper flagraverat, in ſcholam Complutenſem, doctrinæ hujus florentiſſimam, contendit. Sodalem hic trilinguem egiſſe dicitur; in qua æde, velut in proprio loco, germanam illius trium linguarum cognitionem comparare ſibi in voto habens, incredibili ardore animi ad hoc maximè nati, felicisſimoq; conſpirantium genii atque induſtriæ ſucceſſu, fecit ſe brevi compotem voti. Græcè namque & Latinè eruditionis, Syrorumq;, & Chaldæorum, atque Arabûm linguæ ſciens, in eruendos maximè Hebraïcos divinorum librorum theſauros, cùm vires ingenii, tum actiones omnes ferè contulit: unde Hiſpania noſtra, & ſacræ ſcientiæ hoc ſtudium, novâ & majore quàm hactenus acceſſione cumulatiſſimi honoris & laudis locupletata eſt. Vulgarium inſuper ab his, Gallicè, Belgicè, Germanicè, Anglicè, atque Italicè, beneficio temporis & peregrinationis, cognitione non caruit. Planè ordinem Divi Jacobi equeſtrem inter Sacerdotes ſuſcepiſſe eum hoc tempore, cùm renunciatus jam Theologus doctor academiâ exceſſiſſet, æquum eſt judicare. Conſtat ſaltem ex eo ſodalitio, Italicæ ſacræ peregrinationis deſumptum comitem ac ſocium Theologum à Martino Perezio Ayala hujuſmet ordinis, Segobienſi antiſtite; quod ei officium præſtans in poſtremo Tridentino conventu totius Eccleſiæ conſcriptis Patribus ob eminentem eruditionem in pretio fuit. In reditu nihil optatius habuit, quàm declinatâ hominum frequentiâ, latere ſibi & literis, ſacrorumq; librorum meditandæ atque illuſtrandæ lectioni. Quo conſilio ſecretum quoddam Beticorum montium, atque amæniſſimum, juxta Aracenam locum, qui hodieq; in memoriam hoſpitis avidè frequentatur, nidum ſibi, ac velut latibulum vitæ ac ſtudiorum jam olim delegerat, juſtoq; ædificio conſtruxerat. Verùm publicatis jam aliquot Operibus, famâq; inſignis doctrinæ ſatis notum, non diù poſt Philippus Rex Secundus Bibliorum novæ ac Regiæ editionis ſuſceptâ egregiè curâ, non minùs quàm cæteris præcellentibus ſuis geſtis magnus, ad ſe vocavit; in Belgiumq; Albani Ducis tunc provinciam ire juſſit operi, atque operis præfectum. Id ut commodiùs ageret, viri eruditione præſtantes in partem laboris aſſumpti ſunt. Lucem typorum commodavit Chriſtophorus Plantinus typographorum oculatiſſimus, ſummâ & incredibili futurâ, ſi non ipſa loquerentur monumenta, ad poſteros fide. Officio jam defunctus noſter, ne famæ inauſpicatò ſe opuſque recens notâ ſuâ percuſſum committeret, Romam pervolavit, Regioq; nomine ac ſuo Biblicum hoc ſyſtema locupletius Complutenſi, atque emendatius, Gregorio hujus nominis XIII. Papæ Latinâ elegantiſſimâ oratione obtulit. Reverſus in Hiſpaniam, meritâ apud Regem maximum gratiâ floruit, ditatus ab eo Eccleſiaſticis penſionibus ad ſummam uſque bis mille ducatorum, tandemq; laïcali Beneficio quodam (encomienda de Pelai Perez *vulgò vocant*) ejuſdem Ordinis D. Jacobi; quod quidem hodie aggregatum eſt cœnobio Hiſpalenſium ſodalium, annuente ad id in gratiâ Montani, ejus domûs præfecti, diemq; ſuum in eadem obeuntis, Philippo. Sacrum quoque miniſterium Regi præſtitit. A quo & in recenter Laurentio martyri ſacram ædem juxta Eſcuriale oppidum, doctorus commorantes ibi S. Hieronymi ſodales ſacram eruditionem, fuit deſtinatus. Nec tamen ſecunda viri exiſtimatio deterruit quoſdam, in hisq; Leonem Caſtrum Pincianum canonicum, Commentario in Iſaïam Prophetam *eruditiſſimo*, aliisq; abundè ſpectatum, quocum noſter Montanus pro defendenda Hebraïcorum librorum integritate, quos pervicaciter ille averſabatur, multum ac diu decertavit; adeo ut Romam proficiſci ad cauſſam dicendam (ſi qui id jactant, falſi non ſunt) nec ſemel tantùm neceſſe habuerit. Mors tandem anno MDCXI. Kal. Junii dignum immortali vita, ſed mactum jam immortali fama virum nobis eripuit: jacetque in cœnobio Hiſpalenſi, cui præfuerat, honorificè ſepultus. Librariam ſuppellectilem manuſcriptam Laurentinæ Regiæ Bibliothecæ, typis editam legavit ſodalibus, reliquorum autem hæredes bonorum Carthuſianos ejuſdem urbis Monachos nuncupavit, inter quos ſeceſſum ſibi & latebras deſtinatæ jam cellulæ, imperturbato fruiturus otio, divinaq; magis per dies amans, & ſitiens comparaverat. Puſillâ fuit ſtaturâ, ſed bene compactâ, & quam dedignari non poſſet hoſpes animus. Vino ſemper abſtinuit, epulisq; largioribus. Cœnabat in die ſemel, idque noctu, præter breviorem meridianum cibum, qualem vel nunc jejunantes conciliaturi ſomnum ſumimus, diurnas horas omnes ut in exercitia pietatis ac ſtudiorum impenderet. Diebus feſtis carmine plerumque ſacro, nonnullisq; aliis humaniorum diſciplinarum exercitationibus à ſuperiore commentandi in libris ſacris cura veluti feriabatur. Inter enim ſui ſeculi poëtas nemini palmam detulit, meritus ob id lauream (quod ritu etiam apud nos academico invaluit) poëticæ artis apud Complutenſes. Quamdiu tandem per alias occupationes licuit, prædium ipſe ruſticum, quòd interpellantibus vacuum eſſet, ſeu verum potiùs Muſarum cœleſtium, atque Apollinis ſacri domicilium, habitare ſolitus, tot inde ad nos elegantiſſima, eruditiſſima, piiſſima opera, quæ antiquitatem omnem provocant, emanare fecit: quorum en catalogus.

Commentaria in XII. Prophetas. *Ad Eccleſiam Catholicam, illiusq; Pontificem ſummum, & legitimos miniſtros. Antuerpiæ apud Plantinum 1571. in fol. & 1582. in 4.*

Elucidationes in quatuor Euangelia. *Ibidem in 4. 1575. ſimulq; edita ſunt.*

In Acta Apoſtolorum elucidationes.

In omnia Sanctorum Apoſtolorum ſcripta: *ſimulque.*

In D. Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ Apocalypſin ſignificationes. *Ibidem ann. 1588. in 4.*

De varia Republica. ſive Commentarium in librum Judicum. *Ibidem 1592. in 4.*

De

De optimo imperio, ſive in librum Joſuë Commentarius. *Ibidem* 1583.

Antiquitatum Judaïcarum *libri* IX. *Lugduni Batavorum typis Raphelengii* 1593. *in* 4.

Liber generationis & regenerationis Adam, ſive de hiſtoria generis humani, operis magni pars prima, ideſt, anima. *Antuerpiæ apud Plantinum* 1593. *in* 4. *Parabat etenim hujus hiſtoriæ, ſive operis duas alias partes, inſcribendas nempe* corporis & veſtium *nomine, quarum cæmenta in ſchedis manſerunt.*

Commentaria in Eſaïæ Prophetæ ſermones. *Antuerpiæ apud Balthaſarem Moretum* 1599. *in* 4.

Commentaria in XXX. priores Davidis Pſalmos. *Ibidem apud eundem* 1605. *in* 4.

Dictatum Chriſtianum, ſive aureus de Chriſti vita ac doctrina libellus. *Antuerpiæ* 1575. *in* 12. *quem Galli habent Gallicè converſum, Antuerpiæque editum* 1579. *in* 8.

Fecit & in magnum Bibliorum corpus Apparatum, *adjecitque è ſuo in ultimo volumine ſequentia:*

De Hebraïcis idiotiſmis, de arcano ſermone, de actione ſive habitu, de ſacris ponderibus atque menſuris, de ſacra Geographia, (*ubi de gentium ſedibus primis, de duodecim gentibus, & terræ promiſſæ partitione*) de ſacris fabricis, de ſæculis & temporibus, *cum tabulis pictoris & artificioſiſſimis. Quod quidem Opus* Apparatûs ſacri *minori forma & impendio recudit Lugduni Batavorum Franciſcus Raphelengius anno* 1593. *in* 4.

Carmine autem elegantiſſimo luſit argumenta ſacra iſta:

Davidis Regis ac Prophetæ, aliorumque ſacrorum vatum Pſalmos ex Hebraïca veritate in Latinum carmen elegantiſſimè converſos. *Antuerpiæ apud Plantinum* 1574. *in* 4.

Monumenta humanæ ſalutis decantatæ, hoc eſt pulcherrimas utriuſque teſtamenti figuras vario carminis genere explicatas. *Ibidem* 1571. *in* 8.

Speculum vitæ & Paſſionis Chriſti. *Ibidem* 1573.

Hymnos & ſæcula, ſive Poëmata ſacra. *tomis quatuor in* 16. *apud eundem Plantinum anno* 1593.

Rhetoricorum item libros IV. *carmine heroïco, quibus* Adnotationes *adjecit Antonius Morales Epiſcopus Mechoacanenſis, ibidem* 1572. *in* 8.

Scripſit & alia promiſcua.

Correctorium indicem librorum, *juſſu Philippi Regis, & Albani Ducis, Belgarum Præfecti, qui editus eſt ibidem in* 8.

Aforiſmos ſacados de la hiſtoria de Cornelio Tacito. *Barcinone* 1614. *in* 8. *apud Sebaſtianum Mathevad.*

Itinerarium Benjamin Tudelenſis Judæi, ex Hebræo à ſe in Latinum converſum, edidit quoque apud Plantinum 1575. *in* 8. *quodquidem credebat ipſe majoris apud Alexandrinos Hebræos adſervati operis compendium. At id denuò recoctum eſt curâ* Conſtantini l'Empereur *Hebrææ linguæ Profeſſoris Leidenſis, Hebraïce ſimul atque Latinè, adjectis annotationibus, publicatum Lugduni Batavorum anno* 1633. *in* 8. *apud Elzevirios.*

E noſtris Montanum cumulatiſſima laude afficiunt Ambroſius Morales in Prolegomenis ſecundæ partis Hiſtoriæ Hiſpaniæ, *titulo* De los libros antiguos, *aliique exterorum quamplurimi; & in his Aubertus Miræus canonicus Antuerpienſis, in Juſti Lipſii elogio.*

Præter hæc plurium Ariæ Montani Opuſculorum exemplaria vidimus Matriti in Bibliotheca D. Gaſparis Ivañez de Segovia Marchionis Acropolitani, amici noſtri, fortè ex libraria ſuppellectile Petri de Valentia: quæ hîc adjungere non gravabor.

Humanæ rationis exempla illuſtriora.

Explicatio orationis Dominicæ.

Paræneſis ad mentem propriam ex verborum ſacrorum interpretatione compoſita.

Animadverſiones de Hebraïcorum Bibliorum varia ſcriptione & lectione, atque de vario interpretum inſtituto.

Commentaria in Pſalmos Davidis. *neſcio an ab editis diverſum opus.*

Commentaria in Euangelium Matthæi. *Fortè eadem cum editis.*

Adam, ſive de humani ſenſûs interprete lingua, communibuſque linguarum omnium rudimentis.

De vulgata editione.

Pro Hebraïcis exemplaribus & lingua.

De propoſito Dei.

Notæ in Geneſim.

Varia carmina.

Hiſpanâ autem linguâ hæc:

Diſcurſo ſobre la fundacion, que hizo el Rey Don Phelipe II. de Monjas de la Orden de San Aguſtin.

Carta à Alonſo Ramirez, quando fue hecho Fiſcal de Hazienda.

La leccion Chriſtiana, y las obligaciones comunes y particulares de todos los diſcipulos de Chriſto.

Diſcurſo ſobre ſi los premios merecidos por hazañas ſon bien ò mal dados.

Diſcurſo del dia verdadero de la Paſſion de Chriſto.

Cum his ſunt Epiſtolæ, quas noſter ad varios, & quas ad Benedictum noſtrum varii ſcripſerunt: pluraque alia ſuper editione Bibliorum Regiorum, &c.

ELOGIUM
D. JOANNIS BAPTISTÆ PEREZ

Ex eodem D. Nicolao Antonio in Biblioth. Hiſpana, Tom. I. pag. 494.

JOANNES BAPTISTA PEREZ, Valentinus domo, ex familiari Gaſparis Quirogæ Conchenſis Epiſcopi canonicus Toletanæ Eccleſiæ, ejuſdem, ut exiſtimo, Quirogæ beneficio, cùm ad eam Sedem Hiſpaniæ principem conſcendit, creatus, operarumque ibi præfectus: propter multiplicem doctrinam, inſignem eruditionem, ingenium excellens, purgatiſſimumq; judicium, necnon pietatem non vulgarem æquales omnes ſui temporis præcones ſuæ virtutis habuit. Quandoquidem nihil, quod ſciam, experiri paſſus fuit publicam lucem: ſaltem primus dolum animadvertit, tinnireq; quidquam potiùs quàm aurum admonuit Pſeudo-Dextrum, Pſeudo-Maximumque, nuper evulgatos: primus, quod ſciam, de inventis Granatæ apud Illipulitanum montem veſtigiis martyrum, libriſq; ac laminis plumbeis cenſuit; de qua re adhuc apud Romanos negotiorum religionis cenſores cauſſa pendet. Præterea hæc:

Notas ejus ad Concilia Hiſpaniæ, *quæ permulta collegit & caſtigavit, Quirogæ auſpiciis ad Gregorium XIII. mittenda, partim jam in Loaïſe collectione edita, partim ea præcipuè, quæ ſub Arabum tempora celebrata ſunt, hactenus inedita, apud Hieronymi de la Higuera Jeſuitæ* Hiſtoriam Toletanam MS. *laudatas vidimus, Gaſpar Eſcolanus, qui in fine libri V.* Valentinæ Hiſtoriæ, *patriam noſtro, quam diximus, Valentiam urbem aſſignat: alias ejuſdem lucubrationes variis hujus hiſtoriæ locis laudat. nempe:*

Notas marginales à la Hiſtoria General de Eſpaña *lib. 2. cap. 5. num. 7.*

Notas ad librum S. Iſidori De viris illuſtribus. *quibus adjungere debemus:*

Notas ad S. Ildephonſi *puriſſimi argumenti libellum, ex Gregorio Cardoſo, qui has laudat in Agiologio Luſitano 20. Martii pag. 246.*

Catalogum item Epiſcoporum Segobricenſium. *tandem:*

El arbol de la Caſa de los Borjas. *Apud me quoque eſt*

Series Regum Gotthorum, *brevis ſed accuratiſſima. Porrò eximium virum non vulgaribus proſequuntur elogiis Joannes Mariana lib. 1. cap. 14. Gundiſalvus Argote* Nobilitatis Bæticæ *lib. 1. cap. 3. Petrus de Valentia in Opuſculo MS.* de ſacris Granatenſibus cimeliis. *Franciſcus Portocarrero Jeſuita in libro* Deſcenſionis Mariæ Virginis ad Eccleſiam Toletanam.

Segobricenſibus hic regni Valentiæ datus Epiſcopus, obiit tandem 8. Maji MDXCVII.

CONCILIUM LIMANUM I.
PROVINCIALE
BEATI TORIBII

Per Sedem Apoſtolicam approbatum.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

CONCILIUM ſtatim exhibendum, non eſt primum omnium Limenſium. Nam multò ante ipſum fuerat celebratum aliud Provinciale anno MDLII. ad cultum Dei, propagationem Fidei, diſciplinam Eccleſiaſticam, & reformationem morum. Acta verò pleraque illius reſciſa fuerunt in Concilio pariter Limenſi mox proferendo Actione II. quia in iis & legitima auctoritas deſideratur, & pleraque meliùs poſtea diſpoſita ſunt. *Ut ibidem dicitur.*

Similiter Concilium Limenſe II. Provinciale celebratum fuit anno MDLXVII. in quo recepta fuit Synodus Tridentina, & plura decreta ſunt ad cultum Dei, diſciplinam Eccleſiaſticam, ac reformationem morum ſpectantia. Illius Acta invenire non potuimus. Verùm illud fuiſſe ritè & legitimè congregatum, celebratum, & promulgatum, dicitur in Concilio ſequenti, citatâ Act. II.

Quapropter Concilium ſequens Provinciale, reverâ Limanum III. eſt, quamvis communiter dici ſoleat primum, nimirum ex editis. Et hoc modo denominatur à nobis, propter rationem dictam. CARD. DE AGUIRRE.

POSTQUAM B. Toribius poſſeſſionem Archiepiſcopatus accepit, per literas convocavit ſuffraganeos Epiſcopos, alioſque, quorum adeſſe intererat: ſed nec edictum convocationis, neque quid in primo conſeſſu præfatus ad Patres fuerit Archiepiſcopus reperiri potuimus. Conjectari tamen poſſumus, ea ejuſmodi fuiſſe, qualia ad cætera Concilia, & Synodos Diœceſanas infrà producemus. Concilium autem ipſum eo verborum tenore tranſcribimus, quo per Sedem Apoſtolicam approbatum fuit anno MDCX. & Matriti impreſſum anno MDCXIV. FRANC. MONTALVO.

ACTIO PRIMA

Celebrata in Eccleſia Cathedrali civitatis Regum, die 15. Auguſti, anno MDLXXXII.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Sancta Synodus in urbis Regiæ provinciæ Peruvianæ Cathedrali Eccleſia B. Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ titulo conſecrata, ex præſcripto ſacrorum Canonum, præſertim ſacri Concilii Tridentini [a] auctoritate, S. D. N. Gregorii XIII. Romani ac ſummi Pontificis voluntate, etiam cupiente Catholico atque invictiſſimo Rege noſtro Philippo II. Hiſpaniarum & novi orbis domino, ad Fidei exaltationem, & novæ Indorum Eccleſiæ utilitatem, cleriſque ac populi Chriſtiani Eccleſiaſticæ diſciplinæ congruentem reformationem, ritè ac legitimè congregata, præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Toribio Alphonſo Mogrovejo, Archiepiſcopo Metropolitano, præſtante excellentiſque admodùm viro, domino Martino Henriquez, Peruviani hujus regni Pro-Rege, locum ſecurum ac tutum reddente ipſi Concilio, ac ſimul convenientibus Reverendiſſimis Patribus ac dominis, domino Fr. Antonio de Sancto Michaële, Epiſcopo Imperialis civitatis, domino doctore Sebaſtiano Lartaun Epiſcopo Cuzquenſi, domino Fr. Didaco de Medellin Epiſcopo Sancti Jacobi Chilenſis, domino Fr. Alphonſo Guerra Epiſcopo Fluminis, quem dicunt *de la plata*. Tum etiam Senatu regio, & procuratoribus Eccleſiarum, & clero hujus Metropolis, poſt ſolennem proceſſionem ex D. Dominici templo in ipſam Cathedralem magno populi concurſu & lætitia factam, ac Miſſarum ſolennibus per Illuſtriſſimum Archiepiſcopum celebratis; concione quoque habita per Reverendiſſimum Epiſcopum Imperialis, die decima quinta Auguſti, glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ Aſſumptioni ſacrata, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, imprimis Concilium Provinciale legitimè inchoare, atque inchoatum eſſe Patrum unico conſenſu declaravit.

Deinde ſacroſancti Concilii Tridentini [b] decretum de celebrandis Conciliis Provincialibus reci-

[a] Sefs. 24. c. 2. de reform.

[b] Concil. Trident. ſeſs. 24. c. 2. de reform.

recitatum eſt, cujus initium eſt: *Provincialia Concilia ſicubi omiſſa ſunt*, &c. Ejuſdemque Concilii aliud decretum de recipienda Univerſali & Oecumenica Tridentina [c] Synodo, cujus initium eſt: *Cogit temporum calamitas*, uſque ad finem.

Mox antiquorum Patrum exemplum atque auctoritatem ſequuta Synodus, Fidei Catholicæ profeſſionem, tanquam omnium rectè agendarum rerum optimum fundamentum, ante omnia præmittendam cenſuit. Itaque juxta formam præſcriptam conſtitutione ſanctæ memoriæ Pii IV. editâ anno MDLXIV. incipiente: *In unctum nobis*; Synodus profeſſionem clara & alta voce in hæc verba fecit. Ego &c.

Inſerta hîc erat formula profeſſionis fidei à Pio IV. præſcripta: ſed cùm jam edita fuerit ſuprà, initio Cõcilii Provincialis Toletani celebrati anno MDLXV. visũ fuit illam de cetero prætermittere, legendam ibi.

His finitis, lectus eſt Concilii Toletani [d] antiquus & approbatus Canon de ordine & modo in Synodo dicendi ſententiam, & rem unamquamque tractandi: cujus initium eſt: *In loco benedictionis*, prout à ſancta Tridentina [e] Synodo traditur, atque quomodo procedendum eſſet in his quæ erant tractanda, declaratum eſt.

Poſt hæc autem ſancta Synodus omnes & ſingulos ad eam accedentes certiores facit, congregationes habendas fore in capitulo hujus Cathedralis Eccleſiæ, ut qui velit aliquid petere, vel utilitatis publicæ cauſsâ proponere, liberum ſibi eſſe in loco prædicto id facere, ſciat.

Denique nullum cuique prejudicium factum, aut futurum ex loco aſſignato omnibus præſentibus, ſive etiam abſentibus declaratum eſt. Cumque ſupradicta omnia, ſic acta, decretaque eſſent, quæſitum eſt à Reverendiſſimis, an ipſis placerent ea omnia? ad quæ omnes reſponderunt: Placent.

SIC finita actione prima, duæ congregationes quotidianæ, in capitulo Cathedralis Eccleſiæ habitæ ſunt, per Metropolitanum, cæteroſque Epiſcopos, frequenter ipſo etiam præſente Prorege, quoad è vivis exceſſit, nec non procuratoribus Eccleſiarum, tum etiam Theologis, ac Juris doctoribus, à Concilio deputatis. Itemque regularium ordinum præpoſitis, ac demum Synodi officialibus (ut fieri ſolet) aſſiſtentibus. Ac primùm ſuperiorum hujus provinciæ Synodorum acta decretaque diligenter recitata & annotata ſunt. Deinde Eccleſiarum conſtitutiones peculiares, ſive erectiones, tum à pleriſque Eccleſiis & procuratoribus civitatum, atque aliis idoneis perſonis, libelli plurimi oblati lectique ſunt; in quibus quæ ad reformationem pertinere cuique videbantur, Synodo ſignificarentur, & quæcumque diſputatione, ac matura tractatione digna viſa ſunt, ea Theologorũ & Juriſ-prudentium ſtudio & collatione, & voce & ſcripto copiosè per plures menſes agitata ſunt.

Eiuſdem anni 82. menſe Octobri Reverendiſſimus D. Petrus Peña Epiſcopus Quitenſis ad Synodum venit, qui & loco ſuo ſedit, & congregationibus aliquot diebus interfuit, donec morbo diuturno, & ſenio confectus, die ſeptima Martii, anni 83. migravit è vita: clariſſimo viro Martino Henriquez Prorege quintò pòſt die ab hac quoque luce ſublato.

Sub ejuſdem Martii initium Reverendiſſimi Epiſcopi D. Fr. Franciſcus Victoria Epiſcopus Tucumanenſis, & D. Alphonſus Granero de Avalos Epiſcopus Platenſis ad Synodum convenêre, & facta priùs profeſſione Fidei, ſuis locis ſedere, ac ſententias dicere cœperunt.

Cum verò tum in multis gravibus & controverſiis componendis, tum in maturo multarum rerum tractatu, quæ ad totius provinciæ ac regni Peruviani utilitatem ac reformationem opportuna admodùm judicabantur, in edendo quoque ac vertendo in idioma Indicum catechiſmo, compluribus & aliis ad Indorum ſalutem ſpectantibus, non parvo labore, annus integer exactus eſſet; tandem omnium Patrum ſententiâ decretum eſt, ſecundam Actionem in templo ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ, ad Beatiſſimæ Virginis Aſſumptionis diem promulgandam eſſe.

Igitur die decima quinta menſis Auguſti anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi tertii, ſolemni proceſſione propè Eccleſiam præeunte, omnibus Reverendiſſimis mitris ac pluvialibus de more compoſitis, ac Miſſam Reverendiſſimo Tucumanenſi pontificali ritu celebrante, ac cæteris paratis, quæ ſunt ex uſu Romanæ Eccleſiæ, conſedentibus in loco præcelſo ac bene ornato Patribus, præſente Regio Senatu, & procuratoribus Eccleſiarum, & civitatum, capituloque & clero, ac populo frequentiſſimo, ex ſuggeſto per eundem Reverendiſſimum Tucumanenſem Epiſcopum recitata ſunt decreta quæ ſequuntur.

ACTIO SECUNDA

Celebrata in Eccleſia Cathedrali civitatis Regum, die 15. Auguſti MDLXXXIII.

CAPUT I.

De ſuperioribus Synodis.

QUONIAM hujus provinciæ ſtatus certas, atque omnibus pervias leges poſtulat, ut quid ſingulis in rebus agendum eſt, nemo in hac noſtra Eccleſia ignorare poſſit; illud primùm hec ſancta Synodus ſibi providendum cenſuit, ut quid in ſuperioris temporis ſtatutis deinceps etiam retinendum ſervandumque ſit, apertè doceat, atque explicet. Quęcumque igitur in prima Limenſi congregatione, anno à ſalute mundi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, acta decretaque ſunt: quia in iis & legitima auctoritas deſideratur, & pleraque meliùs poſtea diſpoſita ſunt, nullam de cętero, ſive in tota provincia, ſive in hac diœceſi, obligandi vim habeant. Quæ verò deinde per Concilium Provinciale in hac eadem urbe coactum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo conſtituta ſunt, cùm ritè ac legitimè convocatum & celebratum, atque etiam promulgatum fuiſſe conſtet, ea

[c] Concil Trid. ſeſs. 25. c. 2. de reform. [d] Tolet 11. cap. 1. [e] Trid. ſeſs. 3. §. In ſententiis.

ea cum omni veneratione ſuſcipiantur, dummodo Concilium ipſum canonicum ſit, & canonica ſtatuta contineat, præterquam ſi quid rerum ac temporis ratione exigente, ab hac Synodo aliter diſpoſitum revocatumve ſit, ſalvo etiam in omnibus jure patronatûs, per Sedem Apoſtolicam Catholico atque invictiſſimo Regi noſtro Philippo, cæteriſque Hiſpaniarum Regibus conceſſo: quod per omnia illæſum, conſervatumque cupimus; diuturnam inſuper ac feliciſſimam vitam à ſummo Deo noſtro piiſſimę illius Majeſtati deprecantes.

CAPUT II.

De tenenda hac & ſuperiori Synodo.

SED ne ea, quæ ſalutariter proviſa ſunt, ignoratione & negligentia (quemadmodũ hactenus ferè contigit) inutilia reddantur; præcipit ſancta Synodus, ut intra duorum menſium ſpatium à die factæ promulgationis in unaquaque diœceſi computandum, vel certè, quod Ordinarius cuique præſcripſerit, debeant omnes, ſive Hiſpanorum, ſive Indorum parochi, atque alii quicumque Eccleſiaſtici judices, tam decreta Concilii ſuperioris prædicti, quæ ad ipſos quoquomodo pertinebunt, quàm omnia hujus ſtatuta deſcribere, ac penes ſe habere. Si quis id facere neglexerit, pœnâ centum aureorum, & majoris excommunicationis feriatur.

CAPUT III.

De catechiſmi editione & verſione.

UT Indorum populi in religione Chriſtiana adhuc rudes, ſalutari Fidei doctrina commodiùs imbuantur, ac tutiùs, atque eandem ubique unius doctrinæ formam inveniant, placuit veſtigiis Generalis Tridentini *f* Concilii inſiſtendo, proprium catechiſmum huic univerſæ provinciæ edere, quem omnes Indi pro ſuo captu doceantur, ac memoriter, ſaltem pueri, teneant, diebuſque Dominicis & feſtis in publico conventu Eccleſiæ repetant, vel illius certè aliquam partem, prout opportunum videbitur, ad cęterorum utilitatem recitent. Præcipit ergo ſancta Synodus omnibus Indorum parochis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, ut catechiſmo hoc ipſius auctoritate edito, quatenus ſit conformis catechiſmo à ſancta Sede Apoſtolica edito, quibuſcumque aliis excluſis, deinceps utantur, & ſecundùm eum plebem ſibi commiſſam inſtruere curent. *g* Et quoniam ad Indorum ſalutem non ſolùm rerum ſententiarumque conſenſus, ſed ipſa etiam ſermonis conformatio plurimum confert, prohibet etiam præter verſionem ipſius auctoritate factam, atque *h* editam, tam in precibus rudimentiſque doctrinæ Chriſtianæ, quàm in catechiſmo in linguam Cuzquenſem, vel in Aymarayeam, aliã traductionẽ à quoquam fieri, vel aliter factam quemquam uti. Atque ut idem fructus ad cæteros etiam manet, qui diverſo à ſupradictis idiomate utuntur; mandat Epiſcopis omnibus, ut in ſua quiſque diœceſi quam primùm curet catechiſmum eundem per idoneos & pios interpretes, in reliquas linguas ſuæ diœceſeos verti, eamque interpratationem ab Epiſcopo ſic approbatam, ab omnibus ſine controverſia recipi, non obſtante qualibet contraria conſuetudine.

CAPUT IV.

Quid ſinguli docendi ſint.

CUM divino *i* præcepto omnes Chriſtiani adulti teneantur pro ſuo captu ſcire quę ad religionis Chriſtianę, quam profitentur, ſubſtantiam pertinent: qualia ſunt myſteria fidei præcipua, quę continentur in ſymbolo, mandata decalogi omnibus ſervanda, ſacramenta quoque ea quæ neceſſariò cuique ſuſcipienda ſunt. Tum demum quæ à Deo petere, & exſpectare debemus, juxta Dominicæ orationis inſtitutionem, ſedulò in iis erudiendi ſunt à paſtoribus & miniſtris omnes, maximè rudiores Indi, Æthiopes, pueri pro cujuſque ingenio, & opportunitate, ne graviſſimo morbo ignorantię (ut fit paſſim) periclitentur. *k* Omnino autem curandum eſt, ut quicumque neque ætate, neque valetudine impediuntur, memoriter diſcant elementa Chriſtiana, maximè ſymbolum Fidei, orationem Dominicam, præcepta decalogi, ſacramenta Eccleſiæ. Id ut fiat, antiquorum Canonum *l* ſtatuta ſequens, præcipit ſtrictè ſancta Synodus, ut nullus adultus ad ſacramentum baptiſmi admittatur, qui non priùs ſaltem ſymbolum & orationem Dominicam memoriter reddiderit. Idemque in ſacramentis Pœnitentię & Confirmationis conferendis omnino ſervetur; excepto vel neceſſitatis articulo, vel nimiæ ſenectutis, aut ægritudinis, ſive etiam profundæ alicujus hebetudinis impedimento, quod *m* parochorum, ſeu confeſſariorum judicio & conſcientiæ relinquatur. Qui *n* verò iis tantis impedimentis gravati fuerint, ut copioſiorem catecheſin non admittant; doceantur demum pro ſuo modo præcipua Fidei capita, ſcilicet unum eſſe Deum omnium rerum auctorem, qui accedentes ad ſe vitâ æternâ remuneret, improbos & rebelles æternis ſuppliciis in alio ſæculo puniat. Deinde hunc ipſum Deum eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, tres quidem perſonas, ſed unum Deum verum, præter quem nullus alius ſit verus Deus. Nam que adorant aliæ gentes, præter Chriſtianam, non eſſe Deos, ſed dæmones potiùs aut figmenta hominum. Præterea filium Dei propter reparandam ſalutem

f Trid. ſeſs 24. c. 7 & ſeſs. 25 in fine. *g* Conc. Limen. 2. ſeſs 3. c. 2.
h c. quoniam *de offic. jud. ord.* *i* Matth. 28 Marc. 16 1. Petr. 3.
k De cõſec. d. 4. c. *Baptizandos* Et c. *Non liceat*. Aug. lib. 50. hom. 42 Conc Ferr. Julian. in præf. ad fin. *l* Conc. Moguntiac. cap 25. Auguſt in Enchiridio. c. 7. *m* Conc. Lim 2. ſeſs. 2. c. 20.
n Conc. Limen. 2. ſeſs. 3. cap. 33. & 34.

tem hominum factum hominem ex Virgine Maria, pro nobis passum & mortuum, ac tandem resurrexisse, & regnare in æternum. Hunc esse Jesum Christum Dominum, ac Salvatorem nostrum. Postremò, neminem posse esse salvum, nisi credat in Jesum Christum, & pœnitens de peccatis commissis sacramenta ipsius suscipiat. baptismatis quidem, si infidelis est, confessionis autem si lapsus post baptismum. Denique statuat ea servare, quę Deus & Ecclesia sancta præcipiunt. Quorum summa est, ut Deum diligat super omnia, & proximum sicut seipsum. Intelligant igitur Dei sacerdotes, nisi in Fide, ut oportet, instructos baptizent, vel à peccatis absolvant, se & grandi sacrilegio commaculare, & animarum reos apud districtum Dei judicium reddere.

CAPUT V.

A parochis erudiendos rudiores.

REctores [o] Ecclesiarum parochialium diebus saltem Dominicis & festis rudimenta Christiana per seipsos populo tradant, ad quos audiendos pueri & servi conveniant: sciant quoque [p] patresfamilias se Deo reddituros rationem de filiis, servis, ac tota familia reliqua. Itaque satagant, ut benè modestęque vivant, ut suis temporibus confessiones faciant, ut doctrinam Christianam probè teneant: ut Ecclesiam discendi causâ, & orandi frequentent, ne quod sæpè accidit, & divina [q] oracula minantur, propter corruptos mores liberorum, in ipsos parentes divinitùs vindicetur.

CAPUT VI.

Ut Indi Indicè doceantur.

CHristianæ [r] institutionis, aut catechismi scopus præcipuus est Fidei præceptio: corde enim credimus ad justitiam, quod ore confitemur ad salutem. Quamobrem ita quisque instruendus est, ut intelligat, Hispanus Hispanicè, Indus Indicè, alioquin quantumvis bene dicat, mens illius, juxta sententiam Apostoli [s], sine fructu est. Quocirca nullus Indorum de cætero compellatur orationes sive catechesin Latinè discere, cùm sufficiat, multoque meliùs sit suo idiomate pronunciare: aut si qui ipsorum velint, possunt etiam Hispanicum, quo multi jam utuntur, adjungere. Prętter hæc aliquam aliam linguam ab Indis exigere, superfluum est.

CAPUT VII.

Ne clerici ad expugnandos Indos proficiscantur.

NOvas expeditiones suscipere adversùs barbaros aut infideles sine gravissima & meditatissima causa minimè oportet, cùm agatur de plurimorum hominum fortunis, libertate, salute, ac sæpè temeritate multorum irreparabilia bello damna dentur. Quapropter nemo ex clericis, qui doctrinæ Indorum præsunt, vel aliàs, utcumque agunt, ad bellum contra Indos, aut alias quascumque expeditiones, ut ministeriis spiritualibus milites juvet, proficiscatur, nisi de expressa licentia sui Episcopi. Qui secus egerit, excommunicationi latæ sententiæ ipso facto subjaceat: & pro modo culpę aliis etiam pœnis acerbè plectatur.

CAPUT VIII.

Conjugia inter fratres inita dirimantur.

COnjugia [t] inter fratres, cùm ad baptismi gratiam pervenerint, rata non habeantur; sed quicumque ita conjuncti reperti fuerint, separentur.

CAPUT IX.

De patrinis Indorum.

CONvenit [u] impedimenta quæ ex cognatione spirituali oriuntur, Indis quoad fieri potest, detrahere, ne ignorantes, quod sępe accidit, in gradibus illicitis conjungantur. Eam ob causam, & in superiori Synodo, & in hac commodum visum est, ut in quovis populo aut parochia Indorum, certus sit designatus patrinus, sive susceptor, qui baptizandos de fonte levet, sed hunc designare pertinebit ad Ordinarium, qui etiam plures, ut judicaverit expedire, pro numerositate populi poterit constituere; ita tamen ut certi sint, & quorum fidei possit institutio spiritualium filiorum committi.

CAPUT X.

Quid agendum, quum ex duobus infidelibus conjugatis alter convertitur.

DE iis qui jam matrimonio juncti convertuntur ad fidem, conjuge adhuc infideli permanẽte, in superiori [x] Concilio providè consultum est: ut si infidelis quidem spem suæ conversionis maturam ostendat, Christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, (quemadmodum est sacris Canonibus [y] definitũ) sed

[o] Conc. Tolet. actio. 3. c. 5. [p] Conc. Limen. 2. sess. 2. c. 127.
[q] 1. Reg. 2. Amos. 2. [r] Rom. 10. Concil. Roman. cap. 15.
[s] 1. Corint. 14. [t] Concil. Limen. 2. c. 38 de divor. c. *Quanto.*
[u] Trid. sess. 24. c. 2. de reform. matrim. [x] Conc. 2. Lim. § 2. c. 38.
[y] De divor. cap. *Quanto*, & cap. *Haud eamus*, 38, 41. c. *jam nunc* & caps. *Si enim*, 28. q. 2. cap. *Si infidelis.*

ſed conjugis lucrum in Chriſto exſpectet. Si verò differat converſionem ſuam, neque tamen jam baptizato conjugi pernicioſus exiſtat, eum à Fide avertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo (etenim id cùm fit, ſacri Canones eos neceſſariò ſeparandos volunt, & Chriſtiano novi conjugii ineundi poteſtatem tribuunt.) tunc & exſpectandum adhuc eſſe per ſemeſtre tempus, & aſſiduè de ſua interim converſione admonendum. Sed quoniam tum periculum recens converſi cavendum eſt, ne ſi diù permanſerit in toto infidelis, fidem Chriſti fortaſſis amittat, dum vult ſervare homini; tum verò libertati illius conſulendum eſt, ne cœlebs vivere cogatur, qui forſitan uritur. Iccircò decernimus, ut tranſacto ſex menſium ſpatio, res ad Epiſcopum deferatur, qui benè peſpectâ cauſsâ, fideli declaret, copiam eſſe aliud matrimonium ineundi propter fidei aut charitatis ſcandalum, quod patitur. Quòd ſi nullum eſſe periculum in cohabitatione viderit, jubeat exſpectare infidelem, vel etiam conſulat cohabitare, ſi prodeſſe intelligit, juxta Pauli ℣ Apoſtoli conſilium. Neque enim poteſt omnibus converſis eadem lex præfigi, cùm occurrant profectò variæ circumſtantiæ; neque ſit omnium infidelium eadem ratio. Quare Epiſcopi prudentia in re dubia, ne graviter erretur, conſulenda erit, & juxta cap. *Quanto de divortiis*, cùm caſus acciderit, decernendum.

CAPUT XI.

De nominibus Indorum.

NE in Indorum baptiſmo & matrimonio falli ſæpè contingat, dum ignoti illud repetunt, omnino vetentur gentilitatis, aut ſuperſtitionis ſuæ nominibus uti: ſed omnibus Chriſtianis aſſueta nomina in baptiſmo apponantur: cognomina verò, ut invicem diſcernantur, maſculi quidem paterna, fœmellæ materna retineant.

CAPUT XII.

Ne Regulares baptiſmi aut matrimonii ſacramenta adminiſtrent.

REgularibus [a], præterquam in Indorum oppidis ubi parochorum munus exercent, baptiſteria habere, aut præter neceſſitatem baptizare, aut matrimonia copulare, ſacri Canones prohibent. Id ita fieri hæc Synodus valdè commendat, ne ſcandala in Eccleſia ab iis fiant, quos maximè oportet exemplo humilitatis aliis præſtare.

CAPUT XIII.

In confirmatione nihil ab Indis accipiendum.

CUM ſacramentum [b] Confirmationis accipiunt Indi, nulla ratione quicquam pecuniæ, aut argenti ab iis petatur, neque ut offerant inducantur; quin etiam qui præ inopia candelas ferre non poterunt, iis ab Epiſcopis benignè conferantur, & cerei, & lintea: idem in baptiſmo ſervetur de cereo, & capitio baptiſmali.

CAPUT XIV.

De examine confeſſorum.

ORdinarii [c] diligenter examinent eos qui confeſſionibus audiendis exponendi ſunt, etiam ſi regulares fuerint. Et quia non ſunt omnes ad omnium confeſſiones excipiendas idonei, oportebit juſtam in examine ſervare menſuram, ut benè doctis, & literatis generalem approbationem tribuant, minus verò peritis eam limitationem perſonarum, vel ſtatuum adhibeant, quam ſufficientiæ illorum congruere judicabunt. Quòd in hac facultate confeſſariorum amplianda, vel reſtringenda debeat haberi ratio, nedum ſufficientiæ, ſed etiam loci, cæterarumque circumſtantiarum. Omnibus autem, quos approbandos duxerint, approbationis ſuæ, vel amplæ, vel reſtrictæ, ut dictum eſt, in ſcriptis teſtimonium gratis dabunt. Laïci verò cùm præcepto Eccleſiæ de annua confeſſione ſatisfaciunt, ſchedulam à confeſſario petent, (niſi perſonæ alioquin ſatis probatæ ſint) quam tum proprio parocho, tum patrifamiliâs oſtendent.

CAPUT XV.

Extraordinarios confeſſarios Indis aliquando tribuendos.

CONſcientiis [d] Indorum curent Epiſcopi conſulere per extraordinarios quandoque confeſſarios, quos ipſi, qua poterunt commodiori ratione tranſmittant; ut qui parochos ſuos præ timore, aut pudore, aut fortaſſis odio aliquo, graviora ſæpè crimina celant, apud hos veluti ſubſidiarios Euangelii miniſtros, ſecurè ac ſpontè conſcientias ſuas exonerent. Et quia in tanta linguarum varietate compertum nobis eſt, multos ſine Pœnitentiæ ſacramento hucuſque manſiſſe; inquirant Epiſcopi quinam ſint ejuſmodi, & illis quàm diligentiſſimè poſſint, de perito aliquo ſacerdote provideant, qui illorum confeſſiones excipiat.

CA-

℣ 1. Corint. 7. *a* Ibid. q. 1. c. *Plac.* Clem. de privil. c. *Religioſi.* Conc. Lateran. ſub Leon. X. ſeſs. 11. Concil. Trid ſeſs. 24. *de reformat.* cap. 1. *b* Concil. Lim 2. ſeſs. 3. cap. 27. *c* Conc. Trid ſeſs. 23. c. 15. *d* Conc. Trid. ſeſs. 25. de Relig c. 10.

CAPUT XVI.

Confessionem integrè cognoscendam.

NON [e] pauci sacerdotes ex imperitia sermonis Indici, interdum etiam ex negligentia, & tædio audiendi, in confessionibus Indorum multa illorum peccata, sibi penitùs ignorata prætereunt; atque ita perfunctoriè unum, aut alterum peccatum intellexisse contenti, beneficium absolutionis impendunt. Cùm ergo sacramentalis confessio mortalium peccatorum integra esse debeat, neque possit, nisi necessitatis articulo urgente, ejusmodi absolutio esse legitima; oportet omnino pœnitentiæ ministros cautos atque solicitos esse, ne sacrilegium admittant in ejusmodi confessionibus detruncatis. Itaque vel pœnitentes ad peritiores remittant, si non sufficienter intelligunt, vel ipsi discant quod nesciunt. neque enim rectus judex est, qui judicat quod ignorat.

CAPUT XVII.

Casus reservati parochis Indorum conceduntur.

PRÆSENTIS auctoritate Synodi parochis, & approbatis confessariis Indorum casus Episcopis reservati conceduntur, ut ab omnibus illis, & censuris annexis possint absolvere Indos, quum id expedire in Christo judicaverint, ne Indi propter imbecillitatem suam, & spiritualis sensus inopiam, dum ad superiores pro reservatorum casuum absolutione recurrere cessant (quod crebrò fit) conscienti is suis illud experiantur noxium, quod pro earum salute ab Ecclesia provisum est. Liceat tamen Episcopo aliquibus parochis hanc facultatem restringere, quum ei videbitur expedire.

CAPUT XVIII.

Sacerdotes antequam vestes sacras induant, confiteantur.

CELEBRATURI sacerdotes nullatenus sacris vestibus induti peccata confiteantur, sed quum confessione opus habent, antequam se induant, & quidem genibus provoluti [f] id faciant, nec nisi apud confessarium ab Ordinario approbatum. Qui aliter, vel audierit, vel fecerit confessionem, sciat se, & præcepti reum, & salutarem ei pœnitentiam injungendam. Et quoniam domum Dei decet omnis sanctitudo; visum est etiam confessionaria mulierum, qua parte ipsæ ingrediuntur, aperta, & januis libera esse debere. Id ut quamprimùm fiat, etiam in Regularium Ecclesiis, hæc Synodus admonet atque hortatur.

CAPUT XIX.

De viatico Indis præbendo.

CŒLESTE [g] viaticum, quod nulli fidelium ex hac vita migranti, si pœnitentiam ostendat, negat pia mater Ecclesia, multis ab hinc annis, Indis atque Æthiopibus, cæterisque personis miserabilibus præberi debere à parochis, Concilium Limense [h] constituit: sed tamen sacerdotum complurium vel negligentia, vel zelo quodam præpostero, atque intempestivo illis nihilo magis hodie quoque præbetur: quo fit, ut imbecilles pleræque animæ tanto bono, tamque necessario sibi fraudentur. Volens igitur sancta Synodus ad executionem perduci quę Christo duce pro salute Indorum necessariò ordinata sunt, severè præcipit omnibus parochis, ut extremè laborantibus Indis, atque Æthiopibus, viaticum ministrare non prætermittant, dummodo in iis debitam dispositionem [i] agnoscant, nempe fidem in Christum, & pœnitentiam in Deum pro suo modo. Neque enim in extrema illa necessitate perfecta omnia exigenda sunt; cum sanctorum Patrum decreta [k] habeant, qualecumque fidei & pœnitentiæ testimonium in ultimo agone positis, ut salutaria sacramenta ministrentur, debere sufficere. Ut autem quàm potuerit maximè decenti apparatu tantum illud sacramentum administretur; dabunt operam, ut cruce præeunte, & cereis accensis, tum etiam loco honestè composito, & cæteris, quę in Synodo Diœcesana Episcopi curanda providerint, ad ægrotum Eucharistia deferatur, si ipse nequeat ad Ecclesiam commodè portari. Ubi verò Eucharistia non asservatur, id fiet peracto ante meridiem Missæ sacrificio, atque hostiis pro indigentium numero consecratis. Porrò parochi quicumque à prima hujus decreti promulgatione negligentes fuerint, noverint se præter divinę ultionis judicium, etiam pœnas arbitrio Ordinariorum, in quo conscientię eorum onerantur, daturos: atque in visitationibus in illos de hujus observatione statuti specialiter inquirendum.

CAPUT XX.

De Communione in Paschate.

IN Paschate omnes Christianos adultos communicare jubet sancta Dei Ecclesia [l], nisi justa de causa prorogandam communionem sacerdos audita confessione censuerit. Quòd si plerique neophytorum hactenus ad Eucharistię perceptionem non facilè admissi sunt, fidei exiguitati, & morum ineptitudini tribuendum est; cùm requirat tanti sacramenti communicatio, tum firmam fidem, cœlestem illum cibum à terreno & humano dijudicantem, tum con-

[e] Conc Trident. sess. 14. cap. 5. Conc. Florent. in instruct. Armen. Conc. Cabilon. c. 31. Conc. Limen. 2. sess. 2. c. 57.
[f] Conc. Paris. 1. c. 46. [g] Conc. Nicæn. c. 13. 26. q. 6. c. *de his vero.* S. Innocent. in epist. 3. c. 2. Conc. Carth. 4. c. 77.
[h] Conc. Lim. 2. act. 3. c. 59. [i] Conc. Carth. 4. c. 76. 26. q. 6. c. 15. *Qui in infirmitate.* [k] De pœnit. dist. 7. c. *Si quis*, & c. *Nullus* 26. q. 6. c. *Hii qui tempore.* Augustin. l. 1 *De adulter. conjug.* vel imo.
[l] Conc. Later. 21. Conc. Trident. sess. 13. c. 9.

conſcientiæ munditiam, quam turpitudo ebrioſitatis, & concubinatus, ac multò magis ſuperſtitionis nefariæ, prorsus labefactat: quibus vitiis plurimi his regionibus graviter laborant. Sed quoniam [m] & multi Indorum quotidie in chriſtiana religione proficiunt, & ſunt etiam cæteri invitandi ac pręparandi, ut cœleſti menſa, ad quam etiam parvulos vocari vult divina Sapientia [n], ſalubriter fruantur; pręcipit ſancta Synodus parochis, cæteriſque Indorum prædicatoribus, ut ſepè, ac ſeriò de fide hujus miſterii eos inſtruant; veram, ac realem Chriſti Dei noſtri præſentiam ſub panis ſpecie doceant, eorum deſiderium ad tantum beneficium excitent, præcipueque ad omnium peccatorum deteſtationẽ, ac puram confeſſionem, vitæque in melius emendationem exhortentur, ut aſſidua denique prædicatione dignos dono illo vivifico reddant. Quos autem parochus, & ſatis inſtructos, & correctione vitæ idoneos judicaverit, iis ſaltem in Paſchate Euchariſtiam adminiſtrare non prætermittat, ne ipſe alioqui Eccleſiaſtici pręcepti violati reus ſit. In quibus autem certam ſententiam tenere non poterit, conſulat Epiſcopum. Nemo verò Indorum aut Æthiopum ad communionem recipiatur, niſi proprii parochi, aut confeſſoris licentiam ſcripto ſibi datam oſtenderit.

CAPUT XXI.

De Euchariſtia aſſervanda ubi commodè poterit.

QUIA [o] ſacroſancta Euchariſtia in Eccleſia aſſervata, tum protectionem Chriſtano populo adfert admirabilem, dum decumbentium neceſſitatibus opportunè ſubvenit; optandum certè eſſet, ac pro virili curandum, ut parochiæ Indorum tanto Dei munere fruerentur. Sed quia ſecuritas dignitaſque tam præcelſi ſacramenti fidam cuſtodiam, & præſentiam alicujus miniſtri Eccleſiaſtici, atque alia quædam poſtulat, quæ non facilè ubivis reperiantur; iccircò Ordinariis, in Synodo præſertim Diœceſana, tractandum providen dumque relinquitur, quibus in locis poſſit ad populi devotionem & munimen Euchariſtia dignè ſervari.

CAPUT XXII.

Communionem damnatis ad mortem non negandam.

II, qui propter facinora commiſſa capitis damnati ſunt, pridie quàm ad patibula à Magiſtratu ducantur, communione Chriſti corporis muniantur, quò patienter, & cum ſalute animę, pœnas corpori debitas ferant.

CAPUT XXIII.

Proceſſiones quomodo faciendæ.

QUO tempore [q] ab Eccleſia ſolennes ſanctiſſimi Chriſti corporis proceſſiones aguntur, aut in die Paraſceves, aut quocumque alio die publicæ ſupplicationes fiunt, nulla fœminarum cooperto vultu, vel vias publicas inambulet, vel de feneſtris proſpiciat: idque omnes obſervent, ne levitate fœminea à cultu Dei populum avocent, ſed religioſo potiùs modeſtoque habitu & geſtu, internam fidem, pietatemque teſtentur. Magiſtratus quoque, ac Reipublicæ miniſtros monemus atque hortamur in Domino, ut eædem ſanctiùs ſupplicationes agantur, dent ſedulò operam, ne viri, fœmineque miſtim confuſèque incedant, ſed prœant viri omnes, mulieres juxta Prophetam [r], ſeorſum ſequantur Dei miniſtros.

CAPUT XXIV.

Ne Miſſæ in domibus privatis fiant.

MISSÆ in domibus privatis paſſim dicuntur, contra Tridentini [s] Concilii Canonem. Hunc abuſum deinceps omnino tollendum curent Ordinarii, nec niſi in Oratoriis approbatis, & ad eum uſum ſolummodo deputatis, Miſſas celebrari, ulla ratione permittant.

CAPUT XXV.

De ornatu Euchariſtiæ, & veſtibus ſacris.

IN quovis Indorum populo ornamentum, & quidquid ad celebrandum neceſſarium eſt, teneatur. Id ſi fieri alicubi nequeat, ſacræ veſtes & apparatus ex alio in alium non niſi ſub clavis cuſtodia transferantur: vaſa quoque olei, & chriſmatis in arcula clauſa portentur. quoties verò Euchariſtiæ viaticum ad ægrotos in oppidis Hiſpanorum defertur, ſacriſta thuribulo præeat ſacramentum. Si oleum ad infirmorum unctionem feratur, crucem, & laternâ clausâ candelam portet. In cæteris quoque officiis Eccleſiaſticis ſacriſtę parochos ſuos comitentur, & per ſe ipſos myniſterium ſuum impleant. Si neglexerint facere, quartam obventionem ſibi debitam amittant.

CA-

m Conc. Limen. 2. ſeſſ. cap. 28. n Prover. 9. o Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 6. p Extrav. de futuris c. *Fures*, Concil. Vvormac. ſeſſ ultim. leg. 7. tit. 13 par. 1. q. Conc. Mediolan. prim. r Zacar. 12. s Conc. Trident. ſeſſ. 22. *de refor. Miſſæ.*

CAPUT XXVI.

Euchariſtia quum publicè exponitur, miniſtros Eccleſiæ debere aſſiſtere.

GLORIOSISSIMUM Euchariſtiæ ſacramentum tum in die cœnę Domini, tum in feſto, & octava corporis Chriſti; ac quoties populo adorandum exponitur, à miniſtris Eccleſiaſticis cum omni devotione aſſiſtentibus aſſocietur: cui officio Prælatus ex capitularibus, & reliquo clero deputet per vices ſuas, quos ipſi placuerit.

CAPUT XXVII.

De ordine in cultu divino.

SACERDOTES inter Miſſarum ſolennia, dum ad oblationes populi recipiendas ab altari procedunt, ſciant ſibi penitùs interdictum, ne ultra arcum toralem egrediantur, ſed illic fœminas quę voluerint offerre, decenter exſpectent. In altari autem maximo prętер eos, qui præbendam obtinent, in Cathedrali nullus celebret. Inter Miſſæ quoque majoris ſolennia in aliis altaribus, quoad licebit, Miſſæ non fiant. Quum verò officiū divinum in choro cantatur, clerici in Eccleſia non vagentur, neque quiſquam vel deambulet, vel fabuletur, vel perſtrepat, ſed cum omni pietate rebus divinis vacet: alioqui pœnis afficiatur, quas fel. record. B. Pius V. inflixit [p].

CAPUT XXVIII.

De extrema-unctione Indis danda.

EXTREMÆ unctionis [u] ſacramentum nulla ratio patitur Chriſtianis morbo periclitantibus denegari. Ne ergo poſthac quorundam parochorum deſidia frivolam de hoc excuſationem prætendat; innovato ſuperioris Synodi [x] decreto, ſtrictè mandamus, omnibus Indis fidelibus, atque Æthiopibus per ſuos parochos, ſuo tempore pœnitentiam oſtendentibus, hoc ſacramentum adminiſtrari, atque inter cætera à viſitatoribus diligenter de hoc inquiri, pœnaſque arbitrio Ordinarii negligentibus imponi.

CAPUT XXIX.

Ut extremè laborantibus parochi aſſiſtant.

IIS qui [y] è vita decedunt, dent operam parochi, ut aſſiſtant, & maximè periculoſo tempore animas ſibi commiſſas juvent. Quod ſi per ſe non poſſint, certè aliquem idoneum ſubſtituant, qui morientem excitet, & cohortetur, atque Indis præſertim, exhortatione ab hac Synodo evulgata, opitulentur.

CAPUT XXX.

Decreta Tridentini Concilii de ordinibus eſſe ſervanda, & domicilia jurata abroganda.

QUÆ à Patribus in ſacroſancto Concilio Tridentino [z] de iis qui promoventur ad ordines, conſtituta ſunt, ad Eccleſiæ dignitatem ac puritatem conſervandam ſummopere neceſſaria, ita diaboli inſtinctu, & pravorum hominum fraude, ſæpenumero negliguntur; cùm ad ſacratiſſimum ſacerdotii munus, paſſim infimas fæces hominum, cum ſummo noſtro dedecore irrepſiſſe videamus. Quod ut poſthac Epiſcopi diligentiſſimè caveant, ſancta Synodus ęternæ ultionis, quę negligentibus Paſtoribus imminet, contemplationem obteſtatur; atque admonet, ut quę de inquiſitione vitæ, ętatis, natalium eorum, qui ſunt aſſumendi ad quoſcumque ordines, præcipuè ad majores, necnon de literis teſtimonialibus; tum etiam de examine prævio ac ſevero, ſanctiſſimè Generale Concilium ſtatuit, nullo modo unquam ſibi prætermittenda exiſtiment, præſertim in iis, qui ex Europa adventant, & quicumque aliàs non ſatis noti ſunt. Ab alieno autem Epiſcopo nullus omnino promoveatur, niſi literas Ordinarii ſui de omnibus ſupradictis teſtimoniales deferat. Alioqui [a] & ordinans ab ordinum collatione per annum, & ordinatus ab exequutione arbitrio ſui Epiſcopi ſunt ipſo jure ſuſpenſi. Quoniam verò abuſus quidam jam pridem inolevit, ut per domicilia quædam jurata, quæ verbalia, & commentitia plerumque ſunt, in fraudem Eccleſiæ, & ſacrorum Canonum contemptum ad ordines indigni irrepant; declarat hæc Synodus, neminem ſub prętextu domicilii eſſe ordinandum, niſi illud legitimè, quemadmodum jus ſtatuit, contractum fuerit: atque inſuper ſi alibi cœperint ad ordines promoveri, ſui Prælati literas teſtimoniales oſtendant. Si quis ad titulum domicilii jurati, antequam domicilium ipſum legitimè contraxerit, ordinabitur, ſit ab ordinum executione ipſo facto ſuſpenſus, & cujuſcumque Beneficii, aut parœciæ Indorum incapax per triennium.

CAPUT XXXI.

Ad titulum Indorum poſſe promoveri etiam patrimonii expertem.

IN ſacris, pręſertim presbyteratûs, ordinibus conferendis, illud pręcipuè ſpectare debent Epiſcopi, ut operarios idoneos tantę huic Indorum meſſi ſuppeditent: ſiquidem ea totius

---

[p] In motu proprio. *Cum primùm.* [u] Conc. Trident ſeſſ. 14 c. 23. de extrema unctione. [x] Conc. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 75.
[y] Conc. Compoſt act. 3 c. 37. [z] Seſſ. 23. cap. 5. 6. 7. 8. & 10.
[a] Concil. Cart. 3 c. 23. Concil. Aurel. 3. c. 15. 9. q. 2 per totum c. 1. & ſeq. de tempor. ord. in 6. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap 8.

tius Episcopalis officii in hac provincia, potissima cura est, ut qui ad Euangelii gratiam divinitùs vocantur, ministros habeant, quoad fieri possit, & zelo animarum præditos, & numero sufficientes. Quòd si aliàs idonei sunt qui ordinari petunt, & seipsos doctrinæ Indorum dedicare cupiunt, nullo modo propter patrimonii tenuitatem repellendi sunt, quin potiùs, quamdiu hęc Ecclesia indiguerit, quærendi & invitandi qui moribus sunt probatis, & literatura etiam sufficiente, & linguę Indicæ non imperiti. Neque enim hos mendicare verisimile est, in tanta parochiarum multitudine, & sacerdotum penuria. Neque verò Concilii Tridentini [b] ulla ex parte decreta violantur, quum necessariò animarum saluti hac ratione consulitur, quemadmodum Limensis [c] quoque superior Synodus censuit. Ad titulum ergo doctrinæ Indorum, quamvis nulla specialis parochia illicò designetur, quicumque reverâ Indis præficiendi putantur, jure ordinari poterunt.

CAPUT XXXII.

De simonia cavenda in ordinationibus.

QUAMVIS omnium antiquorum Canonum [d] definitionibus, ac novissimè sacri Concilii Tridentini [e] decreto, quævis simoniacę labis species, vel etiam avaritiæ suspicio ab ordinum collatione longissimè relegetur; non cessant tamen adhuc multorum hominum improba ingenia ad sacrorum ordinum susceptionem, quod meritis & doctrina non obtinent, pravis & occultis artibus aspirare. Et, quod sine dolore referre non possumus, avaritia duce, aditum sibi nonnumquam ad sancta sanctorum aperiunt: ex quo fit, ut abjectis atque indignis ministris, & Ecclesiasticus status passim dehonestetur, & nova hæc Christi hęreditas operariis confusibilibus occupata, exiguos admodùm fructus faciat, cùm per Dei gratiam possit facere uberrimos. Itaque ut malum hoc, quo gravius nullum existimari debet, ex domo Dei funditùs exterminetur, declarat sancta Synodus, tam dantes, quàm accipientes aliquid pro ordinatione, etiam quocumque colore, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrere, neque ullam in hac parte consuetudinem excusare, neque prætextum ullum esse admittendum, quod sponte offeratur aut detur; præsertim quando exiguitas doni, & personarum, ac temporis ratio non attestantur, juxta Alexandri III. [f] decretum, puritatem in dante, & accipiente ab omni suspicione avaritiæ alienam: sed neque pro dimissoriis, aut testimonialibus literis, neque pro sigillo, neque alia quacumque de causa, eadem Tridentina [g] Synodus patitur, Episcopos eorumve ministros aliquid accipere, excepto quòd notarius decimam partem aurei pro singulis literis accipere possit, si nullum ei ab Episcopo salarium constitutum sit.

CAPUT XXXIII.

Idoneos solummodo esse ordinandos.

IN ordinibus minoribus conferendis, & interstitiis temporũ exspectandis, potissimùm verò sufficientia cuiuscumque ordinandi solerter exploranda, atque iis qui minus idonei reperti sunt, penitùs excludendis, Episcopi integrè, omni affectione humana postposita, Tridentini [h] Concilii saluberrima decreta custodiant, ut Deo & Ecclesiæ fideles se dispensatores probent: neque verò eo prætextu, quòd Ecclesiæ laborent inopiâ ministrorum, indignos ad sacras functiones vocare debent; quandoquidem & illorum jam dudum copia excrevit; & longè certè melius Dei Ecclesiæ, & saluti neophytorum consulitur paucitate electorum sacerdotum, quàm multitudine imperitorum.

CAPUT XXXIV.

De matrimoniis contrahendis.

PRO iis [i] qui contrahere volunt, publicę monitiones aut denunciationes fiant diebus festivis, ubi populus frequens fuerit. Ignoti verò & exteri, aut vagantes, nullo modo ad conjugium admittantur, nisi informationem priùs Prælatus ipse & viderit, & probaverit; alioqui graves pœnas ipsius arbitrio incurrant. Animadvertant quoque Ordinarii, ne in dispensatione denunciationum faciles se exhibeant, nisi quum valdè probabile est impedimentũ malitiosum matrimonio obfuturum. Et quamvis clandestina matrimonia ex universalis Ecclesiæ statuto [k] invalida sint, & penitùs nulla; si quis tamen adhuc ita contrahere attentaverit, & ipse excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, & quicumque etiam nefariis nuptiis præsentes se præbuerint, præter alias arbitrio Ordinarii infligendas pœnas.

CAPUT XXXV.

Divortii causam à solo Episcopo definiendam.

DIVORTII causam solus Episcopus per se cognoscat, & finiat. Poterit tamen ejus generalis vicarius processum usque ad diffinitivam exclusivè formare. Sed nisi causæ prorsus graves ac perspicuè probatæ intercesserint, non sunt matrimonia, quæ Deus ipse conjunxit [m], separanda.

CA-

---

b Conc. Trident. sess. 21. c. 2. c Concil. Limen. 2. sess. 2. c. 26.
d Concil. Chalced. act 15. c. 2 1. q. 1 cap. *Si quis Episcopus.*
e Concil Trid. sess. 21 c. 1. f Ext. de simo. c *Et si quæst.*
g Concil. Trid sess. 21. c. 1. h Concil Trid. sess. 23. c. 11. & c. 7.
i Concil. Later. c. 51. Concil. Trid sess. 24. de reformat. & c. 7 Concil. Lim. 2 sess. 2. c. 21. k In decreto de reformat
l Concil Trid. sess. 24. Conc Lim. 2. sess. 2. c. 23. & sess. 3. c. 72.
m Matth. 19.

CAPUT XXXVI.

De ſervorum matrimoniis non prohibendis.

SERVI Æthiopes [n] neque contrahere matrimonia, neque contractis uti, à ſuis dominis prohibeantur; neque verò diſtrahantur conjugati in ea loca, ubi à conjugibus abeſſe perpetuò, aut etiam diù, cogantur: non enim debet lex matrimonii naturalis per legem ſervitutis humanam derogari.

CAPUT XXXVII.

De cæremoniis nuptiarum.

CUM nuptiæ benedicuntur, Miſſa juxta præſcriptum novi Romani miſſalis dicatur, nihil penitùs mutato: cæremoniæ verò conſuetæ fiant ad Eccleſiæ januam, prout moris eſt, donec ſanctiſſimi Romani Pontificis auctoritate manuale commune publicetur, quod oportebit per omnia ſequi.

CAPUT XXXVIII.

Nihil ab Indis accipiendum in adminiſtratione ſacrorum.

PACTIONES [o] quaſcumque, tacitas vel expreſſas, pro ſacramentis adminiſtrandis, aut ſepultura conferenda, ſacri Canones tanquam ſimoniacæ labis commercia fœdiſſima deteſtantur; laudabiles tamen conſuetudines in populo Chriſtiano receptas, amplectuntur & probant. Cæterùm de Indis, jam pridem Limenſe Concilium [p] conſtituit ac declaravit, neque pro ſacramentorum, neque pro ſacramentalium adminiſtratione, neque verò pro ſepulturæ cujuſcumque apertione quicquam exigi aut recipi poſſe, ſacerdote quidlibet ab Indis recipiente, quadruplici pœna multato. Quod ſalutare decretum neophytorum ædificationi & fidei magnopere neceſſarium; & à pleriſque cum non mediocri ſcandalo illorum contemptum, hæc ſancta Synodus denuò innovat, & quantum poteſt, ſeriò commendat, declarans nullas in hac parte conſuetudines tanquam laudabiles eſſe allegandas, quæ potiùs abuſus ſunt nuncupandæ. Sed neque ad oblationes faciendas in Miſſa, aut alias Indi cogantur; ſed ſi quis offerre voluerit, intelligat, id quidem meritorium & pium, ſed tamen prorſus liberum eſſe, vel facere, vel non facere. Quicumque tamen Indorum in Hiſpanorum urbibus domicilium habent, quia & in fide inſtructiores ſunt, & noſtrorum hominum uſum crebrò affectant, cum iis poterunt conſuetudines in ſepulturis, & cæteris, ſi quæ ſunt laudabiles, obſervari.

CAPUT XXXIX.

Bona defunctorum Indorum à parochis non uſurpanda.

EX bonis [q] Indorum qui decedunt, parochi partem aliquam nullatenus uſurpare præſumant, etiam ſub illo prætextu, quòd quintam eorum portionem pro defuncti anima erogare velint, ſed integrum ſit Indis de ſuis bonis diſponere, ut ipſis placuerit. Quòd ſi ab inteſtato deceſſerint, ad hæredes, quid pro anima defuncti erogandum ſit, declarare pertineat.

CAPUT XL.

Parochiis Indorum ſemper providendum.

NE Chriſti oves [r], dum nullum Paſtorem habent, funditùs pereant; debent omnibus modis Epiſcopi providere, ut ſi Parochias Indorum deſertas viderint, neque miniſtros Indicè doctos, atque idoneos facilè invenerint, mittant ſaltem ſacerdotes probatos, quos etiam præſertim vacantes, atque ad titulum Indorum promotos, vel ea ex cauſſa ex Hiſpania miſſos, compellant (ſalvo tamen jure Regii patronatus, quod integrum atque illæſum intelligi ſemper volumus) ad curam illorum ſuſcipiendam, quamdiù neceſſitas urget, adhibitis, ſi opus fuerit, etiam cenſuris: cùm lex charitaris atque obedientię à ſtudiis quoque literarum abſtractos, cogat interdum præſenti animarũ periculo ſubvenire. Verùm [s] Indici ſermonis periti, quoad fieri poterit, quærendi erunt, atque ut omnes Indicè diſcant, præmiis & honoribus invitandi: quòd ſi linguæ peritus nullus occurrat, nihilominùs ſacerdote quocumque parochia munienda eſt, dummodo moribus corruptus non ſit. Expedit enim bene viventem potiùs, quàm bene loquentẽ parochum mittere, ſi alterum ſit eligendum; cùm multò ampliùs ædificet vita quàm lingua.

CAPUT XLI.

Parochiam Indorum ante ſucceſſoris adventum à nemine deſerendam.

PAROCHIAM [t], ſivè doctrinam Indorum nemo deſerere audeat. Si quis ſine ſui Antiſtitis aſſenſu deſerendam putaverit, aut ante diſceſſerit, quàm ſucceſſori rerum Eccleſiaſticarum ſuæ curæ commiſſarum rationem reddiderit, ſit eo ipſo excommunicatus: nam & fraudes in rebus Eccleſiæ non tolerandæ

ſiunt,

---

n Conc. Trid ſeſſ. 24. c. 9. Cõc. Liman. 2. ſeſſ. 2. c. 19. o De ſimo. c. *Non ſatis*, & cap ſequ. ibid. c. *ad Apoſtolicam*. Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. cap. 30. p Concil Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 26. q Concil. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 10. r Num. 27. s Conc. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 3. De offic. jud. ord. c. *Quoniam*. t Conc. Limen. 2. ſeſſ. 5. c. 4.

fiunt, & Christi oves facilè defertæ pereunt. Eandem ob causſam miniſtri Eccleſiæ fideles, maximeque ad Indorum ſalutem procurandam idonei, nullo modo in Hiſpaniam reverti ſinantur, niſi publicæ utilitatis cauſſa judicio Prælati id poſtulet.

CAPUT XLII.

Miniſtros diaboli à conſortio caterorum Indorum ſeparandos eſſe.

AD exterminandam Chriſtianæ Fidei peſtem, quam arioli, & ſceleſtiſſimi dæmonum flamines tenero Chriſti gregi perpetuò afferre non ceſſant, quorum tanta eſt nequitia, ut uno die evertant quidquid à Chriſti ſacerdotibus per annum ædificatur; providè admodùm in Concilio ſuperiore [u] cautum eſt, ut ii omnes (vetuli alioqui inutiles, & decrepiti) in unum locum congregarentur, clauſique ibi tenerentur, ne cæteros Indos ſua communicatione inficerent, ubi etiam alimenta tum corpori, tum animæ neceſſaria præberentur. Hoc ſalutare decretum, quanto damno prætermiſſum ſit, ſatis nos docuit experientia. Quare vult ſancta Synodus, ſine ulla excuſatione aut mora executioni mandari: idque parochis omnibus præcipit, quantum in ipſis erit. Regios verò miniſtros per Chriſtum obteſtatur & rogat, ut tam ſalutari inſtituto operam ſuam accommodent, ſtatimque prudenter inita ratione deſignent, ubi, & quomodo iſti diaboli miniſtri ſine aliorum pernicie contineantur.

CAPUT XLIII.

De ſcholis puerorum Indicorum.

SCHOLAS [x] puerorum Indicorum parochi valdè ſibi commendatas intelligant, in quibus doceantur legere, ſcribere, &c. atque illud præcipuè, ut noſtrum idioma Hiſpanicum conſueſcant intelligere, & pronunciare. Sed caveant, ſcholæ occaſione, ne illorum ſervitute, atque operis abutantur, neve eos pabulatum, lignatumque mittant: qua de re ſciant conſcientias onerari, & ad reſtitutionem teneri. Doctrinâ quoque Chriſtianâ pueros & puellas imbuant, neque ad ſua commoda detineant, ſed tempeſtivè ad parentes remittant, iiſque obedientiam deferre & opem ad ſublevandos eorum labores doceant.

CAPUT XLIV.

De collegio ſeminario inſtituendo.

QUONIAM, in ſacro Concilio Tridentino [z] inter alia in Synodo Provinciali tractanda, peculiari quadam ratione injunctum eſt, ut de ſeminariis tanta Patrum, immo Spiritus ſancti auctoritate decretis, inſtituendis agatur; atque illud maximè perſpicuum eſt, nullam hoc ſalutari inſtituto Eccleſiam perinde indigere, ut hanc noſtram Indicanam, in qua novæ plantæ Euangelicæ accuratè nutriendæ ſunt, & ad propagandam Chriſti Fidem inſtituendæ; hæc ſancta Synodus officium ſuum agnoſcens, Epiſcopos omnes, atque Paſtores ex parte omnipotentis Dei obteſtatur, atque eorum conſcientias, quantum poteſt, onerat, ut in Eccleſiis ſuis quamprimum ſeminaria prædicta puerorum excitanda curent, omnibus impedimentis quacumque ratione poſtpoſitis. Porrò ad erigenda & conſtituenda convenienter prædicta ſeminaria, ex auctoritate nobis ab Univerſali Concilio [a] in hac parte ſpecialiter conceſſa, uno conſenſu ſtatuimus & ordinamus contributionem ex quibuſcumque redditibus & bonis Eccleſiaſticis in hunc modum faciendam: ut ex decimis, Beneficiis, cappellaniis, hoſpitalibus, confraternitatibus, juxta ejuſdem Concilii ſtatutum, ſive Epiſcopales, ſive Capitulares, ſive Beneficiales redditus ſint, etiam ex doctrinis Indorum, etiamſi regulares [b] doctrinas teneant, tria de centum in perpetuum applicentur, & ex nunc applicata cenſeantur. Ad quam ſanè portionem (ſatis certè moderatam) omnes clerici, & prædictæ perſonæ in conſcientia teneantur, necnon œconomi ipſi, & officiales, aut quicumque perſolvere habent ejuſmodi Eccleſiaſticos redditus, præfatam portionem, trium videlicet de quolibet centenario, retineant pro ſeminario, cujus fundationem & adminiſtrationem Epiſcopi fideliter & ſolicitè curent, ſecundùm tenorem & formam à Concilio Tridentino traditam, ſcientes ſe Deo omnipotenti, & ſanctæ ejus Eccleſiæ rationem, ſi quid minùs rectè egerint, reddituros.

Placent ne vobis, Reverendiſſimi Patres, hæc decreta?

Omnes reſponderunt: Placent.

DOMINICA decima nona poſt Pentecoſten, in die Sancti Mauritii & ſociorum ejus, quæ fuit 22. Septempris, tertia Actio habita eſt in eadem Cathedrali Eccleſia, proceſſione ſolenni præmiſſa, ac Miſſam celebrante Reverendiſſimo Epiſcopo del Rio de la Plata: *& poſt concionem habitam à Reverendiſſimo Imperialis Epiſcopo, ejuſdem Actionis tertiæ decreta publicata ſunt.*

ACTIO

[u] Conc. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 107. [x] Conc. Mogun. c. 45. [y] Conc. Pariſ. lib. 2. c. 30. Conc. Aquiſgran. c 135. [z] Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 16. Conc. Limen 2 ſeſſ. 2. c. 72. [a] Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 18. [b] Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. c. 72.

ACTIO TERTIA

Celebrata in Eccleſia Cathedrali civitatis Regum, die 22. Septembris, anno MDLXXXIII.

CAPUT I.

Quales oportet eſſe Epiſcopos.

QUALES eſſe oporteat Epiſcopos, à quibus reformationis initium ſumendum eſt, ut judicium incipiat à domo Domini, cùm totius cleri & populi ſalus atque correctio ex illorum correctione pendeat, ſatis quidem ſacræ literæ [a] uno verbo videntur tradere, quum docent oportere Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem. Quod [b] ſi ubique quidem Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos, Apoſtolicam etiam doctrinam & vitam referre par eſt; tamen propria quadam & peculiari ratione, ubi gentes ad Euangelicam lucem primùm vocantur, quod in hoc altero orbe noſtra ætate, in quos fines ſæculorum devenerunt, Dei conſilio placuiſſe cernimus, ibi Apoſtolico verè muneri Epiſcoporum, Apoſtolicam quoque ſanctitatem, & lumen reſpondere debere, nemo eſt qui non videat. Non enim in ovile Dominicum novus Chriſti grex rectè adduci, adductus rectè paſci poteſt, quamdiù paſtores non quæ Jeſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærunt [c]. Itaque primùm princeps ipſe paſtorum Chriſtus aſſiduè atque ardenter ab omni gradu orandus eſt, ut paſtores hîc ſuo gregi dare dignetur juxta cor ſuum, atque ut tales viros integros, probatos, animarum amatores, & utiles omnino in domo Dei, Regiæ, & Catholicæ Majeſtati eligendos pro immenſa ſua providentia ſemper inſpiret. Deinde qui jam ad hunc locum divina diſpoſitione ſublati ſunt, aut poſthac efferantur, eos hæc ſancta Synodus in viſceribus Chriſti [d] orat atque obteſtatur, ut dignitatem ſuam, morum præcipuè ſplendore [e], & vitæ integritate tueantur, forma facti gregis ex animo, non dominantes faſtu ſæculari, nec turpe lucrum amantes, nec luxu menſæ, aut apparatu ſupervacaneo, quę ſunt hujus mundi ſapientes, ſed benigni, modeſti, zelo fidei accenſi, pauperum ſemper patres, & pro commiſſo ſibi grege ſoliciti, miniſterium ſuum impleant: tales denique ſint, ut per eos glorificetur Deus, & Pater domini noſtri Jeſu Chriſti, atque illorum aſſiduis precibus præclariſque meritis, donec innumerabiles harum nationum animas, de poteſtate tenebrarum ereptas, transferat in regnum filii dilectionis ſuæ.

CAPUT II.

Quibus miniſtris uti debeant Epiſcopi.

QUIA [f] verò Epiſcopi in tanta amplitudine diœceſum per ſeipſos plerague obire non poſſunt; ſtudioſiſſimè videant, quibus ſibi utendum adminiſtris putent, ut non niſi optimos, & lectiſſimos quoſque Eccleſiaſticis functionibus adhibeant. Imprimis familiares ſuos pudicos ac religioſos eſſe doceant, pia opera, & ſacramentorum uſum frequentare publicè, in præcipuis ſaltem anni ſolennitatibus Chriſti corpus ſumere. Vicarios verò, & judices, ac viſitatores, ex iis qui ſapientiâ & moribus præſtant, eligant. Nemini porrò, non ſolùm infami [g], ſed quovis etiam modo notato, adminiſtrationem Eccleſiæ, aut viſitationem quamcumque committant. Religioſos & pios viros foveant, veritatis ſtudioſos amplectantur, aſſentatores, & leves homines à ſe amandent, improbis, & rapacibus, ac flagitioſis terrori ſint. Denique quæ à ſanctis Patribus in Conciliis [h] tot ac tanta de Epiſcoporum dignitate, gravitate, literatura, religione, curaque indefeſſa pro Chriſti Eccleſia, copioſè, ac neceſſariò tradita ſunt, ea ut in ſeipſis exhibeant, novæ hujus Eccleſiæ paſtores omni ratione adniti debent.

CAPUT III.

De protectione & cura Indorum.

NIHIL eſt in harum Indicarum gentium provinciis, quod Eccleſiæ præſides, cæterique miniſtri, non Eccleſiaſtici modò, ſed etiam ſæculari potentia inſignes, à Chriſto ſummo Epiſcopo, & Rege animarum ſibi vehementiùs commendatum exiſtimare debeant, quàm ut huic novo teneroque Dei gregi paternum affectum curamque pro ſpirituali, ac temporali eorum neceſſitate, prout miniſtros Chriſti decet, impendant. Et certè harum gentium manſuetudo, & perpetuus ſerviendi labor, & naturalis obedientia atque ſubjectio quoſvis homines, quantumvis feros, movere jure poſſit, ut eos defendendos potiùs arbitrarentur, quàm improborum prædam eſſe paterentur. Quapropter dolens impensè ſancta Synodus, in hos miſeros atque imbecilles tantum fraudis ac violentiæ, non ſolùm olim præter modum invectum, ſed hodie quoque à pluribus deſignari; orat in Chriſto, atque admonet omnes Magiſtratus, & Principes, ut iis ſe benignos præbeant; ſuorum miniſtrorum, quum opus eſt, inſolentiam frænent, & Catholicæ Majeſtatis fidei commiſſos, & ſubditos, liberos certè, non ſervos agnoſcant. Porrò [i] parochis cæteriſque Eccleſiaſticis miniſtris ſeriò præcipit, ut paſto-

[a] 1. Tim. 3. tit. 1. [b] Auguſt. in pſal. 44. 68. c. *Quorum vices.* Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. de ordin. [c] 1. Per 5. Hieiem. 3. [d] 1. Pet. 5. [e] Concil. Cart. 4. c. 77. Concil. Tolet. 3. c. 7. Concil. Antioch. c. 35. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1 & ſeſſ. 13. cap. 1. & 12. q. 2. c. *Epiſcopi* & per ſeq. [f] 1. Tim. 3. Exod. 18. Concil. Trident. ſeſſ. 2. c. 1. Conc. Tolet. act. 2. 1. c. 4. [g] 3. q. 7. c. *Infamis.* & c. *Infames.* [h] Concil. Cart. 4. Tolet. 1. Antioch. & Trid. ſeſſ. 1. [i] Concil. Brac. 3. c. 6. Leo epiſt. 82. p. 1. diſt. 40 *Cum Beatus*, & c. *Licet.*

paſtores ſe meminerint, non percuſſores, & tanquam filios Chriſtianæ charitatis, ſinu Indos foveant & portent. Quod *k* ſi quiſpiam percutiendo, maledicendo, aut aliàs quoquo modo Indum aliquem læſerit, Epiſcopi, & viſitatores ſeverè admodùm & inquirant & vindicent. Profectò enim turpiſſimum eſt, Dei miniſtros in ſæculi ſatellites verti.

CAPUT IV.

Ne perſonæ Eccleſiaſticæ vacent negotiationi.

CUPIDITAS, *l* omnium malorum radix, ita Eccleſiaſticos quoque pleroſque corrupit, ut domum Dei ſpiritualem factam negotiationis domum cum magno gradus noſtri dedecore, magno ovilis Dominici detrimento, ſancta Synodus *m* & ingemiſcere cogatur, & erubeſcere. Cui tanto malo, quod & in dies latiùs ſerpere, & Indorum ſaluti vehementer nocere animadvertit, cupiens pro data ſibi à Domino poteſtate efficaciùs occurrere, ſtrictè præcipit, ne qua perſona Eccleſiaſtica, cujuſcumque gradus dignitatiſvè ſit, negotiationem, Canonibus toties prohibitam, quacumque arte colorevè exerceat. Si quis autem clericus mercaturæ operam dederit, præter pœnas à Jure, atque Concilio ſuperiore impoſitas, quas innovamus, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.

CAPUT V.

Parochorum Indorum negotiantium pœna. *

QUONIAM verò avaritiæ negotiationiſque turpitudo in rectoribus Indorum & crebrior eſt, & periculoſior, cùm neophyti iſti ea de cauſſa tum ſcandalum grave ſuſtineant, tum inſtructionis ſuæ jacturam non mediocrem faciant, tum ab his in temporalibus ipſorum quæſtubus occupentur, à quibus debebant ſpiritualibus incrementis augeri; iccircò ſancta *n* Synodus ſub iiſdem pœnis proximo decreto propoſitis vetat, ne quis Indorum parochus per ſe, vel aliam interpoſitam perſonam quamcumque cum quibuſvis Indis mercaturam *o* exercere præſumat. Inſuper neque pecora quæcumque alere, præter neceſſaria ad victum, aut agros colere, aut vehendis mercibus animalia tenere, vel locare, neque Indos ipſos ad mineralia ſibi curanda mittere, vel eorum operam locare; deniquè neque cum ipſis Indis negotiari, neque cum aliis per ipſos. Qui iſtorum quidlibet egerit, etiam excommunicatione latæ ſententiæ eo ipſo ſe noverit innodatum. Sciant etiam parochi Indorum mineralium officinas, ſive ingenia, pannorum quoque lanificinas, cæteraſque quæſtuarias artes, ſibi eſſe penitùs interdictas. Neque enim qui euangelizandi miniſterium ſuſceperunt, Deo ſimul & mammonæ ſervire poſſunt *p*.

CAPUT VI.

Diſpenſationes gratis eſſe faciendas.

IN quibuſdam noſtræ provinciæ partibus pravus quidam abuſus inolevit, ut pro diverſa qualitate cauſſarum in quibus diſpenſatio petitur, major minorve pretii ſumma reddatur; adeò ut taxæ ipſæ veluti lege præſcriptæ habeantur. Quotieſcumque igitur ſive urgens ratio, ſive Eccleſiæ utilitas diſpenſandum in aliquos perſuaſerit; ſciant ii, penes quos diſpenſandi facultas erit, non ſolùm maturè & graviter cauſsâ cognitâ, ſed etiam gratis omnino diſpenſationem eſſe faciendam *q*, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.

CAPUT VII.

De judice, & miniſtris cauſſarum Eccleſiaſticarum.

IN cauſſis *r* criminalibus clericorum nulla ratione liceat informationem judici, ſeu cuivis perſonæ ſæculari committere; cùm & alienum id ſit à Jure canonico *s*, & Eccleſiaſticæ dignitatis injurioſum. Illud verò Prælati ſummopere attendant, ut in cauſſis matrimonialibus, quum de divortio, vel adulterio agitur, fideliſſimo ſecreto negotia gerantur *t*, ne per negligentiam in diſcrimen grave partes conjiciantur.

CAPUT VIII.

Officia notarii & fiſcalis gratis conferenda.

OFFICIA notariatûs aut fiſcalatûs, quêadmodum eſt in Conciliis Provincialibus *u* ſæpè diſpoſitum, neque vendantur, neque locentur, ſed hominibus probis atque induſtriis gratis ab Epiſcopo conferantur: ſi ſecùs fuerit factum, contractus omnis ipſo jure ſit nullus.

CAPUT IX.

Sine dimiſſoriis literis clericum non eſſe recipiendum.

GRAVISSIME veterum Patrum inſtituta *x* ſanxerunt, ne clerici ſine legitima facultate, vel à ſua diœceſi recederent, vel in aliena reciperentur. Sed qui id juris ſolùm eſſe volunt, quod ipſis libet, facilè jura

k Concil. Limen. 2. act. 3. c. 116. *l* 1. Tim. 6. Joan. 2. *m*. Dist. 88. c. *Conſequens*. Gelaſ. epiſt. 1. dist. 88. c. *Negotiatos*. c. *Fornicari*, extr. *Ne clerici*. c. 2. Conc. Limen. 2. ſeſſ 2. c. 93. Conc. Limen. 2. ſeſſ 3. c. 17. * Vide omnino Conc. Illiber. lib. 2. cap. 38. ubi in eundem ſcopum citatur hoc caput à Mendoza. Conc. Limen. 2. ſeſſ 3. c. 17. *o* 21. q. 3. per tot dist. 88. c. *Decrevit ne clerici*, vel c. 2. *p* 2. Timoth. 2. Matth. 6. *q* Conc. Trident. ſeſs. 25. c. 18. *r* 2. q. 7. c. *Nullus*, & c. *Laico*. *s* Ibid. q. 7. in nona, & ſeq. c. *Contingit. de arbitr.* *t* Conc. Limen. 2. ſeſſ 2. c. 100. *u* Conc. Toler. actio 2. c. 15 Conc. Compoſt. act. 3. c. 24. Conc. Lim. 2 ſeſſ 2. c. 100. *x* Conc. Carr. 1. c. 5. Conc. Chalced. act 15. c. 13; dist. 71. c. *Primatus*. & c. *Extraneos*, & c. *Hortamur*. & c. *Nullum*

jura omnia peſſundant, & ubi volunt vagantur, neque ſuis prępoſitis obedientiam deferentes, neque quicquam aliud, crebris huc illuc commeationibus, prętерquam avaritię ſuę ac libidinis ſcandala plurima excitantes *y*. Iſtos ut diſciplinę Eccleſiaſticę ſubditos eſſe doceat, prę-cipit omnino ſancta Synodus ſub pœna pecuniaria arbitrio Epiſcopi, ut nullus clericus ex una diœceſi in aliam commeet *z* ſine literis dimiſſoriis: nullus quoque ſub eadem pœna vicarius, aut proviſor, aut judex Eccleſiaſticus aliter admittat quemquam, etiam ad Miſſam celebrandam. Idem à regularium Superioribus obſervari ſancta Synodus obnixè petit atque admonet. Inſuper ſtatuit, ne hujuſmodi literę dimiſſorię à quovis vicario impetrari valeant, ſed tantùm ab ipſo Epiſcopo, vel ab ipſius vicario generali, habente Epiſcopi expreſſam ad hoc in ſuo titulo facultatem: ſecus conceſſę vel obtentę literę nullius ſint roboris vel momenti.

CAPUT X.

Deſertoribus inſtituti regularis non eſſe committendas parochias Indorum.

REgularia inſtituta *a* qui profeſſi ſunt, deſerentes, non ſunt ab Eccleſię Præſulibus fovendi: iis igitur, neque Beneficium, aut Eccleſiaſticum miniſterium conferatur; neque verò parochia Indorum, niſi ad id idoneam facultatem à Sede Apoſtolica *b* obtentam oſtenderint: exempti quoque à ſuis Superioribus, aut qui ſub nullius certi Prælati diſciplina in his partibus agunt, nullo modo Indorum doctrinis pręficiantur; quin potiùs ſi deliquerint, corripiantur ab Ordinario, juxta decreta ſacri Concilii Tridentini *c*, atque eorum literæ dimiſſoriæ, & facultates diligenter examinentur. Quòd ſi aut inſufficientes, aut jam exacto juſto tempore, invalidæ fuerint inventę, omnino in Europam remeare, etiam ſub cenſuris compellantur.

CAPUT XI.

Quoto numero Indorum præficiendus ſit parochus.

ET antiquiſſima jura *d*, & noviſſima ſacri Tridentini Concilii decreta Epiſcopos magnopere admonent, ne plures parochianos rectori alicui committi patiantur, quàm quibus poſſint ſufficere ad Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtranda, & divinum cultum peragendum: quod maturè expendentes Patres in hac ipſa urbe jam pridem ad Synodum Provincialem congregati, ſimul etiam pernicioſum illum abuſum in hoc novo orbe vigere conſiderantes, quo innumerabiles Indi interdum in locis valdè diſtantibus, unius parochi curæ traduntur, à quo neque inſtrui in Fide poſſunt, neque ſacramentis neceſſariis imbui, neque prout opus eſt Regi; maximè cùm ii, utpote parvuli, plurimâ, ac penè continuâ curâ paſtoris indigeant, ut animas ſuas liberarent, ſuper ſpeculam Domini conſtituti, clara voce pronunciârunt, teſtatique ſunt, judicare ſe non poſſe, uni rectori plures parochianos Indos, quàm quadringentos tutò committi, *e* ſed neque ipſis adhuc quadringentis unum ſufficere, certò ſe affirmare: interim tamen id tolerandum eſſe. Hęc igitur ſancta Synodus, eadem in Domino ſapiens, ne in diſtricto Dei judicio cogatur animarum jacturam ex defectu paſtorum ſuſtinere, ſeriò admonet, atque declarat, tam numeroſum Indorum populum non poſſe tutâ conſcientiâ paucis rectoribus committi, ſi plures reperiantur idonei; (ſi enim deſint, alia ratio eſt.) cùm prę-ſertim Indorum tributa, quæ doctrinæ potiſſimo titulo exiguntur, tanta ſint, ut longè plures Eccleſiaſticos miniſtros non rarò alere poſſint. Itaque cenſemus, in quocumque populo Indorum qui contineat parochianos trecentos, aut etiam ducentos, proprium parochum debere conſtitui. Cùm autem pauciores fuerint quàm ducenti, curet, & efficiat Prælatus, ut eò reducantur, ubi commodè regi poſſint.

CAPUT XII.

Ut aſſignetur parochus iis qui in mineralibus, aut lanificinis agunt.

IN prædiis pannorum quoque, aut ſacchari, aut mineralium officinis, ubi animarum non exiguus numerus ſeorſum degit, ſæpe doctrinâ & ſacramentis homines deſtituuntur. Curent igitur Ordinarii, ubi numerus competens eſt, ſacerdotem præficere doctrinæ illorum, ex portione canonica *f* ſibi debita quadruplicis noveni ſuſtentandum, ubi decimæ Eccleſiaſticę dantur. Quòd ſi hęc pro illius ſuſtentatione non ſuffecerint, ex bonis aut commodis ipſius domini, aut cujus intereſt (qui ſi renuat, per cenſuras etiam compelli debebit) arbitrio Ordinarii congrua portio aſſignetur. Si ad rectoris quoque ſuſtentationem, qui Hiſpanorum curam gerit, non ſuffecerint quatuor novenę partes in Eccleſiarum erectionibus conſtitutæ, judicio Ordinarii ex parochianorum bonis congruens portio ſuppleatur, juxta Concilii Tridentini *g* decretum.

CA-

y De cleric. non reſid. cap. *Fraternitati* Concil. Lim. ſeſs. 3. cap. 4. *z* Concil. Trident ſeſs. 23. cap. 16.
a Conc. Trid. ſeſs. 14. cap. 12. *b* Conc. Trid. ſeſs. 14. c. 11.
c Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 3. *d* 10. quæſt. 3. cap. *Vnio noſtræ.* cap. *Ad audiend.* & cap. 1. & cap. fin. *De Eccleſ. ædif.*
e Concil. Limen. 2. ſeſs 3. cap. 76. 77. & 78.
f De Eccleſ. ædif. cap. *Ad auditum*, & cap. *Final.*
g Conc Trident. ſeſs. 21. cap. 4.

CAPUT XIII.

De portione debita parochiis & hoſpitalibus Indorum.

ECcleſiis, ſive parochiis Indorum ex erectione & fundatione debetur una novena pars cum dimidia; hoſpitali b us quoque, ſive xenodochiis Indorum tantum omnino attributum eſt; quemadmodum in Synodo quoque Provinciali annis abhinc ſexdecim, explicatum eſt. Quamobrem & predictæ portiones in poſterum fabricę [h], hoſpitiiſque Indorum ſine excuſatione reddantur, & capitula Cathedralium pro iis, quæ hactenus retinuerunt, videant quemadmodum conſcientias ſuas exonerent.

CAPUT XIV.

Defectus doctrinæ Eccleſiis Indorum debere cedere.

EA quę propter abſentiam Indorum parochis de legitimis ſtipendiis ſubtrahuntur, quos vulgò defectus doctrinę appellant, debent omnino in utilitatem Eccleſię Indorum converti [i]. Itaque vel fabricæ Eccleſiæ, vel ipſius oppidi pauperibus, pro Epiſcopi judicio, omnino diſtribuantur, neque ad alios uſus ulla ratione applicentur, ſicut Regi noſtro Catholico placet: ſi quando tamen ex mandato Epiſcopi pro Eccleſiaſticis negotiis parochus abfuerit, pro talibus abſentiis ſic ab Antiſtite ſuo approbatis, nihil de ſtipendio debito imminuatur; cùm iniquum ſit, qui Eccleſiæ inſervit, eum Eccleſiæ mercede ſpoliari. Parochiis porrò Indorum, quas regulares olim minori cum ſtipendio tenuerunt, eo quòd ipſi paucioribus eſſent contenti, & jam ad parochos ſæculares redierunt, reddatur omnino æquale ſtipendium, quale ſolet cæteris convicinis ſolvi, ut labor æqualis non inæqualem habeat mercedem.

CAPUT XV.

De reformatione clericorum communiter.

QUÆ à Patribus, magna Spiritus ſancti luce perfuſis, in Oecumenico Concilio Tridentino [k] de vita & honeſtate clericorum graviter & ſapienter præcepta ſunt, ea omnes, maximè Eccleſiæ hujus novę miniſtri, aſſiduè meditari, atque obſervare ſtudioſiſſimè debent. Meritò enim tradunt majores noſtri, nihil eſſe quod alios magis ad pietatem & Dei cultum inſtruat, quàm eorum vitam & exemplum qui ſe divino miniſterio dedicârunt. Cùm enim in altiorem locum à rebus ſæculi ſublati conſpiciantur, reliquos profectò in eos oculos conjicere, tanquam in ſpeculum, unde ſumant quod imitentur. Quapropter ſic decere clericos in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nihil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant. Levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima ſunt, effugere, eorum actiones cunctis afferant venerationem. Quocirca ſtatuit eadem Synodus Tridentina, ut quæ aliàs à ſummis Pontificibus, & à ſacris Conciliis de clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſæcularibus negotiis fugiendis, ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur: neque appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Quæ ſalutaria præcepta communiter propoſita, volens hæc Synodus inviolabiliter obſervari; hæc circa cleri reformationem, omni appellatione poſtpoſita, ſpecialiter exſequenda conſtituit.

CAPUT XVI.

De habitu clericorum.

PRimùm habitus externus clericorũ decens ſit, nihil profanũ, nihil ambitioſũ præſeferat, veſtes neque diverſi coloris, neque ſericę ſint, neque aut breviores, aut ſtrictiores, neque cõtrà prolixiores & ſplendidiores, quã decet, ſed pro Eccleſiaſtica gravitate talares. Removeantur verò à clericali uſu nova quędam inventa indumentorum, aut ornatus quę milites, non clericos decent; qualia ſunt, quę patrio more vocare ſolent: *Lechuguillas, polaynas, puntas, guarniciones de ſeda, faxas en los manteos, alamares, monteras, pantuflos ò çapatos de ſeda, follajes en las calças, ò muslos, aunque ſean de paño.* & ſi quæ ſunt alia hujus generis. Noctu autem armatos volitare (cùm domi etiam quovis modo continere ſe debeant) tum etiam veſtitu militari, ac profano compoſitos, nulla ratione ferendum. Quòd ſi negotium urgeat noctu egredi domo, lux certè præeat [m], aut honeſtus comitatus, ut filios lucis oſtendat. Porrò quum iter faciunt, decorem ſacerdotalem ipſo etiam apparatu conſervent. Etenim quod quidam faciunt, lanceas, ſcloppetos, aliaque id genus arma geſtare, milites Chriſti magnopere dedecet; barbam & tonſuram clericalem ſingulis ſaltem menſibus radant. Si quis hæc parvi pendens, veſtibus profanis uti, aut armis deprehendatur, amittat ſtatim omnes ſupradictas veſtes profanas, atque arma, quæ arbitrio Prelati applicentur, atque aliis etiam gravioribus pœnis, prout illi videbitur, ſubjiciatur.

CA-

---

b Concil. Lim. 2. ſeſſ. 3. cap. 81. *i* Conc. Lim. 2. ſeſſ. 2. c. 11.
k Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *l* Conc. Trid ſeſſ. 14. c. 16. Conc. Later. ſub Leo X. ſeſſ 9. Conc. Conſtant ſeſſ 14 Clem *Quoniam de vita & hon. cler.* 21. q 4. per totam Concil. Limen. 2. ſeſſ. 2 c 87. & ſeſſ. 3. c. 10. *m* Conc. Limen 2. ſeſſ 3 c. 21. diſt. 23. cap. *Prohibita*, & cap. *Non liceat de vit & hon. cler.*

CAPUT XVII.

De ludo.

ITA multorum clericorum [n] in ludendo crevit exceſſus, ut cogamur remedia auſteritate tentare, quo & Eccleſiaſtici ordinis infamia aliqua ex parte aboleatur, & perditi mores illorum, qui in hujuſmodi inſaniunt, quoad fieri poterit, corrigantur. Quicumque ergo aleæ, chartiſve pictis, aut alii jure prohibito ludo vacaverit, & ſummam excedentem quinquaginta aureos luſerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat: exceptum tamen eſſe volumus honeſtum aliquem, ac recreationis tantùm cauſsâ ſuſceptum ludum; in quo comeſtibile quidpiam pretium ſit, & tale, ut duorum aureorum valorem non excedat: quod etiam ipſum frequens eſſe non debet.

CAPUT XVIII.

Ne clerici fœminas comitentur, aut laïcis inſerviant.

NUllus, in ſacris conſtitutus fœminis familiare miniſterium exhibeat, ita ut equitando ducat à tergo, aut ambulando manu teneat, aut comitetur, niſi ſoror vel mater ſit: alioqui & clericus & fœminæ contrà agentes arbitrio Epiſcopi puniantur. Eidem [o] quoque ſententiæ ſubjaceat clericus, ſi laïco alicui famulum ſe exhibuerit, & œconomi, aut alicujus alterius officii genere inſervierit. Qui & gradum ſuum, & noſtrum decretum contemnens, quidvis horum fecerit, arbitrio Prælati puniatur. valdè enim abſurdum eſt, ut qui ad Altiſſimi miniſterium conſecrati ſunt, ſi ſe laïcorum, & maximè fœminarum, famulos patiantur.

CAPUT XIX.

De cohabitatione mulierum, & concubinatu.

FOeminarum conſortia vitare clerici debent, ne vel continentiam, quam Deo voverunt, violent, vel certè honorem ſuum graviter lædant, ac clericalem ordinem ludibrio cęteris exponant. Itaque non ſolùm concubinas tenere nefas, ſed etiam mulieres quaſcumque ſuſpectas, vel domi alere, vel foris frequentare, turpe admodùm eſt: & quoniam impunitas peccandi licentiam facilè tribuit, meminerint ſe præter cęteras pœnas ſacrorum Canonum [p], conſtitutione Concilii Tridentini, ad primam monitionem Epiſcopi, ſi non abſtineant, tertia parte fructuum obventionum ac proventuum, & Beneficiorum ipſo facto privari. Ad ſecundam verò monitionem, ſi adhuc perſiſtant in flagitio, non ſolùm Beneficiorum fructibus privari, ſed etiam ab adminiſtratione Beneficii eo ipſo ſuſpendi. Quòd ſi tertiam prętereà admonitionem ſine emendatione prætermiſerint, omni Beneficio & officio Eccleſiaſtico privandos eſſe [r], atque inhabiles ad quoſvis honores & Beneficia reddendos. Nomine verò Beneficii, & Eccleſiaſtici honoris, ſive proventuum, comprehendi etiam doctrinas Indorum, atque ex eis provenientia ſtipendia, declaramus. Quòd ſi nulli Eccleſiæ inſervierint, neque Beneficium habuerint clerici concubinarii, nihilominus à ſuo Prælato ſeverè puniantur, juxta ejuſdem Concilii [ſ] decretum, additis etiam gravioribus pœnis, prout ipſi videbitur expedire. Epiſcopi autem, & viſitatores eorum in prædictos clericos concubinarios inquirant aſſiduè, & poſtpoſita omni appellatione, ad executionem etiam, ſine ſtrepitu & figura judicii, facti veritate inſpecta, procedant; ſcientes ſibi in æterno Dei judicio graviſſimè imputandum, ſi ejuſmodi concubinarios monere aut punire diſſimulaverint. Porrò parochiis Indorum nullo modo clericos incontinentiâ notatos, aut ſuſpectos præficiant [t]; quin potiùs quum tales reſciverint, ſine cunctatione removeant, neque aliunde remotos, aliò transferant, ne propter eos (quod crebrò cernimus) nomen Dei blaſphemetur inter gentes: ſed neque juvenculas Indas ad ſervitia domeſtica ſive perpetuò, ſive etiam per vices alternantes, tenere ulla ratione permittantur, ſed aut famulatu virorum, aut ſi opus erit, mulierum ſatis ętate provectarum, ſervitio utantur.

CAPUT XX.

Ne in ſcenicis clerici aut monachi agantur.

CLericos aut monachos agere in ſcena, aut mimico quovis ludo, non decet [u], niſi fortè argumentum pium ac religioſum, & ab Ordinario approbatum ad ædificationem populi. Sed neque [x] quemcumque clericum majoribus initiatum perſonam ludicram in ejuſmodi comœdiis pronunciare fas eſt. Quicumque horum utrumvis fecerit, ſit eo ipſo excommunicatus.

CAPUT XXI.

Ne clerici decimarum conductores ſint.

SAcræ leges [y] prohibentes clericos conductores fieri, ad unguem obſervantur.

CA-

---

n Diſt. 35. c. *Epiſcop.* in ſext. Syn. can. 50. Conc. Limen. ſeſſ. 3. c. 22. *De vita & honeſt. cler.* o Conc. Tolet. act. 2. c. 33. & act. 3. c. 8. p 21. q. 3. *Credo*, & cap. *Sacerdotum.* q Extra *de cohabit. cler. & fœmin.* diſt. 32. cap. *Quoniam*, & ſeq. diſt. 29. c. *Oportet*, c. ſeq.

r Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. cap. 82. ſ Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. t Conc. Limen. ſeſſ. 3. cap. 7. u Conc. Tolet. act. 2. c. 22. *De vit & hon. cler. Cum decorem.* x Conc. Lim. 2. ſeſſ. 2. c. 42. y Extra *Ne cleric.* c. 1. 21. q. 3. c. *Placuit*

CAPUT XXII.

De ſtudio clericorum.

LEctioni librorum Eccleſiaſticorum clerici attendant [y], unde officii ſui admoneantur, & auctores habeant caſibus conſcientiæ tractandis idoneos, in quibus verſati ſint oportet. In his verò negligentes corripiantur. Nullus [a] verò ignotus, & peregrè veniens clericus inſigne illud aſſumat aut geſtet, quod noſtri *Beca* appellant, neque ſupra pileum clericalem, galerum amplum, vel ſericum ferant: prout Epiſcopis, vel præbendatis, vel graduatis moris eſt: neque verò ſe aut doctorem ullus, aut magiſtrum, aut licentiatum, aut baccalaureum nominet ſeu ſubſcribat, ſub centum aureorum pœna, niſi priùs Prælato legitimũ titulum oſtenderit, ne fallaci oſtentatione imperiti lædantur, & ſeducantur.

CAPUT XXIII.

Ne venationibus & aucupiis clerici ſtudeant.

VEnationibus aut aucupiis clericos ſtudere, ſanctorum Patrum ſtatuta [b] prohibent: atque adeò canes venaticos, aut accipitres alere, more principum ſæcularium. Si quem ergo hujuſmodi ineptiis deditum Ordinarii & viſitatores offenderint, opportunè coërceant.

CAPUT XXIV.

Ne tabacum presbyteri ſumant ante Miſſam.

PRohibetur ſub reatu mortis æternæ presbyteris celebraturis, ne tabachi fũmum ore; aut ſayri, ſeu tabachi pulverem naribus, etiam prætextu medicinæ, ante Miſſæ ſacrificium ſumant.

CAPUT XXV.

Ut diebus feſtis ad Eccleſias clerici conveniant.

CLerici omnes, etiam primâ tonſurâ initiati, diebus Dominicis & feſtivis ad Cathedralem Eccleſiam, aut aliquam parochialem, de aſſenſu Ordinarii, ad Veſperas primas & ſecundas, ad Tertiam, & Miſſam ſolennem, ſecundùm Canones [c] (poſtpoſita quavis excuſatione) cum ſuperpelliceis conveniant, etiam ſi præbendam ibi non habeant. Qui neglexerint, arbitrio Ordinarii puniantur.

CAPUT XXVI.

De officio divino ab omnibus capitularibus perſolvendo.

DIvino officio, diurno & nocturno, ac Miſſarum ſolennibus interſint omnes in Cathedralibus Eccleſiis, Dignitates, atque canonici, quemadmodum in Tridentino [d], & Limenſi [e] Concilio conſtitutum eſt. Qui verò non interfuerint, ſine ulla remiſſione diſtributiones amittant, quæ cæteris qui interſunt, eo ipſo debeantur: neque verò remiſſionem, aut condonationem ullam in iis ſibi viciſſim capitulares facere poſſint [f]; ſi fecerint, nulla ſit; ſed diſtributiones ita perceptas teneatur in conſcientia reſtituere qui fraudem fecit. Præterea deſignetur [g] qui notet defectus abſentium fideliter & ſecretò, cui etiam tertia pars cedat multarum, quavis colluſione prorſus excluſa. Portiones [h] verò tam ex decimis, quàm ex obventionibus debitæ, in quotidianas diſtributiones convertantur, ac dividantur ſecundùm erectionem, & ſuperioris Concilii Canonem, quem innovamus, atque omnino ſervari mandamus.

CAPUT XXVII.

De precibus matutinis, & Salve Regina.

HORÆ canonicæ matutinæ, ante pulſum Salutationis Angelicæ nequaquam inchoëntur; ſignum verò campanæ ad ſingulas canonici officii horas detur. Omnibus autem ſabbathis *Salve Regina* cantetur in Cathedralibus & parochialibus Eccleſiis, cui interſint præbendati, & alii clerici, omnes cum ſuperpelliceis, etiam primæ tonſuræ, alioqui arbitrio Ordinarii plectantur.

CAPUT XXVIII.

Ne præbendam obtinentes à ſua Eccleſia abſint.

CAthedralis Eccleſia ſuis miniſtris carere non debet. Itaque, quod quæſtûs, non charitatis cauſsâ fit, nulla ratione permittendum eſt, ut dignitatem, canonicatum, aut quamcumque præbendam in ea obtinentes, ad vicariatum, aut curatum extra illam mittantur: quod in Sede vacante, quia perquam frequens eſt, ne fiat, ſancta Synodus ſub æterni judicii comminatione denunciat. Nulli quoque in Eccleſia Cathedrali præbendam obtinenti commeandi in Hiſpaniam copia fiat, niſi præbendam ſuam, aut Beneficium priùs reſignaverit. Præterea iidem in Eccleſia Cathedrali præbendam obtinentes, non ampliùs quàm per men-

---

[y] Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 18. [a] Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 18.
[b] Concil. Franc. ſub Zacharia, *Ne cler.* l. monach. cap. 1. Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. Concil. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 18.
[c] Diſt. 91. cap. *Eleutherius*, diſt. 92. cap. *Si quis presbyt.*
[d] Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. [e] Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. c. 63.
[f] Conc. Comp. act. 2. cap. 16. [g] Concil. Limen. 2. ſeſſ. 2. c. 68. Concil. Tolet. act. 5. cap. 10.
[h] Concil. Limen. 2. ſeſſ. 3. cap. 66.

menſem, atque hunc interpolatum, ac per dies, non per horas computandum, ab Eccleſia abeſſe poſſunt [i].

CAPUT XXIX.

De ſcholaſtico & cantore Cathedralium.

CUM Beneficium detur propter officium, munuſque ſcholaſteriam obtinentis in Cathedralibus ſit, docere literas; cantoris verò, cantum Eccleſiaſticum; cumque tam Tridentini Concilii [k] Generalis, quàm ſuperioris Provincialis [l] id fieri decreto ſancitum ſit; ſtatuimus, in noſtra provincia poſthac ut ſcholaſticus prælegat lectionem, quam ei ſuus Præſul indixerit, & cantor doceat rationem cantûs: idque uterque exſequatur intra decem dies, ex quo ſtatuti notitiam cœperit, alioqui ſeverè arbitrio Epiſcopi multentur. Quòd ſi in ſeminario puerorum erigendo, ſuo fungantur munere, eo ipſo ſint liberi à contributione pro dicto ſeminario.

CAPUT XXX.

De cappellaniis.

CAppellaniæ in Eccleſiis Cathedralibus, aut parochialibus inſtitutę, niſi ex ipſa fundatione dignitatibus aut canonicatibus, aut aliis Beneficiis ſint annexæ, capitularibus aut Beneficiatis non conferantur; ſed aliis clericis, ubi ſunt inſtitutæ, inſerviant, juxta decreta Concilii Tridentini [m], & Regis noſtri Catholici voluntatem.

CAPUT XXXI.

De œconomis Eccleſiarum.

NUllus œconomus in Cathedralibus vel parochialibus Eccleſiis admittatur, niſi priùs fidejuſſoribus datis. Arca autem tribus clavibus clauſa pro Eccleſiaſtica pecunia conſervanda, ubi commodè fieri poterit, teneatur; in qua œconomi, quicquid pecunię receperint, intra triduum reponant.

CAPUT XXXII.

De habitu eremitarum.

QUamvis monachum non faciat habitus, decet tamen unumquemque juxta ſuam profeſſionem habitu diſtingui. Quare qui eremitico inſtituto gaudent, neque pileum clericorum, neque fratrum, aut monachorum caputium ferant: veſte autem utantur nigra. Quòd ſi paupertatis cauſsâ viliori panno uti velint, quem Hiſpanè vocamus *xerga*, poterunt facilè nigro colore inficere.

CAPUT XXXIII.

De ſanctimonialium bonis.

AD habitum ſanctimonialium non plures recipiantur, quàm ex monaſterii bonis ali poſſint [n]: præpoſitæ verò provideant ipſis monialibus de omnibus ſibi neceſſariis, ita ut cognatis & populo in iis efflagitandis moleſtæ non ſint. Abbatiſſis autem, ſive Prioriſſis, ſeu quocumque alio nomine præſint, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut quicquid eleemoſynæ [o] nomine à monialibus ingredientibus receperint, in redditus annuos, & bona ſtabilia monaſterii conferant. Quòd ſi ex urgente aliqua neceſſitate eleemoſynæ aliquid conſumendum erit, ut nullo modo id fiat, niſi priùs conſulto & approbante Prælato. Quòd ſi ex redditibus monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis tantum ſuppetat monialibus, ut ad ipſarum victum, fabricam Eccleſiæ, aliaſque neceſſitates commodè ſufficiat, minimè liceat alias recipere, pactâ certâ eleemoſynâ pro dote: ſecus ſi monialium numerus augeatur.

CAPUT XXXIV.

De viſitatione ſanctimonialium.

QUANDO monaſteria ſanctimonialium viſitantur, principio viſitator una aut duabus perſonis honeſtis aſſociatus ingrediatur, ut diſpoſitionem ipſam domûs, atque officinas, cęteraque neceſſaria ſcrutetur & videat. In fine quoque viſitationis iterum, quùm capitulum ſuper correctione de culpis tenendum eſt, eodem modo ingredi poterit: cętera verò ad cancellos, ſive feneſtellam tranſigantur. Quod ſi prętęr hæc opus ſit clauſtra aliquâ ex cauſſa ingredi, id non fiat à viſitatore, niſi facultate ab Ordinario priùs in ſcriptis obtenta [p].

CAPUT XXXV.

De collocutoriis ſanctimonialium.

ABbatiſſę, ſive prępoſitæ ſęcularibus facilem cum ſanctimonialibus colloquendi licentiam non concedant, niſi parentes aut fratres fuerint [q]. Atque iis ipſis non ita crebrò. Sine teſte verò loqui non permittant. Porrò clerici illarum collocutoria ne frequentent. Quòd ſi abſque Prælati permiſſu eas viſitare pro nihilo duxerint, excommunicentur.

CA-

---

[i] Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. c. 71. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 12.
[k] Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 15. [l] Conc. Liman. 2. ſeſſ. 2. c. 75.
[m] Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 17. [n] Conc. Turon. c. 31. & 26. *de inſtit.* c. 1. & c. *Auctoritate*. *De ſtatu Regn.* in 6. §. *Sanè*.
[o] Concil. Rom. cap. 33. [p] Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 7. & cap. 59.
[q] Concil. Turon. cap. 29. Conc. Foro-Iuli. cap. 12.

CAPUT XXXVI.

De dote non augenda ob defectum natalium.

SI qua mixti generis mulier (quas vulgò *meſtizas* vocant) in monaſterium recipi velit, eâdem omnino dote, quâ cęteræ, recipiatur [r]: neque pro eo quòd admittatur ut ſit de choro, amplius quicquam exigatur, quàm à cęteris de choro ſoleat, cùm ea omnis conventio ſimoniacâ labe non careat; ſed ſi aliàs ſatis idoneæ ſint, nequaquam tales excludantur à choro ex defectu natalium, cùm apud Deum fides, non genus in pretio ſit.

CAPUT XXXVII.

Libros profanos & laſcivos vitandos.

LIbri [s] qui res laſcivas & obſcœnas tractãt, narrant, aut docent, cùm non ſolùm Fidei, ſed etiam morum, qui ejuſmodi lectione librorum facilè corrumpi ſolent, ratio habanda ſit; omnino prohibentur, & qui eos habuerint, ſeverè ab Epiſcopis puniantur: antiqui verò ab ethnicis conſcripti, propter ſermonis elegantiam & proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt. Et quoniam apud Indos, literarum ignaros, pro libris ſigna quædam ex variis funiculis erant, quos ipſi *Quipos* vocant, atque ex eis non parva ſuperſtitionis antiquæ monumenta exſtant, quibus rituum ſuorum, & cęremoniarum, & legum iniquarum memoriam conſervant; curent Epiſcopi hęc omnia pernicioſa inſtrumenta penitùs aboleri.

CAPUT XXXVIII.

Ut fœminæ Eccleſias frequentent, & ibi modeſtè ſe gerant.

ADmoneantur matreſ-familiâs ſecum in Eccleſiam deferre filias juvenculas [t], ut ipſis pręſentibus Miſſarum ſolennibus, & verbi Dei prædicatione fruantur: cùm honeſtius [u] ac tutius id ſit, quàm domi ancillulis virgines commendatas relinqui: Viduæ quoque ſuperſtitioſum atque ambitioſum illum morem tamdiu poſt defunctum virum domi manendi, Eccleſię religioſiſſimæ diſciplinæ poſtponant [x], divinaque officia ad conſolationem ſuam opportunè adeant. Et tam ipſę quam reliquæ omnes fœmine modeſtiâ ſuâ, & ſilentio, atque ornatûs conſeſſuſque Chriſtiana ſobrietate, tum etiam verbi divini audiendi frequentia & aviditate, meritò apud Deum & Eccleſiam devotum fœmineum ſexum commendent.

CAPUT XXXIX.

Ut medici confeſſionem ægrotis illicò injungant.

MEdicis & chirurgis, de ſpirituali cõfeſſionis medicina ægrotos in ipſo ſtatim initio admonere ceſſantibus, pœnas per literas Apoſtolicas Pii V. inflictas, ſine ulla remiſſione ad executionem conferendas curent Ordinarii. Qui & ipſum Breve Sedis Apoſtolicę ipſis denuò intimari faciant, & ſi contumaces fuerint, ſeverioribus etiam pœnis ſubjiciant.

CAPUT XL.

Dies feſtos ſervandos.

DIebus Dominicis atque feſtivis mercimoniorum emptiones venditioneſque prohibeantur [z]; præſertim in Indorum oppidis: quæ verò in foro venalia exponi ſolent, Miſſę celebrationem exſpectent. Mercatores qui ſecus egerint, præſertim ſi ſcandalo Indis ſint, excommunicentur. In oneribus quoque jumentorum, agaſonum, cęteriſque ſervilibus laboribus, executioni mandentur contra inobedientes pœnæ per fel. recor. B. Pium V. propoſitæ [a]. In blaſphemos quoque prout eſt ab eodem ſanctiſſimo Pontifice, & à Concilio ſuperiore [b] pręceptum, acriter vindicetur.

CAPUT XLI.

Ab eſu carnium abſtinendum diebus ab Eccleſia præſcriptis.

CArnibus veſci diebus à jure prohibitis nemini liceat [c], niſi de utriuſque medici, ſpiritualis & corporalis, aſſenſu: neque verò eas vel vendere, vel mercari fas ſit. Ab iis etiam abſtinere in litaniis, ſive rogationibus [d], per triduum & uſque ad meridiem publicis proceſſionibus & concionibus intereſſe, omnes Chriſtianos hortatur hęc Synodus.

CAPUT XLII.

Prætoribus Indorum non eſſe tanquam Epiſcopis obviam procedendum.

CErta relatione comperimus, prętoribus prefectiſve ſecularibus Indorum, paſſim cum Eccleſiaſtico apparatu, & cruce elata obviam prodire ſacriſtas, alioſve Eccleſię miniſtros; quòd & regię leges improbant, & Eccleſiaſtico decore nimis indignum eſt. Id ne in poſterum fiat, diſtrictè pręcipimus, parochos, ſi ad talia conveniant, & aſſenſum prębeant, vinculo excommunicationis ipſo facto innodantes.

CA-

---

r De Simo. cap. *Quoniam*, cap. *Veniens*. & cap. *Non ſatis*.
ſ Pius IV. in Catal. libror. prohibitor. t Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. cap. 135. u Hieron in Epiſt. ad. Lætam. Conc. Limen. 2. ſeſſ. 2. cap 130. x Ambroſ. in lib. de Viduis.
y Conc. Later. c. 22. *de pœn. & remiſſ* c. *Cum infirmitas*. B. Pius V. in proprio motu. z Concil. Limen. 2. ſeſſ. 2. cap. 132.
a B. Pius V. in motu proprio: *Cum primum*. Conc. Later. ſub Leon. X. ſeſſ. 9. b Concil Limen. 2. ſeſſ. 2. cap. 218.
c B. Pius V. in motu proprio. d De conſecr. d. 3. cap. *Rogationes*.

CAPUT XLIII.

De pervigiliis Ecclesiarum.

OSTIA Ecclesiæ noctu aperta nemo relinquat sub pœna excommunicationis, neque pernoctationes in ea ullo modo virorum & fœminarum, neque lectisternia permittantur: mulieres verò noctu mendicare, aut ostiatim circumire (quod nonnullæ faciunt) ut nefarium omnino & flagitiosum damnamus, & Ordinariis severè vindicandum commendamus.

CAPUT XLIV.

De confraternitatibus.

CONfraternitates ab Ordinariis visitentur[f], & quantum licebit, ad minorem numerum redigantur; novas verò institui non permittant sine gravi caussa, neque pro jam institutis eleemosynas peti communiter, nisi diebus Dominicis, & festivis: idque petitâ semper, atque obtentâ Prælati licentiâ, Æthiopes verò & servi nulla, confraternitatum hujusmodi nomine, conventicula facere sinantur, nisi in Ecclesiis aut locis piis, ac tunc aliquo etiam sacerdote præsente, qui eorum acta moderetur, atque ad id quod expedit dirigat.

Indictio futuræ Sessionis.

POstremò hæc nostra Synodus, cùm de reformatione nonnulla adhuc, eaque non levia supersint; declarat in diem Apostolorum Simonis & Judæ Sessionem Deo favente futuram, ut prædicta decreta publicentur. Interim verò Concilium Provinciale nequaquam cessare, donec Spiritus sancti gratia annuente, de Reverendissimorum Patrum consensu, finis eidem Concilio imponatur.

Placent ne vobis, Reverendissimi Patres, hæc decreta?

Omnes responderunt: Placent.

ANTICIPATIO SESSIONIS.

CUM celeri morbo correptus die Octobris nona, animam egisset Reverendissimus Episcopus Cuzquensis, atque instaret Reverendissimorum Chilensium ad suas Ecclesias navigatio, de consensu Patrum decretum est, Actionem anticipandam in Dominicam proximam, quæ fuit vicesima quinta post Pentecosten, die Octobris decima tertia, in qua Missam solenniter celebrante, ac simul concionem habente Reverendissimo Imperialis Episcopo, quartæ Actionis sequentis decreta recitata sunt.

ACTIO QUARTA.

Celebrata in Ecclesia Cathedrali civitatis Regum, die 13. Octobris anno MDLXXXIII.

CAPUT I.

Quibus sit committenda visitatio.

ECclesiasticæ disciplinæ nervus ferè in canonica visitatione consistit, quam astu dæmonis & avaritiâ hominum plurimorum ita debilitatam cernimus, ut inde potiùs plurimæ querelæ & damna provenerint, unde remedia damnorum meritò exspectanda fuerant. Quam totius provinciæ labem cupiens sancta Synodus divino aspirante numine avertere; primùm Episcopos omnes seriò admonet, ut ipsi per se paterno affectu diœce sin suam perlustrare non cessent[a]. Quòd si visitatores mittendos censuerint, quod propter nimiam Episcopatuum Indicorum amplitudinem sæpe fieri necesse est, solicitè videant, ut non nisi viris integris, spectatæ probitatis, industriis, atque idoneis visitationem committant; & quos sciant neque doctrinas ipsas, sive parochias Indorum ambire, neque oblatas etiam acceptaturos.

CAPUT II.

De procuratione visitatorum.

PRocurationis [b] nomine ita unicuique visitatori competens salarium assignetur ab Episcopo, ut neque de pœnis cameræ Episcopalis, neque de condemnationibus visitatori ipsi, aut officialibus ejus aliquid proveniat. Tempus autem non longius in visitatione consumant visitatores, quàm necessarium esse perspexerint. Si secus egerint, ita ut propter sua commoda, aut quovis alio respectu diutiùs immorentur, excommunicatione feriantur. Instructionem verò ab hac sancta Synodo factam pro visitatoribus, sub mortalis peccati reatu, & secum deferre, & fideliter observare teneantur.

CAPUT III.

De modo procedendi in visitatione.

QUamdiu informationes secretè fient, parochus, sive is qui visitatur, nequaquam adsit, sed fiat Indis libera facultas denunciandi suas, vel querelas vel gravamina, si à suo se parocho læsos existimaverint. Interim dum parochus absens est, alius

---

e Conc. Tolet act. 2. cap. 20. f Concil. Trid sess. 22. cap. 8.
a Concil. Tolet. 4. c. 35. 10. q. 1. cap. *Episcopum per cunctas.*
b Concil. Limen. 2. sess. 2. c. 10. Concil. Tolet. 7. c. 4. 10. q. 3. c. *Inter cætera.* & cap. *Cavendum.*

alius, ſi commodè fieri queat, rectoris officio fungatur[c]. Porrò proceſſus circa crimina graviora parochorum à viſitatoribus fulminentur uſque ad diffinitivam excluſivè, atque ita obſignati ad Ordinarium tranſmittantur, adhibito ipſius viſitatoris de unaquaque cauſſa judicio; ut tandem Epiſcopus ultimam ſententiam ferat: id ut fideliter, atque integrè faciant, viſitatores omnes monet hæc ſancta Synodus. Quòd ſi timore Dei poſtpoſito proceſſus aliquos occultaverint, aut iniqua colluſione cum viſitatis, eorum vitia diſſimulaverint, vel ad Ordinarium prædictas cauſſas integrè non tranſmiſerint, viſitatores ipſo facto excommunicatos eſſe decernimus.

CAPUT IV.

De modeſtia & ſobrietate viſitatoribus obſervanda.

VIſitatores[d], ut non ſolùm exceſſus corrigant, ſed etiam exemplo modeſtiæ, & Chriſtianæ ſobrietatis ædificent, nullo modo patiantur pompam aut profanum apparatum[e], aut nimios ſumptus in occurſationibus & hoſpitationibus ſibi exhiberi. Munera quæcumque, aut commodi aliquid, præter ea quæ ſunt à jure permiſſa, neque viſitator ipſe recipiat, neque ſuos recipere permittat; ſed neque emat, neque permutet cum his qui viſitantur, equitatum, aut aliquid aliud. Si quid ejuſmodi acceperit, ſciat ſe ad dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, juxta conſtitutionem Concilii Tridentini[f], in conſcientia teneri; quod ſi non reſtituerit intra prædictum tempus, ab omni & Beneficio & officio eſſe ſuſpenſum, ſecundùm Gregorii[g] X. in Concilio Generali[h] editam ſanctionem.

CAPUT V.

De viſitatione fabricæ & ornamentorum.

IN viſitationibus fabricæ aut ornamentorum divini cultus, decretum Tridentini[i] Concilii nulla ratione violetur, ut patroni nullatenus ſe immiſceant viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut ſtabilium, ſeu fabricarum proventibus, niſi quatenus eis ex inſtitutione ac fundatione id competat.

CAPUT VI.

Quomodo & quando Indorum teſtimonium ſit recipiendum.

SAcerdotum qui inter Indos agunt, atque eis præſunt, exiſtimationi ſecuritatiſque conſulere volens ſancta Synodus, cùm ſciat hos paſſim malitiosè impeti, atque eò facilius traduci, quò ſeveriùs vitia ſubditorum corrigunt, aut Hiſpanorum avaritiæ violentiæque obſiſtunt; ſuperioris Concilii[k] conſultiſſimam conſtitutionem innovat; atque imprimis mandat, nullum è parochia debere detrudi, etiam ſi multæ & graves querelæ ad Epiſcopum deferantur, niſi oculato examine per ſe, vel per commiſſarium aliquem ibi cauſſa agatur, ubi ille deliquiſſe narratur. Nam quantum fidei teſtibus præbendum ſit, judex Eccleſiaſticus præſens meliùs nôſſe poterit, & rei totius ordinem diſcere. Prærerea quum ordinaria, aut extraordinaria viſitatione inquirendum erit in ſacerdotem, videat omnino qui judicat, ut ab infidelibus Indis nullum contra ſacros Canones[m] teſtimonium admittat, ſed neque ipſos fideles Indos, aut etiam Hiſpanos, ſi ſuſpecti ſint (quod ſæpiſſimè accidit) adhibeat; ſed integros, & Deum timentes teſtes inveſtiget. Illud verò ante omnia teneat præ oculis, ut neophytos jurare non cogat, niſi in re prorſus gravi, & quæ aliter definiri non poſſit. At tunc priùs quantum ſacrilegium admittant perjuri, ſeriò doceat: ſi quos autem pejerâſſe probaverit, ad timorem cæterorum, jubeat publicè fortiter vapulare, & infamiâ notari, attonſis pro more Indico illorum crinibus. Denique ubi neceſſitas exigendi teſtimonii urgens fuerit, & ex ſolo Indorum teſtimonio res pendeat, perpendat quantum fidei talibus debeat adhibere, quos facilè ad pejerandum induci notum eſt.

CAPUT VII.

Indorum crimina ad forum Eccleſiaſticum ſpectantia, corporali potiùs, quàm ſpirituali pœna eſſe punienda.

SI nulla poteſt reſpublica ſine metu ſupplicii in officio contineri, neque ſufficiunt, quantumvis bene ac ſapienter conſtitutæ, leges, ad cohibendos à criminibus homines, niſi pœnæ pariter in rebelles decernantur; profectò barbara, & rationi non uſque adeò obſequens Indorum natio piis & ſalutaribus inſtitutis parere nunquam, ſicut opus eſt, aſſueſcet, ſi rectores ſuos veluti ad vindicandum in malefacta impotentes, facilè contemnat. Nam & Apoſtolus[n] quibus ſpiritum manſuetudinis non ſatis eſſe putabat, etiam virgam & poteſtatem à Domino acceptam, interdum minabatur. Sed cùm Eccleſiæ ſpiritualis vindicta graviſſima ſit, ad animarum intima penetrans, iis tamen utilis eſſe poteſt, qui bona ſpiritualia, & damna poſſunt ſatis cogitatione concipere, & prout oportet expendere. Quibus verò nihil vel pretioſum vel vile eſt, niſi quod oculis cernitur, in eos certè ſpiritualis illa cenſura intentata[p], poterit proficere parum, nocere plurimum. Quam rem cùm

---

c Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. verſ. *Viſitatores etiam.* d Concil. Brac. 2. cap. 2. Conc. Tolet. 7. 6. 4. e cap. *Cùm Apoſtolus. de cenſibus.* f Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. c. *Exigit. de cenſ* in 6.
g Greg. X. in Concil. Lugd. h Concil. Lugd. 2. num. 19. apud Binium. i Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. *de reform.*
k Concil. Limen. 2. ſeſſ. 3. cap. 114. 3. q. 6. cap. *Retimo.* l 3. q. 5. c. *Suſpectos.* & c. *Nullus.* m 4. q 3. c. *Si teſtes.* 22. q. 5. cap. *Ille qui.* 22. q. 5. cap. *Qui pejeraverint.* Concil. Matiſc. c. 21.
n 1. Corinth. 4. o Concil. Limen 2 ſeſſ. 3. cap. 117. 26. q. 5. c. *Con. Idolorum ex greg.* p Concil. Arel. cap. 11. Ivo. lib. 11 cap. 49. Conc. Matiſc. cap. 21. Conc. Mogun. cap. 45.

cùm prudenter ſuperiores hujus novi orbis antiſtites [q] ſecum perpenderent, ſtatuerunt in has tam faciles, & minimè perſpicaces Indorum gentes, ab excommunicatione, cęteriſque cenſuris eſſe abſtinendum; pro his verò ad conſervandam Eccleſiaſticam diſciplinam & religionem, neceſſariò externâ & corporali aliqua pœna utendum, quod à priſcis in ſimile genus hominum etiam obſervatum eſſe compertum eſt. Itaque Concilii ſuperioris ſalutaria de hac re decreta confirmans atque innovans, ſtatuit hæc ſancta Synodus, pro culpis ad Eccleſiaſticum forum attinentibus, etiam Eccleſiaſticos judices poſſe ac debere Indos corripere. Qualia ſunt atrociora illa idololatriæ, aut apoſtaſiæ, aut ſuperſtitionis gentilicæ crimina. Tum ſacrilegia in baptiſmum, in matrimonium, in alia etiam ſacramenta admiſſa. Deinde & illa minora ſunt neceſſariò corrigenda, Miſſæ aut catechiſmi voluntaria omiſſio, ebrioſitatis quoque, & concubinatûs, ſatis iſtis familiaria vitia. Pro talibus certè, juxta delicti menſuram, poteſt anhiberi pœnarum modus; ſed tamen paterno magis affectu, quàm judiciaria ſeveritate, dum tenera eſt in fide Indorum ætas, correctio præſtanda erit, niſi ad ſedandum multorum ſcandalum, & fręnandam licentiam peccandi, duriùs aliquid oporteat deſignare.

CAPUT VIII.

De moderatione ſervanda in punitione Indorum.

SED, quoniam & natura Indorum timida eſt, & nonnulli ſacerdotum præter decorum aſſiduè ſæviunt, præcipit omnino ſancta Synodus, ne parochus aut quævis alia perſona Eccleſiaſtica per ſe ipſum unquam cędat, aut puniat, quantumvis delinquentem, cùm ſit à ſacerdotali dignitate alieniſſimum: ſed ſ quum id erit agendum, per fiſcales, miniſtroſque ad hoc creatos agatur. Deinde præter vicarios & judices Eccleſiaſticos nullus parochorum ſupplicium ſumat de Indis ſibi ſubjectis, niſi à diœceſano ſuo habeat præſcriptam legem, quam in ejuſmodi correctionibus ſervare debeat, quam ſi exceſſerint, atque iræ ſuæ indulſerint parochi, Epiſcoporum, & viſitatorum conſcientias oneramus, ut in hujuſmodi exceſſum vindicent, neque percuſſores & puſilli Chriſti gregis perturbatores impunè abire permittant, quemadmodum Apoſtolicis etiam Canonibus [t] conſtitutum legimus.

CAPUT IX.

De obſervantia dierum feſtorum.

DIES feſti ab Eccleſia ſtatuti cum omni deinceps devotione ſerventur [u]. Quos autem in noſtra provincia Hiſpanos omnes oportet ſervare, ſunt hi: Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Stephani Protomartyris, Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, Circumciſionis Domini, Epiphanię Domini, Purificationis beatæ Mariæ Virginis, Matthię Apoſtoli, Annunciationis beatę Mariæ, Reſurrectionis Domini, cum duobus ſequentibus, Marci Euangeliſtæ, Philippi & Jacobi Apoſtolorũ, Inventionis ſanctę Crucis, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum duobus ſequẽtibus, Trinitatis, Corporis Chriſti, Barnabę Apoſtoli, Nativitatis Joannis Baptiſtæ, Petri & Paulli Apoſtolorum, Mariæ Magdalenę, Jacobi Apoſtoli, Transfigurationis Domini, Laurentii Martyris, Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, Bartholomæi Apoſtoli. Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, Matthæi Apoſtoli, Dedicationis Sancti Michaëlis Archangeli, Lucæ Euangeliſtæ, Simonis & Judæ Apoſtolorum, omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, Conceptionis beatæ Mariæ, Thomæ Apoſtoli. Prętер hos etiam ſi qui ſunt ex probata conſuetudine, aut ex legitimis privilegiis feſti dies introducti, & ipſi religioſè in unaquaque regione ſerventur.

Porrò neophyti, quos Eccleſiæ materna indulgentia peccatorum ſuorum ſarcinâ magna ex parte levandos exiſtimavit, ſequentes tantùm dies, juxta ſuperioris Synodi [x] Provincialis ſtatutum, obſervare cogantur: primùm dies omnes Dominicos, ut Eccleſia univerſalis ſemper obſervat. Deinde diem Nativitatis Domini, diem Reſurrectionis primum, diem Pentecoſtes primum, item Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, beatæ quoque Virginis Mariæ feſtum Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis, demum Apoſtolorum Petri & Paulli. Si qui tamen Indorum plures alios dies feſtos noſtro more ſervare voluerint, & in iis ab opere ſervili vacare, integrum ſit ipſis facere ex devotione, neque ullo modo in iis laborare à quoquam penitùs compellantur.

CAPUT X.

De reliquiis Sanctorum.

RELiquiæ Sanctorum [y], quas magnopere venerari decet, à nemine teneantur, niſi per Ordinarium priùs examinatæ atque approbatæ, neque tales etiam à ſæcularibus & laïcis portentur, niſi de ejus ſpeciali facultate, juxta formam ſuperioris [z] Concilii: devotio tamen meritò laudabilis, circa cereos Agnos Dei à ſummo Pontifice benedictos ſecum geſtan-

---

q Concil. Lim. 2. ſeſſ. 3. cap. 115. Concil. Tolet. 4. cap. 15.
r Concil. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 116. ſ Conc. Lim. 2. ſeſſ. 3. c. 117.
t Canon. 28. diſt. 45. 1. *Epiſcopum.* u *De conſec.* diſt. 3. cap. *Pro-nunciandum. De feriis.* c. *Conqueſtus de relig.* cap. *Gloriоſus mar.*
x Conc. Limen. 2. ſeſſ. 3. c. 90. y Conc. Tiburtan. ſeſſ. 25. Sec. 1.
z Concil. Limen. 2. ſeſſ. 2. cap. 55.

ſtandos, omnibus modis probatur, dummodo puri, ac non fucati coloribus ſint[a].

CAPUT XI.

De miſſali & proceſſionibus.

IN miſſali auctoritate ſummi Pontificis edito, nihil addatur, aut detrahatur, aut immutetur quovis modo, ſed quemadmodum eſt ab Apoſtolica Sede conſtitutum, Miſſæ cęremonię omnes, cæteraque divina peragantur. Proceſſiones autem ante Miſſarum ſolennia fieri poſſunt in die Nativitatis, in Dominica Reſurrectionis, in Dominica Pentecoſtes, in omnibus diebus feſtis Salvatoris, in quatuor celebrioribus Deiparæ Virginis, id eſt in Aſſumptione, in Annunciatione, in Nativitate, in Purificatione; item in feſtis Apoſtolorum, & in die omnium Sanctorum. Inter Miſſarum autem ſolennia alicui ſæculari pacem cum patena dari, aut per miniſtrum ordinis ſacri ad fœminam cujuſcumque qualitatis deferri, nulla ratione permittatur.

CAPUT XII.

De decimis.

JURI communi[b] & antiquo inhærens ſancta Synodus, prędipit ſtrictè, decimas ſolvi Eccleſiæ ex omnibus terrę fructibus, etiam ſylveſtribus, etiam ſponte naſcentibus; nam ſi à Deo omnia donantur, qui dat omnibus abundè ad fruendum, æquum ſanè eſt, ut ipſi dominatori per ſuos fideles aliqua ex parte reddantur: primitiæ quoque de omnibus terrę fructibus dentur, ac per Prælatum iis, quibus de jure competunt, diſtribuantur.

CAPUT XIII.

Ut matrici cæteræ Eccleſiæ deferant.

IN pulſandis campanis in ſabbatho magnæ hebdomadę, matricem Eccleſiam cæterę exſpectent, juxta ordinationem Concilii Lateranenſis[c].

CAPUT XIV.

De edictis publicis.

EDictum ſub Quadrageſimam legi ſolitum in univerſa provincia, ſumatur juxta exemplum ab hac Synodo datum & approbatum, neque alio uti liceat: idem in excommunicationibus ferendis pro rebus furtivis, aut aliàs generalibus fiat, niſi à Sede Apoſtolica alia forma præſcribatur.

CAPUT XV.

De taxis Epiſcopalibus.

PRO Epiſcopalibus audientiis provinciæ Peruvianæ, ab hac Synodo conſtitutus eſt ordo taxarum, quem præcipimus ab omnibus Epiſcopis, & officialibus, & miniſtris in regno Peruviano inviolabiliter cuſtodiri. Pro cæteris diœceſibus extrà ſervetur taxa uſu & conſuetudine in iis hactenus approbata. Notarii autem publicè ſibi præfixas taxas habere, & ſecundùm eas jura ſibi ſoluta in quavis ſcriptura aſſignare teneantur.

CAPUT XVI.

Ne præter Epiſcopi collationem parochiam quiſquam ſuſcipiat.[d]

NULLUS poſthac clericus parochiam Indorum abſque Epiſcopi collatione ſuſcipiat vel adminiſtret: qui aliter ſuſceperit, etiam ſi proprio rectore parochia deſtituta ſit, anathemate feriatur: idem à regularibus obſervetur.

CAPUT XVII.

De examinatoribus ab Epiſcopo deputandis.

EXaminatores, qui futuros Indorum parochos, tum de literis, tum de linguæ Indicæ peritia examinent; unuſquiſque Epiſcopus in Diœceſana Synodo, juxta Concilii Tridentini[e] decretum conſtituat. Ad explorandam verò tam notitiam ſacrę doctrinæ, quàm ſermonis Indici facultatem, catechiſmo ab hac Synodo edito atque approbato examinatores potiſſimùm utantur, ut eum futuri parochi tenere, & intelligere, & eloqui rectè ſciant. Porrò doctrina ſive parochia Indorum, ubi Epiſcopus ipſe præſens fuerit, ab ipſius vicario nullo modo conferatur.

CAPUT XVIII.

Indos non eſſe deſerendos propter celebritates urbium.[f]

CUM ſolennes ferię aguntur in urbibus, earum celebritatis cauſsâ parochi populos ſibi Indorum commiſſos nequaquam deſerant, etiam ſi ſacratiſſimum corporis Chriſti feſtum, aut etiem dies Paraſceves in magna hebdomada celebretur: neque verò ob id vocentur, & invitentur à vicariis urbium; cùm Deo ſit longè gratius obſequium oves proprias eo tempore inſtruere & curare, quàm cum illarum periculo urbanas ſolennitates frequentare.

CA-

---

a Motus proprius Gregor. XIII. b 1b. q. 1. *decima.* 1b. q. 7. cap. *Quicumque*, & ſeq. *de decim.* cap. *Peruenit* cap *Nouales*, & cap. *Non eſt*. c Conc. Later. ſub Leo X. ſeſſ. 11.

d Conc. Lateran. ſub Leon. X. ſeſſ. 11. e Conc. Triden. ſeſſ. 24. cap 18. Concil. Tolet. act. 2. cap. 24.

f Concil. Limen. 2. ſeſſ. 3. cap.

CAPUT XIX.

Ut Beneficiati rectores parochiarum juvent.

QUI simplicia Beneficia in Ecclesiis Cathedralibus aut parochialibus obtinent, rectores ipsos parochiarum, tum in audiendis confessionibus, tum in aliis Ecclesiasticis muniis obeundis Christiana charitate adjuvent; ut sicut socii sunt honoris, sic etiam sint laboris. Quòd si quum urget frequentia confessionum, aut insignis quævis necessitas, id facere recusaverint, ab Episcopo puniantur.

CAPUT XX.

De quarta funerali, & portione canonica.

QUARTA funeralis, ac canonica portio, & quarta etiam oblationum Episcopo à Jure concessa, tam à capitularibus, quàm à cæteris clericis persolvatur eo ordine & modo, quem sacri Canones [h] statuunt. Pro controversiis verò componendis, quæ harum portionum occasione oriri solent, deputentur in unaquaque diœcesi ab Episcopo collectores, qui sine cujusquam præjudicio singulis quę sua sunt attribuant.

CAPUT XXI.

Ne in appellationibus originalia acta tradantur.

QUANDO ad Metropolitanum læsus quispiam sibi appellandum putaverit, processus atque acta originalia nullo modo notarii tradant, sed illorum transumptum, fide competenti munitum dare sufficiat. Verùm neque hoc etiam reddere compellantur, nisi soluta priùs congrua mercede, juxta Concilii Tridentini [i] decretum.

CAPUT XXII.

De procuratore cleri.

PROCURATOREM [k] suo nomine ad Provinciale Concilium destinare poterit clerus Ecclesiæ, quemcumque sibi opportunum atque idoneum existimaverit; cui etiam ad necessarios sumptus pro negotiis gerendis clerus ipse persolvat salarium: sed imponendi, atque * exsequendi salarii ratio ad Episcopum pertineat; qui & iis, qui huic Synodo interfuerunt, cum legitimo mandato, & cęteris, qui posthac in aliis Conciliis Provincialibus, & Synodalibus intererunt, distributione justa per clerum facta, congruentia subsidia reddenda curabit.

CAPUT XXIII.

Testes synodales esse deputandos.

UT ea quę ad Ecclesiæ utilitatem, & populi Christiani salutem Spiritu sancto suggerente sancita sunt, primùm in Concilio Generali [l], deinde in Synodo Provinciali [m], debitæ, & Deo acceptæ exsecutioni tradantur, testes Synodales, tam Metropolitanus, quàm cęteri Episcopi, in sua quisque diœcesi, quamprimùm designent, quos noverint viros probatos atque integros, qui futuro Concilio Provinciali rationem reddant de observatione salutarium decretorum sacri Concilii Tridentini, necnon hujus, & superioris Synodi Provincialis Limensis.

CAPUT XXIV.

De publicandis & servandis in quavis diœcesi decretis hujus Synodi.

CUM sacris Canonibus [n] constitutum sit, ut quæ in Provinciali Synodo definita sunt, ea unusquisque Episcoporum in sua diœcesi denuò publicanda, & ad omnium notitiam deferenda curet (siquidem ex Episcopi unius propemodum diligentia universi laboris exacti fructus & summa pendet) propterea hęc sancta Synodos cupiens laborem suum in Christo non esse inanem, districtè præcipit, & ęterni judicii obtestatione denunciat Episcopis omnibus, atque eorum officialibus, ut tum in Cathedrali, tum in prępcipuis parochialibus suarum diœcesum Ecclesiis, decreta præsentis Synodi, & superioris Limensis solenniter legi & publicari faciant. Ac ne oblivioni per negligentiam tradantur, jubeant omnino, saltem semel quotannis, in capitulis Cathedralium, & in frequenti cleri & populi conventu recitari, ita ut unusquisque quod ad se pertinet possit facilè intelligere ac recolere. Deinde provisores, vicarios, visitatores, cæterosque judices Ecclesiasticos quoscumque hujus provinciæ admonet sancta Synodus, ut secundùm has constitutiones judicare, & causas Ecclesiasticas definire, pœnasque ac censuras in his appositas legitimas declarare teneantur [o]. Neque in his quæ ad reformationẽ spectant, appellatione cujusque legitima exsecutio suspendatur.

CAPUT XXV.

Ad quem pertineat sede vacante publicatio hujus Synodi.

NE per occasionem sedium vacantium, quæ in hac provincia perquamdiu turnę sunt, necessarię reformationis exsecutio negligatur, & dum futurus antistes exspe-

---

g Conc. Tolet. act 3. cap 21. *h* C. *Conquerenti. de offic jud. ord.*
i Concil. Trid sess 24. c. 10. *k* Concil. Compost. act. 3. c. 42.
* Forte: *exigendi.* *l* Conc. Later c. 6. *Sicut olim.* *m* Conc. Toletan. act. 3. c. 28. *n* Dist. 28. c. *annis*, & c. *decernimus.* *o* Conc. Later. c. 7. *p* Conc. Trident. sess. 24. c. 10. sess 22. c. 1. sess. 13. cap. 1.

exſpectatur, oblivioni (ut hactenus factum eſt) decreta ipſa tradantur; præcipit ſancta Synodus, ut is, qui in capitulo, ſede vacante, in quavis Eccleſia pro tempore præſidet, teneatur intra menſem à die quo in ejus notitiam venerint, hujus Concilii, atque etiam ſuperioris Limenſis, decreta omnia in Cathedrali templo, atque in aliis diœceſis, prout ei videbitur, Eccleſiis ſolenniter publicare, incurſurus, ſi neglexerit facere, ſententiam excommunicationis ipſo facto. Cæteri verò de capitulo, ſi ei in prædicta publicatione obſtare præſumpſerint, eo ipſo Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Porrò Metropolitanus totius hujus Synodi exempla correcta & authentica ad ſuffraganeas Eccleſias, quarum ſedes ſcit ad præſens vacare, quumprimùm poterit, commodè tranſmittenda curabit.

Placent ne vobis, Reverendiſſimi Patres, hæc decreta?

Omnes reſponderunt: Placent.

POſt Reverendiſſimorum Chilenſium de Concilii facultate diſceſſum, illuſtri admodùm Chriſtophoro Ramirez de Cartagena, qui poſt Pro-Regis obitum, quòd eſſet antiquiſſimus ex Regii Senatus Conſiliariis, Synodo ſemper adfuerat, curante & agente, propter cauſſas rationi valdè conſentaneas; viſum eſt Synodo Provinciali ultimam manum eſſe imponendam. Et quoniam controverſiæ quædam adhuc reſtabant, quæ non poterant ita citò finiri, his expediendis à Concilio deputati ſunt judices commiſſarii, juxta Tridentinum decretum, Reverendiſſimi Tucumanenſis, & Platenſis, & del Rio de la Plata *Epiſcopi. Quinta verò, eademque ultima Actio, decreta eſt in diem Sancti Lucæ Euangeliſtæ ſacram, quæ fuit Octobris decima octava: in qua ſolenni proceſſione præmiſſa, ac Pontificaliter celebrante Reverendiſſimo Platenſi Epiſcopo, & concionem habente admodùm Reverendo Patre Joſepho Acoſta Societatis Jeſu, ejuſdem quintæ atque ultimæ Actionis decreta recitata ſunt.*

ACTIO QUINTA

Celebrata in Eccleſia Cathedrali civitatis Regum, die 18. *Octobris, anno MDLXXXIII.*

CAPUT I.

Declaratio quorundam capitum ſuperioris Synodi.

QUIA in ſecunda hujus Synodi Actione decrevimus, Limenſe ſuperius Concilium denuò publicari, atque ab omnibus integrè ſervari debere; ne ex quibuſdam illius capitulis errandi ſumeretur occaſio, viſum eſt mentem hujus Synodi in his quæ meritò poſſent ingerere ſcrupulum, explicare. De iis igitur quæ contra hæreticos, aut hæreſim ſapientes, ſtatuta ſunt in eadem Synodo, cùm nondum Apoſtolici inquiſitores huc miſſi eſſent; declaramus ad ſacræ Inquiſitionis tribunal (quod Fidei Catholicæ validiſſimum propugnaculum eſt, atque in his remotiſſimis regionibus ſummopere neceſſarium) omnem eam providentiam ſecundùm edicta Apoſtolica [g] penitùs pertinere. Porrò quæ de exſtirpanda coca, ſeu vitandis in ea excolenda Indorum incommodis, ibidem expoſita ſunt; Catholicam Majeſtatem oramus, ut cognitâ de iis Patrum ſententiâ, quid factu optimum ſit, atque ex re maximè Indorum, pro ſingulari ſua prudentia, & Fidei Chriſtianæ ardore conſtituat.

CAPUT II.

De ſummario ſuperioris Concilii.

PRÆTEREA ne in tranſcribendis ac perlegendis tam multis ſuperioris prædictæ Synodi [r] paginis, parochi, cæteriſque graventur, quibus ex præcepto hujus Synodi neceſſitas penes ſe illam tenendi incumbit; placuit, ſummarium omnium conſtitutionum inibi contentarum fieri, quod à deputatis à nobis factum, atque à Reverendiſſimo Metropolitano approbatum, omnibus noſtræ provinciæ Eccleſiis communicetur. Hoc ergo ſummarium ſic factum & approbatum quicumque habuerit, præcepto de tenenda ipſa Synodo, ſe abundè ſatisfeciſſe, hac noſtra declaratione cognoſcat.

CAPUT III.

De confeſſionario.

EODEM modo confeſſionarium pro utilitate Indorum ad pœnitentiæ ſacramentum venientium conficiendum, & lingua Cuzquenſi, atque Aymaraycâ donandum, juxta hujus Synodi deputationem, ab eodem Reverendiſſimo Metropolitano approbetur; & ſic approbatum ex auctoritate hujus Synodi, omnibus Indorum parochis cum catechiſmo tradatur, ut illo, prout expedire viderint, utantur ſacramenti pœnitentiæ miniſtri. [ſ]

CA-

[g] In ſeſſ. 2. c. 115. & 117. [r] Act. 2. c. 2. & act. 4. cap. 24. [ſ] Conc. Limen. 2 ſeſſ. 3. c. 56.

CAPUT IV.

Ut Indi politicè vivere inſtituantur.

CUM vita Chriſtiana & divina quam fides Euangelica docet, exigat naturali ratione, atque homine non indignam vivendi conſuetudinem; cumque ſecundùm Apoſtolum[t], priùs quod animale ſit, deinde quod ſpirituale; illud vehementer parochis omnibus, cæteriſque ad quos Indorum cura ſpectat, commendandum duximus, ut imprimis dent operam ſedulam, ut ferinis atque agreſtibus moribus depoſitis, humanis ac politicis inſtitutis Indi aſſuefiant. Cujus generis ſunt, ut ad templa non ſordidi atque incompoſiti, ſed loti, & pexi, & mundi veniant: ut fœminæ caput velamine aliquo, juxta Paulli Apoſtoli [u] inſtitutionem, tegant: ut domi menſas cibo, lectos ſomno capiendo adhibeant: ut domus ipſæ non caulas pecudum, ſed hominum habitationem, ordine, munditia, decore referant; ac ſi quæ ſunt alia ejuſmodi, quæ ſanè non violento & moleſto imperio, ſed paterna potiùs cura & gravitate peragantur.

CAPUT V.

De cultus divini cura.

POSTREMO quoniam Indorum nationem externis cæremoniis, & divini cultus ſplendore ad ſummi Dei cognitionem & venerationem ſupra modum allici compertum eſt; curent ſtudioſè Epiſcopi, ac pro ſuo modo etiam parochi, ut quidquid ad divinum cultum pertinet, diligenter, & quanto fieri poterit decore peragatur. Atque in iis muſicæ etiam ſtudium, tum in cantoribus inſtituendis, tum in muſicis fiſtularum, cæterorumque inſtrumentorum adhibendis, nullo modo prætermittant. Hæc verò eo ordine & modo, atque in iis locis ſtatuant Epiſcopi, quibus ad Dei gloriam, & animarum ſpirituale auxilium opportunum exiſtimaverint.

[t] 1. Corinth. 15. [u] 1. Corinth. 5.

CAPUT VI.

OMNIA autem & ſingula hujus Provincialis Concilii decreta, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ cenſuræ & correctioni ſint ſubjecta.

Placent vobis, Reverendiſſimi Patres, hæc decreta?

Omnes reſponderunt: Placent.

Quibus omnibus cæteriſque ex uſu Romanę Eccleſiæ abſolutis, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus clara voce pronunciavit: Reverendiſſimi Patres, & magnifici Procuratores, finitum eſt Concilium, ite in pace. Atque ita Synodo benedixit, & Deo actis gratiis, diſceſſum eſt.

His Actionibus Concilii Provincialis Limenſis interfuêre, & diffinientes ſubſcripſerunt ſequentes Reverendiſſimi.

IN prima quidem Actione interfuerunt Illuſtriſſimus Toribius Archiepiſcopus de los Reyes.

Reverendiſſimus Fr. Antonius Epiſcopus Imperialis.

Sebaſtianus Epiſcopus Cuzquenſis.

Fr. Didacus Epiſcopus Sancti Jacobi Chilenſis.

Fr. Alphonſus Epiſcopus del Rio de la Plata.

In ſecunda, & tertia Actione interfuerunt, & diffinientes ſubſcripſerunt:

Toribius Archiepiſcopus de los Reyes.

Fr. Antonius Epiſcopus Imperialis.

Sebaſtianus Epiſcopus Cuzquenſis.

Fr. Didacus Epiſcopus Sancti Jacobi Chilenſis.

Fr, Franciſcus Epiſcopus Tucumanenſis.

Alphonſus Epiſcopus Platenſis.

Fr. Alphonſus Epiſcopus del Rio de la Plata.

In quarta Actione interfuerunt, & diffinientes ſubſcripſerunt præfati omnes Reverendiſſimi, præter Sebaſtianum Epiſcopum Cuzquenſem, jam tunc vitâ functum.

In quinta, & ultima Actione interfuerunt, & diffinientes ſubſcripſerunt iidem qui in proxima, præter Fr. Antonium Epiſcopum Imperialis, & Fr. Didacum Epiſcopum Sancti Jacobi Chilenſis, qui de facultate Concilii ad ſuas Eccleſias diſceſſerunt: his etiam Actionibus ſubſcripſerunt Secretarii Concilii ipſius Provincialis.

EPISTOLA

R. P. JOSEPHI A COSTA SOC. JESU THEOLOGI

De isto Concilio Provinciali Limensi, ad Illustrissimum D. Ferdinandum à Vega Regii Senatus Indici Præsidem.

SEMPER quidem, Illustris. Domine, Provincialia Concilia ab Ecclesia sancta magni æstimata sunt; sed tunc maximè celebrata, & plurimi usûs habita, quum religio Christiana in quavis provincia novas radices agere inciperet: quòd intelligerent sancti Patres, majores nostri, ad mores componendos, ad disciplinam Ecclesiasticam penitùs inducendam, ad comprimendas denique veteris superstitionis reliquias, & vitæ liberioris licentiam coërcendam, opus esse conventu multorum Præsulum, qui sapientiâ, auctoritateque suæ novæ provinciæ formam maximè congruentem constituerent. Id ita habere facilè perspiciet qui Gallicana & Germanica Concilia tempore Caroli & Ludovici Imperatorum celebrata evolverit. Toletana prima tempore Gotthorum, Germanica quoque superiorum temporum, cùm Ecclesiarum apud gentes illas fundamenta jacerentur. Itaque majorum instituta auctoritatemque sequuti qui Catholicæ invictissimi Regis Philippi Majestati in isto Senatu fuêre à consiliis, cùm de rebus Indicis optimè stabiliendis agerent, illud imprimis curandum censuêre, ut in novis Indiarum Ecclesiis Provinciales conventus agerentur. Ubi de instructione Indorum, de Ecclesiastica disciplina retinenda, de populi emendandis moribus, pro ratione temporum ac regionum, quàm fieri posset accuratissimè decerneretur. Idque Regiis literis atque edictis ad Episcopos & Pro-reges Indiarum sæpè, atque ardenter est actum; ac tandem aliquando perfectum. Atque in aliis quidem Metropolitanis Ecclesiis Synodi Provinciales celebratæ sunt, Limam verò, hoc est, in Regiam civitatem, ex Peruviano regno cum suo Metropolitano Episcopi octo convenêre, quorum ut sunt diœceses amplæ, & valdè disjunctæ, ita non potuit esse aut exiguus labor, aut impensæ mediocres. Verùm caussâ ita meritò postulante, neque laboribus, neque tempori parcendum fuit. Nam quòd rarò posse contingere congregationes suas Episcopi in tam vastis regionibus animadverterent, tunc operam sibi omnem adhibendam existimârunt, per biennium propemodum laborantes, adjumentum quoque præbentibus viris in illa regione literis, & experientia, & religione præstantibus. Itaque post diù multumque agitatas varias causas, edita sunt decreta maximè opportuna, omnium penè sapientium calculis probata, demum promulgata,

atque

atque exhibita. Sed ut eſt ubique morum reformatio ingrata, à quibuſdam de clero tumultuatum eſt, querelæ adversùs Epiſcopos propoſitę, appellationes demum interpoſitæ. Concilii ipſa decreta in iſto Regio Senatu, cui præes, eorundem operâ diu ac diligenter inſpecta, nihil inventum quod aut civili adminiſtrationi eſſet oppoſitum, aut à Chriſtiana & Eccleſiaſtica cura alienum. Tantùm cenſuræ frequentiores, atque interdum rigidæ, viſæ fuerunt tantiſper temperandæ, ne nimius zelus potiùs pietati obeſſet. Quare Rege noſtro piiſſimo ex tua, iſtiuſque collegii ſententia ſic ſtatuente, Conciliũ ipſum Romam delatum eſt, atque adeò à Sanctiſſimo Domino noſtro Xyſto V. poſtulatum, ut & comprobaretur, & aliqua ex parte corrigeretur. Itaque auctoritate ſummi Pontificis in Congregatione præclariſſima Cardinalium Conciliorum cauſſis cognoſcendis deputatorum, lecta & tractata ſunt decreta omnia hujus Provincialis Synodi, ubi etiam appellatores auditi, & tota res diligenter acta. Denique paucis quibuſdam aut declaratis, aut immutatis, Conciliũ ipſum probatum eſt, ac præclarè commendatum, atque ut modis omnibus obſervetur, ab illa graviſſima Congregatione præceptum. Sed ut conſtaret Romæ à tantis Patribus auctoritate Pontificis maximi ita fuiſſe decretum, ut à Catholico Rege noſtro poſtulatum fuerat, rurſus Regio iſti Senatui re præſentavimus Concilium ipſum authenticum, quod tibi, vir clariſſime, collegiſque tuis ita placuit, ut, quamvis reclamante adhuc appellatorum parte, novo decreto ſtatuerit Peruvianis Præſulibus, atque Pro-regi de illius accurata obſervatione ſcribendum; & ut omnibus eſſet copia, ſtatim typis mandandum. Faxit Deus, ut quæ tanto labore parata, tanto etiam conſilio proviſa ſunt, pari diligentia ac ſtudio ſuſcipiantur atque obſerventur. Rectè enim Paullus monet, nihil prodeſſe legem, niſi illam obſerves: quin potiùs gravioris judicii reos conſtituere omnes, qui agnoſcunt quidem agenda, ſed agere prætermittunt. Tuam verò amplitudinem pro iſtius loci dignitate adniti decet, ut quæ ad illarum regionum ſalutem bene ac maturè deliberata ſunt, diligenter atque integrè exſecutioni tradantur. Vale, Matriti nono Kalendas Majas. Anno MDLXXXIX. Rom. 2.

Hæc de veteri illo, & originali exemplari Limenſis archivi, ejuſque binis tranſumptis authenticis. Nunc verò de recentiore Sac. Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum cenſura temperato, & Xyſti V. Pontificis auctoritate approbato, atque Philippi II. Catholici Regis deſiderio juſſuque Matriti impreſſo, & ejuſdem Regis edicto de eodem Concilio exſecutioni à ſuis in Peruvia miniſtris mandando. Sed priuſquam ad hæc deſcendamus, videndum eſt, quid in eodem veteri emendatum, correctum, vel mutatum ſit, & in novo aliter exhibitum ex eodem impreſſo Matritenſi, iiſdem verbis quibus impreſſa ſunt, exponendum.

De iis quę in hoc Concilio Provinciali à ſacra Congregatione Cardinalium auctoritate ſummi Pontificis detracta, aut emendata ſunt.

NEMO Catholicus dubitat, ad Romanum, eundemque ſummum Pontificē pertinere Acta, ac decreta Provincialium Synodorum recognoſcere, atque ubi opus fuerit, emendare. Nam pro ſuprema in Eccleſia Dei auctoritate, quam à Chriſto Domino accepit, Spiritûs ſancti luce etiam copioſiore illuſtratur, ut quæ videnda ſunt videat: cujus cenſuram, approbationemque, aut correctionem, non modò ſancti Patres, Eccleſiarum lumina, Athanaſius, Auguſtinus, Hieronymus, cæterique tales; verùm Concilia ipſa Provincialia, & ſtudioſiſſimè flagitârunt, & fideliſſimè acceperunt. Quo exemplo in hoc Concilio Peruviano à ſacra Congregatione Cardinalium, juſſu ſanctiſſimi Patris Xyſti V. nonnulla mutata, emendataque ſunt. Ex quibus quę ſunt præcipua ſubjiciam.

Imprimis cenſurę quędam in quibus excommunicatio ipſo facto ferebatur, quòd videretur pœna rigidior, vel prorſus ſublatæ ſunt, vel in pœnas alias mitiores commutatæ. Nam quæ in Actione ſecunda cap. 23. ferebatur adversùs fœminas cooperto vultu vias publicas inambulantes, ſive de feneſtris proſpicientes, dum proceſſiones ſupplicationesvè fiunt, omnino ſublata eſt.

Deinde quæ in Actione tertia cap. 9. adversùs clericum ſine literis dimiſſoriis ex una diœceſi in aliam commeantem, commutata eſt in pœnam pecuniariam arbitrio Epiſcopi.

Itemque in eadem Actione, & capite eodem, adversùs vicarios, & proviſores, & judices Eccleſiaſticos admittentes clericum ex aliena diœceſi, etiam ad celebrandum, ſine literis dimiſſoriis, eodem modo commutata eſt in pœnam pecuniariam arbitrio Epiſcopi.

Preterea in eadem tertia Actione, cap. 17. adversùs clericum aleis, aut chartis pictis, aut alteri jure prohibito ludo vacantem, ferebatur ſententia excommunicationis ipſo facto, dummodo pretium duorum aureorum excederet in ludendo. id temperatum eſt, ut pœnam excommunicationis clericus non incurrat, niſi ſummam excedentem quinquaginta aureos luſerit.

In eadem Actione cap. 17. ferebatur adversùs clericum, qui fœminam equitando ducit à tergo, aut ambulando manu tenet, aut comitatur. Itemque in ipſas fœminas tali miniſterio clericorum utentes. Mutata eſt in pœnam arbitrariam Epiſcopo. Quin etiam quod decretum habebat, etiam ſi mater eſſet, aut ſoror, non eſſe fœminam à clerico comitandam; quia nimium id viſum eſt, correctum eſt, ut exceptio potiùs fiat, *niſi mater, aut ſoror ſit*. Æquum enim cenſuerunt eſſe Patres graviſſimi, ut matri, aut ſorori poſſit clericus ejuſmodi obſequium impendere.

Cap. 21. Actionis ejuſdem ferebatur excommunicatio in clericum conducentem decimas per ſe, vel per interpoſitam perſonam: hęc prorſus ſublata eſt. Quin potiùs quoniam doctores nobiles ſentiunt non eſſe contra jus canonicum decimas Eccleſiarum à clericis conduci, decretum ipſum ita emendatum eſt, ut ſolùm habeat, leges ſacras, quæ prohibent clericos conductores fieri, eſſe ad unguem obſervandas: nulla de decimarum conductione nova prohibitione facta.

Præter cenſuras jam dictas, etiam moderari placuit quod in ſecunda Actione cap. 20. decretum erat, ut nullus ordinaretur ad titulum domicilii jurati, niſi per triennium integrum verè & realiter commoratus ſit in ea diœceſi: cujus loco poſitum eſt: *neminem ſub prætextu domicilii eſſe ordinandum, niſi illud legitimè, quemadmodum Jus ſtatuit, contractum fuerit*.

In capite etiam ſeptimo Actionis tertiæ habebatur, in cauſſis criminalibus clericorum neque fiſcalem, neque notarium laïcum eſſe admittendum, ſed in ſacris ordinibus conſtitutos eſſe debere qui iis officiis fungerentur. Id totum auferre placuit, quòd non uſque adeò juri conſentaneum viſum eſt.

Capite 16. Actionis quartæ, cùm ageretur de parochia non ſuſcipienda ſine Epiſcopi collatione, etiam à regularibus, additum erat, regulares præter Ordinarii facultatem, curam gerere parochiæ nullatenus jura permittere, & matrimonia ab iis copulata eſſe irrita & invalida, niſi Apoſtolico privilegio fulcirentur: quod tamen nullum eſſe Epiſcopi judicabant. Hoc totum detrahendum ſacra Congregatio cenſuit, quòd noluerit de privilegiis Sedis Apoſtolicæ, quæ ſe regulares habere contendunt, definitam ferri ſententiam. Quare cauſſam hanc inter Ordinarios & regulares pro neutra parte definitam reliquit: quod ſanè prudentiâ ſuâ, non ad alicujus omnino regularium inſtantiam, egerunt Illuſtriſſimi Cardinales.

Sunt etiam nonnullæ pœnæ pecuniariæ de quibuſdam locis detractæ, quòd non videretur cauſſa uſque adeò urgens, neque ipſa frequentia multæ pecuniariæ valdè eſſet uſitata in canonicis decretis. Hæc itaque, & alia minutiora non erit opus indicare.

De iis quæ Concilio addita ſunt ab eadem ſacra Congregatione.

IN Actione prima profeſſio Fidei poſita erat juxta Concilium Compoſtellanum Salmanticæ celebratum. Viſum eſt ſacræ Congregationi, potiùs ponendam eſſe, vel addendam eam formam profeſſionis, quam Pius IV. indicit in Conſtitutione edita anno MDLXIV. cujus initium eſt: *Injunctum nobis*. Tum quòd ea forma commodior ſit & plenior, tum quòd Apoſtolicæ & Romanæ ſedis, ſicut fidem omnes ubique Eccleſias ſequi oportet, ita profeſſionis formam præferre deceat.

Actione tertia cap. 33. ubi de ſanctimonialium

lium bonis agitur, ad finem totius decreti addidit Congregatio: *Quòd ſi ex redditibus monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſynis tantum ſuppetat monialibus, ut ad ipſum victum, fabricam Eccleſiæ, aliaſque neceſſitates commodè ſufficiat, minimè licet alias recipere, pactâ certâ eleemoſyna pro dote: Secus ſi monialium numerus augeatur.* Cur id addiderit, in promptu eſt, quòd ſimoniacum judicaverit, pro ingreſſu monaſterii de bonis paciſci: tantumque id eleemoſynæ accipere tutum ſit, ubi monaſterium indiget.

In quinta, eademque ultima Actione, breve capitulum in fine addidit Congregatio in hæc verba: *Omnia autem & ſingula hujus Provincialis Concilii decreta ſanctæ Sedis Apoſtolicæ cenſuræ & correctioni ſint ſubjecta.* Nam quod Archiepiſcopus atque Epiſcopi Comprovinciales per ſuas literas Sanctiſſimo Domino noſtro ſignificârunt de ſua reverentia & ſubjectione fideliſſima erga Sedem Apoſtolicam, id quoque aliquo decreto in ipſo Concilio teſtandum fuit; quemadmodum ſolent Synodi, non ſolùm Provinciales, ſed etiam Generales, atque Oecumenicæ, ſummi Pontificis approbationem confirmationemque poſculare.

De iis quæ reclamante appellatorum parte, à ſacra Congregatione Cardinalium, ex auctoritate ſummi Pontificis, in hoc Concilio rata habita, confirmataque ſunt.

QUAMVIS aliquot excommunicationis latæ cenſuras, ſacræ Congregationi removere placuerit, ut eſt ſuprà oſtenſum, non tamen omnes quæ in hoc Concilio Provinciali decretę ſunt. Quin potiùs maturâ tractatione diſcuſſas, nonnullas relinquendas ut erant, atque approbandas judicavit; quòd eſſent cauſſæ magni ponderis, ob quas ferrentur. In quo genere ſunt tres præcipuæ: Primum Actione ſecunda cap. 41. in eos qui parochiam Indorũ ſine aſſenſu ſui Antiſtitis deſerunt, aut antè diſcedunt, quàm ſucceſſoribus rerum Eccleſiaſticarum ſuę curæ commiſſarum rationes reddant. Hujus cenſuræ ratio idonea ſtatim redditur in ipſo textu Concilii. *Nam & fraudes* (inquit) *in rebus Eccleſiæ non tolerandę fiunt, & Chriſti oves facilè deſertæ pereunt.* Utrumque damnum crebrò datum in illis tam vaſtis regionibus Præſules diuturnâ experientiâ abundè didicerunt.

In Actione quarta cap. 3. in viſitatores proceſſus aliquos occultantes, aut iniqua colluſione cum viſitatis eorum crimina diſſimulantes, aut ad Ordinarium prędictas cauſſas non integrè tranſmittentes. Sciunt experti illarum regionum, viſitatorum ſæpè cupiditate & fraudibus viſitationes non parum fuiſſe corruptas: unde remedii nihil rebus Eccleſiaſticis allatum ſit, quin potiùs damni plurimum datum. Quam viſitationis canonicæ perniciem amovere cupiens Synodus; ſtatuit à viſitatoribus cauſſas criminales parochorum cognoſci quidem, ſed definitivam Epiſcopis reſervari. Ne verò aut proceſſus occultarentur, aut corruptè tranſigerentur, excommunicationis latę ſententiam intentandam cenſuit, idque ſacrę Congregationi etiam placuit.

Sed inter omnes hujus Concilii cenſuras illa præcipua eſt, quæ in Actione tertia cap. 4. & 5. lata eſt in clericos mercaturæ operam dantes. Tum etiam in parochos Indorum, qui per ſe, vel etiam iuterpoſitam perſonam quamcumque cum quibuſvis Indis mercaturam exercere pręſumunt, aut etiam pecora alere, aut agros colere, aut vehendis mercibus animalia tenere vel locare, aut ipſos Indos ad mineralia ſibi curanda mittere, vel eorum operam locare; denique vel cum ipſis Indis negotiari, vel cum aliis per ipſos. Hoc ſanè decreto graviter plerique parochorum offenſi ſunt, atque ob hoc maximè appellârunt, & quantum licuit, ut tolleretur, egerunt: quòd videretur certè durum & acerbum, atque clericorum fortunis iniquum, tum etiam conſcientiis periculoſum; cùm ſit id tam uſitatum in illis locis, ut nihil magis. Verùm ut hęc cenſura præ omnibus una gravior fuit, ita hac dempta, cætera omnia in hoc Concilio Provinciali proviſa nullius penè eſſe pretii & uſûs, omnes rectè ſapientes cenſuêre. Igitur cauſſa hęc, parte appellatorum inſtante, in Regio Senatu Indico diligenter diſcuſſa eſt. Sed cùm conſtaret Regiis edictis etiam cautum eſſe, ut parochorum negotiationibus, quòd eſſent Eccleſię Indicanę certa pernicies, Epiſcopi omnibus modis occurrerent, rectè eſſe poſitam cenſuram Senatus judicavit. Invictiſſimus quoque atque Catholicus Rex Philippus per Legatum ſuum, ſive Oratorem Romæ agentem, Pontifici maximo ſuggerendum putavit, ut cenſura quæ in parochos Indorum negotiantes lata fuerat à Synodo Provinciali, nullo modo tolleretur, quin potiùs Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmaretur. Romę poſt multam controverſiam, atque utriuſque partis allegationes auditas, tandem eſt definitum, decretum Concilii cum ſua cenſura manere debere. Inducta eſt ſacra Congregatio in eam ſententiam iiſdem rationibus quibus Epiſcopi impulſi ſunt. Primùm, quòd negotiationes parochorum magno ſcandalo Indis, atque Euangelio ipſi graviſſimo impedimento ſint. Quòd putent Indi religionem Chriſtianam eſſe venalem, & nihil aliud Euangelii miniſtros, quàm quæſtum agere. Deinde præter modum occupantur & detinentur Indi in iis temporalibus ſacerdotum lucris, & multum ſæpè graviterque vexantur. Tertio, vitia primorum inter Indos quos illic *Caciques* aut *Curacas* vocant, facilè diſſimulantur, adulteria inquam, ebrietates, ſuperſtitiones, idololatriæ, dum ad hæc parochi connivent, ut ad ſua lucra operam Indorum promptam habeant. Quarto, ipſi ſacerdotes in iis occupati, ſæpè confeſſiones majorum, etiam ægrotantium, baptiſmum parvulorum, catecheſin, cæteraque officia prætermittunt, aut negligenter exercent. Quinto, iniquæ fraudes hac occaſione nectuntur, dum Indi ſuis parochis obſequium præſta-

re

re volentes, merces aut emunt, aut distrahunt, quoquo pretio parochis libet. Denique tota res sordida est, & Christi ministro indignissima, dum parœciæ non ob aliud ambiuntur atque curantur, quàm ut mercibus & lucro augeantur clerici. Quæ profectò omnia sic se habere, nemo dubitabit, qui sit rerum Indicarum vel tenuiter peritus. Quare omnium sapientium vox fuit, nihil in Concilio proficere posse Patres, nisi negotiationem à neophytorum præpositis omnibus modis excluderent. Et pœnas quidem pecuniarias ad id nihil prodesse, longâ experientiâ compertum est, cùm fuerint superioribus Synodis satis magnæ propositæ. Visitationes quoque in ea re parum, vel nihil potiùs efficere certum est, quòd vel occultentur, vel dissimulentur, vel certè non emendentur negotiatorum crimina. Ergo unum illud remedium restare visum est, si idem esset & reus & judex futurus sui, quod in excommunicationis latæ sententiæ pœna fit. Neque admodùm timendum est, ne irregulares parochi fiant: aut enim censuram timentes abstinebunt (quod plerique facient) aut si nec sic quidem abstinuerint, se & apud Deum & apud homines nihil aliud quàm mammonæ servos declarabunt. Neque verò censenda est tanta acerbitas hujus decreti, si recolas à Gelasio I. ob similem negotiationis culpam clericos deponi jussos, ut constat 88. dist. cap. *Consequens*. & Alexandro III. anathemate percuti clericum aut monachum, mercaturam aut negotiationem ejusmodi exercentem, cap. 2. *Institutæ.* extrav. *Ne clerici vel monachi*. Nam quòd quidam inopiam prætexunt, apertus est dolus, cùm parœciæ Indicanæ habeant redditus, non solùm sufficientes, sed etiam copiosos. Nihil etiam aliud quærunt qui ista prætexunt, quàm brevi ad eas opes pervenire, quibus aucti, & Indorum curam abjiciant, & ad suos locupletes revertantur. Adhibita est nihilominus à Congregatione illa moderatio, ut possit parochus victui necessaria pecora alere. Id enim nullo modo negotiationis nomine debet intelligi.

Relictæ quoque sunt quædam aliæ censuræ, sed quæ vix quicquam curæ afferant, quòd in eas rarus sit qui incidere soleat.

Postremò, Actionis secundæ decretum ultimum de Collegio Seminario instituendo, & de contributione facienda, reclamante quoque appellatorum procuratore, confirmatum est; propterea quòd Concilii Tridentini institutum nusquam æquè necessarium sit, atque in novis Indorum Ecclesiis, quæ ministrorum & numero & facultate magnopere indigent.

APTATAM per hunc modum formam Actionum hujus Concilii Provincialis Limensis Apostolica Sedes approbavit, & Philippus Rex gratissimam ac desideratissimam prælo tradi jussit, & perpetuæ exsecutioni, de quibus exstant in ipsa impressione Regis jussu facta, quæ hic sequuntur documenta.

Testimonium Secretarii sacræ Congregationis Illustrissimorum Interpretum S. Concilii Tridentini, de approbatione Concilii Provincialis Limensis ab eadem S. Congregatione emendati & aptati ex auctoritate Sanctissimi.

DE mandato Illustrissimi & Reverendissimi domini Cardinalis Carafa, fidem facio, & attestor Ego Laurentius Frizolius, Synodum Provincialem à Reverendissimo Archiepiscopo civitatis Regum cum suis Comprovincialibus Episcopis, anno Domini MDLXXXIII. celebratam, à sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando, auctoritate Sanctissimi domini nostri præpositorum, emendatam atque aptatam fuisse: ejusque Synodi originale apud ipsam Congregationem remansisse, cum quo præsens Synodus hoc libro chartarum unius & sexaginta, quarum prima incipit: En la villa de Madrid. *ultima verò incipit*: Su nombre, *& desinit*: Gabriel Lopez de Cesar Notarius. Locus ✠ signi; *descripta & collata in omnibus & per omnia concordat. In quorum fidem hæc propriâ manu scripsi, & subscripsi. Sigillumque quo in literis Congregationis prædictæ obsignandis utor, apposui. Romæ die ultima Octobris MDLXXXVIII.*

Ego Laurentius Frizolius S. Cong. antedictæ Secretarius, de mandato, manu propria.

EPISTOLA

ILLUSTRISS.

A. CARD. CARAFÆ

Ad Archiepiscopum, de eodem.

Domino Archiepiscopo civitatis Regum.

REverendissime domine uti frater. Synodum Provincialē ab Amplitudine tua isthic anno MDLXXXIII. celebratam, & ad sanctissimum Dominum nostrum postea missam, Illustrissimi Cardinales Concilio Tridentino interpretando præpositi, ex suo munere, ejusque Sanctitatis jussu diligenter perlegerunt, ex eaque Amplitudinis tuæ pietatem, & quod inde elucet, in Catholicam religionem & sanctam Sedem Apostolicam studium perspexerunt. Nunc Synodum prædictam ad Amplitudinem tuam remittunt, ubi visum fuit, emendatam atque aptatam, ut eo modo quo illam acceperit, edendam, & pro istorum populorum salute, atque Ecclesiasticæ disciplinæ conservatione omnino curet observandam. Si quid autem erit, in quo Congregationis summa erga eam voluntas in spirituali administratione istius provinciæ latissimo locorum

rum intervallo à nobis disjunctæ, charitate autem conjunctissimæ, ad unum into esse possit, sciat Amplitudo tua, se ejus operâ summa cum fiducia uti posse. Quod si fecerit, intelliget, quò membra ista sunt à capite remotiora, eò nos semper fore ad ea fovenda paratiores. Et nisi nobis tua in isto pastorali officio prudentia & assiduitas satis perspecta esset, istum tibi novum gregem multâ curâ indigentem, pluribus verbis commendaremus; quod tamen brevi facimus, non quia opus esse existemus, sed ut nostrum erga recentes istos veræ fidei & religionis alumnos studium & charitatem ostendamus. Quod superest, Deo gratias agimus, qui voluerit in istas regiones regnum & nomen suum post multa sæcula propagari: eumque suppliciter rogamus, ut pergat istas nationes quotidie magis divinæ lucis suæ radiis illustrare. Amplitudinique tuæ vires subministret, quibus sibi imposito gravi quidem & laborioso oneri sustinendo sufficere possit, omniaque illi insuper prospera concedere, gratiæque suæ donis eam cumulare dignetur. Romæ die vicesimo sexto Octobris MDLXXXVIII.

Amplitudinis tuæ Reverendissimæ

Uti frater studiosus,

A. Card. Carafa.

EDICTUM

REGIUM EXECUTORIALE

CONCILII PROVINCIALIS LIMENSIS.

REX.

MI Pro-rex, Præsidentes, & Auditores mearum audientiarum Regiarum in provinciis Peruviæ, & mei Gubernatores, & Prætores districtuum dictarum audientiarum, cuilibet in sua jurisdictione. Concilium Provinciale, quod juxta decretum Concilii Tridentini celebratum est in civitate Regum istarum provinciarum, anno jam præterito MDLXXXIII. in quo diversa decreta sancita sunt, quæ ad reformationem cleri ac statûs Ecclesiastici, institutionem Indorum, administrationemque sacramentorum pertinent, in Archiepiscopatu dictæ civitatis Regum, & in ipsius Episcopatibus suffraganeis, visum est in meo Senatu Indiarum, & meo jussu latum est, ut præsentetur coram sua Sanctitate, ut ipsum videri & approbari juberet: & postquam suæ Sanctitati allatum fuit, bene ipsi placuit ipsum approbare & confirmare, præcipiendo quòd dicta decreta dicti Concilii mandarentur exsecutioni in forma & modo quæ percipietis ex originalibus & exemplaribus, quæ meo jussu in mea curia impressa sunt. Quæ omnia denuò visa sunt in dicto meo Senatu, & ad illas provincias deferuntur. Et quandoquidem dictum Concilium & ejus decreta tam prudenti examine facta & ordinata sint, & sua Sanctitas jubeat, quòd compleantur, & exsecutioni mandentur; ego vobis omnibus, & vestrûm singulis mando, ut dictum est, quòd ut sic fiat, detis ac dari faciatis omnem favorem & auxilium quæ conveniant, & necessaria sint: & quòd contra id nec ullam ejus partem modo ullo eatis vel transgrediamini. Et injungo admodùm Reverendo in Christo Patri Archiepiscopo dictæ civitatis Regum, & Reverendissimis in Christo Patribus Episcopis ipsius suffraganeis, comprehensis in dicto Concilio Provinciali, quòd de novo faciant publicari in suis Ecclesiis, quisque in suo districtu, decreta dicti Concilii, & compleant, & compleri inviolabiliter faciant quod in illis dispositum & ordinatum est, ut in ipsis continetur, & Sanctitas sua ordinat & mandat, absque ullius rei alteratione vel mutatione. Actum in S. Laurentii 18. Septembris anni MDXCI.

EGO REX.

De mandato Regis D. N.

Joannes de Ybarra.

ADMONITIO.

HIC exhibendum erat edictum primum generale B. Toribii Alphonsi Mogrovexi, in Concilio Provinciali expeditum pro uniformi modo procedendi in judiciis per totam provinciam Limensem. Sed cùm id minus ad disciplinam Ecclesiasticam spectet, & alibi sæpè omiserimus, hîc missa facimus, in aliis editionibus à curiosis legenda.

De fulminandarum censurarum forma & modo.

IN civitate Regum, tertia die Augusti MDLXXXIII. sacrum Concilium Provinciale in ea legitimè congregatum, in aula suæ congregationis edixit, quòd quandoquidem sacra Synodus Tridentina moneat, & mandet, ut in concedendis & promulgandis censuris peculiaris adhibeatur cura propter periculum animarum; statuendo ne dentur pro rebus levibus, & ut abstineatur ab illis, quando per aliam viam obtineri poterit effectus per partes: propterea viso & considerato, quòd dictæ censuræ concederentur sine consideratione levibus de causis, & pro parva rerum quantitate, mandabat & mandavit, quòd hinc in posterum in hoc Archiepiscopatu & Episcopatibus illi suffraganeis uniformiter procedatur, concedendo censurarum chartas quando excusari non poterunt, & pro ea pesorum quantitate, quæ Episcopo ad id sufficere videbitur, & quòd in illis expediendis observetur ordo & tenor qui sequitur.

Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.

Nos N. omnibus & quibuslibet personis, ad quas hæc nostra charta superiùs contenta pertinet, vel pertinere spectat, aut ullo modo pertinere poterit, ac præsertim incolis & habitatoribus talis partis hujus diœcesis, salutem & gratiam.

tiam. Noveritis quòd coram nobis comparuerit N. incola talis partis, & per petitionem nobis dicendo retulerit, quod neſciat quæ vel quales perſonę cum parvo timore Dei, & in præjudicium propriarum conſcientiarum, à tot retro diebus acceperunt, & ſuſtulerunt ipſi ex tali loco &c. (*hîc exprimatur totum.*) Super quæ petiit à nobis præſentem chartam cenſuræ generalis circa dictum negotium. Et viſa per nos ipſius petitione, & juramento à dicto N. recepto, quòd contentum in ipſius petitione erat verum, & quòd neſciat quomodo poſſit plenè vel ſemiplenè probari, quę vel quales perſonę eſſent de ſupradictis onerandæ, attento quòd etiam juraverit juſtitiam ſæcularem nullam deſuper ſumpſiſſe informationem; habendo etiam conſiderationem qualitatis dicti N. & quantitatis quam ſibi deeſſe dicit, & aliarum circumſtantiarum, quas decretum Concilii Generalis Tridentini celebrati, quod de hoc loquitur, arbitrio noſtro & prudentiæ remittit; nobis viſum eſt, quòd debeamus dare has noſtras cenſuras. Quapropter monemus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis majoris præcipimus, quòd intra ſex dies ab ejus publicatione, quę fiet uno die Dominico, vel alio feſtivo, quæ obſervabitur in Eccleſia N. ſub Miſſa majori, quos dictos dies vobis damus, & aſſignamus pro tribus terminis, & canonicis monitionibus, & termino peremptorio, qui ſupradicti, vel partis illius obnoxii eſtis, illud reſtituatis, vel qui ſcitis, vidiſtis, vel audîſtis, quòd aliqua perſona, vel perſonæ in ſupradicto toto, vel in parte ejus obnoxiæ ſint, id manifeſtetis coram notario vel ſcriba, qui pro parte dicti N. nominatus fuerit. Cui dicto ſcribæ vel notario precipimus dare dicto N. declarationes, quę coram ipſo fient, in earum capite ponendo hanc noſtram chartam. Et vos qui contumaces fueritis, citamus & vocamus ad ultimum diem dicti termini ad videndum dari cõtra vos noſtras chartas cenſurarum, magis aggravantes ſecundùm juſtitiam: pro quo toto aſſignamus vobis aulam noſtrę audientiæ. In cujus rei teſtimonium dari precipimus, & damus præſentem nomine noſtro ſubſcriptam, & noſtro ſigillo munitam, & infraſcripti notarii manu ſignatam. Datum &c.

Nos N. &c. vobis parochis, clericis, ſacriſtanis, & perſonis Eccleſiaſticis & religioſis noſtri Epiſcopatus, & ſpecialiter loci, ſeu partis N. Noveritis, quod ad petitionem N. incolę dicti loci nos juſſimus dari, ac dedimus chartam generalem cenſurarum, precedentibus ſolennitatibus, quas ſacrum Concilium Tridentinum requirit ad diſcernendum & fulminandum dictas cenſuras contra perſonas, quę cum parvo timore Dei, & ſuarum conſcientiarum, acceperunt & abſtulerunt ipſi hoc & hoc. Et quoniam poſt prædictam noſtram chartam generalem admonuimus, & precipimus ſub pœna excommunicationis majoris, quòd intra ſex dies ab ejus publicatione ejuſmodi perſonę reſtituerent & redderent dicto N. res ſupradictas, vel coram notario, vel ſcriba per dictum N. nominando eas manifeſtarent, ut latiùs in dicta noſtra charta generali cenſurarum continetur; propter quam, & ejus publicationem, ac teſtimonium ejus lectionis apparet, quòd fuerit publicata in parochia & Eccleſia iſtius oppidi, & in termino in ipſa contento, & nulla perſona comparuerit ad manifeſtandum, nec ad reſtituendum ſupradicta. Quo conſiderato pro parte dicti N. à nobis petitum fuit, ut ejuſmodi perſonas excommunicatas declararemus. Præcipimus ergo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis vobis parochis, vel perſonis Eccleſiaſticis, ut illas pro excommunicatis habeatis & teneatis, & publicetis in veſtris Eccleſiis diebus Dominicis, & feſtivè ſervandis, quas nos pro talibus habemus, tenemus, ac declaramus, conſideratâ ipſarum contumaciâ, & rebellione: & ſcientes quænam ſint, illas non abſolvatis nec pro abſolutis habeatis, nec admittatis ad divina officia, niſi ſatisfacta priùs parte, & niſi ipſe mereantur beneficium abſolutionis circa negotium jam dictum.

Et ſi caſu (quod Deus dominus noſter nec velit, nec permittat) dicti excommunicati intra alios ſex dies poſt publicationem hujus noſtræ chartæ declaratoriæ, tamquam Satanæ membra, magno animarum ſuarum & conſcientiarum periculo permittant ſe jacere & pergere in dicta ſententia excommunicationis; quandoquidem creſcente contumacia debet etiam creſcere pœna, regravando contra tales noſtras chartas, & cenſuras dictæ petitionis in forma ſupradicta, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis majoris dictis perſonis Eccleſiaſticis, quòd habeatis & teneatis dictos contumaces incurriſſe in dictas cenſuras, & illos denuncietis, & publicè denunciari faciatis pro excommunicatis & anathematizatis, tenendo in manibus candelas accenſas, & cruce pullis velatâ, dicendo Pſalmum: *Deus laudem meam ne tacueris*. pulſando campanas, illas extinguatis in aqua, dicendo quod ſic moriantur eorum animæ in inferis: & omnes qui ibi interfuerint, dicant: Amen; maledicti ſint hujuſmodi excommunicati à Deo domino noſtro, & à Sancta Maria ſua benedicta matre, & ab omnibus Sanctis, Amen. Et maledicta ſint panis, vinum, & carnes, quæ comederint, vel biberint, veſtis quam induerint, & terra quam calcaverint, & conſumpti, & deſtructi ſint ſupra faciem terræ, ſicut Dathan & Abiron, filii eorum mendicent de porta in portam, & non inveniant qui benefaciat eis. Et non habeatis illos pro abſolutis, nec ceſſetis à ſic faciendo, uſque dum mereantur beneficium abſolutionis, & veniant ad obedientiam ſanctæ Matris Eccleſiæ, cum commonitione, quæ ipſis fit. Et ſi (quod Deus avertat) ipſi obſtinati fuerint, & perſeveraverint in dicta excommunicatione & ſententia anathematis per ſpatium unius anni, poſtquam in illam incurrerint; erunt ſuſpecti hæreſis, ad hoc, ut tanquam tales reos dicti criminis poſſit procedi contra illos, ſi quando probatum fuerit ipſos eſſe, qui incurrerunt

Seſſ. 25. cap. 3. de reform.

dictam

dictam ſententiam excommunicationis majoris, ſecundûm, & quomodo determinatum eſt per decretum Concilii Generalis c Tridentini celebrati. In cujus fidem dari præcipimus, & damus præſentem &c.

T. Archiepiſcopus Regum.
Fr. Anton. Epiſc. Imperialis.
Sebaſtian. Epiſc. Cuzquenſis.
Epiſcopus Platenſis.
Fr. Didacus Epiſc. S. Jacobi Chilenſis.
Franc. Epiſc. Tucumanenſis.
Fr. Alphonſ. Epiſc. Fluminis Argenti.

De mandato ſac. Concilii,

Doctor Valcazar Secretarius
Licentiatus Menacho Secret.

EDICTUM TERTIUM.

De uniformi ritu intimandi, & pari modo procedendi in viſitationibus Eccleſiaſticis in tota provincia Limenſi, & regno Peruviæ.

IN civitate Regum, ſeptimo die menſis Auguſti anni MDLXXXIII. ſacrum Concilium d Provinciale in ea legitimè congregatum, exiſtens in aula ſuæ ſolitæ congregationis, dixit, quòd ad evitandum aliquas inconvenientias, quæ reſultare ſolent ex eo, quòd diverſa edicta in diverſis Epiſcopatibus legantur; præcipiebat, & præcipit, quòd poſthac deinceps tam in hoc Archiepiſcopatu, quàm in reliquis omnibus Epiſcopatibus hujus provinciæ & regni Peruviæ, Prælati & ipſorum viſitatores procedant unâ eâdemque formâ, & legant, ac publicent unum, & idipſum edictum, & chartam generalem vitiorum & peccatorum publicorum, quod abſque augmento, vel diminutione debet eſſe tenoris ſequentis.

Nos D. N. gratiâ Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos N. &c. Salutem & gratiam vobis incolis & habitatoribus, exiſtentibus & habitantibus in hac dicta civitate. Jam noveritis, & nôſſe debetis, quòd ſancti Patres à Spiritu ſancto illuminati, in ſuis ſacris Conciliis ſanctè & juſtè ordinaverint, quòd omnes Prælati & Paſtores Eccleſiæ per ſe, ſeu, legitimè impediti, per ſuos miniſtros, unuſquiſque debeat ſingulis annis facere generalem inquiſitionem, ſeu ſolennem viſitationem, aut ſcrutinium de vita & moribus omnium ſuorum ſubditorum, tam clericorum, quàm laïcorum, & de ſtatu Eccleſiarum, & hoſpitalium, & reliquorum locorum & rerum divino cultui dedicatarum; quod ad Eccleſiaſticam utilitatem, & ſpiritualem ſalutem animarum inſtitutum eſt. Et quoniam profectus Eccleſiarum, & piarum rerum in eo conſiſtit, quòd illis de bonis miniſtris proviſum ſit; ſalus item animarum in eo, quòd exiſtant in gratia & charitate, & longè alieni & remoti à vitiis & peccatis, præſertim à publicis & notoriis, quibus non ſolùm Deus ac dominus noſter offenditur, ſed etiam Reſpublica turbatur & ſcandalizatur, cùm unus alteri ſuo malo exemplo peccandi occaſionem exhibeat. Quapropter publica peccata ſunt, & haberi debent pro magis gravibus, ac majoris periculi & damni, majoriſque detrimenti illius Prælati, qui ea diſſimulat, & non adhibet ſuam debitam diligentiam in eiſdem corrigendis. Hinc, tum ad exonerandum noſtram conſcientiam, tum ad profectum, & ſpiritualem ſalutem animarum, & conſcientiarum veſtrarum, vos hortamur, monemus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis majoris vobis, trina canonica monitione præmiſſa, præcipimus, quòd quicumque veſtrûm quicquam ſciverint infraſcriptorum, vel aliorum quorumlibet publicorum vitiorum, vel peccatorum, quorum correctio, vel caſtigatio ad nos pertineat; compareatis ad dicendum, denunciandum, & manifeſtandum coram nobis intra novem dies, quos vobis aſſignamus pro tribus terminis, & ultimũ pro peremptorio, juxta formam juris, admonendo, quod tranſacto dicto termino cum omni rigore procedetur contra contumaces.

Imprimis ſi ſciveritis, quòd parochi, Beneficiarii, ſacellani, ſacriſtæ, & reliquę perſonę Eccleſiaſticæ ſuis officiis benè fungantur, & cum honeſtate, decentia, & diligentia convenienti: vel an ſint negligentes, præſertim in adminiſtratione ſacramentorum, aut ipſorum culpâ quiſquam ſine ſacramentis deceſſerit.

Item ſi dicti clerici negligentes ſint in dicendo Miſſas ſuę cappellanię, ſeu anniverſaria, vel memorias, ab aliquo defuncto fundata.

Item an dicti clerici omiſerint aliqua ſacra votiva, vel teſtamento ipſis commendata.

Item an aliquis clericus acceperit ordines, vel Beneficium, aut cappellaniam per pecuniam promiſſam, ſeu pactam, vel alio illicito medio, etiam per tertiam perſonam.

Item an ejuſmodi clerici admiſerint ad horas, vel officia divina, vel ſepulturam Eccleſiaſticam aliquam perſonam, quæ fuiſſet excommunicata, vel non obſervâſſet interdictum Eccleſiaſticum.

Item an aliquis clericus, dum eſſet excommunicatus, ſuſpenſus, vel irregularis, celebraverit officium divinum.

Item ſi aliquis clericus celebraverit in aliqua Eccleſia, vel alio loco interdicto, ſine obſervato ordine juris, vel celebraverit in Eccleſia violata.

Item an aliquis clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, inceſſerit ſine habitu vel veſte decenti, vel non raſis barba & capillis, aut ſine manifeſta corona clericali: vel ſi die noctuve armatus inceſſerit armis offenſivis, vel defenſivis, vel

c Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform.

d Vide act. 4. Concil. Provinc. anno MDLXXXIII. cap 2.

vel ſæcularibus, aut inhoneſtis veſtibus indutus; vel an id in more habeat: & an ambulaverit pulſando aliquod inſtrumentum muſicum, vel cantando, vel exercuerit aliud quicquam clericali ſuo habitu non permiſſum.

Item ſi aliquis clericus ſit ſcandaloſus, turbulentus, litigioſus, luſor, vel exerceri luſum ſuæ domi permittat, vel qui mercimoniis, & contractibus more ſecularium utatur, aut negligat pacem & concordiam inter ſuos parochianos procurare.

Item ſi quis clericus ſponſalibus vel matrimonio junxerit aliquas perſonas, non præmiſſis monitionibus à Jure & decretis ſac. Concilii [e] Tridentini requiſitis, vel ſi ſe teſtem adhibuerit ſponſalibus, vel matrimoniis clandeſtinis.

Item ſi quis eorum ante auroram diei, vel extra Eccleſiam, in qua ſponſi parochiales ſunt, dederit benedictiones nuptiales, quas *velationes* vocant, abſque licentia id faciendi.

Item ſi ſciant quòd aliquis clericus malè tractaverit Indos, compellendo ipſos ad aliquid ad quod non tenebantur, vel aliter quomodocumque; aut ipſis invitis ad ſervitia & commoda ſua utendo, non dato ipſis præmio laboris, & præſtiti ſervitii.

Item ſi perſona quæcumque uſurpaverit, vel occultaverit bona, ſcripturas, ceſſiones, vel jura ad dictas Eccleſias, vel pia loca hujus Epiſcopatus pertinentia, vel alienaverit rem ullam ad eaſdem ſpectantem.

Item ſi facti ſint conventus ſæcularium, maximè ad comeſſandum, in dictis Eccleſiis, aut aliis piis locis; vel ſi in eis, aut earum cœmeteriis exercuerint choreas, ludos, vel res inhoneſtas: vel ſi aliqua vis illata ſit, violando eorum libertatem, ex eis auferendo aliquem refugam, vel bona ſub eorundem locorum cuſtodiam depoſita: vel ſi ſacrilegium aliquod in eis commiſſum fuerit, vel violata fuerint; vel manus violentæ in clericum, vel aliquam perſonam Eccleſiaſticam injectæ ſint.

Item ſi ſciant quòd aliquæ perſonæ non ſolverint decimas vel primitias, quas debebant, vel alteri cuiquam conſuluërint non ſolvere integras; vel quòd occultaverint, & non manifeſtaverint decimas quas debebant, vel tractaverint de componendo cum decimariis, ad finem pendendi minus, quàm quod Eccleſia præcipit.

Item ſi noverint quòd aliqua perſona teneat pecunias, vel bona clericorum in negotiatione, ſocietate, confidentiâ, vel aliâ viâ, ut ipſis dent lucrum, vel clerici ipſis vendiderint pecora, vel alias res fictè vel confidentialiter propter timorem pœnæ, vel prohibitionis, quæ ſuper his exſtant.

Item ſi aliqua perſona, vel perſonæ quæ ſint clerici, fratres, vel ſanctimoniales, obſtrictæ alicui ordini, & religioni, incedant in habitu diverſo ab illo quem geſtare debent, occultando ordinem & ſtatum quem profeſſi ſunt.

Item ſi aliqua perſona facit fieri Miſſas in ſua domo, præter ordinem quem ſervari juſſit ſac. Concilium Tridentinum [d].

Præcipimus inſuper, ut omnes clerici in prima tonſura & minoribus ordinibus conſtituti, præſentent coram nobis intra dictum terminum ſuos titulos, ſeu literas teſtimoniales, ad hoc ut videantur, & examinentur, & obſervetur decretum ſac. Concilii Tridentini [e], ut poſſint gaudere privilegio fori.

Item ſi aliquæ perſonę matrimonio conjunctæ, & velatę non ducant vitam maritalem, & ſint ſeparati abſque auctoritate Eccleſiæ, vel ſi ſecundas nuptias inierint vivente priori uxore, vel è contrà.

Item ſi aliqua perſona ſit publicè concubinaria.

Item ſi aliqua dixerit alteri, ne toties confiteatur, vel eam reprehenderit, quòd id tam crebrò faciat.

Item ſi aliqua perſona habuerit copulam carnalem cum fœmina infideli, & illam ad hunc finem baptizari curaverit; vel ſi hujuſmodi copulam carnalem habuerit cum aliqua conſanguinea in gradu prohibito.

Item ſi ſciant quòd aliqua perſona quidpiam acceperit ex navibus naufragis, quod ſub excommunicatione Apoſtolica [f] prohibetur,

Item quòd quicumque habeant reliquias, eaſdem coram nobis manifeſtent, ut videantur & examinentur.

Item ſi quis habeat mappas, cultros, tapetes, vel alia ſuppellectilia domeſtica cum imaginibus Domini noſtri, vel Dominæ noſtræ, ſeu Sanctorum.

Item ſi perſona, ſeu perſonæ pro teſtamentariis nominatæ, neglexerint complere vel exſequi teſtamenta, eo modo quo exſequenda ſunt, præſertim quoad legata, & opera pia in illis contenta.

Item ſi aliqua perſona dixerit, quòd habeat revelationem à Deo, vel ſpiritu ſuo, de illis quæ facit, vel dicit, vel facere debeat.

Item ſi ſciant quòd aliquæ perſonæ diſcrepent, vel non ſe conforment communi vitæ Chriſtianæ aliorum ejuſdem ſtatus.

Item ſi aliqua perſona ſub ſpecie orationis vel contemplationis rapitur, vel tranſportatur, ita ut monſtret, vel appareat eſſe extra ſe.

Item ſi ulla perſona, non aſſumpto ſtatu religionis ab Eccleſia approbatæ, præſtiterit obedientiam aliquibus perſonis particularibus, etiamſi ſint religioſæ.

Item ſi aliqua perſona, vel perſonæ, ſint ſortilegæ, veneficæ, ſtriges, vel quæ utantur quibuſvis aliis ſuperſtitionibus, vel ſint conjuratores nubium, vel tempeſtatum, vel ſi per aquam, labrum, ictum cubiti, vel alium modum veneficum manifeſtent cogitationes vel voluntates aliorum, vel quæ faciunt ligaturas per pſalmos, verba, vel ſigna, ſeu nomina non approbata.

Item ſi quæ perſonę utantur amuletis, vulgò

nomi-

[e] Trid ſeſſ 24. c. 1. de refor matr. [d] Trid. ſeſſ. 22. de celebr. Miſſ. [e] Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 4. [f] In Bulla Cœnæ.

nominas, in eis recondendo ſcripturas verborum vel nominum incognitorum, vel quæ per verba curent infantes à faſcinatione, vel aliis quibuſvis infirmitatibus, maximè à rabie, vel quæ ſplenem, vel ſerpentulum ſcindunt, vel faciunt alias ſuperſtitiones, aut credunt auguriis, divinationibus, aut libris ſortium.

Item ſi quis blaſphemaverit Deum dominum noſtrum, vel ipſius Sanctos, dicendo *peſſe*, vel, *por vida*, vel qui ſit perjurus, aut juramentis aſſuetus, aut ſoleat violare feſta ab Eccleſia ſervari præcepta, vel qui in eis Miſſas negligere notatus ſit.

Item ſi quis non ſit confeſſus, vel omiſerit alia ſacramenta quando ea ſuſcipere tenebatur; vel hanc negligentiam in aliquot annos protraxerit, vel in excommunicatione ſorduerit per longum tempus.

Item qui horum criminum infamati ſint, vel domi ſuæ teneant perſonas eorundem ſuſpectas, vel utantur intermediis, lenonibus, vel receptatoribus.

Item ſi ſciant aliquam perſonam, vel perſonas eſſe uſurarias, fœneratores, vel quæ ſponſione pluris vendant quàm res ipſa juſto pretio valeat, vel quæ dant pecora, vel alias res, ut ipſis poſt tantum tempus reddantur tales, & tam bonę, ejuſdem ętatis; vel quę anticipatò emunt panem, vinum, oleum, laminas auri, vel argenti, aut alias res, illas accipiendo cariori pretio, quàm eas valere ſperatur, & eaſdem emptoribus venundant majori pretio, antequam ipſis tradantur, propterea quòd ſponſione vendant, vel ob dilatum tempus ſolutionis; vel quę faciant alios contractus illicitos uſuræ palliatæ, vel ſic emant minori pretio.

Item ſi aliqui in Quadrageſima, vel diebus ab Eccleſia vetitis comedunt carnes ſine neceſſitate & licentia medici corporalis & ſpiritualis ad id faciendum.

Item ſi aliqui matrimonio copulati non agunt vitam maritalem: vel ſi poſt contracta ſponſalia priuſquam velentur ſimul cohabitant, & ſe mutuò tractant, & communicant ac ſi eſſent jam velati.

Item ſi aliqui permaneant in malo ſtatu, vel in peccato mortali ad offenſionem Domini noſtri, & ſcandalum proximorum.

Item ſi ſciant quòd aliqua fœmina uſa ſit ſuperſtitioſis potionibus ad abortum procurandum, vel conſuluërit aliis, ut ad eum effectum id faciant.

Item ſi ſciant quòd aliqua perſona præſtiterit falſum juramentum in judicio ad damnum proximi, & proprię conſcientię, vel alios ad id faciendum induxerit.

Item ſi ſciant quòd aliqua perſona interturbet, vel impedire prætendat quòd Indi, Nigri, & Mulati, ſuo ſervitio mancipati contrahant matrimonium, aut ſi conjuncti ſint, ne ducant vitam maritalem.

Item ſi ſciant quòd aliqua perſona ſit juncta matrimonio in Hiſpania, vel in aliis partibus diſtantibus ab hoc regno, & in eo per multum tempus reſideat, non procurando ducere vitam maritalem juxta ſuam obligationem.

Et quę noveritis, vel ab aliis audieritis dici de hujuſmodi defectibus & peccatis publicis ſuprà declaratis, vel aliis, quorum correctio & caſtigatio ad nos pertinet; denuncietis, & manifeſtetis coram nobis intra dictum terminum. Et qui contra hoc inobedientes fueritis, & non manifeſtaveritis, ex nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc, ad inſtantiam promotoris fiſcalis, vos denunciamus & declaramus publicè excommunicatos. Et pręcipimus clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, quòd pro talibus vos habeant ac teneant, & non admittant ad horas, vel divina officia, non viſâ noſtrâ chartâ abſolutionis in hac materia. Dat. &c.

T. Archiepiſcopus Regum.
Fr. Anton. Epiſc. Imperialis.
Sebaſt. Epiſc. Cuzquenſis.
Alphonſ. Epiſc. Platenſis.
Fr. Didacus Epiſc. S. Jacobi Chilenſis.
Fr. Franciſc. Epiſc. Tucumanenſis.
Fr. Alphonſ. Epiſc. Fluminis Argenti.

Ex mandato ſac. Concilii,

Doctor Valcazar Secretarius.
Licentiatus Menacho Secretarius.

BEATI TORIBII MOGROVEXI ARCHIEPISCOPI LIMANI

Catechiſmus minor, & major, in Synodo Provinciali Limenſi anno Domini MDLXXXIII. approbatus.

Sacra Synodus omnibus fidelibus huius ſuæ provinciæ ſalutem in Domino ſempiternam.

CHRISTIANÆ religionis myſteria tam alta ſunt, & adeò brevis & infirma humanæ mentis intentio, ut quemadmodum homines ſine interiori Fidei lumine, quam Deus deſuper infundit, illa credere non poſſunt, nec aſſequi quod expedit ut ſalventur; ſic etiam ſtudio & induſtriâ opus habent ut percipiant, & ſequantur ea, quę exteriori ſermone ipſis prędicantur, & facienda proponuntur. Quapropter Spiritus ſanctus, cujus proprium eſt illuſtrare animas, Eccleſię ſuę ſanctę providit non tantùm Apoſtolos & Euangeliſtas, ſed etiam doctores, & Paſtores, quorum officium eſt ita dirigere veritates quas Deus nobis per Prophetas ſuos revelavit, ut qui ad gratiam Chriſtianæ legis vocati ſunt, illas percipiant, firmiterque tenere perſuadeantur. Et quamquam in omni loco Prælati, tamquam qui Chriſti gregis paſtores ſunt, huic curæ, ut ſui muneris prędipuæ, adſtringantur, ut legem Dei declarent; multò tamen amplior, ac magis peculiaris in his regionibus eorum obligatio eſt, in quibus Deo placuit Indorum tenera virgulta in Eccleſiæ ſuæ agro plantare. Qui, tum quoniam omnino novellæ in Fide plantationes ſunt, tum quia tardiores ingenii, & in rebus ſpiritualibus minus exercitati; indigent proinde ſummopere, ut ii à quibus inſtruuntur, bono modo, & ſingulari induſtria, quâ fieri poſſit, ipſos juvent, ita ut dexteritas & ſolertia magiſtri tarditatem ruditatemque ſuperet auditorum, quatenus condignas efforment ſpecies tam arcanarum rerum, quàm ſunt eæ quas noſtra ſancta Fides illis proponit; cùm, ut Sanctus Clemens Papa ex ore principis Apoſtolorum nos docet, de minori re hîc non agatur, quàm de ipſorum æterna ſalute: unde ſubdit: *Oportet eum qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, ut pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſet aptare, & verbi ordinem pro audientium capacitate dirigere. Debet ergo ipſe præcipuè apprimè eſſe eruditus & doctus.* Sed quoniam ejuſmodi ſufficientia magna ex parte in ſacerdotum multis deſideratur qui in Indis inſtruendis occupantur; & quoniam, tametſi omnes eâ prędiți forent, fieri tamen non poſſet, ut eodem & uniformi modo doctrina ab omnibus traderetur, quæ magni momenti res ſemper viſa eſt; ideo à ſancti zeli gravibus perſonis percupitum eſt, ut ſuppeteret Catechiſmus, ſeu ſumma doctrinę Chriſtianę, quæ tum eis deſerviret, qui Indos inſtruunt, ut faciliùs ſciant quid eos docere conveniat, ne (ut ſępè contigit) ſe in minoris momenti rebus detineant; tum etiam ut Indi ipſi uniformitatem in omnibus inveniendo, non habeant occaſionem ſuſpicandi diverſam eſſe legem, & Euangelium quod plures prædicarent: quemadmodum pro parvo ſuo captu plures eorum imaginati ſunt, & inter ſe diſcurrebant. Hæc res tanti eſt, ut clarum ſit eam unam inter majores, & magis compertas cauſſas fuiſſe, ob quam tanto temporis decurſu tam parum in Fide profeciſſent, quòd non ſervatus fuerit inter docendum ordo, nec ea conformitas, quam ipſorum naturalis conditio requirebat. Propterea in Concilio Provinciali prędterito, quod in hac civitate Regum celebratum fuit, actum eſt de formando hoc Catechiſmo, tanquam re ſummi momenti: ſed propter alia gravia negotia deſideratum effectum non obtinuit. Et modo per multarum diuturnæ experientiæ perſonarum, ac diverſarum Eccleſiarum libellos inſtantiſſimè ſupplicatum eſt, ut prędens hęc ſacra Synodus Provincialis huic incumberet negotio; quod non minorem requirit auctoritatem, ut omnibus univerſim abſque contradictione acceptum ſit. Propter has rationes, & quoniam res eſt conformis decreto ſacri Concilii Tridentini de doctrina; hæc Synodus Provincialis maturo conſenſu deſignavit aliquas perſonas doctas, religioſas, & expertas, qui componant Catechiſmum generalem pro omnibus his provinciis, ipſos onerando, quòd quoad ſubſtantiam & ordinem, quantum poſſent, ſequerentur Catechiſmum ſanctæ memoriæ Pii V. quoad modum autem & ſtylum, ſtuderent ſe accommodare ad majorem profectum Indorum,

ſicut

ſicut per eundem Catechiſmum ſummi Pontificis animadverſum eſt. Et ut hæc doctrina Chriſti facilis ipſis ſit & familiaris, quemadmodum Deus in lege [h] ſua præcepit, viſum eſt expedire, ut per interrogationes & reſponſa ſcriberetur, ut eo meliùs percipi, & memoriæ faciliùs mandari poſſit. Atque pueri, majoreſque, quod ſic perceperunt, in Eccleſia deinde congregati, & dum ad ſuas operas aliaſque occupationes perrexerint, inter ſe recitent, quemadmodum in quibuſdam partibus multi boni Indiani magno ſuo profectu faciunt. Et quoniam non omnes æquè habiles ſunt, vel æquè tenacis memoriæ; ſtatuitur, ut pro rudioribus fiat unus Catechiſmus minor, & alter major pro magis capacibus: ita tamen, ut nec brevitatis cauſsâ deſit ſufficientia doctrinæ, nec ut magis extenſus clarior ſit, ſua prolixitate fiat oneroſus. Cumque ad hunc finem ex multis tum impreſſis, tum ſcriptis manu Catechiſmis collecta ſint quæ magis expedire videbantur, & poſt multam conferentiam & examinationem ab hoc ſacro Concilio probata ſint, juſſumque ut publicentur, & in tota hac provincia in uſum reducerentur, ut ex decreto noſtro apparet [i]; jam reſtat ut quod per nos tam ſalubriter proviſum eſt, cum zelo non minori ad exſecutionem debitam perducatur. Quandoquidem in hoc opere Domini tam qui ſeminat, quàm qui metit, à ſua divina & liberali manu gaudium & præmium omnes reportabunt.

Hæc exhibebantur Catechiſmus minor & major, in hac Synodo Provinciali Limenſi approbati. At cùm ii ſeorſum editi, omnium ferè manibus terantur; & videri poſſint in utraque editione huic præcedenti, Matritenſi ſcilicet & Romana, nullâ, aut levi jacturâ hîc omittendos judicamus, legendos ibi.

PRIVILEGIA

Indis per Pontifices Romanos conceſſa,

Et ex decreto ſacri Concilii Provincialis huc inſerenda.

PRivilegia Indorum, quæ hîc ſequuntur, ego in Actis reperi cum decreto ſacri Concilii, quo jubentur ad Catechiſmi calcem collocari. Quapropter, ne huic parti deeſſe videremur, eadem, quanquam partim nunc extra uſum, quia non perpetua, ſed ex ea parte temporanea fuerunt, omnia producere, adjuncto decreto ipſo, viſum eſt. FRANC. ANT. MONTALVO.

De obſervatione feſtorum.

PAULLUS III.

QUòd Indi non ſint obligati ad alia feſta colenda, quàm ad ea quæ numerantur ſuperiùs Act. 4. Concilii Provincialis præcedentis, cap. 9. *Ex Concilio Limano II. ſeſſ. 3. cap. 90.*

De jejuniis.

PAULLUS III.

NEque ad jejunandum, præterquam in diebus Veneris Quadrageſimæ, ſabbatho ſancto, & vigilia Nativitatis Domini. *Ex Concil. Liman. II. cap. 91.*

Permittit etiam ipſis in Quadrageſima & aliis diebus jejunii comedere omnis generis cibos conceſſos illis qui habent Bullam Cruciatæ. *Concil. Lim. II. ſeſſ. 3. cap. 9.*

De gradibus conſanguinitatis.

PAULLUS III.

COncedit hujus novi orbis Indis, ut intra tertium & quartum conſanguinitatis gradum poſſint contrahere matrimonia. *Concil. Lim. II. ſeſſ. 3. cap. 69. & ex Manuali Mexicano fol. 34.*

Diſpenſatio in iiſdem.

GREGORIUS XIII.

COncedit cum Indis diſpenſari poſſe ad ineundas nuptias intra quoſcumque gradus non prohibitos jure divino. Et ſi jam contraxerint, cùm id ſcienter, & prèviâ impedimenti notitiâ fecerint, ut denuò contrahant ejuſmodi matrimonium, illa diſpenſatio in foro exteriori fieri debet auctoritate Ordinarii, & unius è Societate Jeſu. Et hoc privilegium valebat uſque ad annum MDXCVII. Et in foro interiori ſufficit facultas unius ex dicta Societate: & eſt privilegium perpetuum. *Ex literis Apoſtolicis anni MDLXXVII. die 17. Julii datis.*

Quæ uxor ex pluribus retinenda.

PIUS V.

COncedit, quòd Indi ad Fidem converſi, qui in ſua infidelitate plures habebant uxores, eam pro legitima retineant, & cum ea contrahant, quæ ſimul cum ipſis ad Fidem converſa & baptizata fuerit, quamvis non fuerit prima uxor earum adhuc viventium, quas in infidelitate duxerint; & quòd ejuſmodi matrimonium abſque ullo ſcrupulo habeatur pro legitimo. *Ex litt. Apoſt. MDLXXI. die 2. Auguſti. In archivo Eccleſiæ civitatis Regum.*

De

[h] Deuter. 6.

[i] Act. 2. cap. 3. Concil. III.

De temporibus nuptiarum.

PIUS IV.

AD inſtantiam Regis Catholici concedit Indis, ut quocumque anni tempore velari poſſint, & nuptialem benedictionem accipere, dummodo ſolennis pompæ apparatum illis temporibus non exhibuerint, in quibus prohibitæ ſunt ejuſmodi velationes. Valet ad annos viginti quinque, id eſt, uſque ad diem 12. Auguſti anni MDLXXXVII. *Ex Manuali Mexicano fol. 7. & litt. Apoſt. in fine Summæ ſacrament. Barthol. Ledeſmæ.*

Abſolutio caſuum Pontifici reſervatorum.

PAULLUS III.

QUòd Indi per ipſorum parochos, vel eos qui ipſorum curam agunt, poſſint abſolvi ab omnibus caſibus, etiam ſummo Pontifici reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, impoſita eis pœnitentia ſalutari, *Ex Manuali Mexic. fol. 134.*

Libertas ab interdicto.

PIUS IV.

AD inſtantiam Regis Catholici concedit Indis, ne teneantur ullum interdictum ſervare, niſi ipſi dederint ei cauſſam, vel ſpecialiter interdicti ſint. Valet per annos triginta, hoc eſt, uſque ad 12. Aug. anno MDXCII. *Ex Concil. Lim. II. ſeſſ. 3. cap. 92. & Manual. Mex. fol. 138.*

Abſolutio à reſervatis Epiſcopo.

CONCIL. LIMENSE III.

EX indulto Concilii Provincialis civitatis Regum conceditur omnibus parochis & confeſſariis Indorum, ut eos abſolvere poſſint ab omnibus caſibus Epiſcopis reſervatis. *Ex Concil. Lim. III. Act. 2. cap 17.*

Indulgentiæ ſine prævia confeſſione.

PIUS IV.

AD inſtantiam Regis Catholici concedit Indis, ut poſſint lucrari indulgentias & jubilæa, quæ requirunt confeſſionem, communionem, & jejunium; dummodo ſervato jejunio, ſi non habent copiam confeſſarii, ſaltem conterantur cum firmo propoſito confitendi quamprimùm poterunt, vel ad minus intra unum menſem. *Ex Concil. Lim. II. ſeſſ. 3. cap. 94. & Manuali Mexicano fol. 182.*

Uſus balſami Indici in chriſmate.

PIUS V.

CONCEDIT Epiſcopis Indiarum, ut ad conficiendum ſacrum chriſma, poſſint uti liquore, quem ibi vocant balſamum, quamvis non ſit verum balſamum. *Ex authentico dato primo Epiſcopo Tucumanenſi. Ex archivo Eccleſiæ civitatis Regum.*

Diſpenſatio in numero miniſtrorum chriſmatis.

PIUS IV.

AD inſtantiam Regis Catholici id ipſum de balſamo conceditur, quod per Breve Pii V. conceſſum dicitur. Et ulteriùs, quòd chriſma conſecrari poſſit cum numero miniſtrorum qui reperitur, quamvis non ſint tot, quot jura requirant. *Ex litt. Apoſt. in fine Summæ ſacrament. Barthol. Ledeſmæ.*

Diſpenſatio irregularitatum.

PIUS V.

CONCEDIT Indorum Epiſcopis, ut cum quibuſvis perſonis in Indiis exiſtentibus diſpenſent in irregularitate ex quocumque delicto contracta, dummodo non fuerit ex homicidio voluntario extra bellum commiſſo, vel ſimoniâ. Ita ut qui ſic ab ejuſmodi delictis abſoluti fuerint, & in irregularitatibus diſpenſati, teneantur implere pœnitentiam per confeſſarium ab Ordinario approbatum ipſis imponendam. Et ſi eam non compleverint, ejuſmodi abſolutio & diſpenſatio, quoad forum conſcientiæ, ſit nulla, & nullius effectûs. *Ex litt. Apoſt. anni MDLXXI. die 4. Auguſti. In archivo Eccleſiæ civitatis Regum.*

Diſpenſatio illegitimorum ad ordines.

GREGORIUS XIII.

CONCEDIT, quòd filii illegitimi Hiſpanorum & Indarum, vel Hiſpanarum, qui in Indiis vivunt, poſſint initiari omnibus ordinibus, & excipere confeſſiones, & prædicare verbum Dei; modò bene calleant linguam Indorum, & habeant qualitates per Concilium Tridentinum præſcriptas. Circa quæ onerantur Epiſcoporum conſcientiæ; non obſtante defectu natalium, vel alio quocumque defectu, qui non ſit homicidii voluntarii, vel bigamiæ. *Ex litt. Apoſt. datis 25. Januarii MDLXXVI.*

EXHOR-

EXHORTATIONES AD MORIBUNDOS,

Auctoritate Concilii Provincialis editæ.

ACT. II. Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. per Sedem Apoſtolicam approbati, cap. 29. decretum eſt, ut iis qui è vita decedunt, parochi aſſiſtant, ac morientes excitent & cohortentur: atque præſertim Indis, quos exhortentur exhortatione ab eadem Synodo evulgata. Ut igitur iis parochis, quibus promptum erit hujuſmodi decretū obligationis, non deſit ipſa adhortatio, per quam obligationi ſat isfacere poſſint, eā hîc adnectere Catechiſmo viſum eſt. Ut quemadmodū vivis & vegetis per Catechiſmū datur animæ alimentū, ita infirmi & moribundi præter ſacramenta habeant documenta, per quę ad ipſa ſacramenta, & omne moriendi negotium, cæterorū omniū hujus vitæ maximè neceſſariū, & inter omnia maximi momenti, dignè diſponantur. Patres autem in Synodo, quemadmodum Catechiſmum ipſum ætate vel ſenſu parvulis alium, & alium provectioribus inſtituerunt, ſic aliam breviorem exhortationem præſcripſerunt iis, quibus, ut morti proximis, nec tempus, nec occaſio, nec fortè ſenſus, & attentio ad plura ſuppeterent, aliam ampliorem iis infirmis, qui nondum eò extremitatis redacti ſunt, quin animæ ſuæ ſimul ac domui providere poſſint. Nos utramque hic damus cum authentico teſtimonio approbationis ejus per Patres Concilii, ut hîc ſequitur. FRANC. ANTON. MONTALVO.

EXHORTATIO BREVIS

Ad Indos in mortis articulo conſtitutos.

FRATER mi, Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit cum anima tua, & eam ſalvet in hac hora à tuis inimicis. Nunc tempus eſt, ut recorderis Dei, & illum invoces in corde tuo, ut te juvet. Jam vides, quòd parentes & amici tui non poſſint te à morte liberare; nec tibi proſunt nunc res hujus mundi. Propterea attende Deo tuo, & ipſum invoca toto corde tuo, ut te adjuvet: quia ille eſt verus pater tuus, & factor tuus, & vult te ſalvare, & aſſumere ad illam vitam cœleſtem, ubi habebis æternam requiem & lætitiam, ſi jam te commendaveris Jeſu Chriſto, & ipſum invocaveris ex toto corde tuo cum magno dolore peccatorum quæ feciſti, & propoſito, ſi longiorem vitam tibi conceſſerit, ipſi ſerviendi & bene vivendi. Voca, mi frater, Jeſum Chriſtum, qui eſt Deus tuus, & pater tuus: & dic illi in anima tua, ſi ore non poſſis: O domine mi, Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui pro me mortuus es in cruce, ut redimeres animam meam; non permittas, ut iſta creatura veſtra perdatur, cum tanta pro me paſſus ſis, ne me derelinquas in poteſtate inimicorum meorum; ſed libera me Domine, quia te Deum, & Dominum volo, nec habeo, nec adoro alium Deum, & Chriſtianus baptizatus ſum. Et quamvis indignus ſum filius ſanctæ Eccleſiæ, teneo, & firmiter credo totum id quod illa tenet & credit. Factura tua & ſervus tuus ſum: non me projicias, nec oblivíſcaris mei miſeri in hac hora. O Domine, ego malus eram, & peccavi peccata multa. Toto corde me pœnitet quòd te offenderim, & iram tuam provocaverim. Confeſſus ſum patri peccata mea quæcumque recordatus ſum. Tu mihi parce, quia pius & benignus es. Recordare hujus pauperis qui te invocat. Si longiorem vitam mihi dederis, ego me emendabo, & ſerviam tibi quantum potero, & ſi dignaris nunc me aſſumere, accepto libenter. Tantùm te rogo, ut non derelinquas me, ſed pretioſo tuo ſanguine liberes animam meam, & propter ſanctam Paſſionem tuam, & propter merita Virginis Mariæ matris tuæ, & advocatæ peccatorum, & propter omnes Sãctos tuos ſalva me Deus meus, ut poſſim ire ad fruendum vitâ æternâ. O Domine, quis tantum bonum mereretur! Jeſus tecum ſit, frater mi, Jeſus te adjuvet, Jeſus te liberet ab inimicis tuis. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, unus ſolus Deus verus, in quem tu credis, ipſe te ſalvet, & tecum ſit: qui te fecit, & te redemit ſanguine ſuo, ipſe te ducet ad ſuam gloriam. Non permittas, Deus noſter, ut condemnetur hæc anima, quam feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam: defende eam Domine à ſuis inimicis, & remitte illi peccata ſua. Duc eam ad locum quietis cum tuis electis, quia te invocat, & in te confidit. O bone Jeſu miſerere hujus animæ, & duc eam in vitam æternam, quam nobis promiſiſti, ut te fruatur, & te laudet in æternum. Qui es unus Deus cum Patre, & Spiritū ſancto. Amen Jeſus.

EXHORTATIO FUSIOR

Pro infirmis nondum ad extrema redactis.

FRATER mi, Dominus noſter det tibi ſuam gratiam, & tecum ſit: Amen. Jam vides quòd infirmitas tua ſit periculoſa, & quòd opus ſit, ut te præpares ad tranſeundum ex hac vita, ſi Deus voluerit te ex illa educere. Eſt enim alia vita, quæ nunquam finitur, plena gaudio & omni bono, quâ fruentur illi qui in ultima hora ſunt in gratia & amicitia Dei. Propterea

terea, frater, attende bene, quòd parvo tempore quod tibi reſtat, poſſis lucrari cœlum in perpetuum, ſi feceris quæ dicturus ſum tibi ; & ſi non, quòd condemnaberis ad æternas pœnas inferni. Scito enim, frater mi, quòd anima tua, cùm ex hoc corpore exierit, præſentabitur ante judicium Jeſu Chriſti, Dei & Domini noſtri, ubi audiet ſententiam ſalvationis, vel condemnationis æternæ, juxta quod merita fuerint. Et poſt hanc vitam nullum ſupereſt remedium, ſi ſemel te condemnaverit. Jam verò, etſi parum temporis reſtet, ſi te converteris ad Deum, & ipſũ invocaveris ex toto corde tuo, faciendo quę ego tibi dicam, ſalvus eris in perpetuum. Propter quæ, frater mi, plurimum lætare, quia dicam tibi ea quæ expediunt veſtræ ſalvationi.

Imprimis ergo dic mihi ſi confeſſus ſis omnia tua peccata; & ſi non, recogita illa bene, quantum valeas, & dicito omnia, non tacendo ullum : nam ſi ullum tacueris, veſtra confeſſio nihil valebit, ſed potiùs magis offendes Deum. Et adverte fili mi, quòd Deus, qui nec mentiri, nec decipere poteſt, edixerit, quòd is qui confeſſus fuerit ſacerdoti omnia ſua peccata habendo verum dolorem de illis, erit abſolutus ab eis, quamvis multa & maxima ſint ; quia Deus eſt valdè pius & manſuetus cum illis qui ſe accuſant: & ſanguine Jeſu Chriſti remittuntur omnia noſtra peccata. Et ſacerdos qui audit veſtras culpas, non poteſt illas ulli dicere, ſed tantùm orare Deum pro vobis. Et ſi ullum peccatum celaveris, diabolus te accuſabit de ſingulis coram Jeſu Chriſto, & condemnaberis in æternum.

Moneo quoque, fili mi, quòd ſi aliquid furatus ſis, vel aliquam rem alienam teneas; id manifeſtes, & jubeas reſtitui cuique quod ſuum eſt. Vel ſi damnum aliquod intuliſti proximo tuo, id quoque declara; ad hoc ut tuus pater confeſſarius videat quomodo ſatisfieri poſſit : quoniam non poteris ſalvus fieri niſi reſtituas quod debes.

Si habes propriam ſubſtantiam, debes illam relinquere filiis tuis, & patri, & matri, ſi ſuperſint. Bene poteris de parte aliqua bene diſponere pro anima tua, jubendo ut aliquæ Miſſæ pro te dicantur, & alia ſuffragia fiant, vel ut detur pauperibus, Et hoc debet eſſe ex libera veſtra voluntate, neque quiſquam ad id te cogat. Et ſi non habes filios, nec patrem, nec matrem, poteris facere de re tua quicquid volueris ; curandum quòd ſit ad obſecuium Dei.

Si ad te tulerint ſanctiſſimum ſacramentum; adverte, ut cum magna reverentia adores Jeſum Chriſtum, verum Deum & hominem, Salvatorem noſtrum, qui ibi eſt unus & verus idem ipſe qui eſt in cœlo, & ipſum ſuſcipies cum magna devotione, & ages ipſi magnas gratias, quia tam ſublimis dominus venit ad unam domunculam tam vilem ad viſitandum pauperculum peccatorem: quod ipſe facit propter magnam ſuam bonitatem, & quia vult ſalvare animam veſtram, cujus ſuſtentatio eſt illud ſacramentum, quod dat vitam æternam illi qui cum puritate & reverentia ipſum ſuſcipit ;

Et quando videbis declinare te ad finem, ſancta mater Eccleſia ſolet conferre aliud ſacramentum Extremæ-unctionis, ut animam ampliùs emundet à peccatis, & det vobis fortitudinem contra veſtros inimicos in ultimo tranſitu mortis. Et ſi tibi expedit, dabit etiam ſanitatem corporis. Propterea, fili mi, age magnas gratias Deo. Et eſto valdè conſolatus & lætus pro tam magnis auxiliis & favoribus Dei tui, quæ tibi conſervat ad hunc ultimum tranſitum vitæ tuæ.

Sed præ reliquis omnibus, ore tuo fatere, & corde firmiter tene, quòd velis mori in Fide ſanctę matris Eccleſiæ, ut fidelis ejus filius. Et tene, & crede totum quod illa tenet & credit : quia in hac Fide oportet te ſalvari. Et ſpecialiter credas & confitearis, quòd ſit unus ſolus Deus omnipotens, æternus, & infinitus, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus : & licèt ſint tres perſonę, non ſunt niſi unus ſolus Deus vivus & verus. Et hunc ſolum credas, eumque adores : quia reliqui omnes, quos adorabant veſtri majores, erant dæmones, & ficti, & falſi Dei : & ſic ipſos deſpicias, & teneas pro mendacibus, & deceptoribus. Solum hunc Deum, quem Chriſtiani adoramus, adores ; in illum credas, quia hic ſolus eſt qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, & creavit hominem ut acquirat vitam cœleſtem, quam dat iis qui ipſi ſerviunt, in ſocietate ſanctorum angelorum & juſtorum, ubi eſt requies & gaudium ſemper ſine fine. O fili mi, qui ſe ibi videre poſſet ! Gaude plurimum, quòd Deus te illuc vocet, & in iſta hora pone fidem & ſpem tuam in Jeſu Chriſto veſtro Salvatore ; qui cum eſſet filius Dei veri, factus eſt homo, & natus ex Maria Virgine dominâ & advocatâ noſtrâ. Et idem cùm eſſet Deus, paſſus eſt in quantum homo crudeles dolores, & mortem in cruce, ut ſalvaret nos peccatores: & corpus ejus ſepultum fuit, & ſic manſit tribus diebus, & tertia die reſurrexit glorioſus, nunquam ampliùs moriturus, & aſcendit ad cœlos, & ſedet ad dexteram Dei Patris cum magna gloria, & in fine mundi veniet ad judicandum omnes homines; & omnes tunc reſurgent, & tu etiam in hoc proprio corpore, quamvis terra comeſtura ſit ipſum; quia magna potentia Dei faciet hoc opus mirabile. Et quamvis ſis peccator, & multum offenderis Deum, ſi te converteris ad ipſum, & ſuſceperis ſacramenta ſanctæ Eccleſiæ, ille tibi ignoſcet, quia ignoſcit illis omnibus, qui ut oportet ſuſcipiunt ſacramenta ſanctæ Eccleſiæ, ut Baptiſmum, Pœnitentiam, & reliqua ſuo tempore. Et malis qui non ſe convertunt ad Deum, præparata ſunt ſæva tormenta ignis in inferno in perpetuum, in ſocietate dæmonum, qui ſunt noſtri inimici, & nos decipiunt, dicendo falſum eſſe quod Chriſtiani docent, & quòd bonũ ſit id quod veſtri majores tenuerunt, & ſe inebriare, accedere ad mulieres, gaudere voluptatibus hujus vitæ, & quòd in infirmitatibus vocetis *Guaccas*, & veneficos, & faciatis quæ vobis dixerint. Hæc dicit diabolus,

bolus, ut vos decipiat. Non credatis illi, ſed ſpuite in illum, & expellite eum à vobis, & vocate Jeſum Chriſtum, qui eſt veſter pater, & vaſter Deus, qui vult vos ſalvos fieri. Num credis & confiteris totum quod dixi? Sic confitearis, & firmiter teneas: quia hoc eſt verbum Dei, quod per os ſuum nos docuit, & non poteſt decipere.

Et ſi peccaveris, timeas judicium Dei, quia jam debebis apparere coram ipſo, & reddere ipſi rationem totius vitæ tuæ. O quàm tremendum eſt illud ratiocinium! Et quàm terribilis ſententia, quâ condemnat malos in ignem æternum! Et cùm juſti timeant, & tremant coram ipſo, quid erit de magnis peccatoribus? Tamen ſi tu invocaveris Jeſum Chriſtum ex toto corde tuo, ipſe erit auxiliator tuus, & liberabit te. Quia quamvis commiſeris multa peccata, multò major eſt ipſius bonitas, & mortuus eſt pro te; & ſuo ſanguine lavabit & mundabit te. Ille te pro filio habet, & amanter te invitat; quia de cœlo in terram venit, ut peccatores ſalvos faceret: & in quacumque hora peccator ſe converterit ad ipſum, aperit ille brachia miſericordiæ ſuæ, & recipit eum, quando hominem pœnitet quòd peccaverit, & firmiter proponit non ampliùs peccare. Propterea fili, jam tempus eſt ut revertaris ad Dominum, & petas veniam omnium tuarum culparum & criminum. Et ut illa plangas dicendo:

O Domine meus, & Deus meus, quomodo apparebit coram te iſte ſervus malus, qui toties te offendit, & iram tuam provocavit? Tam mala vita quàm eſt mea, non aliud meretur, quàm æternam mortem & cruciatus abſque fine: quoniam pro viliſſimis rebus violavi legem tuam. Ego tuis beneficiis tam ingratus fui, quòd non merear punctum vitæ. Heu mihi, qui tam malus fui, & qui poſtquam Chriſtianus baptizatus ſum, tot peccatis maculavi vitam meam! Quid erit de me, ò magne Domine, quid medebitur malis meis? Sed ò bone Deus, & pater mi, & tota ſpes mea, Jeſu Chriſte, tu pro me mortuus es, & non velis ut condemner. Et dicas: Ecce me hîc in hac cruce ut medear tibi. Non ergo deſpicias Domine pauperem & vilem peccatorem invocantem te, & in te ſperantem. Dimitte Domine præterita peccata mea; quoniam ex toto corde doleo, quòd illa commiſerim, & malo mori, quàm iterum te offendere. Non habeo quod pro tantis peccatis tibi offeram: ſed offero tibi Deus meus, & pater meus, ipſa vulnera & flagella tua, opprobria, & iſtàm crucem tuam pro recompenſatione peccatorum meorum. Per illum ſanguinem tuum & amorem, quo me amâſti, indultum ſit mihi. Et ſi quicquam valeat, offero etiam tibi hanc infirmitatem meam, & dolores quos patior, mortemque, ſi velis ut tranſeam. Tantùm rogo ne iraſcaris mihi, & facias de me quicquid placuerit tibi; quia tu es totum deſiderium meum, & totus amor meus. O ſi mereretur anima mea intrare illam domum tuam gloriæ, ad fruendum bonis tuis in perpetuum! Quàm eſſem felix ſi omnia detrimentum facerem, & hanc etiam vitam corporis, ad fruendum te, qui es vera vita animæ meæ! Heu me! ne me deſpicias bone Jeſu, cùm jam in iſta hora non ſit cui me committam, nec in quem fidam, niſi in te. O quanta voluptate audio Jeſu Chriſte verba tua!

Fili mi, aſpice illum in iſta cruce extenſis brachiis ad recipiendum te: adora & oſculare eam, & confide firmiter quòd remittet tibi, & ſalvus eris. Glorioſa Virgo Maria mater Dei, advocata noſtra, illa quoque te reſpicit, & favet tibi, & defendit te à tuis inimicis: non paveas in ipſius patrocinio, invoca ipſam, & ora ut te adjuvet, interpella ſanctos angelos, & præcipuè cuſtodem tuum, & Sanctos, & tutelarem tuum, & omnes te juvabunt: & pro conſolatione veſtra nos omnes te juvabimus vocando Deum & omnes Sanctos in auxilium tuum: ſi tu ipſe ore non poteris, ſaltem corde non ceſſabis unà nobiſcum invocare Jeſum Chriſtum.

SYNODUS PRIMA
DIOECESANA LIMENSIS
CELEBRATA
A B. TORIBIO
ARCHIEPISCOPO LIMENSI
Anno Domini M DLXXXII.

B. TORIBIUS Archiepiſcopus, ut alibi diximus, ſtatim ut Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem adeptus eſt, ſe totum ejus regimini conſecravit; & menſibus deindè non integris decem, poſt domûs & familiæ, poſt Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum urbis res benè diſpoſitas, poſt viſitatam per ſe perſonaliter vaſtiſſimæ diœceſis non parvam partem, rebuſque ad Synodum Diœceſanam diſpoſitis, cognitiſque, tum ex viſitatione, tum ex reliquo ſtudio in eam rem impenſo, quibus rebus rectè dirigendis, quæ regulæ aptæ forent, ſequentia decreta concepit, & in prima ſequenti à ſe celebrata Synodo Diœceſana conſtituit. Quę non tantùm tempore prævia, ſed & materia ipſa præparatoria fuit ad primum Concilium Provinciale ab ipſo celebratum, ut conferenti manifeſtum eſt. Cùm enim deinceps percepiſſet, eaſdem vivendi regulas per univerſam provinciam neceſſarias eſſe, quas ipſe propriæ ſuæ diœceſi idoneas judicavit, proinde quicquid ferè in hac Diœceſana Synodo conſtitutum fuit, id anno ſequenti in Concilium Provinciale translatum eſt, ut noſtris ad Synodi margines Notis indicabimus. Quapropter cùm Concilium Provinciale tanto applauſu acceptum, & Apoſtolicæ Sedis oraculo approbatum ſit; non parva inde auctoritas in hanc Diœceſanam Synodum derivatur. ANTON. MONTALVO.

SYNODUS PRIMA

Celebrata in civitate Regum, die 10. *Martii, anno MDLXXXII.*

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, Dei & S. Romanæ Eccleſiæ gratiâ Archiepiſcopus Regum, Regiæ Majeſtati à conſiliis, &c. Admodùm RR. fratribus noſtris, decano & capitulo hujus noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Regum, & RR. admodùm prælatis Religionum, ac vicariis, parochis, & clericis hujus noſtri Archiepiſcopatus, & reliquis perſonis in eo exiſtentibus & habitantibus ſalutem in Domino noſtro Jeſu Chriſto, &c.

Vobis bene notum eſt, qualiter per ſacros Canones, & jam ultimò per Concilium Generale Tridentinum [a] conſtitutum ſit, quòd Prælati, quiſque in ſuo Epiſcopatu, ſingulis annis celebrent Synodum, propterea quòd hæc res magni ponderis & momenti ſit, ac plurimum conferat ad reformationem, vitiorumque exſtirpationē. Propterea, ut nos huic parti ſatisfaciamus, & propter neceſſitatem quam nobis inſtare videmus ad providendum aliquibus rebus momenti, convocavimus ad dictam Synodum dictos noſtrum decanum & capitulum, & vicarios, ac parochos hujus noſtri Archiepiſcopatus, omneſque alios, ad quos de jure vel conſuetudine vocari ſpectabat; cujus Synodi convocatio fuit ad diem S. Matthiæ proximè præteritum. Et cùm ſimul congregati eſſemus, & poſtquam tractavimus de aliquibus negotiis ad bonum regimen hujus noſtri Archiepiſcopatus pertinentibus; ſtatuimus capitula ſequentia, quæ hinc in poſterum obſervari & compleri volumus & mandamus, ſub pœnis & proviſionibus in eiſdem contentis.

CAPUT I.

Qui in doctrinis, & aliis Eccleſiis conſtituti ſunt, non ſe abſentent.

CONDECET, ut qui in Eccleſiis ac doctrinis noſtri Archiepiſcopatus inſervire debent, in eiſdem reſideant, nec ſe ab illis elongent, propter multa incommoda quæ inde naſci poſſunt. Proinde præcipimus, ut in poſterum nullus per nos Eccleſiis proviſus poſſit ſe ab illis abſentare, ſed ut in hoc obſervetur diſpoſitio Juris, & ſacri Concilii [b] Tridentini, & conſtitutionis undecimæ ultimi Concilii Provincialis [c], ſub pœnis circa hoc ſtabilitis. Et noſtris vicariis etiam præcipimus, ut eandem pœnam exſequantur: quòd ſi in hac exſecutione remiſſi fuerint; incurrant ipſi pœnam

[a] Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de reform. [b] Seſſ. 7. c. 1. Trid. *de reformat.* & ſeſſ. 24. c. 12. [c] Conc. Provinc. anni 1567. conſtit. 22. & ſeſſ. 3. c. 4. & anno 1583. act. 2. c. 41. act. 3. c. 14. & 28. & act. 4. c. 17.

nam duplicatam. Et noſtris viſitatoribus pariter præcipimus, ut hoc inter capita viſitationis notent, quatenus ejus exſecutio nobis innoteſcat.

CAPUT II.

De habitu clericorum. [d]

VICARIIS noſtris, Beneficiatis, parochis, & clericis ſacris ordinibus initiatis præcipimus, ne quiſquam ipſorum utatur veſte holoſerica villoſa, damaſcena, raſa, taffetana, neque colorata, neque laciniata, nec ornata, nec manicas thoracis gerant oculis expoſitas, aut lactucatas, ſeu criſpas; nec induſia acu picta, nec femoralia rugata, nec alias res ex contentis in conſtitutione ſeptuageſima octava primi Cõcilii Provincialis in hac civitate celebrati, nec amplos pileos, quales ſolent ſupra bireta geſtare, nec fimbrias ſeu caudas ad terram tractas, ſi non ſint prębendarii in Eccleſiis Cathedralibus, proviſor, aut vicarius. Nec poſſint geſtare ſtolas, vulgò *Becas*, ſi non fuerint ex perſonis contentis in dicta conſtitutione provinciali, ſeu licentiati, vel doctores graduati in Jure canonico, vel Theologia, vel magiſtri ſaltem in artibus: ſub pœnis in eadem conſtitutione contentis: quam conſtitutionem declaramus intelligi de omnibus perſonis in illa comprehenſis, & præbendariis, quamvis Eccleſiarum Cathedralium, in illa non comprehenſis.

CAPUT III.

Clerici non ludant.

ORDINAMUS & præcipimus, quòd in poſterum nullus clericus, ſive in ſacris, ſive in minoribus ordinibus conſtitutus, aut etiam primâ tonſurâ initiatus, ſi Beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit, ullo ludi genere ludat, ſub pœnis in conſtitutione ſeptuageſima octava Concilii Provincialis [e] primi contentis.

CAPUT IV.

Clerici non exerceant prædia, negotiationes, aut mercimonia.

PROPTER incommoda quæ ſequi poſſunt ex eo quòd clerici, qui in doctrinis reſident, habeant prædia, vel exerceant negotiationes & mercimonia; ordinamus & præcipimus, quòd clerici qui in Indorum doctrinis fuerint, talia in poſterum non exerceant, ſive in vineis, ſive in ſegetibus, vel armentis, aut aliis rebus, nec per ſe, nec per interpoſitas perſonas, præterquam in permiſſis per conſtitutiones provinciales [f], quæ de his loquuntur, ſub pœna amiſſionis tam fundi, ſeu principalis, quàm fructuũ, applicandorum juxta conſtitutionem generalem pœnarum, quæ eſt octogeſima prima. Itemque præcipimus, quòd hinc deinceps nullus clericus, cujuſcumque qualitatis vel conditionis fuerit, habeat opificia, ſub pœna amiſſionis laboris & inſtrumentorum, pannique, & lanę, quæ in dicto opificio reperiuntur, vel quæ per poſſeſſorem vendentur, intra terminum à nobis aſſignandum.

CAPUT V.

Clerici non comitentur fœminas.

QUONIAM indecens eſt, quòd clerici in ſacris conſtituti, cujuſcumque ſint qualitatis, aſſocient mulieres ullas, vel manu ſuſtentando, vel in equis retrò vehendo; propterea ordinamus & præcipimus dictis clericis, ne mulierem [g] ullam quantumvis matrem vel ſororem, comitentur, ſub pœna conſtitutionis ſeptuageſimę ſextæ Concilii primi Provincialis. Hortamurque omnes & quaſcumque, & cujuſvis qualitatis vel conditionis mulieres, ut non conſentiant vel permittant, ſe à dictis clericis aſſociari, nec præmiſſa obſequia præſtari; memores ſe, ſi aliter fecerint, rationem Deo reddituras.

CAPUT VI.

De vita & honeſtate clericorum.

QUONIAM non eſt quod magis inſtruat ad pietatem & obſequium Dei, quàm eorum vitæ exempla, qui divinis miniſteriis peculiariter dicati ſunt, & tamquam ſpeculum cæteris expoſiti; ſtatuimus & jubemus, ut clerici omnes cuncta ſibi per ſummos Pontifices & ſacra Concilia [h] prę ſcripta obſervent, quoad ipſorum vitam, honeſtatem, cultum, doctrinam, luxum, victum, choreas, ludos, veſtitum, delectamenta, & negotia ſæcularia: quicquid legum in uſu non eſt, in uſum reducendo, prout reducimus; eadem præcipientes, prout præcipimus, ſub pœnis in Jure ſtatutis, vel etiam majoribus pro noſtro arbitrio infligendis.

CAPUT VII.

Sacellani & clerici interſint officiis & proceſſionibus: & qualiter ſe gerant in funeralibus.

STATUIMUS, & mandamus, quòd ſacellani qui obtinuerint cappellanias in hac ſancta Eccleſia, ut & parochi & Beneficiarii ejuſdem, ſingulis diebus aſſiſtant Miſſæ majori, & Dominicis, & feſtivis, tam eidem Miſſæ, quàm primis & ſecundis Veſperis, juxta conſtitutionem tertiam, & ſub pœnis in ea ſtatutis. Et cle-

[d] Conc. Provincial. I. act. 3. c. 16. [e] Conc. Provincial. I. ſupra act. 3. c. 17. [f] Concil. Provincial. I. act. 3. c. 4. & 5. [g] Limitatur in Concil. Prov. I. ut ſupra pag. 49. [h] Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de reſor. Conc. Provincial. I. act. 3. c. 15. & ſeqq. [i] Conc. Provincial. I. act. 3. c. 25. & 26.

clericis ſacrorum ordinum pariter præcipimus, ut feſtivis diebus, eiſdem Miſſæ & utriſque Veſperis interſint.

Jubemus item [k] & volumus, ut diebus proceſſionum tam generalium, quàm particularium, clerici omnes ſupradicti eiſdem cum ſuis ſuperpelliceis interveniant, & in eis cum ſilentio procedant: & quòd ſimiliter accedant ad matutinas Nativitatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, & Aſſumptionis, ac Nativitatis Dominæ noſtræ, & Sancti Joannis Euangeliſtæ, & S. Petri, ſub pœnis ejuſdem conſtitutionis tertiæ, unius monetæ regalis quantum ad ſacellanos, & alios clericos.

Statuimus item & præcipimus, quòd clerici, qui interfuerint ſepulturis, incedant cum ſilentio, & geſtent candelas accenſas uſque ad finem officii, ſub pœna perdendi candelas, applicandas Eccleſiæ, in qua ſepelietur defunctus.

CAPUT VIII.

De cantandis Miſſis & Veſperis in Eccleſiis parochialibus, & aliis.

ORDINAMUS & præcipimus, ut omnes parochi, & Beneficiarii hujus civitatis & oppidorum Hiſpanicorum, diebus Dominicis, & aliis feſtivè colendis, cantent Miſſas & Veſperas: & intra ſeptimanam, ubi cantari non poterunt, recitentur in tono, ſub pœna quatuor regalium pro ſingulis vicibus omiſſionis, applicandorum Eccleſiæ.

CAPUT IX.

Parochi recitent doctrinam: & qui in doctrinis ſunt, eam perſonaliter doceant.

PRÆCIPIMUS etiam, quòd omnes parochi doceant doctrinam Chriſtianam diebus Dominicis & feſtivis, & in Quadrageſima bis in ſeptimana, juxta conſtitutionem decimam ſeptimam primi Concilii Provincialis [l], ſub pœna in eadem contenta. Sub qua pœna præcipimus etiam clericis reſidentibus in doctrinis Indorum, ut perſonaliter eam recitent in diebus, quibus ad id obſtricti ſunt; jubentes eis, ut diebus operariis id manè præſtent, ut auditores deinde ad ſuos labores ire poſſint, ſub pœna quatuor regalium nummûm, ſuis Eccleſiis applicandorum, ſingulis vicibus quibus eam omiſerint.

CAPUT X.

Clerici penes ſe habeant caſus Prælato in Bulla Cœnæ reſervatos.

STATUIMUS & ordinamus clericis confeſſariis, ut habeant caſus in Bulla Cœnæ [m], & alios nobis reſervatos: itemque libros & Summas, ex quibus diſcant occurrentia conſcientiarum dubia diffinire, ſub pœna quòd contra negligentes procedatur juxta Juris diſpoſitionem,

CAPUT XI.

Parochi parochianos ſuos infirmos viſitent.

ORDINAMUS & præcipimus, quòd parochi hujus noſtri Archiepiſcopatus, & qui in doctrinis fuerint, viſitent infirmos ſuæ parochiæ; & cùm vocati fuerint, ſtudeant illis in mortis articulo præſentes eſſe, ut eos animent, & juvent ad bene moriendum: in quo conſcientias ipſorum oneramus,

CAPUT XII.

Non fiant repræſentationes, vel comœdiæ non priùs probatæ. [n]

STATUIMUS & præcipimus noſtris vicariis, Beneficiariis, parochis, clericis, & ſacriſtanis, ut in Eccleſiis, eremitoriis, & xenodochiis non permittant, neque conſentiant fieri ullas repreſentationes, choreas, vel ludos, cujuſcumque qualitatis, quæ ſint vel fuerint hujuſmodi; neque comœdias, vel interlùdia, niſi priùs per nos, vel noſtrum proviſorem examinata; & ut prohibeant, præcipiantque actoribus ſub arbitrariis pœnis, ne ejuſmodi comœdias, non priùs, ut dictum eſt, examinatas, exhibeant, & ſecundùm jura contra eos procedant; ad quod faciendum plenariam illis poteſtatem conferimus.

CAPUT XIII.

Parochi petant Eleemoſynas pro pauperibus verecundis. [o]

CONSTITUIMUS & præcipimus, quòd parochi in ſuis parochiis diebus ſabbatinis, & in Veſperis feſtorum Paſchalium petant eleemoſynas pro pauperibus verecundis: & in locis, in quibus erunt vicarii, vicarius & parochus ſimul illas petent; in reliquis autem locis parochum comitabitur perſona, quam ipſe elegerit. Et habebunt librum computi eleemoſynarum quas percipient [p], & quomodo eas diſtribuerint, ut exſtent earum rationes, ſub pœna contrafacientibus ad arbitrium infligenda.

CA-

k Regula conſueta c. 20. & 47. Conc. Provincial. 1. act. 4. c. 11.
l Concil. Prov. 1. act. 2. c. 5. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor.
m Bulla Cœnæ. §. fin. *Cæterùm patriarchæ*, &c.
n Conc. Colon. an. 1536. par. 3. c. 26 Innoc. III. c. *Cùm decorem. de vit. & hon. clericorum.* Conc Mediol. 1. par. 2.
o Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.
p Trid. ſeſſ. 22. cap. 9. de refor.

CAPUT XIV.

Ne laïcos, aut pueros in ſacriſtiam ingredi patiantur. q

NOSTRIS vicariis, Beneficiariis, parochis, clericis, & ſacriſtanis præcipimus, quòd nullum laïcum, cujuſcumque qualitatis, dum divina officia in Eccleſia perſolvuntur, in ſacriſtiam intrare permittant: nec eandem ingrediantur clerici, niſi cauſsâ celebrandi Miſſas: & tunc obſervent ſilentium, ſub pœna unius nummi regalis ſingulis vicibus à ſacriſtano in Eccleſiæ uſum ſolvendi.

CAPUT XV.

De officio ſacriſtarum. r

NOſtrarum etiam Eccleſiarum ſacriſtanis præcipimus, ſi ſacris ordinibus initiati ſint, quòd corporalia ſingulis menſibus, & purificatoria ſingulis hebdomadis lavent, vel per ſacerdotes lavari faciant. Itemque pannulos altaris, & calicum pallas ſemel in ſeptimana, & ſemel in menſe albas & amictus, & mappas altarium. Et quòd caſulæ, ſtolæ, manipuli, dalmaticæ, pluvialia, antipendia, & reliqua omnia ornamenta ſint conſuta, plicata, & parata, nec male tractentur; & quòd in armariis, calicibus, ornamentis, & libris earundem Eccleſiarum ſervent magnam munditiem: quod ſi neglexerint, multabuntur ſummâ quatuor peſorum, impendendâ in opera pia ejuſdem Eccleſiæ. Eoſque præterea monemus, quòd reſarcire debeant omnia damna, diminutiones, & abuſus, quæ dictis ornamentis ipſorum culpâ acciderint, & quòd contra illos procedetur uſque ad privationem officiorum.

CAPUT XVI.

Sacriſtani doceant pueros chorales legere, ſcribere, & cantare.

MANDAMUS inſuper eiſdem ſacriſtanis, quòd ſemel quotidie doceant pueros chori cantare, legere, & ſcribere; ſub pœna unius nummi regalis applicandi dictæ Eccleſiæ toties, quoties id omiſerint.

CAPUT XVII.

Clerici non viſant moniales abſque licentia. s

QUONIAM ex frequenti acceſſu cœnobiorum ſanctimonialium plura detrimenta clericis evenire poſſunt, præſertim temporis quod in viſitationibus deperditur, quod non parvi momenti diſpendium eſt in perſonis, quæ eodem tempore ſuis functionibus bene impendendo egent: quod præterea ſuperiores offendit. Propterea ad hæc evitanda ordinamus & præcipimus, quòd in poſterum nullus clericus in ſacris ordinibus, vel Beneficio conſtitutus, viſitet moniales abſq; expreſſa noſtra licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœna ſex peſorum, arbitrio noſtro piis operibus applicandorum, pro ſingulis vicibus quibus contrarium fecerint.

CAPUT XVIII.

Clerici filios domi non habeant. t

UT presbyterorum incontinentiæ, turpi & ſcandaloſo crimini, remedium apponamus, & ne ipſius exſtet memoria; ſtatuimus & præcipimus, quòd clerici ſuos filios vel filias domi ſuę non habeant, nec illos comitentur, vel juvent ad Miſſas, nec in ipſorum ſponſalibus vel matrimoniis præſentes ſint", nec Miſſis, vel cœnis nuptialibus eorundem; ſub pœnis ſex peſorum operibus piis applicandorum, & quòd contra violatores procedatur uſque ad privationem bonorum. Quæ tamen intelligi debent de filiis acquiſitis poſtquam patres cœperant ordinibus initiari.

CAPUT XIX.

Servorum, ſeu ſclavorum domini curent, ut illi bene vivant, nec peccatis inſerviant x.

QUIA multi ſervas habent, qui non ſolùm negligenter, ſed, quod pejus eſt, volenter & gaudenter conſentiunt & permittunt eas in concubinatu vivere, propter lucrum, quod ipſis ex partu ſervarum accreſcit; nullius penſi habentes obligationem, qua tenentur eas Dei legem docere, & ad ejus obſervantiam hortari: & quoniam nobis ut ipſorum Paſtori & Prælato expedit obviare huic malo, hortamur & commonemus, ut illicò remedium adhibeant, ut ipſorum ſervæ bene vivant, omnem peccandi occaſionem eis penitùs auferendo: præſenti proviſione eoſdem præmonentes, quòd cum omni rigore contra ipſos procedemus, tamquam contra fautores & participes iſtius delicti. Noſtriſque vicariis & parochis præcipimus, ut eorum unuſquiſque in loco ſuæ curę hoc noſtrum Synodale capitulum populo palam legat, ut ejus ignorantia à nemine prętendi poſſit. Hortamurque prædicatores & confeſſarios, ut hujuſmodi ſervarum dominos admoneant.

CA-

---

q Regul. conſuet. c. 28, §. *Non permittant* Conc. Mediol. IV. de ſacriſtia. & Conc. 1. de offic. ſacriſtani. r Clem. I. Epiſt. 2. ad Iac. Fr. Dom. poſt princ. Conc. Salisburg. ſub Vit. VI. Concil. Friſing. ſub Eug. IV. Conc. Mediol. 1. par. 2. s Conc. Mediol. VI. tit. *Quæ ad moniales pertinent.* Conc. Limanan. 1583. Act. 3. c. 35. t Conc. Baſil. ſeſſ. 20. Conc. Friſing. ſub Eug. IV. tit. *de cohabit. cler. & mulier.* u Conc. Palent. in Hiſp. tit. *de vit. & honeſt. clericor.* x Conc. Baſil. ſeſſ. 20. Conc. Colonien. par. 13. c. 8.

CAPUT XX.

Nemo clericorum habeat Nigros vel Nigras ad lucrandum.

QUONIAM intelleximus, quòd tum in hac civitate, tum extra illam, in hoc nostro Archiepiscopatu aliqui clerici habeant Nigros & Nigras ad lucrandum pecunias (rem non tantùm sacerdotibus, sed etiam laïcis prohibitam, ut quæ occasionem præbeat, quòd ejusmodi Nigri vel Nigræ, cùm pecuniam quâ dominis contribuere coguntur, non possint honestè & licitè acquirere, eam cum offensione Dei, & illicitis inhonestisque modis quærant.) Nos huic malo providere volentes, statuimus & præcipimus omnibus sacerdotibus hujus civitatis, ac totius nostri Archiepiscopatus, cujuscumque status vel conditionis existant, cæterisque clericis sacri ordinis, quòd posthac eorum nemo habeat Nigrum, vel Nigras ad ejusmodi lucrum, sub pœna perdendi quicquid ejusmodi Negrita sic lucrabitur, ac insuper quinquaginta pesos pro quolibet Nigro vel Nigra, quem ad id genus lucrum duxerit, applicandâ juxta constitutionem octogesimam primam primi Concilii Provincialis.

CAPUT XXI.

Seculares tempore divini officii non ingrediantur chorum y.

PRæcipimus pariter, ut dum officia divina celebrantur, nemo laïcorum intret chorum, sed in hoc observetur constitutio decima Concilii Provincialis, sub pœnis in eadem contentis.

CAPUT XXII.

Clerici in choro non sedeant in sedilibus præbendariorum.

ORdinamus & præcipimus, quòd nullus clericus, vel religiosus sedeat in choro in sellis præbendariorum; nisi tales sint, quibus ratio suadeat exhiberi debere aliquam reverentiam.

CAPUT XXIII.

Synodalium personarum libertas.

VOLENTES tollere occasiones, per quas quis ad Synodum venire prætermittat; statuimus & præcipimus, quòd nemo illorum qui ad Synodum accesserint (seu clerici, sive laïci sint) possint coram nobis, vel nostro provisore, pro civili debito, vel delicto conveniri, donec ad suam domum redierit; nisi ejusmodi delictum in ipsa Synodo commiserit, vel nisi sufficiens informatio, seu verosimilis præsumptio fugæ de illo habeatur pro gravitate delicti.

CAPUT XXIV.

Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ-unctionis Indis administretur.

ORDINAMUS & præcipimus, ut Indis, juxta constitutiones octogesimam octavam, & octogesimam nonam postremi Concilii Provincialis & capacibus, in posterum administretur sacramentum Eucharistiæ, prout in eisdem constitutionibus jussum & provisum est; observatâ per omnia dispositione earundem constitutionum, & habitâ nostrâ licentiâ, ut in iisdem continetur.

Eisdem pariter dabitur sacramentum Extremæ-unctionis, prout in constitutione septuagesimâ quinta ejusdem Concilii Provincialis provisum est, quas dictas constitutiones parochi penes se habeant.

CAPUT XXV.

Nominantur examinatores pro Beneficiis, & doctrinis vacantibus.

JUXTA decretu.. sacri Concilii Tridentini [a], quo jubetur, ut in Synodis Diœcesanis nominentur sex examinatores pro Ecclesiis vacantibus; ut id executioni mandemus, designamus in hac Synodo hujusmodi sex examinatores.

CAPUT XXVI.

De judicibus Apostolicis.

ITEM secundùm idem Concilium Tridentinum [b], pro diffinitione causarum Apostolicarum, quæ in his partibus committentur, in hac Synodo designamus quatuor personas, ex juris dispositione qualificatas.

CAPUT XXVII.

De testibus synodalibus c.

RATIO propter quam sancti Patres justè & sanctè constituerunt ut singulis annis fierent Synodi, fuit, ut in eis tractetur de corrigendis, emendandis, & in meliores reformandis malis moribus; & ut in illis tractetur, & agatur, quod animarum bono regimini, & rebus ad Episcopatum spectantibus expediat. Et ut quæ in ejusmodi Synodis ordinarentur & fierent, efficaciùs ad effectum perducerentur: providerunt, ut in singulis Episcopatibus nominentur & instituantur testes synodales boni & ido-

y Synod. 2. Turon. c. 1. n. 4. Bracaren. I. c. 1. n. 13. Conc. Rom. sub Ioan XII. in fin. & Con. Provian. 1583 act. 2. c. 21. & c. 28. supr.

a Sess. 25. cap. 28. *de reform.* b Sess. 25. cap. 20. *de reform.* c Conc. Provin. anno 1583. act. 4. cap. 23.

idonei, qui per totum Archiepiſcopatum magnâ diligentiâ inquirant, quiſque in diſtrictu ſibi aſſignando, qualiter obſerventur & adimpleantur conſtitutiones ſynodales. Et nos ut inſtitutionem tam ſanctam exſequamur, deſignamus in hac Synodo ejuſmodi perſonas, quales in cæteris, quas Deo dante celebrabimus, intendimus deſignare, ut per noſtrum Archiepiſcopatum inquirant, ut prædictum eſt; quod ſine ſcriba, notario, & ſtrepitu judiciali, & ſimpliciter, ac de plano perficient; quia non habent juriſdictionem aliter faciendi, nec eam ipſis concedimus: & quod ſic ſecreto perquiſierint, notando teſtes qui rem noverint vel denunciaverint, tam circa defectus & culpas vicariorum & clericorum, quàm etiam laïcorum, ſine teſtium juramento, ſed per viam informationis, id ad Synodum deferent; & nobis ſecretò tradent, ut nos eo viſo provideamus remedium meliori modo quo Domino ſerviatur: & quicquid in hujuſmodi viſitatione expenderint, nos jubebimus illis ad quos de jure vel conſuetudine ſpectabit, ut id ipſis rependant. Qui tamen, tum in hac Synodo, tum in aliis quas celebrabimus, debent præſtare juramentum, ſecundùm diſpoſitionem Juris.

CAPUT XXVIII.

De applicatione generali pœnarum.

ORdinamus & volumus, quòd pœnæ in his capitulis & conſtitutionibus ſynodalibus non applicatæ, diſtribuantur & applicentur ſecundùm quod, & eo modo, quo diſponit conſtitutio octogeſima prima primi Concilii Provincialis ſupradicti.

CAPUT XXIX.

De declaratione & auctoritate conſtitutionum.

VOlumus item, & eſt noſtra voluntas, quòd ſi dubietas aliqua contigerit circa ſenſum alicujus ex præmiſſis conſtitutionibus, ejus declaratio nobis reſervata ſit.

Hortamur proinde, requirimus, & jubemus omnibus & quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, exiſtentibus & habitantibus in hac civitate, & in aliis civitatibus, oppidis, & locis hujus noſtri Archiepiſcopatus, vel qui pro tempore deinceps exſtiterint & habitaverint, quòd ab hac die hodierna publicationis harum conſtitutionum ſynodalium, in poſterum ea habeant, teneant, obſervent, compleant, & exſequantur tanquam conſtitutiones ſynodales hujus noſtri Archiepiſcopatus, in omnibus, & per omnia, & ſecundùm formam, quæ in ipſis continetur, nec earum tenorem & formam excedant ullo modo, ſub pœnis in iiſdem contentis, & aliis arbitrio noſtro reſervatis. Et monemus omnes qui contumaces exſtiterint, vel ullo modo illis contrarii fuerint, vel contravenerint, quòd contra ipſos ad earundem exſecutionem cum omni rigore procedemus. Et præcipimus, quòd eædem conſtitutiones publicè legantur, & publicentur in hac noſtra ſancta Eccleſia hujus civitatis coram dictis congregatis & reliquis fidelibus Chriſtianis, qui dictam Eccleſiam ad officia divina acceſſerint; & ut habeant vim & vigorem conſtitutionum ſynodalium: quia nos ea illis tribuimus, quantum ad earum validitatem de jure requiritur.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ſynodales ad gloriam & honorem Dei Domini noſtri, die decima Martii anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi ſecundi.

T. Archiepiſcopus Regum.

ISTÆ conſtitutiones publicatæ ſunt in hac ſancta Eccleſia majori civitatis Regum, præſentibus Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, & præbendariis, & aliquibus prælatis Religionum, & alio multo populo, die decima octava menſis Martii MDLXXXII.

Ego Joannes Rodriguez de Victoria presbyter, ſecretarius dictæ Synodi, fidem facio, quòd præſens fuerim toti dictæ Synodo, & conſtitutionibus in ea contentis, earumque publicationi, ut dictum eſt. Et pro veritate meum nomen ſubſcripſi, teſtibus, qui fuerunt eidem publicationi, præſentibus, doctore Muñiz Archidiacono Cuzcano, & Canonico Alphonſo Martin, & doctore Joanne de Roca parocho hujus S. Eccleſiæ. Eas publicavit Baccalaureus Chriſtophorus Sanchez de Renado parochus dictæ Eccleſiæ.

Joannes Rodriguez de Victoria Secretarius.

SYNO-

SYNODUS II.
DIOECESANA LIMENSIS

Celebrata in civitate Regum, die 8. Februarii anno MDLXXXIV.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ gratiâ Archiepiſcopus hujus civitatis Regum, Regiæ Majeſtatis Conſiliarius, &c. Volentes ſatisfacere obligationi, quam nobis impoſuit ſacrum Concilium Tridentinum a, celebrandi ſingulis annis Synodum Diœceſanam, convocavimus admodùm RR. nobis dilectos decanum & capitulum hujus noſtræ Eccleſiæ, & vicarios, & parochos hujus noſtri Archiepiſcopatus, ad quos de jure vocari pertinet: cujus Synodi indictio fuit ad diem S. Andreæ anni proximè præteriti MDLXXXIII. in qua ordinavimus conſtitutiones ſequentes, quas volumus & præcipimus obſervari, & effectu compleri, ſub pœnis in eiſdem contentis, & aliis noſtro arbitrio imponendis.

CAPUT I.

Quomodo & quando faciendæ ſint matriculæ confeſſionum.

OMnibus parochis totius hujus noſtri Archiepiſcopatus præcipimus, quòd ſingulis annis conficiant matriculas b omnium perſonarum ſuæ parochiæ, quæ per ætatem idoneæ fuerint ad ſacramentalem confeſſionem, neminem omittendo. Quam matriculam facere incipient à Septuageſima, & abſolvent ante Dominicam primam Quadrageſimæ. Et ex illa die incipient monere populum, ut juxta ipſorum debitum, accedant ad confeſſionem, & monere patres-familiâs, ut ab omnibus ſuis domeſticis exigant ſchedas confeſſionum: qui patres-familiâs teneantur per octo dies à Dominica *Quaſimodo* ejuſmodi ſchedas exhibere eiſdem parochis, non exſpectato quòd parochi eas petant: & confeſſarii pœnitentibus dabunt hujuſmodi ſchedas teſtimoniales exceptarum confeſſionum, ut eas ad parochum deferant. Et ipſi parochi in margine matriculæ ſcribent unum C. ad nomina eorum qui confeſſi ſunt, & duo CC. ad eorum qui confeſſi ſunt, & communicârunt. Dicti quoque parochi intra quindecim dies poſt Dominicam *Quaſimodo* mittent ad nos, vel noſtros vicarios prædictas matriculas propriis ipſorum nominibus ſubſcriptas, cum certa & vera relatione perſonarum, quas apparebit non fuiſſe confeſſas & communicatas Dominicâ *Quaſimodo*, juxta præceptum Eccleſiæ c, ut provideamus quod expedierit. Et totum hoc, ut rem tanti momenti, dictis noſtris parochis præcipimus, ut magnâ diligentiâ & curâ perficiant, ſub pœna quinquaginta peſorum, quos vulgò *enſayados* vocant, & aliis nobis arbitrariis, ad noſtram diſpoſitionem applicandis, quas incurrent omittendo quodcumque præmiſſorum. Dictos patres-familiâs monemus, quòd ſi non collegerint ſchedulas, eaſque tradiderint parochis, prout illis præceptum eſt, contra ipſos cum omni rigore procedetur: ipſorumque conſcientias oneramus, ut curent quòd ſuarum familiarum ſinguli pro dicta Dominica *Quaſimodo* ſua peccata confiteantur, juxta præceptum Eccleſiæ, cùm tanta obligatione teneantur familiarum ſuarum curam agere. Ipſis quoque parochis præcipimus, ut intra dictos quindecim dies cum magna diligentia recuperent ſchedulas confeſſionum, in quam rem omnem curam & ſolertiam neceſſariam impendent, etiam diſcurrendo per domos illorum qui confiteri debent.

Indorum autem parochis, & qui doctrinarum curam gefferint, ordinamus & præcipimus, ut magnâ diligentiâ invigilent, quòd omnes Indi ipſorum curæ paſtoralis, qui per ætatem confiteri debent, confiteantur intra Quadrageſimam: quòd ſi caſu omnes tum confiteri non poſſint, vel propter populi multitudinem & paucitatem ſacerdotum, vel talium qui ipſorum linguam non calleant; non propter aliam cauſſam (quam non admittant) in tali caſu obſervetur conſuetudo in hoc Archiepiſcopatu hactenus uſitata, ut confiteri poſſint à Dominica Septuageſimæ uſque ad octavam Corporis Chriſti incluſivè: & quòd Indi qui communicare debent, communicent intra tempus reliquis fidelibus Chriſtianis ad communionem aſſignatum, hoc eſt, à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam *Quaſimodo*. Et quoad matriculas, volentibus dictis Indis confiteri intra Quadrageſimam, obſervabitur forma ſuperiùs præſcripta, ſub pœnis ibidem contentis: & quum oportebit ipſos confiteri à Septuageſima uſque ad octavam Corporis Chriſti, incipient parochi facere matriculam uno die poſt feſtum Regum, & eam abſolvent ante Dominicam Septuageſimæ, & ab ipſa Septuageſima monebunt eos, ut confiteantur: & confeſſionum termino tranſacto, deſcribent matriculas, & ſuis nominibus ſubſcri-

a Sefſ. 24. c. 2. *de refor.* b Conc. Toled. anno 1539. §. *Cum nonnulli.* c Cap. *Omnis utriuſque ſexus, de pœn. & remiſſ.*

cribent, cum certa & vera relatione eorum qui confiteri & communicare omiserint; ad hoc, ut sâ per nos, vel nostros vicarios, aut visitatores visâ, provideatur quod expediet. Et omnia præmissa circa matriculas facient, & opere complebunt sub pœnis suprà expressis.

CAPUT II.

De Missis quas parochi & Beneficiati pro populo celebrare tenentur. d

PRæcipimus item Beneficiatis & parochis, ut singulis diebus Dominicis & festivè servandis celebrent Missas pro populo, non accipiendo ullam pitantiam pro ipsis. Et Indorum parochi celebrabunt Missas pro populo Dominicis & diebus festivis per Indos observandis, juxta statutum ultimi Concilii Provincialis e anno MDLXXXIII. celebrati: & in Ecclesiis Indorum vel Hispanorum, in quibus consuetudo fert, ut pluribus diebus celebrentur. Omnesque dictos parochos & Beneficiatos hortamur, eisque injungimus, ut in omnibus omnino Missis, quas celebraverint, habeant specialem memoriam propriorum suorum parochianorum, & eos Deo commendare curent.

CAPUT III.

Notarii in fine cujuslibet actus adnotent jura quæ perceperint, & in summa ad finem processûs.

QUIA multum interest, ut clara sint jura quæ notarii perceperint, & ne excedant stipendia taxata; præcipimus, ut iidem notarii in fine cujuslibet actus ejusmodi jura particulatim adnotent, & omnia summatim in finem processûs, sub incursu pœnarum, quas sacrum Concilium Provinciale f in hac civitate anno proximè præterito MDLXXXIII. celebratum imponit notariis, qui in processibus & instrumentis quæ confecerint, non adnotant jura quæ inde percipiunt; & sub aliis pœnis ad nostrum arbitrium.

CAPUT IV.

Quòd pulsetur campana ad meridiem.

PRæcipimus omnibus sacristanis, tam sanctæ Ecclesiæ Cathedralis hujus civitatis, quàm aliorum locorum hujus Archiepiscopatus, quòd horâ duodecimâ meridianâ pulsent campanas, ut omnes orare possint.

CAPUT V.

Ut habeatur tabula festorum quæ observari debent.

ORdinamus item & præcipimus, ut in omnibus Ecclesiis hujus Archiepiscopatus habeatur tabula festorum, in qua designentur omnia festa, quæ sacrum Concilium Provinciale g proximè præteriti anni MDLXXXIII. observari præcipit tam per Hispanos, quàm per Indos, & festa quæ ex consuetudine in singulis Ecclesiis, & populis observantur, & festa quæ hęc ipsa Synodus Diœcesana h in hac civitate servari jubet. Declaramus insuper, quòd festa quæ sacrum Concilium Provinciale servari præcipit, per omnia loca, tam in oppidis quàm in agris observari debeant: & in festis consuetudinalibus observetur ipsa consuetudo quæ erat & est circa ipsorum observantiam. Dictam autem tabulam parochi in suis Ecclesiis appendant intra quindecim dies, postquam ista constitutio ad ipsorum notitiam pervenerit; monentes eosdem quòd si in ejus executione negligentes fuerint, cum omni rigore castigabuntur.

CAPUT VI.

Nominantur examinatores promovendorum ad Beneficia & doctrinas.

SAcri Concilii Tridentini i jussis parentes, quibus præcipit, quòd in Synodis Diœcesanis nominentur examinatores pro Beneficiis; nos pro doctrinis & Beneficiis nominavimus examinatores, qui debent præstare juramentum secundùm idem Concilium Tridentinum.

CAPUT VII.

Nominantur testes synodales.

JUxta decretum Concilii Provincialis k proximè præteriti, nominavimus testes synodales, qui diligenter inquirant res necessarias & utiles ad corrigendum, emendandum, & reformandum, absque jurisdictione vel strepitu judiciali, sed designando, & simpliciter memorando testes rei conscios, sine notario, vel accepto juramento. Debent autem specialiter inquirere, & scire, quomodo observetur sacrum Concilium Tridentinum, & Concilia Provincialia, & reliquæ constitutiones hujus Archiepiscopatus: & debent juxta juris dispositionem præstare juramentum officio suo bene & fideliter fungendi, postposito quocumque humano affectu. Et quod sic didicerint, deferent ad nos & vri-

d Conc. Mediol. II. tit. 2. decr. 4. Conc. Mediol. IV. tit. *Quæ ad Missæ sacrific. pertinent.* e Act. 4. cap. 9.
f Concil. Provinc. ann. 1583. act. 4. cap. 15 &c. Edict. gener. 1. tit. 4. §. *Et præcipimus*, & in fine Edicti.
g Act. 4. cap. 9. h Cap. 5. infra. i Trid. sess. 24. cap. 18. de reform. k Act. 4. cap. 23.

& primam Synodum quam celebrabimus, vel ad Concilium Provinciale proximè futurum.

CAPUT VIII.

De feſtis in hac civitate ſervandis.

Juſtis rationibus, & multis conſiderationibus moti præcipimus, ut obſerventur feſta ſequentia: SS. Sebaſtiani, Marcelli, Bernardi, & Blaſii in hac civitate: & in agro converſio Sancti Paulli.

CAPUT IX.

Omnes habeant iſtius Synodi exemplar.

ORdinamus pariter & præcipimus omnibus parochis, vicariis, & Beneficiatis totius noſtri Archiepiſcopatus, ut iſtam Synodum penes ſe authenticatam habeant, ut eam videant, obſervent, & opere compleant, prout in ipſa continetur; eoſdem commonentes, quòd ſi illam tranſſumere neglexerint, contra eos cum omni rigore procedetur. Vel ad minus eorum quiſque habeat eam ejus partem, quæ ad ipſum pertinet.

CAPUT X.

Parochi nos moneant de illis, qui verſantur in peccatis publicis.

STatuimus, quòd parochi gerant peculiarem curam monendi nos, vel noſtros vicarios de publicis concubinariis, & aliis, qui verſantur in peccatis publicis; ac de illis qui ſponſalibus tantùm initiati, ducunt vitam maritalem, non accepta nuptiali benedictione; ut cognitâ cauſsâ diſponatur quod expedierit.

CAPUT XI.

De publicatione quorundam capitum Concilii Tridentini.

QUoniam ſacrum Concil. Trident. ſeſs. 23. cap. 1. de reform. & ſeſs. 6. cap. 1. & 2. in quibus agitur de reſidentia Prælatorum & parochorum, præcipit ut illa publicentur, ut & Concilia Provincialia & Epiſcopalia; eiſdem parentes præcipimus, ut in præſenti Synodo dicta capita publicentur. Actum in civitate Regum octava die menſis Februarii anno MDLXXXIV.

T. Archiepiſcopus Regum.

De mandato S. Illuſtriſſimæ Dominationis.
Baccalaureus Gonzalvus de Trejo de la Cerda Secret.

IN majori templo hujus civitatis Regum, ſub offertorio Miſſæ majoris, die Dominica, nonâ menſis Februarii anni MDLXXXIV. ex pulpito ad populum legi & publicavi ſupradictas conſtitutiones ſanctæ Synodi Diœceſanæ, de mandato Illuſtriſſimi Domini D. Toribii Alphonſi Mogrovexi, hujus ſanctæ Eccleſiæ Archiepiſcopi. Et ſtatim immediatè legi duo decreta ſac. Conc. Trident. unum quod agit de reſidentia Epiſcoporum, & alterum de reſidentia parochorum, in præſentia ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis, & teſtium præſentium, licentiati D. Bartholomæi Martinez Archidiaconi, & D. Petri Villarverche Scholaſtici hujus ſanctæ Eccleſiæ, & licentiati Ramirez de Carthagena Auditoris audientiæ Regiæ, & multorum aliorum: & in fidem ſubſcripſi ut de eo conſtet. Actum in hac civitate Regum die decima octava Martii anni MDLXXXIV.

Baccalaureus Gonſalvus de Trejo de la Cerda Secretarius.

SYNODUS DIOECESANA VALENTINA

CELEBRATA PRÆSIDE ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

D. JOANNE RIBERA

Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino anno MDLXXXIV.

JOANNES RIBERA PATRIARCHA ANTIOCHENVS & Archiepiſcopus Valentinus omnibus ſuæ diœceſis Chriſtifidelibus ſalutem in Domino.

SI ea eſſet in hominibus ad virtutem comparandam diligentia, & ad conſervandam animi fortitudo, ut non facilè in diverſa laberentur; non ita multis legibus opus eſſet, quibus velut adminiculis ipſa morum rectitudo ſuſtentari ac fulciri poſſet: ſed ut magna eſt hominum incuria, & animi mobilitas, ita ſæpè fit, ut neglecta virtute, multi obliqua ſequantur, & in varia ſe vitia præcipites dedant. Hinc fit, ut novis quotidie inſurgentibus morbis, nova ſint adhibenda remedia: ne ſi ægritudo invaleſcat, nulla jam ſpes ſalutis relinquatur. Aliquot jam abhinc annis Diœceſanam Synodum celebravimus, ut ſancita aliqua morum reformatione, ſi quæ collapſa viderentur, inſtaurari & erigi poſſent. Pòſt verò cùm res minimè id poſtularet, ab eo aliquandiu deſtitimus, donec cogitare cœpimus, non eſſe hæc exercitia diu intermittenda; ſed repetenda potiùs, ut pullulantes in agro Dominico ſentes reſecari, ac etiam avelli poſſint. *Paſcite* (dicebat Beatus Petrus Apoſtolus) *qui in vobis eſt, gregem Dei: providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum.* Paſcuntur autem Dominici greges tum divini verbi prædicatione, ut hujuſmodi ſpiritali eſca nutriti, ea quæ ſunt ſpiritûs, ſapiant: tum etiam Prælatorum ſtatutis & mandatis, cùm inſurgentia mala prohibentur, & quæ bona ſunt, ſanctè præcipiuntur. Sunt enim quos ſola monitione ad bonum perſuadeas: ſunt qui ferè ad omnia præceptis egent: ſunt qui pœnâ etiam trahendi ſunt. Quare ut hujuſmodi etiam paſtum noſtris præberemus, meritò hiſce diebus convocatâ Diœceſanâ Synodo, ac proinde vocatis ad hanc urbem omnibus noſtræ diœceſis parochiarum præfectis, de his omnibus cum eis contulimus, que diœceſi partim convenire, partim etiam neceſſaria eſſe videbantur. Addidimus itaque ſuperiori Synodo decreta, ſed pauca: neque enim plura præſens rerum ſtatus poſtulabat. Veſtrum erit, juxta præceptum Apoſtoli, obedire præpoſitis veſtris, & ſubjacere eis: ipſi enim

pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Memores igitur veſtri officii, mala prorſus abjicite,& quæ recta ſunt, operamini: ut æterna bona, quæ ſuis Deus parata habet, ſimul omnes tandem conſequamur. Datum Valentiæ, in domo noſtra Archiepiſcopali 6. Kalendas Octobris anno MDLXXXIV.

EXHORTATIO

Ad divinum officium attentè recitandum.

SED antequam ſynodalia decreta proponantur, illud maximè noſtros, qui ſacris ſunt initiati, admonitos eſſe velim, quanto animi ſtudio & diligentia ſuo muneri intendere, quàm pura & ſincera mente omnia illa exſequi, quæ eorum conveniunt dignitati, debeant. Quid enim ſacer ordo non exigit virtutis & ſanctimoniæ,ut rectè & ſanctè omnia fiant, ac ne ſcandali aliquid aut offenſionis ex factis, dictis, corporis habitu,aut alia quacumque ex re oriri poſſit? Illud ergo ſedulò ac diligenter à vobis curandum eſt, ut vitæ veſtræ exemplo aliis ad omnia probè gerenda duces ſitis, & ut ſic bona omnia in vobis ſplendeant, ut ſplendore illo reliqui etiam illuſtrentur: & juxta præceptum Apoſtoli, exemplum ſitis aliis in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, & caſtitate. Illud etiam perpendite, quales ii eſſe debeant, quibus ex munere competit, non pro ſe ipſis tantùm, ſed pro aliis etiam Deum orare: quàm charus, quàm gratus qui intercedit, illi eſſe debeat quem orat, quemque ad ſua vota flectere nititur. Sit ergo primùm oratio veſtra munda, quam nulla culpæ macula deturpet: neque enim munda eſſe poterit, ſi ex mente prodierit immunda. *Memores eſtote Moyſis* (dicebat Eliachim ſacerdos) *qui Amalech confidentem in virtute ſua, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando dejecit.* Et Beatus Joannes Apoſtolus priore ſua Epiſtola ſcribebat: *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Quem locum Beatus Hieronymus graviſſimè his verbis explicat: *Si id quod præcipit Deus, facimus; id quod petimus, obtinemus.* Et ſubdit: *Valdè enim apud Dominum utraque hæc ſibi neceſſariò congruunt; ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio.* Unde & Hieremias ait: *Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & revertamur ad Dominum: levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Certè is unà cum corde manus etiam ad Dominum levat, qui orationem ſuam operibus roborat: & juxta Beati Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, quum nulla vitæ pravitas ei contradicit, & bonorum operum ratio orationi concinit. D. etiam Chryſoſtomus, quanta ſit orationis dignitas explicans, eam genus quoddam eſſe ſacrificii aſſerebat, cùm diceret: *In precationibus poſſumus eſſe vigilantes, ſi conſideremus cui loquamur: ſi reputemus nos ſacrificium Deo offerre, & gladium tenere manibus, necnon ignem & ligna: ſi cogitatione cœli portas aperiamus, ſi illo transferamur, & arrepto gladio ſpiritûs, infigamus illum in jugulum hoſtiæ; & illam ſobrietate mactemus, & lacrymas illi infundamus. Hic enim eſt hujus ſacrificii ſanguis, hujuſmodi illa ara rubeſcit mactatione.* Et ſubjungit: *Ne committas igitur, ut tempore quo orandum eſt, quicquam humanarum cogitationum occupet animum tuum. Abraham enim cùm hoſtiam adferret, non uxorem, non ſervum, non alium quemquam paſſus eſt adeſſe: itaque nec tu ſinas ſervilium ac illiberalium affectuũ quicquam adeſſe tibi: ſed ſolus aſcende in montem, quò aſcendit ille, quò fas non eſt quemquam alium aſcendere. Quòd ſi quæ talium cogitationum tecum aſcendere conentur, imperato illis cum auctoritate, & dicito: ſedete hìc: ego verò & puer adorato Domino revertemur. Relicto itaque quicquid humanum fuerit, aſcende; atque aram ſicut ille ædificavit, ædifica: tamquam nihil habens humanum, ſed velut à natura factus alienus. Siquidem ille, niſi ultra naturam exiiſſet, nequaquam filium immolare voluiſſet. Ne igitur res ulla* (ait) *cùm oras, tibi obſtrepat, ſed ſias cœlis excelſior; ſuſpira amarè, immola confeſſionem; dic tu peccata tua prior, ut juſtificeris: & offer contritionem cordis. Hæ victimæ non in cinerem abeunt, neque in fumum diſſolvuntur, neque lignis egent aut igne, ſed ſola mente compuncta. Hæc ligna, hic ignis incendens illa, & non exurens. Etenim qui cum fervore orat, inflammatur, non exuritur; ſed velut aurum igne probatum fit ſplendidior.* Ad hunc modum ſanctiſſimi Patres ipſos fideles ad orandum hortabantur. Ex quibus colligimus, quàm longè aliter agant, qui dum Deum oraturi ſunt, quaſi non id acturi, aliud cogitant: dignitatem rei, quam aggrediuntur, minimè perpendentes, alii in locis minus orationi aptis orantes: alii profana miſcentes negotia: & nihil minus cogitantes, quàm quod agunt: alii quo tempore cum aliis attentè concinendum eſt, de rebus variis cum aſſidentibus colloquentes: cùm tamen toto animo, totaque mente Deus orandus ſit; ut & orantibus ipſis ſuo favore adſit, & his etiam adeſſe dignetur, pro quibus orationes ſunt inſtitutæ. Quanta igitur poſſum animi propenſione vos hortor atque obteſtor, ut hæc maximè advertatis, & ita opere præſtetis, ut nihil in vobis ea in re ſit reprehenſione dignum: quin potiùs ex tota vitæ veſtræ ratione, ac inter alia, ex hoc etiam orandi Deum,modò Deus ipſe maximè glorificetur, qui ſit ſemper, & in ſæcula benedictus.

CON-

ADMONITIO

Ad parochianos, de conveniendo in Eccleſiam parochialem diebus Dominicis & feſtis ad audienda divina officia.

FUIT olim tanti apud antiquos patres ille frequens in Eccleſiam propriam parochialem fidelium conventus, ut ad hanc diſciplinam populi Chriſtiani inſtitutioni valdè accommodatam retinendam, certis decretis cautio aliqua adhibita ſit. Primùm enim hoc juſſum eſt, ut Dominicis, feſtiſque diebus parochi antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, an alterius parochiæ fidelis adſit, qui proprio contempto presbytero, ibi Miſſam audire velit: quem ſi invenerint, ſtatim inde ejiciant, & in parochialem ſuam Eccleſiam ad Miſſam audiendam redire compellant. Deinde illud planè vetitum fuit, alienæ parochiæ fidelem à parocho ad Miſſam recipi, niſi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit. Cujus veteris diſciplinæ reſtituendæ, in uſumque revocandæ deſiderio flagrans olim sũmus Pontifex Urbanus VI. eo de genere Apoſtolica ſanctione diligentiſſimè cavit: & nuper ſacra Tridentina Synodus Oecumenica ab Epiſcopis fideles non ſolùm hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias parochiales Eccleſias, ſaltem Dominicis diebus, feſtiſque majoribus accedant; ſed illud etiam diligenter oſtendit, unumquemque teneri, ubi commodè fieri poteſt, parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei: ac proinde id præterea ſtatuit, parochis, animarumque curatoribus inter Miſſarum ſolennia aliquid ex iis, quæ in Miſſa leguntur, exponi; & ſanctiſſimi illius ſacrificii myſterium aliquod explanari; plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſci, eaſdemque doceri quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; in lege Domini erudiri, & ſacra eloquia illis explanari: tum in unaquaque Eccleſia parochiali pueros fidei rudimentis inſtrui. His igitur ejuſdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteri ſalutari exemplo adducti, cùm populum urbis, diœceſiſque Valentinæ noſtræ, rebus ad ſalutem neceſſariis inſtructum per bona opera ad præmium ſempiternum perducere ſummopere in Domino cupiamus; hac noſtra monitione eos univerſos & ſingulos cohortamur, ac per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti Domini noſtri obſecramus atque obteſtamur, ut quamvis in ſuis vicinis oppidis, & ſuburbiis, oratoria, cappellas, aliaſve Eccleſias habeant, ubi ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio intereſſe poſſint; frequenter tamen, Dominicis ſaltem, aliiſque ſolennibus feſtis diebus, ad ſuam quique parochialem Eccleſiam conveniant, ubi à parocho, cui eorum cura commiſſa eſt, verbo Dei paſcantur, Fidei Chriſtianæ rudimentis, aliiſque animarum ſaluti neceſſariis præceptis erudiantur, ad ſanctiſſima ſacramenta religioſiùs percipienda inſtruantur, ad eorundemque frequentem uſum, ut illa ſacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus in dies magis inflammentur: tum ab eodem item audiant, qui dies feſti, ſi qui in hebdomadam inciderint, colendi: quæ vigiliæ, jejuniave ſervanda ſint, diſcant ab ipſo: item quæ Chriſtianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præſtari oporteat, ac quæ præterea ſupplicationes, proceſſioneſve, aut ſtationes, orationes, indulgentiæ, jubilæa indicantur: quæ matrimoniorum denunciationes fiant: quæ item pro ratione temporum, admonitu juſſuve Epiſcopali ad diligentiorem eorum inſtitutionem promulgentur. His atque aliis fructibus, qui ex paternis parochi vel in cohortando, vel in monendo, officiis exiſtunt, eos carere continget, qui ad Miſſam iis diebus in ſuam parochialem Eccleſiam non conveniunt. Immo verò quia hoc audiendæ illis diebus Miſſæ parochialis munus à fidelibus minùs diligenter præſtatur, & à quibuſdam planè negligitur; multa incommoda inde exiſtunt. Hinc in pleriſque ſæpe Fidei articulorum, & Dei, ſanctæque matris Eccleſiæ præceptorum, quæ ad ſalutem conſequendum Chriſtianum hominem nôſſe oportet imperitiâ, feſtorum dierum cultus neglectus, debita Chriſtianæ pietatis opera non exculta, non cognita Chriſtiana familiarium inſtitutio, langueſcens ſacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus, ſanctiſſimorum inſtitutorum, & ſacrorum Canonum violatus uſus: hinc denique in Eccleſiis parochialibus, quæ à majoribus tanto pietatis ſtudio exædificatæ ſunt, inſtaurandis, ordinandis, ſartis tectiſque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illiſque nulla, aut penè exigua Eccleſiaſtica ad divina officia obeunda neceſſaria ſupellex. His tot tantiſque malis atque incommodis unuſquiſq; occurrere ſtudeat, id diligẽter exſequendo quod ſanctorum Patrum ſuadet auctoritas, quod Tridentina Synodus monet ac jubet, quod ex illius juſſu nos de uniuſcujuſq; veſtrûm ſalute ſoliciti, paternis vocibus cohortamur & monemus in Domino. Nec verò quenquam aliquod, quod vel ex parochialis Eccleſiæ aliqua diſtantia, vel ex pluvia, frigore, æſtu, temporumve viciſſitudine exiſtit, incommodum ab hoc officio deterreat: immo verò ad illud diligentiùs exſequendum, prout in Domino confidimus, ſe quiſque eorum accedant neceſſe eſt, qui ſalutis ſuæ memores, hujus rei gravitatem, eorum quæ commemorata ſunt, ratione perpendunt: quique aliquando ſecum animo reputabunt, non ſolùm parochialem Eccleſiam ſibi datam eſſe, in qua primùm baptiſmo ſuſcepto Chriſto Domino renati, aliis ſacramentis alantur ad perpetuam ſalutem, ſed parochum etiam ſacerdotem ſibi loco parentis eſſe debere, quem diligant, colant, atque obſervent; hoc ſibi proponentes, illum pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deum internuncium ac deprecatorem eſſe, divinæ legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ & morum diſciplinæ magiſtrum, à quo omne petant piè rectèque agendi conſilium, ac denique miniſtrum omnium ferè quę ad ſalutem eis neceſſaria ſunt. Huic autem noſtræ

ſtrę monitioni, etſi omnes pro præcipua ſuæ ſalutis cura audientes eſſe debent, imprimis tamen patres-familiâs, tutores, ludimagiſtros, cæteroſque aliorum moderationi curationive præfectos cohortamur, divinaque conteſtatione admonemus, ut de ſua & aliorum quorum curam gerunt, ſalute ſoliciti, primùm ipſi hæc paterna monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus, ad illa exſequenda inflamment: idque curent, ut non ſolùm Miſſę & divinorum officiorum tempore, illi in parochialem Eccleſiam cunveniant; verùm etiam, ut inſtitutas in ea doctrinę Chriſtianę ſcholas ſtatis illis diebus frequentent.

Hîc inſerta erat formula profeſſionis Fidei à Pio IV. præſcripta, quam cùm jam ſuprà in Concilio Toletano anni MDLXV. ediderimus, omittendam hîc duximus.

DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ
VALENTINÆ.

Prę ſide Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Joanne Ribera Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino, anno MDLXXXIV. menſe Septembri.

DECRETUM I.

Quando, & quantum pro literarum lectione, quæ in Eccleſiis fieri ſolet. à curatis accipi poſſit.

COMMENDANDA ſane & laudabilis eſt in hac noſtra diœceſi conſuetudo, qua parochi & eorum vicarii nihil accipiunt, quum literæ matrimoniales, aut cujuſvis alterius rationis literæ, quarum lectio ad ipſorum munus ſpectat, in Eccleſiis ad populum perleguntur: quem morem in poſterum etiam ſervari volumus. Quia tamen aliquando ad perlegendas in pulpito diebus feſtis privatarum perſonarum literas, quales ſunt monitoriæ, & illæ quibus excommunicatio infertur, & quæ dicuntur Paullinæ, non parum laboris inſumendum eſt; ſtatuimus, Synodo approbante, ut in poſterum pro ſingulis literis monitoriis quoties legentur, nummos quatuor; & pro Paullina una, & aliis quæ minimè breviores fuerint, ſolidum unum accipere poſſint.

DECRETUM II.

Quomodo ceræ quarta accipienda ſit.

SOLET in hac noſtra diœceſi quum mortui ſepeliuntur, ceræ quæ dicitur *Quarta*, non uno eodemque modo, ſed variè à diverſis accipi: ut autem unus in tota diœceſi in hac re modus obſervetur; ſtatuimus, approbante Synodo, prædictam ceræ Quartam hoc modo ab omnibus accipi debere: Si ad ſepeliendum defunctum funerales cerei, qui *intortitia* dicuntur, deferantur; duo ex illis pro quarta accipientur: itidem ex cereis majoribus & communibus duo, quos ipſe accipiens maluerit. Si verò minores tantùm cerei allati fuerint, aut ſine cereis mortuus ſepeliatur; poſſit ſex accipere ſolidos, juxta decreta hujus Archiepiſcopatus ſynodalia: aut ex parvis illis cereis tot, quot pro conſuetudine quibuſdam in locis dari ſolent, accipiat. Quem modum in omnibus Archiepiſcopatûs Eccleſiis ſervari volumus, ne ullum ea in re ſit in diverſis Eccleſiis diſcrimen.

DECRETUM III.

Ne duplex portio ob defuncti tantùm receptionem accipiatur.

QUOTIES defunctus aliquis extra propriam parochialem Eccleſiam ſepeliendus erit; ſi contigerit aliquam ob cauſſam, utpote propter loci diſtantiam, clericis parochiarum, quæ funus comitantur, duplicem portionem deberi, ut in catalogo Synodi Diœceſanę Valentiæ celebratæ anno MDLXVI. præſcribitur; mandamus, ne Eccleſia illa, in qua ſepeliendus erit defunctus, ob illius receptionem portionem illam duplicem accipiat. Neque enim æquum eſt, ubi diſpar eſt labor, parem eſſe mercedem; niſi fortè Eccleſia illa ab ipſa defuncti domo funus comitata, eundem cum altera laborem ſubiiſſet. Tunc enim duplicem portionem ipſa etiã reportabit.

DECRETUM IV.

Peregrinationes in oppidis minimè fiant non vocato oppidi curato.

ACCIDIT aliquando, ut ex oppido in oppidum peregrinationes in proceſſionum modum, devotionis alicujus occaſione, non accerſito oppidi rectore, fiant: quæ cùm poſthac ob ea incommoda, quæ ex illis aliquando evenire ſolent, permittendę non ſint; ipſis etiam parochis omnibus & eorum vicariis, Synodo approbante, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus, ne ſi hujuſmodi proceſſiones ad eorum oppida perveniant, illis cum proceſſione aut aliter obviam eant; ac ne ad eorum ingreſſum campanæ pulſentur.

DECRETUM V.

Si occiſus aliquis fuerit ab hoſte, quamvis moderatâ, ſolitâ tamen pompâ ſepeliatur.

EXSTIRPANDA planè eſt prava illa conſuetudo ab aliquibus in hanc diœceſim inducta, qua ſi qui fuerint ab inimicis occiſi, aut ſiniſtro aliquo caſu occubuerint, no-

ctu

ctu abſque lumine & comitatu ſepeliri ſolent: & quod magis dolendum eſt, ipſum etiam Miſſę ſacrificium, & ſuffragatoriæ preces, quibus Eccleſia pro defunctis orare ſolet, impiè omittuntur. Quapropter omnibus noſtri Archiepiſcopatus rectoribus atque vicariis, aliis itidem perſonis omnibus Eccleſiaſticis, ac ipſis etiam laïcis, ſub excommunicationis pœna, in quam contrà agentes ipſo facto incidant, præcipimus, ne in poſterum alicujus defuncti corpus prædicto modo ſepeliant, aut ſepeliri permittant. Immo verò rectores ipſi, cũ non conſtiterit conditum ab ipſo defuncto fuiſſe teſtamentum, modum quo ſepeliri debet, conſtituant: ut ſcilicet interdiu, præcedente cruce, & ſubſequente Eccleſiæ parochialis clero, adhibito etiam campanarum ſonitu, ſepeliatur. Pòſt verò, quamprimùm rector poterit, ipſum teſtamentariarum cauſſarum judicem de ea re certiorem faciat, ut quæ ſuffragia pro defuncto illo ſint Deo offerenda, deſignare poſſit: ut fit, juxta ſynodalia ſtatuta, cùm quis inteſtatus obierit.

DECRETUM VI.

Publicè excommunicati, pòſt etiam diebus Dominicis nominatim publicentur, aut ea de re Superior conſulatur.

EXSECRANDA eſt illorum animi obduratio, qui magno cenſurarum Eccleſiaſticarum contemptu, excommunicatione multo tempore ligati, rationem qua illa ſolvatur, minimè quærunt. Quare parochis omnibus noſtri Archiepiſcopatus, eorumque vicariis mandamus, impoſitâ illis ſi aliter egerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, ut Dominicis diebus in ipſo Eccleſiæ ſuggeſtu eos qui in parochialibus eorum Eccleſiis publicè & nominatim excommunicati fuerint (quorum nomina penes ſe deſcripta habeant) nominatim publicent: aut certè (ſi res ipſa popoſcerit) Superiorem de cauſſa, ob quam id fieri debere non videbitur, conſulant. Populo etiam ſignificent, excommunicatos illos vitandos eſſe, & fidelium participatione eſſe privatos: quæ publicatio durabit donec de illorum abſolutione per literas ejus, à quo excommunicatio lata fuit, conſtiterit.

DECRETUM VII.

Perſonas Eccleſiaſticas nullis impoſitionibus, ac ne indirectè quidem, à dominis, vel univerſitatibus eſſe gravandas.

QUAMQUAM contra dominos temporales, & quaſcumque locorum univerſitates, quę ipſos Beneficia obtinentes, & perſonas Eccleſiaſticas, adversùs Eccleſiæ immunitatem, impoſitiones, & quas vocant *tallias*, ab ipſis impoſitas, ſolvere compellunt; Jus canonicum ſtatuta condiderit, graves etiam pœnas impoſuerit; quia tamen in hac noſtra diœceſi nonnullis in locis palliato quodam locationis, quam *arrendamentum* vocant, colore, Eccleſiaſticæ perſonæ indirectè ſaltem gravantur; æquum erit hoc malum pro viribus noſtro etiam decreto evellere. Solent enim domini & univerſitates, aliquâ pecuniæ ſummâ acceptâ, macella locare (quæ locatio, ut diximus, *arrendamenti* nomine appellatur) concedentes ut in illis non ſolùm carnes ſcindi ac vendi poſſint, ſed etiam ut carnis libra aliquantò pluris quàm valeat, vendatur: qui juſti valoris & pretii exceſſus verè locum impoſitionis habet. Qua ex re Eccleſiaſticæ perſonæ detrimentum patiuntur, niſi illis ſuperabundantis illius pretii reſtitutio fiat. Quare Lateranenſi Concilio, & Bullæ in Cœna Domini inhærentes, approbante etiam Synodo, prædictis dominis temporalibus, ſi dicto modo Beneficiatos, aut ſacris initiatos, aut quoſcumque religioſos ad prędictam impoſitionem ſolvendam, aut alias quaſcumque compulerint, excommunicationem latæ ſententiæ eo ipſo incurrendam imponimus. Si verò univerſitates fuerint, ipſo facto interdicto ſubjaceant, à qua excommunicatione minimè abſolvantur, neque interdictum ceſſet, donec prędictæ impoſitionis ſolutione ipſi Eccleſiaſtici liberentur, & damni ac impenſarum eis reſtitutio fiat.

DECRETUM VIII.

Quomodo in die commemorationis defunctorum poſſint in eadem Eccleſia plures Miſſæ pro defunctis decantari.

UT noſtrorum Eccleſiaſticorum paupertati aliquo modo ſubveniamus (quod libenter à nobis præſtatur) quoties abſque incommodo aliquo id fieri poteſt, ſic ſtatuendum eſſe, ipſa Synodo approbante, duximus: Quamvis meritò, ac etiam ſanctè à Reverendiſſimo domino Martino de Ayala prędeceſſore noſtro in Synodo Diœceſana Actione I. cap. 14. ſancitum fuerit, in die commemorationis omnium defunctorum unam tantùm Miſſam, nempe conventualem, decantandam eſſe; reliquas verò omnes privatim & ſubmiſſa voce celebrandas; quia tamen populi devotio ex pluribus decantatis Miſſis augeri videtur; & ne hac occaſione populus eo die à propriis ſuis Eccleſiis aliò divertat, ſi viderit non adeò honorificè & ſolenniter poſſe ibi pro ſuis defunctis ſacrificia offerri; declaramus, plures Miſſas prędicto die in una Eccleſia decantari poſſe, dummodo id ſucceſſivè fiat, ut una ſcilicet poſt aliam, & ſingulæ integrè à principio ad finem, & cantu non præcipiti decantentur. Licebit autem tot decantare Miſſas, quot convenienti & debita veneratione decantari poterunt. Accipiat autem clerus pro ſingulis hujuſmodi Miſſis ſolidorum decem eleemoſynam, non eo plus. Quod autem ad ipſas abſolutiones attinet, is ordo in eis ſervetur, qui in dicto decreto fuit conſtitutus.

DE-

DECRETUM IX.

Subdiaconi Beneficia obtinentes, ad distributiones & emolumenta in Ecclesiis admittantur.

BENEFICIA Ecclesiastica obtinentes, quia ad subdiaconatûs tantùm ordinem sunt promoti, cùm non jam ad sęculum retrocedere possint, jamque altari deserviant, ac proinde de altari sit illis vivendum; meritò, approbante Synodo, declaramus, illos in hac nostra diœcesi ad omnes distributiones in Ecclesiis percipiendas, & ad omnia integrè emolumenta, ad quæ cæteri, qui presbyteri sunt, admittuntur, admittendos etiam esse, uno excepto Extremæ-unctionis sacramento.

DECRETUM X.

Construantur in Ecclesiarum archivis repositoria, in quibus Beneficiorum acta tutò custodiantur.

IPSO temporis decursu compertum fuit, atque ipsa nos etiam experientia docet, multorum Beneficiorum redditus, illorum incuriâ qui ipsa Beneficia obtinent, in dies magis amitti: cujus rei illa potissima est caussa, quòd segniter admodùm ipsa censuum acta, & alia instrumenta ad Beneficium pertinentia ab eis custodiantur. Quare huic malo occurrere volentes, ipsa consentiente Synodo, mandamus, ut in omnibus nostrę diœcesis Ecclesiis, in quibus Beneficia fuerint instituta, post tres menses ab hujus Synodi promulgatione rector & clerus intra ipsum Ecclesiæ archivum repositorium unum conficiant, cum tot scriniolis, sive cellulis, quot in illa Ecclesia Beneficia fuerint. In quo acta omnia & instrumenta ad Beneficium spectantia in posterum recondantur, ita ut singulæ cellulę singulis Beneficiis deputentur. Quod ipsorum Beneficiatorum expensis respectivè fiat. Quę acta educi inde sine urgenti necessitate minimè possint, & nisi cautio de illis in eundem locum restituendis intra tempus ab archivi custode prescribendum, ipsi priùs fuerit data. Quod ipsum repositorium clausum semper erit, cujus clavem servabit idem archivi custos. Quod autem ad ea Beneficia spectat quæ in monasteriis, confraternitatibus, hospitalibus, & aliis piis locis, quę Ecclesię parochiales non sunt, fundata fuerunt; mandamus, eorum Beneficiorum acta & scripturas in repositorium illius parochię reponi, intra cujus ambitum monasteria illa, confraternitates, hospitalia, & pia loca fuerint sita.

DECRETUM XI.

In funerariis actibus eadem portio clericis parochialium Ecclesiarum detur, quæ clericis Metropolitanæ Ecclesiæ dari solet.

INVALUIT consuetudo in hac Valentina civitate, ut in quibusdam funerariis actibus, ad quos Ecclesia Metropolitana cum aliis Ecclesiis parochialibus concurrit, major portio clericis Metropolitanæ Ecclesiæ, quàm aliarum Ecclesiarum parochialium tribuatur. Sed ne aliquibus hæc disparitas sit injucunda, approbante etiam Synodo statuimus, eandem posthac parochialium Ecclesiarum clericis portionem dari debere, quæ clericis Metropolitanæ Ecclesiæ datur; cum labor sit omnium æqualis.

DECRETUM XII.

In Missa conventuali præfatio & oratio Dominica cantu, non submissa voce proferantur.

EA festa, quæ in Ecclesia præcipuè celebrantur, solenniter à nobis peragenda sunt. Quare ut aliqui ea in re abusus tollantur, præcipimus, ne ulla ex caussa diebus Dominicis & festis in Missa conventuali prefatio & oratio Dominica absque cantu submissè dicantur: neque in matutino officio antiphonæ & responsoria suo cantu priventur. Qui huic decreto repugnaverit, 40. solidis multetur, fabricæ Ecclesiæ applicatis.

DECRETUM XIII.

Celebrans Missam ex his Missis, quæ ad collectorem spectant, eam in libello papyraceo describat.

QUO majoris momenti est, & magis salutiferum Missę sacrificium, quod pro vivis & defunctis Deo offertur, tantò diligentiùs curandum est, ut Missæ tam ab ipsis jam defunctis, quàm ab his qui vitam adhuc agunt, Ecclesiis ad celebrandum relictæ & impositæ, verè celebrentur. Quapropter, consentiente etiã Synodo, cuicumque presbytero qui Missam ex his celebrare Missis voluerit, quæ in parochiis ad Ecclesiæ collectorem spectant; præcipimus, ut illam eodem ipso die propria manu in quaternione papyraceo, vel libello ad hoc deputato describat: ita enim faciliùs ac certiùs poterit visitator ea de re rationem exigere, & omnia ad veros calculos revocare. Si aliter egerit, nulla illius Missę quæ scripta prædicto modo non fuerit, ad celebrantis utilitatem ratio habeatur.

DE-

DECRETUM XIV.

Quòd qui in parochialibus Eccleſiis mortuos ſepeliunt, quos foſſores *vocamus, reliquis in officio ſuo exſequendo præferantur.*

JURA omnia ac privilegia Eccleſiarum parochialium, utpote quæ ſuorum parochianorum ſpiritales matres verè habeantur, in omnibus earum miniſtris obſervari maximè debent, etiamſi miniſter ille ultimum inter illos locum habeat. Cùm igitur hi miniſtri, qui in Eccleſiis parochialibus mortuos ex officio ſepeliunt, illis Eccleſiis continuò inſerviant, & earum pauperes gratis ſepelire, aliaque obſequia illi ſine ullo emolumento frequenter præſtare ſoleant; meritò præſenti hoc noſtro decreto illos hoc modo juvandos eſſe decernimus. Si defunctus aliquis in propria parochiali, ſeu alia quacumque Eccleſia ſit ſepeliendus, idque comitante confraternitate aliqua ex his, quę ad hajuſmodi funerarios actus peculiares miniſtros habent; propriæ parochialis Eccleſię ſepeliendi miniſter ſuum munus exſequatur, hoc eſt ipſum cadaver deorſum deferat, ad Eccleſiam portet, atque etiam, ſi in propria parochiali Eccleſia ſepeliendum eſt, ſepeliat. Quòd ſi aliquem ex his actibus confraternitatis miniſtri efficiant, miniſtro tamen propriæ parochialis Eccleſiæ portio integrè perſolvatur, ac ſi ſuo officio functus omnino fuiſſet, nulla in contrarium obſtante conſuetudine.

DECRETUM XV.

Viſitatores domibus Rectorum aut clericorum excipi hoſpitio poſſint.

IN noſtra Diœceſana Synodo ante hanc ultimò celebrata, decr. XXXIX. ſtatutum fuerat, ne viſitatores noſtræ diœceſis ipſo viſitationis tempore ad rectorum vel clericorum domos hoſpitii cauſsâ diverterent. Sub excommunicationis itidem latę ſententiæ pœna præcipiebatur, ne parochi ſeu clerici per ſe, vel per alium, pecuniam aut quodcumque aliud munus viſitatoribus conferrent: ac ne ipſi viſitatores ſponte etiam oblatum reciperent. Quoniam tamen multis in locis non alia ad illos hoſpitio excipiendos, quàm ipſius rectoris domus reperiri poteſt: & in ipſa domo, in qua viſitator excipitur, de corrigendis perſonarum Eccleſiaſticarum moribus ſæpè eſt agendum, quod inter laïcos minimè decet; ut omnem, etiam ob rem parvi momenti, cenſuræ metum auferamus; hoc noſtro decreto poteſtatem viſitatoribus facimus, ut poſſint poſthac rectorum & clericorum domibus hoſpitio excipi. Itidem declaramus, pœnâ illâ excommunicationis latæ ſententię illos tantùm ligari, qui viſitatores ſuis expenſis aluerint: & ipſos viſitatores, ſi hujuſmodi alimenta tempore viſitationis præter ſtipendium eis aſſignatum, acceperint; reliqua in prædicto decreto ſtatuta ſuam virtutem & robur habeant.

DECRETUM XVI.

De reductione Miſſarum.

QUAMVIS de Miſſarum reductione, quæ ex variis defunctorum relictis impoſitę erant, nec celebratæ adhuc ob ſacerdotum paucitatem fuerant, in noſtra Diœceſana Synodo anno Domini MDLXXVIII. celebrata ſancitum fuerit; & toto hoc tempore ut celebrarentur diligenter curaverimus; fieri tamen ob eandem cauſſam non potuit, quin multę adhuc celebrandę relinquantur. Ne igitur piæ teſtatorum voluntates depereant, & ut illorum conſcientię, quibus hoc negotium incumbit, conſulatur; ſacri Tridentini Concilii decretum ſequuti, quod incipit: *Contingit ſæpè*: ubi poteſtas Epiſcopis datur, ut in Diœceſana Synodo hac de re ſtatuere ea poſſint, quæ ad Dei honorem & cultum, Eccleſiæque utilitatem judicaverint expedire; in hunc modum ſtatuimus: In omnibus, tam collegiatis quàm parochialibus hujus diœceſis Eccleſiis (in quibus declaramus ſequentem Miſſarum reductionem neceſſariam eſſe) Miſſæ omnes ex variis defunctorum relictis impoſitę, quæ hactenus celebrari minimè potuerunt, ſed neque nunc poſſunt, ac proinde neceſſariò celebrandæ ſuperſunt; reducantur, ſicut præſenti hoc decreto illas reducimus, in anniverſaria perpetua, aut in diſtributiones quotidianas, quę ad horas in choro præſentibus diſtribuantur, aut in alia pia opera noſtrâ voluntate & arbitrio exprimenda, ut pro qualitate & neceſſitate cujuſcumque Eccleſiæ illi convenire judicabimus; ita tamen ut qui hęc commoda ſenſerint, intelligant ſe adſtrictos eſſe ad orandum, & commemorationem pro illis faciendam, qui legata illa pro animarum ſuarum ſalute reliquerunt: & ad ea etiam pręſtanda, quę à nobis ad hanc rem illis imponentur. Ut autem perpetua hæc anniverſaria celebrari poſſint, & diſtributiones quotidianæ in choro perſolvi, & alia pia opera perfici; eas omnes eleemoſynas, quæ ad prædictas Miſſas celebrandas in Eccleſiis congeſtæ ſunt, ex nunc ad dictos effectus applicamus. Ex qua pecuniarum ſumma in tutis ac ſecuris locis cenſus, noſtro tamen aſſenſu & decreto, conſtituantur.

DECRETUM XVII.

Propria parochialis Eccleſia generaliter ad funus procedere poteſt, aliis non generaliter procedentibus.

SI defunctus aliquis extra parochialem ſuam Eccleſiam ſepeliendus ſit, petaturque ut ad funus deducendum ipſa tantùm propria parochialis Eccleſia generaliter proce-

dat; præcipimus, ne ex ea parochia in qua, vel intra cujus ambitum defunctus ſepelietur, plures clerici ad illum ſepeliendum conveniant, quàm ex propria parochiali Eccleſia ad eundem effectum convenerint: ne alicui invito tot impenſæ abſque ulla cauſſa fiant: non obſtante huic decreto quacumque alia hujus Archiepiſcopatus in contrarium conſtitutione.

DECRETUM XVIII.

De cereis in altaribus dum Miſſæ celebrantur accendendis.

UT eâ, quâ decet, veneratione ſacrum Miſſæ ſacrificium celebretur, mandamus, ut in beatæ Mariæ virginis, & animarum altaribus, in quibus frequentiùs Miſſæ celebrantur, duo juſtę magnitudinis cerei apponantur, qui donec Miſſa finiatur ſint accenſi. Impenſę ſumentur ex eleemoſynariis beatæ Mariæ virginis, & animarum patinis, ubi eleemoſynę abundaverint.

DECRETUM XIX.

De his qui examini & cauſſis Eccleſiaſticis præficiuntur.

SACRI Tridentini Concilii decreto obtemperantes, eorum examini, qui vacaturis Eccleſiis ſunt prefiendi, ſequentes S.T. Doctores, approbante Synodo, deputamus, quorum nomina ſunt ſequentia:

D. Jacobus Ferruſius.
D. Blaſius Navarro.
D. Joannes Mija-vila.
D. Petrus Monçò.
D. Antonius Galant.
D. Bartholomæus Paſqual.
D. Petrus Joannes Aſcenſius.
D. Gaſpar Aldana.

Ad cauſſas verò Eccleſiaſticas & ſpiritales, quæ ad forum Eccleſiaſticum pertinent, in partibus à Sede Apoſtolica, vel ejus Nunciis, ſeu legatis committendas, ſequentes in hac diœceſi Valentina judices nominantur.

Ægidius Roda U. J. D. & Cancel. Valentinus.

Petrus Català U. J. D. & canonicus Valentinus.

Joannes Joachimus Mija-vila ſacræ Theologiæ D. & canonicus Valentinus.

R. Commendator monaſterii beatę Mariæ virginis de Mercede civitatis Valentiæ.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Anno à nativitate ejuſdem Domini noſtri MDLXXXIV. die verò Martis viceſima quinta menſis Septembris, horâ antę meridiem octavâ, in majori aula palatii Archiepiſcopalis Valentini, in quam omnes qui prehabitis Synodi congregationibus intererant, & intereſſe debent, ad prelibatā horā citati & convocati fuerant; legitimè congregatis Illuſtriſs. & Reverendiſs. domino D. Joanne Ribera, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Patriarcha Antiocheno & Archiepiſcopo Valentino, & admodùm reverendis domino D. Gaſpare de Caſtelvì Prȩcentore, Franciſco de la Serna Archidiacono Setabenſi, Bernardino Gomeſio Miedes Archidiacono Saguntino, Petro Català canonico J. U. D. Frāciſco Tudela canonico, & Joanne Joachimo Mija-vila canonico, in ſacra Theologia doctoribus, & Dignitatibus & canonicis inſignis Metropolitanæ ſedis Valentinæ, & capitulo ejuſdem ſedis deputatis. Et reverendis Sebaſtiano Larraz J. U. D. ſacriſta & canonico Eccleſię collegiatæ civitatis Xativæ pro eadem Eccleſia, & Joanne Barberà in ſacra Theologia magiſtro, decano, & Ludovico Bleſa canonico Eccleſiæ collegiatæ de Gandia pro eadem Eccleſia. Qui procuratoriis mandatis legitimè ſuffulti erant: quæ mandata apud Synodum examinata & approbata fuerunt. Nec non plebanis, rectoribus, vicariis, aliiſque præſentis Valentinę diœceſis clericis de jure Diœceſanę Synodo intereſſe debentibus, & admiſſis, prout aliàs ſpecialiter fuerunt legitimi ad Synodo aſſiſtendum declarati: invocato priùs Spiritus ſancti auxilio, qui unus benignus eſt bonarum actionum inſpirator, & certiſſimus ſacrorum Conciliorum præſes; idem Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus dominus Patriarcha & Archiepiſcopus Valentinus in ſuo ſolio reſidens, conſtitutiones & decreta, quæ numero decem & novem ſuprà deſcripta ſunt, & aliquot antè diebus propoſita, perpenſa ac diſcuſſa fuerant; in hac omnium poſtrema congregatione legi mandavit, lectaque alta & intelligibili voce fuerunt. Cumque rogâſſet idem Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus univerſam Synodum, an placeret dictas conſtitutiones & decreta ſtabiliri & promulgari, Synodumque Diœceſanam ad laudem & gloriam omnipotentis Dei abſolvi & finiri? omnes una voce, & communi applauſu reſponderunt, ſe eas conſtitutiones & decreta approbare & amplecti: poſtulantes ut in lucem ederetur, finiſque Synodo feliciter imponeretur. Quibus peractis, Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus, omnibus, qui Synodo intererant ipſum comitantibus, in templum Metropolitanum deſcendit: ubi pontificalibus indutus, miniſtris ſolenniter ei aſſiſtentibus, in facello templi maximo, præſentibus in eo omnibus qui ad Synodi celebrationem venerant, conſedit. Tunc reverendus Jacobus Ferruſius ſacræ Theologię doctor, cùm ab ipſo Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo domino benedictionem accepiſſet, in templi ſuggeſtum aſcendit, & hujus Diœceſanæ Synodi decreta omnia, magna cleri & populi multitudine audiente, legit ac promulgavit. Poſt hęc decantari cœpit hymnus: *Te Deum laudamus*: & abſoluta ſolenni per templi ambitum proceſſione, res ad Dei omnipotentis

tis laudem in finem perducta fuit.

Quę omnia me præſente licentiato Feliciano de Figuerọa presbytero, ejuſdem Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi domini Patriarchę & Archiepiſcopi Valentini, & Diœceſanæ hujus Synodi ſecretario, geſta ſunt, & ad rei memoriam literis mandata.

Joannes Patriarcha Antiochenus & Archiepiſcopus Valentinus.
Licentiatus Felicianus de Figueroa.

CONSULTATIO

APUD SACRAM CARDINALIUM Concilii Tridentini interpretum Congregationem, ſuper confeſſariis ab Ordinario juxta Bullam Cruciatæ probatis.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dñe.

CUM in regnis Hiſpaniarum utentibus Cruciatæ ſanctæ facultatibus, optio detur eligendi confeſſorem illis beneviſum, dummodo ſit is idoneus, & ab Ordinario approbatus; hæc verba nonnulli ita indiffinitè uſurpant, ut ſufficere intelligant ad idoneitatem requiſitam, in aliis diœceſibus approbationem ab uno & diverſo factam Ordinario: & ita in diœceſi Valentina approbati ab alio Ordinario quàm Archiepiſcopo, tentârunt munus exercere prædictum, impediente id D. Reverendiſſimo Archiepiſcopo, qui prætendit, etiam juxta dictæ Cruciatæ verba, nullum in ſua diœceſi confeſſiones poſſe audire, niſi à ſe tanquam loci Ordinario approbatum, licèt ab alio quocumque Epiſcopo fuerit antea idoneus judicatus: & ut evitetur omnis ſcandali occaſio, ſupplicatur humiliter pro ejus parte, ut Illuſtriſſima ac Reverendiſſima D. V. dignetur hoc dubium in ſancta Congregatione decidendum proponere. Quam Deus Optimus Maximus ad vota felicitet.

Erat in margine hujus libelli.

Congregatio Concilii reſpondit: approbatum ab alio quàm à Valentino Epiſcopo, in diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario.

Reverendiſſimo atque Illuſtriſſimo Domino, uti fratri, D. Archiepiſcopo Valentino.

REverendiſſime atque Illuſtriſſime domine, quid ſenſerit ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum de Amplitudinis tuæ quæſito, an confeſſarius ab uno Epiſcopo approbatus, in alterius diœceſi officium ſuum exercere poſſit, in margine libelli his literis adjuncti, deſcriptum Amplitudini tuæ mittimus: cui bonam valetudinem, ac perpetuum divinæ gratia præſidium exoptamus. Romæ die ultimo Januarii MDLXXXII.

Amplitudinis tuæ uti frater
Philippus Boncompagnus Card. S. Xyſti.

CONCILIUM MEXICANUM PROVINCIALE CELEBRATUM MEXICI AN. MDLXXXV.

PRÆSIDE D.

D. PETRO MOYA DE CONTRERAS

ARCHIEPISCOPO EJUSDEM URBIS.

Confirmatum Romæ die xxvii. Octobris, anno MDLXXXIX. & poſtea juſſu regio editum Mexici anno MDCXXII. ſumptibus D. D. Joannis de la Serna Archiepiſcopi: ac tandem Lutetiæ Pariſiorum in Collectione Labbeana Tomo ultimo.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

CONCILIUM Mexicanum Provinciale I. ſimiliter & II. citantur in hoc III. nunc exhibendo. Verùm neutrius eorum exemplaria, diù multumq; quæſita, nanciſci potuimus: ideoq; nec licet indicare quonam anno, ſub quo præſide, aut circa quid celebrata fuerint. Iccircò nos hoc Concilium, quamvis reverâ tertium dici debuiſſet, tum quòd priorum Acta deſiderentur, tum etiam quòd ultimum ſit, abſque numero edere duximus.

Porrò Concilium Burgenſe itidem Provinciale citatur in hoc ipſo Mexicano: ſed quodnam illud fuerit, à quo Archiepiſcopo ejus clariſſimæ Eccleſiæ coactum, aut quo anno, incertum nobis eſt; cùm ejus Acta vel perierint, vel lateant.

Reverendiſſimis Patribus ac dominis Coëpiſcopis, ac Comprovincialibus noſtris, capitulis Cathedralium Eccleſiarum, parochis, ac univerſo ſtatui Eccleſiaſtico provinciæ Mexicanæ,

JOANNES DE LA SERNA

Archiepiſcopus utramque ſalutem in Domino precatur.

NON ſatis ad perfectum prudẽtiſſimus ille pater-familiâs opus ſuum perduxiſſet vineam plantando; ſi plantata ſepe non circumdediſſet [a]. *Singularis enim ferus depaſceret eam: vindemiarent qui prætergrediuntur viam, & vulpes parvulæ demolirentur.* Sed ne in ea excolenda locatus labor in caſſum ſuccederet, vallo munivit, turrim appoſuit, [b] *verticem* (ſcilicet) *legis attollens*; ut ſic inſtructa maceria tutatam

[a] *Matth.* c. 21. *Pſalm.* 79. *Cant.* 2, 15.

[b] Ambroſius lib. 9. in c. 20. Lucæ.

tam agricolis locaret. Quis enim eorum ita dexter in excolendo, tam patiens in sufferendo, tam audax in resistendo, tam tenax in perseverando, tam fortis foret in persequendo sine legum adminiculo, sine decretorum inexpugnabili præsidio? [c] *Cum pluribus dimicet oportet is, qui imperare pluribus intendit.* Unusquisque enim suæ obtemperat voluntati & voluptati, proclives sunt ad malum hominum appetitus, nec à proposito unquam desistent, donec ad effectum placita perducant. Magnum ergo, & indignum chaos, truculentaque confusio humanam hanc societatem turbaret [d]. *Tot tantorumque, quæ cœlestes largiuntur, donorum & bonorum non esset fruitio, vel usus rectus sine lege, sine justitia, sine rectore.* Ideo ergo vineam suam sepe circumdedit, id est Ecclesiam lege vallavit & stabilivit, quæ rebelles cogeret, petulantium audaciam cohiberet, prætergredientes viam, ne vineam conculcarent, puniret. Nullumque majus bonum huic suæ familiæ potuit locuples in misericordia tribuere, quàm legis propugnaculum, quo homines in officio continerentur, gladium hunc ancipitem, quo tyrannorum vires frangerentur, divinæ voluntatis expressionem, qua [e] *servus sciens voluntatem domini, faciat, ne vapulet.* Ideo familiarissimus domini Moyses in signum magnæ erga se dilectionis postulabat: *Si inveni gratiam in oculis tuis, scire me fac viam tuam. viam*, id est, voluntatem: *tu gusto.* Quid jucundius servo, quàm certò scire, & non divinare voluntatem domini? Magnum ergo bonum vineæ plantatę, sepe fuisse circumdatam: utilissimum colonis voluntati domini ex præscripto parere. Utile etiam impudentibus, & dyscolis, ab effrænatis appetitûs insultibus cohiberi salutari illa violentia, quam regius vates postulabat: [f] *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Camum & frænum appellat Scripturæ leges, & præcepta, quibus ab instituto superbæ hominũ voluntates arcẽtur, ne in præceps ruant, innatæ superbiæ calcaribus actæ, qua contra fas & rectum ad inordinatos ruunt affectus. Ideo Judæorum doctissimus Philo dicebat [g]: *Quòd lex semper pugnat cum superbia.* Quasi hoc sit proprium illius munus, devio superborum hominum affectui resistere, illorum se exsecutioni opponendo, præceptorum habenis ne caderent, detinendo. Non ergo ad perfectum duxisset opus suum pater-familiâs, si vineæ plantatæ contentus, de vallo & sepe non fuisset solicitus.

[c] Plutarch. in apophteg. Lacon.

[d] Plutarc. ad Prin. indoct.

[e] Luc. c. 12. n. 47.

[f] Psal. 31.

[g] L. de transmigratione.

Vineam non ut olim de Ægypto, sed de Catholicæ Ecclesiæ uberiori solo, Hispania videlicet fœcundissima regione [h], *in terram hanc salsuginis, & vastæ solitudinis* transtulit sapientissimus pater. *Ejecit* gentes, & plantavit eam abolito idolorum cultu, & fugatis idololatriæ tenebris, solerti cura & indefesso animo sanctissimorum virorum sacerdotalis ordinis, tam sæcularium quàm regularium institutorum, quibus vineam plantandam, excolendam, & propagandam locavit. [i] *Sed ut novellæ plantationes in juventute sua* profundas radices jacerent, & uberiores fructus magno agricolarum labori & conatui succederent; opus fuit, ut condensa legum sepe circumdaretur, quarum aliæ operarios dirigant in cultura, aliæ stimulent oscitantes in ministerio, & indebitè illud tractantes compescant. Quod cùm optimè perpendisset dominus Petrus Moya de Contreras prædecessor noster, vir jure mille titulis & nominibus venerandus, quamvis gravissimis detentus curis, & totius hujus regni guber-

[h] Psalm. 79.

[i] Psalm. 143.

natione

natione occupatus, Provincialem Synodum coëgit, in qua doctiſſimi Epiſcopi comprovinciales interfuérunt, quorum maturo conſilio, & quâ ſummâ præditi erant prudentiâ, municipales leges fuerunt conditæ, conſonantes quidem Patrum antiquorum doctrinæ, ſacrorum Conciliorum decretis, Juri communi conformes, maximeque regionis iſtius moribus, & hominum conditioni aptatæ. In qua re licèt omnes, qui de jure Concilio interfuerunt, communiter inſudârunt; ſed in ordinandis, & diſponendis decretis plus cæteris laboravit doctor D. Joannes de Salzedo tunc ſecretarius ſimul & conſultor dicti Concilii, ſacrorum Canonum primariæ Cathedræ moderator, & in illa nunc emeritus, noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ meritiſſimus decanus; in poſterum autem majorum hujus regni Eccleſiarum pontificalem ſedem pro meritorum cenſura occupaturus. Subjectum fuit celebre hoc Concilium integerrimæ cenſuræ Senatûs regii Indiarum, de cujus licentia & approbatione Romam translatum eſt Apoſtolica auctoritate firmandum, in quo quidem tantum temporis conſumptum eſt, ut jam antiquatum videretur, ſeu de medio ſublatum. Sed cùm advertiſſem, quòd quò impares ſunt vires noſtræ ad tantam provinciam ſuſtinendam, eò pluribus auxiliis indigemus; quorum præcipua ſunt dicti Concilii decreta, nullum non movimus lapidem, nulli ſumptui pepercimus, ut volumen hoc oblivioni traditum in lucem prodiret, prælóque mandaretur; ut ſic ad omnium agricolarum, & operariorum manus perveniret, & tantorum decretorum ope uberiores proventus exſpectarentur.

Tanti operis, tamque neceſſarii huic provinciæ, gratiæ debentur bonæ memoriæ domini Petri, quo præſide tam utiles leges ſunt ordinatæ, quibus totus hîc novus orbis ſpirituali in regimine gubernetur. Et crediderim quòd non minus honoris & celebritatis ejus nomini ſit deferendum, quàm illius nunquam ſatis pro dignitate laudandi Ferdinandi Corteſii hujus novi orbis expugnatoris. Comparans ſummus eloquentiæ parens victoriam Salaminam Themiſtoclis, & Solonis decretum de judicibus Areopagitis conſtituendis, dicit [k]: *Non minus præclarum hoc, quàm illud judicandum eſt. Illud enim ſemel profuit; hoc ſemper proderit civitati.* Id enim profectò accommodari poterit hujus Concilii ordinationi. Et ſi incredibilia Corteſii facinora cum illius celebratione comparentur, jure dicere poſſimus, non minus præclarum hoc, quàm illud judicandum eſſe. Illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit provinciæ. Mihi autem pro tanto, tamque utili negotio nihil poſtulo; nec pro magna argenti ſumma inſumpta, nec pro labore impenſo, quàm ut à vobis pro grato obſequio habeatur: & quia pro omnibus laboravi, omnes mihi debitum perſolvatis pretium incomparabile aſſiduarum & devotarum veſtrarum precum. Quarum vobis certas vices rependam, ut veſtris meritis ſuffulti, poſt penſum ritè perſolutum, fideli redditâ villicationis ratione, in Domini gaudium mereamur intrare; in quo valete ut opto. Mexici quinto idus Septembris anno Domini MDCXXII.

[k] Lib. 11. offic.

Joannes Archiepiſcopus Mexicanus.

In

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

SANCTA Provincialis Mexicana Synodus ad ſacrorum Canonum ſtatuta, ac præcipuè Generalis Concilii Tridentini decreta obſervandum & exſequendum, ad Fidei Catholicæ propagationem, ac divini cultus augmentum; ad cleri & populi reformationem, ad communem denique Mexicanæ provinciæ nuper in Euangelio genitæ, ac Chriſto Domino recèns natæ, in ſpiritualibus, & temporalibus utilitatem, Mexici (quæ Metropolis eſt novæ Hiſpaniæ Indiarum Occidentalium maris oceani) ritè & canonicè congregata: præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D. Petro Moya de Contreras, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopo Mexicano, atque etiam provinciæ gubernatore, ejuſque regii Senatûs præfecto; hæc, quæ libris ac titulis diſtincta ſequuntur, ſtatuit, ſancit, atque decernit.

LIBRI PRIMI

TITULUS PRIMUS

De ſumma Trinitate, & Fide Catholica.

De Fidei profeſſione. [a]

§. I.

FIDES, janua illa noſtræ ſalutis, ſine qua Deum invenire & invocare, Deo ſervire & placere nullus in hac vita poteſt, quam Chriſtus docuit, Apoſtoli prædicaverunt, ſancta Romana Eccleſia tenet & profitetur; primum fundamentum eſt, cui totius Chriſtiani ædificii fabrica innititur. Igitur, ut hæc Indiarum Occidentalium Eccleſia, tanquam novellum germen plantata, ſpuriis vitiorum errorumque propaginibus reſecatis, firmiſſimas agat radices, & abundanti divinæ gratiæ flumine irrigata, cœleſte illud, quod Deus dat, ſumat incrementum, ac dignos vitæ æternæ fructus ferat; ſacroſancti Tridentini Concilii auctoritate ſuffulta Provincialis Mexicana Synodus, quam ſuæ congregationis initio præſtitit, Catholicæ Fidei profeſſionem renovans; ſtatuit, ac præcipit, ut omnes ii, qui in poſterum Beneficia Eccleſiaſtica quæcumque obtinebunt, infra duorum menſium ſpatium à die adeptæ poſſeſſionis, & qui in Synodum Diœceſanam convenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur; necnon Epiſcopi in prima Synodo Provinciali, cui primum poſtquam electi fuerint intereſſe contigerit, publicam Fidei profeſſionem facere, & Romanæ Eccleſiæ obedientiam jurare & ſpondere teneantur, ad formam in conſtitutione felicis recordationis Pii Papæ [b] IV. præſcriptam, quam conſtitutionem ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus, quò citiùs fieri potuerit, publicari procurent; à cujus publicatione poſt ſex menſes elapſos, nullus in rectorem, ſeu cancellarium alicujus univerſitatis vel ſcholæ eligatur, aut ad doctoralem, ſeu magiſtralem gradum, in quacumque facultate promoveatur, nec ad publicè, vel privatim literas docendum, etiam ſi regularis fuerit, admittatur; niſi priùs ad prædictæ conſtitutionis formulam juramentum Fideique profeſſionem emiſerit. Sic enim fiet, ut jacto Fidei Catholicæ fundamento, quod ſuprà ſtructum fuerit doctrinæ ædificium, firmum ac ſtabile perſeveret.

De prædicatione verbi Dei.

§. I.

PRÆCIPUUM Epiſcoporum munus eſt docere populum Euangelium Dei, quos tanquam Apoſtolorum ſucceſſores, ea maximè cura exercere debet, [c] ut rectè pureque tractent verbum veritatis, ac formam habeant ſanorum verborum, quibus plebes ſibi commiſſæ doctrina ſalutari ita paſcantur, ut Chriſto paſtori bono ſemper inhæreant. Quod optimè perpendens ſacroſanctum Tridentinum Concilium, ſtatuit ac decrevit, omnes Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, teneri per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum

---

[a] Ex Concil. de Guadix. in princ. & Granat. tit. *de ſumma Trin. & fide Cath.* Tolet. & Compoſtellan. 1566. act. 1. in princ. Milan. 1. in princ. Syn. de Quiroga in proœmio & Provinc. ejuſdem act. 2. c. 1. & Limenſe 3. in princip. ſeſſ. 25. c. 2. *de reform.* Milan. 1. in princ. & Granat. ubi ſuprà, & Provinc. de Quiroga act. 3. c. 11. [b] In Bullario Apoſt. Bulla 107. p. 639. Pius IV. Bulla 101. pag. 621. Milan. 1. in princ. & III. Conc. fol. 587. verbo, *Quicumque*, & IV. fol. 610 & V. in princip. fol. 703. tom. 5 Concilior. [c] Cap. *Inter cætera. de offic. ordi* Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ 24. c. 4. *de refor.* Milan. 2. tit. *De prædic. verbi Dei.* Compoſtel. act. 3. c. 2. & Milan. 5. tit. *Qua ad Prædicat. verbi Dei*, &c. fol. 707.

dum Euangelium Dei: ſi verò legitimè impediri contigerit, idoneos viros aſſumere debeant ad prædicationis munus ſalubriter exſequendum. Quamobrem hæc Provincialis Synodus, auctoritati Concilii Tridentini, & veterum patrum innixa, Epiſcopos, & alios Provinciæ Mexicanæ Prælatos in Domino cohortatur, ut in hanc curam toto pectore incumbant, ac greges ſibi commiſſos, ipſimet, præſertim in Eccleſia, verbo Dei paſcant; ſin autem ſe interdum verè impeditos cognoverint, per viros idoneos ex præſcripto ejuſdem Concilii ſibi eligendos, hoc munus ſtudioſiſſimè populo præſtent.

§. II.

PArochi verò, & curati, qui in diſpenſando ſubditis verbo Dei, coadjutores Epiſcoporum ſunt, & juxta Concilii Tridentini [d] decretum, Dominicis ſaltem diebus, & feſtis ſolennibus oves ſibi commiſſas pro earum ſenſu & intelligentia ſalutaribus verbis paſcant, docendo ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria; eis itidem annunciando, quæ vitia declinare, quaſve ſectare virtutes oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò parochi & curati prædicti per ſe ipſos præſtare debeant; ſin minus, ab Ordinario compellantur: quòd ſi legitimè impediti fuerint, ſummo ſtudio invigilent, ne deſint miniſtri idonei ad id muneris adimplendum. Ut autem prædicationis uſus perpetuò conſervetur, & in dies magis atque magis cum fructu animarum accreſcat; iis, qui prædicandi officio funguntur, regulas proximè annotatas hæc ſancta Synodus obſervandas proponit.

§. III.

PRædicatores verbi Dei, juxta Concilii Tridentini [e] præceptum, Scripturam ſacram interpretentur eo ſenſu, quem ſancta mater Eccleſia, & unanimis ſanctorum Patrum conſenſus comprobavit: nec prudentiæ ſuæ innixi, Scripturæ vim faciant, ad ſingulares, novos, & pro ſuo arbitratu excogitatos ſenſus eam detorquendo: nec quicquam ab Eccleſia, aut probatis Eccleſiæ doctoribus alienum proferant.

§. IV.

MYſterium aliquot Fidei ſemper exponat, ex aliquo Euangelii loco argumento deſumpto, ut auditores frequenter Dei verbum audiendo, facilè percipiant quæ ſibi ad ſalutem maximè ſunt neceſſaria.

§. V.

DIfficilibus [f], & inanibus quæſtionibus prorſus abſtineant, ne ſe ipſos oſtentare magis, quàm Chriſtum prædicare videantur; ſed ad ea quæ pro cujuſque gradu, qualitate, conditioneve magis expediunt, auditores exhortentur, eoſque facilioribus & convenientioribus mediis ad hæc conſequenda ſtudioſiſſimè inſtituant.

§. VI.

EPiſcopos, alioſve prælatos, & magiſtratus civiles cum offenſione auditorum ne acerbè objurgent; ſed ſi quid in illis dignum reprehenſione invenerint, privatim potiùs eos admoneant, populum verò, juxta dictum Apoſtoli [g], præpoſitis ſuis, etiam dyſcolis, obedire cohortentur.

§. VII.

IN reprehendendis vitiis cauti ſint, nec quemquam tacitè aut nominatim inſectentur; ſed potiùs ita ſe gerant, ut pietatis & charitatis ſolùm ſtudio, non peculiari alicujus odio adductos, id facere omnes intelligant.

§. VIII.

DEnique doctrina quam docent, ut efficacior ſit, non minùs vita & exemplo, quàm ſermone comprobetur, ne quod verbis aſſerunt, moribus impugnent, & dum aliis prædicant, ipſi reprobi efficiantur.

De doctrina Chriſtiana rudibus tradenda.

§. I.

CHriſtus paſtor bonus dimiſit nonaginta novem in montibus, ovem unam perditam quærens: Judæorum vepribus laceratus eſt, ardentique amore flagrans pro ſuis ovibus mortem obivit. Quo ſanè exemplo paſtores alios, quibus ſui gregis cura demandata eſt, ſatis docuit quantum de ovium ſalute deberent eſſe ſoliciti; illarum imprimis, quæ * lanæ debiles, ac derelictæ cùm ſint, majori indigent paſtoris adjumento. Id igitur ſibi proponens hæc ſancta Provincialis Synodus [i], propter rudium multitudinem penè innumerabilem in his Indiarum partibus degentium, ſummo ſtudio providere curavit, ut pueri, ſervi, Indi, & omnes alii, cujuſvis ætatis & conditionis, elementorum Fidei ignari, Chriſtianâ doctrinâ inſtruantur, ne parvuli petentes panem frangentis defectu pereant. Quia verò maximè oportet,

---

d Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. Milan. 1. & 5. ubi ſuprà fol. 707. & Gua dix. tit. 1. conſt. 2. & Granat. ubi ſuprà, *de ſumma Trin. & de officio rectoris*, n. 2. & 13. & Synod. de Quiroga, conſtit. 41.

e Concil. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. Vide Conc. citata ſuprà.

f Concil. Tolet. 1566. act. 3. cap. 3.

g *Ad Philip.* 3, 1. Petr. c. 2.

h Catechiſ. Pii V.

* planè.

i Ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 7. *de reform.* & ſeſſ. 25. in fine. & Tol. ubi ſuprà act. 3. cap. 5. & Limenſe concil. 3. act. 2. c. 3. & act. 4. c. 17.

tet, ut ſacra doctrina in omnibus ſibi cohærens, ad unam etiam præſcriptam formam tradatur catechiſmus, quo eorum quę quiſque ſcire debet, brevis ac facilis ſumma contineatur, ab eadem Synodo probatus, ordineque diſpoſitus eſt, ad totius Mexicanæ provincię uſum. Ideoque ſtatuit ac præcipit hęc Synodus, ut catechiſmum prædictum ſecum habeant illi, quibus docendi Chriſtianę doctrinæ ſummam in Eccleſiis, ſcholis, ac puerorum collegiis cura injuncta eſt, eoque utantur ſub pœna excommunicationis majoris, non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine. Epiſcopi etiam admonentur, ut quam primùm catechiſmum hunc in eam Indorum linguam transferri faciant, quam ſinguli in ſuis diœceſibus uſitatiorem noverint. Tranſlationibus verò [k] de Epiſcoporum conſenſu emiſſis, eandem cum catechiſmo originali, auctoritatem Synodus tribuit, prohibens ſub eadem excommunicationis pœna uſum omnium aliarum, quæ antè prodierunt, vel poſt hoc Synodi decretum aliter prodibunt, quàm eſt præſenti conſtitutione ſancitum. Non tamen propterea excluſum volumus catechiſmum ſummi Pontificis auctoritate confectum, aut ab aliis inferioribus auctoritatem habentibus in poſterum conficiendum.

§. II.

CUrati omnes [l], tam ſæculares, quàm regulares, in tabella adſcriptum apud ſe retineant doctrinæ Chriſtianæ contextum, videlicet, orationem Dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum Apoſtolorum, Antiphonam *Salve regina*, duodecim articulos Fidei, decem legis divinæ præcepta, quinque Eccleſiæ mandata, ſeptem Fidei ſacramenta, ſeptem capitalia vitia. Quæ omnia (non tamen inter Miſſarum ſolennia) recitari faciant ſingulis Dominicis Adventûs, & à Dominica Septuageſimæ, uſque ad Dominicam Paſſionis incluſivè. Hæc enim ſæpiùs repetita commemoratio noſtræ Fidei initia noſtræ figet memoriæ. Quapropter curati quoties id negligenter omiſerint, pondo tribus multentur fabricæ illius Eccleſiæ, cujus ipſi curam geſſerint, applicandis.

§. III.

QUia verò fruſtra doctrina memoriâ retinetur, niſi ex ea quiſque intelligat, quid ſibi ad ſalutem ſit neceſſarium, quid credere, quidve operari oporteat; Tridentini Concilii auctoritatem hęc Synodus ſequuta, in virtute ſanctæ obedientię curatis mandat, ut omnibus diebus Dominicis, ipſi per ſe, aut ſi legitimo teneantur impedimento, per viros idoneos Ordinario probatos, Chriſtianam doctrinam tradant atque exponant ad eam formam & rationem, quibus diſpoſitus eſt catechiſmus per hanc Synodum approbatus, atque in hoc munere exſequendo unius horę ſpatium inſumant. Habeant etiam ſinguli curati prædicti in ſuis parœciis tabulas, quibus ſervi, famuli, & pueri duodecim annorum ætate minores, nomina ſua profeſſi inſcribantur, eorumque parentes, ac dominos itidem curati moneant, quatenus ad Chriſtianam doctrinam ediſcendam prędictos mittant, cum primùm ſtatutâ horâ, ſono campanæ, proprio ad id munus aſſignato, ad Eccleſiam convocabuntur. Si qui verò heri, aut domini bis admoniti ſervos mittere neglexerint, quoties id omiſerint, pondo unum perſolvant, quod denunciatori, & fabricæ Eccleſiæ, in qua id contigerit, applicetur: cujus pœnæ tunc ſufficiens erit exſecutio, ſi curatus, aut is, qui doctrinam Chriſtianam tradit, delinquentem à ſe admonitum fidem fecerit. Hiſpanis autem, & ſervis Æthiopibus, iis etiam qui ex altero parente Æthiope naſcuntur, & Chichimechis doctrina Chriſtiana, linguâ Hiſpanicâ tradatur, Indis verò propriâ ſuâ maternâ.

§. IV.

LUdimagiſtri [m] ſtudeant, pueros cum primis literarum rudimentis, doctrinâ & Chriſtianis moribus imbuere: quibus ad id præſtandum jubetur, ut ſingulis diebus pueros alta voce recitare faciant, Fidei initia, eademque illis explicent ad ordinem in catechiſmo ab hac Synodo conſtitutum; quoties verò id negligenter omiſerint, pœnæ duorum pondo ſubjaceant, hoſpitali domo, ac denunciatori æquis partibus applicandorum.

§. V.

INdorum curati, tam ſæculares quàm regulares, omni diligentia procurent, ut in illis oppidis, pagis, ſeu vicis, in quibus ipſi reſident, ſcholæ inſtituantur, ubi Indorum pueri legere & ſcribere diſcant, Chriſtianæ doctrinæ documenta accipiant, Hiſpanamque linguam doceantur. Id enim maximè conveniens ad Chriſtianam ac civilem eorum inſtitutionem. Admonentur tamen curati, ne has ſcholas erigendi prætextu, Indorum operis ad ligna ferendum, & alios ſuos proprios uſus abutantur. Quod ſi ſecus fecerint, à Prælato puniantur, & ad reſtituendam Indis juſtam laborum ſuorum mercedem compellantur. De quo latiùs infrà titulo de injuriis & damno dato.

§. VI.

SUnt pleraque [n] hujus provinciæ loca, in quibus permulti ſervi vinculis ferreis conſtricti, permultique Indi metallorum fodinis & ergaſtulis incluſi tenentur, qui neceſſariâ ad ſalutem doctrinâ deſtituuntur, non ſine magno conſcientiæ eorum, qui eos ſic conſtrictos tenent, detrimento, ac dolore Epiſcoporum, quo-

[k] Concil. Rhemen. c. 15. & Lim. 3. act. 2 c. 6. [l] In cap. *Baptizandos* in cap. *Non liceat de conſe* diſt. 4 Concil. Forolul. in præfat. ad finem. & Mognunt. c. 45. & Guadix. tit. 6. conſt. 51. & Granat. ubi ſuprà, & Syn. de Quiroga in princ. & Limenſe 3. act. 2. c. 4. 8. ſeſſ 24. c. 4. *De reform.* Guadix. tit. 2. conſt. 6. & Synod. de Quiroga conſt. 41. in fin. & Lim. 3 act. 2. c. 4. & Milan. 5. fol. 708. verſ. *At verò quo populus.* [m] Mexic. 1. c. 3. §. 1. Guadix. tit. 6 conſt 50 & 51. Milan. 1. tit *De ludimagiſtris* & tit. *De fidei initiis à parocho tradendis* Tolet. act 3. cap. 5. & Granat. *De ſumm. Trin.* n. 2. & 4. & *De offic. rectoris* n. 12. *De magiſt.* n. 2. & Synod. de Quiroga conſtit. 42. §. 1. & §. final. Concil. Mogunt. c. 45. & Lim. 3. act. 2. cap 6. & 43.

[n] Mex. 1. cap. 19. §. 4. Concil. Mil. 5. fol. 787. verſ. *Nulla eſt amplior.*

quorum paſtorali ſolicitudini incumbit oves paſcere, & earum ſaluti proſpicere. Cupiens igitur hæc ſancta Synodus huic tam gravi incommodo occurrere; Epiſcopis, ſeu Prælatis, ad quos pertinet, maximè commendat, ut his afflictis ac ſpirituali cibo egentibus, opportunum præſtent auxilium. Præcipit etiam fodinarum & ergaſtulorum dominis, ut ſervorum ſuorum ſaluti conſulant, nec eos ſpirituali bono privent, quos ipſi ad temporalem tantùm utilitatem detinent.

§. VII.

Jubet præterea hęc Synodus quibuslibet hujus provinciæ perſonis; ne ſi paganos ſervos emerent, fodinis, ſive ergaſtulis prædictis antè includant, quàm Fidei Chriſtianę documentis inſtructi, ſacro baptiſmatis fonte abluantur. Quòd ſi ſecus fecerint, ſuorumque ſervorum ſpirituali ſaluti impedimento fuerint; pro tam immani in Deum perpetrato ſcelere, gravem in eos animadverſionem Prælati exerceant.

De ſacramentis doctrinæ Chriſtianæ ignaris non adminiſtrandis.

§. I.

CUM plerique [o] Fidei documenta, ac vim & rationem ſacramentorum ignorent, quaque debeant animi diſpoſitione ad ſacramenta accedere non intelligentes, eadem infructuosè ſuſcipiant, quo fit ut Chriſtiano charactere inſigniti, Chriſtianum inſtitutum minimè teneant; ne hoc malum latiùs manaret, ſtatuit hęc Synodus, ut nullus curatus, ſive ſæcularis, ſive regularis, ſacramentum baptiſmi adultis tribuat, ſi priùs fide Catholica inſtructi non fuerint, aut ſaltim lingua ſua familiari non didicerint orationem Dominicam, ſymbolum Apoſtolorum, decem præcepta legis, ac de peccatis ſuis aliquod doloris ſignum præbeant. Quod ut meliùs fiat, parochi antequam adultos, temporibus ſtatutis titulo *De baptiſmo & ejus effectu*, ſancto baptiſmate intingant, qui & quàm ſint idonei baptiſmum ſuſcepturi, Epiſcopo, ſeu ejus vicario, ubi commodè fieri poterit, notum faciant. Parochis [p] etiam præcipitur, ne quemquam Hiſpanum, Indum, aut ſervum ad benedictionem nuptialem admittant, niſi priùs illum, qui eſt matrimonio conjungendus, hortati fuerint, ut orationem Dominicam, ſalutationem angelicam, antiphonam *Salve regina*, ſymbolum Apoſtolorum, Fidei articulos, præcepta Decalogi, præcepta Eccleſiæ, ſeptem ſacramenta, ac ſeptem vitia capitalia, ſi ea ignoraverit, quam primùm diſcat, alioquin arbitrio Ordinarii punietur. Curatus autem ſi ſecus fecerit, tria pondo perſolvat, quorum partes duæ parochiæ contrahentium, tertia vero denunciatori applicetur. Injungitur quoque [q] confeſſoribus, ut diligenti ſtudio pœnitentes examinent de doctrinę Chriſtianę cognitione, eoſque admoneant ad eam capeſſendam.

De impreſſione & lectione librorum.

§. I.

PErverſa doctrina non minus ſcripto, quàm verbo tradita, maximo ſolet eſſe nocumento. Quapropter, juxta Concilii Tridentini [r] decretum, ſtatuit ac jubet hęc Synodus, ne quis imprimere, neque imprimi facere, aut de novo in vulgus emittere audeat, nec emere, vendere, aut apud ſe retinere cuiquam liceat, quoſvis libros, nî priùs examinati, probatique fuerint ab Ordinario, & de ejus licentia in ſcriptis impreſſi: ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & quinquaginta pondo minarum piis operibus, accuſatori, & impenſis hac de cauſſa factis æquis partibus diſtribuendarum.

§. II.

IIſdem etiam de cauſſis hæc Synodus ſub pœna excommunicationis prohibet, ne quis inter Indos, libros, ſermones, tractatuſve de rębus ad religionem pertinentibus, in vulgarem eorum linguam evulget, niſi translatio vulgaris hujuſmodi, priùs ab Ordinario examinata probetur.

§. III.

QUia verò experientiâ compertum eſt, ex lectione librorum, quibus turpia & obſcœna continentur, morum corruptelam oriri; hęc Synodus exhortatur, ne quiſquam libros ſimiles apud ſe retineat, aut ab his legi permittat, qui ſuæ curę ſubſtent. Libri autem veterum Latinorum, quia ad Latinę linguę uſum atque peritiam conferunt, permitti poterunt, prudenti tamen adhibita cautela, ne eorum lectio juventuti in malum proclivi offendiculum paret.

De impedimentis propriæ ſalutis, ab Indis removendis.

§. I.

UT Indi, [s] in fide Catholica, quam ſingulari Dei beneficio ſuſceperunt, ſtabiles perſeverent; diligentiſſimè cavendum eſt, ne illis antiquæ impietatis veſtigium ullum impreſſum remaneat, ex quo levi aliqua occaſione deſumpta, diabolicæque fraudis aſtutiâ decepti, irerũ tanquam canes ad idololatriæ vomitum revertantur. Quamobrem hęc ſancta Synodus ſtatuit ac præcipit, ne Indi in ſaltationibus, aliiſque ſuis ludis laureati, aut aliis inſignibus ornati incedant, quibus aliquam idololatrię ſpeciem, ſuſpectionemve præbeant. Cantiunculis etiam veteres ſuas hiſtorias, falſæque religionis impietates referentibus uti nequaquam permittantur, ſed ea ſolùm cantent, quæ à ſuis parochis & vicariis fuerint approbata.

Hu-

---

[o] Vide infrà tit. *De Baptiſmo.* §. 4. Guadix. tom. 2. conſt. 6. & Synod. de Quiroga conſt. 1. [p] Guadix. tom. 2 conſt 62. Synod. de Quiroga, ubi ſuprà. [q] Concil. Mil 5. fol. 708. verſ. *Primò omnibus.* [r] Seſſ. 4. in decreto *De editione, & uſu ſacror. lib* verſ. *Sed & impreſſoribus.* & reg 10. ex indice lib. & Mex. 1. cap. 74. §. 1. & Synod. de Quiroga conſt. 128. Mexica. 1. c. 74. Mex 2. c. 32. reg. 7. in indice libr. prohibitorum, & Limenſ 3. act. 3. c. 37. & Granat. tit. *De mag* n. 2. & Mil 3. fol. 587. verſ *Quorum libr* & 5. tit *Quæ ad fidei tuendæ ſtudium pertinent.* fol. 707. verſ. *Epiſcopi cura.* Vide ſuprà conc. citata. [s] Mex. 1. cap. 72.

Hujuſmodi autem ſaltationes, & ludi, nec in Eccleſia, nec in occulto aliquo loco fiant, ſed publicè, ubi eorum geſtus, actiones, & verba omnibus ad ſenſum pateant. Neque hæc fieri permittantur in diebus colendis, niſi poſt Miſſarum ſolennia ante meridiem, poſt meridiem verò dum veſpertinum celebratur officium, à ludibus ſimilibus ceſſent, ut ipſi quoque veſperarum officio interſint. Si verò contrà fecerint quàm præſenti eſt decreto ſancitum, à ſuis parochis corrigantur, ut admoniti, in poſterum his abſtineant.

§. II.

Gubernator [t] etiam, & alii Catholicæ majeſtatis miniſtri, omni ſtudio & diligentia provideant, ne in domibus, aut aliis quibuſvis ædificiis collocata idola exſtent; immo eadem diſſolvi, ac penitùs deleri faciant, excelſaque loca ubi miſeræ illæ gentes dæmonibus immolabant, quæ *Cues* Indi vulgò vocârunt, dejici, ac ſolo æquari præcipiant: ne antiquus humani generis hoſtis, qui ſemper nocendi artes quærit, ullas inveniat priſtinæ impietatis imagines, quas denuò à gentilitate converſis callidè ſuggerat ad decipiendum; immo ita iis, quæ jam contritis diaboli laqueis, bene, juvanteDeo,liberati ſunt,omnis idololatriæ via intercludatur, ut gentilis inſaniæ prorſus obliti, fortes in Chriſti fide permaneant.

§. III.

Cum [u] non ſine magno dolore eorum qui Chriſtiano zelo ardent, in his Indiarum partibus, uſu & experientia manifeſtum ſit, in montuoſis, aſperrimiſque locis Indos habitare diſperſos, & à civili hominum congregatione remotos (quo fit, ut nec mores immanitate barbaros deponant, nec ſanam doctrinam ſuſcipiant, nec ſacramentorum remediis juvari, & à vitiis coërceri poſſint, quodque pejus eſt, multi adhuc Chriſtiano charactere inſignit i non ſint) cumque Catholica majeſtas, cujus oneri incumbit has ſibi ſubditas gentes regimine moderari; ſuam conſcientiam exonerare volens,inſigni pietatis zelo ſæpè caverit edicto, ne Indi ſic diſperſi in ſolitudinibus commorentur, ſed ad numeroſos populos reducti, in civili hominum congregatione vivant, nullaque tam juſti mandati ſequuta ſit exſecutio; iccircò hæc Synodus, ad quam maximè ſpectat ſolicitè providere, ne oves immaculati agni ſanguine redemptæ aberrent, ac dæmonum, tamquam luporum crudeliſſima rabie lacerentur; gubernatores in his partibus Catholicæ majeſtatis vices obtinentes, quantum poteſt in Domino cohortatur, ut omni poſthabito ſeculari impedimento, verè pio & Chriſtiano animo in hanc curam incumbant, ut ipſi in cauſſa ſint, quominus juſtiſſimum regium edictum ad debitum effectum perveniat: immo ſcientes quam ſint in die tremendi judicii rationem Deo reddituri, toto animi conatu prædicti mandati exſecutionem procurent. Prælatos quoque monet eadem Synodus, ut huic negotio conficiendo, ex quo indigenarum converſio, ac morum hujus provinciæ reformatio dependet, omnem operam præſtent. Quod ſi minus fiat, nec majeſtas Catholica juri patronatûs regio ſatisfacere videtur, neque ejus miniſtri effectum edicti retardantes, excuſabiles ſunt in conſpectu Dei, nec tuti in conſcientia Epiſcopi eſſe poſſunt, ſi inſtantiſſimè non egerint, ut tam gravi malo, gravioriſque in dies futuro, nullatenus remedium differatur.

LIBRI PRIMI

TITULUS II.

De conſtitutionibus.

De auctoritate decretorum, & publicatione eorum. [x]

§. I.

VARIETAS temporum, ac neceſſitas rerum, ſicut uſu & experientia didicimus, plerumque in cauſſa eſſe ſolet, ut antiquis abrogatis legibus, aliæ denuò conſtituantur. Quare, & ſi conſtitutiones in duabus Synodis Provincialibus Mexici celebratis, primâ ſcilicet annoDomini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, ſecundâ verò milleſimo quingenteſimo ſexageſimo etiam quinto, ſanctè ac laudabiliter editæ ſint, quibus potiùs inſiſtere, quàm alias iterum condere oporteret; ea tamen horum temporum conditio eſt, iſque hujus provinciæ ſtatus,ut niſi rerum opportunitati convenientiora decreta ſancirentur, difficilè incommodis occurrentibus remedium afferri poſſit. Ne igitur ex legum multitudine confuſio generetur; decrevit hæc Synodus, ut ex antiquis decretis illa quæ præſenti rerum ſtatui conveniunt, ſimul cum denuò editis uno volumine comprehendantur, quo faciliùs ea quiſque intelligat, quæ pro ſuæ conditionis ratione facere tenetur.

§. II.

QUÆ quidem decreta ſolùm deinceps auctoritatem ac firmitatem habitura decernens eadem Synodus, omnes & quaſcumque perſonas hujus provinciæ, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & qualitatis exiſtant, monet & hortatur, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut decreta prædicta (dum tamen nihil ſacris Canonibus, ſummorum Pontificum conſtitutionibus, & Concilii Tridentini decretis contrarium contineant) in omnibus, & per omnia, juxta eorum ſeriem, in poſterum teneant & obſervent, ſub pœnis in eis contentis, & aliis contra rebelles pro eorum contumacia aggravandis. Revocat [y] etiam

[t] Mexic. 1. cap. 72. [u] Mexic. 1. cap. 73. & Lim. 3. act. 4. c. 4.
[x] Granuit. *De conſtit.* & Synod. de Quiroga in procem. §. *Por que.*
[y] Concil. Provinc. de Quiroga act. 2. c. 3. & act. 3. c. 50. & Lim. 3. act. 2. c. 3. & act. 4. c. 24. & 25. cap. *Annis*, & *Decernimus*, 18. diſt.

etiam præſenti decreto omnes & quaſcumque alias provinciales conſtitutiones antè editas, quę hujus Synodi decretis inſertæ, renovatę non fuerint, eaſque decernit irritas & inanes. Itidem omnibus, & quibuſcumque Eccleſiaſticis judicibus, ac juſtitiæ miniſtris mandat, ut per hęc decreta, omnia in illis contenta exſequenda, cauſſas definire, ac in eis ſententias ferre, eiſdemque decretis ſtare debeant, ſine contradictione cujuſquam.

§. III.

NE autem [z] perſona aliqua Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, ab horum decretorum obſervatione per ignorantiam ſe valeat excuſare, ſub prętextu quòd eorum promulgationi non interfuerit; hęc Synodus decernit, ſufficientem eſſe ſolennem eorum promulgationem in hac Metropoli factam, ut omnes eiſdem ſubjaceant, ac in eis contentas pœnas incurrant. Monet etiam ad uberiorem cautelam Epiſcopos, ut eadem in ſuis diœceſibus, ſi opus fuerit; vicario autem, ſeu prędidenti, Sede Epiſcopali vacante, prędipit, ut infra duos menſes, à die habitæ notitię computandos, in Eccleſia Cathedrali decreta prædicta reſpectivè publicari faciat.

§. IV.

STatuit item [a] Synodus ad perpetuam horum decretorum conſervationem, & ad commoditatem perſonarum Eccleſiaſticarum, ad quas pertinet Eccleſiaſticas conſtitutiones quibus gubernantur, legere, & ſalubriter intelligere; ut œconomus hujus Metropolitanæ Eccleſiæ infra duos menſes immediatè ſequentes poſt eorum promulgationem, decreta hæc chartâ pergamenâ ſcribi, ac ſigillo hujus Synodi communiri faciat: eaque ſic ſcripta & ſigillata in archivo Metropolitanæ hujus Eccleſię aſſerventur. Poſt eorum verò impreſſionem, quum librorum copia commodè poterit haberi, ſinguli œconomi ſingularum Cathedralium Eccleſiarum hujus provinciæ, duos libros emant, quorum unum in uno choro, alterum verò in altero catenulis alligatos reponant. Singuli [b] itidem parochialium Eccleſiarum œconomi poſt ſex menſes à die publicationis præſentium decretorum, librum unum emant, quem in choro, vel ſacriſtia, ubi ad uſum legendi commodiùs haberi poſſit, catenulâ ſimiliter alligatum collocent. Vicarii etiam curati, ac Beneficiati intra eorumdem ſex menſium ſpatium, librum quoque unum apud ſe retineant. Qui omnes & ſinguli nominati, ſi intra præſcriptum tempus his non paruerint mandatis, pondo viginti multentur, quorum partes duę Eccleſiæ ubi fuerint œconomi, vicarii, curati, aut Beneficiati applicentur, tertia verò accuſatori.

§. V.

PRæterea [c] ſtatuit, ut ſi judex aliquis Eccleſiaſticus cauſſam definierit, aut in ea ſententiam tulerit juxta aliquod hujus Synodi decretum; illud, partibus etiam non inſtantibus, inſeri in proceſſu faciat, ne ſine eo proceſſus originalis, aut illius exemplum ullibi reperiatur: ſi verò ad inſtantiam partis mandatum, ſive monitoriales literæ, in alicujus decreti exſecutionem ab eodem judice concedantur; in iis introſcripta decreti ſeries de verbo ad verbum exprimatur. Quoniam verò hęc tertia Provincialis Mexicana Synodus, legitimè ſub Apoſtolicæ Sedis obedientia congregata eſt, ad ſacrorum Canonum, ac præſertim Univerſalis Concilii Tridentini obſervationem & exſecutionem, cupiens, ut omnia ab ea ſancita atque decreta felicem in Domino conſequantur effectum; proteſtatur [d], ſe nunquam intendiſſe, nec intendere ſacroſancti ejuſdem Concilii Univerſalis decretis contradicere, nec in aliquo repugnare, immo ſancta ac ſalutaria ejus decreta piè ſuſcipit, religiosè veneratur: proteſtatur etiam nolle ſe in toto, aut in aliqua parte derogare juri patronatûs regio, ab Apoſtolica Sede conceſſo Philippo Hiſpaniarum Regi noſtro Catholico, qui novum hunc orbem occidentalem à Deo ſibi commiſſum in pace & tranquillitate gubernat, ac ſingulari eximiaque pietate moderatur, cum fidei Catholicæ, & Chriſtiani nominis propagatione. Pro cujus vita tantopere reipublicę Chriſtianæ neceſſariâ, aſſiduè orare debemus, ut omnipotens Deus nationes barbaras, & Chriſtiani nominis inimicas, ſibi ſubjiciat, eique, ut quę in Chriſto fides eſt regnet, longa & felicia tempora concedat.

LIBRI PRIMI

TITULUS III.

De reſcriptis.

De obedientia & exſecutione reſcriptis Apoſtolicis debita. [e]

§. I.

SIcut oportet Prælatos, & judices Eccleſiaſticos ſine ulla intermiſſione, aut aliquavis cauſſa Apoſtolicis parere mandatis, eademque ad debitam exſecutionem perducere; ſic etiam occurrendum eſt moleſtiis, vexationibus, & injuriis, quæ in his tam longè à ſummo Pontifice remotis locis, à multis inferuntur, qui falſis literis, quas ipſi Apoſtolicas dicunt, aut Brevibus ſummi Pontificis abutuntur, conceſſionis affectu fraudulenter immutato, vel termino in eis præfixo jam omnino elapſo. His igitur incommodis providere volens hæc Synodus, ſtatuit & præcipit omnibus hujus Archiepiſcopatus, ſive provinciæ Eccleſiaſticis judicibus, ut omnibus, & quibuſcumque Apoſtolicis mandatis ſibi intimatis obediant. Nec tamen alicujus judicis, qui ſe, vel exſecutorem Apoſtolicum nominet, mandatum aliquod exſequantur, niſi priùs in caſibus à jure expreſſis, originali judicis

---

z Mexic. 1. c. 93. & Milan. 1. par. 3. tit. *De pœnis.* verſ. *Ut nemini.* & Limenſ. 3. act. 2. c. 2 & act 4. c 24. & 25. a Mexic. 1. cap. 98.
b Vide infrà tit. *De offic. rectoris,* § 1. c Granat. tit. *De conſtit.* n. 2.
d Limenſ. 3. act. 2. c. 1. in fine, & act. 5. cap. 1. Concil. Provinc de Quiroga act. 3. cap 51.
e Mexic. 1. c. 89. & Concil. Hiſpalen. de Deza. fol. 17. pag. 2.

cis Apoſtolici hujuſmodi commiſſione, proceſſu, ſive mandato coram Epiſcopo diœceſano, ſeu ejus vicario generali exhibitis, ut juxta præſcriptum decretalis Epiſtolæ, quę incipit: *Cùm perſonæ*[f]; ſi literas authenticas eſſe cōſtiterit, exſecutioni mandentur; ſi verò ob defectum aliquem, vel vim non habeant, vel earum exſecutio ſuſpendi debeat; Prælatus ſummum Pontificem conſulat, ut ſic Apoſtolicis mandatis debita obedientia & exſecutio exhibeatur, & nullus injuſtè moleſtetur.

§. II.

UT aditus intercludatur diſſentionibus & litibus permultis, quas nonnulli movere ſolent, obtinentes per literas Apoſtolicas certos ſibi judices conſervatores, ſub prætextu, quòd eis à judicibus ordinariis injuriæ ac moleſtiæ inferantur; ad præſcriptum ſancti Concilii Tridentini, decernit hæc Synodus, ne literæ conſervatoriæ hujuſmodi cum deputatione judicum cuiquam ſuffragentur ad hoc, ut coram judice ordinario in cauſſis criminalibus & miſtis non poſſit conveniri, & contra eum procedi, aut quominus in cauſſis civilibus, ſi quę ei jura ex ceſſione competierint, ſuper illis liberè valeat apud judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam cauſſis, ſi ipſe actor exſtiterit, aliquem ei apud ſuos conſervatores judices, in judicium trahere minimè liceat. Quòd ſi in his cauſſis, in quibus reus fuerit, contigerit ut electus ab eo conſervator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur, aut ſi qua inter ipſos judices, conſervatorem & ordinarium controverſia, ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit; nequaquam in cauſſa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos, ſuper ſuſpicione, aut juriſdictionis competentia fuerit judicatum. In cauſſis etiam mercedum, aut miſerabilium perſonarum, non obſtantibus conſervatoriis literis, coram Ordinario conveniri poſſit. Nemo etiam ſimilium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere poſſit: familiaribus verò ejus, qui hujuſmodi conſervatoriis literis tueri ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat, ſi tamen illi propriis ejus ſumptibus vixerint. Non liceat quoque conſervatoriis judicibus ullum habere tribunal erectum, ſeu ſcholarium collegia, & regularia loca, necnon hoſpitalia, actum hoſpitalitatis ſervantia, & univerſitatum, collegiorum, locorum, & hoſpitalium. Hujuſmodi perſonæ, ad mentem ejuſdem ſacri Concilii hoc decreto minimè comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur.

§. III.

STatuit etiam hæc Synodus auctoritatem Concilii Tridentini[h] ſecuta, ut diſpenſationes eæ, quæ gratioſè, & ſine commiſſione particulari à ſummo Pontifice concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab Ordinario, tamquam Apoſtolico delegato ſummariè tantùm, extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubjacere.

§. IV.

IN commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonniſi ex juſta & neceſſaria cauſſa fieri debeant; Epiſcopi tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ, ſummariè & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ exſecutioni demandentur, ut eſt à ſancto Concilio Tridentino[i] decretum.

LIBRI PRIMI

TITULUS QUARTUS

De ætate & qualitate ordinandorum & præficiendorum.

De ſcientia ad ſacros ordines, & curam animarum neceſſaria.[k]

§. I.

SACERDOTALIS dignitas, & eorum qui altari deſerviunt celſitudo non patitur quemquam ad id muneris admitti, niſi priùs ejus merita probata fuerint, ac bene perſpecta. Præſertim cùm illud grave damnum Eccleſiæ Catholicæ importet, quòd multi ad ſacros ordines ſine delectu promoveantur, qui abſque ullis meritis in tam ſublimi gradu collocati, poſtea clericali inſtituto injuriam irrogantes, miſerè ceciderunt. Quapropter vehementer exoptans hæc Synodus præterita damna reſarcire, Eccleſiaſticumque ordinem in priſtinum dignitatis & ſplendoris locum reſtituere; quantum poteſt, Epiſcopos hujus provinciæ exhortatur, ne contra Apoſtoli * præceptum citò manus imponant; ſed cum omni diligentia, & animi contentione, ordinandorum qualitates examinent, & merita expendant; neque eos, qui minus fuerint idonei, paucitatis miniſtrorum prætextu ad ſacros ordines ſuſcipiendos ullatenus admittant; cùm divinus cultus, animarumque commodum, paucis dignè, quàm multis indignè miniſtrantibus magis accreſcat. Quæ omnia ut meliùs dirigantur, decernit primùm, ne ullus ad majores, vel minores ordines admittatur, nec ei ut admitti poſſit licentia concedatur, niſi priùs de eo periculo facto, his eſſe præditum qualitatibus conſtiterit, quæ ad illum gradum vel ordinem ex Concilii[l] Tridentini decretis ſunt requiſitæ.

§. II.

---

f *Cum perſonæ, de privilegiis*, l. 6. *g* Seſſ. 14. cap. 5. & tex. ubi DD. in cap. 1. & finali *De off. & poteſt. judic. De leg.* in 6.

h Seſſ. 22. cap. 5. *De reform.* *i* Seſſ. 22. cap. 6. *De reform.*

k De hoc tit. vide Conc. IV. Milan tit. *Quæ pertinent ad ſacramentum ord.* fol. 638. Latiùs Conc. V. Milan. tit. *De examinandi ratio.* verb. *Vt primo.* f. 759. & tit. *De initiandis ord. ſac.* f. 734. * *ad Tim.* 5 *l* Conc. Trid. ſeſſ 23. c. 7. *De reform.* Conc. Limenſ. 3. act. 2. c. 33. ſeſſ. 21. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 4. & 5. ſeſſ. 23. c. 4. uſque ad c. 16. Concil. Mexic. l. c. 45. & Conc. Tarracon. tit. *De ætate & qualit. c. Prima tonſura.* fol. 16. Guadix. tit. 2. à conſtit 42. uſque ad 48. & Gran. dicto tit. *De ætate & qual.* & Syn. de Quiroga conſtit. 26. & 27. & Concil. V. Milan. ubi ſuprà.

§. II.

VERUM ad ſpeciem magis deſcendendo, præter ſcientiam, & ætatem, quæ ex Concilii Tridentini decreto neceſſaria ſunt; nullus niſi priùs juramento præſtito de intentione permanendi in habitu clericali, admittatur, nec ad primam tonſuram promoveatur. Illi verò ante quartum decimum annum poterunt primâ tonſurâ initiari, qui in Cathedrali Eccleſia clericali toga & ſuperpelliceo induti, per duos ſaltim annos divino cultui inſervierunt, ſi priùs eorum parentes vel tutores propoſitum ſibi eſſe juraverint in Eccleſiæ miniſterio conſervandi.

§. III.

NEmo *l* ad quatuor minores ordines promoveatur, niſi quantũ fieri poterit, Eccleſiaſtici cantus rudimẽtis inſtructus.

§. IV.

AD *m* ſubdiaconatum promovendi, in cantu Eccleſiaſtico periti ſint, & in recitando horarum officio, juxta ordinem Breviarii editi ex Concilii Tridentini decreto, exercitati.

§. V.

DIACONATUM *n* ſuſcepturi, non in his ſolùm, ſed in cęremoniis etiam illi ordini competentibus, examinentur.

§. VI.

QUI ex præſcripto Concilii, Tridentini idonei reperti, in ſacro presbyteratûs ordine fuerint conſtituti, primam Miſſam ne celebrent, niſi priùs, ut in titulo *De celebratione Miſſarum, & divinorum officiorum* habetur, à cęremoniarum magiſtro examinati & approbati, ab eodem celebrandi licentiam obtineant: formam præterea abſolvendi à peccatis & cenſuris ſciant. Ut verò tanti celebratio myſterii in ſuarum animarum ſalutem cedat, promotos ad ſacerdotium monet & hortatur hæc Synodus, ut quantum ſit illud Dominici corporis ſacrificium, toto corde, totaque mente contemplantes, ad illud celebrandum divinæ gratiæ auxilio ſe præparent, eaque animi puritate ac ſinceritate, quibus æquum eſt, ſanctiſſimumque corporis & ſanguinis Domini ſacrificium accedant; ſicque ſanctuarium Dei ingrediantur, ut tamquam mediatores inter Deum & populum pacem componant.

§. VII.

SACERDOTES, quibus animarum cura committenda eſt, quantum doctrinâ præſtare debeant, vel ex eo facilè intelligere licet, quòd veluti duces, magiſtri, & medici exiſtant, qui ſubditos in cœlum dirigant, ſanam doctrinam doceant, ſpiritualibus eorum morbis medeantur. Quare *p* nullus curatum Beneficium obtineat, niſi priùs probatus & examinatus, idoneuſque repertus, in ſacramentorum, præſertim Pœnitentiæ, adminiſtratione verſatus ſit, & conſcientiæ caſibus bene inſtructus, ad formam ab hac Synodo diſpoſitam, & unà cum directorio confeſſorum & pœnitentium comprobatam, quæ in omnibus & per omnia obſervetur, & exſecutioni mandetur. Aptus præterea ſit ad exponendum ſanctum Euangelium ſubditis, eo ſaltem modo, quo magis ad ſalutem neceſſaria edoceri poſſint. Hinc enim fiet, ut ſubditi de ſuis parochis bonam opinionem concipiant, eoſque tamquam patres ſpirituales confidenter adeant, ut quibus oportet ad ſalutem documentis, inſtruantur.

De vita, fama, & moribus ordinandorum. q

§. I.

QUIA vitæ integritas, & morum honeſtas in iis, qui ad Eccleſiaſticos ordines promovendi ſunt, literarũ ſcientiæ præferri debent; hæc Synodus decernit & jubet, ne ullus Epiſcopus ſibi ſubditos ad ordines admittat, aut admitti concedat, niſi priùs à fide dignis, & morum gravitate probatis teſtibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, cum quibus promovendus ſocietatem inierit, vel aliàs fuerit converſatus, habito teſtimonio, quo poſſit conſtare ad ordinandum eo tempore, & per multos antea menſes, quibus decet puritate & honeſtate vixiſſe, aleæ, aut aliis illicitis ludis pravè aſſuetum non fuiſſe aut eſſe, nec ſtatutis à jure temporibus peccatorum confeſſionem omiſiſſe. Quod ſi ſecus conſtiterit, nullatenus promoveatur, donec vitæ, ac morum converſatione in melius commutata, maculam deleat, ex anteacta vita ſuſceptam Difficile enim eſt eos in novo dignitatis gradu poſitos fieri meliores, qui vitiis & ſceleribus defœdati, non ſine multorum ſcandalo, quibus eorum pravè facta nota ſunt, ad illum ſtatum pervenerunt.

§. II.

ECCLESIASTICI ordinis perturbatio inde ſæpè ſecuta eſt, quòd is aditus nõ ſit occluſus, qui caducarum rerum cupiditate ducti, pravis cogitationibus ſancta miniſteria concupiſcunt. Quare nullus ad ſacros ordines admittatur, qui commiſſo crimine pœnâ ſanguinis puniendo, magis ut pœnam ſibi à ſæculari judice infligendam evadat, quàm ut in ſacris ordinibus proficiat, promoveri velit. Qui verò ob hanc cautelam ſacros ordines ſuſceperit, ſit ipſo facto ſuſpenſus; & ſi de crimine conſtiterit, tamdiu in exſilium relegatus ſit, quamdiu Epiſcopo videbitur expedire.

§. III.

UT honor *r* & reverentia clericali ordini deferatur, ſacris eſt Canonibus conſtitutum, ut qui aliquos patiuntur naturales defectus, ut alios, qui tametſi non imputen-

l Granat. & 5. Milanenſ. ubi ſuprà §. præcedendi. *m* Gran. & Milan. ubi ſuprà. *n* Gran. & Milan. ubi ſuprà. *o* Seſſ. 23. c. 14. infrà lib. 3. tit. 15. z. 3. *p* Optimè loquitur Concil. 5. Milan. ubi ſuprà. tit. *De inſtituend. ord. ſacram.* fol. 764.

q Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 10. ſeſſ. 21. c. 2. ſeſſ. 21. c. 5. 7. 11. 13. & 14. Mexi. l. c. 44. Guadix. tit. 2. conſt. 48. & Milan. l. tit. *Qui ad ſacrament. adminiſtrationem pertinent.* & 4. & 5. ubi ſup. §. 1. & Granatenſ. *De ætat & qual.* n. 4. & Limenſ. 3. act. 2. c. 30. In c. *Inter dilectos. De exceſſ. prał.* Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. *De refor.* & vide infrà lib. 3. tit. 5. *De vit. & honeſt. cleric.* §. 22. & 25. Mex. 1. c. 47. *r* Guadix. tit. 2. conſtit. 47. 48. & 49. & Provin. de Quiroga act. 3. c. 34.

tentur ad culpam, minùs decent clericalem ſtatum, non ordinentur, ne ſacris ordinibus initiati contemnantur, eorumque miniſterium vituperetur. Propterea interdicit hæc Synodus, ne deſcendẽtes ab his, qui à ſanctę Inquiſitionis officio damnati fuerunt, in primo, & ſecundo gradu quoad patrem, quo ad matrem verò in primo tantùm, ad ſacros ordines admittantur: quia vulgari infamia notati. De quorum natalibus tunc ſufficiens erit inquiſitio, quum ad parentes, & avos uſque perventum fuerit: difficile enim eſſet propter antiquitatem ulteriùs progredi; indeque varia perjuria, calumniæ, & inimicitiæ orirentur. Inde etiam & Mexici, tam ab Indis, quàm à Mauris, necnon ab illis qui ex altero parente Æthiope naſcuntur, deſcendentes in primo gradu, ne ad ordines ſine magno delectu admittantur,

De titulo Beneficii, aut patrimonii.

§. I.

CUM non deceat [f] eos, qui divino miniſterio addicti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidam aliquam artem ad victum exercere; Concilii [g] Tridentini auctoritate innixa hæc Synodus ſtatuit, ne ullus clericus ſæcularis ad ſacros ordines promoveatur, niſi priùs Epiſcopo legitimè conſtet, eum Beneficium, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Patrimonium verò vel penſionem obtinentes ordinari non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; priùs quoque perſpecto, patrimonium illud vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint. Perpendens [u] tamen hæc Synodus, quanta in hac provincia ſit neceſſitas miniſtrorum maternam indigenarum linguam callentiũ; decernit, ut qui linguam aliquam Indorum noverint, ad ſacros ordines promoveantur, etiamſi Beneficium, patrimonium, vel penſio ab eis obtenta talia non ſint, quæ congruè victum ſuppeditare poſſint. His enim quominus ordinentur, periculum mendicandi veriſimile eſt non obſtare, quia ſi moribus, ſcientiæ, & ætati requiſitis, linguæ quoque Indorum uſum adjungant, Indiſque ſacramenta, & alia ſpiritualia miniſteria pręſtare poſſint; inde quæ ſibi ad victum ſufficiant, cum decore Eccleſiaſtici ordinis comparabunt.

§. II.

OCCURRERE [x] volens hæc Synodus artibus & fallaciis, quibus aliqui nullum Beneficium aut patrimonium verè obtinentes, ſed falſos Beneficiorum titulos, fraudulentaſque facultatum donationes cum pacto tacito vel expreſſo de non recipiendo, vel reſtituendo confingentes ordinari ſolent; ſtatuit ac decernit, ut ſi quis fraude dolove ad ſacros ordines fuerit promotus, à ſuſceptis ordinibus ipſo ſit facto ſuſpenſus, & pro tanto ſcelere arbitrio Ordinarii puniatur.

§. III.

JUXTA Concilii Tridentini decretum, illi tantùm patrimonium, vel penſionem obtinentes ordinari poſſunt, quos, Epiſcopus aſſumpſerit pro commoditate alicujus Eccleſiæ, cui adſcripti eſſe debent, ad munera Eccleſiaſtica obeunda, neque eam ſine Ordinarii licentia deſerere poſſunt. Verùm quia multi ad titulum patrimonii vel penſionis promoti, facilè deinde Eccleſiam cui adſcripti ſunt, relinquunt; jubetur, ut Eccleſiæ deputatio in titulis ordinum ſcripta inferatur. Viſitatores quoque inquirant, an prædicti quæ præſtare tenentur, muneribus functi fuerint: quòd ſi contra ſe geſſiſſe compererint, ad pręſcriptum Concilii Tridentini [z], ab ordinum exſecutione ſuſpendantur, cujus ſuſpenſionis tempus Ordinarii arbitrio relinquatur.

De modo conferendi ordines, & literas dimiſſorias.

§. I.

IN conferendis ordinibus, ea prorſus ratio ſervari jubetur, quam amplexa eſt Univerſalis Tridentina [a] Synodus, juxta quã decernitur, ut Epiſcopi per ſeipſos ordines conferant: ſi verò ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quàm jam probatos & examinatos, ad alium Epiſcopum dimittant. Nullus [b] autem niſi à proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi ob legitimam cauſſam ab alio Epiſcopo promoveri quis petat, nullatenus ei permittatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur, ſub pœnis in Concilio Tridentino [c] ſtatutis. Facultates de promovendo à quocumque minimè ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam, ut eſt ab eodem Concilio [d] diſpoſitum.

§. II.

AD abolendam [e] pravam conſuetudinem contra decreta hujuſmodi in hanc provinciam introductam, qua multi alienigenæ, ab alio, quàm à proprio Epiſcopo, & abſque ejus conſenſu & approbatione ad titulum, quem vocant domicilii, ſive jurati, ordinari conſueverunt, præſtito ſolùm juramento, ſibi eſſe in animo in ea diœceſi, ubi promoti fuerint, permanere; interdicit hæc Synodus, ne quiſquam ad titulum hujuſmodi ordinetur, aut ordinari permittatur, niſi per tantum tempus in ea diœceſi vitam duxerit, ex quo probabile ſit velle ſe ibi permanere. Quòd ſi aliqui contra hoc decretum fuerint promoti, ipſo facto ab exſe-

---

f Concil. Milan. V. fol 766. verbo: *Hæc in primis*. *g* ſeſſ 21. c. 2.
u Conc. V. Limenſ. III act. 2. c. 31. *x* Exſt. in c. penult. *De ſimonia*. loquitur Provinc. de Quiroga actio 3. c. 32. & Limenſ. III. act. 2. c. 30. *y* Provinc. de Quiroga act. 3. c. 33. & vide infrà, lib. 3. tit 15. *De celebr. Miſſar.* §. 14.
z Seſſ. 23. c. 16. *a* Seſſ. 23. c. 3. *b* Conc. V. Milan. fol. 765. verbo: *Quòd Provinc.* *c* Seſſ. 23. c. 8. *d* Seſſ. 7. c. 11. *e* Limenſ. III. act. 2. c. 30. verbo *Quia verò*.

exſecutione ſuſceptorum ordinum ſuſpendantur, & cujuſque Beneficii, ſeu adminiſtrationis Indorum ſint incapaces per triennium. Qui verò in una diœceſi ordinari cœperint, in alia, quamvis ibi per tres annos fuerint commorati, reliquos ordines non ſuſcipiant, niſi à proprio Prælato cum literis dimittantur, & unuſquiſque proprium paſtorem agnoſcat, & hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordine minimè perturbato, quod eſt ſanctorum Canonum, & ſacroſancti Concilii Tridentini [e] decretis de hac re ſancitum, inviolabiliter obſervetur. Literæ item dimiſſoriæ, ad unum tantùm ordinem ſuſcipiendum concedantur, ut quam in munere ſuſcepti ordinis exſequēdo diligentiam ordinatus præſtiterit, Epiſcopus intelligat. Interſtitia verò temporum à Concilio Tridentino præfixa obſerventur, niſi in illis pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ ſuæ viſum fuerit Epiſcopo diſpenſare. Abſentibus verò ſine prævio examine coram Epiſcopo vel ejus examinatoribus, literæ dimiſſoriæ non dentur.

§. III.

REGULARES juxta Concilii Tridentini [f] decretum, nec ante ætatem omnibus à Jure præſcriptam, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, nec eis duo ſacri ordines eodem die conferantur, quibuſcumque privilegiis quoad hoc penitùs excluſis.

De examine ordinibus præmittendo.

§ I.

UT ordinandorum, & eorum, quibus animarum cura credenda eſt, quibus polleant meritis, quàmve ad ſpiritualia munera obeunda idonei ſint, faciliùs Epiſcopis notum fiat; præcipit hæc Synodus Mexicanæ provinciæ Epiſcopis, ut in Synodo Diœceſana, quæ primo quoque tempore celebrabitur, tres ſaltim eligant & deputent examinatores [g], qui unà cum Epiſcopo, vel ejus vicario, ſi Epiſcopus fuerit impeditus, de ſcientia ordinandorum periculum faciant: ante Synodum autem habitam, per ſuos Epiſcopi id etiam præſtent. Examinatores verò deputati, in ſuo munere obeundo hanc à Synodo præſcriptam formam obſervent.

§. II.

EXAMINATORES in Synodo Diœceſana conſtituti, jure jurando ſe obſtringant de fidelitate ſervanda in ſuo ſuſcepto munere, de verè & ſincerè manifeſtanda eorum comperta ſcientia, de quibus ipſi experimentum ſumpſerint; amore, odio, aliove omni humano affectu poſthabitis. Examinis [h] verò cauſsâ, nihil quicquam pecuniæ, præmii, alicujuſve doni, aut quid ſimile accipiant.

§. III.

SI examinandorum quiſquam per ſe, vel interpoſitam perſonam, dona favoreſve examinatori promiſerit; Epiſcopo ſtatim denunciet, & eundem ad ordines pro illa vice inhabilem decernat.

§. IV.

EA, de quibus ſubituri examen interrogādi ſunt, per ſe vel per alios, directè aut indirectè, ne revelēt. Si quis eorū qui examinandi ſunt, conſanguineus, affinis, familiaris, familiæve adjunctus alicujus examinatoris fuerit, examinator ille, ne præſens quidem adſit, ſed Epiſcopo notum faciat, ut alius in ejus locum vocetur.

§. V.

NE ſententiam, quam in approbando vel reprobando dicturi ſunt, ulli manifeſtent, ſub pœna excommunicationis majoris ipſo jure.

§. VI

NE quemquam ad examen ſubeundum admittant, niſi priùs ſuſcepti ordinis titulum, ab Epiſcopo & notario ſubſcriptum, ſigillatumque exhibuerit.

§. VII.

QUÆ omnia, ſub eiſdem juramento & cenſura, tunc quoque ſervare teneantur, cùm de Epiſcopi mandato aliquos ad Beneficia obtinenda examinare contigerit.

LIBRI PRIMI

TITULUS QUINTUS.

De ſacramentorum Eccleſiæ adminiſtratione.

§. I.

SACROSANCTÆ Eccleſiæ ſacramenta, quæ non inventa ab hominibus, ſed à Chriſto domino inſtituta ſunt, & ad noſtram ſalutem divinitus conceſſa, ut dignè & ſalubriter adminiſtrentur, & à percipientibus ſummo in honore & veneratione habeantur; maximè oportet eorum miniſtros, illud de ſe omnibus, præſertim Indis, qui rudes ſunt, & minus intelligentiâ valent, præbere teſtimonium, ut non ob aliquod temporale lucrum, ſed tantùm ad ſalutem animarum ſacramenta conferri omnes intelligant. Præcipit igitur hęc Synodus, ne ullus clericus, pacto, contractu, hortatu, aut conventione, per ſe aut per alium, directè vel indirectè, pro ſacramentorum adminiſtratione ſibi temporale quicquam dari procuret: ſi qui verò ſecus fecerint, ultra pœnas à Jure in ſimoniacos decretas, ſi ſemel id commiſerint, pœnam quinquaginta pondo incurrant, quo-

---

e Seſſ. 23. c. 11. & 13. f Seſſ. 23. c. 1. & provinc. de Quiroga act. 3. c. 47. & eſt declaratio Card in dictis locis.

g Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. verſ. *Licebit etiam.* Conc. Tolet. act. 2. c. 24. Prov. de Quiroga act. 3. à c. 22. uſque ad 26. Limenſ. III. act. 4. c. 17. & Conc. Milan. V. tit. *De examinandi ratione* à fol. 757.

h Conc. Limenſ. 3. act. 2. c. 32. & Milan. V. ubi ſuprà §. præced.

i Cap. *Ad Apoſtolicam. c. Si fatiſ. de Simonia.* Mex. I. c. 23. & II. c. 2. Guadix tit 2. conſt. 3. & 22. & conſt 14. 15. 16. Milan. I. verbo, *Cum ſacrament.* & Synod. de Quiroga conſ. 35. & Provinc. ejuſdem Quiroga act. 3. c. 27. & Compoſtel. act. 7. c. 10. & Limenſ. 3. act. 2. §. 38. Conducit materiæ tex. in c. *Abolendæ. De ſepulturis.*

quorum partes duę, Eccleſiæ ubi fuerit delictum perpetratum diſtribuantur, tertia verò accuſatori. Si autem bis in hoc crimen inciderint, à ſacerdotali officio per annum ſuſpendantur. Si ter, à tota provincia per triennium exſules ſint; non tamen hoc decreto prohibetur ne mercedem in ſingulis Epiſcopatibus ab Epiſcopo conſtitutam percipiant.

§. II.

VERUM,[i] ut illud, quod ex conformi ſacrarum cæremoniarum uſu in cultu divino provenit, decorum ſervetur, & ea evitentur incommoda, quæ ex varietate hujuſmodi oriuntur; curati omnes hujus provinciæ tam ſæculares, quàm regulares, in ſacramentis adminiſtrandis, præſcriptam in Rituali Mexicano formam teneant, quouſque à Sede Apoſtolica rituale ad uſum univerſalis Eccleſiæ evulgetur. Si qui verò aliter ſacramenta adminiſtraverint; tamquam perturbatores Eccleſiaſtici ordinis punientur.

LIBRI PRIMI

TITULUS SEXTUS.

De ſacra unctione.

§. I.

VOLENS hæc Synodus iis incommodis, quæ in conferendo Indis Confirmationis ſacramento, & fuerunt, & eſſe poſſunt, opportunum remedium afferre; ſtatuit ac præcipit, ne quicquam pecuniæ, argenti, alicujuſve rei ſimilis, dum Epiſcopi ſacrum chriſma miniſtrant, ab Indis, vel ab aliis ulli petant, aut ad id offerendum eos inducant; immo potiùs pro gravitate & auctoritate Epiſcopalis dignitatis, candelas, vittas, quas ſuſcepturi ſacramentum Confirmationis deferre ſolent, indigentibus in eleemoſynam Epiſcopi conferant.

§. II.

PERACTO verò Confirmationis miniſterio, vittæ omnes ad uſum ejus adhibitæ comburantur, ne poſtea profanis uſibus deſerviant.

§. III.

SED quoniam propter Indorum ignorantiam facilè evenire poteſt, ut nulla habita ratione cognationis inter ſuſceptorem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem contractæ, hi in his gradibus prohibitis matrimonio ſe conjungant; huic malo Epiſcopi occurrentes,[k] in ſingulis Indorum oppidis duos ſuſceptores deputent, qui vel ſine ſuſpicione contrahendi matrimonium ſint, vel ſpiritualis cognationis rationes optimè noverint: idque obſervetur donec Epiſcopis hujuſmodi deputatio, Indis peritioribus factis, non ampliùs neceſſaria viſa fuerit.

§. IV.

PAROCHI[m] item tam ſæculares, quàm regulares, Indis, & ſervis ægrotis in mortis periculo conſtitutis, ſacramentum extremæ-unctionis miniſtrent: quod cùm ſit à Chriſto domino ad communem omnium ſalutem, ſine delectu perſonarum inſtitutum; omnibus fidelibus in articulo mortis devotè petentibus tribuendum eſt. Parochi verò muneri ſuo ſatisfacere minimè poſſunt, ſi medicinam animæ & corpori tam ſalutarem ſuis ſubditis denegaverint.

§. V.

QUIA verò graviter ęgrotantes extremæunctionis ſuſcipiendæ cauſsâ ad Eccleſias, ſeu monaſteria deducere tutum non eſt, ne externus impulſus aut mortem illis conciliet, aut ſaltim acceleret miſeræ genti, & ab omnibus rebus inopi; conſulere volens hæc Synodus; in virtute ſanctæ obedientiæ curatis omnibus, ſæcularibus & regularibus, præcipit, ne Indos, aut ſervos ægrotos hujus rei cauſsâ, ad Eccleſias, vel monaſteria ullatenus ferri permittant. Immo curati ipſi officii ſui & charitatis, qua erga proximos eſſe debent, memores, ad ungendum infirmos, eorum adeant domos, quas priùs decenti ornatu paratas eſſe curabunt. Si verò contra hoc decretum fecerint, probabili irregularitatis periculo ſe exponi intelligant: & quam ſint de morte proximi ob eorum inhumanitatem ſecuta, rationem Deo reddituri, animadvertant.

§. VI

EPISCOPI verò tantum ſcelus acerrimè vindicari ſtudeant, ut tam immanis & barbara conſuetudo, & non ſolùm ab Eccleſiaſtico & religioſo homine, ſed ab homine prorſus aliena, radicitùs exſtirpetur, fundituſque tollatur.

§. VII.

DE ætate[n] ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum ea regula ſit, ut quibus per ætatem licet Euchariſtiam ſumere, eiſdem etiam liceat ſancto infirmorum oleo inungi.

§. VIII.

ILI tamen, qui ægrotorum curam habent, admonentur ut opportuno tempore à parocho deferri extremam-unctionem procurent, ſicque infirmus dum integris eſt ſenſibus, ungatur, ut vim ſacramenti corpori & animæ ſalutarem, dum compos ſui eſt, intelligere valeat.

§. IX.

AD ſacrorum Canonum obſervationem, & ne in Eccleſiis ſanctum chriſma, catechumenorum, & infirmorum oleum, unquam

i Mex. 1. c. 97. & Limen. III act. 2. c. 37. & Conc. 4. Tolet. c. 26. ubi Loaysa fol. 370. verbo, *Libellum*. Conc. Milan. V. fol. 716. verbo, *Illud in primis*. & Concil. Provinc Bonon. Card. Pallæoti 4. parte. k Limenſe III. act. 2. c. 13. l Limenſe 3. act. 2. c. 9. m Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. *De extrema-unctione* Mexi 1. c. 64. Guadix. tit. 2. conſt. 41. Limenſe 3. act. 2. c. 28. Conc. Trid. in doctrina *De ſacram extremæ-unctio.* c. 1. 2. & 3. n Gran. tit. *De ſacra unct.* n. 3. & 4. & Milan. 4. tit. *Quæ pertinent ad extrem. unct.* verbo, *Parochus*, & 5. tit. *Quæ pertinent ad ſacram extremæunctionis.*

unquam desit; jubet hæc Synodus, ut in singulis annis [o] infra quindecim dies, à feria quinta in Cœna Domini, quo die hæc, vertente anno, non consecrantur, immediatè numerandos, vicarii omnes & singuli hujus provinciæ, per se vel per clericos sacro ordine initiatos, ad civitatem ubi est sedes Episcopalis conveniant, & quod in sacristia cujuslibet Cathedralis Ecclesiæ distribuitur sanctum chrisma, & oleum, quantum omnibus districtu sui parochi sufficiat, inde afferant. Nemo autem intra præfixum tempus id facere omittat, sub pœna pondo quinquaginta. Curati autem reliqui, eum locum ubi vicarius residet adeant, vel eò clericos in sacro ordine constitutos mittant, ut sanctum chrisma & oleum in suas parochias inde reportent, sub pœna pondo octo fabricæ applicandorum. Is autem, qui vel in Cathedrali, vel oppido, ubi vicarius residet, chrisma & oleum distribuit, nihil quicquam pro his distribuendis accipiat, librumque secum habeat, ubi cum die, mense, & anno nomina eorum inscribat, qui ab eo chrisma & oleum sumpserunt, sub pœna duorum pondo, ad usum fabricæ Ecclesiæ.

§. X.

CURATIS [p] quoque omnibus præcipitur, ut chrisma & oleum hujusmodi frequenter renovare studeant, eamque in renovando formam servent, ut minor semper olei quantitas addatur, quàm reliquum fuerat. Si verò aliquid chrismatis vel olei anni proximi præteriti, quum novum defertur, superfuerit; illud comburatur, vel in fontem baptismalem spargatur. A die verò feriæ quintæ in Cœna Domini in posterum, antiqui chrismatis & olei catechumenorum usus cesset, sub pœnis à Jure decretis. Nec sabbatho etiam majoris hebdomadæ ad fontes antiquum oleum adhibeatur, sed novum exspectetur. Conceditur autem, ut si quis mortis periculo laboraverit, oleo infirmorum præteriti anni ungatur, novi olei copiâ adhuc non habitâ. Cujus rei causâ à feria in Cœna Domini infirmorum oleum asservari poterit, quousque novum pervenerit, & deinde consumi.

§. XI.

AD custodiam [q] verò sancti chrismatis & olei, locus clausus cum decenti ornatu deputetur, cujus clavem parochus habeat, nec cuiquam tradat, nisi alicui sacerdoti quum opus fuerit. Quo loco Rituale etiam ministrandorum sacramentorum formam præscribens asservabitur.

LIBRI PRIMI

TITULUS SEPTIMUS

De clericis peregrinis.

§. I.

SUMMIS à Deo precibus efflagitare Episcopi deberent, ut eos in messem suam operarios mitteret, qui divinæ voluntati conformes, salutem animarum sitirent; non quæ sua sunt quærentes, sed quæ Jesu Christi. Verùm quod est omni lacrymarum fonte plangendum, sacerdotes aliqui, non pietatis zelo, sed æstu quodam avaritiæ flagrantes, incertis sedibus vagantur, & ovibus sibi commissis [r] derelictis, eò avidè confugiunt, ubi majus stipendium temporalis lucri proponitur. Cui tam gravi malo Tridentinum [r] Concilium occurrere volens; præcipit, ne ullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii literis (quas tamen sine justa causa Ordinarius non deneget) ab ullo Episcopo ad divina celebranda recipiatur, quod tam sanctum Concilii decretum hæc Synodus inviolabiliter observari vult, sub pœna suspensionis arbitrio Ordinarii. Interdicit quoque, ne ullus vicarius, seu judex Ecclesiasticus, clericis hujusmodi celebrandi licentiam concedat, nisi eorum facultates, & literæ dimissoriæ diligenter priùs examinatæ comprobentur. Idemque injungit superioribus Ordinum in suis domibus, aut monasteriis. Itidem jubetur, ut si qui clerici ex Hispania, aut aliis remotis provinciis, in has Indiarum partes migraverint, mulieres secum, matrum, sororum, & consanguinitate propinquarum nomina deferentes, nisi id ita esse legitimè constiterit, à mulieribus hujusmodi separentur: si verò separati non paruerint, tamquam concubinarii publicè puniantur.

LIBRI PRIMI

TITULUS OCTAVUS

De officio judicis ordinarii, & vicarii. [s]

§. I.

UT Episcopi populum à Deo sibi commissum, quibus opus est, prudentia & solicitudine gubernent ac moderentur, atque ut faciliùs orationi vacent, doctrinâ pascant gregem, & saluti consulant animarum, vicariorum operâ indigent, quos in partem solicitudinis, præsertim earum rerum quæ fori judicialis sunt, sibi asciscant. Quamobrem vicarios hujusmodi hæc Synodus vehementer horta-

[o] Granat. tit. *De sacram unction.* act. 1. & Synod. de Quiroga const. 24 & 25. [p] Granat. tit. *De sacram. unct.* n. 2 & 3. & Milan. 4. 2. p. const. verb. *Parochus.* [q] Mexi. 1. c. 33. [r] Sess. 23. c. 16. & sess. 22. in decreto *De observandis & evitandis in celebr. Missarum.* Mexic. 1. c. 45. & Guad. tit. 2. const. 54. Milan. 1. tit. *Quæ pertinent ad celebrat. Missæ*, verb. *Clericis.* & Gran. tit. *De cleric. peregrin.* Synod. de Quiroga const. 57. Limen. 3. act. 3. c. 9. Mexic 1. c. 57. [s] Granat. tit. *De offic. judicis ord.* Guadix tit. 8. const. 11. 12 13 & 14. Milan. 4. 3 pat. tit. *De foro Episc.* & 5. tit. *De Episc. & Episcopali jure.*

tatur, ut quàm ſit eorum induſtria ad populi Chriſtiani gubernationem neceſſaria, intelligentes, ſuo muneri ne deſint, ſed in eo obeundo, omne ſtudium, operam, & diligentiam collocent. quod ut commodiùs præſtent, has, quæ ſequuntur, regulas obſervabunt.

§. II.

IN primis officiales, vicarii, & judices Eccleſiaſtici omnes hujus provinciæ id potiſſimùm curent, ut injuncta ſibi in literis commiſſionis & poteſtatis exſequantur. Tempore etiam quo hæc officia exercent, diligenter, integrè, & rectè ſe gerant. In omnibus Dei honorem ſibi proponant, communem ſubditorum utilitatem quærant, & partium unicuique jus ſuum tribuant. Coram ſecretario Epiſcopi jurejurando ſe obſtringant, quòd ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini decretis, hujuſque Synodi conſtitutionibus ſtabunt. Quòd Eccleſiaſticam juriſdictionem, immunitatem Eccleſiarum, & earum miniſtros tuebuntur atque defendent. In locis, ubi ſuis fungi debent officiis, ſemper reſideant, officiaque hæc per ſeipſos obeuntes, & non per ſubſtitutos, nequaquam abſint feriâ ſecundâ, quartâ, & ſextâ cujuslibet hebdomadis: ab octava ad decimam horam pro tribunali ſedentes, cauſſas audiant. Si verò in hos dies feſtum inciderit, in ſequenti die, feſto non impedito, audientiam faciant. Ad locum verò ad id deputatum Eccleſiaſticæ curiæ miniſtris comitati procedant. Ipſis verò officialibus, ad dies tantùm octo abſentibus, nullam cauſſam diffinitivâ ſententiâ determinare valeant, nec in cauſſa aliqua interlocutoriâ ſententiâ quicquam ſtatuant, quod per diffinitivam ſententiam reparari non poſſit. Quicquid ſecus factum fuerit, irritum & inane decernitur.

§. III.

DE quibuſcumque cauſſis ad juriſdictionem ordinariam ſpectantibus, & tamquam Apoſtolicæ Sedis ſubdelegati, de his, in quibus Epiſcopi à Concilio Tridentino ejuſdem ſedis delegati conſtituuntur, ſi eis ab Epiſcopo ſpecialiter commiſſæ fuerint, cognoſcere poſſint, cauſſaſque hujuſmodi, niſi ſpecialiter Epiſcopo ſoli fuerint commiſſæ, aut eas Epiſcopus ad ſe avocaverit, vel ex hujus Synodi decreto eidem reſervatæ fuerint, terminare valeant. De his etiam cauſſis cognoſcant, quæ per viam appellationis coram Epiſcopo ſunt tractandæ.

§. IV.

QUONIAM Epiſcopi jure, & expreſſo Concilii Tridentini, decreto tenentur officialem vicarium generalem conſtituere, qui doctor ſit, vel licentiatus in Jure canonico, vel aliàs quantum fieri poterit, idoneus ad cauſſas in foro judiciali decidendum, quem pro officii ſui ratione commodè ſuſtentare debent, & quia officiales hujuſmodi pro videndis actis ſalarium forſan à partibus litigantibus recipere volent; ſtatuit hæc Synodus, ne quicquam pro his accipiant, niſi parte, aut partibus petentibus juriſperitum unum, vel plures ſibi adjungi, quos de cauſſa conſulat, ac de eorum conſilio ſententias ferat. Quia verò evenire poteſt, ut pars, aut partes id petentes, quibus incumbit horum aſſeſorum ſalaria perſolvere, eoſdem pretio corrumpere poſſint; ſtatuit ac præcipit eadem Synodus, « ut ſalaria aſſeſſori hujuſmodi à judice providè moderentur. Eaque aſſeſſores per ſe vel interpoſitas perſonas, ante deciſam cauſſam à partibus non accipiant; nec quicquam ampliùs, quàm quod fuerit moderatum, ſub pœna reſtitutionis in quadruplum. Sententiam verò ſuam clauſam & ſigillatam, ad judicem mittat aſſeſſor, eamque partibus nequaquam tradat, aut ex eo quod partium interierit, teneatur. Prædicta verò pœna fabricæ Eccleſiæ & piis operibus æquè diſtribuatur. Sportulas alias non exigant, quàm quæ ſunt ab hac Synodo taxatæ. A partibus coram eis litigantibus, aut quæ probabili conjectura litigature creduntur, dona aut munera, etiam eſculenta, per ſe, aut familiares, conſanguineoſve ſuos, officio durante, vel pòſt, ex promiſſione tempore officii priùs facta, non accipiant, etiamſi ea data ſpontè fuerint vel promiſſa, ſub pœna reſtitutionis in quadruplum. Quod judicibus vicarii foraneis, ſub eadem quoque pœna etiam imponitur.

§. V.

IN cauſſis coram ipſis pendentibus, ipſi cognoſcere poſſint. Arbitri juris, aut arbitratores non ſint, neque hac de cauſſa pro ferendis ſententiis, videndis actis, aut aliàs quicquam accipiant. Qui verò contrà fecerint, ultra pœnam reſtituendi duplum, aliter etiam puniantur: idque vicarii etiam obſervent.

§. VI.

NOTARII, aut alii eorum miniſtri, in cauſſis, in quibus ad fiſcalis inſtantiam procedetur, nihil à reo exigant ratione ſcripturarum, ſive actorum, pro parte ad fiſcalem ſpectante, niſi reus per ſententiam in expenſis fuerit condemnatus, eaſque tunc juxta taxationem petant. Si verò condemnatio hujuſmodi non præceſſerit; cum ex officio ad hæc conficienda teneantur, nihil exigere poſſint. Quòd ſi notarius & judex aliter, quàm ad præſcriptam formam, expenſas à reo petierint, in duplum eaſdem reſtituant.

§. VII.

TESTES verò pro ratificatis non habeant, etiam de voluntate partium, in cauſſis ubi pœna corporalis, exſilii quoque, aut ſolennis pœnitentiæ futura ſperatur, ſub pœna ratificandi teſtes ſuis impenſis ſi opus fuerit: judex autem teſtibus non ratificatis, ſententiam minimè ferre poſſit.

§. VIII.

s Seſſ. 24. c. 16. & jure commun. text. in cap. *De conſang. & affin.*

« Mexie 1. c. 84. Guadix. tit. 8. conſt. 14.

§. VIII.

PECVLIARI ſolicitudine ſtudeant vitia publica, veluti ludos illicitos, concubinatus, blaſphemias, uſuras, & hujuſmodi alia, prohibere; & hæc perpetrantes acriter punire. Quod ut conſequatur effectum, dominicâ primâ Quadrageſimæ in quolibet anno generales literas excommunicationis expediant, procedendo uſque ad anathematis declaratorias, eaſque publicare faciant tam in Cathedrali, quàm in parochialibus Eccleſiis, ac monaſteriis: quę poſtquam publicatæ fuerint, in Eccleſiæ januis affigantur. Ad oppida etiam, ubi Hiſpani degunt, & ad fodinas literæ eædem mittantur, ibique itidem publicentur, ut omnes, & quicumque de hujuſmodi delinquentibus notitiam habuerint, cenſuris compellantur eoſdem denunciare coram Epiſcopis, vel parochis, & coram notario publico, ut id legitimè conſtet: quę tamen de delictis notoriis & publicis dumtaxat diſpoſita intelligantur. Edicta verò, ſeu literæ generales hujuſmodi juxta ſeriem diſpoſitam & approbatam expediantur: quæ in quantum concubinariorum delicta reſpiciunt, primâ etiam dominicâ Adventûs publicentur.

§. IX.

TAMETSI Epiſcopi, ſubditorum delicta clericorum, & ſacerdotum maximè, quos aliis in exemplum vitæ Deus poſuit, animadvertere debent; nihilominus ſacerdotalis ordinis honori proſpicere valdè tenentur, & in puniendis clericorum delictis prudenter ſe gerere, ne ſi id nimis publicè fiat, ipſi ſimul cum eo quo fungantur divino miniſterio contemnantur. Quapropter * hæc Synodus ſtatuit ac præcipit, ut cauſſæ graves clericorum hujus provinciæ, & quoad modum procedendi, & quoad cuſtodiam carceris ſecretò agitentur & terminentur. Item ut judices ad cauſſam hujuſmodi notarios clericos, ſi fieri poterit, adhibeant. Hæc autem omnia tum locum habeant, quum delictum tale, & tam publicum non fuerit, quod majori non egeat remedio. Qua in re conſcientiæ judicum onerantur, ut in his omnibus eum modum ſervent, quo & clericali dignitati conſulant, & delinquentes pro meritis ſupplicio afficiantur.

§. X.

LIBRUM habeant, in quo ſummatim ſacrilegiorum, reſtitutionum, & fiſcales cauſſæ ad memoriam deſcriptæ ſint. Ad hujus verò libri præſcriptum, in fine cujuslibet menſis, miniſtris & notariis, ſibi reddi rationem petant de præfatis cauſſis, & de earum ſtatu: & quod magis ſingulis cauſſis conveniens ſit, provideant, eoque in libro ut ſcribatur quicquid providerint, efficiant: atque miniſtros hujuſmodi de commiſſis negligentiis reprehendant, in eoſque accuratè animadvertant. In fine etiam menſis prædicti notarius de hac coram eo adhibita diligentia fidem faciat, & officiales binis quoque menſibus, juxta prædicti libri formam, Epiſcopo referant quid geſtum ſit, quidve non, qudque negotiorum hujuſmodi expeditioni convenientius & opportunius eſſe videatur, ſub pœna quatuor pondo quoties id omiſſum fuerit, & Epiſcopi hujuſmodi relationi ſibi in ſcriptis factæ ſe ſubſcribat. Librum verò hunc officiales apud ſe retineant, ad cujus præſcriptum, quum eos Epiſcopus viſitaverit, de negotiis hujuſmodi inquirantur. Admonentur præterea, ut etiam ſi ab ipſis cauſſę deciſæ ſint, ſi ulteriùs in gradu appellationis procedatur, promotorem fiſcalem ad cauſſarum hujuſmodi proſecutionem inſtanter hortari non deſinant.

§. XI.

JUDICES, nec recipiant, nec apud ſe retineant multarum ſive pœnarum pecunias operibus piis applicatas, ſub pœna reſtituendi quadruplum; ſed hæ notario cauſſæ, eo ipſo quòd exactę ſint, commendentur, qui infra diem ſuſceptori, per Epiſcopum cum debitis fidejuſſoribus in tribunali ſuo deputando, eas conſignare teneatur ſub pœna ſolvendi duplum. Pecuniarum autem hujuſmodi conſignationem, in libro ſuſceptoris notarius ſcribat, & manu propria ſuſceptor, ſibi conſignatas eſſe etiam ſcribat, ſeque ſubſcribat, ut Epiſcopi arbitrio hęc in pia opera diſtribuantur. Idemque quoad pœnarum pecunias ſervare teneantur.

§. XII.

PRÆCIPITUR etiam judicibus, ut in cauſſis civilibus, criminalibus, matrimonialibus, & aliis ordinariis quibuſcumque, ante diffinitivam ſententiam bis acta perſpiciant: primò quando partes ad probationem admittunt, ſecundò ſibi traduntur ad proferendum in cauſſa diffinitivè: ſummaria verò quo tempore ferenda ſententia eſt, videant: accuratè autem perpendant, an in eis quoad ſuam formam omnia ſervata ſint, actaque, & actuata prout de jure expedit, & in hac Synodo cavetur titulis *De ordine officiorum*, & *De officio notarii*. Si verò quicquam horum deſit, ſportuleque, aut ſalaria percepta, deſcripta in actis non ſint, ea juxta formam juris deſcribi faciant, notariorumque, aut miniſtrorum curiæ negligentias circa hęc, puniendo corrigant. Pro licentiis ז, ſeu facultatibus ad exercitium alicu jus ſacramenti, vel ad eſum carnium in diebus Quadrageſimæ, aut aliis, quibus prohibitus eſt, nihil quicquam accipiant. Has verò niſi in ſcriptis, & ad limitatum tempus, cauſsâque bene examinatâ, & licentia præcedente corporalis medici, ubi habere poterit, non concedant, nec in caſibus ab hac Synodo prohibitis, ſub pœnis ab eadem ſtatutis.

§. XIII.

JUBETUR præterea, ut judices acta in cauſſis ordinariis coram eis facta bis taxent. Primò, quando partes ad probationem admittunt. Secundò, tempore ferendæ ſententiæ: medioque decreto declarent, quid advocatis & notariis debeatur, quidve ad eos pertineat, ſuoque

* Mexic. 1. c. 82. y Concil. Tolet. act. 2. c. 14 ז Granat. *De offic. Judic. ordin.* n. 13.

que ſigno notent, ut partibus, vel earum procuratoribus liquidò conſtare poſſit. Sin minus fecerint judices, pondo duo *de Tipuzque* dicta, in pœnam perſolvant, eaque piis operibus applicentur. Taxent etiam acta cauſſarum, quæ coram eis in gradu appellationis agitabuntur, probationeſque etiam quaſcumque & ſcripturas alias, quoad earum partes & lineas, juxta legum[a] regni diſpoſitionem, & ad taxationem prædictam ſalaria hujuſmodi ſolvantur. Quod verò notarii, aut commiſſarii ultra taxationem receperint, in calce decreti jubeant reſtitui, ſub pœna jam dicta. Officiales taxam[b], & ſalariorum omnium curiæ miniſtrorum manu Epiſcopi ſubſcriptam, clarè inſcriptam, tabulæ affixam, & in aula judicis deputata, poni faciant, ut ibi commodè ab omnibus legi poſſit. Taxa verò ea ſolummodo ſit quæ eſt ab hac Synodo conſtituta.

§. XIV.

LIbrum habeant, in quo delinquentes condemnatos ſub comminatione ſi in idem delictum ulteriùs reinciderint, & eos qui talia commiſerint crimina, quæ ſi iterum perpetrentur, majori ſupplicio digna ſiunt, appoſitè deſcribant. Notarius verò apud quem ſententia lata eſt, manu propria in libro ſcribat, qua pœna reus damnatus fuerit, die, menſe, & anno ibidem appoſitis; & quòd acta & proceſſus cauſſæ apud eundem remaneat; ſeque ſubſcribat, quò delinquendi conſuetudo faciliùs tolli poſſit.

§. XV.

IN cauſſis, in quibus ex officio procedunt; poſtquam fiſcalis teſtes nominaverit, caveat, ut ſuſceptor fiſcali ſubminiſtret pecunias, quibus poſſit, teſtibus ad ferendum teſtimonium venturis ſumptus præbere competentes, idque in actis redigatur: tempore verò quo expenſas taxabunt, faciant ſibi à fiſcali rationem reddi ſumptuum erogatorum hujuſmodi; quos etiam taxent, & ex taxatione, eos fiſcalis à reo recipiat, ſuſceptorique reſtituat, aut quid cauſſæ fuerit, quominus reſtituturus ſit, exponat.

§. XVI.

OFficiales, ſaltem ſemel in hebdomada, ſecundâ, aut ſextâ feriâ, poſt meridiem, vel horâ ſibi magis commodâ, carcerem viſitent, eiſque in comitatu ſint notarii deferentes acta detentorum in carcere; procuratores quoque, & promotor fiſcalis, quorum ſi quis abſens fuerit, pondo uno multetur, in uſus eorum, qui in carcere ſunt convicti. In viſitatione verò id præſtent, ut de vita, honeſtate, & moribus eorum, qui carcere incluſi tenentur, inquirant, fœminarum impudentias reprimant, dejerantes, illicitoſque ludos exercentes puniant. Exquirant præterea, an cuſtos carceris à vinctis injuriâ quicquam extorqueat; unumquemque, de ſuo jure eos certiores reddere volentem, libenter audiant. Si ab aliquo reo confeſſio petenda eſt, aut aliud quid ſimile agendum, id ne omittant.

§. XVII.

DE vinculis, & his qui vinculis alligati tenentur, interrogent: an ſine cauſſa per cuſtodem crucientur, aut ſine mandato dimittantur, inquirant: & tandem his omnibus quæ opportuno egent remedio, prudenter & accuratè illud præſtent.

§. XVIII.

IN vigiliis, feſtorum paſchalium, vel duobus antè diebus, Epiſcopi (præſentibus eorum officialibus, & aliis miniſtris) carcerem viſitent, prout etiam ab hac Synodo ipſis injungitur in titulo *De Epiſcoporum officio*.

§. XIX.

SI notarius[d] aliquis vel mortem obierit, vel officio ſuo fuerit privatus; acta, & ſcripturarum protocolla ab eo confecta, accuratè cuſtodiantur, ut habetur in titulo *De officio notarii*.

§. XX.

CUriæ[e] miniſtri munera, etiam eſculenta, mutuum & commodum ne accipiant, nec eoſdem ad ſuos contractus fidejuſſores adhibeant. Judiceſque hujuſmodi, quantumvis ſint probatæ fidei, ante elapſum tempus à fidejuſſoribus compelli poſſint ad eos indemnes ſervandum, vel perſolvendum totum id, pro quo ſe fidejuſſores conſtituerunt, ac ſi ab ipſis illud jam eſſet perſolutum. Litigatorum operis, niſi ſoluta mercede, non utantur, & in ſportulas ſibi debitas computantes. De ſuis ſportulis, & ſalariis, vel de negotiis ſibi commiſſis nihil paciſcantur, ſed ea purè ſincereque agant. Si verò ullatenus quicquam acceperint, in duplo reddant.

§. XXI.

CUM crimen quis confitetur, vel ſponte, vel aliàs, & quum injuriæ Eccleſiæ, vel clericis inferuntur; etiam ſi illæ à partibus ſint condonatæ, promotores fiſcales citentur, ut cùm ob culpam, quæ in delictis major comperiri poteſt, tum ob immunitatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam tuendam, de jure ſuo dicant, niſi, Epiſcopo conſulto, judex aliter decernat.

§. XXII.

STatuitur etiam ac jubetur, juxta Concilii Tridentini[f] decretum, ne officiales facultatem contrahendi matrimonium peregrinis concedant, niſi conſtet eos alibi matrimonio conjunctos non eſſe, nec legitimo impedimẽto teneri, quominus matrimonium contrahant. De hoc autem ab his inquiratur, qui antè contrahere volentes bene cognoverint, niſi attenta ætate ejus qui ad matrimonium recipi cupit, judici videatur de longiori vel breviori tempore inquirendum. Ad inquiſitionem autem hujuſmodi, ſi opus ſit, officialis literas det requiſitorias, ex quibus in partibus, ubi contrahentes ſint orti, inquiſitio fiat, denunciationibus publicè factis, ad præſcriptum ſacroſancti

Tri-

[a] In leg. 23. tit. 20. lib. 2. & leg. 1. tit. 27. lib. 4. recopil.
[b] Conc. Mex. l. 1. 3. fol. 603. 1. pag. in princip.
[c] Infrà lib. 3. tit. 1. § 10.
[d] §. 24.
[e] Milanen. 3. fol. 603. verb. *Nullum, neque munus* & 5. fol. 782. verb. *Illud præterea.*
[f] Seſſ. 24. c. 7.

Tridentini [g] Concilii. Præterea contrahentes juramento declarent, ſe nullo religionis, vel caſtitatis voto obligari. Qui verò abſentem conjugem obiiſſe dixerit, contrahendi facultatem non obtineat, niſi hoc ſufficienter probato, Epiſcopum adeat, de cujus permiſſu, & non aliàs, ad ſecundas nuptias ſuſcipiatur, ſub pœna pondo centum, expenſis pro adminiſtranda juſtitia faciendis, applicandorum.

§. XXIII.

IN crimine [h] concubinatûs inter clericum & conjugatam, is ordo in procedendo ſervetur, qui ab hac Synodo titulo *De concubinariis* eſt præſcriptus.

§. XXIV.

VIcarii, de his ſolùm caſibus qui ſunt in mandatis, & commiſſionibus ſuarum poteſtatum comprehenſis, ac juxta præſcriptam ibi formam cognoſcant: ſi ſemel contrarium fecerint, pœnam pondo octo incurrant; quorum tertia pars delatori, reliquę impenſis pro adminiſtranda juſtitia faciendis applicentur. Si bis, pondo duodecim, & duorum menſium ſuſpenſione. Si ter, duplo multentur; itidemque fiat diſtributio. In his autem negotiis, quæ ad eorum juriſdictionem non ſpectant, judices fiſcales, & officiales, ut ſuprà præfertur, commoneant, & imminenti periculo, aut rei neceſſitate poſtulante, proceſſum inchoënt, inquiſitionem faciant, perſonaſque capiant, & infra triginta dies in locis diſtantibus, in propinquis verò, quò citiùs fieri poterit, per aliquam perſonam, quæ ad id diligenter ſe obſtringat, cauſſas hujuſmodi ad officiales remittant ſine retardatione, ſub pœna pondo quatuor *de Tipuzque* vocatorum, & ſine diſſimulatione ſub pœna pondo viginti, & privationis officiorum, ratione præſcripta applicandorum. In cauſſis matrimonialibus, aut divortii, ratione ſævitiæ, aut ſecundarum nuptiarum imminente periculo, uſque ad depoſitum procedant, illaſque prout ſuprà dictum eſt, remittant, ſub eadem pœna.

§. XXV.

SI facultas [k] petatur, quâ clericus in ſacro ordine conſtitutus coram judice ſæculari teſtimonium dicere poſſit, ne detur priuſquam ea, de quibus interrogari debet, examinentur; quæ ſi talia viſa fuerint, ut ad omnia reſpondere clericum teſtem non deceat; quo ad peculiares tantùm articulos, qui in ea expreſſi ſint, limitata facultas concedatur, & non aliter, ſub pœna quatuor pondo.

§. XXVI.

NUllus officialium [l] prędictorum advocatus, ſolicitatorve ſit, clam aut publicè in cauſſis quæ intra fines ſuæ juriſdictionis tractantur, in quibus, aut judex fuerit, aut eſſe poſſit, niſi in concernentibus ad ſuæ juriſdictionis & ſtatus Eccleſiaſtici defenſionem: & in his ſine mercede aliqua, & cum ſpeciali Epiſcopi conſenſu.

§. XXVII.

SI verò quicquam mercedis aut ſalarii acceperint, pœnâ reſtituendi quadruplum multentur, graviterque puniantur. Quod de vicariis etiam intelligendum eſt.

§. XXVIII.

VIcarii [m] facultates prædicandi, confitendi, ſacrum celebrandi, eleemoſynas petendi, aliaſve quaſcumque ab Epiſcopis & ſuperioribus conceſſas examinent, ut earum veritas vel falſitas conſtet antequam exſecutioni mandentur.

§. XXIX.

QUia verò ſacerdotum probitas, vitæque exemplum, & in ſuis obeundis miniſteriis accurata diligentia, populi peccatis ſalutare medicamentum eſt; quo eorum cura juvetur, ſtatuit ac præcipit hęc Synodus, ut vicarii nomine, provinciales in ſingulis diœceſibus deligantur, unus, vel plures, prout videbitur Epiſcopo magis expedire, eiſque certos diœceſis ſuæ diſtrictus præfiniat. Hi autem de vita & moribus clericorum ſibi ſubditorum inquirant, & ad Epiſcopos, aut ad eorum vicarios generales deferant ſtatuto tempore, cùm libellos miſerint, in quibus nomina eorum qui peccata ſua confeſſi ſunt, inſcribuntur. Si verò clericorum exceſſus tales ſint, ut nullam dilationem patiantur, delinquentium expenſis Epiſcopo ſine mora nuncientur, mittanturque ſimul informationes ſuper eis factæ.

§. XXX.

VIcarii [n] in maritimis hujus provincię partibus reſidentes, diligenter curent, ne clerici, qui ex Hiſpania, aut aliis provinciis eò proveniunt, ad ſacrum celebrandum, aut ad ullum ſacramentum adminiſtrandum recipiantur, niſi titulis, dimiſſoriis, literis, licentiiſve ſuorum Epiſcoporum, Majeſtatis Catholicæ, aut ejus pro-regum & gubernatorum, pro ratione provinciæ unde profecti ſunt, optimè examinatis. Si verò merces ſecum habeant, afferantve alia, quæ negotiationem ſapiant, inventario confecto, alicui probato viro in depoſitum dentur, & quam primùm de hac re Epiſcopus certior fiat, ut quod ſibi convenientius viſum fuerit, decernat. De clericis itidem, qui in Hiſpaniam naves conſcendunt, inquirant, ſi licentiam à Prelatis ſuis obtinent. Si ſuſpectos ſibi comites navigationis adjungant, à quibus ſeparari oporteat. In his omnibus, ut diligenter ſe gerant, conſcientiæ vicariorum onerantur, aliàs pro ſua negligentia graviter à Deo ſe puniendos eſſe intelligant.

§. XXXI.

JUdices [o] Eccleſiaſtici omnes, accuratè invigilent, ne fœminæ noctu eleemoſynas oſtiatim quæritent, ſub prætextu pauperum erubeſcentium: quod cùm non ſine magno damno,

---

[g] Seſſ 24. c. 1. *De reform matrim.* Guadix tit. 2. conſt. 57. & Granat. tit. *De cognat. ſpirit.* n 2. Synod. de Quiroga conſtit. 33.
[h] Lib. 5. tit. 5. §. 6. [i] Granat. tit. *De offic ordin.* num. 22.
[k] Tex. in c. final. incipientii *Quamquam.* 14 q. 2. & tex. in cap. *De juram. calumniæ.* Guadix tit. 2. conſt. 55. Gran. tit. *De offic. ord.* n. 23. & in regula ordinis militaris S Iac. c. 19. in fin. [l] Granat. *De offic. ord.* n. 24. [m] Gran. ubi ſuprà n. 25. [n] Mex. 1 c 57. §. 1. & 2. & Lim. 3. act. 3. c. 9. [o] Concil. Lim. 3. act. 3. c. 93. in fine.

mno & ſcandalo fiat, in ſecus facientes ſeverè animadvertant.

§. XXXII.

NUllus quoque judex clericis Miſſas celebrandi, ſacramentave adminiſtrandi, licentiam tribuat, niſi priùs eorum literæ dimiſſoriæ, ſeu teſtimoniales probè examinatæ, legitimè eſſe comprobentur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

§. XXXIII.

REligioſis [p] etiam ſacerdotibus, extra ſuas provincias aut monaſteria peregrinantibus, facultas eadem denegetur, niſi ab Epiſcopo diœceſano licentiam obtineant, quam exhibere teneantur.

LIBRI PRIMI

TITULUS IX.

De officio fiſcalis, & jure fiſci. [q]

§. I.

PRomotor fiſcalis Epiſcopali curiæ deputatus, officium antea non exerceat, quàm in manibus Epiſcopi, vel ejus ſecretarii, juret ſe in omnibus fidelem præbiturum, Dei honori, & animarum ſaluti proſpecturum, immunitatem Eccleſiarum, bona Eccleſiaſtica, & miniſtros defenſurum, cauſſas Eccleſiaſticas proſecuturum, Eccleſiæ, & Epiſcopi jura propugnaturum, ad idque probationes, & teſtes omni diligentia exquiſiturum.

§. II.

A Parochis hujus provinciæ, tempore & ordine ab hac Synodo, ut in titulo *De officio Ordinarii* eſt, inquirat, de uſurariis, fœneratoribus, de his, qui priore conjuge adhuc vivente, alias duxerint, de illis, qui cum uxoribus non cohabitant, de aleatoribus, aleatorumque ſuſceptoribus, de blaſphemis, & de aliis delinquentibus ad Eccleſiaſticam juriſdictionem ſpectantibus: quos omnes in libro, quem ad uſum hujus rei habere debet, deſcribat, eoſque denunciet, cauſſaſque hujuſmodi accuratiùs proſequatur. In fine cujuslibet menſis, acta in cauſſis geſta, & earum ſtatum judici referat, & quod ſibi à judice injunctum fuerit, deinceps exſequatur, idque judex in libro ſcribere faciat, atque ſubſcribat. Hæc verò ut fiant ſingulis menſibus fiſcalis curet, ſub pœna quatuor pondo quoties omittentur.

§. III.

SÆpè nonnullorum ſæcularium, & clericorum delicta, temporis diuturnitate, & vitæ emendatione ab hominum memoria deleta ſunt: pravè tamen affecti homines aliorum exceſſus memoriâ ſemper retinentes, clericos, & ſæculares hujuſmodi denunciare ſolent, eo magis animo, ut eis moleſtiam inſerant, ac infamiæ notam inurant, quàm ut æquitati conſulant. Cui malo remedium afferre volens hæc Synodus; ſtatuit & interdicit, ne fiſcales, qui nunc ſunt, vel erunt in poſterum, ſine partis inſtantia, quemquam ſæcularem, aut clericum accuſent, aut denuncient de crimine tres annos antè commiſſo, cùm illud emendatione vitæ, hoc elapſo tempore, præſumatur compenſatum. Niſi delictum adeò grave, publicumve ſit, ut Ordinario videatur abſque ſcandalo impunè diſſimulari non poſſe, quo caſu etiam poſt annos tres à fiſcalibus delinquentes denuncientur, ut criminis gravitas Ordinarii prudentiâ æſtimetur.

§. IV.

QUia nemo eſt adeò naturâ moderatus, qui vel læſus, vel perturbatus affectu, ſaltem verbo proximum aliquando non offendat; cavendum eſt, ne clerici hujus provinciæ, parte injuriata non inſtante, ob leves verborum injurias in judicium vocentur, præſertim ad eas civitates ubi judices ſeu officiales reſident, cum ex tam longa diſtantia majus ſibi damnum inferretur, quàm delicti pœna poſtularet. Quam ob cauſſam clericorum hujus provinciæ utilitati & honori conſulens, decernit ac jubet hæc Synodus, ne officiales, vicarii, & alii judices Eccleſiaſtici de levibus verborum injuriis ſine armorum ſtrepitu, aut ſanguinis effuſione dictis, ex officio contra clericum ullum inquirant, nec denunciare permittant, nec contra eum procedant, nec eum in carcere detineant, aut ab eo multas exigant, pace jam inter partes inita. Idemque ſervetur quum quis in alium hæc convicia, & opprobria, quæ majora ſunt, conjecerit, illum leproſum, ſodomitam, proditorem, hæreticum, aut eo convicii genere, quod vulgus *cornutum* vocat, appellando; vel mulierem conjugatam, adulteram, ſeu meretricem dicendo, & alia ſimilia contumelioſa verba in quemquam protulerit, conviciave, ut præfertur, parte non querelanti. Si verò de hîc expreſſis conviciis partis offenſæ querela præceſſerit, etiam ipſa injuriam remittente, officiales, & vicarii, prout juris ſit, procedant. Qui ſi aliquos curiæ Eccleſiaſticæ fiſcales, ſive miniſtros contra facere compererint, quàm eſt hoc decreto ſancitum, eos graviter puniant.

§. V.

SI damnati ex aliquo crimine, iterum in idem crimen inciderint, fiſcalis animadvertat, ab eiſque inflictæ multæ, ut exigantur, curet: quod in viſitationibus fuerit conſtitutum, exſecutioni mandari faciat. Si à ſententia ſuper aliquo crimine, vel ſuper contentis in ſecundo decreto hujus tituli lata, provocatum fuerit; in appellatione proſequenda, & inſtantia illa terminanda invigilet. Si quid verò ad id opus ſit, ab Epiſcopo petat, maturâ diligentiâ adhibitâ, ne ſi cauſſa differatur, criminibus & offenſis

---

[p] Mexic. 1. c. 58. & Synod. de Quiroga conſt. 81. & Limenſe 3. act. 3. c. 9. & 10. [q] Latè Gran. tit. *De offic. procuratoris fiſcalis*, & Synod. de Quiroga conſt. 121. 122. 123. Guadix tit. 9. conſt. 21. Milan. 1. tit. *De cauſidicis, advocatis, & fiſcalibus*, & 5. tit. *De procuratore fiſci*. [r] Mexic. 1. c. 80. [ſ] Mexic. 1. c. 78. & lex reg. 4. tit. 10. lib. 8. recopil.

ſis in Deum, appellatio favere videatur. De quibus omnibus, ſub ſtatutis pœnis fiſcalis rationem reddat.

§. VI.

CUM aliquam cauſſam ex officio fiſcales inchoaverint, eam ſine permiſſu judicum non deſerant, nec diſſimulent, nec ex pacto conveniant, nec colluſiones, prævaricationes, aliudve ſimile committant, ſub pœna pondo quinquaginta. Quòd ſi cauſſa poſtulaverit, graviùs puniantur.

§. VII.

NE in cauſſis quas agunt, aut quæ ab eis agendæ ſperantur, conventionem faciant, nec muneribus, aliiſve hujuſmodi corrupti, jura ad cauſſas ſpectantia producere, & allegare deſinant. Quod ſecus ab illis ſit factum, irritum decernitur: & ſi quid ſemel acceperint, pœnæ reſtituendi quadruplum ſubjaceant; ſi bis, duplo magis multentur, ſi ter, officiis priventur, & pro rei gravitate aliis etiam afficiantur: notarii verò ſi quid ſimile noverint, Epiſcopis, eorumve judicibus, & vicariis annuncient.

§. VIII.

NE à quoquam dona munerave ſimilia, quamvis eſculenta ſint, vel ſpontè data, vel ſalarii prætextu accipiant, nec quicquam à litigatoribus, aut ab illis, qui litigaturi ſunt crediturí, emant, aut eis vendant, aut illorum operas in ſuos uſus conferant, ſub pœna reddendi duplum.

§. IX.

DE exceſſibus ſibi denunciatis quemquam ne accuſent, nec reus citetur, niſi delator pro ſua facultate cautionem præſtiterit de ſolvendo expenſas & damna in cauſſa, quo crimina denunciata non probaverit: quod ſi ſecus fecerint, damna, & expenſas hujuſmodi fiſcales perſolvant. Si verò delictum non probetur, & delator juſtam excuſationem non habeat, expenſas ſolvat, aliiſque à Jure ſtatutis pœnis ſubjaceat. Delicta autem cum certis teſtibus, vel quia publica ſunt in vico ubi delinquentes degunt, fiſcalibus annunciata, ipſi inquirant diligenter, etiamſi delator cautionem non det, nec cauſſam proſequi velit.

§. X.

NE in clericum, niſi probatio aut infamia notoria præcedat, accuſationem, denunciationemve faciant. Quum verò quemquam denunciaverint, juramento declarent ſe doli aut calumniæ id non facere. Quod ſi quem dolo aut calumnia accuſaverint, idque conſtiterit, expenſas ſolvant, & arbitrio judicis puniantur.

§. XI.

ACcuſationes in ſcriptis producant, & quicquid officii ſui ratione petierint, neque eorum libellos & acta aliter notarii recipiant, ſub pondo duorum pœna, à ſingulis contra facientibus exigenda, & his, qui in carcere Eccleſiaſtico detinentur, applicanda.

§. XII.

LIcèt citentur in cauſſis de cappellanorum onere moderando, fiſcales à cappellano nihil accipiant, nec etiam pro cauſſis, in quibus extracti ab Eccleſiis, in eaſdem reſtitui petatur, quicquam ab his qui reſtituti ſunt accipiant: quæ licèt gratis facere debent fiſcales, nihilominus omni cura & diligentia præfatas cauſſas pertractent, ſub duorum pondo pœna.

§. XIII.

QUum in cauſſis fiſcalibus ultra delicti pœnam, etiam in expenſis reus condemnabitur; fiſcalis expenſæ æſtimentur, eaſque juxta æſtimationẽ reus perſolvat, niſi in caſibus ab hac Synodo prohibitis.

§. XIV.

CAuſſas in quibus rei detenti in carcere, adhibita cautione, ante ſententiam latam liberari à vinculis permittuntur, fiſcales proſequantur, eaſque terminari faciant, ſub pœna pondo duorum ſingulis cauſſis: ſi verò poſt ſententiam latam id contingat, fiſcales procurent, ut forma & ſeries ſententiæ ſervetur, ac multæ cameræ vel piis operibus applicatæ, in depoſitum dentur. Quod ſi in ejus rei exſecutione, aliquid vel negligentiæ vel culpæ ſit, illud ſub eadem pœna Epiſcopo notum faciant.

§. XV.

CAuſſis properè ad partes ſpectantibus ne ſe intromittant, niſi judicis mandato, vel cauſſis ab hac Synodo expreſſis, ut ſunt Indorum cauſſę. Has verò, & alias ſibi ex officio incumbentes illicitè ne differant: quoties verò ſecus fecerint, pondo duobus multentur.

§. XVI.

IN cauſſis, in quibus ex officio proceditur, teſtes contra eos producendos judici dicat, ut ipſe quicquid ad exhibendos teſtes opus fuerit, ſtatim provideat, prout in titulo *De teſtibus* eſt diſpoſitum.

§. XVII.

PRoductis probationibus. & ratificationibus teſtium in cauſſis, in quibus ex officio proceditur; curent fiſcales de aliis teſtibus ratificandis, ſi qui deſunt, omneſque alias diligentias adhibeant, prout à jure compererint, ſub pœna duorum pondo quoties id negligenter omiſerint in cauſſa; cùm ſola probatione ſummaria ne concludant, quando teſtes pro ratificatis haberi non poſſunt, quia pœna corporalis ſecutura ſperatur, niſi adſit confeſſio partis.

§. XVIII.

QUando judex, aut vicarius publicè cauſſas audit, fiſcales ſemper aſſiſtant; quoties abſint, pondo unum perſolvant: ſine vicarii judicis permiſſu ne diſcedant, nec quemquam in ſui locum ſubſtituant, nec illum quem ad negotia extra civitatem deputaverint.

§. XIX.

§. XIX.

Quid fiſcalis facturus quando capitula contra aliquem porrigantur, titulo *De ordine judiciorum* diſpoſitum eſt. quod ſervari jubetur in cauſſis coram judicibus inferioribus ex officio tractatis, & in quibus ab interlocutoria, ſeu diffinitiva ſententia fuerit appellatum, ſi ipſi inferiores rationem cauſſæ, & acta proceſsûs ad judices ſuperiores remittant; fiſcales juſtitiæ Eccleſiaſticę exſequendę inſiſtant, litemque ſuſcipiant, ſalariaque jure advocati ſibi pertinentia percipiant à parte in expenſis condemnata, & non aliter.

§. XX.

CAutè clericos de adulterio denuncient, notario clerico, ſi ſit, adhibito, adeoque ſecretò id fiat, ne ad mariti notitiam perveniat. Accuſatio verò contra adulterum ſolùm detur, & in caſibus tantùm ab hac Synodo, titulo *De officio Ordinarii & vicarii*, expreſſis, & ut eſt ad punitionem delicti à jure canonico & Concilio Tridentino, permiſſum. Adulterę nomen ſupprimatur, quod verbo fuiſſet expreſſum in probatione. Notarius fidem faciat, niſi ſciente & conſentiente marito, delictum fuerit perpetratum. Tunc enim omnes accuſentur, & ut ſeverè puniantur, fiſcales omnem operam præſtent: expenſas ſuas juxta præſcriptam taxam, nec aliter quàm ſe ſubſcribentes, percipiant; ſub pœna reddendi duplum.

§. XXI.

CAuſſas à judicibus ſibi notificatas, infra tres dies deſcribere in libro ſuo teneantur, & reos accuſare, aut denunciare, ad præſcriptum in titulo *De officio Ordinarii*: cauſſæque hujuſmodi deinceps proſequantur, ut decretis hujus Synodi, ſub pœnis in eiſdem contentis.

§. XXII.

PRæſente reo infra tres dies querelam dare teneantur; ſin minus, eorum impenſis rei alantur.

§. XXIII.

RElíqui inferiores fiſcales, & exſecutores Eccleſiarum extra Epiſcopalem curiam reſidentes, ſedulò inquirant, qui ſacrum non audiant, aut feſta non colant, aut in Eccleſia irreverenter aſſiſtant, qui publicè peccatis ſordidati, & aliis vitiis in edictis generalibus, & titulo *De feriis* expreſſis, contaminati ſint. Videant etiam ſi tabernæ, cauponæ, aliæve publicæ domus apertis, januis patent, in eiſque eſculenta, & poculenta, feſtis diebus dum Miſſarum ſolennia celebrantur, divenduntur. Si decretis precibus in proceſſionibus decenter incedunt. Quicquid verò in his omnibus culpę invenerint, vicariis nuncient, ut quod ſibi injunctum eſt, exſequantur. Ne in his negligenter ſe gerant, aut cum aliquo colludant, aut pecuniis directè vel indirectè corrumpi patiantur, nec dona, aut munera, aliudve quicquam ab hominibus ſui diſtrictûs accipiant, ſub pœna reddendi in quadruplo: & à judicibus arbitrio ſuo uſque ad privationem officii puniantur.

§. XXIV.

NE fiſcales prædicti, quovis quæſito colore, cavillationes quærant, ut de rebus leviſſimis & nullius momenti denunciationes dent, nec eas judices aut vicarii admittant: quòd ſi commiſerint, tamquam calumnioſi accuſatores pœnas luant.

LIBRI PRIMI TITULUS X.

De officio notarii, & de fide inſtrumentorum. [u]

§. I.

NOtarii Eccleſiaſticorum tribunalium hujus provinciæ, & tabelliones, qui receptores vocantur, antè ne accipiantur, quàm Epiſcopis eorumque judicibus fidelitatem & obedientiam jurejurando promittant: itemque jurent, ſe decretis ab hac Synodo editis obtemperaturos, nec jure ſalarii quicquam aliud accepturos, quàm quod fuerit taxatione præfinitum. In loco ad audiendum cauſſas deputato, per tres ante meridiem horas, treſque alias poſt meridiem ſaltem aſſiſtant, ibique ipſimet per ſe negotia cum judicibus expediant. Quoties ſtatutis curiæ diebus abſint, pondo uno multentur: quòd ſi ex juſta cauſſa adeſſe non poſſint, de ea judices certiores faciant.

§. II.

NOtarios, quos vicarii in caſibus ſuæ juriſdictionis & commiſſionum adhibere debent, antè ab Epiſcopo examine probentur, juxta Concilii Tridentini [x] decretum: nec priuſquam ab Epiſcopo in ſcriptis facultatem deferant, acta ulla recipiant: quòd ſi receperint, irrita ſint & nulla. Vicarius verò qui huic decreto non ſteterit, quoties contravenerit, pondo octo multetur; quorum tertia pars nunciatori applicetur, notariuſque inhabilis ad officii exſecutionem efficiatur. Quæ omnia quantum fieri poterit obſerventur, & ut obſervari faciant, Epiſcoporum vicariorumque conſcientiæ onerantur.

§. III.

APrima petitione, & primis actis litis, proceſſum in unum colligant, ejuſque chartas conſuant, & omnia in illis ordinatè diſponant, petitioneſque cum earum decretis, & quicquid circa eas proviſum fuerit, inſerant: acta omnia, nulla in charta lacunis interpoſitis, deſcribant & intiment; diem quoque, menſem, & annum apponant; & cum opus fuerit, ipſi & judices ſe ſubſcribant, & rubricis notent. Quæ omnia notarii quotidie præſtent, ne

unius

---

[t] Seſſ. 24 c. 8. ſeſſ. 25. c. 14. [u] Guadix tit. 8. à conſt. 15. Granat. *De offic. notarii, & fide inſtrum.* Milan. 1. tit. *De Notariis & ſcribis.* & 3. fol. 603. cum ſeqq. & 4. 3. p. tit. *De foro Epiſcopali*, & 5. tit. *De cancellario & notariis.* & tit. *Quæ gratis in cancellario.* [x] Seſſ. 22. cap. 10. Mexic. 1. cap. 89. § 1. & Compoſtel. act. 3. cap. 26.

unius cauſſæ petitiones & acta, cùm alterius petitionibus & actis involuta confundantur. Proceſſus ordine diſpoſitos ſemper habeant, & quæ fuerint à judicibus decreta, non in exceptoriis codicibus, ſive manualibus, ſed in ipſis proceſſibus ſint inſerta. Si quid horum ſemel prætermiſerint, duobus pondo multentur; ſi bis, duplo magis; & ſic deinceps creſcente contumacia, pœnæ quoque pecuniariæ accreſcant, uſque ad officii ſuſpenſionem, quarum multarum tertia pars delatori tribuatur.

§. IV.

NE proceſſum originalem, ejuſve tranſumptum ullatenus litigatoribus tradant, ſub pœna trium pondo quoties id fecerint; neque etiam procuratoribus, niſi de mandato judicum. Si verò ne tradatur judices interdicant, ejuſque copiam concedi oporteat; notarii ad advocatos proceſſum deferant, contentaque in proceſſu ipſi advocatis legant, ac ſecum poſtea reportent. Idque in ſcripturis originalibus ſervetur ſub eadem pœna.

§. V.

PRoceſſus procuratoribus minimè tradantur, niſi chirographo ab eis accepto, & foliorum numero in libro deſcripto. Quo ſtante chirographo, à procuratore proceſſus repetendus eſt: ſi autem deletum ſit, repetatur à notario, aut damnum ſolvat, ſi proceſſus denuò iterum fieri minimè poſſit; oblatamque petitionem notarii ne recipiant, niſi allato proceſſu, ſub pœna pondo unius. Informatio verò ſummaria ſine teſtium nominibus aut chirographo tradi poterit, quæ tribui mandabitur in forma conſueta, hoc eſt, illius tranſumptum.

§. VI.

SI literæ alicujus decreti aut proviſionis in favorem alterius litigantium expeditæ, fuerint amiſſæ; aliæ ſimiles decreto, aut proviſioni conformes, inde, unde primæ emanârunt, tranſumptas, eidem litigatori tradant. Quod tantùm cum mandato judicis fiat, aliàs nullam fidem faciat. Si verò notarius propria auctoritate tradat, pœnam triũ pondo incurrat.

§. VII.

NE mandatum exſecutoriũ cujuſcumque ſummariæ, nec decretum de immittendo in poſſeſſionem, nec mandata ſequeſtri faciendi, pignora capiendi, brachii ſæcularis auxilium implorandi, ſolicitatori, tabellioni, aut ulli cuiquam tradant; ſed parti potenti, aut noſtro exſecutori, vel judici ſæculari, in caſibus per hæc decreta conceſſis: nec illi mandata hujuſmodi ſcribant, ſub pœna quatuor pondo ab utroque incurrenda ſi ſemel perpetratum id fuerit; ſi verò bis, dupli pœna imponatur, & ſic deinceps habito reſpectu pœnæ, uſque ad ſuſpenſionem augeantur.

§. VIII.

IN cauſſis fiſcalibus, aliiſve quibuſcumque, libellos nec articulos ullatenus recipiant, niſi à parte, vel à juriſconſulto cognito ſubſcripti ſint, nec petitionem concluſionis in cauſſa, nec ullam aliam, quæ negotium principale tangat, niſi ſit petitio termini, proceſsûſve, aut actorum judicii ſub pœna unius pondo, & damnum perſolvant.

§. IX.

IN cauſſis y decem pondo *de Tipuzque* non excedentibus, ſine proceſſu & figura judicii procedatur; ac veritate ſummariè comperta, judices ad perſolvendum debitores coërceant. Si quis à debitore receperit quod ſibi non debebatur, illud cum duplo reddat. Iis verò in caſibus petitio, condemnatio, aut abſolutio in ſcriptum tantùm referantur. Ne libelli admittantur, nec pro hac ſcriptura ultra duorum regalium mercedem notarii exigere poſſint.

§. X.

LIteras Apoſtolicas, mandata, aliaſve quaſcumque originales ſcripturas à litigatoribus productas, & ſententias notarii apud ſe retineant; ac tantùm exempla cum originalibus collata in proceſſu habeant, ſub pœna unius pondo, ad damnumque teneantur, caſu quo hujuſmodi documenta fuerint amiſſa.

§. XI.

PRo ſingulis chartis exemplorum, à litigatore ſcripturas has producente, ſtipendium exigat notarius juxta taxationem. Quòd ſi originales prædicti à parte producente repetantur, adverſario non reclamante, productori tradantur, exemplo cum originali collato in proceſſu priùs relicto, & adverſario etiam citato. Si verò ſcripturæ de falſitate arguantur, idque jurejurando affirmetur, notarii unicuique partium, & earum procuratoribus, & advocatis oſtendant, eiſque tranſumptum ſcripturarum dent cum die, menſe, & anno, ut de jure ſuo allegare poſſint.

§. XII.

INformationes ſummarias originales ne tradant, niſi exemplum in publica forma cum originali collatum relinquatur, & prout in titulo *De probationibus* continetur.

§. XIII.

NOtarii omnes, actorum, ſcripturarumque per eos receptarum protocollum habeant, acta, aut alia quævis inſtrumenta, ſive judicialiter ſive extrajudicialiter, in toto vel in parte recipiant, chartâ albâ, & inſcriptâ remanente; ſed omnia ſtatim in ſcriptis compleant, & ad longum extensè ſcribant, ſub pœna ſi id ſemel commiſerint, pondo trium; ſi bis, duplum: & ſub aliis præterea pœnis judicum arbitrio infligendis.

§. XIV.

NE moleſtiis aut favoribus litigatores impellant, ut illis morem gerendi gratiâ, procuratores, aut advocatos, inviti deligant: ſin minus pro qualitate delicti puniantur.

§. XV.

y Concil. Milan. 3. fol. 603. verb. *Cauſſe que*. & eſt lex regia 19. tit. 9. lib. 3. recopil.

§. XV.

SEntentias usque quò proferantur, ne revelent: eas ipsi propria manu scribant: si contrà, à judicibus puniantur.

§. XVI.

TAM pro petitionibus, instrumentis, processibus, & probationibus, quàm pro scripturis quæ ab eis confectæ, vel coram eis productæ sunt, quicquam aliud non accipiant, ultra id quod à judice, vel à persona ad id deputata præfinitum sit, aut juxta hujus Synodi taxam æstimatum: & in actis quod pro mercede acceperint conscribant, fidemque faciant, præsente eo, qui persolvit, litigatore, qui se subscribat; ipso verò nesciente subscriptionem facere, id ejus procurator præstet, sub pœna reddendi quadruplum, si semel secus fecerint: si bis, duplo multentur; ac multæ pars tertia nunciatori applicetur.

§. XVII.

NOtarii, circa dimissoriarum, seu testimonialium literarum mercedem, sacri Concilii Tridentini [z] decretum servent. Sed quia ubi pro officio exercendo, nullum sibi est ab Episcopo salarium constitutum; idem Concilium [a] decimam tantùm unius aurei partem accipiendi facultatem tribuit; hæc Synodus arbitratur, ut ratione hujus decimæ partis, quatuor tomines tantùm in hac provincia accipiant: si quid ampliùs, teneri in conscientia ad restitutionem decernit: præterea pœnis à Jure statutis juxta prædictum decretum punientur.

§. XVIII.

EXsecutioni pœnarum, & pœnitentiarum solennium ex delicto, notarii principales, unà cum exsecutore tribunalis Ecclesiastici præsentes intersint, ipsique, aut parochi, in eorum presentia, in Ecclesiis ubi hujusmodi fit exsecutio, ejus causam, & rationem populo denuncient, juxta seriem sententiæ contra reos latę, nec quemquam ad id in sui locum substituant: quòd si semel contrà fecerint, pondo uno multentur: si bis, duplo magis: si ter, usque ad privationem officii arbitrio judicum pœna accrescat.

§. XIX.

NIhil mercedis [b] pro custodiendis, ordine disponendis, quærendisve processibus accipiant, aut eorum ministros accipere permittant, sub pœna reddendi duplum, cujus tertia pars delatori tribuatur, nisi processus aut finiti jam sint, aut adeò ab antiquo pendeant, ut judicis arbitrio pro illis inveniendis quicquam mercedis constituatur.

§. XX.

PRO scripturis quę in vulgarem linguam transferentur, si pro ipsis antea stipendia soluta sunt, quamvis cum interpretis juramento denuò producantur, nihil quicquam salarii accipiant, immo ad effectum hujusmodi utraque scriptura, tempore productionis & exsecutionis una tantùm sentiatur, sub pœna quadrupli, cujus tertia pars nunciatori applicetur.

§. XXI.

NOTARII, quando scripturas ab ipsis confectas, signo suo munitas tradiderint, earum protocollum cum subscriptione partis apud se retineant: qua in re omnes servent quod notariis regiis præceptum est, sub pœnis eisdem impositis, juxta horum regnorum leges [c], protocollumque habeant annorum, ordine & alphabeto distinctum, ut solent notarii, sub pœna pondo viginti.

§. XXII.

SI apud notarios Ecclesiasticæ curię incepta aliqua in visitatione negotia expediantur; exigant etiam visitatoris & ejus notarii salaria, eisque infra diem; statim à reditu visitationis, persolvant, sub pœna dupli.

§. XXIII.

IN negotiis, quæ à vicariis ad officiales deferuntur, notarii in testimonialibus delationis, litigatoribus concessis, taxationem expensarum describant, vicariis prędictis eorumque notariis debitarum.

§. XXIV.

SI ad usum unius tantùm instrumenti totus processus producatur; nihil aliud accipiant, quàm quòd pro illius instrumenti productione debetur, sub pœna reddendi duplum.

§. XXV.

QUANDO notarius aliquis curiæ Episcopalis mortem obierit, aut ab Episcopo vel ejus officiali fuerit dimissus; judices protocolla & scripturas custodiant, ut est per legem [d] regni dispositum.

§. XXVI.

NOTARIUS verò in ejus locum suffectus, facto inventario illa recipiat, ut ipse deinceps de scripturis hujusmodi prædecessoris sui, si petantur, rationem reddat, ad prescriptum ejusdem legis [e], & pro notarii mortui, vel dimissi protocollis, ei aut ejus uxori, sive filiis, summam, de qua convenient, persolvat; qui si discrepaverint, æqua moderatione adhibita, eos judex concordet, omni appellatione remota; quia gratis & sine ullo pretio ad hęc officia ipsi deliguntur.

§. XXVII.

MULTAS, aut quęvis alia deposita jussu judicum facta, notarii in depositum ne recipiant, sub pœna decem pondo quoties secus fecerint.

§. XXVIII.

---

[z] Sess. 21. c. 1. [a] Concil. Compost. act. 3. c. 8. Milanen. 3. fol. 603. verbo: *Prosingulis*, & 4. tit. *De benefic. collatione ac provisione.* fol. 64. verbo, *Vt avaritia.* & Conc. Vallisoletanum lib. 1. tit. 5. const. 3. fol. 49. [b] Lex regia 17. tit. 20. lib. 10. recopil. [c] Lex reg. 12. cum seqq. tit. 25. lib. 4. recopil. [d] Lex reg. 24. tit. 25. lib. 4. recopil. [e] Lex reg. 13. tit. 20. lib. 2. recopilat.

§. XXVIII.

IN omnibus Eccleſiaſticis curiis hujus archiepiſcopatus & provinciæ, ut commodius fieri poterit, tabelliones, qui receptores dicuntur; duo ſint timoratæ conſcientiæ homines, idonei, uſu & experientia in negotiis exercitati, in examinandis teſtibus periti, ſecreti, amatores, atque fideles, qui ab Epiſcopo, ſive ejus officiali examinentur, ab eiſdemque deligantur & deputentur, ut per ſpatium unius anni, vel minus, hoc officio fungantur, ad Epiſcopi, ſeu ejus officialis arbitrium.

§. XXIX.

HIS autem receptoribus, ſi litigatores petierint, vel judices ita ſenſerint convenire, pro opportunitate negotii, probationes eæ committantur, quas notarii recipere non valent, nullaſque alias faciant, nec in plenario, neque in ſummario judicio, quàm quæ ſibi ab officialibus injuncta ſint: etiam ex commiſſione vicariorum denunciationes nullatenus faciant, nec ab eis factæ admittantur. Ipſi, aut alii per eos, in quacumque cauſſa delatores eſſe non poſſint, probationes per eos factas, ante publicationem, directè vel indirectè, ne revelent; & ſi in aliquo, huic decreto contravenerint, pro ſemeſtre ſuſpendantur: ſi bis, officio priventur. Quando verò viſitatores extra, vel intra Cathedralem Eccleſiam viſitaverint, receptores hujuſmodi officium notarii viciſſim exercere poterunt, ab antiquiori incipiendo, niſi aliud Epiſcopo videbitur. Eo tamen anno, quo officium hoc obierint, ratione ſalarii illud accipiant, quod ſolent notarii viſitatores, itidemque quod juxta taxam ſibi conſtitutum eſt. Proceſſus viſitationis coram eis confecti, cum primùm terminati ſint, viſitatoribus tradant, à quibus juxta ordinem titulo *De viſitationibus* præſcriptum, cuſtodiantur. Notarii & receptores non ſolùm ipſi per ſe, quando ſibi commiſſum fuerit, teſtes examinent; ſed etiam eorum dicta propria manu ſcribant; neque id per ſuos miniſtros, aut coram eis faciant: quæ poſtquam ſcripta ſint, uſque ad publicationem clauſa aſſervent. Si verò ipſi, abſentia, ſenectute, ægritudine, aut aliàs legitimè impediantur, quominus ſcribere poſſint; alius ex notariis vel receptoribus à judice cauſſæ ad id deligatur & deputetur, ipſis inter ſe circa ſua ſalaria convenientibus; hujuſmodi autem dicta teſtium, ſic ſcripta notario originario tradantur, ut ea ad ſuprà ſcriptam formam cuſtodiat. Quòd ſi id adimplere ſemel negligentiâ omiſerit; pœnâ trium pondo ſubjaceat; ſi bis, pondo ſex, & ſuſpenſionis per dies quindecim; ſi ter, pondo duodecim, ac ſuſpenſionis per bimeſtre.

§. XXX.

RECEPTOR aliquò ad probationem recipiendam iturus, priùs ne mittatur, quàm ante notarium juret, ſe bene & fideliter acturum, & æquitatem in ea commiſſione parti utrique ſervaturum, nihilque præter ſalarium, & quod ſibi taxâ conſtitutum eſt, accepturum, ad idque moram temporis opportunam tantùm inſumpturum, etiam ſi à tempore cauſſæ præfinito aliquod ſuperſit. Quod re ipsâ adimpleat, nec à litigatoribus quicquam, etiam eſculentum accipiat, aut ad eorum domus hoſpitii cauſſâ divertat: ſi contravenerit, ultra perjurii pœnam, duplum reſtituat.

§. XXXI.

PRO recipiendis teſtibus intra civitates ubi curia Eccleſiaſtica reſidet, ſalarium ne accipiant, niſi talis cauſſa ſit, aut tot articuli, de quibus interrogandi ſunt teſtes, ut in his laborioſiſſimam operam impendant: quo in caſu, à judicibus pro laboris merito æſtimetur, nihilque aliud exigant, quàm quod fuerit æſtimatum, ac emolumenta ſibi præfinita ex taxa, ſub pœna reddendi duplum: æſtimatio verò hujuſmodi juxta taxam fiat, quæ de hac re notariis eſt conſtituta.

§. XXXII.

RECEPTORES *f*, aut notarii, quum ſalaria à litigatoribus petierint, manifeſtè declarent quid ſibi ab illis debeatur; nec pecunias aliquas poſtulent in partem plenariæ ſolutionis, aliàs graviter uſque ad ſuſpenſionem puniantur.

§. XXXIII.

NOTARII receptoreſve mandatum, aut teſtis depoſitionem per notas ſub compendio ne ſuſcipiant. Nec hæc poſtquam teſtis ſemel fuerit examinatus, ejus dictum extendant, ſub pœna annuæ ſuſpenſionis ab officio ſi id primò commiſerint; ſi verò bis deliquerint, officio priventur.

§. XXXIV.

NOTARII, aut eorum miniſtri, necnon receptores, dona ulla, pecuniaſve, aut gemmas, aut eſculenta à litigatoribus ne accipiant, nec eorum, aut conſanguineorum domus adeant hoſpitii cauſſâ, nec eorum victores ſint. Si quid verò hujuſmodi acceperint, in duplo reddant; eaque ſit ad hoc ſufficiens probatio, quæ ex conſtitutione legum *g* hujus regni recepta eſt.

§. XXXV.

EXcommunicationum *h* literas ſine conſenſu Epiſcopi aut ab eo expreſſam auctoritatem habentis, notarii ſigno ſuo ne communiant, aut ſe illis ſubſcribant, ſub pœna pondo decem expenſis pro adminiſtratione juſtitiæ, nunciatori, & pauperibus diſtribuendorum. Quando autem facultate (ut dictum eſt) præcedente, ſecundas denunciatorias dederint, primas monitorias recuperent; quando verò tertias contra participantes expedierint, primæ & ſecundæ ſimiliter apud ſe remaneant. Is porrò ordo ſervetur in omnibus aliis literis expediendis, quarum nullæ apud litigatores remaneant, niſi aliud Epiſcopo videbitur, ſub pœna quatuor pondo auri communis, ſumptibus pro adminiſtranda juſtitia applicandorum. Hujuſmo-

f Lex reg. 16. tit. 20. lib. 2. recopil. *g* Lex reg. 6 tit. 9. lib. 3. & l. 7. tit. 2. lib. 7. recopil. *h* Mexic. 1. c. 5. Granat. tit. *De ſententia excommunicationis*. n. 10.

juſmodi autem literę ad præſcriptam ab hac Synodo formam expediantur.

§. XXXVI.

QUOD ut exſecutioni mandetur, poſt præſentium decretorum publicationem literę prædictę impreſſę evulgentur, eęque ſolùm expediantur: ut autem regiſtrum ordinum diligenter conficiatur, multiſve incommodis obviam fiat, quæ aliàs oriri poſſint; notarius, ſeu ſecretarius ad id deputatus, omnes ad ordines promotos in regiſtro ſcribat, in quo ordinatorum nomina, parentes, oppidum, diœceſim, Eccleſiam, ubi ordines celebrati ſunt; titulos præterea, ad quos fuère promoti, cum teſtibus, die, menſe, & anno deſcribat, ipſeque & examinatores ſe ſubſcribant. Hoc itidem regiſtrum in archivo Cathedralis Eccleſiæ cum aliis ejuſdem ſcripturis aſſerventur: nullæque deinceps teſtimoniales literę dentur, niſi ab hujuſmodi regiſtro, ut prçfertur ſubſcripto, exemplum deſumatur, ſub pœna minarum pondo duorum, quæ fabricæ Cathedralis & accuſatori æquè applicentur.

§. XXXVII.

NOTARII omnes, tam ordinarii quàm Apoſtolici, ad mandata aliqua intimanda, ſeu ad publicandum cenſuras excommunicationis, interdicti, aut ceſſationis à divinis, à litigatoribus, vel à judice requiſiti, prout eis juſſum fuerit, id exſequantur in calce mandati, intimatione, & publicatione cum teſtibus, necnon eorum ſubſcriptione appoſitis. Quòd ſi actorum hujuſmodi ſumptum petatur, illum dent totius ratione negotii, ac reſponſione in eo deſcriptis. Si ſecus fecerint, graviter uſque ad ſuſpenſionem & privationem officii, pœnas dabunt. Prædicta verò prædicatio è ſuggeſto, ſeu alio commodiori loco, ut ab omnibus ibi præſentibus audiatur, inter Miſſarum ſolennia tempore offertorii in Eccleſia fiat.

§. XXXVIII.

SI quis alteri in officio notarii ſuccedat, ei à prædeceſſore protocolla, regiſtraque omnia ſcripturarum & negotiorum, quæ apud ſe retinebat, adhibito inventario, in Epiſcopali archivo reponendo, tradantur: idque ita facturos eſſe, quum ad officium recipiuntur notarii, jurejurando ſe adſtringant. Secretarii tamen Epiſcopi eo nomine ab eis confecta ſcripturarum regiſtra ſucceſſori ne dent, ſed in archivo Epiſcopali recondant.

LIBRI PRIMI

TITULUS XI.

De officio exſecutoris juſtitiæ. [1]

§. I.

ECCLESIASTICI exſecutores, niſi de mandato Epiſcopi aut ejus officialis, quemquam in ſacro ordine conſtitutum ne capiant; ſi tale delictum non fuerit, ob quod juxta Juris & hujus Synodi decretorum formam in fragranti capi poſſit. Noctu totam civitatem, ſeu oppidum accuratè perluſtrent, explorentque ſi qui clerici veſtitu indecenti vagantur, ſi arma geſtant, aut muſica inſtrumenta deferunt, ſi ſuſpectas domos ingrediuntur. Quòd ſi quemquam in aliquo horum crimine deprehenderint; armis hujuſmodi, inſtrumentis muſicis, & indecenti veſtitu ſublatis, eum carcere includant. Si ipſa in die luce hęc evenerint, ante ingreſſum carceris ad officiales Epiſcopi captus deferatur. Si verò noctu, ſequenti die officialibus id notum fiat, ut reus convenienti carceris cuſtodia detineatur.

§. II.

QUOD adeò cautè & abſque ſcandalo fiat, ne inde infamia oriatur; vinculis ſine mandato judicis non ligetur, ſub pœna pondo ſex, quorum tertia pars accuſatori, reliquæ ſumptibus pro adminiſtratione juſtitię tribuantur. At ſi clerici non capiantur, vî reſiſtant, judicis arbitrio graviter pœnas luant: ſi autem exſecutores hujuſmodi eorum crimina diſſimulaverint, officiorum inhabiles reddantur.

§. III.

SI quoquàm diverterint alicujus exſecutionis faciendę cauſſâ, ratione ejus ſolitũ emolumentum accipiant; ſi pro diebus ſingulis aliquod ſalarium eis conſtitutum non ſit. In commiſſionibus verò ſibi factis, ſalarium, ac tempus præfiniantur atque exprimantur. In actis autem, cum ſua & litigatoris ſubſcriptione, ſi ſciat ſcribere: ſi verò neſciat, cum parochi, aut eo abſente, ſacriſtæ ſubſcriptione ſcribant quicquid de re ipſa acceperint: ſi ſecus fecerint, ejus quod acceperunt jacturam faciant, quamvis ſe recepiſſe negent: ſi verò quid ampliùs acceperint, cum quadruplo reddant.

§. IV.

EXſecutores quicumque, officii cauſſâ aliquò proficiſcentes, etiam ſi varias exſecutiones, & in diverſis locis faciant, nihil ampliùs ſalarii ex aditu & redditu percipiant, quàm quod pro itinere unius exſecutionis debetur, idque pro rata in ſingulas exſecutiones diſtribuant. Quod ut conſtare poſſit, in actis aferant fidem diſtributionis per eos factę, & apothecarum ſalarii juxta ſupraſcriptam formam.

Si

[1] Late Synod. Granat. D. Petri Guerrero, tit. *De offic. exſecutoris juſtitiæ.*

Si verò juſtum ſalarium exceſſerint; id ut cum pœna perſolvant, judex præcipiat, & contrà facientem quadruplum ſolvere coërceat.

§. V.

MAndata capiendi, & exſequendi, & alia faciendi, quæ ad ſuum ſpectant officium, diligenter adimpleant, partibus contra quas data ſunt, nequaquam nunciantes. Neque in aliquo excedant ipſa adimplentes, aliter enim pro qualitate exceſsûs, arbitrio judicis punientur.

§. VI.

EXſecutores Eccleſiaſtici ad juſtitiæ exſecutionem exſecutores ſæculares comites ſibi non adjungant, etiam ſub prętextu capiendi ſęcularem clerici complicem, niſi ad id expreſſum in ſcriptis mandatum à judicibus pręſcriptum præcedat: nec cum ſæcularibus exſecutoribus hujuſmodi, clericorum domos ingrediantur aut inquirant. Si ſecus fecerint, judicum arbitrio ſeverè plectantur.

§. VII.

NE dona aut munera accipiant, neve quos comprehenderint, aut comprehendere deſiverint, vexent aut moleſtent, neque ob aliquam aliam cauſſam quęſtum aliquem injuriâ extorqueant: ſin minus, judices arbitrio ſuo, uſque ad privationem officii, pro qualitate culpę, de eis pœnas ſumant.

§. VIII.

IRE itidem teneantur ad * refrendandum mandata auxilii brachii ſæcularis, à judicibus & officialibus data, ad eaque exſequi faciendum, unà cum exſecutore ſæculari.

§. IX.

QUando ad hoc munus recipiuntur, jurent de eo bene fideliterque obeundo, & de obſervandis, quantum in ſe eſt, decretis ab hac Synodo conſtitutis.

LIBRI PRIMI

TITULUS XII.

De officio cuſtodis, & cuſtodia reorum. k

§. I.

CUSTOS carcerum Eccleſiaſticorum diligenter curet, ut in eis hora competenti, & decenti loco, Dominicis & feſtis Miſſa celebretur, quam omnes audiant; ad idque officialis Epiſcopi cappellanum arbitratu ſuo deligat, cui ex multis camerę congrua eleemoſyna conſtituatur. Cuſtos verò ſacerdotales veſtes in arca nitidas aſſervet.

§. II.

FOEMINÆ in carcere ſeparatę à viris ſint, adeò, ut cum illis commercium non habeant. Si quem verò in hoc cuſtos exceſſiſſe repererit, vinculis coërceat.

§. III.

ARMA offenſiva vel defenſiva captis non permittat: ſi quis habeat, eorum jacturam faciat, & in uſum pauperum carceris divendantur. Quòd ſi negligenter in hoc cuſtos egerit, pro ratione culpæ punietur.

§. IV.

CArcerem clauſum, & mundum à ſpurcitiis teneat, & detentos in carcere diligenter, quantum fieri poterit, cuſtodiat. Eò ingredi mulieres ne permittat, niſi mater, ſoror, uxorve alicujus vincti ſint: eæ autem in ejus cubicula ne intrent, ſed cum eo extra cancellos ferreos colloquantur, niſi ægritudine, impedimentove teneretur, quominus ad cancellos hujuſmodi deſcendere poſſet. Nocte in carcere fœminę ne remaneant, niſi de officialis Epiſcopi licentia, gravi urgente neceſſitate, ſub pœna duorum pondo quoties ſecus fecerint. Cuſtos verò, ſi ſemel mulier noctu in carcere dormiat; tribus pondo multetur: ſi bis, pondo ſex: ſi ter, officio privetur. Itidemque hi qui carcere incluſi ſunt, ſi decretum hujuſmodi ſemel violaverint, quatuor pondo: ſi bis, octo perſolvant: ſi ter, ſtrictiori carcere incluſi vinculis coërceantur.

§. V.

AD dies viſitationi carceris indictos cuſtos ita ſe præparet, ut cameram in loco carceris magis publico ſitam ſternat, ſellâ, manſâque unâ, & ſcamnis paratam. Indicem prętera eorum, qui jam diu, vel nuper in carcere detinentur, judici offerat, ut juxta indicem hujuſmodi ſingulos ad ſe judex vocet. Si quis verò ſeſe occultaverit, eum notarii judici manifeſtent.

§. VI.

SI quis ſe in carcere conſtituat, vel comprehenſus includatur; cuſtos in libro deſcribat, hunc ſibi in cuſtodiam tradi, & cujus rei cauſsâ, & ad cujus inſtantiam captus ſit, notet: itidemque efficiat, ſi quis dum jam captus detinetur, ſequeſtratus fuerit; quibus cuſtos ſe ſubſcribat, ſub pœna pondo unius cum dimidio, quoties in hoc negligenter egerit.

§. VII.

NE à captis dona munerave accipiat, neque eos vinculis injuſtè coërceat, nec à vinculis magis minuſve ſolvat, quàm mandato judicum ſibi injunctum ſit: neque eis directè aut indirectè moleſtias inferat, quas pecuniis aliiſve rebus redimant, ſub pœna reſtituendi quadruplum, ſi quid ſic injuſtè extorſerit, idque juxta legum horum regnorum formulam probetur.

§. VIII.

CApti, qui à carcere liberari jubentur, pro ſalariis aut expenſis miniſtrorum ne detineantur, ſi ipſi pauperes eſſe juraverint, & judices ita æſtimaverint; ſtatimque dimittantur, niſi aliis de cauſſis fuerint retenti: neque ab eis carceris cuſtodes pignora capiant, ſibi obligari faciant, aut fi-

k Latè Gran. Synod. ut ſuprà. tit. *De officio cuſtodis, & cuſtodia reorum.* l Lex reg. 7. tit. 2. lib. 7. recopil.

fideijuſſores dari compellant, neque eos pro ſtipendiis hujuſmodi ullatenus vexent, ſub pœna pondo trium, quoties contrà fecerint: [m] idque ſervetur, etiam ſi ob crimina in carcere conjecti fuerint, de quibus judex, die viſitationi carceris indicto, inquirat.

§. IX.

IN publico carceris loco index æſtimationis ſtipendiorum, quæ cuſtodes à captis exigere debent, ubi commodè ab omnibus legi poſſint, clarè ac perſpicuè conſcriptus collocetur: idque omnimodo, ſub pœna pondo ſex, cuſtodes adimpleant.

§. X.

CArceris vincula omnia diligenter cuſtos aſſervet, & quum unus obierit, inventario per antiquiorem curiæ notarium confecto, ea recipiat, eodemque etiam interveniente, cum munus peregerit, reſtituat. Fideijuſſores idoneos, ſpectatâque fide probatos cuſtos det, cum quibus ipſe promittat ſe officio ſuo fideliter & accuratè functurum: & ſi quid damni, carceri, vinculis, comprehenſiſve evenerit, reparaturum, aut ſi ratione officii in aliqua pecuniarum ſumma fuerit condemnatus, eam perſoluturum. Ad hoc etiam [n], & ad decreta hujus Synodi ſervanda, jurejurando ſe obſtringat. Interdicit quoque hæc Synodus, ne cuſtos carceris, aut alius ex ejus familia, captis aleas det, ut ab eis ſtrenas, aliudve ſimile exigat: ſi verò ſecus fecerit, uſque ad privationem officii, prout delictum poſtulaverit, contra eum procedetur.

§. XI.

ADmonentur præterea officiales & vicarii omnes, ut cùm die ſabbatho carcerem viſitaverint, de hoc decreto contentis diligenter inquirant, quodque cuſtos cum vinctis agat, & ad hoc potiſſimùm incumbant, ut ad Dei cultum & honorem muneri ſuo ſatisfaciant.

LIBRI PRIMI

TITULUS XIII.

De majoritate & obedientia.

§. I.

UT pace & tranquillitate concordes Eccleſiaſtici viri unum opus conflent, nulliſque deſidiis inter ſe contendant; unicuique juxta eam, quâ eminet, dignitatem, aut juxta munus quo fungitur, honorem, locum ſedemque conſtitui maximè neceſſarium eſt; eam ob cauſſam ſacroſanctum Tridentinum Concilium de Epiſcopis in hunc modum decernit: Epiſcopis [p] præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, eique in choro, & in capitulo, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes, & locus quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui ſi aliquid canonicis ad deliberandum proponant, neque de re ad ſuum, vel ſuorum commodum ſpectante agatur; Epiſcopi ipſi capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Neque verò ob id à Concilio præbendatis & capitularibus quicquam de ſua dignitate detrahitur, aut de his facultatibus, quæ ſibi de jure & conſuetudine competunt, & non adverſantur Tridentino Concilio. Quò verò ad ea quę in capitulis Cathedralium decernenda ſunt, recta unanimiſque ſit omnium conſpiratio; jubet hæc Synodus, ut quum Epiſcopus, decanuſve, aut is qui præeſſe debet, capitulum ad extraordinaria negotia convocaverit; in ſcheda vocationis, etiam ea capita contineantur, de quibus deliberandum eſt; quæ capita etiam ad Epiſcopum deferantur, niſi de re Epiſcopo, ſive alicui ex Epiſcopi familiaribus competenti, agendum erit. Tunc enim ſolùm capitulares convocandi ſunt, & ad præſcriptum hujus decreti inſtruendi.

§. II.

QUoniam in frequenti congregatione, ubi Eccleſiaſtici, ſæculares, & regulares conveniunt, niſi aliquis præſideat, cujus auctoritate omnes in officio contineantur, diſſidiorum ac tumultuum poſſet occaſio ſuboriri; ſacroſancto Tridentino [q] Concilio hęc Synodus inhærens præcipit, ut quando in proceſſionibus publicis, & in iis quę fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, de quavis prędcedentia controverſię oriuntur, eas Epiſcopus (amota omni appellatione) componat, non obſtantibus quibuſcumque, prout ejuſdem Concilii [r] decreto, & conſtitutione ſanctæ memoriæ Gregorii XIII. hac de re editis, cautum eſt,

§. III.

STatuit præterea ac mandat hæc Synodus, ne ullus clericus cujuſcũque conditionis, baccalaureum, licentiatum, magiſtrum, doctoremve in aliqua facultate ſe nominet aut ſubſcribat in his locis ubi de ejus gradu conſtare non poteſt, niſi priùs Epiſcopo literas teſtimoniales gradûs hujuſmodi oſtendat, ſub pœna pondo centum auri, piis operibus, juſtitiæ ſumptibus, & accuſatori æquè applicandorum; pœnis contra hos à lege [s] regni ſtatutis in ſuo robore & firmitate permanentibus.

LI-

---

m Lex. reg. 20. & 21. tit. 12. lib. 1. recopil. n Conſonat Milan. 1. tit. *De carceris cuſtodibus.* o Seſſ. 25. c. 6. p Conc. Provinc. de Quiroga act. 3. c. 19. q Seſſ. 25. c. 13. r Seſſ. 25. c. 13. s Lex reg. tit. 7. lib. recopil.

LIBRI SECUNDI

TITULUS PRIMUS

De ordine judiciorum. [t]

§. I.

IN locis ad audiendum cauſſas deputatis, ſilentium, ordo, & obedientia ſervetur; in ſedibus & proviſionibus ratione antiquitatis officii notariis & procuratoribus honor deferatur; ac inter omnes ſumma ſit cum modeſtia conſenſio. Quòd ſiminus fecerint, judicum arbitrio multentur, & uſque ad ſuſpenſionem & privationem officii puniantur.

§. II.

NUllus [u] curiæ miniſter, litigator, aliuſve quicumque intra aulam, quo tempore audientia celebratur, arma quæcumque ſecum habeat: & ut hoc ſervetur, opportuno adhibito remedio, judex accuratè invigilet.

§. III.

ADvocatus & procurator deputentur, qui miſerabilium perſonarum cauſſas defendant, & ſalarium quod ſibi fuerit ab Epiſcopo conſtitutum, ex camera percipiant. Hi verò illorum cauſſas, quos ut pauperes, in eorum patrocinium judices tradiderunt, gratis defendere teneantur, nec ab eis quicquam accipiant, eorumve operas ad ſuos uſus conferant ſub pœna reddẽdi duplum, cujus multæ dimidia pars miſerabilibus perſonis applicetur. Admonetur etiam, ut in his pauperum cauſſis accuratè ſtudeant, & pro brevi earum expeditione laborent, cum omni charitatis & manſuetudinis affectu, ne pauperes jus ſuum amittant. Quòd ſi opus fuerit judices verbo aut ſcripto inſtruere, id præſtent; ſi verò, ex eorum negligentia pauperibus damnum importetur, reſtituendi illud pœnæ ſubjaceant.

§. IV.

IN cauſſis minorum, ſi ex eorum aſpectu talis eſſe appareat, ipſis præſẽtibus, ſive adſint, ſive abſint, cũ ſpeciali ad id mandato curatores deputentur, qui jurẽt ſe minorum ſuorum cauſſas defenſuros, omni diligentia & conſilio adhibitis. Confeſſio verò à minori ne petatur, niſi antequam præincipiat, curator præſens ſit, aliter confeſſio invalida ſit.

§. V.

PUblica inſtrumenta, & ea quæ *guarentigia* dicuntur, & chirographa recognita, etiam non præcedente mandato aut monitorio, exſecuturi mandentur, ſerventurque ſtylus & forma ſæcularium tribunalium, ac leges regiæ [x] de hoc ſancitæ, tam quo ad exſecutionem, terminos, præconia, & fideijuſſores, quàm quoad alia. Clericus autem, in quem exſecutio facta eſt, carcere ſit incluſus, donec tamquam pauper gaudere velit privilegio in favorem ſtatus Eccleſiaſtici à Gregorio Papa IX. conceſſo in decretali quæ incipit: *Odoardus* [y]. Quam Papæ conſtitutionem judices & officiales inviolabiliter obſervent & adimpleant. Quando autem creditores chirographa, aliaſve privatas ſcripturas obtulerint ut recognoſcantur, judices id fieri mandent: quod ſi debitores clerici id non fecerint; duabus, & non minus, nec aliter, niſi in proprias eorum perſonas contumaciis incuſatis, chirographa & inſtrumenta privata hujuſmodi pro recognitis habeantur, & tamquam recognita exſecutioni mandentur, ſervato ordine præmiſſo in publicis inſtrumentis, quæ promptam habent exſecutionem.

§. VI.

QUælibet declinatoria exceptio, aut incompetentiæ juriſdictionis, intra novem dies opponatur, à fine præfixi termini computandos, aut parte preſente, à die qua intimata fuerit citatio: quo termino elapſo declinatoria hujuſmodi exceptio allegata non ſit, reſtitutio in integrum adversùs ejus temporis lapſum non concedatur, etſi in aliis caſibus concedenda eſſet: pro termino autem ad probandum viginti dies preſcribuntur: quòd ſi exceptio declinatoria probatur, cauſſæ principalis cognitio ceſſet, ſin minus, in expenſis & damnis pro retardatione litis alteri parti illatis condemnetur; quæ ſtatim ſolvere à judice reus compellatur. Si verò intra prædictum tempus pars non declinaverit, lis conteſtetur, reconventiones fiant, eiſque intra terminum reſpondeatur, juxta legum [z] regni diſpoſitionem, quarum uſus & obſervantia quo ad hoc præcipitur. Breviori verò in termino definire, in poteſtate judicum ſit, ſi ob juſtas aliquas cauſſas id fieri debere ſibi videatur. Idem præcipitur obſervare in clarè & apertè poſitionibus reſpondendo, juxta leges [a] regni circa hoc diſponentes.

§. VII.

FInem [b] litibus cupiens hęc Synodus imponi, ne partes ultra modum graventur dilationibus & expenſis; ſtatuit ac ſancit, ut Eccleſiaſtici judices hujus provinciæ, ſive ordinarii, ſive ex ſpeciali Epiſcopi commiſſione delegati, in cauſſis levibus & parvi momenti nullos libellos admittant. In his verò, quæ majoris fuerint momenti, duo tantùm ab utroque litigatore libelli producantur, uſque ad primam concluſionem, & articulos ad probationes faciendas. Poſt publicationem verò à ſingulis litigatoribus produci, niſi unus tantùm libellus nõ poſſit. Quòd ſi de facto plures quàm hoc decreto ſancitum eſt, producantur aut recipiantur; ii nulli decernuntur, omniſque probatio eorum virtute facta invalida ſit, nec fidem ullo modo faciat. Qui libelli ſubſcripti ſignatique ſint, ab advocato probato, & gradu inſigni-

---

t Ex Granat. Synod. tit. *De ordine judiciorum.* u *Eſtilo uniforme de todos tribunales.* x Lex 1. 2. & 3. tit. 21. lib. 4. recopil.

y Cap. *Odoardus, de ſalutionibus*, Synodus de Oſma tit. 34. conſ. 1. §. 5. fol. 186. & Synod. de Valladolid lib. 3. tit. 8. conſ. 1.

z Lex 1. & 2. tit. 5. lib. 4. recopil. a Lex. 1. & 2. tit. 7. lib. 4. recop.

b Conc. Mex. 1. c. 83. & Syn. de Quiroga conſt. 112.

gnito, vel ab eadem parte, nec aliter admittantur, niſi cauſſæ qualitas judicis arbitrio aliud poſtulaverit. Si verò aliqua declinatoria exceptio opponatur, intra octo dies continuè à die oppoſitionis numerandos, probari debeat; ne parti ad probandum terminus prorogetur. Conclusâ verò cauſsâ ad pronunciandum interlocutoriè dies ſex, ad ferendam verò definitivam ſententiam dies decem præſcribuntur, quibus elapſis, ſi judices contrà fecerint; expenſas hac de cauſſa factas à die elapſi termini uſque ad ſententiarum hujuſmodi pronunciationem, in duplo reddant.

§. VIII.

CUM partes ad ſuas probationes faciendas admiſſæ fuerint, ſi probationes non fecerint, neque literas, quas vocant receptorias extraxerint, & altera pars ob non factam diligentiam à parte adverſa, nec ab eadem literas hujuſmodi extractas petierit; terminum pro denegato haberi, & cauſſam pro concluſa, & definiendam eſſe; altera pars citari mandetur, & contumaciis incuſatis, provideatur quòd ad tertiam diem receptorias extrahat; ſi autem illas non extraxerit, habeatur cauſſa pro concluſa, etiam termino ad probandum nondum elapſo, ut hac ratione lites brevius expediantur.

§. IX.

QUando una ex partibus litigantibus factam probationem produxerit, & ea non obſtante, pars altera in cauſſa concludi petierit; pars probationem producens citetur, & ſuper hoc articulo contumaciæ incuſetur, & concludatur antequam concluſio ultima fiat in cauſſa: quod verò ſecus actum fuerit, ſit in ſe nullum.

§. X.

SI publicatio petatur, & hæc eo quòd terminus duret, ab altera parte contradicatur, ad excuſandum actorum examen, & alias de hoc dilationes; præcipitur judicibus, ut ſub conditione, ſi terminus elapſus ſit, publicationem fieri provideant: quòd ſi terminus adhuc duraverit; declarent quòd duret, quod ſic jubeant, quamvis decretum conditionale ſit.

§. XI.

ELapſo termino ad probandum, ſi probatione facta publicationem fieri poſtuletur, aut probatione non facta cauſſam haberi pro concluſa petatur; parte adverſa citata & non contradicente, contumaciâque incuſatâ, ſine ulla alia dilatione cauſſa pro concluſa haberi mandetur: ſi verò pars contradixerit, cognitâ à judicibus contradictionis cauſsâ & actis, quod juſtitiæ fuerit decernant.

§. XII.

QUando capitula contra aliquam hujus provinciæ perſonam dentur, fiſcali tradantur. Quæ ſi ſubſcripta non ſint, & à quo exhibita fuerint ignoretur, in eiſque teſtes deſignati ſint, ac in eis contenta adeò gravia provideantur, ut eorum remedium ad Dei cultum & bonum commune ſpectet; factis priùs de hac re certioribus Epiſcopis, ſeu Epiſcoporum officialibus, fiſcalis capitula hujuſmodi proſequatur. Quòd ſi conſtet quis capitula obtulerit, præſtitis idoneis fideijuſſoribus, promittat ille qui ea dedit, expenſas hac de cauſſa faciendas, ſi capitula minimè probentur, perſoluturum: itidemque puniatur, prout accuſator calumnioſus de jure venit puniendus.

§. XIII.

IN his qui matrimonio conjuncti, conjugalem vitam non ducere denunciabuntur, parochi teſtimonium in probationem admittatur, quatenus ad matrimonium, & non cohabitationem: & ſic comparere præcipiantur, & de hoc interrogentur. Quòd ſi negaverint; fiſcalis citetur, qui quatenus, opus fuerit, ampliorem faciat probationem, & ratificatis teſtibus, prout juris ſit, in cauſſa decernatur.

§. XIV

IN cauſſis criminalibus binarum nuptiarum, vivente primo conjuge, rei incluſi carcere teneantur dum lis agitur, eoſque ſic detineri judices procurent, etiamſi à ſententiis per eos latis rei hujuſmodi appellaverint, ut ſic finis his cauſſis imponatur. Quando verò fiſcalis accuſaverit, illæ partes quarum intereſt, citentur, eæque citationes fiant ex pecunia juſtitiæ ſumptibus applicata.

§ XV.

QUando judicibus expedire videbitur, in cauſſis criminalibus parti præſenti actorum ſumptum concedere, ut ſeſe defendat, fuerintque alii rei & complices abſentes, notarii advocato hujus partis, ſuppreſſis nominibus, proceſſum legant: & id uſque ad publicationem diligenter ſervetur. Si verò nullum ſit juris impedimentum, etiam cum nominibus hujuſmodi ſumptum concedatur.

§. XVI.

IN cauſſis immunitatum, reſtitutionum, ad Eccleſias confugientium, & aliis quibuſcumque, in quibus judices procedunt aggravando cenſuras; antequam cenſuræ hujuſmodi aggraventur, præcedat intimatio anterioris cenſuræ jam decretæ, de cujus intimatione fidem faciat notarius. Præcedat quoque invocationis brachii ſæcularis informatio: quo ordine, & non aliter ad Eccleſiaſticum interdictum procedetur.

§. XVII.

IN clandeſtinis conjugiis, quicquid circa ea à partibus petatur, fiſcalis oppoſitio & accuſatio admittatur. Acta & probata à partibus exhibita pro informatione ſummaria recipiantur. Deinde teſtibus à partibus productis per fiſcalem ratificatis, iterumque habita partium confeſſione, per judices noſtros hac in re decerni & definiri poteſt, juxta diſpoſitionē ſacroſancti Concilii Tridentini.

§. XVIII.

Quando uxor proprium maritum de adulterio, concubinatuve accuſaverit, judex efficiat, ut fiſcalis, aut exſecutor juſtitiæ in judicio denunciet, & cauſſam proſequatur, adhibitâ cautelâ, ne maritus à propria uxore delatum fuiſſe judici ſentiat.

§. XIX.

A Miſerabilibus perſonis litigantibus nihil quicquã pecuniæ accipiatur ratione litis: eaſque miſerabilis perſona reputetur, quæ in bonis mobilibus & immobilibus quinquaginta pondo valorẽ non habuerit: probatio verò quoad hoc per notariũ fiat, ex qua ſi officialibus cõſtiterit de paupertate perſonæ litigantis, ejuſdem cauſſas ſemotis dilationibus expediri, & in omnibus ſubveniri jubeant.

§. XX.

ACcuſationes criminales contra clericos in ſacris ordinibus conſtitutos illatæ, cum omni ſecreto, prout ſacerdotalem perſonam decet, tractentur & definiantur.

§. XXI.

Quamvis delinquentes plures ſint de eodem crimine accuſati, unus tantùm proceſſus conficiatur, nec ratione actorum proceſsûs aliquid aliud exigatur, quàm quæ ſunt in indice taxæ conſtituta. Nam ſi in eadem cauſſa tres complices ſint, tamquam ab uno ſolo ſalaria & expenſæ exigendæ ſunt.

§. XXII.

UT moleſtiis, quas accuſatores inferre ſolent, occurratur; mandat hęc Synodus, ut judices ordinarii, viſitatores, vicarii, & alii quicumque, quibus ſummariæ informationes ſuper partium querelis committentur, querelantibus præcipiant, facta in forma citatione per notarium informationem recepturum, quatenus intra tres dies poſtquam reus partem ſe conſtituerit, compareant perſonaliter ad accuſandum eum coram dictis judicibus: ſin minus, perpetuum eis ſilentium ad id imponetur. Si verò duabus contumaciis incuſatis, non comparuerint, nec accuſaverint ampliùs, ne audiantur, eorumque vices & voces fiſcalis obtineat: qui tam in hoc caſu, quàm in criminalibus cæteris ad ſe pertinentibus, accuſationem dare intra tres dies teneatur poſtquam ſe reus in carcere conſtituerit; judicibus autem & officialibus jubetur, ut concluſis jam proceſſibus, quo citiùs fieri poterit, dictas criminales cauſſas definiant; ita ut quantumvis proceſſus prolixus ſit, intra tredecim dies à die concluſionis, aut breviori tempore, ſi fieri potuerit, diffinitivam ſententiam ferant, in quo officialium conſcientiæ onerantur, ne ſumptus & expenſæ ex nimia retardatione accreſcant.

LIBRI SECUNDI TITULUS II.

De procuratoribus. [d]

§. I.

PRocuratores cauſſis quas ſuſceperint, omnem operam præſtent, in eiſque cum omni veritate agant, & quod ſuis partibus utile ſit, diligenter gerant, ac ſine ulla colluſione, fallitate, prævaricatione, aut prævaricationis ſpecie odio aut amore ſui principalis aut partis adverſæ, quicquam poſtulent, aut poſtulare negligant, quod convenienti cauſſę expeditioni neceſſarium ſit. Neque hac de cauſſa dona aliqua, aut promiſſiones, munerave, aut alia hujuſmodi injuſtè à parte contraria accipiant, ſub pœna reddendi quadruplum; ac præterea judicum arbitrio puniantur.

§. II.

MOderatam mercedem pro opera ſua accipiant. Quòd ſi in hoc exceſſerint, directè vel indirectè litigatores vexaverint, ut ab eis injuſta ſalaria, munerave, aut alia ejuſmodi extorqueant; judices pro merito laborum mercedem taxent, & diſtrictè præcipiant quòd reliquum reſtituant, necnon judicum arbitrio pœnas dent.

§. III.

PRocuratores, qui in tribunalibus Eccleſiaſticis negotia Eccleſiaſtica adminiſtraverint, cum fœminis, quarum vel contra quas ſuſceperint, inhoneſtè ne converſentur, neque eas in concubinas accipiant. Quòd ſi contrà fecerint; præter pœnas juxta horum decretorum formam eis impoſitas, in cauſſis Eccleſiaſticis officiorum exercitio per tres menſes ſuſpendãtur. Itidemque præcipitur, ne per trium menſium hujuſmodi ſpatium, judices aut notarii petitiones ab eis oblatas recipiant aut alios actus, ſub eadem pœna.

LIBRI SECUNDI TITULUS III.

De feriis. [e]

§. I.

UT debitum cultum & honorem Deo creatori noſtro, ejuſque ſanctis impenderemus, dies aliqui in Eccleſia ſemper decreti ſunt, ut in eis ab omni ſervili opere ceſſantes, nos cultui divino vacaremus. Eam ob cauſſam, ut hujus Archiepiſcopatus & provinciæ fidelibus dies hi feſti noti ſint, in eiſque cultui divino ſatisfaciant; hæc Synodus decernit omnes

c Conc. Mexic. 3. c. 77. & Granat. tit. *De ordine judicii.* n. 26. act. 3. c. 40. & act. 4. c. 9.
d Ex Synod. Granat. tit. *De procur.* e Mexic. 1. c. 18. & Lim 3.

omnes horum regnorum fideles, exceptis Indis, de quibus alio in loco tractatur, teneri ſub pœna peccati mortalis ſequentia feſta venerari.

FESTA EX PRÆCEPTO OBSERVANDA.

Imprimis dies Dominici totius anni.

FESTA JANUARII.

Circumciſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.
Epiphania Domini.
SS. Fabianus & Sebaſtianus.

FESTA FEBRUARII.

Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
S. Mathias Apoſtolus.

FESTA MARTII.

S. Thomas Aquinas.
S. Joſeph, Beatæ Mariæ ſponſus.
Annunciatio Beatæ Mariæ Virginis.

FESTA APRILIS.

S. Marcus Euangeliſta.

FESTA MAJI.

SS. Philippus & Jacobus Apoſtoli.
Inventio ſanctæ Crucis.

FESTA JUNII.

S. Barnabas Apoſtolus.
Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ.
SS. Apoſtoli Petrus & Paullus.

FESTA JULII.

Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis.
S. Maria Magdalena.
S. Jacobus Apoſtolus.
S. Anna mater Virginis Mariæ.

FESTA AUGUSTI.

S. Dominicus.
Transfiguratio Domini.
S. Laurentius Martyr.
S. Hippolytus in civitate Mexicana tantùm.
Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis.
S. Bartholomæus Apoſtolus.
S. Auguſtinus.

FESTA SEPTEMBRIS.

Nativitas Beatę Mariæ Virginis.
S. Matthæus Apoſtolus & Euangeliſta.
Dedicatio Sancti Michaëlis archangeli.

FESTA OCTOBRIS.

S. Franciſcus.
S. Lucas Euangeliſta.
SS. Apoſtoli Simon & Judas.

FESTA NOVEMBRIS.

Feſtum omnium Sanctorum.
Sancta Catharina Virgo & Martyr.
S. Andreas Apoſtolus.

FESTA DECEMBRIS.

Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.
Exſpectatio partûs Beatę Mariæ Virginis.
S. Thomas Apoſtolus.
Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti.
S. Stephanus Protomartyr.
S. Joannes Apoſtolus & Euangeliſta.

Item feſta mobilia ſequentia.

Dominica Reſurrectionis cum duabus diebus ſequentibus.
Aſcenſio Domini.
Dominica Pentecoſtes cum duabus diebus ſequentibus.
Feſtum Corporis Chriſti.

Coli *f* etiam jubentur feſta Sanctorum patronorum Eccleſiarum Cathedralium, & locorum ubi Hiſpani degunt in eiſdem Eccleſiis & locis.

§. II.

POrrò quia ſingularis fuit in Beatum Joſeph, ſacratiſſimæ Virginis Mariæ ſponſum, hujus provinciæ devotio, ob cujus Sancti merita & interceſſionem piè credi poteſt novam Hiſpaniam ſingularibus Dei beneficiis donari; Provincialis Synodus anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto celebrata Sanctum Joſeph in generalem hujus Archiepiſcopatus & provinciæ patronum elegit, ejuſque feſtum coli mandavit. Hæc quoque Synodus idem renovans & confirmans ſtatuit, ut feſtum hujuſmodi in hac provincra cum octava celebretur. Si verò octava in hebdomadam majorem inciderit; de ea uſque ad feriam quartam ejuſdem hebdomadę incluſivè commemoratio fiat. Feſtum Sancti Jacobi Apoſtoli, quia præcipuus & generalis Hiſpaniæ patronus is eſt, cum octava celebrari mandatur. Quando verò ad Veſperas & Matutinum ſuffragia Sanctorum dicuntur; ejus commemoratio, quia antiquior patronus eſt, commemorationi Sancti Joſephi præcedat. In die verò triceſima Decembris, qua translatio S. Jacobi facta eſt, de ejus translatione officium recitetur.

§. III.

ETſi ante celebrationem hujus Synodi, feſtum Sancti Thomæ Aquinatis, doctoris angelici, ex præcepto non colebatur; attendens tamen hæc Synodus à felicis recordationis Papa Pio V. *s* propter ſingularem ſanctitatem & mirabilem doctrinam, de quibus is Sanctus, hæreſibus refutatis, Chriſtianæ reipublicę ſcholis magnas opes attulit, & propter eruditionis ſplendorem, quo in Eccleſia Dei eluxit, ejus feſtum per univerſum Neapolis regnum coli, & per univerſam Eccleſiam officio doctoris celebrari præceptum eſſe: attendenſque inſtantiſſimè à decano & capitulo hujus Metropolitanę Eccleſię, magiſtratibus civitatis Mexici, à rectore & Univerſitate regia, tum etiam ab ordine Sancti Dominici, cujus inſtitutum Sanctus Thomas profeſſus eſt, efflagitatum fuiſſe; hæc Synodus precipit, ut Sancti Thomæ feſtum colatur, & catalogo eorum quę ex prępcepto in hac provincia coluntur, adſcribatur.

§. IV.

f Mexic. 1. c. 18. & Lim. 3. act. 3. c. 40. & act. 4. c. 9. Mexic. 1. c. 18. §. 1. *g* Pii V. motus proprius in Bullario ipſius, Bulla 42. folio 59. Text. in cap *Vnico. De reliquiis & veneratione Sanctor.* lib. 6. Fundatur ex cap. fin. *De feriis.* & in cap 1. *De conſecrat.* diſt. 3. Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 12. *De regul.* verbo, *Dies.*

§. IV.

QUÆ quidem *h* festa ab omnibus coli deberi (Indis exceptis) hęc Synodus decernit, in quibus ab omni servili opere cessandum est à media nocte vigiliæ usque ad mediam noctem sequentem, quo tempore festum terminatur: in eisque Missam integrè audire omnes tenentur, ad quam, & ad verbum Dei audiendum, ubi commodè fieri potest, in suis parochiis omnes intersint, ut est à sacro Concilio Tridentino * injunctum. Quòd si alioqui in diebus festis hujusmodi integram Missam non audierint, arbitrio Ordinarii plectantur. Qui verò tempore quo Missa conventualis celebratur, & sacra concio habetur, in ludis occupati apprehensi fuerint, juxta formam juris pœnas luant.

§. V.

MOnet etiam hęc Synodus patres *i*, matresque omnes, ut suos filios & filias quantumvis minimę ætatis sint, ad Missam audiendam secum deferant. Præcipit etiam heris, ut famulos & servos suos omnibus festis colendis Missam audire faciant, in quo eorum conscientiæ onerantur.

§. VI.

UT introducta jam corruptela funditùs tollatur, quâ relictæ viduę *k*, per multos dies ab obitu maritorum Missam non audiebant, Ecclesiæ præceptum transgredientes; jubet hęc Synodus, ut viduę, elapso præsertim mense post mortem mariti, à judicibus Ecclesiasticis per censuras, & alias pœnas ad sacrum audiendum compellantur: idemque servetur cum mulieribus conjugatis, quæ ob virorum absentiam per longum tempus Missam non audiunt.

§. VII.

QUo verò servilia opera, à quibus in diebus festis vacandum est, omnibus innotescant; hæc Synodus statuit ac decernit, ut in eis mercatum, nundinæ, licitationes minimè fiant: tebernæ etiam ubi merces, vel alia divenduntur & emuntur, saltem dum Missa conventualis celebratur, ne aperiantur.

§. VIII.

ASono verò campanæ, quâ populus ad conventualem Missam vocatur, usque ad finem Missæ, esculenta publicè venalia ne exponantur: operarii per totum festi diem jumentis suis sarcinas ne imponant, nec mulieres iter agant sarcinas vehentes, nisi victualia eo tempore populo necessaria apportaverint. Tonsores per totum festi diem ne detondeant, furni ne ardeant, instrumenta & machinæ minarum cessent, nec in eis ulli occupentur. Si qui verò hoc decretum violaverint, severè ab Ecclesiasticis judicibus punientur. Non tamen interdicitur chirurgis & aromatariis ne in his diebus officia sua exerceant, quantum ægrotorum saluti conveniet. Itidemque permittitur in temporibus metendi, rigandi, pinsendi, aut vermes sericos nutriendi, & alia hujusmodi terrenorum fructuum ratione faciendi, in festis diebus post auditam Missam, de licentia officialium & vicariorum, rebus hujusmodi operam impendere, ut nisi necessitati occurrerint, earum jactura fiat.

§. IX.

FElicis recordationis Paullus Papa III. *l* Indorum paupertati prospiciens, eos tam stricto vinculo ut Hispanos ad festorum observationem devincire noluit, ac ob eam causam illorum commoditati consulens, sequentia festa Indis deputavit, ad quę sola observanda ex præcepto tenerentur.

FESTA INDORUM.

Dies omnes Dominici in anno occurrentes.

Nativitas Domini sine duabus diebus sequentibus.
Circumcisio *m* Domini.
Epiphania Domini.
Dominica Resurrectionis sine duabus diebus sequentibus.
Ascensio Domini.
Dominica Pentecostes absque duabus diebus sequentibus.
Festum Corporis Christi.
Nativitas Beatę Mariæ.
Annunciatio Beatæ Mariæ.
Festum Purificationis Beatę Mariæ Virginis.
Assumptio B. Mariæ Virginis.
Festum Apostolorum Petri & Paulli.

Aliorum festorum observatio voluntariæ Indorum devotioni relinquitur. Ne verò Hispani per se aut servos suos in festis diebus servilia opera exercendi ex hoc occasionem arripiant, quòd Indi ab eis minimè cessent; decernitur, ne Indi hisce festis in Hispanorum prædiis, aut aliis facultatibus, nisi de licentia Ordinarii, serviliter sese exerceant.

§. X.

ITidem interdicitur *n* ne in diebus Dominicis, & festis quorum observatio ad Indos pertinet, mercatum fiat, ut ratione hac tunc laborandi & Missam non audiendi, ab Indis auferatur occasio. Si verò in aliquo Indorum oppido mercatum die Dominico indictum sit; alius hebdomadæ dies in quo id fiat designetur.

§. XI.

h Mil. 4. tit. de S. Ambrosio. fol. 616. & 5. etiam Milan. fol. 710. verbo *Quoi dies festos*. * Sess 24 c 4 *de reform*. *i* Conc. Mil. 3. fol. 584. vers. *Neque verò excusantur*. *k* Bulla Pii V. in Bullario fol. 33. 2. col. verbo, *Vt igitur*. Conc. Mexic. 1. c. 19. §. 3. & Guadix tit. 6. const. 16. & Milan 1. fol. 39. verbo, *Viduæ*. & fol. 119. verbo, *Episcopi ne patiantur*. & Milan. 3. fol 584. vers. *Neque verò excusentur*. Guadix tit. 6. const. 21. 22. 23. & 24. & Granat. tit. *de feriis*. n. 45. & 6. & Synod. de Quiroga const. 97. 98. 99. & 100. & Limen. 3. act. 3. c. 40. & act 4. cap. 9. & Milan. 3. tit. *De festarum dierum cultu*. fol. 583. *l* Bulla Paulli III. concessa in favorem Indor. Mex. 1. c 18 § 4. & Lim 3. act 4 c. 9. *m* Mex. 1. c. 18. § 5 & Limense 3. act 4. c. 9. *n* Mex. 1. c. 70.

§. X I.

MEdicis quoque prohibetur, ne ægrotis medicamenta applicent, ita ut eis impedimento eſſe poſſint quominus feſtis diebus Miſſam audiant; ſi talis ægritudo eſt, quæ ægrotum Miſſam audire non impediat, & cujus medicina in aliud tempus differri poſſit.

LIBRI SECUNDI TITULUS IV.

De dolo & contumacia.

§. I.

PRÆSENS in illis locis, in quibus Eccleſiaſticum tribunal exiſtit, in judicium vocatus citari non poſſit [o], niſi de uno die in alium: aliter autẽ citatione facta, etiam ſi citatus non compareat, contumax reputari nequeat [p], neque abſens pro contumaci habeatur, ſi nuncius fidem non fecerit, ipſum citâſſe in perſonam propriam, uxoris, filiorum, aut famulorum: nec ſufficiet citatio ad hoſpites, vicinos, aut alias extraneas perſonas facta: contumaciæ verò coram judicibus incuſabuntur, & quicquid aliter factum ſit, denuò fiat.

§. I I.

CUm de contumacia cujuſque partis conſtet, in expenſis condemnetur contumax, quas antequam ulteriùs procedatur, compellatur ſolvere, niſi præſens maluerit id in finem litis reſervare, & in alterius partis contumacia ulteriùs procedi; aut remedium miſſionis in poſſeſſionem elegerit: quod ſi fiat, regula de hoc in legibus horum regnorum [q] præſcripta ſervetur.

§. I I I.

IN literis citationum & monitoriis præcipiatur, ut ad aliquem diem certum citati, horâ audientiæ compareant. Quòd ſi reus, vel actor minimè comparuerit, & non comparentis contumacia fuerit incuſata; contumax reputetur. Si autem intra dictum diem venerit, & jam ſecundæ literæ expeditæ ſint, illarum expenſas ſolvat: qua ſolutione contumaciam purget, & in cauſſa principali audiatur. Nullatenus verò ſecundæ literę expediantur, niſi toto elapſo die, in quo terminus in primis literis prefixus finitur, neque reus, vel actor contumax reputetur, uſquequo conſiſtorium dimiſſum ſit.

§. I V.

SI actor intra terminum in literis expreſſum contumaciam non incuſaverit, reus contumax non reputetur: nec literæ illę iterum legantur, nec virtute illarum contumacia incuſari poſſit: ſed literæ conditionales æſtimentur, veluti ſi expreſſæ ſub conditione hac eſſent expeditæ. Si actor contumaciam incuſaverit, in dicto termino: ſi autem reus comparuerit actore non comparente, actor in expenſis condemnetur, ſi id reus petierit. Quòd ſi elapſo dicto termino actor contumaciam incuſaverit, & reus non comparuerit; judices eum iterum in judicium vocari mandent, niſi juſtis de cauſſis ſibi viſum fuerit reum poſſe legitimè reputari contumacem. Si verò juſtæ cauſſæ adſint, in decreto declarent: literę tamen receptoriæ perſonaliter intimentur, ſi citatio prima perſonaliter facta non fuerit: aliter enim reus nullam ſententiam nec contumaciam incurrit.

LIBRI SECUNDI TITULUS V.

De teſtibus & probationibus [r].

§. I.

IN cauſſis, in quibus ex officio proceditur, teſtes contra reos procedendi expenſis cameræ, & pecuniis juſtitiæ ſumptibus applicatis ad ferendum teſtimonium adducantur: quæ impenſæ condemnatione expenſarum ſubſecuta, & non aliàs, cameræ & ſumptibus juſtitiæ perſolvantur, ne inde rei occaſionem arripiant præveniendi aut ſubornandi teſtes.

§. I I.

IN omnibus cauſſis criminalibus, in quibus pœna corporalis, ſive exſilii, aut publica pœnitentia imponenda ſit, teſtes in ſummario judicio recepti, in plenario ratificentur; non obſtante quòd pro ratificatis à reo habeantur. Quibus in caſibus, nec minori ulli, nec fiſcali reſtitutio in integrum ad accuſandum, aut ad probandum concedatur. Probatio verò quæ per reſtitutionem hujuſmodi fiet, nulla ſit, immo à proceſſu deleatur.

§. I I I.

JUdices [s] per ſeipſos in cauſſis matrimonialibus dicta teſtium recipiant, neque probationes à ſolis notariis, etiam principalibus, fieri in cauſſis criminalibus, aut civilibus magni momenti permittant, niſi ipſiſmet judicibus præſentibus; aut ſi juſta ex cauſſa judices abſint, de ſpeciali eorum commiſſione; quæ quidem ſpecialis commiſſio à judicibus ſubſcripta in principio probationis hujuſmodi collocetur, & in proceſſu deſcribatur. Commiſſiones verò nullatenus concedant in caſibus prædictis ad recipiendum teſtes, aliis miniſtris, quàm receptoribus ab Epiſcopo deputatis; neque in ſuis tribunalibus notarios quoſcumque aut officiales admittant ad petitiones dandum, ad acta gerendum, neque ad teſtes in ſummario recipiendum; aut eis quodvis aliud receptionis genus committant, neque eos ad teſtes, aut teſtiũ ratificationes, neque ad recipiẽdas cautiones in judicio faciendas, neque ad aliud quicquam, quod ad judicium pertineat adhibeant, niſi fuerint ipſimet notarii tribunalis, aut receptores prædicti, & eis abſentibus, miniſtri ad id ab Epiſcopo, vel juſſu Epiſcopi approbati, qui ſpecialem proviſionem ad id obtineant. Probationes autem & acta judicialia aliter confecta nulla ſint.

§. IV.

[o] Lex Regia 9. tit. 8. l. 2. recopil. [p] Synod Granat. tit. *De dolo & contumacia.* [q] Lex 1. & 2. tit. 22. lib. 4. recopil. [r] Granat. Synod. tit. *De probat.* [s] Mexic. 1. cap. 42. & Granat. tit. *De teſtibus.* num. 3.

§. IV.

QUando teſtes ad inſtantiam partis extra civitatem ratificandi ſunt, eorum dicta in ſummario judicio habita ne tradantur originalia, niſi priùs exemplum publicum, aut authenticum, quod fidem faciat, penès notarium remaneat; nec tunc tradatur parti, contra quam ratificatio fieri debet. Quòd ſi notarius quiſquam ſecus fecerit, judicum arbitrio pro qualitate criminis punietur. Probationes verò ſummariè hujuſmodi receptoribus dentur, præſtito ab eis juramento, & obligatione de ſecreto ſervando uſque ad publicationem, & de eaſdem reſtituendo intra dies duos poſt elapſum terminum.

§. V.

QUotieſcumque judicibus viſum fuerit convenire, ut teſtes perſonaliter deducantur, id ejus impenſis fiat qui teſtes produxerit. Judices autem priùs æſtimato quod ratione itineris teſtes habere debent, illud teſtibus perſolvi faciant, antequam inde diſcedant.

§. VI.

TEſtium probationes in ſecunda inſtantia ne fiant per eoſdem articulos, neque per directè contrarios, niſi in caſibus, & eo modo, quo eſt à Jure conceſſum. Ut autem hoc evitetur, præcipitur, articulos in ſecunda inſtantia producendos, preter advocatum: à procuratoribus etiam debere eſſe ſubſcriptos: à quibus itidem examinentur, ſintne iidem articuli, an contrarii: & ſi ſecus fiat probatio, à proceſſu deleatur, & procurator in hac negligens, pondo unum perſolvat.

§. VII.

IN cauſſis criminalibus contra miniſtros ab Epiſcopo deputatos tractandis, ob dona, munera, pecuniaſve injuſtè acceptas, aut collationes factas, quibus dona, ſive hujuſmodi munera accipere ab hac Synodo prohibitum eſt; ea ſit ſufficiens ad condemnationem probatio, quæ in legibus [z] novæ compilationis horum regnorum decreta eſt, juxta quas leges in his caſibus decidendum præcipitur.

§. VIII.

PRobationes quæ earum qualitate attenta committi poſſunt, receptoribus committãtur. Quòd ſi viſum fuerit expedire, præcipiatur, quòd vicarii, aut alii ſacerdotes loco judicum unà cum receptoribus hujuſmodi probationibus faciendis aſſiſtant.

§. IX.

CUpiens hæc Synodus effrænatam eorum audaciam reprimere, qui quum teſtes producuntur, in judiciis Eccleſiaſticis hujus provinciæ, non ſine gravi Dei omnipotentis offenſa, ac juſtitiæ contemptu, ſuarumque animarum detrimento, & litigatorum præjudicio falſum dicunt teſtimonium; ſtatuit ac præcipit, " ut ſi quis coram quocumque ex officialibus, judicibus, aut aliis miniſtris perjurii reatum commiſerit; ſi clericus (quod abſit) fuerit de perjurio convictus, ſolvere parti compellatur, in cujus damnum hoc crimen admiſit, id omne quod ob tacitam veritatem, vel expreſſam falſitatem, in præjudicium & detrimentum dictæ partis ceſſerit: ac propterea condemnetur in medietate fructuum unius anni præbendæ, ſeu Beneficii ab eo obtenti, & etiam in medietate fructuum omnium, quos percipit toto eo tempore, quo in perjurio perſeveraverit. Cujus multæ pars una fabricæ Eccleſiæ Cathedralis, ubi id evenerit, applicetur: altera verò piis operibus ab Epiſcopo deſignandis: tertia denique accuſatori: & præter hanc pœnam, in carcere tamdiu detineatur, quamdiu officiali videbitur. Si autem perjurus hujuſmodi, Beneficii ſeu præbendę expers ſit; jubetur, ut ultra ſatisfactionem parti, cui præjudicium irrogavit faciendam, in pondo minarum quinquaginta condemnetur, quæ ad nuper præſcriptam formam diſtribuantur; & reus in carcere, ut dictum eſt, incluſus maneat per tempus judicis arbitrio deputandum. Quòd ſi is adeò pauper ſit, ut prædictam pœnam ſolvere nequeat, pecuniaria pœna commutetur in corporalem, pœnâ carceris aggravatâ, ac ſi perjurus ſęcularis ſit, ſatisfacere parti, cui perjurio nocuit, compellatur; & præterea paſtomide ejus linguam obſtringenti in valvis Eccleſiæ per diem unum publicè detineatur, niſi ejus fuerit conditionis, ut hæc pœna commutanda ſit: quo caſu delinquens in exſilium mittatur, aut graviori pœna judicis punientis arbitrio plectatur. Quòd ſi cauſſa in qua perjuriũ commiſit, matrimonialis ſit, ob injuriam ſacramento illatam, præter jam dictam pœnam, & alia judicis arbitrio imponatur. Qui verò ad ſuæ cauſſæ probationem teſtem falſum produxerit, quem ad dicendum falſum teſtimonium induxerit, eâdem pœnâ puniatur, qua teſtem perjurum puniri ſancitum eſt.

§. X.

SAcerdotum [x] honori, quibus Indorum cura imminet, proſpicere volens hæc Synodus, ne eo magis falſis accuſationibus agitentur, quo ſtudioſiùs ſubditorum indigenarum vitiis, aut Hiſpanorum avaritiæ modum imponere conantur: perpendenſque, quàm proni ſint ad perjuria Indi, quamque facilè ad id inducantur; ſtatuit ac præcipit imprimis, ne ullus ſacerdos à diſtrictu Indorum, cui miniſtrat, expellatur, quamvis graves querelæ contra eum dentur, niſi priùs per judicem ordinarium aut delegatum ibi inquiſitio fiat, ubi crimen admiſſum à ſacerdote dicitur. Si enim judex Eccleſiaſticus [y] ibi præſens aſſiſtat; de omnibus plenè inſtructus, quæ & quanta fides teſtibus ſit adhibenda faciliùs agnoſcet. Infideles nullatenus in teſtes admittantur, ut ſacris eſt Canonibus conſtitutum, nec etiam illi qui ſuſpecti ſunt [ζ], quamvis Chriſtiani, Indi, vel Hiſpani ſint;

---

z Lex 6. tit. 9. lib. 3. recopil. & lex 7. tit. 7. lib. 7. recopilation. " Mex. 1. c. 86. & Guadix tit. 5. conſt. 22. x Conc. Limen. 3. act. 4. c. 6. y Tex. in cap. fin. 3. q. 6. ζ In cap. *Suſpectos*. In cap. *Nullus*. 3. q. 5. In cap. *Si teſtes*. 4. q. 3. Conſule de hoc Perdin Zurita in primo ench. quæſt. Theolog. q. 20. fol 72. Ex doctrina Menochii *De arbitrar. judicum*. quæſt. caſu 90.

ſint; ſed ſolùm timoratæ conſcientiæ homines, minimeque ſuſpecti. Neophytos ad jurandum nequaquam judex compellat, niſi cauſſa ſit gravis, & cujus veritas aliter elucidari non poſſit. Quo in caſu moneantur primùm neophyti, quàm grave malum perjurium ſit. Si autem falsò aliqui juràſſe comperti ſint, eos, ut cæteri metu pœnæ terreantur, & cautiores evadant, publicè flagellari judex præcipiat; & ut majori ignominia afficiantur, detonderi faciat. Denique in cauſſis quæ ex teſtimonio Indorum dependent, accuratè judex animadvertat, quæ & quanta fides teſtibus adhibenda ſit, præſertim cùm manifeſta ſit omnibus Indorum ad perjuria propenſio. Quæ omnia Chriſtianæ judicum prudentiæ hæc Synodus commendat.

LIBRI SECUNDI TITULUS VI.

De ſententia & re judicata. [a]

§. I.

IN ſententiis, quæ ſuper matrimoniis clandeſtinis feruntur, ſemper jus petendi quicquid expedierit fiſcali reſervetur; idemque obſervetur in ſententiis quæ ſuper binis nuptiis, & criminibus aliis inter partes proferuntur. Notarius verò reſervationem hujuſmodi fiſcali intimet, actaque intra tertium diem tradat, ut graves contra delinquentes pœnas poſtulet.

§. II.

SEntentiæ, quas judices & vicarii tulerint, juri, & his decretis conformes ſint, quarum poſtquam latæ fuerint, niſi in caſibus à Jure permiſſis, nulla ſit diſpenſatio. Decreta verò in ſcriptis fiant, ita ut ſemper de his conſtare poſſit. Quamvis autem in aliquibus ſummariè procedant; ad id exceptiones legitimas, & partium neceſſarias probationes, in forma à Jure conceſſa admittere ne recuſent.

§. III.

QUoniam [b] ſemper contingit, ut clerici, & ſæculares hujus provinciæ nonnulli, parte vel fiſcale inſtantibus, ob aliqua commiſſa crimina in pœnis pecuniariis condemnantur: qui à ſententiis cùm ſe gravatos ſentiant, provocantes, etiamſi pecuniariam pœnam deponant, & de repræſentando cautionem præſtent, à judicibus minimè è carcere liberantur, immo ſæpe ſæpiùs eo quòd appellant, novis vinculis conſtringuntur. Idemque fit quum accuſatores affligēdi reos cauſsâ, & eoſdem in carcere detinendi, à ſententiis etiam juſtè latis appellant. Ob eam cauſſam ne deinceps his moleſtiis capti afficiantur; ſtatuit hæc Synodus, ut pecuniariâ multâ in depoſitum datâ, & cautione præſtita de repræſentando: condemnatis hujuſmodi civitas aut oppidum à judicibus & officialibus pro carcere conſtituatur, pœnâ interpoſitâ non obſtante.

LIBRI SECUNDI TITULUS VII.

De appellationibus, & recuſationibus judicum. [c]

§. I.

PRocuratores delinquentium qui appellaverint, in gradu appellationis minimè audiantur, niſi teſtimonio adhibito, quo conſtet delinquentes in carcere detineri, aut eos antequam judex, à quo provocatum eſt, ſententiam ferret, præſtita cautione, fuiſſe liberatos.

§. II.

IN cauſſis criminalibus, quando aliquis ſe in gradu appellationis coram judice ad quem perſonaliter conſtituerit; ne audiatur, donec teſtimonium oſtendat, à judice inferiori carcere detentum non fuiſſe: deinde verò in carcere ſe præſentet, cui poſtea literæ citatoriæ & compulſoriæ ad teſtimonium hujuſmodi, & proceſſum deferendum concedantur. Ne ob eam cauſſam quòd ſe coram judice ſuperiori conſtituerit, contra ejus bona & fideijuſſores procedatur. Quòd ſi conſtiterit, eum non effracto carcere ad ſuperiorem judicem confugiſſe, nullaque damna inde ſubſecuta, & id ejus cauſsâ patiatur; convenienti præſtita cautione, alia carceris cuſtodia eidem poterit aſſignari, ſervatis in his quæ à Jure Pontificio ſtatuta ſunt, & ab his decreta ſancita.

§. III.

CUm quis ſe coram judicibus appellationum conſtituerit, & cauſſa non inter partes, ſed ex officio ventilata eſt, nec appellatum eſt à ſententia definitiva in caſibus à Jure, & hujus Synodi decretis permiſſis; antequam admittatur, aut eidem literæ inhibitoriæ concedantur, conſtet appellantem captum detineri, ſive in carcere judicis à quo, ſive judicis ad quem, & eo ſic detento, præcipiatur judici, ut ſi ad inſtantiam partium proceſſit, eas nominet, & ut citentur, citatorium expediatur. Quòd ſi ex officio cauſſas & rationes mittat, quibus adductus in cauſſa proceſſerit; itidemque compulſoriæ literæ concedantur, ut acta & proceſſus ad ſuperiorem judicem tranſmittantur, quibus tranſmiſſis, quod juris fuerit provideat. Ut verò hoc meliùs fiat, fiſcalis citetur, qui in cauſſa ſe opponere teneatur, eique tamquam advocato ſalaria ob id conſtituantur.

§. IV.

JUdices à quo ne inhibeantur à judicibus ſuperioribus, neque ab eis inhibitoriæ aut ſuppreſſoriæ literæ concedantur, niſi actis proceſsûs priùs perſpectis & examinatis; neque exſecutio impediatur in cauſſis, in quibus ex Jure & decretis Concilii Tridentini [d] per appellationē non ſuſpenditur exſecutio ſententiæ aut decreti. Quòd ſi ſecus fiat, inhibitiones, proceſſus, decreta, & alia inde ſequuta, & acta, invalida ſint & nullius effe-

[a] Syn. Gran. tit. *De ſent. & re judic.* [b] Mex. 1. c. 76. [c] Syn. Gran. tit. *De ſent. & re judicata.* [d] Se. 13. c. 1. & ſeſſ. 24. c. 20 *de ref.*

effectus, ut est ab eodem Concilio [e] dispositum: ac præterea in visitationibus & syndicatibus, judicum excessus hujusmodi corrigantur. In Conciliis quoque Provincialibus horum excessuum, si puniti non fuerint, ratio petatur. In appellationibus verò à sententiis interlocutoriis, sive reparari possunt, sive non, per sententiam diffinitivam officialis & judicis observent, quod est à Concilio Tridentino [f] decretum.

§. V.

ITidem [g] interdicitur ne officiales, & judices Metropolitanorum, & excommunicationis, suspensionis, & interdicti censuras decernant contra Episcopos suffraganeos, juxta constitutionem Innocentii Papæ IV. quæ incipit: *Romana Ecclesia*.

§. VI.

IN causis concubinatûs quorumcumque, sive Ecclesiasticorum sive sæcularium, si hi aut eorum concubinæ appellaverint; à carcere per judicem inferiorem aut superiorem antè ne liberentur, quàm causa terminetur, nisi ob justas valdè & necessarias causas judicibus videbitur, quorum conscientiæ in hoc onerantur.

§. VII.

IN gradu appellationis, partes ad probandum ne recipiantur, si se ad probandū non obtulerint: quod si fecerint, pœnâ eis impositâ si non probaverint, ad probandum admittantur.

§. VIII.

SI appellans causam appellationis non prosequatur, & concessis sibi compulsoriis literis acta non transportet, appellationisque desertio à parte adversa petatur; in hoc servetur quod est Jure Pontificio constitutum. Si verò desertionem non petat, sed prosequi causam velit; mandetur appellanti, ut suis impensis acta, unà cum causa, & ratione, quibus motus judex à quo sententiam tulit, aut in causa processit, deferat, termino ei ad hoc competente præfixo. Quòd si appellans non effecerit, parti adversæ facultas detur, ut appellantis sumptibus processum unà cum aliis jam dictis afferat, si ea appellationi alterius partis appellantis non adhæsit: si verò adhęserit, omnibus utriusque partis sumptibus id fiat.

§. IX.

QUando aliquis ex officialibus fuerit recusatus, recusans recusationis causas coram judice recusato proponat, qui causas hujusmodi ad Episcopum deferat. Episcopus verò causam principalem decernendam suscipiet, parteśque audiet in articulo recusationis, ad præscriptum constitutionis Bonifacii VIII. quæ incipit: *Si contra unum* [h]; eamque servari & adimpleri hæc Synodus injungit.

LIBRI TERTII

TITULUS I.

De officio Episcoporum & vitæ puritate.

De his, quæ ad propriam Episcopi personam pertinent.

§. I.

ACcingere se vôlens sacrosancta Oecumenica Tridentina [i] Synodus ad collapsam admodùm Ecclesiasticam disciplinam, juvante Domino, restituendum, ac depravatos in clero populoque Christiano mores emendandos, spem in Episcoporum integritate summam collocavit his verbis: Integritas præsidentium salus est subditorum, & verus Ecclesiasticæ hierarchiæ scopus pręcipuus is est, ut Episcopum instruat omnibus numeris absolutum, Sancto Dionysio Areopagita dicente: *Pontificum ordo sacratus is est, divina speculantium ordinum qui summus est, & ultimus. Sicut enim hierarchiam omnem in Jesu terminari conspicimus, ita unamquamque functionem in suum Pontificem*. Ex quibus facilè colligere est, qua puritate vitæ, morumque integritate præditus is esse debeat, quem divina gratia, & assidua virtutum exercitatio, ad statum perfectionis evexerit: qua humilitate, qua benignitate, qua mansuetudine, qua charitate pro vitæ exemplo, & ut uno verbo omnia, qua sanctitate prælucere debeat in Ecclesia Dei. Eam ob causam Dominus pręcipiebat, strictam cum mitra vittâ hyacinthinâ laminam sacræ veneratione de auro purissimo, in qua gemmario opere sanctum Domini esset nomen inscriptum, à summo sacerdote fronte gestandam. Quo adeò sanctitate præstantes oportere esse Episcopos significaretur, & eandem fronte descriptam aliis ad imitandum proponerent.

§. II.

ID igitur perpendens optimè Mexicana hæc Provincialis Synodus, toto quo potest conatu, Episcopos in Domino cohortatur, ut dignitatis suæ semper memores, sic vitam instituant, ut decet ministros Christi & successores Apostolorū: ad quorum exemplū inardentes, salutis animarum zelo se componentes, assiduè Deum pro ovibus deprecentur: eos verbi Dei prędicatione pascant, & tamquam angeli custodes populo sibi commisso invigilent, eique prospiciant: ac denique veluti boni pastores, ea, quam majorem nemo habet, charitate sint accensi,

---

e Sess. 22. c. 7. f Concil. Trid. ubi supra d. sess. 13. & 24.
g Tex. in cap. §. *Offic. autem. de offic. ord.* lib. 6. h Tex. in cap. *Si contra unum de. offic. deleg.* lib 6. i Conc. Trid. sess. 6. c. 1. *de reform.* Milan. 1. tit. *De vita, & honest. Episcop.* à fol. 60. & Compost. Concil. act. 3. c. 1. cum seqq. & Tolet. act. 2. à cap. 1. cum seqq. Provinc. de Quiroga actio 2. Dec. 3. & 5. & Limen. 3. act. 3. c. 1. & 2. optimè Concil. Milan. 4. 3. p. tit. *De Episcop.* cum seqq.

ſi, ut animam ſuam pro ovibus ponant [k]. Quod humeris etiam angelicis formidandum onus, & humanis omnino impar, quia propriis viribus ſuſtinere non poſſunt, à Deo petant auxilium, & orationi frequenter vacent ſtatutis ſibi horis, ut mente illuminentur, & ad Dei honorem populiq́ue ſalutem dirigantur.

§. III.

SEd ut frequenti orationis uſu ad munus quo funguntur obeundum, ſalutares fructus percipiant; unius horæ ſpatium ſingulis diebus orationi impendere monentur, in quo alta mentis contemplatione perpendant quid pro animarum ſalute Chriſtus ſummus paſtor effecerit, quidve perpeſſus fuerit: ut hac conſideratione excitati, ſpirituale animarum commodum ardentiori zelo anhelent, & quod ad id opus eſt, divinæ gratiq́ auxilium vehementiùs implorent. Ad hæc, ſingulis quoque noctibus, illius Apoſtoli [l] ſententiæ memores, *ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*; per aliquod temporis intervallum conſcientias proprias diligenti examine perſcrutentur, & quicquid eo die deliquerint, quicquid negligenter omiſerint pro peccatis ſubditorum abolendis, gravi dolore defleant [m] & emendent: ſic enim iram Dei in die tremendi judicii fugient, qua ſanguis pereuntium ovium de manu paſtorum negligentium requirendus eſt.

§. IV.

UT Epiſcopus [n] vitæ ſanctitate & morum integritate roboratus conſiſtat, populoq́ue in hac re maximè ſatisfaciat; confeſſarium ſacerdotem ſibi deligat ætate gravem, vitâ probatum, doctrinâ inſignem, per quem Deus omnipotens in rerum difficultatibus ſuo lumine Epiſcopum illuſtret & dirigat ad ea, quæ divinæ ſuæ gloriæ, populiq́ue ædificationi magis ſint conſentanea.

De cura ſubditorum & propriæ familiæ.

§. I.

EPiſcopi, ut paſtorale officium poſtulat, benigni ac manſueti ſint, languoribuſq́ue ſanandis, ac pauperum miſeriis ſublevandis, cum omni pio ac paterno zelo proſpiciant; taleſq́ue ſeſe præbeant, ut ſubditorum moleſtias in omni patientia ſupportantes, eis aditum faciant, ne hæreant trepidi, ſed cum omni fiducia ad Epiſcopos confugiant, ab eiſq́ue in labore ſolatium, in paupertate auxilium, in morbo medicinam petant.

§. II.

PArochos ſingulis hebdomadis ad ſe vocent, ab eiſq́ue ſciſcitentur de ſubditorum ſtatu, de temporalibus & ſpiritualibus populi ærumnis, de remedio peccatis publicis adhibendo, ut his omnibus accuratè ſuccurrant.

§. III.

QUoniam qui domum ſuam regere neſcit, ex ſententia Apoſtoli, nec Eccleſiam Dei rectè gubernabit; hæc Synodus Epiſcopos monet, ut non ſolùm ipſi vitæ exemplo ſubditos ædificent, ſed eos etiam familiares ſibi deligant, qui honeſtate vitæ & morum integritate comprobentur; ne ſi populo ſcandalo ſint, Epiſcopi miniſterium vituperetur. Oneri ſuo Epiſcopi ſatisfacient, ſi Concilii Tridentini decreta, in quorum exſecutione cleri populiq́ue Chriſtiani reformatio conſiſtit, aſſiduè legant, attentè meditentur, diligenter exſequantur.

De doctrinæ cura.

§. I.

PRæcipua Epiſcoporum cura in docendo populum Euangelium Dei ſita eſſe debet [o]: atque, quod jam titulo *De ſumma Trinitate & fide Catholica* decretum eſt, ad eam rem maximè incumbant oportet, ut parochi & Eccleſiaſtici viri ſua munera & miniſteria in hoc adimpleant, quo ſubditi, præſertim rudes, ſalutari verbi Dei doctrinâ, paſcantur. Si verò (quod abſit) prædicator errores aut ſcandala in populum diſſeminaverit, etiamſi regularis ſit, ei Epiſcopus auctoritatem Concilii Tridentini ſequutus, prædicationem interdicat.

§. II.

VOlens Tridentina [q] Synodus doctis beneque inſtructis miniſtris adhibitis populum Chriſtianum omni ſalutari doctrina abundare; decrevit, ut in ſingulis diœceſibus collegium erigeretur, ubi pueri religiosè educarentur, & omnibus Eccleſiaſticis diſciplinis imbuerentur, ita ut collegium hoc miniſtrorum Dei perpetuum eſſet ſeminarium. Quod [r] cùm ob rerum incommoditatem, in hac provincia ſortiri effectum hactenus non potuerit; ne tam ſanctum opus (& in his partibus, ubi meſſis quidem multa eſt, ſed operarii pauci) maximè neceſſarium, labente tempore oblivioni traderetur; hæc Synodus ſtatuit, ut Epiſcopi, quo citiùs fieri poſſit, Concilii decretum exſequentes, pro cujuſque diœceſis facultate ſeminariis hujuſmodi inſtituendis eam operam navent, ut ſemel inſtituta permaneant.

§. III.

NE deſit numerus confeſſariorum, qui ſcientiâ periti ſint, & in adminiſtratione ſacramentorum verſati, atque ut errores & damna quæ ex miniſtrorum ignorantia ſæpè proveniunt, vitentur, ſtatuit ac præcipit hæc Synodus, ut in ea diœceſi, ubi conſcientiæ caſus, & ſacramenta nullus legendo interpretatur,

[k] Conc. Mil. 4. 3. p tit. *De Epiſcop.* fol. 665. verbo *In oratione.* [l] D. *Paulus* 1. Cor c. 11. [m] Conc. Mil. 4. d. fol 665. verb. *Confeſſar.* [n] Dicto Conc. 4 Milan. d. fol. 665. verb. *Conf.* [o] Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. ſuprà lib 1. tit. 1. §. 2. [p] Seſſ. 7. cap. 2. [q] Seſſ. 23 cap. 18. [r] Conc. Lim. 3. act. 2. cap. 44. & Mil. 5. tit. *De ſemin.* à fol. 759. ipſeque Sanct. Card Borromæus arch. Med. piè & ſanctè docet in Actibus ſuæ Eccl. tomo 2. p. 5. act. fol. 947.

tur, aliquem ad id Epiſcopi conſtituant; & ubi iam conſtſtutus eſt, ut in eo munere perſeveret procurent. Clericos verò omnes ibi reſidentes compellant; niſi in Theologia, vel Decretis gradum obtineant, & Epiſcopo probati ſint, ut hos audiant magiſtros, quos ſi audire neglexerint; neque ad ordines, neque ad Beneficium, neque ad ſacramentorum adminiſtrationem recipiantur.

§. IV.

SAcerdotum miniſtrorumque Eccleſiæ ignorantiam ex eo oriri certum eſt, quòd in his examinandis Epiſcopi negligenter agant. Quare ad præſcriptum Concilii Tridentini [f] jubentur, ne quemquam, ſive ſecularem ſive regularem, ſine diligenti examine, regulis hujus Synodi ſervatis, ad ordines recipiant, neque ad audiendum confeſſiones ſæcularium, etiamſi ſacerdotes ſint, niſi præcedenti examine, juxta dictas regulas, idoneus repertus, ab Epiſcopo facultatem obtineat. Hanc autem facultatem Epiſcopi cautè concedant, eorum ſufficientiâ ponderatâ, de quibus periculum fecerunt, ad certos perſonarum ſtatus eam limitantes. Semel autem examinati & probati ad confeſſiones audiendas, ab eodem Epiſcopo non examinentur, niſi nova cauſſa ſupervenerit.

§. V.

CUM dolendum ſit valdè de quorundam negligentia ſacerdotum, qui quamvis ex officio Chriſtianis documentis Indos inſtruere teneantur, ſubditorum linguam ediſcere negligunt, ſine qua fidei Chriſtianę myſteria, nec vim ſacramentorum animæ ſalutarem docere poſſunt; hæc Synodus Epiſcopos monet, ac ſi opus eſt, eiſdem mandat, ut intra ſex menſes ab horum decretorum publicatione computandos, clericos in regionibus Indorum Beneficia cum onere obtinentes, in materna earundem regionum lingua examinent, & quos repererint linguæ hujuſmodi ignaros, ſex menſium ſpatio præfinito ad diſcendam linguam compellant, admonentes eos, quatenus elapſo termino, ſi linguam hujuſmodi non didicerint, Beneficium quod obtinent, ipſo facto vacabit, & alteri de eo fiet proviſio. Quòd ſi ob nimiam idiomatis obſcuritatem, vel ob aliam juſtam cauſſam id fieri non licuerit; poſſit tunc Epiſcopus alios ſex menſes peremptoriè præſcribere [t], omni ſpe ampliùs prorogandi ſemota, in quo, & in regula decima octava cancellariæ Apoſtolicæ adimplenda conſcientię Epiſcoporum onerantur.

§. VI.

NE Indorum inſtructio [u] unquam intermittatur; miniſtris Eccleſiaſticis Indorum exeundi à ſuis regionibus, niſi ex urgenti cauſſa, facultatem Epiſcopi non concedant. Quando verò alicui conceſſerint, in ejus abſentia idoneum ſacerdotem ſufficiant.

De viſitatione propria provinciæ.

§. I.

NIhil eſt ad ſalutem gregis accommodatius, quàm præſentia paſtoris: ſed quia univerſam diœceſim oculis perluſtrare, eique omni Epiſcopus aſſiſtere non poteſt; viſitatio ordinaria adhibenda eſt. Quamobrem juxta Concilii Tridentini [x] decreta hæc Synodus ſtatuit, ut Epiſcopi quotannis, vel ſaltem ſingulis bienniis, propriam diœceſim per ſe ipſos viſitent; aut ſi legitimè impediantur, viſitatores deligant ſapientiâ & vitæ exemplo probatos; ab omni cupiditate alienos, ac denique tales, à quibus cleri populique reformatio, & exſecutio formulæ titulo *De viſitatoribus* ab hac Synodo præſcriptæ, in omnibus ſperanda ſit.

§. II.

AD morum emendationem non minoris utilitatis eſt temperantiæ ac modeſtię Chriſtianę exemplo ſubditos ædificare, quàm de eorum delictis inquirere, eademque corrigere: quod ut ſibi animo proponant, dum Epiſcopi ſuas diœceſes viſitant, hæc Synodus vehementer exoptat. Quamobrem auctoritate Concilii Tridentini, ſuffulta Epiſcopis mandat, ne cùm ſuam diœceſim viſitaverint, inutilibus ſumptibus cuiquam graves oneroſive ſint; neve ipſi, aut quiſquam ſuorum, quicquam procurationis cauſsâ, pro viſitatione etiam teſtamentorum ad pios uſus præter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine; nec pecuniam, neque munus quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quæ ſibi & ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantùm neceſſitate, & non ultrà, erunt miniſtranda. Quòd ſi quiſquam (quod abſit) aliquid ampliùs in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit; is præter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis, juxta conſtitutionem Concilii Generalis Lugdunenſis, quæ incipit: [z] *Exigit*, necnon aliis pœnis in Synodo Provinciali, arbitrio Synodi, ſine exceptione multentur: ne integritas quæ in viſitatione ſervari debet, ullatenus detrimentum accipiat.

§. III.

VIſitent [a] Epiſcopi Eccleſias, & quas *doctrinas* vocant, ſeu *conditiones*, ubi religioſi commorantur, ibique Euchariſtiæ ſacramentum, fontem baptiſmalem, fabricam Eccleſiæ, & eleemoſynas Eccleſiæ erogatas, ac reliqua omnia ad Eccleſias & divinum cultum ſpectantia. Quoad viſitationem verò fabricæ Eccleſiæ, illę domus intelliguntur exceptę, quæ ab ipſis regularibus propriis ſumptibus ſunt ædificatę. Viſitent etiam religioſos in prędictis doctrinis ſeu conditionibus degentes,

quo

[f] Seſſ. 23. cap. 12. & 15. [t] Tex. in cap. *Quoniam in plerisque*. *De offic. ord.* & reg. 20. cancellariæ. [u] Facit Conc. Lim. 3. act. 2. cap 41. [x] Seſſ 24. cap. 3. *de reform.* 2. Mexic. 1. c. 52. Milan. 1. tit. *De viſitatione*. & Tolet. act. 2. cap. 2. & Lim. 3. act. 4. c. 1. 2. & 4. & Conc. Mil. 4. 3. p. tit. *De viſitat.* [y] Seſſ. 24. c. 3 *de reform.* [z] Tex. in cap. *Exigit. de ſenſibus.* lib. 6. [a] Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 11. *de regular.* Cedula Real de ſu Mageſtad. de Barcelona primero de Iunio de 1585.

quo ad animarum curam, quam exercent, eoſque paterno zelo corrigant, eorum honori & bonæ famæ proſpiciant, atque id omne præſtent, quod ad effectum hujuſmodi neceſſarium ſit, juxta decretum ſacroſancti Concilii Tridentini [b], ut in titulo *De regularibus* mentio fit.

§. IV.

UT in omnibus [c] Eccleſiaſticis tribunalibus purè rectèque agatur, Metropolitanus, cæteriſque Epiſcopi per ſe vel per deputatam perſonam, ſaltim quolibet triennio, officiales, vicarios, viſitatores, fiſcales, notarios, alioſque juſtitiæ miniſtros viſitent, ab eiſque gravamina illata reſarciant, ac pro qualitate criminum, uſque ad officii privationem eoſdem puniant. Si verò horum aliquis, ex quacumque cauſſa ante triennium officium dimittere debeat; per dies triginta inquiratur, & officium eo tempore non exerceat. Quando autem per Epiſcopi obitum officia vacaverint; ab alio officiales ne inquirantur, quàm ab Epiſcopi ſucceſſore, præſtitis ſede vacante fideijuſſoribus, de ratione officiorum poſtea reddenda, & de ſtando rei judicatæ.

§. V.

IN viſitatione Epiſcopi accuratè provideant, ut Eccleſiæ eo cultu teneantur, qui decet domum Dei. Si quas verò Eccleſias eo quo oportet cultu, ſine gravi indigenarum moleſtia teneri non poſſe, eaſque minimè neceſſarias, immo ſupervacaneas repererint; dejici jubeant. Quæ autem neceſſaria judicabuntur, reperari faciant, & convenienti cultu ornari. Facultatem denuò ædificandi Eccleſias, aut eremitoria ſine urgenti cauſſa ne concedant. Si verò facultas detur, curent ut Eccleſiæ & eremitoria hujuſmodi in ſitu & loco impartiendæ doctrinæ Indis magis commodo, quàm miniſtrorum commoditatibus opportuno, juxta regiæ majeſtatis ſchedam erigantur.

§. VI.

SIngulis quoque menſibus [d] ſemel Epiſcopi viſitent carceres Eccleſiaſticos, & in eis incluſos, dentque operam ut capti, qui vel Eccleſiaſtico vel ſæculari carcere detinentur, Miſſam, & quandoque verbi Dei prædicationem, audiant.

§. VII.

AD tollendos abuſus, & exſtirpandas ſuperſtitiones, quæ imprudenti quorumdam pietate erga Sanctorum reliquias & indulgentias irrepere ſolent; Epiſcopi Concilii Tridentini decretum exſequentes, quam primùm Sanctorum reliquias, quas in ſua diœceſi compererint, tam in Eccleſiis & monaſteriis, quàm in poteſtate particularium perſonarum, cujuſcumque ſtatus & conditionis, examinent & recognoſcant. Quæ ſi authentico teſtimonio non probentur, deferri, aut in loco publico venerandas proponi, nullatenus permittant. De indulgentiis etiam injungitur, ne ſcilicet eas publicari conſentiant, niſi literis Apoſtolicis, aut earum teſtimoniis optimè diſcuſſis, authenticiſque repertis. Solet enim fidelibus eſſe occaſio, ut eorum devotio erga authenticas & veritatis teſtimonio comprobatas reliquias aut indulgentias tepeſcat, ſi eæ quę authentico teſtimonio carent, in veneratione habentur ac frequentantur. Deinceps autem indulgentiarum tabellæ, niſi ab Epiſcopo, ſive ejus officiali ſubſcriptæ, ac notarii fide roboratæ, in Eccleſiis non affigantur. Quòd ſi ſecus factum fuerit, ſeverè corrigatur exceſſus.

§. VIII.

UT à rebus ſacris [e] omnis ſimoniæ occaſio funditùs tollatur; calices, aut veſtes Eccleſiaſticas Epiſcopus ne conſecret aut benedicat, priuſquam diligenter inquirat, an eò conſecrari aut benedici petantur, ut venundentur. Quòd ſi hujus rei cauſsâ ſit; ob incõmoda quæ inde oriri poſſent, evitanda, conſecratio & benedictio hujuſmodi concedenda non eſt.

§. IX.

NIhil quicquam pecuniæ [f] ac pretii Epiſcopi accipiant, aut eorum judices accipere permittant, pro collatione ordinum, Beneficiorum, præbendarum, cappellaniarum, aut earum inſtitutione; nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus; neè pro ſigillo, aut alia quacumque de cauſſa ad res hujuſmodi ſpectante, nec pro diſpenſationibus, quę eis committentur, ut eſt à Concilio Tridentino [g] ſancitum, ſub pœnis ab eo ſtatutis.

§. X.

MAximè oportet juſtitiæ officia benemeritis perſonis conferri gratis, ut cum omni integritate & fidelitate exerceantur: pretium enim quo emuntur, in cauſſa eſſe ſolet, ut juſto ſtipendio officiales contenti non ſint. Eam ob cauſſam interdicit hæc Synodus, ne Epiſcopi vendant aut locent officia notarii, fiſcalis, exſecutoris, ſeu lictoris ſuorum tribunalium; nec illi quibus conferuntur, vendere locareve poſſint. Quòd ſi ſecus fiat, venditiones, ſeu locationes hujuſmodi nullę ſint; emptor autem, & cui locatum officium fuerit, ejus jacturam faciat: venditor verò & locator quicquid hujus rei cauſsâ pecuniarum acceperit, fabricę Eccleſiæ Cathedralis reſtituat. Porrò ut quod per Concilium Tridentinum [h] expoſi-

[b] Seſſ. 25. c. 14. [c] Fundatur in lege 4. tit. 7. lib. 3. recopil. & Conc. Compoſt. act. 3. c. 19. & Tolet. act. 2. c. 17. Synod. de Quiroga conſt. 113. & Provinc. ejuſdem Quirogæ act. 3. c. 1. & Milan. 3. fol. 604. verb. *Quotannis*, Conc. Tolet. act. 2. c. 17. verbo, *Sedſi*, prædict. & approb. in Concilio Provinc. celebrato ab eodem Quiroga act 5. Decreto 1. Mexic. 1. c. 35. cum §. 1. [d] Mexic. 1. c. 68. & Comp. act. 3. c. 2. & Tolet. act. 2. c. 31. & Granat. tit. *De offic. rectoris* num. 22. & Mil. 3. fol. 604. verbo *Epiſc. non ſolùm*, ſeſſ 25. in decreto *De purg.* tit. *de invocat. & veneral. & reliq ſanct.* Limenſe 3. act. 4. c. 10. Comp. act. 2. decr. 6. & Mil. 1. tit. *De ſanct. reliq. veneral.* & Milan. 4. tit. *De ſacris reliquiis*. [e] Mexic. 1. c. 36. & Synod. de Quiroga conſt. 66. [f] Concil. Baſil. ſeſſ. 21. in princ. tom. 4. Conc. & Tarracon. Concil. in cap. *Lequi. De offic. vicar.* & Compoſt. act. 3. c. 8. & Limen. 3. act. 3. c. 6. & Milan. 4. tit. *De beneficiis, collat. ac proviſio.* verbo, *Ut avaritiæ* [g] Seſſ. 24. c. 14 & ſeſſ. 25. c. 18. Compoſt. act. 3. c. 24. & Tolet. act. 2. c. 15. Limen. 3. act. 3. c. 8. Conc. Milan. 5. fol. 785. verbo, *De emolum.* & Synod. de Oſma tit 52. [h] Seſſ. 22. cap. 10.

poſitum eſt, exſecutioni mandetur; Epiſcopi notarios hoc tempore officium exercentes examinent, eiſque idoneis minimè repertis, exercendi officii uſum interdicant: neminemque in poſterum notarii officium, niſi de eorum conſenſu & approbatione exercere permittant. Notarios verò Latinę linguę ignaros, in cauſſis Latinè ſcriptis ſe interponere minimè patiantur.

§. XI.

DIſpenſationes, quę de Jure ex commiſſione ſummi Pontificis ad Epiſcopos pertinent, ipſi per ſe exſequantur; nec eas ſuis officialibus committant: idemque ſervetur in concedendis literis dimiſſoriis ad ordines, ſi Epiſcopi ſint in provincia.

§. XII.

QUia æquum eſt, ut qui altari deſervit, de altari paſcatur; non æquum tamen ſi nullo conſtituto ſtipendio, quicquid pro ratione miniſterii exigere velit, miniſtri relinquatur arbitrio; hęc Synodus Epiſcopis mandat, [g] ut cùm nulla generalis regula terris adeò diverſis præſcribi poſſit; ſinguli quò breviùs fieri poterit, in ſuis diœceſibus ſtipendium miniſtris Eccleſiæ pro cujuſque ratione miniſterii, & regionis conditione ad victum congruum æqua æſtimatione conſtituant.

§. XIII.

FRuſtra conderentur leges, ſi iis obſervandis vigilans cura non adhiberetur, & de earum obſervatione nulla ratio peteretur. Quare conſtitutionem Concilii Lateranenſis, quæ incipit: [h] *Sicut olim*, hęc Synodus ſequnta; decernit ac præcipit, ut Epiſcopi per ſuas diœceſes viros ſtatuant doctrinâ & vitæ exemplo probatos, qui ſolicitè inveſtigent, an & quomodo ſacri Canones, & hujus Synodi decreta ſerventur, & teſtium ſynodalium officio fungentes, in prima futura Provinciali Synodo de ſua diligentia aut negligentia rationem reddant.

§. XIV.

SInguli quoque Epiſcopi libros duos habeant, in quorum uno parochiales Eccleſias omnes ſuarum diœceſum deſcribant, rectoreſque earum annotent; etiam ſi per ſeipſos, vel per vicarios parochiis miniſtrant: cauſſam etiam, ob quam qui vicarios adhibent, in Eccleſia non reſident, aut ad reſidendum non fuerint compulſi. In altero verò libro viſitationes ſcribantur per Epiſcopos vel per viſitatores factas; quas ipſi, eorumque notarii ſubſcribant, ut [i] in Provinciali Synodo conſtare poſſit quas Eccleſias viſitaverint, quaſve non. Hoc enim veluti ſtimulo excitabuntur Epiſcopi & viſitatores ad ea implenda quæ ſibi ex munere incumbunt, aut ſi minus fecerint, de opportuno remedio providebitur.

§. XV.

ETSI de omnibus quæ ad cultum divinum pertinent, Epiſcopos ſolicitos eſſe oportet, ut miniſtri Eccleſiaſtici injuncto ſibi muneri perfectè ſatisfaciant; in eam præcipuè curam incumbere admonentur, ut ſacerdotes ſanctiſſimam Euchariſtiam venerentur & colant, ad quam conficiendam, & omni cultu proſequendam ſacris fuerunt ordinibus initiati. Quam ob cauſſam curent Epiſcopi, ut in ipſo inſtitutionis ſanctiſſimi hujus ſacramenti die, feria videlicet quinta in Cœna Domini, ſacerdotes aliqui unà cum ſæcularibus eo tempore in Eccleſia commorari ſolitis, corpori Dominico aſſiſtant [i]. Quando verò ſanctiſſima Euchariſtia ad infirmos ducitur, eam ſacerdotes ſuperpelliceis induti devotè comitentur, ut eorum exemplo devotio ſæcularium ferventior ſit, & ab omnibus Chriſto Domino verus honor veruſque cultus exhibeatur.

§. XVI.

SIcut oportuit [k] in Eccleſia Dei graviſſimorum quorundam peccatorum caſus Epiſcopis reſervari; ita conveniens eſt, ut in foro exteriori cauſſæ graviores, & quæ majori indigent ſpeculatione & auctoritate, eiſdem quoque reſerventur. Quia verò matrimoniales cauſſæ, ubi de divortio & ſeparatione quo ad torum & vinculum agitur, in populo Chriſtiano graviſſimæ ſunt; de eis tantùm Epiſcopos cognoſcere poſſe, hæc Synodus ſtatuit ac jubet.

§. XVII.

QUòd ſi in aliquo caſu Epiſcopis videatur, cauſſam ſuis officialibus quo ad proceſſum conficiendum ſubmittant, deciſione cauſſæ ſibi ipſis retenta. Quando verò ad hoc officiales delegari contigerit, ipſi quemquam alium ſubdelegare non poſſint, præſertim ad teſtes examinandos, & eorum teſtimonia ſuſcipienda.

§. XVIII.

QUoniam ob locorum diſtantiam notitia perſonarum quibus cauſſæ mandantur, à ſummo Pontifice plenè haberi non poteſt; & ex hujuſmodi delegatione cauſſarum multa incommoda poſſunt oriri: ſacroſanctum Tridentinum [l] Concilium renovans Bonifacii VIII. conſtitutionem, quæ incipit: [m] *Statutum*; decrevit à Metropolitanis, & diœceſanis ſingulis in ſuis diœceſibus quatuor ſaltim perſonas ad id aptas deſignari, quibus cauſſæ delegandæ committentur; quam deſignationem Epiſcopi ad ſummum Pontificem tranſmitterent; iccircò Epiſcopi omnes hujus Mexicanæ provinciæ in Synodo Provinciali congregati, perſonas hujuſmodi deputârunt in hunc, qui ſequitur, modum.

Perſonæ

g Conc. Lim. 3. act. 4. cap. 15. h Tex. in cap. *Sicut olim. De accuſat.* & in cap. *Epiſcopus in Syn.* 35. q. 6. & Tolet. act. 3. c. 28. & Syn. de Quiroga ad finem fol. 78. & 79. & Prov. ejuſdem Quitoge act. 3. c. 52. & Limen. 3. act. 4. c. 23. & Milan. 3. fol. 604. verb. *Epiſc. in urbe ſua.* & 4. 3. p. tit. *De teſtibus Synod.*

i Conc. Mil. 3. fol. 590. verbo, *Sacerdoti.* k Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *De caſuum reſerv.* Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 20. verſ. *Ad hæc.* Concil. Limen. 3. act. 2. cap 35. l Seſſ. 25. cap. 10.

m Tex. in cap. *Statutum. De reſor.* lib. 6.

Perſonæ in Archiepiſcopatu Mexicano ab Illuſtriſſimo Metropolitano deſignatæ.

Doctor Joannes Zurnero Eccleſiæ Mexicanæ Archidiaconus.
Doctor Sancius Sanchez de Muñon ejuſdem Eccleſiæ ſcholaſticus.
Baccalaureus Petrus Garcès ejuſdem Eccleſiæ Theſaurarius.
Baccalaureus Alphonſus Lopez de Cardenas.
Doctor Melchior de la Cadena.
Baccalaureus Alphonſus de Ecija, Canonici ejuſdem Eccleſiæ.

Perſonæ à Reverendiſſimo Epiſcopo Guatemalenſi in ſuo Epiſcopatu deſignatæ.

Petrus de Liebana decanus Eccleſiæ Guatemalenſis.
Didacus de Carvajal Archidiaconus ejuſdem Eccleſię.
Licentiatus Franciſcus Gonçalez ſcholaſticus ejuſdem Eccleſiæ.
Baccalaureus Gundiſalvus de Alarcon Theſaurarius ejuſdem Eccleſiæ.

Perſonæ à Reverendiſſimo Mechuacanenſi in ſuo Epiſcopatu deputatæ.

Licentiatus Alphonſus de la Mota & de Scovar Decanus Eccleſiæ Mechuacanenſis.
Baccalaureus Didacus de Orduña ſcholaſticus ejuſdem Eccleſiæ.
Doctor Alphonſus Ruyz canonicus ejuſdem Eccleſię.

Perſonæ deputatæ in ſuo Epiſcopatu à Reverendiſſimo Epiſcopo Tlaxcallenſi.

Thomas de la Plaça Decanus Eccleſię Tlaxcallenſis.
Baccalaureus Ferdinandus Pacheco Archidiaconus ejuſdem Eccleſię.
Baccalaureus Alphonſus Perez de Andrade cantor ejuſdem Eccleſiæ.
Franciſcus de Beteta ſcholaſticus ejuſdē Eccleſię.
Doctor Joannes de Cervantes Theſaurarius ejuſdem Eccleſiæ.
Baccalaureus Gareia Rodriguez Maldonado canonicus ejuſdem Eccleſiæ.

Perſonæ deputatæ in ſuo Epiſcopatu à Reverendiſſimo Epiſcopo Yucatanenſi.

Baccalaureus Franciſcus de Quintana Archidiaconus Yucatanenſis.
Leonardus Gonçalez de Sequera Theſaurarius ejuſdem Eccleſiæ.

Perſonæ deputatæ in ſuo Epiſcopatu à Reverendiſſimo Epiſcopo Xaliſconenſi.

Licentiatus Martinus de Spes Decanus Eccleſiæ Xaliſconenſis.
Licentiatus Franciſcus de Segura cantor ejuſdem Eccleſiæ.
Franciſcus de Morales Theſaurarius ejuſdem Eccleſiæ.
Licentiatus Melchior Gomez de Soria canonicus ejuſdem Eccleſiæ.

Perſonæ deputatæ in ſuo Epiſcopatu à Reverendiſſimo Epiſcopo Guaxacanenſi.

Doctor Sancius de Alzoris Decanus Eccleſiæ Guaxacanenſis.
Baccalaureus Petrus de Alaves Archidiaconus ejuſdem Eccleſię.
Baccalaureus Balthaſar de Ulloa ſcholaſticus ejuſdem Eccleſiæ.
Franciſcus de Covarrubias canonicus ejuſdem Eccleſię.

LIBRI TERTII
TITULUS II.
De officio rectoris & plebani.

De officio parochi, & doctrinæ cura. [a]

§. I.

ANimarum curam gerere, earum morbis mederi, & eas ad Deum ducere, in quibus omnis curatorum officii ratio verſatur, ars artium, & ſcientia ſcientiarum eſt. Sed quia in re tanti ponderis & momenti, ubi de animarum ſalute agitur, quælibet negligentia valdè periculoſa eſt, parochos omnes, tam ſæculares quàm regulares, hęc Synodus quantum poteſt, in Domino cohortatur, eiſque præcipit, ut impoſitum ſuis humeris onus attentè conſiderent, & eis qui ſpirituali ſubditorum utilitati conſulant, promiſſum præmium animadvertant; ac negligenter agentibus ſtatutum ſupplicium ob oculos ponant: divinaque adjuvante gratia, ad id toto pectore incumbant, ut in ſuo munere obeundo omnem operam præſtent. Quò verò officii ſui rationes parochis magis notæ ſint, in decretorum hujus Synodi, eorum præſertim, quæ ad ſuum munus pertinent, aſſidua lectione verſentur, librumque decretorum hujuſmodi poſt ſex menſes à die publicationis eorum computandos emant [b], & ſecum habeant; ſin minus, pondo decem multentur, quorum partes duæ fabricę Eccleſiæ cujus exercent curam, tribuantur; tertia verò accuſatori, aut eo deficiente, judici, à quo officio id fuerit judicatum.

§. II.

CUM prędicatione verbi Dei, ac doctrinę Chriſtianæ documentis maximè ſubditorum mentes illuminentur & ad Deum dirigantur; præcipit hæc Synodus, ut huic rei curati potiſſimùm invigilent, eo tempore & ordine, quibus titulo *De ſumma Trinitate & Fide Catholica* præſcribitur. [c]

De

[a] De hoc titulo in genere bene loquitur in Conc. 1. Mil. par. 2. *De his quæ ad ſacram. adminiſtrat. pertinent.* & Granat. tit. *De offic. rectoris.* & Syn. de Quiroga à conſt. 41. uſque ad conſt. 47.
[b] Videſ ſuprà tit. *De conſt.* §. 3. [c] Suprà lib. 1. tit. 1. § 2.

De administratione sacramentorum.

§. I.

PErpendant parochi, dispensationem sacramentorum, quæ cibus & medicina animarum sunt, à Domino sibi creditam; & quam sint Deo rationem reddituri, si in pascendo grege minus solicitè egerint. Quamobrem tamquam servi fideles ministerium impleant, petentibusque & indigentibus spirituale cibum ne denegent, sed ita se gerant, ne incuriâ aut negligentiâ, administratio sacramentorum omittatur.

§. II.

VOcati ad alicujus infirmi peccata audiendum, eò sine mora festinent, scientes ægroti salutem spiritualem à propero eorum adventu pendere posse. Quoties verò secus fecerint; pondo quinquaginta multentur, fabricæ Ecclesiæ, pauperibus, & accusatori æquè distribuendis: & ab officio ac Beneficio per bimestre suspensi sint. Si verò quilibet alius sacerdos, absente parocho, in casu necessitatis ad audiendum peccata vocatus ire recusaverit; Episcopi arbitratu puniatur. Quòd si parochus aut sacerdos hujusmodi ægroti idioma non noverit, interpretem adhibeat, ut ægrotum mœrentem consoletur & exhortetur. Si autem se ad id non teneri, valdè tamen animæ saluti utile esse admonitus, per interpretem peccata sua ægrotus confiteri voluerit, & interpres spectatæ fidei sit ea sacerdos, audire poterit. Curati quoque omnes [g] subditis suis in mortis articulo constitutis assistant, eosque exhortentur, ad formam in catechismo ab hac Synodo probato contentâ.

§. III.

CUM sanctissimæ Eucharistiæ, quæ cibus & vita animæ est, ac peregrinantium in hoc sæculo fortitudo, jam usque à renascente Ecclesia cum fructu animarũ uberrimo frequens sit usus; cumque optet sacrosancta Tridentina [f] Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes non solùm spirituali affectu; sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent; quorumdam nihilominus adeò imprudens zelus sit, ut Indos, & servos, qui tamquam parvuli recèns in Christiana Fide nati, tam salutari indigent alimento, ab Eucharistiæ perceptione arceri velint. Quamobrem parochos omnes hęc Synodus hortatur, eisque jubet, ut Indos, ac servos hujusmodi accuratè edoceant vim & rationem tanti sacramenti, puritatem quoque conscientiæ, & animi reverentiam, quibus dignè se præparent ad Eucharistiæ sumptionem. Quos verò hac animi præparatione dispositos noverint, eis (præsertim si infirmi sint) nullatenus Eucharistiam denegari patiantur, ne sine tanto viatico, & sine extremæ-unctionis sacramento, ut est titulo *De sacra unctione* sancitum [r], ex hac vita discedant.

De vigilantia & cura circa subditos, præsertim in sacramentorum receptione.

§. I.

UT parochi sæculares & regulares ovium vultum cognoscant, & utriusque sexus fideles sibi commissi, in sua quique parochia, statutis ab Ecclesia temporibus peccata confiteantur, & Eucharistiæ sacramentum suscipiant; parochiales suos utriusque sexus, Hispanos, mixtos, Æthiopes, & ex altero parente Æthiope ortos, & Indos, decem annorum ætate majores, conjugatos, & cœlibes, suis nominibus in indice describant, exprimendo familiæ capita, virum, & uxorem, filios, famulos, servos, necnon pastorum, agricolarum, & aliorum in agris commorantium sibi subditorum in eodem indice mentionem faciant, ut de personarum numero, quarum peccata audire debent, parochis hoc modo constet. Indices verò hujusmodi singulo quoque anno conficiant à principio Quadragesimæ in Hispanorum locis: à Septuagesima autem, vel antea (si Episcopo visum fuerit) in oppidis seu pagis Indorum.

§. II.

MOneant quoque parochi à Dominica Septuagesimæ parochiales sibi subditos, ne usque ad Quadragesimę finem peccatorum confessionem differant: sed potiùs ita se ad eam præparent, ut ante majorem hebdomadam peccata confessi, tempore ab Ecclesia præfinito sacrosanctam Eucharistiam percipiant.

§. III.

PArochi Hispanorum Dominicâ *Quasi modo* inter Missarum solennia, tempore offertorii publicè in sua quique parochia denuncient Hispanos omnes, mixtos, Æthiopes, & ex altero parente Æthiope natos, qui nondum eo tempore peccata confessi sunt, nec Eucharistiam sumpserunt, Ecclesiæ præceptum transgressos fuisse, & gravem in Deum offensam commisisse. Ad cujus culpę emendationem eos moneant, quatenus præfinito tempore, usque ad Dominicam sequentem inclusivè peccata confiteantur, & Eucharistiam sumant; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam omnes (servis exceptis) incurrant.

§. IV.

QUI verò sic denunciati, tempore præfixo confiteri peccata & Eucharistiam sumere neglexerint; sequenti festo vel Dominica publicè declarentur excommunicati, & à divinis arceantur officiis, nisi de confessarii consilio ad Eucharistiam non accesserint: sic autem excommunicati, ab alio, quàm à proprio parocho absolvi non possint. Hispani verò, & mixti, priusquam absolvantur, pondo uno multentur, Æthiope editi jam liberti, pondo dimidio, ad usus fabricę Ecclesiæ, cujus

---

[g] Vide suprà lib. 1. tit. 1. § 10 & 11. [r] Sess. 22. c. 6.
[f] suprà lib. 1. tit. 6. § 3. [t] Mexic. 1. c. 6. & 7. De materia hujus §. cum seqq. loquitur Guadix. tit. 2. cons. 25. 32. 33. 34. & 35. Syn. de Quiroga cons. 11. & Gran. tit. *De pœn. & remissio.* n. 20. 21. 22. & 23. Mex. 2. cap. 24. Conc. Mil. 5. tit. *Quæ ad sacram. pœnitentiæ pertinent.* in principio.

jus fuerint parochiales; pro ſervis verò pondo dimidium heri perſolvant, eo quòd negligenter ſervos ad peccatorum confeſſionem monuerint. Quas quidem multas parochi non recipiant, ſed ipſis præſentibus in arca recondantur, ad effectum hujuſmodi in qualibet Eccleſia deputanda.

§. V.

CUM publicè excommunicatis hæc ratio habeatur, ut ſi quartâ Dominicâ poſt Reſurrectionem emendati non paruerint, cum participantibus excommunicentur. Si verò Dominicâ quintâ adhuc peccata confeſſi non ſint, nec Euchariſtiam ſuſceperint, anathemate feriantur. Quibus ſic geſtis, indices ſive libellos ſuos parochi clauſos deferant, aut per providam perſonam adeò opportunè ad officiales Epiſcoporum tranſmittant, ut ad diem Pentecoſtes prædictis officialibus tradantur; ſin minus, pondo decem multentur fabricæ Eccleſiæ cujus parochi fuerint, & piis operibus æquè diſtribuendis. Cùm autem ſervi decreti hujus cenſuras non incurrant; decernitur, ut pœna pecuniaria heris impoſita augeatur juxta ſervorum retardationem in peccatis confitendis. Si verò (quod abſit) aliqui ex hujuſmodi excommunicatis, adeò pertinaces & obſtinati ſint, ut nondum in die Pentecoſtes Eccleſiæ præceptum adimpleverint; eorum abſolutio Ordinario reſervetur, qui eos abſolvendi facultatem nulli tribuat, ut ipſi verecundiâ confuſi iterum non delinquant, & alii metu pœnæ cautiores evadant.

§. VI.

INdorum etiam parochi, tam ſæculares quàm regulares, Dominicâ *Quaſi modo* eos admoneant, teneri ſemel in anno peccata ſua confiteri: quos verò repererint eo tempore non ſatisfeciſſe præcepto, graviter reprehendant, eiſque tempus ad confitendum præfiniant. Quòd ſi non paruerint, pro ratione dilationis puniantur. Ad Dominicam autem Pentecoſtes officiali Epiſcopi indices ſeu libellos mittant, quibus deſcribantur eorum qui confeſſi ſunt, ingenium, & Chriſtiani mores, & hi etiam qui ſumunt Euchariſtiam, necnon illi qui peccata confeſſi non ſunt. quod parochi exſequantur ſub pœna pondo decem, ad Eccleſiæ fabricam & pios uſus.

§. VII.

PRO populo ſibi commiſſo orationes & ſacrificia Deo offerre parochi debent: ob idque hæc Synodus decernit, ut omnibus diebus Dominicis [u] & feſtis colendis Miſſam de officio occurrenti celebrent; necnon primas, & ſecundas Veſperas ſolenniter cantent: quibus quoties ipſimet non interſint, pondo unum ad fabricæ Eccleſiæ uſum perſolvant.

§. VIII.

OMnibus [x] diebus Dominicis inter Miſſarum ſolennia tempore offertorii ſubditis annuncient feſta colenda, ac dies jejunii ex præcepto, quę in ſequentem hebdomadam inciderint, ſub pœna pondo quatuor, accuſatori & piis operibus diſtribuendis: vigilias etiam Beatę Mariæ Virginis, quę non jejunantur: dies itidem [y] rogationum evulgent, moneantque ſubditos, ut his diebus jejunandi & ab eſu carnium abſtinendi, laudabilem fidelium conſuetudinem ſervent, prout titulo *De obſervatione jejuniorum* decretum eſt: necnon indulgentias ob id ſibi conceſſas, eiſdem notas faciant.

§. IX.

SIngulis octo diebus ſanctiſſimum Euchariſtię ſacramentum renovent, conſecrantes hoſtiam eo die, vel pridie ejus diei confectam; corporalia ſingulis quindecim diebus lavare curent; quæ cùm ad lavandum dederint, attentè reſpiciant, ne particula ulla in eis remaneat; purificatoria itidem ſingulis quoque octo diebus mundentur. Quoties autem in aliquo horum negligenter egerint; pondo quatuor multentur, ſumptibus lampadis coram Dominici corporis ſacramento ardentis applicandis.

§. X.

PArochi, juxta Concilii Tridentini [z] decretum, antequam ad conferendum baptiſmum accedant, diligenter ab his ad quos ſpectat ſciſcitentur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittant; doceantque eos quam cognationem contraxerint, atque ſolùm eorum nomina in libro deſcribant, quamvis alii ultra deſignatos, baptizatum tetigerint.

§. XI.

AD vitanda [a] incommoda quę labente tempore ex rerum oblivione naſcuntur, in ſacramentis præſertim iterandis, & matrimoniis ex cognationis ignorantia in gradibus prohibitis contrahendis; mandat hæc Synodus, ut parochi ſinguli tres libros habeant, in quorum uno baptizatorum, eorumque parentum & compatrum, baptizantis quoque nomina, deſcribant. In ſecundi verò libri parte unà eos qui matrimonium contraxerunt, parentes quoque eorum, & patriam, teſtes etiam matrimonio aſſiſtentes annotent, ac ſuo proprio nomine muniant. In altera verò parte defunctorum nomina, cum die, menſe, anno, & Eccleſia, in qua ſepulti ſunt, ſcribant. In tertio denique libro, eorum qui ſancto chriſmate deliniti ſunt, parentum quoque, compatrum, ac confirmantis nomina apponantur. Hi porrò libri,

---

[u] Guidix. tit. 3. conſ. 10 & Synod. 2. de Quiroga 92.

[x] Mex 1. c. 37. & Milan. 3. tit. *De parochis.* verb *Dominicis diebus.*

[y] Lux a Conc. Aurelianenſe 1. c. 29. tom. 2. Concil. General. Refertur in cap. *Rogationes - de conſecrat.* diſt. 3. & vide infra lib. 3. tit. 22. §. 3. Ex Granat. tit. *De offic. rectoris.*

[z] Seſſ. 24. c. 2. *De reform. matrim.* & infra tit. *De baptiſm.* §. 5.

[a] Ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. *De reform. matrim.* & Mex. 1. c. 32. & Milan. 1. tit. *Quæ pertinent ad baptiſmi adminiſtrationem.* verbo *Parochus.* Ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. *De reform. matr.* & Milan. 1. par. 2. tit. *Quæ ad ſacramentum matrimonii pertinent.* Granat. tit. *De officio rectoris*, n. 24. Milan. 1. 2. par. tit. *Quæ pertinent ad ſacramenti Confirmationis adminiſtrationem.* Syn. de Quiroga conſt. 6. & 8.

bri ad formam ab Epiſcopo præſcriptam aſſerventur: quibus, & in eis ſcriptis, ac parochi nomine ſubſcriptis, tam in judicio, quàm extrà fides adhibeatur.

§. XII.

NUllum extraneum matrimonio conjungant, ſi priùs per diligentem inquiſitionem non conſtet, eum nullo legitimo teneri impedimento; ac præterea ab Epiſcopo contrahendi facultatem in ſcriptis habeat, juxta Concilii Tridentini [b] decretum, ſub pœna pondo quatuor ad uſum fabricæ & accuſatoris, ſeu accuſatore deficiente, judicis id judicantis.

§. XIII.

PArochi ſtatim ac fuerint requiſiti, interdicta & cenſuras, prout ſibi fuerit à judicibus Eccleſiaſticis injunctum, annuncient ac promulgent, ſub pœna pondo decem ad uſus fabricæ & piorum operum: ſi autem parochialis aliquis cum participantibus excommunicatus, vel anathemate perculſus reperiatur; eum parochi admoneant, ut vel ſe domi contineat, vel è civitate aut oppido egrediatur, ne colloquio ſuo alios contaminet. Quòd ſi horum monito parere noluerit, auxilium implorent ſæcularium magiſtratuum, quos hæc Synodus exhortatur, ut in re tam juſta Eccleſiæ opem ferant, quo excommunicati hujuſmodi citiùs abſolutionis remedium perquirant.

§. XIV.

CUrent [c] diligenter, ne in Eccleſiis quicquam deſit quod ad earum nitorem & ornatum, ac divinum cultum pertineat. Si verò ad id re aliqua opus ſit; Epiſcopum certiorem faciant, ut opportunè providere poſſit.

§. XV.

QUO melius in ſacramentorum adminiſtratione dirigantur, parochi omnes directorium confeſſariorum ab hac Synodo deſignatum & approbatum ſecum habeant, ejuſque regulas ſervent. Qui verò eo caruerit; pro ſuę ratione contumaciæ uſque ad officii privationem plectetur.

De ſolicitudine præſtanda ut peccatis remedium adhibeatur. [d]

§. I.

INter alia curatorum præcipua munera, unum illud eſt, ut peccatis publicis, quibus ira Dei in populum irritatur, remedium afferant, viaſque vitiorum omnium intercludant.

§. II.

QUamobrem parochis præcipitur, ut in ſuis parochiis diligenter ſciſcitentur, ſintne malefici homines, ſortilegi, venefici, concubinarii, fœminæ impudicæ, lenæ, publici aleatorum ſuſceptores, diverſoria ubi inhoneſtæ fœminæ commorentur, aut alia publica hujuſmodi peccata: quibus ſi aliquos irretitos invenerint, eos benignè moneant, & ad culpæ emendationem hortentur. Quòd ſi minimè reſipuerint, eos ſuis in libellis deſcribant, & officialibus denuncient, ut pœnis, & aliis convenientioribus remediis coërceantur: ſi verò ex his peccata aliqua adeò publica non ſint, cantra quæ de jure procedi non poſſit, immo magis Epiſcopi hortatu corrigi poſſe videantur; ea Epiſcopo clam nota faciant, ut ſalutare his malis applicet medicamentum.

§. III.

SCiſcitentur [e] itidem in regionibus ſibi ſubditis an aliqui mercatorum prætextu ab uxoribus ſeparati vagentur, & in adulterio vivant: inquirant quoque inter muliones, veredarios, & alios hujuſmodi vectores, an aliqui hujus generis ſint; quos cùm repererint, ab adulterio, ſi in eo ſunt, revocati, ad vitam conjugalem compellantur. Quòd ſi aliquos binas exercentes nuptias invenerint, Epiſcopo nuncient, ut quemadmodum oportet, graviter eos puniat.

§. IV.

ELeemoſynas [f] in ſuis parochiis & regionibus ab his peti ne patiantur, qui extranei ſunt, ſine Epiſcopi licentia in ſcriptis. Id tamen de religioſis perſonis mendicantium Ordinum, Superiorum permiſſu, eleemoſynas ad victum monaſteriorum quæritantibus ne intelligatur, nec de ægrotis quorum inopia manifeſta eſt, dummodo ſchedam oſtendant, qua conſtet præteritâ Quadrageſimâ peccata fuiſſe confeſſos, aut intra tres dies ea confiteantur: virum autem & mulierem ſimul mendicare non permittant, niſi ſe conjuges eſſe ſufficienti probent teſtimonio.

De his quæ ad parochos Indorum attinent.

§. I.

CUpiens hæc Synodus, ne miniſtri Eccleſię Indos exactionibus vexent, neve Indi litibus, quas ipſi movere ſolent, miniſtros exagitent; ſtatuit ac præcipit, ut parochi nihil quicquam ſtipendii vel victûs ab Indis petant, neve ampliùs accipiant, quàm quod ſibi fuerit conſtitutum. Quando verò id acceperint, in libro cum die, menſe, & anno deſcribant, ipſique ac procuratores loci ſeu oppidi ſubſcribant, ut hujus rei monumentum exſtet, falſiſque teſtimoniis & calumniis aditus intercludatur. Cùm autem ad oppidum aliquod viſitandum diverterint, ibique ei cibus ſuppeditabitur, ab oppido ubi reſident, victûs nomine nihil accipiant, nec quum in duobus locis Miſſas celebraverint, ab utroque ad victum ſtipendium petant.

§. II.

NON ſolùm ab omni cupiditate & avaritia, ſed, juxta Apoſtoli præceptum, ab omni earum ſpecie Eccleſiaſticos viros abhorrere oportet. Quapropter ſæculares & regulares Indorum miniſtri feſti alicujus cele-

[b] Seſſ. 24. c. 7. *De reform. matr.* Vide ſuprà lib. 1. tit. *De officio judicis ordinarii.* §. 23. Ex Granat. ubi ſuprà in princip. hujus tituli.

[c] Granat. ubi ſuprà. [d] Gran. *De offic. rect.* n. 9. [e] Mex. l. c. 71. [f] Granat. *De offic. rectoris.* n. 14. [g] Mexit. l. c. 59.

lebrandi gratiâ, loca juriſdictionis ſuę ne adeant, niſi infra octavam feſti; commemoratione verò omnium fidelium defunctorum celebritatem ultra decimum quintum diem menſis Decembris ne protrahant. Porrò à feria quarta cinerum [h] uſque ad Dominicam primam Quadrageſimę tantùm, hominum capita cinere ſpargant, locum ad id deligentes, in quem omnes ſuarum regionum homines commodè hujus rei gratiâ convenire poſſint.

§. III.

NIhil Indis ſibi ſubditis, per ſe, aut interpoſitam perſonam ad Eccleſiarum ornatum & cultus divini uſum vendant. Si verò ſecus fecerint; rei venditæ jacturam faciant, & Epiſcopi arbitratu puniantur.

§. IV.

IN ſuis regionibus duos tantummodo equos habeant [i], ne ſi plures habuerint, Indis oneroſi ſint, & ſumptibus ad alendum equos moleſti; niſi pro ratione regionis Epiſcopus aliter judicaverit; tunc enim de ejus licentia plures quàm duos habere poterunt. Canes ad venandum ne alant, neque cùm ab uno oppido in aliud viſitandi gratiâ diverterint, venando perambulent, ſed eâ gravitate, quæ patres ſpirituales in eo officio exercendo decet, incedant.

§. V.

VAgos homines [k], aleatores, & eos quorum ſuſpecta fama eſt, hoſpitio ne recipiant: hi enim Indis pernicioſi ſunt, & eis offendiculum parant. Sin minus fecerint; graviter uſque ad officii privationem plectantur. Hoc tamen decreto non prohibetur, ne hoſpitales ſint erga viatores, ſine Indorum incommodo iter agentes.

§. VI.

QUIA Indi timidi ſunt & puſillanimes [l], oportet parochos cum eis manſuetè ac benignè agere, nec eos minis deterrere. Sic enim fit, ut langueſcentes animo peccata ſua confiteri non audeant, ac ſalutari pœnitentiæ remedio deſtituantur.

§. VII.

QUamobrem præcipit hęc Synodus, ne parochi per ſe in Indos animadvertant [m]; ſed per fiſcales & juſtitię miniſtros ad id deputatos: in quibus corrigendis modus adhibeatur, nec correctionis forma ab Epiſcopo preſcripta excedatur.

§. VIII.

INdos [n] cum periculo mortis ægrotantes, peccata confitendi & Euchariſtiam ſumendi cauſsâ, ad Eccleſias ſeu monaſteria deferri nullatenus permittant, ut eſt titulo *De ſacra unctione* ſancitum.

§. IX.

QUO faciliùs [o] ac promptiùs ſubditis in tribulatione poſitis parochi ſuccurrant, & ſubditi ad ea de quibus opus habent parochos inveniant; ii prope Eccleſias commorentur. Si verò domus habitationis parochi intra Eccleſiam contineatur, ad cultum domûs pro honeſtate & reverentia loci mulieres ne adhibeat, eademque de cauſſa, nec confeſſiones domi audiat, nec matrimonia diſcutiat; ſed tantùm in Eccleſia, ſub pœna pondo ſex quoties contrà fecerit, accuſatori & ſumptibus juſtitię diſtribuendorum. Cùm verò alicujus rei gratiâ, quę ad officium pertineat, Indorum domus intraverit; eos ſibi comites adjungat, à quibus omnis pravæ ſuſpicionis occaſio omnino aliena ſit.

§. X.

DEvotionem ſubditorum augere ſtrenuè procurent: [p] diebus quoque ſingulis, quibus Miſſam audire præceptum non eſt, eam manè celebrent, & campanę ſono Indi vocentur eo tempore, quo ſine impedimento negotiorum aut operarum Miſſam audire poſſint. In diebus verò, in quibus ex præcepto Miſſa audienda eſt, ſi ſubditi longè abſunt à loco ubi celebratur, eamque in viciniori Eccleſia audire poſſunt; ne prohibeantur in aliena parochia ſacrum audire, in oppido eis ab Epiſcopo deſignato.

§. XI.

INdos carcere incluſos ſingula quaque hebdomada ſemel viſitent [q], eoſque in tribulatione afflictos conſolentur, & impeditos quominus doctrinæ Chriſtianæ documenta audire poſſint, paterno zelo eadem doceant, judiceſque adeant, eoſque pro cauſſæ expeditione, & libertate detentorum hujuſmodi deprecentur.

§. XII.

EXperientiâ comprobatur, eam eſſe Indorum naturam, ut facilè quæ docti ſunt obliviſcantur, ſi eis inſtituendis aſſidua diligentia non adhibeatur. Ideo parochis præcipitur, [r] ut bis ſaltem in anno parochias & diſtrictus ſuos viſitent, quo Chriſtianam doctrinam Indos doceant: & quos doctrinæ Chriſtianæ ignaros repererint, annotent & ſcribant, eoſque ad capeſſendam juvent. Quod ut præſtent, Indos aliquos bene inſtructos, quorum fides ſpectata ſit, adhibeant: iique coram Beneficiato, cui hæc cura incumbit, Chriſtianam doctrinam alios edoceant, & de illa ab eis rationem quærant. Idemque faciat miniſter, ſeu Beneficiatus hujuſmodi, ne ſi ſacerdos huic rei operam non navat, eaque cura Indis committitur, contemnatur hoc miniſterium.

§. XIII.

[h] Conc Mil. 5. tit. *Quæ ad ſacramenta.* & c. verbo: *ſacror. cinerum.*
[i] Mex. 1. c. 59. §. 1. [k] Mexic. 1. c. 59. §. 4. [l] Limen. 3. act 3. c. 3. ad finem. [m] Mexic. 1. c. 60. §. 1. & Guadix tit. 5. conſt. 11. & Limenſe 3. act. 4. c. 8. [n] Suprà lib. 1. tit. 6. [o] Mex. 1. c. 59. §. 2. & Mexic. 2. c. 6. Synod. de Quiroga conſt. 39. ad finem & Milan. 3. tit. *De parochis*, verbo, *Si quis parochus*.
[p] Mexic. 2. c. 8. & 9. [q] Mexic. 1. c. 68. Syn. de Quiroga conſtit. 47.
[r] Mexic. 1. c. 65.

§. XIII.

NE verò hæc quæ hoc titulo decreta ſunt, difficultate aliqua involuta ſint; declarat hæc Synodus, nomine curatorum regularium Indorum oppidis comprehendi Priorem, guardianum, vicarium, aut præfectum monaſteriorum, quibus Indi ſubditi ſunt. In civitatibus verò aut oppidis Hiſpanorum, religioſam perſonam, cui à Superioribus adminiſtrationis Indorum cura demandata eſt. Itidemque exponit, *f* in omnibus quæ præcipiuntur curatis per decreta hujus Synodi, comprehendi curatos regulares, qui non ex voto charitatis, ſed ex officio hoc munus exercere debent, ſi illud in ſe ſuſcipiunt. Quo ad pœnas verò deſignatas aliter non comprehenduntur, quàm ut titulo *De pœnis* expreſſum eſt.

LIBRI TERTII

TITULUS III.

De Beneficiatis Cathedralium & parochialium, & eorum officiis.

De aſſiſtentia Beneficiatorum divinis officiis debita.

§. I.

POpuli Chriſtiani devotio, eâ re maximè conſervatur, quòd mirabilis ordo in cultu divino cernitur, ob varietatem officiorum & miniſteriorum, ex quibus militantis Eccleſiæ ornatæ varietate pulchritudo mirifica cernitur. Quod eam ob cauſſam diligenter curandum eſt, ne divina hæc harmonia ullatenus diſſonet; immo præbendati & Beneficiati omnes plenè id totum adimpleant, quod ſibi incumbit ex officio, cujus ratione Beneficium confertur.

§. II.

QUod ut fiat, hæc Synodus imprimis præcipit *t* dignitatibus, canonicis, præbendatis, Beneficiatis, & miniſtris omnibus Eccleſiarum Cathedralium, ut in omnibus & per omnia inſtitutiones dignitatum, canonicatuum, & Beneficiorum hujuſmodi obſervent: Rituale quoque, ſtatuta, decretaque hujus Synodi, ſub pœnis in eis contentis, adimpleant.

§. III.

QUando Epiſcopus *u* præbendatum aliquem in carcerem conjecerit, eumdemve ſuſpenderit, excommunicaverit, aut diſtributionibus privaverit; ne multæ hujuſmodi fruſtrentur, præbendati cæteri, huic remittere non poterunt quod ex abſentia vel condemnatione amiſerit, nec tantumdem quantum perdiderit, aut aliquam partem in compenſationem, aut aliàs eidem condonare. Quod ſi ſecus fecerint; actus & contractus hujuſmodi irriti ſint, totumque id quod remiſerunt, in foro conſcientiæ ſolvere teneantur fabricæ Cathedralis Eccleſiæ.

§. IV.

AD divini cultus augmentum, ſanctum Concilium Tridentinum * interdixit, ne ullus duo Beneficia obtineret: cujus auctoritatem ſequuta hæc Synodus decernit, ut cappellę in Cathedralibus Eccleſiis, ſeu parochialibus inſtitutæ, ſi à primæva ſua inſtitutione Dignitati alicui, canonicatui, ſeu Beneficio annexę non ſint; nequaquam capitulari alicui, ſeu Beneficiato conferantur, ſed clericis aliis, qui eis inſerviant: ſicque fiet, ut miniſtrorum numerus, & Eccleſiarum cultus accreſcat.

§. V.

PRæbendati *y* omnes, cujuſcumque conditionis ſint, ſermonibus qui ad populum iuter Miſarum ſolennia habentur, preſentes adſint in Cathedrali Eccleſia, aut ubi decanus & capitulum in forma capituli intervenerit, ſub pœna amittendi diſtributiones eo die percipiendas ratione Miſſæ conventualis & proceſſionis. Ne autem divinis officiis & prædicationi verbi Dei interſint, ob quamcumque Eccleſiæ rerum adminiſtrationem ſibi injunctam, nullatenus excuſentur.

§. VI.

ITidem *z* præbendati, Beneficiati, & miniſtri omnes Cathedralis Eccleſię, etiam ſi ſacerdotes ſint, feriâ quintâ in Cœna Domini in ipſa Miſſa conventuali communicent. ſi verò quis ſecus fecerit; diſtributiones illius hebdomadæ amittat. Quò verò debitus cultus & reverentia cruci adhibeatur, in qua Chriſtus crucifixus noſtrę ſalutis myſterium operatus eſt; præcipitur præbendatis omnibus, Beneficiatis, & curatis Cathedralis & cæterarum Eccleſiarum, ut in proceſſionibus publicis, ſeu in humandis defunctis crucem comitentur ab exitu ejus Eccleſiæ à qua profecti ſunt, uſque ad reditum in eandem, in forma proceſſionis; ne populus ſacerdotibus avaritię notam inurat, ſi depoſito funere crucem poſtea non comitentur: immo potiùs, ea in crucem reverentia & devotio eluceat in Eccleſiaſticis, ut ædificationi potiùs ſint, quàm ſcandalo. Quòd ſi quis in hoc deliquerit; diſtributiones & obventiones ex proceſſione aut ex tumulando mortuo ſibi provenientes amittat: in quo exſequendo, ejus qui in choro præſidet, conſcientia oneratur: ſin minus, contra eum ſeverè, ut oportuerit, procedatur.

LI-

f La real cedula de Barcelona por Junio año de 1585. infrà lib 5. tit. 9. *t* Concil. Milan. 4. tit. *Quæ pertinent ad capitula Cathedralium*. *u* Tolet. act. 3. c. 20. * Seſſ. 24. c. 17. Real cedula, y es general en las Indias. & concordat Concil. Limen. 3. act. 3. c. 30. *y* Tolet. act. 3. c. 4. & Compoſt. act. 2. c. 22. & provinc. de Quiroga act. 3. decr. 15 & Milan. 2. tit. decr. 27. *z* Compoſtel. act. 2. c. 25. & facit Tol. act. 3. c. 6. & Milan. 3. fol. 595. verbo: *Feria quinta*. Compoſtel. act. 2. c. 26. & Milan. 1. p 2. tit. *De proceſſionibus & ſupplic.* & Milan. 4. tit. *De proceſſionibus*. in princip. & Concil. Diœceſanum De Oſma tit. 2. conſt. 5. §. 26.

LIBRI TERTII

TITULUS IV.

De officio sacriſtæ.

§. I.

TEmplorum ornatus & exterior cultus, ac divinorum officiorum celebratio, ex cura & diligentia, quam ſacriſtæ majores & minores officio ſuo impendunt, non mediocriter dependet. Quare eis injungitur, ut omnipotentis illius Domini majeſtatem, cujus domui inſerviunt, contemplantes, & ſententiam Hieremiæ Prophetę, [z] quæ maledictum illum appellat, qui opus Dei negligenter facit, ob oculos ſibi ponentes, toto pectore incumbant, ut Eccleſiæ cum nitore & ornatu teneantur, & indumenta ſacra, & alia quæque ornamenta conſerventur. Miſſis etiã, & divinis officiis celebrandis totum id quod opus fuerit, tribuatur. In quibus & in aliis ſimilibus, quod in Rituali, & decretis hujus Synodi ſacriſtis injunctum eſt, inviolabiliter obſervent. Hoſtias [a] ipſi per ſe conficiant, aut ſaltem in his conficiendis pręſentes adſint: nec patiantur ut Indi, ipſis non videntibus, eas conficiant, nec in ſuis domibus venales habeant. Quod ſi ſecus fecerint, pro ſua negligentia in re tanti momenti, & quæ ad ſanctum Miſſæ ſacrificium ſpectat, graviter punientur.

§. II.

QUando fuerint requiſiti, vel ob notarii defectum, vel quòd is impediatur, Eccleſiaſtica edicta partibus nunciabunt, & cenſuras publicabunt, denunciationeſque, & publicationes quas fecerint, in dorſo edictorum hujuſmodi, cum die, menſe, anno, & teſtibus deſcribant, ut ea de re publicum exſtet monumentum.

§. III.

PUnctatorum etiam officium exerceant [b], annotentque Beneficiatos & capellanos, qui Miſſas quas debent non celebraverint, aut qui anniverſariis, & feſtis cappellarum, ubi Eccleſiis ſuis inſervire debent, non interfuerint: Epiſcopumque aut viſitatorem ſacriſtæ hujus rei certiorem faciant, ut punitis negligentiis, voluntas eorum qui capellas fundârunt, integrè adimpleatur.

LIBRI TERTII

TITULUS V.

De vita & honeſtate clericorum.

De clericorum habitu, & cultu externo.

§. I.

QUoniam clerici, aliis omnibus tamquam exemplum propoſiti ſunt ad imitandum, adeò ut illa Domini ſententia, quâ diſcipulos ſuos lucem mundi appellavit, de eis non incongruè intelligatur; oportet maximè, ut non ſolùm interiùs ſe componant, ſed ut exteriori habitu honeſtatem & modeſtiam prę ferant, ne hominibus de externis ſolùm judicantibus ſcandalo ſint, eorumque ſtatus & miniſterium in contemptum veniant. Iccircò in exſecutionem Concilii Tridentini hæc Synodus ſtatuit ac præcipit, ut exterior habitus clericorum omnium ſacro ordine initiatorum virtutem, honeſtatem, morumque gravitatem oſtendat, prout decet clericalem ſtatum. quod ut melius fiat, ſequentes regulas obſervabunt.

§. II.

IMprimis clericali tonſura inſigniti ſint ad eam formam, quam ratio uniuſcujuſque ordinis poſtulabit: comam non nutriant, barbam novaculâ radant, vel ita recidant, ut nihil ſæculare remaneat, quod populo ludibrio eſſe poſſit. Habitum honeſtum deferant, tunicas clauſas, aut alterius generis, cum pallio quod *mantellum* vocant, ad talos uſque dimittant, & in omni veſtitu non alium, quàm nigrum colorem adhibeant. Verumtamen ſi iter faciendum ſit, contractiori habitu, & ad iter accommodato, nigri tamen coloris, & parum infra genu demiſſo, eis uti liceat; ut ex habitu clericos & Eccleſiaſticos miniſtros eſſe, ubique appareat.

§. III.

HOloſerico veſtimento, undulatove, ſubſerico, aut opere * gorvarano ex Caſtella, aut ex China allato, ne utantur: prębendati tamen, aut licentiati in Theologia vel Decretis per probatam Univerſitatem togas ſubſerici tafetaneo opere, aut gorvarani intertexti domi geſtare poterunt; foris verò ſine pallio, mantello nuncupato, ne incedant. Manicas ſerici raſi, calceos, aut crepidas holoſerici villoſi, caligas ſericas turgidas & diſſectas ne deferant, veſtitu fimbriato, clavis ſericis, Phrygiiſve, aut ſegmentis ornato, ne utantur; ſed ſegmenta raſi ſerici aut tafetani, [d] quę duorum aut trium digitorum latitudinem non excedant, in extremitate pallii, ſeu mantelli geſta-

[z] *Hieremiæ* 48. Gran. tit. *De offic. ſacriſt.* & Syn. de Quiroga conſt. 55. & 56. & Mila. 4. tit. *De ſacriſtia.* [a] Granaten. *De officio ſacriſt.* n. 5. & Synod. de Quiroga conſt. 85. & Milan. 4. fol. 649. verbo *Clericus.* verſiculo *Hoſtias.* [b] Synod. de Quiroga conſt. 56 [c] Mexic. 1. c. 48. & Mex. 2. c. 22. Guadix. tit. 5. Tarracon. Conc. tit. *De vita & honeſt. cleric.* Milan. 1. p. 2. tit. *De cler. veſtitu,* & Granat. *De vita & honeſt. cleric.* & Synodal. de Quiroga conſt. 36. 37. & 38. & Provinc. ejuſdem Quirogæ act. 3. c. 35. & Limen. act. 3. c. 15. & 16. & Milan 4. 3. p. tit. *De vita & honeſt. cleric.* Seſſ 14. c. 6. *De reform.* Gran. dicto tit. *De vita & honeſt. cleric.* n. 2 Provinc. de Quiroga act. 3. c. 16. & Milan 5. tit. *Quæ ad cleric. honeſt. attinent* Granat tit. *De vita & honeſt. cleric.* n. 2. & Synodal de Quiroga conſt. 36. [d] Provinc. de Quiroga, & Lim. ubi ſuprà.

ſtare poterunt. Galerum [e] acuminatum, ſeu id genus pilei, quod Hiſpani *montera* aut *gorra* appellant, aut ſericum pileum, ne deferant; ſed tantùm laneo galero, & eâ formâ confecto utantur, quâ gravitatem ſui ſtatus profiteantur.

§. IV.

CAmiſias ad collum, [f] & ad manum criſpas, vel artificio elaboratas, in ſacro ordine conſtituti rejiciant. Zonas ſericas auro vel argento cælatas, cothurnos albos argenteo aliove colore elaboratos ne deferant. Chirothecas odoribus conditas, aut diſſectas, colore aliquo tinctas ne ferant. Annulos non induant, [g] niſi quibus propter officii munus, aut honoris gradum, ſint jure conceſſi. Qui verò ſecus fecerint, annulos amittant, eorumque pretium in uſum piorum operum erogetur. Cujus rei exſecutio judicibus & miniſtris Eccleſiaſticis injungitur.

§. V.

QUoniam verò alii in alio extremo verſantes, clericali ſtatui dedecori ſunt, qui nimis abjectis veſtibus, ſordidis, & pannoſis utuntur; præcipit hæc Synodus, ut ſi quando officiales veſtibus hujuſmodi indutum quenquam compererint; eum in publicum prodire ne patiantur, donec decenti habitu (ſi poteſt) ipſe ſe induat, aut ei, ſi pauper ſit, veſtitûs provideatur.

§. VI.

LUgubres veſtes clericis interdicuntur, niſi pro morte patris, aut matris, quas tunc ad modum ſecularium ne geſtent, nec aperto capite incedant, aut barbam hujus rei cauſſâ relaxent, neque his veſtibus ampliùs quàm per duos menſes utantur.

§. VII.

SUperpellicea rete aliove eleganti artificio elaborata, aut adeò contracta, ut infra genu non dimittantur, ne induant.

§. VIII.

EQuo ne vehantur, niſi iter fecerint: ſi verò mulis vehuntur, eas ne ornent, neque ornatum * gualdrapium eis adhibeant, niſi præbendati ſint, aut licentiati, vel doctores in Theologia vel Decretis, qui hoc ornatu (laneo tamen) uti poterunt, ſericis verò aliis ornamentis, frenis, ſtapyis, aut calcaribus deauratis [h], aut argento laboratis nequaquam utantur.

§. IX.

OMnes hujus provinciæ clerici ſacris initiati, cujuſque ſtatus & conditionis ſint, quod hoc decreto eis jubetur diligenter obſervent, rebuſque in eo prohibitis ne utantur, quòd ſi ſecus fecerint, & in habitu ſæculari inceſſerint; veſtes amittant, earumque pretium exſecutori juſtitiæ, aut accuſatori, & judici à quo ſententia lata fuerit, æquis partibus diſtribuatur. Qui verò rebus aliis hoc decreto ſancitis contravenerint, quoties id commiſerint, pœnam pondo octo incurrant, quæ piis operibus, & judici ex officio contra eos ſententiam ferenti, ſi accuſator non adſit, æquè applicentur. Cavetur autem, ut veſtibus, quas ante hoc decretum ferre licebat, per octo menſes, & non ampliùs, uti liceat.

§. X.

QUi verò hoc decreto prohibita attentaverit, aut quæ de cętero Epiſcopus, quoad clericalem habitum publico edicto vetuerit, præter pœnas contra eos hîc ſtatutas juxta formam Concilii Tridentini [i] gravioribus aliis pœnis puniantur, uſque ad ſuſpenſionem, & officii ac Beneficii privationem, ſi id eorum contumacia poſtulaverit: ne quis de eorum exteriori habitu obſervare contemnat, quod ad populi Chriſtiani ædificationem, & bonæ vitæ exemplum non mediocriter confert.

De evitandis ſpectaculis vanis, & actionibus profanis.

§. I.

UT multorum interitus, vulnera, aliaque damna, quæ ex taurorum ſpectaculis proveniebant vitarentur; felicis recordationis Pius Papa V. motu proprio [k], principibus rebuſpubliciſque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipit, ne taurorum ſpectacula fieri in ſuis juriſdictionibus conſentirent. Interdixit itidem, ne clerici regulares & ſæculares ſacro ordine initiati, vel Eccleſiaſticum Beneficium obtinentes, ſpectaculis hujuſmodi, ſub pœna excommunicationis aſſiſterent. Poſtea verò felicis recordationis Gregorius Papa XIII. ſuo Apoſtolico [l] Brevi conceſſit taurorum ſpectacula; his tamen conditionibus, ſi ea feſto die ne fiant, ſi gubernatores aut magiſtratus quantum fieri poterit, diligenter caveant ne ob hanc cauſſam alicujus mors eveniat. Necnon cenſuras, & pœnas, quo ad ſeculares perſonas, & militarium ordinum milites in ſacro ordine minimè conſtitutos ſuſpendit. Quare

---

* Prov. de Quiroga act. 4. c. 35. [f] Limen. 3. act. 3. c. 16. [g] Gran ubi ſuprà n. 3. Mex. 1. c. 48. §. 1 in fine. Guadix. tit. 5. conſt. 2. Milan. 1. p. 2. tit. *De clericorum veſtitu, & reliqua vitæ moderatione*, verbo: *Annulum* & Granat *de vita & honeſt. cler* n. 3. Provinc. de Quiroga act 3. c. 35. Mila. 4. 3. p. tit. *De vita & honeſt. cleric.* fol. 668. verbo: *Nulli ſacerdoti*. Granat. ubi ſuprà n. 8. Granat. ubi ſuprà. n 9. Synod de Quiroga conſt. 36 Milanenſe Conc. 5. fol. 766. verbo: *Cler. qui amittu* Provinc de Quiroga act. 3. c. 35. * Hoc eſt, *luteras*. [h] Granat ubi ſuprà, n 4. Synod. de Quiroga conſt. 36. [i] Seſſ 14. c. 6. & ſeſſ. 24. c. 12. verbo: *Veſtitum inſuper*. & ſeſſ. 22. c. 1. *reform.* ſunt alia Concilia quæ refert Ioannes Trullo in expoſit. regulæ canonicorũ regulariũ lib. 2. c. 30. à n. 2. [k] Motus proprius *Pii V.* in Bullario Apoſtolico. Mexic. 1. c. 48. §. 3. Guadix. tit. 5. conſt. 14. Granat. *De vita & honeſt. clericor.* n 18. Tolet. act. 3. c. 26. & Synod. de Quiroga conſt. 37. in fine. & ſunt alia Concil. Provinc. quæ refert Ioannes Garcia Gallego tractatu *De expenſis & meliorationibus*, c. 21. n. 29. [l] Greg. XIII. in 2. p. Bullarii Apoſtolici. Tex. in c. unico *De vita & honeſt. clericor.* lib. 6. Mex. 1. c. 48. §. 1. Granat. ubi ſuprà n. 13. & Tolet. act. 2. c. 21. in fine, & Limenſe 3. act. 3. c. 20.

re juxta hanc conſtitutionem Pontificis, quorundam clericorum licentiam hæc Synodus animadvertens; ſtatuit ac præcipit, ne ullus clericus in ſacro ordine conſtitutus, aut Beneficiatus, taurorum ſpectaculis interſit, ſub pœna in Apoſtolicis literis ſtatuta, ac gravioribus aliis, quibus, ut huic malo occurratur, contra eos procedetur.

§. II.

INterdicit etiam hæc Synodus, ne clericus ullus ſacro ordine initiatus, perſonatus aut larvatus incedat; neque in comœdiis perſonam agat, etiam in feſto corporis Chriſti, neque cum thorace aut caligis, quantumvis permiſſis, ſine tunica talari per vias & plateas deambulet, neque aliis utatur varii coloris profanis ornamentis, ſub pœna pondo viginti, ſi ſemel id commiſerit: ſi bis, duplum perſolvat: idque in ſumptus juſtitiæ, accuſatorem, & pia opera conferatur. Si verò ter, eum Epiſcopus per duos menſes ab officio & Beneficio ſuſpendat.

§. III.

NE cantiunculas [i] inhoneſtas aut profanas cantent, neve in novis Miſſis, nuptiis, aut aliis feſtis ſaltent, ſcurrilia verba ne proferant, aut citharœdos referant, neque jocosè in hominum congreſſu prædicent, ſub eadem pœna. Indorum etiam miniſtri, ad domus eorum, qui inter Indos proceres ſunt, aut aliorum Indorum, convivandi gratiâ ne accedant; ſed ad hoſpitium clericis deſignatum. Evenire enim ſolet, ut ex nimia cum eis familiaritate Indi miniſtris reverentiam non exhibeant, doctrinæque intereſſe, & ea obire quæ ſuarum ſaluti animarum maximè ſunt neceſſaria, audacter contemnant.

§. IV.

QUia ſacrorum Canonum conſtitutionibus prohibitum eſt clericis, ne vili & ignobili aliqua arte utantur; interdicit quoque hæc Synodus, ne ullus clericus veterinarii * artem exerceat, nec mularum, aut equorum domitor ſit. Quòd ſi ſecus fecerit, graviter punietur. In hoc verò Ordinarii conſcientiæ maximè injungitur, ut tam infimam, tamque indecoram artem ab Eccleſiaſticis viris procul arceat.

§. V.

NUllus clericus [l] propter imminens periculum, ſervum, famulum, aliamve perſonam per ſe corrigendo puniat; niſi moderata ſit punitio, & quâ magis proximi correctio procuretur, quàm de eo ſumatur vindicta, quæ ab his longè abeſſe debet, qui morbis medentur animarum.

§. VI.

NE clerici arma [m] cujuſvis generis, ad offenſionem vel defenſionem, die aut nocte, in civitate aut oppido ferant, neve in habitu ſæculari cum muſicis inſtrumentis noctu incedant, nec ſuſpectas domos ingrediantur: ſin minus pœna amittendi arma, inſtrumenta muſica, & habitum indecentem, necnon ſolvendi pondo decẽ incurrant, quæ in piorum operum & exſecutoris juſtitiæ uſum æquè erogentur. Si verò exſecutori juſtitiæ, aut fiſcali violenter reſtiterint; in carcerem conjiciantur, arbitrioque Epiſcopi ſeveriùs puniantur.

§. VII.

ARchabuſio [n], etiam dum iter faciunt, aut in venationibus, vel in aliis actionibus, ne utantur. Sin minus, archabuſium amittant, & pondo decem accuſatori, vel ſi is non adſit, judici, piis operibus, & juſtitiæ ſumptibus æquè perſolvant. Illi tamen qui per regiones ubi bellum geritur iter faciunt, aut ob aliam juſtam cauſſam, archabuſio aliiſve armis uti poterunt, ſcripto impetratâ veniâ ab Epiſcopo, cujus conſcientiæ hæc Synodus injungit, ut id re bene explorata, cautiſque urgentibus ſolùm permittat.

§. VIII.

INdignum eſt, & Eccleſiaſtico honori valdè indecorum, ut clerici, qui in ſortem Domini vocati ſunt, & divino cultui addicti, præcurſores, ſive aſſeclæ, œconomi, aut famuli ſint ſæcularium perſonarum, præſertim mulierum. Quare, ut hæc macula à clero prorſus deleatur; mandat hæc Synodus, ne ullus ſacro ordine initiatus, cujuſcumque dignitatis & qualitatis, præcurſor, aut aſſecla fœminarum, etiam matris & ſororis, ullatenus ſit, ſub pœna excommunicationis, quam clericus, & fœmina cui is obſequium hujuſmodi præſtitit, incurrant. Interdicit etiam, ne ullus clericus in ſacris conſtitutus, famulus, procurator, œconomuſve ſit alicujus perſonæ ſecularis, aut ejus negotia vel facultates tractet, ſub eadem pœna. Non tamen prohibetur, ne (clericalis tamen decore ſervato) liberos perſonarum ſecularium erudiendos clerici ſuſcipiant, eorumque ſint magiſtri & præceptores. Nullus preterea, clericus Indam fœminam, aut ancillam ſuam dorſo equi aut mulæ vehat. Miniſtri quoque Indorum cùm ex uno oppido in aliud, aut ex uno diſtrictu in alium diverterint, Indam aliquam fœminam ſecum ne deferant, eo prætextu, quòd ſibi inſervire debeat: ſin minus, Epiſcopi arbitratu ſeverè puniantur.

§. IX.

---

[i] Mex. tit 48. §. 3. & in princ. Guadix. tit. 5. conſt. 16. & Gran. ibi n. 13 Synod de Quiroga conſt. 7 & Conc. Milan. 4. 3. p. tit. *De vita & honeſt. clericor.* fol. 668. verbo: *In omni.* item verſ. *Quamobrem* * *Albeiteria.* [k] Iuvat tex. in c. unico *De vita & honeſt. clericor.* lib. 6. & tex. in Clement. 1. ver. *Adverſus verò alios.* eodem tit. *De vita & honeſt. clericor.* [l] Mexic. 1. c. 60. §. 1. & Guadix. tit. 6. conſt. 11. & Limen. 3. act. 4. c. 8.

[m] Mexic. 1. 55. & Guadix. tit. 5. conſt. 12. & Milan 1. 2. p. tit. *De armis, ludis, ſpectaculis & ejuſmodi à clericis vitandis*, & Granat. *De vita & honeſt. clericor.* n. 10. & Synod. de Quiroga conſt. 36. & Limen. 3. act. 3. c. 16. [n] Mexic. 1. c. 55. § 1. & Milanenſe 1. ubi ſuprà & Synod. de Quitega conſtit. 36 o Mexic. 1. c. 55. & Guadix tit 5. conſt. 17 Milan. 1. 2 p. tit. *De negotiis ſæcularibus à clerico fugiendis.* verſ. *Neve præcurſor.* & Tolet. act. 2. c. 22. & act 3. c. 19. Gran. tit. *De vita & hon. clericor.* n. 19. p Syn. de Quiroga conſt. 36. in fine & Provinc. de Quiroga act. 3. c. 36. & Limenſe 3. act 3. c. 18 & Milan 5. fol. 767. verbo, *Que in Conc.* & Synod. de Oſma tit. 8. conſt. 1. §. 8.

§. IX.

PErpendens hæc Synodus, quantum à ſacerdote, qui ſacrum frequentans hoſpitium Chriſto Domino præbet, abhorrere debeat ebrietas [n], quâ rationis uſus amittitur, ſenſuſque & corporales facultates debilitatę langueſcunt, tam fuerit ſui oblitus, tamque intemperatus, ut vino inebrietur. Si is Beneficium obtinuerit, ab adminiſtratione ſacramentorũ pro prima vice per quatuor menſes ſuſpendatur; pro ſecunda, per annum; pro tertia Beneficio privetur, & inhabilis ad aliud obtinendum efficiatur. Si verò Beneficium non obtineat, & ſemel hoc crimen commiſerit, ad incluſionem carceris per duos menſes damnetur; ſi bis in id inciderit, per quatuor menſes detineatur; ſi ter, à diœceſi tamdiu relegetur, quamdiu videbitur Epiſcopo.

De ludis clericis prohibitis.

§. I.

CUjuſvis generis ludus hominibus maximo nocumento eſt, clericis præſertim, quibus ratione clericalis officii, in ſanctè & laudabiliter agendo tempus terendum eſſet, ab eiſque redditus Eccleſiaſtici piis operibus eſſent impendendi. Eam ob cauſſam hæc Synodus decernit ac jubet, ne ullus ſacro ordine initiatus, aut Beneficiatus hujus Archiepiſcopatus & provinciæ, clam aut publicè, per ſe vel interpoſitam perſonam ludum prohibitum exerceat, veluti aleæ, teſſerarum, ac talorum, quæ ludorum genera regiis [p] ſanctionibus prohibentur, nec in ludo pecuniæ, gemmæ, aut alia quę pecuniâ æſtimari poſſunt intercedant, ſub pœna reſtituendi totum id quod ludendo lucrati fuerint: & pro prima vice pœnam pondo triginta, in uſus fabricæ Cathedralis aut parochialis ejus civitatis vel oppidi ubi id evenerit, & in uſus accuſatoris: pro ſecunda vice pœna duplicetur: pro tertia ultra dictam pœnam aliis gravioribus, arbitratu Epiſcopi puniantur. Nec ſolùm ludere clerici interdicuntur, ſed ne ſpectatores ludorum ſint, hæc Synodus ſtatuit. In domibus itidem ſuis clerici ludum ne permittant, nec aleas porrigant, nec pro aleis pretium extorqueant, nec mutuo pecunias ad ludendum dent, aut pro quoquam in ludo ſpondeant. Sin minus, contra clericos hujuſmodi aleatorum ſuſceptores procedatur; & ita coërceantur, ut populus ædificetur, & tam turpis corruptela, ac miniſtris Dei prorſus indigna, funditùs exſtirpetur. In quo hæc Synodus Epiſcoporum & judicum conſcientias vehementer onerat: ac præterea clerici, hujuſmodi partibus, ſi petierint, intra novem dies ſolvere compellantur totum id damnum quod in ludo interceſſit. Quòd ſi partes diſſimulaverint; fiſcalis, aut exſecutor juſtitiæ Eccleſiaſticus, intra duos menſes petere poſſit, idque in accuſatoris, piorum operum, & judicis uſum æquis partibus erogetur. Si autem fiſcales hujuſmodi rei conſcii, in accuſando negligentes ſint; pro ſua contumacia & negligentia, etiam uſque ad officii privationem, arbitratu Ordinariorum puniantur.

§. II.

PRæterea ut omnem gravitatem & modeſtiam (prout decet clericalem ſtatum) clerici profiteantur; eis publicè pilâ ludere prohibetur [q], & privatim quoque cum ſæcularibus, vel coram ſæcularibus perſonis, globos ligneos publicè ludendo ne impellant, ſub pœnis ſtatutis: præter quas, amittant etiam veſtes, quibus ad globorum ludum exercendum exuti fuerint: hæ verò veſtes per tertias partes applicentur, ut conſtitutum eſt.

§. III.

SAchia * itidem, aut aliis ludis permiſſis ne ludant in locis publicis, aut in domibus, quò ad id multitudo hominum convenit, veluti in domibus aromatariorum, aut tonſorum. Si autem in occulto ludos licitos hujuſmodi exercuerint; numeroſa pecunia in eis non intercedat: aliter enim pro qualitate exceſſûs corrigentur.

§. IV.

UT autem incommoda & ſcandala, quæ quotidie in his partibus audiuntur, evitentur; nequaquam publicè aut privatim clerici cum mulieribus, etiam conſanguineis, ludant: ſi verò ſecus fiat, Epiſcoporum conſcientiis hæc Synodus injungit, quatenus adeò gravibus pœnis delinquentes coërceant, ut depravata hæc conſuetudo, & in omnes partes pernicioſa, reſecetur.

§. V.

HIS verò non obſtantibus quæ hoc decreto conſtituta & decreta ſunt, declarat hæc Synodus, [r] ut recreandi animi cauſsâ, extra tempus Adventûs & Quadrageſimæ, ludi liciti clericis permittantur, ſummâ duorum pondo tantùm intercedente, dummodo id rarò, ſine ſcandalo, & cum perſonis honeſtis fiat. Qui verò ſummam pecuniæ hujuſmodi exceſſerint; in foro conſcientiæ reſtituere tenebuntur quicquid ampliùs fuerint lucrati, quia hoc decreto majoris pecuniæ lucrum interdicitur. Pecunia verò quæ præſcriptam ſummam in ludo exceſſerit, fabricæ Cathedralis Eccleſiæ, aut parochialis ejus civitatis vel oppidi, ubi id contigerit, applicetur; ſi is, cui petierit, liberè de ea pecuniæ ſumma diſponere poſſit; reſtitutio ei fiat, ad quem verè pertinet.

De

---

[n] Mexic. 1. c. 48. §. 2. in fine. & Granat. *de vita & honeſt. clericor.* n. 14. [o] Tex. in cap. *Clerici. De vita & honeſt. cleric.* & tex. in cap. *Inter dilectos.* 1. p. *De exceſſibus Prælatorum.* Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1 *De reform.* [p] Eſt tit. 7. lib. 8. recopil. & lex 13. tit. 7. eodem lib. 8. recopil. Mexic. 1. c. 50. & Guadix tit. 5. conſt. 5. & Milan. 1. 2. p. d. tit. *de armis, ludis, &c.* & Gran. *de vita & honeſt. clericor.* n. 11. & Synod. de Quiroga conſt. 37. & Limen. 3. act. 3. c. 17. [q] Mexic. 1. cap. 50. §. 1. Guadix tit. 5. conſt. 5. & Gran. *de vita & honeſt. clericor.* n. 11. & Synod. de Quiroga conſt. 37. * *Axedres.* Ex ſuprà notatis fundatur. *Scacchis.* [r] Ex lege regia 10. 11 tit. 7. l. 8. recopil. Mex. 1. c. 50. & Guadix tit. 5. conſt. 5. & Milan. 1. 2. p tit. *De armis & ludis.* & Granat. tit. *De vita & honeſt. clericor.* n. 51. & Limenſe 3. act. 3. c. 17. & facit reg. Ordinis militatis S. Iacobi tit. 12. c. 10. [s] *en los eſtablecimientos* ejuſdem Ordinis S. Iacobi tit. 8. cap. 3.

De uſu frequenti Euchariſtiæ.

§. I.

UT diaconi & ſubdiaconi eò magis ad dignè celebrandum ſe præparent, quò magis ad ſacrum presbyteratûs ordinem accedunt; ſacroſanctum Concilium Tridentinum [r] maximè decere conſtituit, ut ſaltem hi, diebus Dominicis & ſolennibus cùm altari miniſtraverint, ſacram communionem percipiant. Cujus auctoritatem ſequuta hæc Synodus, diaconis & ſubdiaconis hujus provinciæ in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut in diebus Nativitatis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, feſti Corporis Chriſti, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli, & feſti omnium Sanctorum, in prima quoque Dominica Adventûs & Quadrageſimæ peccata ſua confeſſi in Miſſâ ſolenni communicent, quo populus hoc exemplo & continuatione ædificetur. Ut verò his temporibus peccata confiteantur, in facultate eorum ſit eligere confeſſarium quem maluerint, ex approbatis per Ordinarium: qui confeſſarius eos abſolvere poſſit ab omnibus peccatis, etiam Ordinario reſervatis.

§. II.

QUia majori vinculo tenentur presbyteri, tum ad propriam, tum ad Eccleſiæ ſpiritualem utilitatem, frequenter ſacrum celebrare; Concilii Tridentini [s] auctoritate innixa hæc Synodus præcipit, ut hi Dominicis diebus & feſtis ſolennibus, die Commemorationis defunctorum, & quotidie in Quadrageſima Miſſas celebrent: qui, ut eâ animi puritate & devotione, quibus opus eſt, ad tantum ſacrificium accedant; eis injungitur, ut etiamſi alicujus peccati mortalis conſcii non ſint, ſingulis octo diebus, aut crebriùs, ad confeſſionem ſe præparent, eligantque ſibi confeſſarium ex idoneis, & ab Ordinario facultatem habentibus.

LIBRI TERTII

TITULUS VI.

De clericis non reſidentibus.

§. I.

QUia non poteſt non magno eſſe ſubditis detrimento, eorum abſentia, quibus animarum cura incumbit; hæc Synodus in exſecutionem Concilii Tridentini [t] præcipit, ne ullus vicarius, curatus, aut Beneficiatus ex ſua parochia, juriſdictione, & deſtrictu, aliò divertat ſine facultate Epiſcopi, cauſsâ expreſsâ & approbata, & pro eo tempore, quod in facultate hujuſmodi fuerit præfinitum, ſub pœna pondo viginti [u], quæ in uſus Eccleſiæ, cujus curam gerit, accuſatoris, aut eo deficiente, judicis pronunciantis æquè erogentur. Quando verò hac facultate obtenta, ad civitatem ubi ſedes Epiſcopalis reſidet, pervenerint; intra viginti quatuor horarum ſpatium, coram Epiſcopo aut ejus officiali præſentes ſe conſtituant: ſi verò impediti fuerint; de adventu ſuo per interpoſitam perſonam intra præfixum terminum rationem reddent: ſin minus, pondo decem accuſatoris & juſtitiæ ſumptibus æquè diſtribuendorum, pœnam incurrant.

§. II.

TAmetſi juxta erectiones hujus Archiepiſcopatus & provinciæ, nullum tempus præbendatis ad requiem conſtitutum eſt, cùm tota maſſa ex quotidianis diſtributionibus pendeat; nihilominus perpendens hæc Synodus, uſus & conſuetudines Cathedralium Eccleſiarum harum partium variari, quo fit, ut nulla conſuetudo vim legis habere videatur; cumque aſſiduis laboribus aliquot temporis intervallum ad requiem intermittendum ſit, permittit, ut præbendati ſexaginta diebus ad requiem potiantur [x], quos etiam ipſi eligere poterunt: quibus diebus à punctatoribus non annotentur illi, quouſque aliter fuerit à ſanctiſs. domino noſtro Papa conſtitutum: extra hos autem dies abſentiæ à divinis officiis, etiam cum conſenſu habito, ſine juſta ægritudinis cauſſa, & multæ, quas ob hanc cauſſam incurrerint, præbendatis ne remittantur [y]. Quod ſi aliter fiat, qui multas hujuſmodi remiſerint, tantundem fabricę Cathedralis reſtituere teneantur, quantum remiſerunt.

§. III.

UT conſtet manifeſtè, qui prębendati ſacras horas & divina officia non obierint; ſingulis Cathedralibus Eccleſiis probatæ fidei ſacerdos in punctatorem creetur [z], qui coram Epiſcopo aut ejus officiali juret, ſe in officio ſuo obeundo fidem & diligentiam præſtiturum, & librum punctationum accuratè aſſervaturum, illumque cuiquam minimè oſtenſurum, neque antea capitulo redditurum, quàm officii ſui rationem reddiderit: deinde liber punctationum in archivo Eccleſiæ reponatur. Si verò punctator abſit, alius ſubſtituatur, qui præſtito juramento, altero in libro omnes notet, qui divinis officiis non eo interfuerint tempore, quo punctator abfuit. Punctatori verò redeunti hujus rei rationem reddat, ut punctationes in ejus abſentia notatas, in librum ſuum tranſcribat: officium autem punctatoris nullus niſi ſacerdos exerceat, neque ab eo ſine juſta cauſſa removeatur.

§. IV.

---

r Seſſ. 23. c. 13. Mex. 1. c. 52. & Tolet. act. 3. c. 6. & Granat. tit. *De celebrat. Miſſ.* n. 28. Milan. 1. p. 2. tit. *De frequenti divini ſacrificii oblatione.* & Mediol. 2. tit. 3. decr. 26. s Seſſ. 23. c. 14. & Synod. de Quiroga conſt. 80. t Seſſ. 6. c. 2. *De reform.* ſuprà, tit. *De offic. Epiſc.* §. 14. u Conc. Limen. 3. act. 2. cap. 41. Guadix tit. 3. conſt. 14. & Tol. act. 2. c. 25. & 26 & act. 3. c. 23. & Synod. de Quiroga conſt. 39. & Milan. 4. tit. *De cleric. ad feſtorum dierum.* Conc. Limen. 2. c. 72 & Conc 3. act. 3. c. 26. & 28. x Declarationem Cardinal. refert Nicolaus Garcia tom. 1. *De Beneficiis*, 3. p. c. 2. §. 1. n. 311. & 312. y Conc. Lim 2. c. 66. ad finem. z Conc. Compoſtel. act. 2. c. 27. Conc. Limen. 2. c. 65. & Milan. 1. 2. par. tit. *De officio punctatoris*, & 4. Milan. 2. p. tit. *De diſtributionibus*, verbo: *Quod de punctatorum*.

§. IV.

CUrati omnes [a], tam Cathedralium quàm parochialium Eccleſiarum, non per ſubſtitutos, ſed per ſe ipſos officiis ſuis fungantur, ſi ægritudine aut aliâ legitimâ cauſsâ impediti non ſint. His autem rebus, quę ſibi ex munere conveniunt, accuratiorem operam præſtent, quàm aliis, quæ etiam ſibi bonæ ſint, eos tamen impediunt à cura parochiali, cui ſolicitè intentos eſſe oportet [b]. Si verò in ſepeliendis mortuis alius ſacerdos eorum loco officium celebraverit, * ipſi, quæ ſolum funus committentur, tantundem ſtipendii percipiant, & non ampliùs. Quòd ſi præſentes non interſint; nihil hujus rei cauſsâ percipiant, idque judices & viſitatores ita ſervari faciant.

§. V.

STatuit etiam ac præcipit hęc Synodus, ut tam in Eccleſiis Cathedralibus quàm parochialibus, ubi plures quàm unus Beneficiatus, aut parochus, ſacerdotes ſunt; illi qui hebdomadarii officium non exercent, à reſidentia perſonali in divinis officiis non ſint exempti, neque hinc occaſione deſumpta, ab eis abſint. Quòd ſi ſecus fecerint; pro rata temporis ſtipendium & obventiones Beneficii amittant, quæ fabricæ illius Eccleſiæ applicentur: ſolùm enim ad hebdomadarium pertinet Miſſas cantare, & horas canonicas inchoare cum ſtrictiori adminiſtrationis ſacramentorum cura, quòd alios ab obligatione reſidendi & aſſiſtendi divinis officiis liberos non faciant.

§. VI.

QUia ordini & rationi repugnat, ut qui laboris & oneris particeps nō eſt, commodum & utilitatem ferat; jubet hæc Synodus, ut qui præſentes anniverſariis & aliis feſtis in hoc Archiepiſcopatu & provincia fundatis & dotatis non interſint; obventiones ex eis provenientes ne percipiant, niſi aliter ſit in fundatione diſpoſitum. nec judices Eccleſiaſtici facultatem concedant. Hoc autem decreto revocantur & irritæ fiunt donationes & pacta omnia, quæ in fraudem hujus rei clerici aut Beneficiati fecerint. Itidemque declaratur, abſentes in toto aut in parte, quacumque ratione obventiones hujuſmodi perciperent, teneri in foro conſcientiæ eas præſentibus reſtituere, ſi non adſit eorum conſenſus; ſi verò adſit, fabricæ Eccleſiæ reſtituant.

LIBRI TERTII

TITULUS VII.

De inſtitutionibus, & jure patronatûs.

§. I.

UT bona quæ Eccleſiaſtica ſiunt, quia Beneficiis vel cappellis applicantur, rectè adminiſtrentur, & perpetuò conſerventur; neceſſarium eſt, ut fundatione & inſtitutione ſuperioribus & Eccleſiaſticis Prælatis ſubdita ſint; ad quos ex officio pertinet redditibus & Eccleſiaſticis bonis proſpicere. Quare juxta Concilii Tridentini [c] decretum præcipitur, ne deinceps, ſine expreſſo Epiſcopi conſenſu cappella aliqua fundetur, ac ſine ſufficienti bonorum deputatione, quibus redditus ad ſtipendium cappellani, juxta onera cappellę impoſita, competentes, firmi, ac ſecuri ſint. Cum verò fundator certa aliqua bona non deputaverit; cappella hujuſmodi ſuper omnibus inſtitutoris bonis fundata intelligatur, quorum bonorum ad effectum hujuſmodi inventarium conficietur: nullatenus [d] autem in his fundationibus & inſtitutionibus ea conditio admittatur, ut cappella hujuſmodi ab Ordinario viſitari non poſſit; immo talis conditio ex hoc irrita & nulla decernitur, quâ minimè obſtante, ad cappellæ viſitationem Ordinarius procedat. Si quis verò cappellam hac conditione ſuſceperit; ſub excommunicationis pœna interdicitur, ne huic in ulla Eccleſia, quæ ad ſacrum peragendum, & ad cappellæ hujuſmodi cultum neceſſaria ſunt, ullatenus tribuantur.

§. II.

NUllus cappellæ patronus [e], aut alicujus communitatis membrum, cui competat jus patronatûs, nec persona aliqua cum eo intra tertium gradum conjuncta, nec cappellani, aut œconomi cappellani, hujuſmodi pecunias in emphyteuſin accipiant, aut prædia & bona locabunt, quæ ad dotem cappellarum ex inſtitutione pertineant. Si verò ſecus fiat; contractus nulli ſint & irriti, prout decreto hujuſmodi nulli decernuntur & irritantur. Qui verò in hujuſmodi contractibus intervenerint; in pondo viginti condemnentur, piis operibus Epiſcopi arbitratu applicandis. Præcipitur etiam, ut cenſus ſuper bonis liberis & magni valoris collocentur, eiſque perſonis dentur, de quibus magna ſecuritas ſit: ea in omnibus obſervando, quæ per conſtitutionem felicis recordat. Pii Papæ V. de hoc ſtatuta ſunt, ut cappellæ perpetuò conſiſtant.

§. III.

PRæterea ad præſcriptum Concilii Tridentini [f] mandat hęc Synodus, ne ullus Beneficii patronus, cujuſcūque conditionis (etiam ſi Univerſitas ſit, aut collegium clericorum

---

a Conc Trid. ſeſſ. 25. c. 12. verbo *Omnes verò.* b Conc. Mil. 4. tit. *De parochiis*, verbo: *Vſu compertum eſt.* * *Corr. locus.* legend. *arbitrio.* *ipſique ſolum funus comitentur.* c Seſſ. 22. c. 8. & 9. *De reform.* Gran. tit *De inſtit. & jure patron.* n. 1. & Guadix. tit. 3. conſt. 33. d Guadix. tit. 3 conſt. 38. e Guadix. tit. 3. conſt. 34. & Granat. *De inſtit. & jure patron.* n. 4. & 5. f Seſſ. 25. c. 9. *de refor.*

rum aut ſecularium) nullatenus ſe intromittat [g], in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum Beneficiorum, etiam ſi re ipſa ad patronatum pertineant ex inſtitutione aut fundatione, ſed fructus, proventus, & obventiones hujuſmodi rectori aut Beneficiato liberè relinquat, nec patronatum per venditionem aut alium titulum à Jure prohibitum transferre audeat, ſub pœna excommunicationis & interdicti reſpectivè; & præterea ipſo jure inhabilis ſit juris patronatûs.

§. IV.

ITidem ſtatuitur ac præcipitur [h], ut ſi qui obtinentes pecuniam, aut bona quæ ad cappellas pertinent, in emphyteuſin non dederint, locaverint, & de eis in utilitatem cappellarum non diſpoſuerint; poſt hujus decreti publicationem intra triginta dies, pecunias & bona hujuſmodi alicui probatę perſonę ad beneplacitum Ordinarii & cappellanorum in depoſitum dent, cum redditibus, qui ob eorum negligentiàm eo tempore ceſſârunt, eo quòd de bonis & pecuniis hujuſmodi in utilitatem cappellarum minimè diſpoſuerunt, ſub pœna excommunicationis latę ſententię.

§. V.

QUia verò juſtum eſt, ut pia voluntas & diſpoſitio eorum qui cappellas fundavêre, inviolabiliter obſervetur; præcipitur cappellanis, quatenus Miſſas, anniversaria, & feſta, quę hoc tempore dotata ſunt, vel in poſterum in hoc Archiepiſcopatu & provincia dotabuntur, loco, diebus, & temporibus, cum ſolennitatibus à fundatore inſtitutis celebrent: quòd ſi aliquod adſit impedimentum legitimum quominus die ſtatuto feſtum non celebretur; id ſaltem fiat intra octavam feſti.

§. VI.

SEd quia [i] cappellæ antiquæ in facultatibus & bonis fundantur, quæ tunuia cùm ſint, aut temporis injuriâ decreverint, eos proventus non reddant, quibus ad Miſſarum numerum, & alia onera cappellarum opus eſt, quo fit, ut omnino teſtatorũ voluntas effectum ſortiri non poſſit; ideo Concilii Tridentini [k] auctoritate ſuffulta hæc Synodus, id negotii Epiſcopis dat, ut quamprimùm fieri poterit, unuſquiſque in ſua diœceſi de redditibus cappellarum & de earum oneribus rationem petat, & in Diœceſana Synodo conſtitutione ſynodali declaret, quis reddítus pro eleemoſyna cuique Miſſæ celebrandæ reſpondeat. Quòd ſi redditus minimè ſufficiat; Miſſas & alia onera ad minorem numerum reducat. Illud ſemper animadvertens, ex redditibus hujuſmodi partem aliquam in uſus fabricæ parochiæ deputandam, pro ratione vini, ceræ, & ornamentorum, quibus eſt cappellis inſerviendum.

LIBRI TERTII

TITULUS VIII.

De rebus Eccleſiæ conſervandis, alienandis, vel non.

§. I.

FUndi & bona Eccleſiarum divino cultui dicata ſunt, ideoque eorum uſurpatio grave ſacrilegii ſcelus eſt. Ne verò quiſquam hoc flagitii genus committere audeat, ad præſcriptum Concilii Tridentini [l] jubetur, ne quiſquam Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis, cujuſcumque dignitatis & gradus, per ſe ſeu per interpoſitum clericum, aut ſęcularem, quavis arte & colore præſumat, neque audeat occupare, uſurpare, aut in ſuos proprios uſus convertere bona, jura, cenſus, juriſdictiones, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones alicujus Eccleſiæ, Beneficii, aut pii loci hujuſmodi, quæ in neceſſitates pauperum converti debent, nec impediat ab his, ad quos verè pertinent percipi. Quòd ſi ſecus fecerit; anàthemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu jura, bona, fructus, redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitę perſonę, pervenerint, Eccleſię, ejuſque adminiſtratori, ſeu Beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quòd ſi patronus ejuſdem Eccleſię fuerit; etiam jure patronatûs, ultra prędictas pœnas eo ipſo privatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandę fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, necnon quibuſcumque Beneficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum ordinum exſecutione, etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem, ſui Ordinarii arbitrio ſuſpendatur. Declarat etiam hęc Synodus, ut in oppidis Indorum, ubi aliqua eleemoſyna ad ædificium, fabricam, aut ornamenta Eccleſiæ erogata ſit, eamque Beneficiatus, aut alia quævis perſona Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, cujuſcumque qualitatis & conditionis, in proprios uſus converterit; eum eaſdem pœnas incurrere, & ad integram reſtitutionem teneri: Perſonis verò hujuſmodi præcipitur, ne deinceps talia committant, ſub dictis pœnis: hujus denique exſecutio decreti vehementer Epiſcoporum curæ commendatur.

§. II.

NUllum capitulum [m], confraternitas, aut communitas, Beneficiatus, aut œconomus ratione ædificandi in Eccleſiis vel eremitoriis, quicquam ſumptûs faciant Eccleſiarum

[g] Guadix tit. 3. conſt. 34. & Granat. tit. *De rebus Eccleſiæ conſervandis.* n 13. [h] Granat. de inſtit. & jure patron. num. 4. [i] Granat. de inſt. & jure patron. n. 10. [k] Seſſ. 25. c. 4. *De refor.* Provinc. de Quiroga act. 2. c. 10. [l] Seſſ. 22. c. 11. *De reform.* Granat. *De rebus Eccleſia.* conſ. n. 13. Conc. Milan. 4. 3. p. tit. *Quæ ad pia loca pertinent.* verbo. *Quæcumque.* [m] Ex jure communi tex. in cap. *In canonibus.* 16. q. 1. & in cap. *Cùm nobis.* in fine, *De electione.* & in cap. *Is cui.* eodem tit. in 6. & in tex. in c. 2. *De donation* Mexic. 1. 23. §. unico & Mex. 2. c. 21. & Guadix tit. 3. conſt. 37. & Gran. tit. *De ſepulturis.* num. 8. & Synodus de Quiroga conſt. 62.

ſiarum vel eremitoriorum impensâ, nec cappellas in ſepulchrum dent, nec res Eccleſiæ alienare poſſint, niſi expreſſo Epiſcopi conſenſu: quod ſi ſecus fecerint, contractus de hac re facti nulli ſint & invalidi: ſumptus quoque eadem de cauſſa impenſi in computum ne admittantur, nec poſſint in uſum Cathedralium ſeu parochialium imagines, ornamenta, aliave emere, quæ valorem viginti pondo excedant, nec ad hæc emendum, ſeu eorum pretium ſolvendum Indos compellant, niſi de Epiſcopi licentia, ſub pœna reſtituendi ex bonis propriis quicquid ſumptûs hac de cauſſa fecerint. Conceditur tamen facultas ea emendi quæ ad quotidianum & ordinarium Eccleſiarum uſum neceſſaria ſunt, etiamſi viginti pondo pretium ſuperent. Idem verò hæc Synodus præcipit à curatis regularibus hujus Archiepiſcopatus & provinciæ ſervari & adimpleri. In viſitationibus autem circa hoc commiſſos exceſſus corrigendi intenta ſit ſolicitudo.

§. III.

NUllus [n] præbendatus, Beneficiatuſve, aut miniſter Eccleſiæ Cathedralis accipiat, commodet, aut ab Eccleſia exportet ornamenta, argentum, aliave Eccleſiæ cultui addicta, ſine Epiſcopi permiſſu, ſub pœna arbitrio Epiſcopi infligenda.

§. IV.

EPiſcopis in bonis Eccleſiæ tuendis & conſervandis maxima debet eſſe ſolicitudo [o]. eſſet enim quælibet in hac re admiſſa negligentia vitio vertenda. Quia verò jura Eccleſiarum hujuſmodi, in ſcripturis & titulis de eis exſtantibus continentur, hæc Synodus ſtatuit ac præcipit, ut in qualibet diœceſi archivum unum Epiſcopale inſtituatur, in quo Brevia omnia, privilegia ſummi Pontificis, ſchedæ quoque, & proviſiones regiæ majeſtatis, omneſque alie ſcripturę ad dignitatem & juriſdictionem Epiſcopalem pertinentes, unà cum inventario earum accuratè confecto ab Epiſcopo, aut ejus vicario generali, & à notario ſubſcripto, recondantur. Neque ab archivo hujuſmodi ſcriptura aliqua deſumatur, niſi ob cauſſam ad utilitatem Epiſcopi & Eccleſię neceſſariam, relicto teſtimonio cum ſubſcriptione ejus qui ſcripturam accipit, cum die, menſe, anno, & cauſſa ob quam ſcriptura hujuſmodi ex archivo deprompta eſt.

§. V.

QUò verò tutiùs hoc archivum cuſtodiatur, in aliquo monaſterio civitatis, ubi ſedes Cathedralis reſidet, aut in alio ejuſdem diœceſis (prout Epiſcopo videatur) collocetur, & clavibus occludatur, quę penes Epiſcopum ſint. Sede verò Epiſcopali vacante, vicarius generalis unam ex clavibus archivi capitulo Cathedralis Eccleſiæ tradat, aut perſonæ à capitulo deputatæ alteram verò Superiori monaſterii hujuſmodi, à quibus juramentum petat, quatenus fideliter claves hujuſmodi aſſervabunt: nec eas perſonæ alicui tradent, nec ſcripturam aliquam inde efferri conſentient ſine licentia Metropolitani, aut alterius Superioris, à quo poſſint compelli. Quando verò Epiſcopus eligetur, ei claves tradant, & rationem reddant ſcripturarum, quas inde ſumpſerunt, & penes quem illę ſint, eidem annuncient.

§. VI.

QUando verò Epiſcopus obierit, vicarius generalis penes ſe accipiat proceſſus omnes, , & libellos camerę, quos Epiſcopus in ſcriniis ſuis reconditos habebat, eoſque in dicto archivo reponat, cui generali vicario hæc Synodus ad id facultatem tribuit: & ſub pœna excommunicationis majoris latę ſententię mandat, ne quiſquam cujuſcumque qualitatis, quominus hoc exſequatur, ei impedimento ſit: ſi verò capitulum fuerit aut communitas, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

§. VII.

IN capitulo etiam cujuſcumque Eccleſię Cathedralis archivum unum ſit, in quo aſſerventur & in unum redigantur ſcripturæ omnes publicę ad Epiſcopum, capitulum, fabricam, & hoſpitales domos pertinentes, cum erectionibus, ſtatutis, & reliquis inſtrumentis ad hoc ſpectantibus. In eodem etiam archivo liber unus ſit, in quo cappellæ & fundationes earum, juraque & prædia ad Eccleſiarum fabricas, & domorum hoſpitalium totius diœceſis uſum pertinentia deſcripta ſint. Hoc verò archivum tribus clavibus occludatur, quarum una penes Epiſcopum ſit, altera penes decanum, aut decano abſente, penes antiquiorem dignitatem, tertia verò penes canonicum ab Epiſcopo deputatum.

§. VIII.

IN unaquaque etiam parochiali Eccleſia liber unus ſit, in quo annotentur jura omnia, prædia, hæreditates, & cenſus ad fabricam Eccleſiæ hujuſmodi pertinentia, bona quoque quibus cappellę, feſta, & cōmemorationes dotantur [q]: quidque in id præſtandum ſit, exprimatur: ſcripturæ etiam & inſtitutiones cappellarum. Præterea in ſingulis parochiis tabella una in loco publico collocetur, in qua Miſſæ, feſta, anniverſaria in Eccleſia hujuſmodi celebranda deſcribantur: hæcque tabella ab officialibus, ſeu viſitatoribus, & à notario ſubſcripta ſit. Quando verò parochi feſta colenda populo annunciaverint, ei quoque feſtum, aut anniverſarium eâ hebdomadâ celebrandum notum facient [r]. Id verò omne quod hoc decreto continetur, hæc Synodus vehementer commendat Epiſcopis ut adimpleant, & quam primùm exſequantur, cum ex eo non mediocriter pendeant Eccleſiarum, dignitatis Epiſcopalis, juriumque, & prædiorum con-

---

n Granat. tit. *De rebus Eccleſ.* n. 4. o Concil. Mil. 1. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad bonorum & jurium Eccleſ. conſervationem*. Et Tolet. act. 3. c. 1. & Compoſtel. act 3. c. 13. & Granat. tit. *De Beneficiatis.* à n. 4 uſque ad 8. & tit. *De rebus Eccleſiæ.* n. 1. & 5. & Synod. de Quiroga conſt. 61. & Provinc. ejuſdem Quiroga act. 2. decr. 7. & Mediol. 2. tit 3. decreto 14. p Concil. Tolet. act. 3. c. 1. & Compoſt. act 3. c. 13. q Mex 2. c. 17.

r Mex. 1. c. 17. § 1. Guadix tit. 3. conſt. 29. & Granat. tit. *De Beneficiatis.* n. 19. & tit. *De ſepulturis.* num. 16. & Provinc. de Quiroga act. 3. c. 5.

conſervatio. difficultatumque & litium remedium; quę ſi hoc negligenter fieret, pullularent.

LIBRI TERTII

TITULUS IX.

De teſtamentis & ultimis voluntatibus. [f]

§. I.

Pietate Chriſtiana adſtringimur rebus defunctorum proſpicere, qui de fidelitate vivorum confiſi, quod ipſi piè & juſtè diſpoſuerunt, vivis adimplendum reliquêre. Quæ cura Epiſcopis potiſſimùm incumbit, tamquam pauperum patribus, & ſtrenuis piorum operum exſecutoribus. Hac igitur de re decernit hæc Synodus [t], ut cùm quis condito teſtamento ex hac vita migraverit; antequam crux efferatur ad corpus defuncti humandum, exſecutores teſtamentarii teſtamentum coram parochis exhibeant, aut ſaltem eas clauſulas authenticas & fidem facientes, quibus de ſepulturæ loco, de Miſſis, & legatis piis relictis teſtator diſpoſuit. Quæ omnia parochi & Beneficiati in libro, quem ad effectum hujuſmodi habere debent, annotent: curentque diligenter de plena eorum exſecutione. Quòd ſi intra fatalẽ annum hęc adimpleta non fuerint; Epiſcopo, aut ejus officiali, ſeu viſitatori id notum faciant.

§. II.

Exſecutores [u] itidem teſtamentarii conſcientiæ ſuæ ſatisfacientes, à teſtatoribus diſpoſita quam primùm poterunt exſequantur. Quòd ſi id non effecerint intra terminum, quo de jure & expreſſa teſtatoris voluntate tenentur; per cenſuras, & alia juris remedia à judicibus Eccleſiaſticis compellantur [x], ut cum effectu teſtamenta hujuſmodi exhibeant, & de his quæ adimpleta ſunt, queque nondum ſunt exſecutioni mandata, rationem reddant. Si verò propter retardationem culpabiles ſint; puniantur, hæredeſque, & depoſitarii bonorum coërceantur, ut quamprimùm totum id tribuant, quod ad exſecutionem teſtamenti neceſſarium eſt.

§. III.

Quoniam verò exſecutores teſtamentorum aliqui dolo malo ab Epiſcopatu abſunt antequam fatalis annus compleatur; eamque ob cauſſam, tempore à Jure ſtatuto ab eis ratio peti non poteſt; ſicque diu retardatur & differtur eorum exſecutio, quæ teſtamentis diſpoſita ſunt; propterea hæc Synodus interdicit, ne ullus exſecutor hujuſmodi à diœceſi diſcedat, quin priùs teſtamentum quod ſibi incumbit, exſecutioni mandaverit, aut cautionem dederit, quatenus anno elapſo, ſine ulla retardatione præſentem ſe conſtituet rationem redditurum: arbitratu Epiſcoporum ob ejus contumaciam * puniturus, ſi intra octo dies poſt elapſum annum ad id non compareat. Quò verò hujus decreti exſecutio certior ſit; officialibus & judicibus teſtamentorum præcipitur, quatenus Epiſcopis annuncient, ut de opportuno remedio provideant, ne defunctorum voluntates fruſtrentur, & quæ ab ipſis diſpoſita ſunt, minus adimpleantur.

§. IV.

Curati omnes [y], Beneficiati, cappellani, & alii ſacerdotes, quibus incumbit Miſſas celebrare, aut alia pia legata teſtamento relicta adimplere; id agant, & præſtent intra ſex menſes poſt obitum teſtatoris, ſi ab eo aliter non ſit diſpoſitum, ſub pœna pondo quatuor in uſus piorum operum; necnon eorum impenſis Miſſæ hujuſmodi celebrentur, & pia legata adimpleantur, quæ ob eorum negligentiam impleta non ſunt.

LIBRI TERTII

TITULUS X.

De ſepulturis, defunctis, & funeralibus. [a]

§. I.

Juſtum eſt, ut populus Chriſtianus fideles defunctos piis precibus & officiis proſequatur. Eam ob cauſſam ſtatuit hæc Synodus, ut ſi condito teſtamento quiſquam obierit, ea quæ de ſuis exequiis, Miſſis, & piis legatis, in utilitatem animæ teſtator diſpoſuit, ſtatim, prout in teſtamento continetur, adimpleantur. Si verò ſine teſtamento ex hac vita diſceſſit, & relicta bona ſufficiant pro defuncto; Miſſa & vigilia de depoſitione defuncti ſolenniter celebretur, itidemque in ſua parochia privatarum Miſſarum novenarium peragatur. Si autem defunctus perſona miſerabilis ſit, nihilque in bonis reliquerit; gratis ſepeliatur. Quòd ſi aliquid in eleemoſynam erogatum ſit; id non in ejus ſepulturam, ſed in ſuffragia pro defuncto conferatur. Qua de cauſſa curati & parochi Cathedralium & parochialium Eccleſiarum jubentur, ne eleemoſynam hujuſmodi in ſuos proprios uſus convertant. Quòd ſi ſecus fecerint; ad reſtitutionem in foro conſcientiæ teneantur, ac præterea Epiſcopi ſeverè eoſdem puniant.

§. II.

Ad humandum mortuos, etiam pauperes, unus ex parochis, & alter ex Beneficiatis cum primùm vocati fuerint accedant [b], ſub pœna pondo quatuor in eleemoſynam Miſſarum pro animabus in purgatorio deten-

---

[f] Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 8. *De reform.* [t] Mex. 1. c. 16, 17. & Granat. tit. *De teſtam.* n. 1. [u] Granat. tit. *De teſtam.* n. 1. [x] Fundatur paragraphus iſte cũ ſeqq. in S. Conc. Trid. ſeſſ. 25. in decreto *De purgatorio.* verbo, *Curent autem Epiſc.* [y] Facit Guid. tit. 3. conſt. 30. * *Puniendus.* [a] Granat. tit. *De teſt.* n. 2. [a] Granat. tit. *De ſepult.* n. 7. [b] Granat. tit. *De ſepult.* n. 7.

detentis. In unaquaque verò parochia, vel ex fabricæ redditibus, vel ex eleemosynis erogatis, parochi duos cereos sibi comparent ad miserabilium personarum funera, curentque ut aliqui in comitatu corporis mortui sint, & ut aliquis sepulchrum effodiat.

§. III.

QUando Indus [a] aliquis testamento relicto migraverit; suffragia & pia legata ab eo dispositа executioni mãdentur: si verò hæredem necessarium habuerit; suffragia & pia legata hujusmodi quintam bonorum partem non excedant, cùm jure prohibitum sit in majore quantitate disponere. Si verò absque testamento [d] discesserit; quod est præcedenti decreto sancitum fiat. Cavetur tamen (quocumque modo, vel cum testamento, vel sine eo Indus moriatur) ne parochus aliquis sæcularis aut regularis, ex ejus bonis quicquam accipiat, etiam sub prætextu erogandi quintam eorum partem in suffragia pro defuncto. Quòd si curatus sæcularis secus fecerit; tantumdem solvat fabricæ Ecclesiæ, quantum ex bonis defuncti abstulit: regularis verò pro ratione culpæ ad præscriptum Concilii Tridentini [e] punietur.

§. IV.

UT corruptela quæ in has Indiarum partes grassata est, funditùs tollatur, quâ curati Indorum defunctis eorum corporibus humandis non intervenientes, id officii cantoribus relinquebant; præcipit hæc Synodus curatis omnibus, sæcularibus & regularibus, ut ipsi per se sepeliendis Indis intersint, & defunctorum officium celebrent, superpelliceoque induti cum cruce funeri occurrant loco ab Episcopo deputato. Justum enim non est, ut Indi teneri adhuc in Fide, exequias defunctorum à suis ministris parvipendi conspiciant, quod pusillis hujusmodi scandalo esse posset.

§. V.

CONvivia [f], crapulas, & ebrietates ab Indis in die depositionis defuncti admitti solitas, diligenti cura parochi eliminare contendant; eosque moneant, longè ab eo tempore id alienum esse debere. Si verò moniti non resipiscant; à parochis corrigantur.

§. VI.

QUò sancti templi, ubi divina officia celebrantur, decor servetur, omneque illud removeatur, quod impedimento esse possit assistentibus in Ecclesia, ut minùs attentè divina officia audiant, justisque aliis de causis, ad præscriptum constitutionis felicis record. Pii Papæ V. statuit hęc Synodus ac jubet, ne sepulchro ullius personæ, cujuscumque status illa sit * cenotaphium imponatur, nisi in diebus depositionis, exequiarum, & anniversarii: sepulchra lapidea [g] & lignea in Ecclesiis ne erigantur quæ earum pavimento immineant. quòd si secus fiat; sæculares id committentes ab Episcopo pro modo culpæ punientur; minister verò Ecclesiasticus consentiens, pondo decem multetur ad usum fabricę hujus Ecclesiæ, & cerę, quæ sanctissimo Eucharistię sacramento deservit. Sacellis itidem, templorum parietibus panni lugubres ne pendeant, nisi persona regia defuncta sit. In funeralibus [h] autem exequiis & anniversario plures quam duodecim faces aut cerei sepulchris ne incendantur. Quòd si plures sint; ad usum luminum sanctissimo Eucharistiæ sacramento applicentur.

§. VII.

QUando defuncti corpus ab aliqua Ecclesia ubi erat in depositо removetur; è sepulchro ante ne efferatur [i], quàm pro ejus juribus pondo duodecim in eleemosynam erogentur, quorum novem Beneficiatis, tres verò fabricæ illius Ecclesiæ tribuantur. Si verò proprietatis jure sepultum corpus in Ecclesia aliqua sit; in aliam nullatenus transferatur, nisi de Episcopi, ejusve officialis, aut visitatoris generalis expressa facultate in scriptis. Quâ obtentâ, hæredes viginti quatuor pondo in eleemosynam conferant, quorum decem & octo Beneficiatis, sex verò fabricæ Ecclesiæ, à qua corpus transfertur, applicentur. His verò juribus funeralia jura non intelliguntur comprehensa, quæ aliàs ex dispositione testatoris Beneficiatis provenire possunt.

§. VIII.

QUia verò rationi maximè consonum est, ut subditi Superiores amore prosequantur; præcipit hęc Synodus [k], ut defuncto aliquo Episcopo, omnes illius diœcesis sacerdotes, intra quatuor dies à die notitiæ, pro eo Missam unam de defuncto Episcopo celebrare teneantur, intra octo verò in singulis Ecclesiis Episcopatûs Missa una solennis celebretur cum responsorio, idque sine pompa, & sine Ecclesiarum sumptibus fiat.

LIBRI TERTII

TITULUS XI.

De parochiis. [l]

§. I.

UT inter parochos & Ecclesiarum ministros nulla sit caussa discordiæ; statuit hæc Synodus ac præcipit, ne ullus sacerdos, sæcularis aut regularis, sacramenta administrare audeat in his oppidis, quæ alterius jurisdictioni subsunt, sine Episcopi consensu, aut parochi proprii ejus regionis. Permittitur tamen, ut si iter agentes per aliquod oppidum transire contigerit, à quo proprius Beneficiatus abſit,

---

[a] Tex. *De jure regio*, in leg. 6. & 10. tit. 4. lib. 5 recopil. [d] Limense 3. act. 2. c. 29. [e] Sess. 25. c. 12. *de reform.* [f] Tex. in cap. *Nullus*, 44. d. * *Estrado*, ò *tarima*. Mexic. 1. cap. 24.

[g] Gran. tit. *De sepulturis*. n. 13. Milan. 1. 2. p. tit. *de sepulturis*, & Mila n. 4. tit. *de sepul.* [h] Lex regia 2. tit. 5. lib 5. recopil. [i] Gran. tit. *de sepult.* n. 11. & 12. [k] Granat. tit. *de celebr. Miss.* n. 32. [l] Mex. 1. c. 62. cum § secundo. Iurè & pie de hoc tit. loquitur Conc. Mil. 4. 2. p. tit. *de paroch.*

abſit; poſſint ſacerdotes hujuſmodi parvulos & adultos in caſu neceſſitatis baptizare, baptizatorum nomina deſcripta relinquentes, ut cùm proprius parochus venerit, ea in ſuum librum tranſcribat: itidemque confeſſiones audire poterunt, ſi ad id fuerint per Ordinarium approbati.

§. II.

MAndat hęc Synodus [m], ut regulares fontes baptiſmales non habeant, niſi in his tantùm Eccleſiis, ubi aſſignata eſt illis cura animarum; ibique nullos præter parochiales baptizabunt, nec matrimonio conjungent, aut eis nuptialem benedictionem porrigent, niſi de Epiſcopi, aut proprii parochi licentia. Quòd ſi ſecus fieret, matrimonia irrita eſſent &, nulla, ut eſt ſacri Concilii Tridentini [n] decreto ſancitum.

§. III.

QUia æquum eſt, ut unuſquiſque fidelium propriam parochiam, ubi ſancta ſacramenta ſuſcipit, recognoſcat; ſtatuitur & jubetur, ut, poſtquam mulier aliqua pepererit, intra menſem propriam parochiam adeat, ibique Miſſam audiat, ac pro beneficio accepto omnipotenti Deo gratias agat: ſi verò ſine juſta cauſſa id ampliùs differat; Epiſcopi arbitratu puniatur.

LIBRI TERTII

TITULUS XII.

De decimis & primitiis.

§. I.

CUratorum & miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio ad eos jure divino ſpectat, in quorum ſpirituali utilitate miniſtri Eccleſiæ ſeſe exercent. Eamque ob cauſſam ſancta mater Eccleſia decimas & primitias Eccleſiæ dari præcipit, quas ſanctum Concilium Tridentinum [p] integrè perſolvi juſſit, necnon omnes & ſingulos Chriſti fideles hortatum eſt, ut parochis & ſuperioribus, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, de bonis à Deo ſibi collatis, pro charitate Chriſtiana debitoque erga ſuos paſtores munere largè ſubveniant. Ad cujus Concilii præſcriptum [q] hęc Synodus ſtatuit & mandat, ut [r] omnes homines hujus Archiepiſcopatus & provinciæ (Indis exceptis) ad quos decimarum & primitiarum ſolutio ſpectat, eas quas de jure vel conſuetudine tenentur, integrè perſolvant ſine dolo & fraude, ſive diminutione, ſub pœnis à jure ſtatutis, & aliis quæ in Brevibus à Sede Apoſtolica ſpecialiter emanatis continentur. Confeſſarii verò omnes ſubditos ſuos doceant quid de ſolutione decimarum & primitiarum ſanctum Concilium decreverit, quantumque ad hoc decretum implendum aſtricti ſint. Quos autem repererint in hac parte muneri ſuo non ſatisfeciſſe; de gravitate commiſſę culpę admoneant, & de pœnis hac de cauſſa incurſis: nec eos ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſequuta, abſolvant: cùm juſtiſſimum ſit, ut à quibus ſpiritualia remedia percipiunt, temporali ſtipendio juvare non deſinant. Quoad Indos verò id ſervetur, quòd ſchedis [s], & exſecutorialibus regiæ majeſtatis diſpoſitum eſt.

§. IV.

COncilii Tridentini [t] auctoritatem ſequuta hęc Synodos; ſtatuit ne quiſquã, cujuſcũque gradus & conditionis ſit, decimarum & reddituum Eccleſiaſticorum ſolutionem impedire audeat, ſubtrahere aut occupare, directè vel indirectè, per ſe aut per interpoſitam perſonam, nec impediat exactionem, locationem, augmentum, & beneficium decimarum & reddituum hujuſmodi, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis & cenſuris contra eos à Jure & ab Apoſtolicis Brevibus ſtatutis, quas ipſo facto incurrant ſine alia ſententia, tam qui decimas ſibi uſurpant, aut earum exactionum impediunt, quàm qui id jubent, aut ad id conſilium, auxilium, favoremve præſtent: civitates verò & oppida tamdiu Eccleſiaſtico interdicto ſubjaceant, quamdiu delinquentes hujuſmodi retinuerint, aut conſenſerint, ſine reſtitutione ab eis plenè facta.

§. V.

ATtendens præterea hæc Synodus, ad alia perſolvenda Eccleſiis, quàm ad decimas & primitias, fideles non teneri, niſi ſpontè & voluntariè ea velint erogare; præcipit hæc Synodus, ne [u] ullus Indorum miniſter eos compellat directè aut indirectè ad oblationes in Miſſis, funeribus, aut aliis divinis officiis, & in feſtis titularibus locorum faciendas: nec occupare poſſit, exigere, aut petere quaſcumque exactiones (Indi *Suchiles* aut *Tamalaliztli* vocant) nec quacumque alia ratione, per ſe vel per fiſcales, aut quos vocant Indi *Teopantlacas*, aut alias perſonas, ſub pœna quinquaginta pondo pro prima vice, & dupli pro ſecunda, in fabricę ejus Eccleſiæ cujus fuerit miniſter, accuſatoris, & piorum operum uſus. Miniſtri tamen hujuſmodi accipere poterunt ab Indis quod ipſi ſpontè obtulerint, admonentes eos ad id non teneri, niſi ex voluntaria devotione: quo fiet, ut & qui ſacramenta miniſtrant, ac doctrinæ Chriſtianæ documenta tradunt, commodè ſuſtententur, & eorum ſubditi nullis extorſionibus & vexationibus opprimantur.

LI-

---

m Conc. Lim. 3. act. 4. c. 16. n Seſſ. 24. c. 1. *de reform. matrim.* o Guadix tit. 2. conſt. 18. p Seſſ. 25. c. 12. *de reform.* q Et ſeſſ. 22. c. 4. r Mexic. 1. c. 90. & Guadix tit. 7. conſt. 8. & Granat. tit. *De decimis*, n. 1. & Lim. 3. act. 4. c. 12. s Mexic. 1. c. 26. Y hay real cedula en el libro que dicen *de puga*. f. 195. t Seſſ. 25. c. 12. Tex. in Clem. *Cupientes De pœnis*, & in Clem. relig. *De decimis*. Mexic. 1. d. c. 90. § upiço. & Guad. & Granat. ubi ſuprà. u En Conc. Limeg. 3. act. 2. c. 38.

LIBRI TERTII

TITULUS XIII.

De regularibus & monialibus. [u]

§. I.

VOta paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ adeò in republica Chriſtiana ſemper magni æſtimata ſunt, ut à tempore Apoſtolorum ad noſtra uſque tempora Eccleſia commendaverit, prædicaverit, & perpetua traditione ſtatuerit ea, quæ ad votorum hujuſmodi plenam obſervationem viſa ſunt ei neceſſaria & opportuna. Nec ſolùm de religioſis omnibus ſemper curam habuit, ſed præcipuè monialium, & virginum Deo dicatarum clauſuram procuravit. Eſt enim is virginum ſtatus dæmonibus adeò inviſus, ut eas omnibus machinis expugnare & exagitare contendant, ita ut nullis conſtitutionibus vallari poſſe videantur, & ad impetum inimicorum retundendum muniri, ſi Epiſcopi, quibus monialium cura data eſt, diligenter non invigilant, ne ulla in hoc admittatur negligentia, quæ in re tanti ponderis & momenti eſſet valdè culpabilis. Ob id enim præcipuè huic virginum ſtatui Eccleſia clauſuram impoſuit, quia neceſſarium, aut ſaltem convenientiſſimum remedium eſſe duxit, ut virgines hujuſmodi nequaquam à propoſito ſuſcepto deterreantur. Iccircò cupiens hęc Provincialis Synodus, in omnibus & per omnia ſancti Concilii Tridentini * decreta ſequuta, huic accuratè proſpicere, has piè rectęque vivendi formulas ſequentibus decretis ſancitas obſervari præcipit.

§. II.

IMprimis curent Epiſcopi, ut in monaſteriis ſibi ſubjectis id omne obſervetur, quod de monialibus ſanctum Concilium Tridentinum [y] decrevit, præſertim quod de paupertate & clauſura, tam ab eodem Concilio, quàm à ſel. recordationis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. conſtitutum eſt, quam primùm exſecutioni mandare ſtudeant. Quia verò his præſidiis labefactatis atque convulſis, abſque ulla dubitatione religio detrimentum pateretur, & collaberetur; quo ad paupertatem præcipitur, ut ſi quicquam fuerit alicui monialium dono datum, aut teſtamento relictum, aut induſtriâ & labore quæſitum, conventui incorporetur, ideoque ad manus Præfectæ rectà deferantur, quæ pro ſua prudentia & humanitate imprimis ex hujuſmodi bonis ſubveniat arbitrio ſuo neceſſitatibus illius monialis, cujus operâ vel contemplatione fuerint parta. Quod verò reliquum fuerit, in communem uſum totius monaſterii convertat. Quo ad clauſuram verò animadvertant Epiſcopi, aut alii Superiores, ſe non debere facultatem concedere, ut aliqua monialis ex ſeptis monaſterii egrediatur; niſi in caſibus lippiæ, epidemiæ, aut gravis alicujus incendii, prout eſt conſtitutione ſel. recordationis Pii Papę V. [z] diſpoſitum. Nulli autem perſonę, niſi rationabilis & manifeſta cauſſa exiſtat, ſine Epiſcopi licentia in ſcriptis, ingreſſus, vel acceſſus ad monaſteria pateat, juxta conſtitutionem Bonifacii VIII. quę incipit: *Periculoſo* [a]; à ſacro Concilio Tridentino * renovatam. Superioribus quoque, vicariis, & abbatiſſis, ſeu præfectis monaſteriorum præcipitur, ne pueri parvuli aut puellæ ullatenus intra monaſteria ducantur. Quòd ſi ſecus fecerint; Prælatis injungitur in foro conſcientię, ut in hoc abbatiſſę, aut cujuſvis alterius monialis negligentiam & exceſſum corrigant, cum ſuſpenſione officii ſi opus fuerit.

§. III.

QUandocumque [b] in monaſteriis monialium Ordinario ſubjectis, abbatiſſæ, prioriſſę, aut cujuſvis alterius nominis præfectæ officium vacaverit, & de novo eligi debuerit; Epiſcopus per ſe, aut per ſuum vicarium, vel alium quem voluerit ad id deputare, monaſterium & omnes moniales viſitet; ita ut viſitatio electionem præcedat.

§. IV.

EX Tridentini [c] Concilii juſſu major monialium numerus in monaſterio ne recipiatur, quàm qui pro modo & facultate loci, & conſuetis eleemoſynis, & redditibus commodè valeat ſuſtentari: neque is numerus, niſi facta proportionabili reddituum acceſſione, augeri poſſit. Præfectis verò in virtute ſanctę obedientiæ præcipitur, ut totum id quod pro ingreſſu alicujus monialis pro eleemoſyna perceperunt, in redditibus & bonis immobilibus monaſterii collocent. ſi quid verò ex eo ſumptuum faciendum aliquo modo eſt; id ſine conſenſu Epiſcopi ne fiat. Præfectæ verò monialibus ſubditis ita quæ ad victum neceſſaria ſunt tribuere procurent, ne à parentibus illud moleſtè petant.

§. V.

QUando monialium monaſteria viſitantur, initio viſitationis Prælatus, aut ſi impeditus fuerit, viſitator ab eo ſpecialiter deputatus, monaſterium ingrediatur, duobus aut tribus viris honeſtate vitæ & morum integritate probatis ſibi in comites adhibitis; perluſtretque diligenter qualitatem domûs, officia, & reliqua ad id neceſſaria: in fine verò viſitationis, quando capitulum ad corrigendum exceſſus congregandum eſt, viſitator eodem modo comitatus monaſterium ingredi poterit. Reliqua verò alia ante cancellorum feneſtellam, aut in loco collocutioni deputato per-

---

[u] De hoc tit. Conc. Tolet. act. 3. c. 25. & Milan. 1. p. 3. tit. *De monialibus.* cum ſeqq. & Milan. 4. 3. p. tit. *Quæ pertinent ad regul.* & 5. Conc. Milan. tit. *Quæ ad moniales pertinent.* * Seſſ. 25. tit. *De regular.* [y] Seſſ. 25. c. 2. *De regul.* Tol. act. 3. c. 25. & Syn. de Quiroga conſt. 96. & Provinc. ejuſdem Quiroga act. 3. c. 43. Pio V. & Gregor. XIII. [z] Pii V. [a] In cap. *Periculoſo. De ſtatu regul. lib. 6.* * Seſſ. 25. c. 3. *de reg.* [b] Provinc. de Quiroga act. 3. c. 44. [c] Seſſ. 25. c. 3. *de regul.* Concil. Tarraconenſe c. 26. & 31. Concil. Remenſe c. 33. Tex. in cap. 1. *De inſtitut.* & in cap. *Auctoritate.* 5. *Sanè. De ſtatu reg.* lib. 6. & Lim. 3. act. 3. c. 33. & jura, & Conc. Concordantia refert Ioan. Trullo in *Expoſ. reg. canon. regul.* lib. 2. cap. 19. num. 2. Limenſe 3. act. 3. cap. 34.

peragat. Si verò extra hos caſus viſitatorem in monaſterii ſepta ingredi oporteat; id ſine facultate Epiſcopi in ſcriptis ne faciat, juxta formam Concilii Tridentini [a].

§. VI.

ABbatiſſæ [e] ſive præfectæ monialibus ſubditis facilè ne concedant, ut cum ſæcularibus hominibus loquantur, niſi ii parentes ſint, fratreſve, aut conſanguinei: idque frequenter ne fiat. Nunquam tamen conſentiant, ut ſine aliqua auſcultatione ſeculares alii moniales alloquantur. Quibuſcumque etiam perſonis interdicitur, ne loca in monaſteriis monialiũ collocutionibus deputata frequenter adeant. Sin minus perſona illa ſive ſæcularis, ſive regularis, cujuſcumque gradus & conditionis ſit, quæ ſæpiùs cum aliquibus monialibus colloquatur, aut conſuetudinem habeat ſine facultate prædicta, graviter puniatur, juxta conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit: *Monaſteria*. & aliis etiam pœnis pro modo culpæ & ſcandali quod inde generabitur, invocato, ſi opus fuerit, ad id brachii ſæcularis auxilio. Nec permittatur, ut Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis vir, aut monaſteria adeat, vel ea ingrediatur, ratione inſtruendi moniales in cantu, niſi juſtâ aliquâ de cauſſa, Superior ad id facultatem conceſſerit; in qua facultate concedenda Superioris conſcientia maximè oneratur, ut eam non concedat, niſi ob urgentem neceſſitatem, aut communem utilitatem. Cùm verò alicui perſonæ ad cantum docendum monaſteria adire conceditur; nequaquam intra ſepta monaſterii ingrediatur, ſed id ante cancellorum feneſtellam præſtet. aliter pœnas incurrat à Concilio Tridentino ſtatutas.

§. VII.

UT omnis avaritiæ aut ſimoniæ labes obvietur, præcipit hęc Synodus, ut quando * mixta aliqua fœmina in monialem alicujus monaſterii recipiatur (quod niſi de Superioris ſpeciali conſenſu fieri non poteſt.) pro eleemoſyna ampliùs quàm aliæ ne det. Neque ab ea quicquam petatur eo quòd ad choro inſerviendum admittatur, niſi illud tantùm quod ſolent dare aliæ, quæ ad hujuſmodi effectum recipiuntur. Si enim ſecus fiat, ſimoniæ ſcrupulo non caret.

§. VIII.

AMbitio diſſenſionis & invidiæ origo omnino eſt à monaſteriis, tamquam teterrima peſtis, propulſanda. Quam ob cauſſam ſtatuitur ac jubetur, ne ulla monialis *f* ambiat, aut ullo quovis modo, ſive directè ſive indirectè, per ſe aut per aliam interpoſitam perſonam, honores officiave cujuſvis generis ſui monaſterii quærat, ſub hac conſtituta pœna; ut ea, & quę ſibi in ea re fuerint, per tres ſextas ferias ad pedes ſingularum monialium terram deoſculantes, ſuam accuſent ambitionem: ipſaque præterea ſi id officium conſecuta erit, eo cæteriſque muneribus privetur Superioris arbitratu, juxta conſtitutiones ſingulorum monaſteriorum, ſingulæ moniales, propria voluntate depoſita, & ad obtemperandum paratæ, ſibique Dei gloriam & communem monaſterii utilitatem tantummodo proponentes, ad honores & officia eas eligent, quas omni remoto humanitatis affectu, impulſu Spiritûs ſancti magis idoneas ad id munus eſſe judicaverint.

§. IX.

PRæfecta, quocumque nomine appelletur, ex Tridentini Concilii [g] decreto, ne minor quadraginta annis eligatur, quæve in vitæ honeſtate laudabiliter vixerit octo annis poſtquam profeſſa eſt. Quòd ſi in eodem monaſterio non ejuſmodi reperiatur juxta Concilium Tridentinum ex alio ejuſdem ordinis eligi poſſit. Sin autem Superiori, qui electioni præeſt, hoc etiam incommodum eſſe videatur; Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur ex his quę in eodem monaſterio triginta annis majores natu ſint, quæ annis ſaltem quinque poſt profeſſionem rectè vixerit. Hujuſmodi verò præfecta, & ejus vicaria, diſcretæ etiam, quæ alio nomine matres conſilii vocantur; ubi eæ à capitulo eligi conſueverunt, coram Superiore aut ejus miniſtro eligantur, qui extra monaſterium ad cancellos ſtet, ex decreto Concilii Tridentini [h].

§. X.

OFficia earum quæ electę ſint in abbatiſſam vel prioriſſam; per tempus in conſtitutionibus ſingulorum Ordinum & monaſteriorum præſcriptum durent. Poterit tamen Superior eas ante tempus officio præfinitum inde movere, ſi id malè adminiſtrant. Quæ verò canonicè electę fuerint; officia ſuſcipiant, & eorum munera ſine recuſatione humiliter exſequantur. Quæ aliter fecerint ſine juſta cauſſa, quæ Superiori probata ſit; jure ſuffragii priventur, ut ne ipſæ alias eligere, neque ab aliis eligi poſſint, arbitrio Superioris.

§. XI.

NUlla præfecta [i], etiam cum diſcretarum & totius conventus conſenſu, bona monaſterii alienare, permutare, locare, aut contrahere ullo modo poſſit, niſi cum facultate Superioris in ſcriptis, ſervatis item cæteris quę jure ſervari debent: aliter contractus irriti ac nulli ſint; neque item ædificare poterit, niſi conſentiente Superiore, cujus prudentiæ eſt providere, ut id quàm minimo ſumptu commodè & decenter fiat.

§. XII.

---

a Seſſ. 25. c. 5. & 7. *e* Milan. 1. p. 3. tit. *De clauſura, & quæ ad eam tuendam aliqua ratione pertinent.* verbo: *Hoc autem edicto.* & Limenſe 3. act. 3. c. 35. Tex. in cap *Monaſteria. De vita & honeſt. clericor.* Milan. 1. p. 3. d. tit. *De clauſ.* verbo: *Quicumque.* & Guadix tit 5. conſt. 13. & Gran. tit. *De vita & honeſt. clericor.* n. 16. Synod. de Quitoga conſt. 56. in fine. & Synod. de Oſma tit. 8. conſt. 1. § 7. & Provinc. de Burgos lib. 3. *De vita & honeſt. clericor.* c. 11. ad finem Limen. 3. act. 3. ap. 36. * *Meſtiça.* *f* Milan. 1. p. 3. tit. *De præfect. & aliis miniſtr. monialium.* verb. *Nulla monialis.* & verbo, *Singulæ.* *g* Seſſ. 25. c. 7. *De reg.* Milan. 1. p. 3. tit. *De præfect.* verb. *Præfecta.* *h* Seſſ. 25. c. 6. *De regul.* Mexic. 1. 3. p. tit. *De præfectis.* verbo: *Earum officia.* & verb. *Quæ electa fuerint.* *i* Milan. 1. p. 3. tit. *De præfectis.* verbo: *Præfecta & monialer.*

§. XII.

CUM primùm puella aliqua ad ſuſcipiendum ſacrum habitum offertur; monialium præfecta parentes, vel eos, quorum curæ puella commiſſa eſt, admoneat de excommunicatione quæ propoſita eſt à ſacro Tridentino [k] Concilio, his, qui virginem aliquam, viduam, aut aliam mulierem invitam cogunt monaſterium ingredi, aut religionem profiteri: idemque fiat ab eorum Superiore, quo doctus conſenſus requiretur. Præfecta autem & moniales de puella earum ſuffragiis ad ſuſcipiendam religionem admittenda, quicquam polliceri, aut capitulum cogere non audeant, priuſquam libero loco, ab Epiſcopo, aut ab eo, cui ipſe id munus delegârit, puella ſecretò examinata ac probata, facultatem ſuſcipiendi in eo monaſterio religionem ſcripto conſequuta fuerit [l].

§. XIII.

QUoniam ex Concilii Tridentini [m] decreto, profeſſio ante decimum ſextum annum expletum, & ante annum probationis poſt ſuſceptum habitum facta nulla eſt, nullamque parit obligationem; curent Epiſcopi ne novitia ulla ante illam ætatem & tempus ad profeſſionem admittatur: novitiæ autem cauſsâ ante profeſſionem, ex decreto Concilii Tridentini * nihil monaſterio detur, præter id, quod neceſſarium ad victum & veſtitum ejus pro tempore quo fuerint in novitiatu, quòd totum æſtimari debeat à Superioribus, & ad id repreſentandum, antequam puella monaſterium ingrediatur, omnibus juris remediis iidem ſuperiores utantur. Nulla autem renunciatio bonorum à novitia fiat, niſi quemadmodum à Concilio Tridentino [n] juſſum eſt.

§. XIV.

QUò multis incommodis occurratur, & omnis tollatur occaſio, ne quæ ad regularem habitum admittuntur, & in eo profeſſionem faciunt, vel vim vel ignorantiam prætendant; ex decreto Concilii Tridentini [o] ſtatuit & decernit hæc Synodus, ut de voluntate ejus, quæ habitum regularem ſuſceptura eſt, aut in eo profeſſura, Epiſcopus per ſe inquirat, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat. Si verò Epiſcopus legitimè impeditus fuerit; ejus conſcientiæ injungitur, ut ad id perſonas prudentiâ & vitâ probatas deputet, à quibus optima hujus miniſterii exſecutio expectetur. Præfecta autem monaſterii triginta antè diebus Epiſcopo ſignificet, quo tempore novitia profeſſura ſit. Si verò id facere neglexerit; ejuſdem Concilii Tridentini [p] decreto ab ejus officio tamdiu amoveatur, quamdiu Epiſcopo videbitur.

§. XV.

UT puriori & integriori conſcientia moniales in Dei cultu ſeſe exerceant; hæc Synodus Prælatis, aut his, qui eorum nomine virginum monaſteriorum curam gerunt, præcipit, ut monialibus confeſſores præficiant, & ætate provectos, & prudentes, & Deum timentes, qui ſingulis ſaltem menſibus peccata monialium audiant, eiſque ſacroſanctam Euchariſtiam adminiſtrent, quemadmodum ſacrum Tridentinum [q] Concilium jubet: ex cujus quoque decreto juſſum eſt, ut Epiſcopus, aut alii Superiores, præter ordinarium confeſſorem, alium extraordinarium monialibus offerant, bis aut ter in anno, qui earum confeſſiones audire debeat: cujus decreti exſequendi curam hæc Synodus Prælatis imponit.

§. XVI.

TAmetſi hæc Synodus non reprobat, immo potiùs laudat, & approbat quarundam mulierum ſtatum, quæ extra monaſteria in habitu honeſto degentes, voto ſimplici ad ſervandam Deo caſtitatem ſe aſtringunt; nihilominus præveniens eadem Synodus, ne ſub devotionis ſpecie prædictæ mulieres licentioſè huc illucque vagantes diſcurrant; & ob ſimilitudinem habitûs ſanctimonialibus ignominiam inferant; ſtatuit ac præcipit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut nulla prædictarum mulierum, quas *beatas* vocant, habitum alicujus religionis approbatæ deferat. Declarat tamen hæc Synodus his decretis ad religioſam gubernationem pertinentibus, aliquam ex conſtitutionibus monialium nolle revocare, nec ei ullatenus præjudicium inferre, nec facultatem à Prælatis auferre, quam ipſi habent, circa ea quæ Juri non adverſantur, mutandi conſtitutiones, aut alias de novo adjungere, prout eis viſum fuerit, juxta neceſſitatum & temporum occaſionem. Hec verò Synodus magiſtratus, & juſtitiæ miniſtros Catholicæ majeſtatis monet & hortatur, ut ad exſecutionem horum decretorum, quę ut plurimum ex jure communi, ex Concilio Tridentino, & ex Romanorum Pontificum propriis motibus deſumpta ſunt, favorem & auxilium opportunum præſtent, ut decreta hæc ad Dei omnipotentis honorem dirigantur.

§. XVII.

NE verò exemptiones & privilegia regularibus à Sede Apoſtolica conceſſa, ullius perturbationis cauſſa ſint; neceſſarium eſt, ea declarare, quę ex decretis Concilii Tridentini, regulares obſervare tenentur, & in quibus ſubditi eſſe debeant Archiepiſcopis & Epiſcopis. Quare teneri eos declaratur publicis proceſſionibus intereſſe, quotieſcumque ab Epiſcopo vocentur, teneri quoque interdicta

&

[k] Seſſ. 25 c. 18. *De reg.* Milan. 1. p. 3. tit. *De puellis ad religionem admittendis* Et verbo: *Præfecta & moniales.* [l] Seſſ. 25. c. 17. *De regul.* [m] Seſſ. 25. c. 15 *De regul.* Milan. 1. p. 3. tit. *De novitiis ad profeſſionẽ recipiendis*, verbo: *Quoniam*, & verbo *Novitia.* *Seſſ. 25. c. 6. *De regular.* [n] Seſſ. 25. c. 16. *De regular.* [o] Seſſ. 25. c. 17 *De regular.* Milan. 1. 3. p. tit. *De novitiis ad profeſſionem recipiendis*, verbo: *Præfecta autem*, & Milan. 5. tit. *Quæ ad moniales pertinent*, verbo *Cùm novitia.* [p] Seſſ. 25. c. 17. *De regular.* [q] Seſſ. 25. c. 10. *De regul.* Milan. 1. 3 tit. *De concionatoribus confeſſoribus, viſitatoribus, & cappellanis* verbo: *Præficiantur.* Conc. Provinc. de Quiroga act. 3. c. 45. [r] Seſſ. 7. c. 12. & 13. Seſſ. 23. c. 15. Seſſ. 24. c. 4. Seſſ. 12. c. 13. Compoſtel. act. 3. c. 36. & Milan. 1. p. 2. tit. *De proceſſionib. & ſupplicationib.* verbo; *Ad hujuſmodi.*

& cenſuras ab Ordinario impoſitas ſervare, & in ſuis monaſteriis & Eccleſiis publicare, quando eis injunctum fuerit.

§. XVIII.

ITidem ad ordines promoveri, aut alicujus perſonæ ſæcularis (etiam ſi ſacerdotes ſint) confeſſionem audire non poſſint, niſi priùs ab Ordinario examinati probentur. Præterea Epiſcopo non conſentiente, aut ſi priùs coram eo cum ſuorum Superiorum conſenſu non ſe conſtituerint, & ab eo benedictionem acceperint; verbum Dei non prædicent: extra monaſteria verò, niſi examinati & approbati ab Ordinario itidem prædicare non poſſint.

§. XIX.

JUxta id, quod à Concilio Tridentino [o] decretum eſt, & per ſchedam regiæ majeſtatis diſpoſitum, regulares, qui Indorum curam gerunt, ab Ordinariis viſitari, eiſdemque ſubditi eſſe debent, tam quoad doctrinam edocendam, quàm quoad ſacramenta adminiſtranda. Qui ſi publicè deliquerint; ab Ordinariis ad ſuos Superiores tranſmitti debent. Si verò à Superioribus intra terminum ab Ordinariis præfixum non corrigantur; delinquentes hujuſmodi Ordinarii ipſi puniant, ut eſt à ſancto Concilio Tridentino [p] diſpoſitum, & ſuprà titulo *De Epiſcoporum officio* jam dictum.

§. XX.

REgulares [q] ab inſtituto religionis ſuſcepto deficientes, Epiſcopi favoribus proſequi non debent, tum quia nihil boni ab his ſperandum eſt, qui promiſſum Deo votum non ſervant, tum quia ſi ii protegerentur, aliis daretur occaſio, ut eorum nequitiam imitarentur. Eam ob cauſſam interdicitur, ne regulares hujuſmodi ab ullo Epiſcopo eligantur aut deputentur in vicarios, Beneficiatos, cappellanos, aut doctrinæ miniſtros, ut ſic derelicti ii ad inſtitutum Religionis redeant, & alii à ſuſcepto propoſito diſcedere vereantur. Si verò regularis aliquis (etiam retento habitu) extra monaſterium vagetur; huic facultas non concedatur ſacrum peragendi, niſi priùs ejus literæ teſtimoniales ab ipſiſmet Epiſcopis examinentur.

§. XXI.

STatuitur itidem ac prohibetur in hoc Archiepiſcopatu & provincia, ne [r] eremitæ, aut aliæ perſonæ permittantur, quæ extraordinarium habitum induentes, alium ſibi ſingularem vivendi modum præſcribant, quàm eum quem probatæ Religionis inſtituta admittant, ut multa incommoda vitentur, quæ, ut experientiâ compertum eſt, inde evenire ſolent.

LIBRI TERTII

TITULUS XIV.

De religioſis & piis domibus.

§. I.

ECcleſiæ, eremitoria, & alia pia loca, ut quemadmodum oportet conſerventur & adminiſtrentur, ex Juris diſpoſitione Epiſcopo debent eſſe ſubjecta. Atque adeò in exſecutionem Concilii Tridentini [s] præcipitur, ut de cætero ſimilia loca non erigantur, ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, facultate priùs obtenta, ſub pœna excommunicationis majoris. In facultatibus verò ad id concedendis ſervent Epiſcopi quod ſuprà titulo *De officio Epiſcoporum* ſtatutum eſt. Advertant tamen, ne in Eccleſiis Indorum ſub prætextu cuſtodum aut cantorum major numerus perſonarum conſtituatur, quàm qui videbitur neceſſarius. Qui verò ad Eccleſias hujuſmodi admittendi ſunt, bonæ vitæ & morum famâ polleant, & Catholicæ fidei myſteriis ſint bene inſtructi. Sacroſancti Concilii Tridentini auctoritatem ſequuta hæc Synodus ſtatuit, ut quæ capitulo octavo & nono, Seſſione viceſima ſecunda Concilii ejuſdem decreta ſunt, omnino obſerventur.

§. II.

ECcleſiæ [t] omnes, monaſteria, & eremitoria, domus, & loca pia, ut eis debita reverentia ſervetur, & incommodis multis in Dei offenſam occurratur; dato ſigno campanæ ad orationem quæ fit in ſolis occaſu, claudantur per totum annum, præſertim verò feriis ſextis, & aliis Quadrageſimæ diebus: ab eaque hora uſque quò dies illuxerit, nullatenus aperiantur, nec ratione Jubilei, feſtorum, aut indulgentiarum: aliter qui Eccleſiarum & locorum piorum hujuſmodi curam gerunt, graviter punientur pro modo culpæ, in quo Epiſcoporum conſcientiæ onerantur. Excipiuntur tamen tantùm noctes Nativitatis Domini noſtri, feriæ quintæ in Cœnâ Domini, feriæ ſextæ in Paraſceve, Reſurrectionis Domini. Ne verò nocturnæ ſtationes fiant, Epiſcopi neceſſarium adhibeant remedium.

§. III.

EPiſcoporum proprium eſt (qui patres indulgentiſſimi erga pauperes & egenos eſſe debent) procurare, ut pia charitatis eleemoſynarumque opera augeantur; & ea his adminiſtrandis cura adhibeatur, quo finis

ad

---

o Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. p Seſſ. 5. c. 2. Seſſ. 24. c. 4. Mex. 1. c. 9. & Gran. tit. *De pœnitentiis & remiſſionibus*. n. 4. & 5. Syn. de Quiroga conſt. 12. & Provinc. ejuſdem Quitogæ act. 3. c. 47. & Limen. 3. act. 2. c. 14. q Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 14. Ay cedula Real dada en Barcelona por Junio de 1585. Seſſ. 25 c. 14. Mex. 1. c. 58. & Synodal. de Quiroga conſt. 81. & Limen. 3. act. 3. c. 10. r Mex. 1. c. 35. §. 2. s Seſſ. 25. c. 3. *De regular.* Mexic. 1. c. 35. cum §. 1. & Granat. *De religioſis & piis domibus*. §. 1. in princip. & ſynod. de Quiroga conſt. 76. Conc. Milan. 4. tit *De Eccl. fabrica*. t Mexic. 1. c. 75 Granat. ubi ſuprà, §. 1. & Synodal. de Quiroga conſt. 78. Tex. in cap. *Decet. De immunitate Eccl.* lib 6. Mexic. 1. c. 27. §. unico ad finem, & Compoſtel. act. 2. c. 11. & Milan. 1. p. 2. tit. *De Eccleſiis & earum cultu*. verb. *reſt.* & Granat. tit. *De celebrat. Miſſar.* n. 31. & Tolet. act. 2. c. 20.

ad quem inſtituta ſunt, comparetur. Eam ob cauſſam ad præſcriptum Concilii Tridentini [a] jubetur, ut in hoſpitalibus Ordinario ſubjectis, ad optimam eorum adminiſtrationem ſequentes conſtitutiones obſerventur.

§. IV.

NE in hoſpitalia infirmus aliquis, ut ei medicamenta applicentur, excipiatur, qui ſuis ſumptibus id efficere valet. Si ob juſtam aliquam cauſſam admitti debeat; ea conditio ei ſtatuatur, ut quicquid in ægritudine impenſæ fecerit, hoſpitali reſtituat, & aliquid etiam in eleemoſynam eroget, niſi aliter fuerit fundatoris voluntate diſpoſitum.

Pauperes omnes ægroti, qui ut ab ægritudinibus convaleſcant in hoſpitalia recipiuntur, antequam eis lectus tribuatur, vel intra tres dies poſt ſibi attributum lectum, peccata ſua confiteantur. Sin minus medicus nec eos viſitet, nec eis medicamenta applicentur: adminiſtrator verò ſeu rector, ita adimpleri faciat, ſub pœna aurei unius.

In hoſpitalibus nullus pauper ludat, nec juret: ſin minus, foras ejiciatur.

Omnibus diebus Dominicis, feſtis ſolennibus, & aliis diebus, ſi fieri poterit, in hoſpitalibus Miſſa celebretur, curetque adminiſtrator, ut eam omnes integrè audiant: in hoſpitalibus verò, ubi ſacellum eſt, & plebis multitudo convenit ad ſacrum audiendum, illud Dominicis diebus & feſtis ſolennibus ne peragatur, dum Miſſa ſolennis in Eccleſia parochiali celebratur. Nulla autem Miſſa, aut officium cantetur in hoſpitalibus, niſi à Beneficiato, vel Beneficiatis parochiæ, aut de eorum conſenſu. Singulis noctibus poſt datum campanæ ſignum ad orationem, & etiam ſummo manè, adminiſtrator jubeat, ut aliquis miniſter alta voce Chriſtianam doctrinam pauperibus recitet, eique pauperes reſpondere teneantur. In valetudinariis autem, ſeu infirmariis, tabella, & item altera in ſacello hoſpitalium collocetur, quibus doctrina Chriſtiana deſcripta ſit.

Oratorium quoque cum ſanctiſſimæ crucis imagine, aliiſve imaginibus, & aqua benedicta in hoſpitalibus conſtituatur, adminiſtratorque pauperes, qui per hoſpitale deambulant, ibi preces ad Deum effundere faciat, cùm in lecto cubaverint, vel ab eo ſurrexerint.

Hoſpitalium præfecti omnem eorum ſupellectilem nitidam ſervent, curentque diligenter, ne qui contagioſis morbis ægrotant aliorum pannis involvantur: dormitoria, ut vocant, virorum & fœminarum diviſa ſint & ſeparata.

Adminiſtratores hoſpitalium nullatenus vages, ebrioſve, nebulones, inimicitias gerentes, & iſtiuſmodi nequiſſimos homines recipiant: inobedientes verò, & delinquentes, cùm opus fuerit, corrigant, eoſque vinculis coërceant, contumaces verò foras ejiciant.

Itidem rectores ne patiantur, ut in hoſpitalibus à pauperibus aliquid extorqueatur, eo prætextu, quod lumen, aut ignis, aliave hujuſmodi eis ſuppeditentur.

Sacramenta quoque pauperibus ſuorum hoſpitalium rectores adminiſtrent, ſi ab Epiſcopo examinati, ad id facultatem obtinent; pauperes etiam in articulo mortis hortentur, eiſque in eo articulo omnia neceſſaria provideant; nec ſolos eo tempore ægrotos deſerant. Idque omne curati parochiarum in his hoſpitalibus præſtabunt, ubi rectores non ſint conſtituti, ſub pœna quatuor pondo. Defunctos etiam pauperes, ſi in eiſdem hoſpitalibus ii ſepeliantur, Beneficiati & curatus parochiæ ſepeliant.

Libros habeant adminiſtratores, eiſque infirmorum nomina inſcribant, quibus lecti attributi ſunt, cum die, menſe, & anno, quando hoſpitalia ſunt ingreſſi, patriâ etiam, ætate, officio, & ſtatu, ſupellectilique, & pecuniis quas ſecum attulerunt. Curent etiam, ut teſtamenta condant, eiſque in memoriam revocent, ut hoſpitali (ſi fieri poteſt) ſuccurrant. Quòd ſi obierint, eos in libro deſcribant, ita ut heredibus de eis rationem reddere poſſint. Si verò convaluerint; quando ex hoſpitali diſceſſerint, pecunias & omnem ſuam ſupellectilem eis reſtituant.

Hoſpitalium præfecti curent diligenter, ne qui ad videndos ægrotos convaleſcentes acceſſerint, eis fructus aut alia eſculenta porrigant, præter id quod medicus juſſit. Si verò compertum ſit ſecus fuiſſe factum; rector, ſeu adminiſtrator, præfectum hoſpitalis ſuo arbitratu puniat.

Rectores, tempore quo pauperes prandent & cœnant, valetudinariis (quæ infirmariæ vocantur) interſint, & unicuique id ſuppeditari curent, quod à medico conſtitutum reperietur in tabella, aut libro, quem ad effectum hujuſmodi habere debent.

Ii, quibus incumbit cura emendi ea, quæ ad uſum hoſpitalium ſunt neceſſaria, curent diligenter, ut in eo officio cum omni utilitate & commoditate hoſpitalium ſeſe exerceant. Injungit præterea hæc Synodus omnibus hoſpitalium miniſtris, ut accuratiſſimè eorum commodis conſulant, reique eorum familiari proſpiciant.

Omnes etiam hoſpitalium miniſtri Chriſtiano zelo ardeant, miſericordes, benignos, fideles ſe præbeant, confiteantur peccata ſua, ſacramque Euchariſtiam percipiant in Quadrageſima, Nativitate Domini, in die Reſurrectionis, & Pentecoſtes, aliiſque feſtis pro eorum devotione. Hujus verò rei rectores curam gerant, necnon ut pauperes omnes peccata ſua confiteantur, ſaltem in Quadrageſima: quem verò ſecus facere compererint, corrigant, &, ſi opus eſt, ab hoſpitali expellant.

§. V.

[a] Sess. 7. c. 15. Sess. 22. c. 8. & 9. Conc. Milan. 4. p. 3. tit. *Quæ ad pia loca pertinent.* ab hoc §. 3. uſque ad finem hujus tituli. vide Granat. tit. *De religioſis & domibus.* & n. 4. uſq. ad 19. & Milan. 4. ubi ſuprà.

§. V.

PRæter has cõſtitutiones, in unoquoque hoſpitali peculiares quoque regulæ ab Ordinario, ſeu ab ejus officiali, aut viſitatore probatæ & examinatæ, unicuique officio ſtatuantur. Quas regulas omnes ſervare debeant. Aliter qui ſecus fecerint, plectantur, uſque ad expulſionem. Epiſcopi verò, quæ magis ſibi expedire videbuntur, pro ratione circumſtantiarum loci & cauſſę poterunt ſtatuere.

LIBRI TERTII

TITULUS XV.

De celebratione Miſſarum, & divinorum officiorum. *

§. I.

UT ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, in qua illa Deo Patri placens hoſtia Jeſus Chriſtus in odorẽ ſuavitatis offertur, ſingulari religione ac pietate, & à ſacerdotibus celebretur, & à populo colatur; hęc Synodus decernit ac jubet, ut tã in Cathedralibus quàm in parochialibus Eccleſiis omnibus hujus Archiepiſcopatus & provincię, præbendati, parochi, & Beneficiati, ceteriq́ue ſacerdotes & miniſtri, in celebrãdis Miſſis, & divinis officiis recitandis omnino ſeſe accommodent ad Miſſale & Breviariũ ex Concilii Tridentini decreto edita, & ad inſtitutiones ſuarum Eccleſiarum, Miſſali & Breviario Romano minimè contrarias.

§. II.

QUoniam verò, ut rebus permultis conſultum eſſet, quæ expreſsè in Miſſali & Breviario Romano, & in erectionibus & conſtitutionibus Eccleſiarum hujus provinciæ non continentur; hæc Synodus ſacroſancti Concilii Tridentini y auctoritate innixa, Rituale, ſeu Cęremoniale ad uſum hujus Archiepiſcopatus & provinciæ conſtituit & approbavit. Idemq́ue ad cultũs divini decorem & ornatum plurimum conferre cenſuit. Iccircò eadem Synodus præcipit, ut Ritualis, ſeu Cæremonialis hujuſmodi forma inviolabiliter obſervetur, poſtquam à Sede Apoſtolica reviſum fuerit. Epiſcopos verò, & chori præfectos monet & hortatur, quatenus illud exſecutioni plenè mandari faciant, ſub pœnis in Rituali ſtatutis, de cujus obſervatione in Synodo Provinciali Epiſcopi rationem reddant.

§. III.

IN unaquaque Cathedrali Eccleſia magiſter cæremoniarum ab Epiſcopo & capitulo conſtituatur, qui ſacerdos ſit probatis moribus, & in divinis officiis, & cæremoniis valdè exercitatus, cui æquis ſumptibus, capituli, Epiſcopi, & fabricæ ſtipendium detur. Magiſtri autem cęremoniarum officium erit, tam aſſiſtentes choro, quàm altari miniſtros officii ſui admonere, ut in eo unuſquiſque cæremoniarum ritum obſervet. Obedientia verò magiſtro hujuſmodi cæremoniarum præſtanda eſt, eumq́ue omnes audiant in divinis officiis cum debitis cęremoniis celebrandis: aliter enim confusè ac perturbatè ageretur. Officium quoque magiſtri cæremoniarum erit, presbyteros recèns promotos examinare & probare, eiſq́ue ad primam Miſſam celebrandam facultatem concedere. Quia verò in cultu exteriori rituum confirmatio admirabilis harmoniæ cauſſa eſt, & ad devotionis augmentum plurimum confert; hæc Synodus jubet, ut omnes presbyteri, cujuſcumque qualitatis & conditionis exiſtant, à magiſtro cæremoniarum hujuſmodi denuò examinentur in cæremoniis & ritibus Miſſalis Romani, ex decreto Concilii Tridentini editi, idq́ue Epiſcopus quamprimum fieri poſſit adimpleri faciat.

§. IV.

OPtimè in Eccleſia conſtitutum z eſt, ut clerici à ſecularibus, ſicut dignitate, ita etiam in loco diſtinguantur. Sic enim clericalis ordinis dignitas melius conſervatur, & ab attentione & animi reverentia, quam clerici divinis officiis adhibere debent, minimè prohibentur. Quæ tam laudabilis conſuetudo, tamq́ue omnium Catholicorum probata conſenſu, ut obſervetur; hæc Synodus ſtatuit ac mandat, ne Eccleſiarum Cathedralium choros dum divina peraguntur officia, ſæculares perſonæ ullatenus ingrediantur, nec intra chori cancellos admittantur, exceptis modulatoribus, ſive cantoribus, qui choro inſerviunt.

§. V.

HIS itidem temporibus quibus clerici, vel ad verbum Dei audiendum, vel ad divina officia celebranda in choro conveniunt, nullatenus permittatur, ut fœmina aliqua chorum intret, aut in excelſo vel ſublimi chori loco ſedeat, ſub pœna excommunicationis. Clerici omnes, etiam illi qui primâ tantùm tonſurâ inſigniti ſunt, ad divina officia celebranda ſuperpelliceo induti ingrediantur, ſecus verò eis intra cancellos chori ingredi prohibeatur, niſi aliarum Eccleſiarum Cathedralium præbendati ſint.

§. VI.

* Synod. de Quiroga conſt. 79. ad finem. latè Conc. Mil. 4. tit. *Quæ pertinent ad ſanc. Miſſæ ſacrificium.* y Seſſ. 34. c. 12. Tarracon. Conc. in cap. *Poſt conſt.* & in cap. *Quia per carem. De conſecr.* Guadix tit. 3. conſt. 2. & Mil. 1. p. 2. tit. *Communia. De rat. divinor. officiorum.* & Milan. 4. tit. *De benefic.* §. 1. ad fin. & Compoſt. act. 2. c. 11. & Limenſe 3. act. 4. c. 11. Conc. Tarr. ubi ſuprà, & Guadix. tit. 3. conſt. 2. & Compoſt. act 2. c. 15. & Mil. 1. p. 2. tit. *De offic. mag. chori, & carem.* & Mil. 2. tit. 2. decreto 12. & Gran. tit *De celebrat. Miſſar* n. 1. & 19. & 20 & Syn. de Quiroga conſt 79. z Tex. in cap. *Sacerd. aliorumque cler. De conſecr.* diſt. 2. & tex. in c. 1. *De vita & honeſt cler.* Mex. 1. c. 21. Tolet. act. 3. c. 15. Compoſt. act. 2. c. 21. & Gran. *De celebr. Miſſ.* n. 3 Prov. de Quiroga act. 3. decr. 39. y por Real. cedula de 24 Septiemb de 1570. le manda practicar y guardar el dicho c. 15. de la action. tercera del Conc. Tolet. Mex. 1. c. 11. Mil. 1. c. 2. tit *Commun De rat. divin. offic.* verbo: *In choro.* & Synod. de Quiroga conſt. 88. & Limen. 3. act. 3. c. 27. ad finem.

§. V I.

POrrò juxta motum proprium felicis recordationis Pii Papę [a] V. prohibetur, ne perſona aliqua Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis, cujuſcumque qualitatis, præeminentiæ, ſtatûſve exiſtat, quacumque de cauſſa eleemoſynas per Eccleſiam quæritet, dum Miſſa ſolennis, aut alia divina officia celebrantur, nec dum Miſſa privata peragitur, ab his qui eam audiunt eleemoſynas hujuſmodi petat inquietè & tumultuosè. Immo ſi qui eleemoſynas hoc modo quęrunt, eos pręſidens in Eccleſiæ Cathedralis choro, & curatus in parochiali, ad portas Eccleſię petere compellat. Si verò per Eccleſiam eleemoſynas peti, tempore ab hoc decreto prohibito, præſidens vel curatus hujuſmodi patiantur; in ſingulas vices pro ſua negligentia pondo quatuor perſolvant in uſus fabricæ Eccleſiæ. §. V I I.

OMnibus diebus Dominicis, & feſtis ſolennibus (etiam ſi ſermo habeatur) in Miſſa ſolenni angelicus hymnus, ſymbolum, præfatio, & Dominica oratio cantabitur. Sin minus, præſidens in choro, qui ſine ſufficienti cauſſa id aliter fieri conſenſerit, & ſacerdos, qui ſine facultate aliquid horum negligenter omiſerit, pondo unum fabricę Eccleſię ſinguli perſolvant. Chorus autem ſi aliquid horum non cantaverit, Miſſæ diſtributiones amittat. §. V I I I.

NUllus Miſſam ante auroram, nec poſt meridiem (niſi ex privilegio ſibi ad id conceſſo) celebret. Miſſæ verò, quas hiſpanicè *de Aguinaldo* vocant, antequam dies illuxerit, ne celebrentur.

§. I X.

MIſſis celebrandis in diebus colendis is ordo adhibeatur, ut pro populi commoditate plures ſimul Miſſæ non celebrentur, ſed debito intervallo diſtribuantur.

§. X.

NE, ut ſacroſanctum Concilium Tridentinum [b] decernit, ſuperſtitioni locus aliquis detur, quæ ex ignorantia & quorumdam fidelium nimia facilitate irrepſit; præcipit hæc Synodus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut nullus ſacerdos, ſub pœna excommunicationis, eas Miſſas celebret, quas vocant Sancti Amatoris, Comitis, aut Sancti Vincentii, aliaſve ſimiles, quæ ab aliquibus celebrari petuntur cum certo candelarum numero, certiſque in locis candelis hujuſmodi collocatis, certis etiam modis, aut coloribus, exiſtimantes, ob ſuperſtitioſas hujuſmodi cæremonias ſe, quod volunt, impetraturos. Miſſas verò hujuſmodi petentes moneant, qui ſit, & à quo potiſſimùm proveniat, ſanctiſſimi hujus ſacrificii tam pretioſus ac cœleſtis fructus: eos quoque ritus & cæremonias Miſſis celebrandis adhibeant, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptę ſunt. §. X I.

ITidem, quemadmodum à Tridentina [c] Synodo ſtatutum eſt, nullus ſacerdos in privatis ædibus, & omnino extra Eccleſiam & oratoria, quæ divino tantùm cultui dicata, & à locorum Epiſcopis viſitata & approbata, cum facultate in ſcriptis, Miſſam celebret. Aliter ſacerdos hujuſmodi per menſem unum à divinis ſuſpendatur: is verò, qui ei neceſſaria ad Miſſam celebrandam tribuerit, argenti marcam (ut dicunt) perſolvat, cujus partes duæ ad uſum ceræ ſanctiſſimi Sacramenti, tertia vero accuſatori tribuatur: ex nunc verò facultates omnes ad id quovis modo conceſſæ revocantur, Epiſcopique admonentur, ut deinceps cautè ipſi per ſe, & ad tempus limitatum eas concedant.

§. X I I.

NUllus ſacerdos [d] in die una duas celebret Miſſas, præterquam Nativitatis Domini, in qua tres tantùm Miſſę ab uno ſacerdote celebrari poſſunt. Secunda tamen neutiquam celebretur, ſi in prima ſacerdos ablutionem, aut aliquid aliud ob quod non ſit jejunus, deglutiverit.

§. X I I I.

OBreverentiam, quę Euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt, præcipitur, ne ullus ſacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quævis alia perſona ante communionem, quicquam Tabaci, Picietive, aut ſimilium, medicamenti cauſsâ, per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat. Sacerdotes quoque flexis genibus peccata ſua confiteantur, antequam veſtibus ad ſacrum peragendum ſe induant, ſub pœna pondo decem fabricæ, accuſatori, & piis operibus ęquè applicandorum: quam etiam multam incurrant ſacerdotes qui aliter quàm hoc decreto ſancitũ eſt, confeſſionẽ audierint. Sacerdotes etiam Miſſam celebraturi, non in altari, ſed in ſacriſtia, ut conſuetum eſt, ſacras veſtes induant.

§. X I V.

CUrati omnes, vicariive Indorum, qui de conſenſu Epiſcopi ad civitatẽ, ubi ſedes Epiſcopalis reſidet, pervenerint, tenebuntur diebus ſolennibus Miſſę & Veſperis intereſſe in ipſa Cathedrali. Clerici verò cappellas obtinentes, Eccleſias quoque ubi illæ fundatæ ſunt, adeant. Qui autem ex eo, quòd ad titulũ patrimonii fuêre promoti, peculiaribus quibuſdã Eccleſiis addicti ſunt; ad Miſſę & Veſperarũ officium eas adeant Eccleſias, quibus fuêre aſcripti.

Epi-

---

[a] Pius V conſt. 5. verb. *Paup* fol. 924. in Bull. Apoſt. & eſt lex regia 16. tit. 12 lib. 1. recopil. Clarius in leg. 26. eod. tit. & lib. verſic. *Muy decente*. Mex. 1. c. 21. §. 3. Mil. 2. p. tit. *De Eccl. & earum cultu*. verb. *Ne mendici*. & Granat. tit. *De celebr. Miſſar.* n. 30. & Synod. de Quiroga conſt. 83. Mex. 1. c. 21. § 2. & Compoſt. act. 2. c. 23. & Syn. de Quiroga conſt. 84. Vide Conc. adducta ſup. tit. *De relig. & pijs domib.* § 2. Mexic. 1. c. 21. §. 1. & Guadix. tit. 3. conſt. 7. [b] Seſſ. 22. in principio Mex 1. c. 22. & Guadix tit. 3. conſt. 19. & Granat. tit. *De cel Miſſ.* n 29. [c] Seſſ. 22. in princip. Mex. 1. c. 25. & Guadix. tit 3 conſt. 8. & Milan 1. p. tit *Quæ pertinent ad celebr. Miſſæ*. ver. *Nullus ſacerdos*. & Mil. 4. *Quæ pertinent ad ſanct. Miſſæ ſacrif.* verbo. *Epiſc.* & Synod. de Quiroga conſt 82. & Prov ejuſdem Quiroga act 3. dect. 41.

[d] Tex. in cap. *Nolite ſanct. confeſſ.* dict. 1. & in cap. *Conſuluit. De celebr. Miſſarum*. Guadix. tit. 3. conſt. 6. & Granat. tit. *De celebr. Miſſar.* n. 24. & 25. Limen. 3. act. 3. c. 24. Granat. tit. *De celebr. Miſſ.* n. 27. Mex. 1. c 54. §. 2 & Guadix. tit. 3. conſt. 11. 21. & 31. Granat. tit. *De inſt. & iure patr.* n. 6. & tit. *De celebr. Miſſ.* n. 39. & Synod. de Quiroga conſt. 54. & 95. & Prov. ejuſdem Quirogæ act. 3. & Limen. 3. act 3. c. 25.

Epiſcopi verò admonẽtur, ut in hoc decreto exſequendo ſuã operam collocent, cũ ad divini cultûs augmentum plurimũ valeat ejus obſervatio.

§. XV.

PArochiales Eccleſię omnes & monaſteria cum Cathedrali concordent de tempore dandi ſignum ſono campanæ ad ſalutationem angelicam, Miſſam, & Veſperas. Sabbatho autem ſancto quum *Gloria in excelſis* cantatur, ante ſignum in Cathedrali datum campanas ne pulſent, ut in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. juſſum eſt.

§. XVI.

INde naſcitur defunctis, aut illis, qui eleemoſynas pro celebratione Miſſarum erogant, maximum detrimentum, & ſacerdotibus ad victum egentibus maxima incommoditas; quòd aliqui ſacerdotes eleemoſynas pro celebratione Miſſarum ſine delectu recipiunt, & majorem ſe Miſſarum numerum celebraturos promittunt, quàm ob temporis brevitatem celebrare poſſint. Cui malo remedium adhibere volens hæc Synodus, ſtatuit, ut in unaquaque Cathedrali aut parochiali Eccleſia locorum, ubi Hiſpani commorantur, collector unus Miſſarum conſtituatur, ſacerdos vitæ exemplo probatus, ac timens Deum, qui ab Epiſcopo deputetur; cujus officium ſit, eleemoſynam recipere Miſſarum omnium, quę ex teſtamentorum diſpoſitione, aut alio quovis modo celebrari fient. Quam eleemoſynam, ſic inter ſacerdotes Miſſas celebraturos diſtribuant, ut earum celebratio quamprimum fiat, & abuſus hactenus introductus funditùs tollatur. Quod ut melius fiat, is ordo ſervetur. §. XVII.

IMprimis nullus ſacerdos, ex illis, qui in civitate aut oppido Hiſpanorum reſident, ubi collector fuerit conſtitutus, recipiat, aut recipere poſſit pro Miſſis aliquibus celebrandis eleemoſynam, niſi de conſenſu collectoris deputati, ad quem eos tranſmittet qui Miſſas celebrari petunt, antequam illis ſe Miſſas celebraturum promittat, aut eleemoſynam illarum accipiat: aliter pœnam pondo ſex incurrat, accuſatori, & fabricæ Eccleſiæ æquè diſtribuendorum. §. XVIII.

COllector duos habebit libros, in quorum uno Miſſas annotet, quæ vel ex teſtamentis, vel ex devotione petuntur celebrari cum officio, de quo celebrandæ ſunt, loco etiam, die, menſe, & anno. In altero verò Miſſas ad celebrandum inter presbyteros diſtributas deſcribet cum nominibus ſacerdotum: annotetque Miſſas jam celebratas, ita ut hujus rei Epiſcopo aut viſitatori petenti rationem reddat. In diſtributione autem Miſſarum collector diligenter attẽdat onera cappellaniarũ, aliarumve rerum, quibus ſinguli ſacerdotes ſatisfacere debent, eiſque plures Miſſas ne committant, quàm quas poſſint commodè celebrare, ſuis priùs oneribus ſatisfacientes: in diſtributione verò hujuſmodi eos aliis præferat, qui magis indigent, & magis aſſiduè Eccleſię cultũ frequentant. §. XIX.

IN unaquaque Cathedrali, ſeu parochiali Eccleſia, ubi collector fuerit, arca una ſit, duabus clavibus occluſa, quarum una penes collectorem ſit, altera penes curatum Eccleſiæ antiquiorem, in qua arca eleemoſyna ad Miſſarum celebrationem erogata aſſervabitur. Arca autem hujuſmodi, niſi ſingulis quoque octo diebus, præſentibus ibidem collectore & curato, ne aperiatur, tuncque inde deſumpta pecunia pro ratione Miſſarum eâ hebdomadâ celebratarum diſtribuetur. Nulli autem ſacerdoti eleemoſyna pro Miſſa anticipabitur.

§. XX.

PRæcipitur quoque omnibus illis, quibus incumbit efficere, ut Miſſę celebrentur, veluti, curatis, cappellanis, teſtamentorum exſecutoribus, œconomis confraternitatum aut congregationum, & ipſi collectori, ne Miſſas extra diœceſim in qua reſident celebrari faciant, eòque eleemoſynam tranſmittant, neque etiam in Hiſpaniam, ſub pœna excommunicationis, niſi in aliquo ſpeciali caſu & valdè urgenti Epiſcopus ad id facultatem conceſſerit, in quo ejus conſcientia valdè oneratur.

§. XXI.

PUblicæ & generales preces decernuntur, ut omnipotentis Dei iram placemus, ab eoque in noſtris tribulationibus remedium conſequamur. Quare oportet in hujuſmodi precibus & proceſſionibus id omne effugere, quod divinam majeſtatem offendere, ejuſque in nos iram provocare poſſit. Ideoque juxta motum proprium felicis recordationis Gregorii Papę XIII. ſtatuit ac præcipit hæc Synodus, ut proceſſiones eorum qui ſeipſos diverberant, & alię quæcumque in hebdomada majori fieri ſolitæ, aut faciendæ, noctu ne fiant, ſed in luce diei; neque mulieres in his proceſſionibus ſeſe flagellantes permittantur, aut aliæ perſonę, eis accenſis luminibus præeuntes. Si verò fœmina aliqua votum ſic ſe flagellandi emiſerit, ex nunc illud votum ita commutatur, ut privatim ſe flagello percutiat.

§. XXII.

IN proceſſione itidem corporis Chriſti, ubi propter realem Chriſti Domini in ſacramento exiſtentiam, major reverentia ſervanda eſt, nulla fœmina perſonata incedat, aut ita ut cognoſci non poſſit, nec ſic perſonata aut incognita, in feneſtra, aut alibi publicè compareat, ſub pœna excommunicationis majoris, quo ea reprimatur audacia, quâ ita perſo-

---

c Conc. Trid ſeſſ 23. c. 16. *De reform.* Conc. Later. ſub Leone X ſeſſ 11. Mex. 5. c. 28. & Guadix. tit. 3. conſt. 12. & Milan. 1. p. 2. tit. com. *De rat. div. offic.* verbo: *In urbib.* & Gran tit. *De offic. fac* n. 9 & Limen. 3. act. 4. c. 13. Pro hoc § 16. 17. 18. 19. & 20. loq. Granat. tit. *De benefic.* n. 4. 5. 6. 7. & 8.

d Granat. tit. *De benefic.* n. 6. e Conc. Elib. c. 35. & Altiſiodor. c. 5. & Cab. c. 19. & Mex. 1. c. 27. §. unico. Guadix. tit. 6. conſt. 19. & 47. & Milan. 1. p. 2. tit. *De proceſſ. & ſupplic.* idem Guadix. tit. 6. conſt 20. idem Conc. Milan. 1 p. tit. *De Eccl. & earum cultu.* verb. *Reſt.* & Tol. act. 2. c. 20. & Comp. act. 3. c. 4 o. Synod. de Quiroga conſt 74. & Limen. 3. act. 3. c. 43. Facit tex. in Clem. unica. *De relig. & ven. ſanct.* Et Conc. Trid ſeſſ. 13. c. 5. in doct. *De ſac. Euch.* & eſt lex reg. 3. tit. 15. lib. 8. recopil. & Limen. 3. act. 2. c. 23. verbo: *Fen.* hoc eſt, *Ventana.* & Conc. Milan. 4. tit. *De proceſſ.* verb. *Quod in multis.* Mex. 1. c. 26. & Guadix. tit. 2. à conſt. 4. & Milan. 1. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad bapt. adm.* & Granat. tit. *De Bapt.* & Synod. de Quiroga conſt. 12. 4. & 7. & Milan. 5. tit. *Quæ ad bapt. pertinent.*

perſonatæ, aut velatę multa inhoneſtè proferentes indecenter incedunt. Judicibus verò Eccleſiaſticis & ſecularibus injungitur, quatenus curent, ut in omnibus proceſſionibus viri à fœminis ſeparati procedant, ut multis ex hoc naſcentibus incommodis occurratur.

LIBRI TERTII.

TITULUS XVI.

De baptiſmo.

§. I.

SCriptura ſacra valdè commendat, ut ſancta ſanctè tractentur, & ut ſacra à profanis diſtinguantur. Quam ob cauſſam, cùm templa tamquam loca ſancta & conſecrata & deputata ſint, ut in eis ſacramenta conferantur; cùmque unicuique ad id ſua parochia deſignata ſit; hæc Synodus ſtatuit & mandat, ut nemini liceat quemquam in privatis ædibus, eremitoriove, monaſterio, aut Eccleſia, cujus non fuerit parochialis, baptizare. Qui verò ſecus fecerit, quàm hoc decreto conſtitutum eſt, ab officio & Beneficio per menſem unum ſuſpenſus ſit.

§. II.

INterdicitur præterea, ne cappellę & fontes baptiſmales, ſericis thalamis, aut auleis, aliove profano apparatu ornentur. Quòd ſi parochus, & ſacriſta id conſenſerint; viginti pondo multentur, fabricæ, & cerę, quę ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento deſervit, accuſatori etiam æquè diſtribuendis.

§. III.

PArochi [f] & miniſtri, tam Indorum quàm Hiſpanorum, parvulos, niſi ob cauſſam ęgritudinis, ante nonum diem baptizari curent. Cùm verò extra Eccleſiam parvulum, ob caſum neceſſitatis baptizari contigerit, is chriſmate, aut oleo ne inungatur, donec eum in Eccleſia ſiſtant, ibique cum reliquis ad baptiſmum pertinentibus ſolennitatibus fiat, neque ultra quindecim dies differatur, niſi cauſſâ ęgritudinis urgente. Qui verò parvulos in privatis ædibus baptizatos intra prædictum tempus ad parochias ferri non curaverint; à divinis officiis vitentur, quouſque ea adimpleant quæ hoc decreto præcipiuntur.

§. IV.

QUoniam adulti [g] priùs baptizari non debent, quàm in rebus Fidei Catholicæ ſufficienter inſtruantur, ut titulo *De ſumma Trinitate, & fide Catholica* præmiſſum eſt; ideo ubi adultorum numerus reperitur, ut accuratiùs ii erudiri procurent, deque eorum ſufficientia meliùs conſtare poſſit; duo ſolennes baptiſmi, juxta conſuetudinem primitivæ Eccleſiæ, celebrentur, alter in Reſurrectione Domini, alter verò in Pentecoſte. Ante baptiſmum autem catechumeni examinentur, adhibitâ diligentiâ, ut eo intervallo temporis, quod eſt inter unum & alium baptiſmum, myſteria Fidei ediſcant. Heri verò ſervorum, qui baptizandi ſunt, eos mittere compellantur ad locum ab Epiſcopo deputatum, ut ibi documentis Chriſtianæ Fidei imbuantur.

§. V.

INdorum [h] parochi, eis in baptiſmo antiqua nomina gentilitatis ne imponant, nec ex Teſtamento veteri deſumpta, ſed ex Sanctis novi Teſtamenti, quos ſumma devotione proſequendos proponant. Parochi verò omnes in eo quod ad compatres adhibendos ſpectat, ea obſervent, quæ titulo *De officio rectoris & plebani* ſtatuta ſunt.

LIBRI TERTII

TITULUS XVII.

De ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, & ejus cuſtodia. [i]

§. I.

QUI attentè conſiderat quod de ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento Catholica fides nos docet, in eo ſcilicet Chriſtum verum Deum & hominem, verè, realiter, & ſubſtantialiter contineri; is facilè animadvertet, quo ornatu tabernaculum eſſe debeat, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum aſſervandum ſit. Igitur ex Concilii [k] Tridentini decreto ſtatuit hæc Synodus ac præcipit, ut in omnibus Cathedralibus & parochialibus Eccleſiis hujus Archiepiſcopatus & provinciæ, ubi Euchariſtia aſſervari debet, locus conſtituatur, in eoque tabernaculum bene ornatum, & clave occluſum, in quo lapis ſacratus corporalibus coopertus ſit, ibique cuſtodia aurea & argentea collocetur, quæ intra ſe lineis corporalibus involutum ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum contineat & aſſervet, ad id præcipuè, ut ad infirmos Euchariſtia deferatur, cùm hæc conſuetudo in Eccleſia Catholica ſemper viguerit. In cuſtodia verò hujuſmodi duæ formæ magnæ ſint, quarum una ad infirmos ducatur, alia verò tabernaculo aſſervetur: & præterea parvulæ aliæ formę erunt, quibus infirmi, & hi qui bona valetudine conſiſtunt, communicent. Ubicumque autem ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum aſſervabitur, lampas ſemper incenſa colluceat.

§. II.

---

f Tex. in Clem. unica *De baptiſm.* Conc. Milan 5. tit. *Quæ ad baptiſm. pertinent.* verſiculo: *Nec verò.* Vide Conc. Inpia citata §. 1. *g* Guadix tit. 2. conſt. 6. *h* Guadix tit. 2. conſt. 10. Conc. Mil. 4. 2. p. tit. *Quæ pertin ad ſac. bap.* verbo; *Curet idem.* *i* Milan. 1. 2. p. tit. *Quæ pertinent ad ſacrſanct. Euch.* verbo, *Epiſcop.* & Gran. tit. *De ſanct. Euch. ſacram.* n. 2. & 3. Synod. de Quiroga conſt 9. & Milan. 4. 2. p tit. *Quæ ad ſanct. Euch. ſacra. pert.* & 5. Milan. tit. *Quæ ad ſanct. Euch. ſacrb. pert.* *k* Seſſ. 23. cap. 6.

§. II.

UT in quibus Eccleſiis & locis conveniens ſit, Euchariſtiam aſſervari conſtet; declarat hæc Synodus [k] poſſe in omnibus Hiſpanorum locis oppidiſve aſſervari, dummodo oppidum à viginti habitetur vicinis. Poterit etiam aſſervari alibi, ſi Epiſcopo videbitur, quamvis locus à tot non habitetur vicinis, ſi ibi ſecurè & decenter cuſtodiri poſſit. Si tamen parochus à pago hujuſmodi diſceſſerit, Euchariſtiam ibi aſſervatam ſumat. Quoad oppida verò Indorum prudentiæ Epiſcoporum relinquitur, ut locum in quo poſſit ſecurè & decenti ornatu Euchariſtia cuſtodiri, priùs reſpiciant, quàm ad id facultatem concedant.

§. III.

ATtentis reverentia & devotione quibus colere & adorare ſanctiſſimam Euchariſtiã debemus; leges [l] regiæ ſub certis pœnis ſtatuunt, ut quum hoc ſacramentum ab Eccleſia effertur, & per vias ducitur, ſæculares homines, qui præſentes interſint, illud comitentur. Quare multò magis hæc Synodus Eccleſiaſticis perſonis omnibus altaris cultui dicatis præcipit, [m] ut tempore quo Euchariſtia ab Eccleſia ad infirmos ducitur, ſi ibi interſint, niſi divinis officiis celebrendis, aut confeſſionibus audiendis occupentur, ei in comitatu eſſe teneantur; itidemque illi, quibus in plateis, aut viis occurrerit, donec ad Eccleſiam reducatur, & in tabernaculo recondatur: quod ſi quiſquam ſecus fecerit, cujuſcumque dignitatis aut qualitatis exiſtat, in ſingulas vices pondo octo perſolvat, quæ æquis portionibus in accuſatoris piorum operum, & cerę ſanctiſſimo ſacramento deſervientis uſum erogentur. Ne verò qui divina officia in Eccleſia celebrant, hujus rei cauſsâ diſtrahantur, jubetur ut dum Miſſa ſolennis peragitur, ſolùm in urgenti caſu neceſſitatis viaticum ad infirmos deferatur, quo Miſſa peracta majori cum reverentia omnes ſanctiſſimam Euchariſtiam comitentur.

§. IV.

CUm cœleſtis iſte cibus noſtrarum animarum fortitudo ſit, præſertim in extremo vitę certamine; nullatenus permitti debet, ut [n] quiſquam ſine tanto viatico ex hac vita diſcedat. Quare jus antiquum à felicis recordationis Pio Papa V. [o] ſuo proprio motu innovatum, & etiam lege regia ſuſceptum decernitur ac præcipitur, ut omnibus fidelibus ad mortem damnatis, ante unum diem, quàm pœna mortis exſecutioni mandetur, hujus ſanctiſſimi ſacramenti viatico reficiantur, ut eo roborati mortem ad ſuarum animarum ſalutem patienter ferant.

§. V.

QUamvis ſemper & ubique colere ac venerari ſanctiſſimam Euchariſtiam debeamus; præcipuè tamen ad id aſtringimur feriâ quintâ in Cœna Domini, quando ejus inſtitutione tam ſingulare in Eccleſiam ſuam beneficium Dominus contulit. Quam ob cauſſam jubet hęc Synodus, ut omnes fideles, præſertim Eccleſiaſtici, eo die adſtent tabernaculo, ubi ſanctiſſimæ Euchariſtię ſacramentum repoſitum eſt, in commemorationem Domini ſepulchri, idque quanta fieri poſſit reverentia & devotione præſtent. Cavetur tamen ut aliquibus incommodis, quæ evenire poſſent, occurratur, ne in oppidis Indorum ſepulchrum conſtituatur, ut in eo Euchariſtia collocetur, niſi ubi peculiaribus de cauſſis ab Epiſcopo fuerit conceſſum.

§. VI.

QUia [p] in ipſo inſtitutionis die, Eccleſia ſanctiſſimi corporis Chriſti ſacramenti feſtum, ea exteriori lętitia, quâ oportet, celebrare non poteſt, cùm tota mortis Chriſti myſterio ſit intenta; poſt ſanctiſſimę Trinitatis feſtum feriam quintam immediatè ſequentem cum ſigno ſpiritualis lętitiæ, & exteriori apparatu celebrandum delegit. Quæ feſtivitas, ut cum omni devotionis affectu à populo Chriſtiano celebretur, præcipit hæc Synodus, [q] ut eã in feſto ſanctiſſimę Trinitatis curati & prædicatores populo denuncient, eundemque moneant & exhortentur, quatenus toto animi conatu ſe præparent ad Euchariſtiam in ipſo feſto, aut infra octavam percipiendam. Itemque ut in proceſſione eâ reverentiâ & animi attentione, & exteriori modeſtia procedant, quibus ante divinam majeſtatem in ipſo ſacramento verè præſentem & aſſiſtentem eſſe debent.

LIBRI TERTII

TITULUS XVIII.

De reliquiis & veneratione Sanctorum & templorum. [r]

§. I.

OMnis veneratio, quæ Sanctorum reliquiis, & imaginibus, ſacriſque ædibus exhibetur, in Dei laudem & gloriam cedit, qui glorioſus & admirabilis in Sanctis ſuis apparet; totiuſque ſanctitatis eſt auctor: contra verò ſi hæc in honore non habeantur, aut quolibet irreverentiæ genere profanè & ſuperſtitiosè tractentur, gravis in Deum offenſa committitur. Oportet autem, ut Epiſcopi tam-

---

k Guadix tit. 2. conſt. 38 & Limen. 3. act. 2. c. 21. Conc. Val. ſub Archiep. D. Ioanne de Ribera c. 16. citatum à Iac. Bleda in *defenſione Fidei contra Moriſcos.* tract. 2. conſect. 6. fol. 397.

l Lex reg. 2. tit. 1. lib. 1. recopil. m Conc. Mil. 5. tit. *Qua ad ſanct. Euch. facr. pert.* verbo: *At verò omnes.* n Argum. tex. in cap. *Quod in te. De pœnit. & remiſſion.* & Gloſſa in Clem. 1. eodem tit. o Motus proprius Pii V. in leg. 9. tit. 1. lib. 1. recopil. & Milan. 3. act. 2. c. 23. & Milan. 5. tit. *Qua ad ſanct. Euch. facr. pert.* verb. *Reus.* cap. *Damn. Mex.* 2. c. 15. & Lim. 3. act. 2. c. 26. p Clem. *Vnica. De reliq. & ven. Sanct.* Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5. & canon c. 6. q Ex dict. Clem. *Vnica.* ideoque univer. *De reliquiis & ven. Sanct.* r De hoc tit. Satis piè loquitur. Conc. Mil 4. à tit. *De facr. reliq.* cùm tit. ſeqq. & Mil. 5. tit. *De indulg. & facr. reliq.*

tamquam paſtores gregi invigilent, veramque devotionem inter fideles propagare ſtudeant, falſaſque & vanas ſuperſtitiones penitùs ab eis explodant, ita ut glorificetur Deus in Sanctis ſuis. Quocirca ex decreto ſacroſancti Concilii Tridentini *f*, ex conſtitutione felicis recordationis Pii Papæ V. decernit hęc Synodus & mandat, ut « in Eccleſiis choreæ, ſaltationes, actiones, & profani cantus prohibeantur, etiam in die Nativitatis Domini, & in feſto corporis Chriſti, & aliis ſimilibus. Cum verò ſacræ aliquæ hiſtorię actione referendę erunt, aliave ſancta, & animę utilia, hymnive aliqui devoti canendi; hæc omnia per menſem antè ad Epiſcopum deferantur, ut ab eo examinentur & probentur. Qui verò ſine Epiſcopi facultate & approbatione aliquid horum effecerint, & qui cum illis conſenſerint, pro modo culpæ graviter puniantur. Dum verò divina officia celebrantur, actiones, etiam ab Epiſcopo conceſſę, fieri prohibentur.

§. II.

VEhementer itidem judicibus Eccleſiaſticis commendatur, ut cum omni cura & ſeveritate, quibus opus eſt, quorumdam reprimant audaciam, qui in Eccleſiis cum mulieribus, aut nutibus, aut liberè colloquuntur. Magiſtratus verò regios quantum poteſt hęc Synodus cohortatur, ut contra delinquentes hujuſmodi, ea quæ regiis legibus * ſunt diſpoſita exſequantur, & Eccleſiæ miniſtris ſuum quoque auxilium conferant; quo ſi opus fuerit, hi ab Eccleſia ejiciantur, ne ab irreverentia hujuſmodi minimè deſiſtentes, ſuo exemplo aliis ſcandalo ſint.

§. III.

ITidem præcipitur, ne cuiquam in poſterum pernoctationes, aut nocturnæ vigiliæ, & epulæ in Eccleſia permittantur, ſub pœna excommunicationis. Eccleſiaſtici verò conſentientes graviter punientur. Sermones de Paſſione & Reſurrectione ob incommoda quæ inde naſcuntur, noctu ne habeantur.

§. IV.

IN Eccleſiis, aut in illarum cœmeteriis, congregationes, conſultationes, contractuſve rerum ſæcularium, ludive aliqui, ne fiant. Iter agentes intra Eccleſias ſeſe ad hoſpitium ne recipiant, neque dormiant: aliter ſex pondo in uſum fabricæ Eccleſiæ & accuſatoris multentur, quam multam perſolvant, tam qui in Eccleſiis dormierint, quàm qui conſentientes fuerint. Hoc tamen decreto non prohibetur, ne tempore neceſſitatis ad templa confugiant, ſi ibi cum debita reverentia commorentur.

§. V.

IN cœmeteriis Eccleſiarum taurorum ſpectacula ne fiant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam incurrant judices, aut Superiores, quorum juſſu id fit: ſi verò communitas ſit, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

§. VI.

NE levitate animi, reliquias falſas pro veris Sanctorum reliquiis venerari contingat; decernit & jubet hæc Synodus, ut nemini liceat ſecum reliquias geſtare, aut eas in loco publico venerandas proponere, niſi priùs ab Epiſcopo examinatæ, authenticæ comprobentur, ut titulo *De Epiſcoporum officio* præmiſſum eſt: conſuetudo tamen, & pia devotio Agnos Dei deferendi, qui à Pontifice Romano benedicuntur, inter fideles conſervetur, dummodo picturæ & illuminationes, ſicut felicis recordationis Gregorii XIII., motu proprio conſtitutum eſt, eis non adhibeantur.

§. VII.

QUia inter rudes viget abuſus levis cujuſdam credulitatis, quâ exiſtimant, ſe certa verba ſcripta, aut certas orationes ſecum deferentes aut ad collum ſuſpendentes igni & aqua minimè perituros, aut bona aliqua quę deſiderant, obtenturos; ſub pœna excommunicationis præcipitur, ut quicumque hęc ſecum geſtaverint, vel alia ſimilia, intra menſem poſt hujus decreti publicationem Epiſcopo tradant, eaque ipſe conſumat: deinceps verò nemo hæc ſecum habeat, ſine examine & approbatione Ordinarii. Confeſſarii verò admonentur, ut à ſuperſtitioſæ vanitatis hujuſmodi errore ſibi confitentes peccata cavere hortentur.

§. VIII.

PRobatæ & authenticæ reliquiæ in aliqua Eccleſia exiſtentes, extra tabernaculum ſanctiſſimi ſacramenti Euchariſtiæ, in loco decenti collocentur. Interim tamen, ſi locus hujuſmodi non eſt deputatus, in aliqua parte ejuſdem tabernaculi aſſerventur. Ut autem pia & laudabilis conſuetudo ſacras imagines venerandi in animis fidelium eum effectum operetur, ad quem illę inſtitutæ ſunt, populuſque Sanctorum recolat memoriam, eoſque veneretur, & ad eorum imitationem vitam moreſque componat; maximè conveniens eſt, ut nihil in ima-

---

f Seſſ. 25. in decret. *De invoc. ven. & rel. ſanct. & ſac. imag.*

* Motus proprius Pii V. *u* Tex. in c. 2. *De immun. Eccl.* lib. 6. Conc. Trid. ſeſſ 22. in decret. *De obſerv. & evitan. &c.* Mex. 1. c 26. Guadix tit. 4. conſt 6. & Mil. 1. p. 1. tit. *De act. & repr ſacris.* & Compoſtel. act 2 c. 9 & Tol. act 2. c. 21. & Gran. tit. *De cel. Miſſ.* n. 3. & tit. *De reliq & ven. ſanct.* n 4. & Synod de Quiroga conſt 70. & Prov. ejuſdem ct 3. c. 38. Gran. tit. *De reliq & ven. Sanct.* n 6. *x* Lex 1. & 2. tit 2. lib. 1. recopil. Conc. Ant. c. 5. & Trid. ſeſſ. 25. in decret. *De purg.* tit. *De invoc. ven. & reliq. SS* ad finem. Mex. 1. c. 27. §. unico Guadix tit. 6. tit 19. & 20. & Mil. 1. 2 p tit. *De Eccleſiis & earum cultu.* verbo: *Reſt.* & Tolet. act 2. c. 29 & Compoſtel. act. 3 c. 40. & Granat. tit. *De reliq & vener SS.* n. 5. & Synod. de Quiroga conſt. 74. & Lim 3. act. 3. cap 43. Lex reg. 1. tit. 2. lib 1. recopil. Mex. 1. c 29. & Mil 1. p 2. tit. *De Eccl. & earum cultu.* & Gran. tit. *De reliquiis & ven. SS.* n. 7. & Syn. de Quiroga conſt. 69. & Mil. 4. tit. *De profano uſu à ſacris locis tollendo.* Fundatur in Conc. Tridentino ſeſſ. 25. decr. *De indulg* Mil. 1. p 1. tit. *De Sanct. reliq. ven.* & Compoſtel. act. 2. c. 7 & Limen. 3. act. 4. c. 10. *y* Motus proprius Greg XIII. in Bullar. Apoſt. Conc. Mil. 3. ver. *Sanct.* & 5. verbo: *Sanctiſſimi.* Granat. tit. *De reliquiis & ven. SS.* n. 2. & Comp. act 2. c. 6 ſeſſ. 25. in princip & in §. *Illud verò.* Mexic. 1. c. 34. & Compoſt. act 2. decr. 5 Syn. de Quiroga conſt. 67 & 68. Mil. 1. p. 1. tit *Quæ ſerv. ſint in ſacr. imag. effing.* & 4. tit. *De ſacr. reliq.* & tit. *De ornatu, decore, & nitore ſacr loc* verb. *Quibus in Eccl* Conc. Limenſe 2. c. 53. & Conc. 1. Prov. Bonon. 4. p. tit. *De imag ſacr.* in Archiep. Bononienſi. Conc. Diœc. de Cadiz ſub D. Garzia de Haro c. 14. & Diœc. de Aſtorga ſub D. Petro de Roxas conſt 14. cap. 9. & Diœc. de Burgos ſub Archiep. D. Franciſco Pacheco de Toledo lib. 3. tit. *De rel. ven. ſanct.* cap. 8.

imaginibus profanum aut indecens appareat, quo poſſit devotio fidelium impediri. Eam ob cauſſam juxta Concilii Tridentini decretum prohibetur, ne poſthac quiſquam Hiſpanus, Induſve imagines ad uſum alicujus Eccleſiæ hujus Archiepiſcopatûs & provinciæ depingat, niſi priùs ab Epiſcopo, aut ab ejus officiali examinetur: aliter operarum, quas in his fabricandis & depingendis collocavit, ſtipendium amittat. Viſitatoribus verò injungitur, ut quas repererint imagines, hiſtorias apocryphas exprimentes, aut indecentes, ſculptas ſive depictas, deleri, ſeu inde amoveri præcipiant, aliaſque in eorum loco decentes ſubſtituant.

§. IX.

IMagines de cætero conſtruendæ (ſi fieri poſſit) pictæ ſint, ſi fingi debent ita ut ſculpantur, ut eas veſtibus ornare minimè opus ſit; quæ verò hoc tempore jam exſtant, proprias habeant veſtes deputatas. Si verò aliqua perſona ſæcularis ad ornatum imagines veſtimenta aliqua commodaverit, & his imago induta fuerit, eo ipſo ad ejus cultum applicentur. Imagines autem quando veſtibus, aut alio modo erunt ornandę, ad effectum hujuſmodi extra Eccleſias ne ferantur.

§. X.

OB reverentiam ſanctiſſimæ Cruci, Sanctorumque imaginibus debitam, interdicitur ne in ſaccaro buccarove, aut aliis eſculentis, nec in ſepulchris, aut in ferramentis, quibus pecudes ſignantur, crucem, imagineſve Sanctorum, aut alias res ſacras depingere liceat: aliter qui ſecus fecerit, à judicibus Eccleſiaſticis corrigetur.

§. XI.

NUllus mercator, aliuſve quiſquam ſacros lapides, calices, ornamenta ſacra, aut benedicta, venalia habeat; ſeu benedici & conſecrari faciat, ut divendat, ſub pœna excommunicationis, ac præterea rei venditæ hujuſmodi, pretium fabricæ Eccleſiæ applicetur.

§. XII.

QUia omnes ſpeciali devotione glorioſiſſimam Virginem Mariam univerſalem patronam & advocatam proſequi debemus, ſtatuitur ac jubetur, ut in omnibus Eccleſiis [y] Cathedralibus hujus Archiepiſcopatus & provinciæ antiphona *Salve regina* cum omni ſolennitate cantetur ſingulis Quadrageſimæ diebus, uſque ad feriam tertiam majoris hebdomadæ, necnon ſingulis ſabbathis per annum cui aſſiſtet ad recitandam orationem canonicus pro tempore hebdomadarius, necnon cappellani, & cantores omnes interſint, iiſque cum hoc onere ad officia hujuſmodi admitti debeant. Epiſcopis verò valdè commendatur, ut omni ſolicitudine piam in ſanctiſſimam Virginem devotionem hujuſmodi augeri procurent, omnemque adhibeant diligentiam, ut pro celebrandis Miſſis de beata Maria in ſabbathis, & pro antiphona *Salve regina*, ut præmiſſum eſt, ſolenniter decantanda, aliqua ſit dotatio ſive inſtitutio.

§. XIII.

QUòd verò in omnium fidelium memoria Domini noſtri, ac redemptoris Jeſu Chriſti Paſſio ſemper retineatur (aliis ab hanc cauſſam devotionibus & laudabilibus populi conſuetudinibus minimè ſublatis) hæc Synodus ſtatuit ac mandat, ut ſingulis diebus horâ tertiâ pomeridianâ in omnibus Cathedralibus & parochialibus Eccleſiis, ad effectum hujuſmodi, campana per tres interpolatos ictus pulſetur. Fideleſque hæc Synodus quantum poteſt in Domino exhortatur, ut hoc ſigno audito, pro ſua quiſque devotione, aliquas in memoriam Paſſionis Domini preces effundat. Quoties verò prædictâ horâ dato ſigno id effecerint, quadraginta dierum indulgentiam conſequantur.

LIBRI TERTII

TITULUS XIX.

De immunitate Eccleſiarum & clericorum.

§. I.

SI Imperatorum & Regum temporalium palatia, eorumque famuli privilegiis & immunitatibus jure gaudent; quantò magis Eccleſias, & Eccleſiæ miniſtros immunes eſſe oportet, qui æterno Deo vivo & vero dicantur? Quare hæc Synodus decernit ac jubet, ut nemo, cujuſcumque qualitatis exiſtat, contra libertatem Eccleſiaſticam leges condat, aut ſtatuta decernat; nec obſideat, invadat, aut occupet Eccleſias, nec liberum earum ingreſſum & egreſſum impediat; nec ab Eccleſiis eos exſtrahant, qui eò confugerint, & hac immunitate gaudere poſſunt; nec eos vinculis conſtringant, aut eis cuſtodes adhibeant in Eccleſiis, vel cœmeteriis; nec ullo modo Eccleſiis vim inferant, vel earum portas confringentes, aut parietes dejicientes, admotiſve ſcalis ad eas aſcendentes. Quòd ſi ſecus fecerint, privatæ perſonæ pœnam excommunicationis ipſo jure incurrant [z]. Communi-

[y] Vide Conc. citata ſuprà, ſuaderur ex leg. 3. tit. 1. lib. 1. Recopil. Conc. Mil. 3. ver. *Quòd præterea*. Mexic. 1. c. 36. & Synod. de Quiroga conſt. 66. Guadix tit. 3. conſt. 16. & Gran. tit. *De celebrat Miſſar.* n. 16. Synod. de Quiroga conſt. 42. & Lim. 3. act. 3. c. 27. & Conc. Mil. 3. verb. *Religioſis*. Ex Matthæi c. 27. & Luc. cap. 23. & conſt. ex Clem. PP. M. lib. 5. conſt. Apoſt. c. 16. ad finem, & lib. 8. c. 40. tom. 1. Conc. Mediol. 2. tit. 2. decr. 10. *De qua orat. veſt. & de indulg. conceſſa à Gregorio XIII.* Vide Carol. Borromæum Arch. Med. in actibus ſuæ Eccleſiæ tom. 2. p. 7. agit Cæſar Baronius in Annal. Eccl. tom. 1. fol. 221. verſ. *Is de anno*. & Navar. *De horis canon.* c. 18. n. 43. & Fr. Ant. de Aranda in lib. *Lectes de ſan. Calv.* c. 30. f. 242. Durand. in *Rat. divin. offic.* lib. 4. c. 1. n. 10. & Ioan. Steph. Durantus lib. 3. *De rit. Eccl. cath.* c. 10. f. 314.

[z] Tex. in cap. *Inter alia. De imm. Eccl.* Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. *De reform.* Mexic. 1. c. 30. Guadix tit. 4. conſt. 4. Milan. 1. 2. p. tit. *De Eccl. & earum cultu*. verb. *Sicut Eccl.* & eod. p. 2. tit. *Qua perſ. ad honor. & jurium Eccl. conſer.* verb. *Omnes verò*, & 5. Milan. tit. *De Eccl. & earum ſupellect. & fructib.* & Granat. tit. *De immunit. Eccl.* & Syn. de Quiroga conſt. 72.

munitates verò Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, à quibus cenſuris non abſolvantur, niſi poſt plenam ſatisfactionem damni Eccleſiis illati; dum verò Eccleſia obſeſſa tenebitur, ceſſatio à divinis fiat. Quòd ſi Epiſcopo videbitur, illi qui vim templis intulerint, pecuniariis pœnis fabricæ Eccleſiæ applicandis plectentur.

§. II.

NE verò quiſquam, Eccleſiaſtica immunitate ad perpetranda nova delicta abutatur; mandat hæc Synodus, ut nemo ex his, qui ad Eccleſiam confugerint, extra eam egrediatur ad injuriam alicui irrogandam, aut aliud delictum committendum, neque ſuſpectas mulieres in Eccleſia ſecum habeat, aut ludos exerceat, nec ad portas Eccleſiæ aut cœmeteriorum, lyram, aut alia muſica inſtrumenta pulſet. Cùm verò miniſter aliquis juſtitiæ per Eccleſiam aut proximum Eccleſiæ locum tranſierit, hi qui ad Eccleſias confugerunt, ab ejus conſpectu ſe abſcondant. Quòd ſi ſecus fecerint, ab Eccleſiarum hujuſmodi locis expellantur, & in aliis ne recipiantur, niſi ex hujuſmodi expulſione periculum aliquod eis proveniat.

§. III.

TUnc enim aliter corrigendi ſunt, & vinculis intra Eccleſias coërcendi; ſi verò ii decretum hujuſmodi violaverint, ſacriſtæ aut qui Eccleſiarum curam gerunt, officialibus annuncient, ut quod fuerit opportunum provideant.

§. IV.

QUoniam verò æquum non eſt, ut delinquentes propriam habitationem Eccleſiam ſibi conſtituant, ea negligenter præſtantes, quibus tutus ſit eis extra Eccleſias egreſſus; mandat hæc Synodus, ne [a] hi ſine ſpeciali Epiſcopi licentia, ultra novem dies in Eccleſia permittantur. Illi verò qui ad Eccleſiam ſe receperunt ne ad exſilium condemnati illud adimpleant, ab Eccleſiis ejiciantur, niſi grave aliquod periculum eis immineat, aut aliud valdè notabile, ſi ab Eccleſia expellantur.

§. V.

UT controverſiæ inter ſecularem & Eccleſiaſticam juriſdictionem de puniendis clericorum prima tonſura, aut quatuor minoribus initiatorum delictis vitentur; præcipit hæc Synodus, ut judices Eccleſiaſtici, quoad hoc Concilii Tridentini [b] decretum obſervent, ad cujus exſecutionem priùſquam officialis, aut judex Eccleſiaſticus in favorem alicujus clerici ex prædictis, inhibitorias literas concedat, inquirat, & examinet ſi titulum legitimum habet, aut ſi clericus ille eſt idem cum eo qui in titulo continetur. Hoc tamen intelligitur caſu quo clericus hujuſmodi à ſæculari judice captus non detineatur: tunc enim ob periculum quod ex dilatione imminet, ejus petitio admittenda eſt, & juxta Juris diſpoſitionem providendum, ut imprimis è ſæculari carcere ad Eccleſiaſticum transferatur, deinde verò ulteriùs procedetur.

§. VI.

QUando inhibitorias literas judici ſæculari directas contigerit, cum debito honore judici hujuſmodi intimentur. Judices verò Eccleſiaſtici curent diligenter, ne clericorum hujuſmodi ad ſe tranſmiſſorum delicta impunita remaneant, nec à cauſſæ proſecutione deſiſtant uſque ad ſententiam definitivam, ad idque parte contraria deſiſtente, aut judice ex officio procedente, cauſſæ vices & voces fiſcali tradantur: curentque ut is cauſſam uſque ad concluſionem proſequatur. Si verò delictum grave fuerit; reos captos adhibitis fideijuſſoribus ne liberent, donec omnino cauſſa terminetur & definiatur; ac delinquentes hujuſmodi pro gravitate delicti puniantur, ne eis clericalis ſtatus delinquendi licentiæ ſit.

LIBRI TERTII

TITULUS XX.

Ne clerici vel monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant. [c]

§. I.

QUoniam cupiditas malorum omnium radix, valdè hac noſtra tempeſtate Eccleſiaſticorum quorundam animos invaſit; ideo ne in domo Dei, quæ domus orationis eſt, negotiationes exerceantur, hæc Synodus ſtatuit ac præcipit omnibus hujus provinciæ Epiſcopis & clericis ſacro ordine initiatis, cujuſcumque dignitatis & conditionis exiſtant, ut non ſolùm ab uſurariis contractibus, & jure divino damnatis abſtineant ſeſe; ſed etiam ab his, qui quamvis ſæcularibus permittuntur, clericis ratione ſui ſtatus à ſacris Canonibus prohibentur. In cujus rei exſecutionem hæc edicuntur. Nemo negotiationes, aut mercaturas exerceat, aut alicujus procurator, negotiorumve geſtor ſit, aut alienarum mercium curam ſuſcipiat, eaſque adminiſtret, vel earum pretium tranſmittat; aut alio quovis modo, in hujuſmodi negotiationibus ſe immiſceat. Quòd ſi aliqui hoc decretum violaverint; ſi Epiſcopi ſint, ipſo facto Eccleſiæ ingreſſu interdicantur, à quibus Provinciali Synodo hujus rei ratio petetur. Cæteri verò clerici, cujuſcumque conditionis exiſtant, præter pœnas à Jure ſtatutas, quæ in ſuo robore & firmitate permanent, ipſo facto pœnam excommunicationis majoris incurrant: & ſi ſemel id commiſerint, ducentum minarum pondo multentur; ſi iterum, quatuor centum; ſi tertiò,

---

a Tex. in cap. *Final. De immun. Eccl.* Mexic 1. c. 31. & Guadix tit. 4. conſt 4. in fine. & Granat. tit. *De reliq. & ven. Sanct.* n. 9. & Syn. de Quiroga conſt. 73. Mex. 1. c. 31. §. 2. ad finem. & Guadix tit 4. conſt. 3. & Granat. tit. *De reliq. & ven. Sanct.* n. 9. in fine, & Synod. de Quiroga conſt. 73. b Seſſ. 23. c. 6. Mex. 1. c. 85. & Guadix tit. 2. conſt. 45. c Late vide jura in praxi canonica Ioan. Bernard. c. 50 Mex 1. c. 56 & Mexic. 2. c. 27. & 28. & Guadix tit. 5. conſt. 6. & 7. & Mil. 2. p. 2. tit. *De negotiis ſæcular. à clero fugien.* & Gran. tit. *Ne cler. vel monac.* & Syn. de Quiroga conſt. 108. & Limen. 3. act. 3. c. 4 & 5.

tertiò, ſexcentum: ac præterea ſuppellectilem [d] & pecunias amittant, quibus negotiationes exercuerint, totumque id, quod ex contractibus prædictis provenerit, cujus tertia una pars hoſpitali domui Cathedralis Eccleſiæ applicetur, tertia verò pars altera juſtitiæ ſumptibus erogetur, alia verò judici & accuſatori æquè tribuatur. Qui verò per interpoſitam perſonam negotiabitur, aut ad negotiandum pecunias in ſocietatem dederit, pœnis pecuniariis hoc decreto ſtatutis multabitur; hoc tamen decreto, quæ clericis per Canones licent, prohibita non intelligantur.

§. II.

PRæcipitur item ſub præmiſſis pœnis, ne ullus clericus Indorum curam gerens, in ſuis regionibus per ſe aut per interpoſitã perſonam contractus redimendi piſces, aut quod venatione capitur, goſſipium, ſalem, mayzum, & alia hujuſmodi, quæ in terris Indorũ naſcuntur, ut hæc iterum divendat. Neque etiam negotiationis, ſeu lucri gratiâ Indos ſuæ juriſdictionis nere aut texere, aut alias artes hujuſmodi exercere faciat; quo fiet ut Indi his moleſtiis non divexentur, & hi qui Indorum curam gerunt, liberiùs eorum vitia reprehendant, eoſque commodiùs inſtruant.

§. III.

PRohibetur itidem omnibus ſacro ordine initiatis, ne [e] per ſe, aut per interpoſitam perſonam, in toto aut in parte, Eccleſiaſticos aut ſæculares redditus locent, aut in ſe translationes ſimilium reddituum recipiant. Quòd ſi per interpoſitam perſonam ſecus fecerint, pondo centum minarum perſolvant: ſi verò per ſe ipſos, pondo ducentum: quæ in piorum operum, & fabricæ Cathedralis Eccleſiæ, accuſatoriſque uſus æquis partibus erogentur. Si verò his pœnis cautiores non fiant, gravioribus, juxta qualitatem delicti, punientur.

§. IV.

NUllus Beneficiatus, aut curatus Indorum, tam ſæcularis quàm regularis, ex auctionibus [f] regiis, aut ex his, quibus à rege commendata ſunt oppida in ſuo diſtrictu, emat mayzum, goſſipium, aut goſſipinas telas, mel, & alia, quæ ejus parochiales in tributum dant, per ſe, neque per interpoſitam perſonam: aliter id omne amittant, quod inde exportaverint aut emerint, & in uſum fabricæ Eccleſiæ diſtrictus hujuſmodi, accuſatoris, & ſumptuum juſtitiæ æquis partibus conferantur, ne ſi miniſtri Indorum hujuſmodi contractibus implicentur (ut evenit aliquando) eorum miniſterium in contemptum veniat.

§. V.

QUia verò multi curati & Beneficiati Indorum hanc curam ſuſcipiunt, magis lucri cupiditate (ut videlicet Indi ſua colant prędia, aut minas effodiant) quàm ut ipſi rudium Indorum animas inſtruant; hæc Synodus prœcipit, ut [g] nullus curatus Indorum, ſive ſęcularis ſive regularis, poſſit intra ſuam juriſdictionem, nec intra decem leucas in ejus ambitu, prædia (etiamſi patrimonialia, aut Eccleſiæ fuerint) colere, ſi ſint qui ea conducere velint. Quòd ſi conductores minimè reperiantur, ea ipſis colere liceat etiam per Indos, quos tamen ad id volentes tantùm adhibeant, debitamque eis operum & laboris mercedem perſolvant, benigneque & comiter ſe gerant. Si ſecus fecerint, Epiſcopus curatos ſæculares Beneficio privet, regulares autem à regimine Eccleſiæ amoveat, & voce activa & paſſiva perpetuò ſuſpendat.

§. VI.

EAdem etiam obligatione teneri, declarat hæc Synodus miniſtros regulares, qui ſtipendium à majeſtate regia, vel ab his, quibus à rege commendata ſunt oppida, recipiunt, unde de ſuis laboribus poſſent Indis ſatisfacere. Non tamen ex hoc intelligitur, Indis cantoribus, & aliis ad uſum divini cultus neceſſariis, miniſtros debere ſtipendium aliquod perſolvere.

LIBRI TERTII

TITULUS XXI.

De obſervatione jejuniorum. [h]

§. I.

INter prœcipuas Chriſtianæ vitę exercitationes ea una eſt, quâ ut divinæ legis mandata omni ſolicitudine obſervemus, rebellatricis carnis motibus frenos imponimus, eandemque ſpiritui ſubjugamus. Quam ob cauſſam ſancta mater Eccleſia, quę à Spiritu ſancto regitur & gubernatur, ſtatutos dies inſtituit ad jejunium & abſtinentiam, quo carnis appetitus maximè domatur, rationique ſubjicitur. Igitur, ut omnes Chriſti fideles hujus Archiepiſcopatus & provinciæ, dies quibus ad jejunium tenentur, optimè intelligant; hæc Synodus tam Indis quàm Hiſpanis in hac provincia degentibus, reſpectivè ſequentes dies ad jejunandum proponit.

Dies

[d] Limen. 3. c. 4. & 5. [e] Mex. 1. c. 50. §. 2. & Guadix tit. 5. conſt. 6. & Granat. tit. *Ne cler. vel monac.* & Limen. 3. act. 3. c. 21. [f] Hoc eſt, *Almonedas reales.* Limen. 3. act. 3. cap. 5. [g] Limen 3. act. 3. c. 5. [h] Mex. 1. c. 37. Mex. 2. cap. 25. Guadix tit. 6. conſt. 21. Milan. 2. p. 2. tit. *De jejunio.* & Gran. *De obſervat. jejuniorum.* Synod. de Quiroga conſt. 99. Limen. 3. act. 3. c. 41. & Milan. 5. verb. *Omnis ſacer.*

Dies, quibus jejunare tenentur omnes hujus Archiepiſcopatus & provinciæ, utriusq; ſexus fideles, Indis exceptis.

§. I I.

IMprimis omnes dies Quadrageſimæ, exceptis Dominicis diebus.

MENSE FEBRUARIO.

Vigilia Sancti Mathiæ Apoſtoli. 23.
anno verò biſſexſtili. 24.

JUNIO.

Vigilia nativitatis Sancti Joannis Baptiſtę. 23.
Vigilia Apoſtolorum Petri & Paulli. 28.

JULIO.

Vigilia Sancti Jacobi Apoſtoli. 24.

AUGUSTO.

Vigilia Sancti Laurentii. 9.
Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. 14.
Vigilia Sancti Bartholomæi Apoſtoli. 23.

SEPTEMBRI.

Vigilia Sancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtę. 20.

OCTOBRI.

Vigilia SS. Apoſtolorum Simonis & Judę. 27.
Vigilia Sanctorum omnium. 31.

NOVEMBRI.

Vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli. 29.

DECEMBRI.

Vigilia Sancti Thomæ Apoſtoli. 20.
Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti. 24.

Itidem tenentur ex conſuetudine introducta jejunare in vigilia Pentecoſtes.

Ex præcepto quoque jejunare tenentur in diebus Quatuor Temporum, qui quidem dies duodecim ſunt.

In hyeme feriâ quartâ immediatâ poſt feſtum S. Luciæ, cum feria ſexta & ſabbatho ſequentibus.

In vere feriâ quartâ, ſextâ, & ſabbatho poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

In æſtate feriâ quartâ, ſextâ, & ſabbatho poſt Pentecoſten.

In autumno feriâ quartâ, ſextâ, & ſabbatho poſt feſtum exaltationis ſanctiſſimæ Crucis.

Dies, quibus Indi jejunare tenentur ex conſtitutione felicis recordationis Paulli Papæ III.

IMprimis, omnes ſextæ feriæ Quadrageſimæ, vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſabbathum majoris hebdomadæ.

§. I I I.

IN his omnibus diebus, tam Hiſpanis quàm Indis aſſignatis, omnes utriuſque ſexus fideles hujus provinciæ, viceſimo primo ætatis anno majores jejunare tenentur ſub pœna peccati mortalis, unaque tantùm comeſtione, eaque in meridie, his diebus uti debent, illis exceptis, qui vel ægritudine, vel ſenectute, vel ex magno corporali labore, vel aliis juſtis impedimentis jejunio non obligantur. In jejunio autem ſervando nemo ſuam ſententiam ſequi debet, ſed ſuum confeſſarium conſulat, ejuſque ſententiæ adhæreat. Exhortatur tamen hæc Synodus omnes quinto decimo ætatis anno majores, & viceſimo primo minores, ut paullatim jejuniis aſſueſcant, in aliquibuſque diebus à cibis ſe abſtineant, quò faciliùs cum tempus jejunandi ex præcepto occurrerit, jejunium obſervent. Monet quoque & hortatur omnes hujus provinciæ fideles, ut laudabilem conſuetudinem jejunandi in vigiliis Beatæ Mariæ Virginis, & feſti corporis Chriſti, itidemque à cibis carnalibus abſtinendi in diebus Rogationum (quamvis ex precepto non teneantur) obſervent, conceditque hæc Synodus jejunantibus in his diebus quadraginta dierum indulgentiam pro ſingulo quoque die.

§. I V.

PRæcipit quoque hæc Synodus curatis omnibus ſæcularibus & regularibus, ut id ſuis ſubditis annuncient.

§. V.

DEclarat præterea hęc Synodus abſtinendum eſſe omnino in diebus jejunii quadrageſimalibus, à lacte, ovis, caſeo, butyro, aliiſve cibis ex his conditis, niſi ad id Bulla aut privilegium conceſſum ſit. Declarat etiam, in omnibus jejunii diebus, feriis ſextis, & ſabbathis per annum, & in Dominicis Quadrageſimæ eſum carnium eſſe prohibitum, niſi alicui de conſilio medici corporalis, & de facultate Epiſcopi, aut ejus officialis in ſcriptis, eſus carnium licitus ſit. Hæc tamen facultas, examinatâ cauſâ, ad tempus limitatum, & gratis concedetur. In omnibus verò his diebus, quibus ab eſu carnium abſtinendum eſt, carnes publicè ne divendantur, niſi ad uſum infirmorum, facultatem prædictam obtinentium.

§. V I.

MEdicis itidem jubetur, ne priùs cuiquam in diebus prohibitis edendi carnes facultatem dent, quàm proſpexerint rei neceſſitatem, quæ ſi ſufficiens non ſit, facultas hujuſmodi denegetur. In concedendis verò hujuſmodi facultatibus, ne faciliores ſe erga divites, quàm erga pauperes præbeant; præſertim cum divites aliis poſſint uti alimentis ſine detrimento ſalutis, quibus pauperes & miſerabiles perſonæ ob inopiam uti non poſſunt.

LIBRI QUARTI

TITULUS I.

De ſponſalibus & matrimoniis. [k]

§. I.

EX eo magna incommoda, & infelices eventus oriuntur, quòd matrimonia nec ſincero animo, nec ad ſacrorum Canonum præſcriptum contrahantur. Quare Epiſcopi,

[i] Conc. Aur. 1. c. 29. refertur in c. *Rogation. de conſecr.* diſt. 3.

[k] Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. *De reform. matrim.*

ſcopi, & Eccleſiaſtici judices in exſecutione eorum, quæ de ſacro matrimonii ſacramento jure diſpoſita ſunt, omnem operam collocare debent. Quod maximè cupiens hæc Synodus, præcipit curatis omnibus, tam ſæcularibus quàm regularibus, ut [l] curent diligenter, ne aliqui ex ſibi ſubditis, priùs per verba de præſenti matrimonium contrahant, quàm peccata ſua confiteantur, quo ſe ad ſuſcipiendam gratiam præparent, quæ in hoc ſacramento confertur. Hoc enim, & ad vitam conjugalem cum omni pietate & tranquillitate degendam, & ad prolem educandam, ad cœlorumque patriam dirigendam convenientiſſimum principium erit. Præterea curati ſubditos doceant, tunc ſe matrimonii ſacramentum ſuſcipere, quum per verba de præſenti contrahunt.

§. II.

DEcreto autem Tridentini [m] Concilii Synodus innixa hortatur, ut conjuges ante ſacerdotalem benedictionem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitque benedictionem à proprio parocho fieri, neque à quoquam, niſi ab ipſo parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii ſacerdoti concedi poſſe.

§. III.

UT multis malis, quæ ex clandeſtinis conjugiis ortum habuêre, medicinam afferret Univerſalis Tridentina [n] Synodus, clandeſtina hujuſmodi matrimonia irritavit, nullaque decrevit, ac formam, quâ matrimonia debent celebrari in hunc modum præſcripſit, videlicet: ut matrimonium, præſente parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, contrahatur. Quòd ſi aliqui ſecus contrahere attentabunt, hujuſmodi contractus eadem Synodus irritos & nullos decrevit. Hujus igitur Concilii auctoritatem ſequuta hæc Synodus, decernit ac jubet, ne quiſquam per verba de præſenti matrimonium contrahere attentet, niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini [o]. Si qui verò ſecus fecerint; ultra pœnas à Jure ſtatutas, etiam excommunicationis pœna proponitur; contrahentes autem in triginta pondo condemnentur: ſinguli verò teſtes in quindecim, quæ in uſum Eccleſiæ cujus fuerint parochiales, erogentur. Parochus verò aut ſacerdos per menſem unum carcere incluſus teneatur.

§. IV.

EX decreto itidem Concilii Tridentini [p] ſtatuit ac præcipit hæc Synodus, ut antequam matrimonium contrahatur, ter in parochia, ſive parochiis contrahentium, tribus continuis diebus feſtis à proprio parocho inter Miſſarum ſolennia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum, ab eodemque parocho ſubditi moneantur, ut ſi ad alicujus notitiam legitimum aliquod impedimentum pervenit, quo contrahentes impediantur, illud revelent. Denunciationes verò hujuſmodi nequaquam fieri ommittantur, niſi quando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes: tunc enim, vel una tantùm denunciatio fiat, vel ſaltem parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Epiſcopis verò injungitur, ut ad id, non per quoslibet ſuos officiales, ſed ipſi per ſe, aut per ſuum generalem vicarium ex gravi cauſſa, facultatem concedant. Declarat autem hæc Synodus, in Indorum oppidis ſatis eſſe, ſi quando miniſter viſitaverit, tres hujuſmodi denunciationes ab eo fiant tribus diebus, etiam non feſtivis, dummodo eo tempore populus in Eccleſiam conveniat. Aliter enim matrimonia Indorum celebrari non poſſunt ſine magno impedimento doctrinæ Chriſtianæ, quâ Indi ſunt erudiendi.

§. V.

JUxta decretum Concilii Tridentini [q] prohibet hæc Synodus, ut nullus ſacerdos, ſecularis ſive regularis, etiamſi parochus ſit, alterius parochiæ ſponſis ſine Ordinarii, vel eorum parochi licentia, benedictionem nuptialem conferre audeat, quolibet privilegio aut conſuetudine non obſtantibus. Quòd ſi ſecus fecerit; ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.

§. VI.

PRæcipit quoque hæc Synodus ſecularibus & regularibus curatis, ut in benedictionibus nuptialibus Indorum naturaliũ arras benedicãt, cum reliquis cęremoniis, quibus in benedictionibus nuptialibus Hiſpanorum uti ſolent. Pro hujuſmodi autem benedictionibus conferendis, quicquam prorſus ne accipiant, præterquam à ſponte dantibus, poſt præſtitam liberam benedictionem: aliter quicquid acceperint, reſtituere, etiam in foro conſcientiæ, tenebuntur, & præterea ſeverè punientur.

§. VII.

NUllus parochus, aut ſacerdos ſæcularis, ſive regularis, quemquam per verba de præſenti matrimonio conjungat, qui non ſit ætatis legitimæ à Jure ſtatutæ, cujus ætatis per librum baptiſmi, aut per ſufficientem probationem conſtare debeat, nec ſponſalitiis ſimilium perſonarum, quę per verba de futuro fiunt, adſiſtat niſi de Epiſcopi licentia. Si quis verò ſecus fecerit, Ordinarii arbitratu punietur.

§. VIII.

VOlens Tridentinum [r] Concilium liberum conſenſum, qui ad matrimonii contractum requiritur, conſervari, præcipit ſub anathematis pœna, quæ ipſo facto incur-

---

l Milan. 1. p. 2. tit. *Quæ ad ſacram. matrim. pertin.* & Guadix tit. 2. à conſt. 57. & Granat. tit. *De ſponſal.* & Synod. de Quiroga à conſt. 28. m Seſſ. 24. cap. 1. *De reform. matrim.* Guadix tit. 2. conſt. 66. n Seſſ. 24. c. 1. *De reform. matrim.* o Bicta ſeſſ. 24. c. 1. ubi ſuprà. Mexic. 1. c. 38. Guadix tit. 2. conſt. 57. & Gran. *De ſponſal.* n. 1. & Synod. de Quiroga conſt. 29. & Limen. 3. act. 2. c. 34. p Seſſ. 24. c. 1. *De reform. matrimon.* Limen. 3. act. 4. c. 34. & Provinc. de Quiroga act. 3. c. 48 & Conc. Mil. 5 tit. *Quæ ad matrim. pertinent* q D. Seſſ. 24. c. 1. *De reform. matrim.* r Seſſ. 24 c. 9. *De reform matr.*

curratur, ne quiſquam ullatenus cogatur, quominus liberè matrimonium contrahat: cujus auctoritatem ſequuta hæc Synodus, cùm his in partibus multi ob ſuam propriam utilitatem Indos & ſervos invitos contrahere matrimonium compellant, ut ſuis operis utantur; ſtatuit ac mandat, ne *f* ullus Hiſpanus Indum aut ſervum cogat ad matrimonium contrahendum, nec per vim eos impediat, ut liberè cum quibus libuerit matrimonium contrahant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Idemque præcipitur * proceribus Indorum, eâ pœnâ ſtatutâ, ſi ſecus fecerint, ut triginta diebus in carcere ſint incluſi, ac præterea ſeverè puniantur.

§. IX.

ITidem præcipitur, ut hi qui ſervos conjugatos poſſident, eos vendere poſſint, nec vendant in partibus adeò diſtantibus, ut probabile ſit, eos cum uxoribus per longum tempus cohabitare non poſſe. Quod autem ſit tempus longum reputandum, arbitrio Ordinarii cenſendum relinquitur.

§. X.

UT verò corruptelæ inter hos * indigenas aliquando receptæ, non ſine gravi matrimonii injuria occurratur, qua quum quis fœminam aliquam in uxorem ducere volebat, eam à ſuis parentibus emens, cum eaque multo tempore ante matrimonium cohabitans, ſæpe innuptam dimittebat; decernit ac jubet hæc Synodus, ut Indorum parochi diligenter in ſuis diſtrictibus de hoc delicto ſciſcitentur, ac Epiſcopum certionem faciant, ut tantum facinus puniatur, & funditùs, ut decet, exſtirpetur.

§. XI.

QUorundam dolis ac fraudibus quas aliqui machinantur, ut binas nuptias contra indiſſolubile matrimonii vinculum exerceant, obviare volens hæc Synodus; præcipit, ut * nullus ex his qui in facie Eccleſiæ matrimonium contraxerunt, eo quod ab altero conjuge abſens ſit, ſecundas nuptias contrahere audeat, niſi ſufficienter probet ad præſcriptum Juris alterius conjugis mortem. Quòd ſi quis ſecus attentaverit; pœna gravi pro qualitate perſonæ punietur.

§. XII.

QUi ex * Hiſpania, aut ex aliis partibus diſtantibus in hanc provinciam pervenerint, & ſecum fœminas duxerint uxorum nomine, niſi hujus rei authenticum teſtimonium exhibeant, ad illud deferendum, ſi Epiſcopo videbitur, terminus unius anni cum dimidio præfiniatur. Quòd ſi intra præfixum terminum, de matrimonio per teſtimonium, aut per ſufficientem probationem non conſtiterit, ab Ordinario ſeparentur, nec cohabitare permittantur.

§. XIII.

SI quando evenerit *x*, ut ſtante duorum infidelium matrimonio, alter conjugum ad Fidem converſus baptiſmum ſuſceperit, altero vel ullo modo ad Catholicam fidem convertere ſe nolente, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel eum ut pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit. Sed ſi baptizatus ſine detrimento Fidei, & legis divinæ, aut cum ſpe, quòd ad Catholicam Fidem convertatur, cum infideli cohabitaverit; fidelis alteri matrimonio ne ſe conjungat, ſed cum infideli cohabitet. Si verò infidelis converſionem ad Fidem diſtulerit, per ſex menſes ambo cohabitent; quo elapſo termino, Epiſcopus de hac re certior fiat, ut ipſe decernat, an terminus prorogandus ſit, an fideli concedenda facultas, ut alteri matrimonio ſe conjungat. Itidemque Epiſcopo annunciabitur quando aliquis matrimonium contrahere velit, qui alterum conjugem in locis infidelium reliquit, cui ſuæ infidelitatis tempore cohabitabat, ut Epiſcopus cauſsâ examinatâ, ei jungendi ſe alteri matrimonio facultatem, ſi ſibi viſum fuerit, concedat.

§. XIV.

QUos Deus *y* matrimonii vinculo conjunxit, non poſſunt, nec debent ſeparari. Quare omnino reprobatum eſt maritum & uxorem dato libello ſeparationis coram judicibus & notariis ſe ad invicem ſeparare, exiſtimantes ſe illius libelli virtute à vinculo matrimonii eſſe ſolutos. Iccircò ſtatuit hæc Synodus, ut nullus Eccleſiaſticus judex in libellis hujuſmodi auctoritatem ſuam interponat, ſub pœna privationis officii; nulluſque notarius eoſdem conficiat aut ſubſcribat. Quòd ſi ſecus fecerint, præter pœnas capite: ζ *Cũ æterni tribunal*, ſtatutas, ab officiis ſint ipſo facto privati, quadragintaque pondo minarum perſolvant in uſum fabricæ, pauperum, & accuſatoris æquis partibus eroganda. Qui verò ob prædictas cauſſas non cohabitantes denuò matrimonium contrahere attentaverint, propter binas nuptias punientur.

§. XV.

QUoniam verò aliqui eo animo lites de divortio movent, eaſque minimè perſequuntur, ut liberè in ſuis inſordeſcant vitiis; quò diabolicæ eorum fraudi occurratur, ſtatuit ac præcipit hæc Synodus, ut quandocumque lis de divortio mota fuerit, uxor ſtatim in aliqua domo honeſta conſtituatur. Caſu verò, quo pars litem non proſequatur, fiſcali detur facultas petendi, ut ſimul cohabitent. Quòd ſi ſententia lata fuerit de divortio quoad torum, uxor in domo honeſta ac minimè ſuſpecta pro ratione ſuæ ætatis & conditionis collocetur, ne ulla in Deum committatur offenſa: fiſcalis verò, qui in hoc negligenter egerit, in pondo triginta condemnetur,

&

f Mexic. 1. c. 72. §. unico. * Id eſt *Caſiques*. * Hoc eſt *naturales*.
* Mexic. 1. c. 40. Synodal. de Quiroga conſt. 33.
* Mexic. 1. c. 39. §. unico. *x* Text. in cap. *Quanto* & in c. *Gaudemus. De divortiis.* Limen. 3. act. 2. c. 36. *y* Mexic. 1. c. 41. & Synod. de Quiroga conſt. 34. ζ In cap. *Cum æterni. De ſent. & re judicata.* lib. 6.

& juxta cauſſæ qualitatem, uſque ad officii ſuſpenſionem, puniatur, ſi Epiſcopo videbitur.

LIBRI QUARTI

TITULUS II.

De cognatione ſpirituali, & aliis matrimonii impedimentis.

§. I.

QUoniam aliqui, Dei timore poſthabito, intra gradus à Jure prohibitos, in quibus matrimonium invalidum eſt, contrahere præſumunt, unde conſequitur, ut in peccato vitam ducant; eam ob cauſſam ex decreto Concilii Tridentini [a], interdicit hæc Synodus, ne quiſquam intra hos gradus matrimoniũ contrahere audeat, nec ſacerdos ullus in aliquo hujuſmodi contractu interveniat. Quòd ſi aliqui ſcienter intra gradus prohibitos, qui matrimonium dirimunt, contrahere attentaverint; præter pœnam excommunicationis, quam ipſo facto incurrant, & alias pœnas à legibus Eccleſiaſticis, & [b] regiis ſtatutas, centum pondo perſolvant. Sacerdos verò, qui hujus rei conſcius, hujuſmodi matrimonii contractibus interſit, ſi Beneficiatus fuerit, fructus ſeu redditus unius anni amittat: aut ſi Beneficiatus non fuerit, centum pondo multetur. Quæ omnis multa fabricę Cathedralis Eccleſiæ ſumptibus, juſtitiæ, accuſatori, aut ſi is deſit, judici, æquis partibus applicetur.

§. II.

QUO verò his evitandis accurata diligentia adhibeatur, hęc Synodus ſacerdotibus exponit gradus prohibitos cognationis corporalis & ſpiritualis hos eſſe [c].

§. III.

PRimus conſanguinitas uſque ad quartum gradum incluſivè. Secundus affinitas ex matrimonio contracta uſque ad quartum gradum. Tertius affinitas ex fornicatione contracta uſque ad ſecundum gradum incluſivè, prout eſt à Tridentino [d] Concilio diſpoſitum. Quartus impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia quacumque ratione non fuerunt valida, prorſus tollitur; ubi autem valida fuerunt, primum gradum non excedit.

§. IV.

COgnatio ſpiritualis in baptiſmo contrahitur inter baptizantem & baptizatum, & illius patrem & matrem, & inter compatrem, & commatrem baptizati, & inter illius patrem & matrem tantùm. Ex confirmatione verò contracta cognatio confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. Advertendum tamen eſt, in impedimentis hujuſmodi felicis recordationis Pium Papam [e] V. ſuis propriis motibus declarâſſe, in gradibus ante Concilium Tridentinum prohibitis, & poſtea ab eodem Concilio ſublatis, tamquam matrimonium non impedientibus, non ſolùm intelligi poſt Concilium impedimentum eſſe ſublatum iis, qui denuò ad illum gradum pervenerunt; ſed etiam iis, qui ante Concilium eo gradu erant conjuncti, dummodo matrimonium, aut contractum ſit, aut contrahendum poſt Tridentinum Concilium.

§. V.

NEfanda inter fratres & ſorores primo gradu conjuncta matrimonia omni jure [f] prohibentur. Quare prȩcipitur, ut infideles hujus provinciæ, qui tempore ſuæ infidelitatis, in hoc gradu conjuncti erant matrimonio, cùm primùm baptiſmum ſuſceperint, ſeparentur, matrimoniumque hujuſmodi irritum ac nullum decernatur.

LIBRI QUINTI

TITULUS I.

De viſitationibus.

§. I.

VIſitationum præcipuus ſcopus (ut ſanctum Concilium Tridentinum [g] exponit) eſt, ſanctam, orthodoxamque doctrinam, expulſibus hęreſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionẽ, pacem, innocentiamque accendere: ad quod efficiendum, ultra ea, quę locus, tempus, & occaſio, viſitatarumque perſonarum conditio, Deo ac Domino inſpirante viſitatorem docuerint, is ordo ſervabitur.

§. II.

CUm primùm ad locum, quem viſitaturus eſt, viſitator pervenerit, Eccleſiam adeat, ubi eum populus exſpectat, ibique preces ad Deum effundet, ac deinde ipſe, aut ejus loco alius, concionem habebit, quâ ſummatim viſitationis ſcopum exponat. Præterea generale hujus Synodi decretum legi efficiet, populumque admonebit de obligatione, qua ſinguli tenentur denunciandi publica peccata, ut tale remedium adhibeatur, quo omnes in Deum offenſæ funditùs tollantur [h].

§. III.

---

a Seſſ. 24. c. 5. *De reform. matrim.* Mex. 1. c. 48. §. unico. & Synodal. de Quiroga conſt. 30. Tex. in Clem. unica *De conſang. & affinitate.*
b Leg. regia 3. tit. 18. partita 7. & lex 7. tit. final. l. 8. *Ordinam.*
c Vide Covarrub. in 4. 2. p. c. 6 § 8. n. 2 & 3. Ex Synod. de Quiroga conſt. 30. d Seſſ. 24. c. 4. *De reform. matrim.* Seſſ. 24. c. 5. *De reform.* Seſſ. 24. c. 2. *De reform. matrim.* e Motus prop. Pii V.
f Text. in cap. final. *De divortiis.* g Seſſ. 24. *De reform.* Mex. 1. c. 92. Gnadix. tit. 8. & Milan. 1. p. 2. tit. *De viſitatione.* & Tolet. act. 2. c. 2. & Granat. tit. *De viſitat.* & Synod. de Quiroga à conſt. 116. Limen. 3. act. 4. à c. 1. uſque ad 5 latè. Conc. 4. Mil. tit. *De viſitation.* h Vide Gran. & Syn. de Quiroga ubi ſuprà.

§. III.

SAnctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, ſanctum chriſma, oleumque, ac baptiſmalem fontem, manuale etiam ſacramentorum, ac omnia Eccleſiæ ornamenta viſitabit, accurateque reſpiciet, an hęc decenter teneantur.

§. IV.

LIbellum præteritarum viſitationum requirat, ſciſciteturque an ſtatuta in prędictis viſitationibus exſecutioni mandata ſint. Si verò aliqua adimplenda deſunt, compleri curet, reprehendatque ac corrigat eos, qui in his adimplendis negligenter ſe geſſerunt.

§. V.

QUoad bona verò Eccleſiæ inquirat imprimis, an inventarium, liberve ſit, ubi deſcripti ſint tituli poſſeſſionum quas Eccleſiæ obtinet, exploretque an aliqua Eccleſię bona alienata ſint, an ea quiſquam uſurpaverit, an verò aliqui ſumptus in ædificiis, aliiſve rebus facti ſint, qui eam ſummam excedant, quę eſt ab hac Synodo conſtituta: aut ſi Eccleſia jus habet ad aliqua bona nondum ab Eccleſia recuperata. In quibus omnibus id adimpleri efficiet, quod titulo *De rebus Eccleſiæ conſervandis, alienandis, vel non,* juſſum eſt.

§. VI.

VIſitet quoque Eccleſias & eremitoria, videatque an aliqua ſuperflua ſint, aut non bene reſtaurata, & an ſine Epiſcopi licentia fabricata ſint, Epiſcopumque de hac re certiorem faciat, ut de convenienti remedio provideat. Prętera, juxta Concilii Tridentini [i] decretum, peculiari cura exquirat, & exploret attentè, an imagines indecenter teneantur; quaſque ſic repererit, deleri faciat, aliaſque in earum loco conſtitui jubeat, prout eſt titulo *De reliquiis & veneratione Sanctorum* diſpoſitum.

§. VII.

HOſpitalia etiam, eremitoria, confraternitates, & alia pia opera viſitet, diſpiciatque, an eorum inſtitutione & fundatione, Epiſcopique ordinationibus conſtituta obſerventur, idque provideat, quod ſibi conveniens videbitur, ut hæc opera conſerventur & augeantur. Miſſarum, & piorum operum, quæ ex teſtamento relicta ſunt, libellum petat, utque ea adimpleantur, quod eſt titulo *De teſtamentis* decretum, obſervet.

§. VIII.

COram parochis decreta hujus Synodi, quę ad eorum officium ſpectant, legi faciat, & an obſerventur, diligenter exploret; ſpecialiter verò inquirat, an parochus libros habeat, ubi baptizatorum, confirmatorumve, aut eorum qui matrimonio conjuncti, & mortui ſunt, nomina deſcripta teneat. Si habet catechiſmum, directoriumque confeſſorum, librumque decretorum hujus Synodi. Si permittit à clericis peregrinis ſine licentia Miſſam celebrari. Si habet tabulam ſalariorum, juxta taxam ab Epiſcopo deſignatam. Quòd ſi quid repererit, quòd non ſit exſecutioni mandatum, diligenter adimpleri curet, exceſſuſque & negligentias corrigat.

§. IX.

DE vita & honeſtate clericorum privatim exquiret, ſi onera ſuorum officiorum obierint, & quę his decretis juſſa ſunt adimpleverint. Aut ſi in aliqua delicta reciderint, aut aliqua receperint, quę à jure, aut ab hac Synodo eis prohibentur. Exquiret prętera, an clerici, vel ſęculares publica aliqua peccata, aut ſcandala committant, an aliqui ſint concubinarii, blasphemi, ſuſceptores aleatorum, uſurarii, & aliis hujuſmodi vitiis implicati. In rebus autem occultis inquiſitionem in ſpeciali ne faciat, ex qua infamia oriri poſſit, ſed ut eſt à Jure communi diſpoſitum [k] inquirat.

§. X.

VIſitator omnia quæ animadverſione digna repererit, effecerit, aut providerit, dum exercuit viſitationem, in ſuo libro deſcribat. Cùm verò ad civitatem, ubi Epiſcopus reſidet, pervenerit, de his omnibus intra tres dies Epiſcopo rationem reddat.

§. XI.

UT verò liberiùs morum reformationem quæ viſitatoribus valdè commiſſa eſt, procuret, nihil quicquam viſitator ullatenus accipiet, quocumque modo ei offeratur, ornamentave, nec pro ratione petenda de hoſpitalibus, confraternitatibus, œconomiſve Eccleſiarum, aut aliis ſimilibus, niſi tantùm quæ ad victum & hoſpitium ſibi, & his qui eum comitantur (quorum parvus numerus eſſe debet) ab Epiſcopo dari conſtituta ſunt. Quòd ſi ſecus fecerit, pœnas incurrat à conſtitutione Concilii Lugdunenſis [l], quæ incipit: *Exigit*, ſtatutas, & reliquas, à Concilio Tridentino [m] impoſitas, ex cujus decreto decernitur, ut ſi viſitatores ratione viſitandi baptiſmales fontes aliquid acceperint, illud, in foro etiam conſcientiæ, reſtituere tenentur. Hoc tamen decreto non prohibetur, ne notarii & computatores quos ſecum duxerint, id exigere poſſint, quod ex taxa hujus Synodi eiſdem debetur, ratione actorum & ſcripturarum, rationumque, ſeu computorum in quibus ſe exercuerint.

§. XII.

QUamvis ex Jure, & ex decreto Concilii Tridentini [n], Eccleſiæ, & oppida, quæ viſitantur, Epiſcopis, aut eorum viſitatoribus, ratione procurationis, ſibi, & his, qui in ejus comitatu ſunt, congrua victualia ſuppeditare debeant, & in hoc etiam Archiepiſcopatu & provincia conſuetum ſit, *Tamemes* (bajulos ſcilicet homines) jumentave, ſine ulla mercede tribuere, ut ex uno oppi-

do

---

i Seſſ. 25. in princip. tit. *De invocat. & ſacris imaginibus.* k Tex. in cap. *Qualiter & quando*, & 2. *De accuſ.* & in cap. *Licèt Heli. De Simonia.* Vide Conc. citata ſupra §. 1. l Text. in cap. *Exigit. De cenſib.* lib. 6. m Seſſ. 24. c. 3. *De reform.* Tolet. act. 2. c. 7. & Limen. 3. act. 4. n Seſſ. 24. c. 3. *De reform.*

do in aliud, quæ ad hoc neceſſaria ſunt, exportentur, nihilominus hæc Synodus ſtatuit ac præcipit, ut poſthac Epiſcopi, ſive eorum viſitatores, cùm viſitaverint, juſtam mercedem bajulis hujuſmodi, aut aliis Indis, pro ſe, & jumentis quæ ad hoc adhibuerint, perſolvant, pro diſtantia quę eſt inter unum & alterum oppidum, & terræ conſuetudine attenta, ita ut omnes intelligant vitari id omne, quo ſubditi vexari aut moleſtari videantur, ac præterea ea ſolùm viſitatores proponere, quæ animarum ſaluti maximè conveniunt.

§. XIII.

NE Indi, viſitationum occaſione à * proceribus moleſtentur, ſtatuitur ac jubetur, ut viſitatores in ſcriptis annotatum ſuis nominibus relinquant quicquid pro ſuis, & eorum, qui eos comitantur victualibus, ſumptûs fecerint, quo poſſit œconomus, ſi ſæcularis fuerit, regiis magiſtratibus, ſi ab eiſdem petatur, rationem reddere; aliter pro modo culpę graviter puniatur.

LIBRI QUINTI

TITULUS II.

De calumniatoribus. *

§. I.

GRaviſſima injuria tribunalibus irrogatur, quæ Deus in Eccleſia ſua pro adminiſtranda juſtitia conſtituit, dum his nonnulli ad ſuas vindictas & flagitia abutentes, dolo malo innocentes criminantur. Cui malo remedium afferre volens hęc Synodus, præcipit, ut ſi aliquis articulos dederit, aut calumnioſam accuſationem, per ſe vel interpoſitam perſonam, contra aliquem clericum obtulerit; in caſibus, quibus juxta Juris diſpoſitionem calumnioſa talis accuſatio reputabitur, iiſdem pœnis criminator plectatur, quibus puniendus eſſet accuſatus, vel denunciatus, ſi contra eum probaretur. Ac præterea in omnibus expenſis & damnis condemnetur, quæ accuſato vel denunciato inde provenerint, & in pondo quinquaginta, quorum medietas ei qui calumniam paſſus eſt, tribuatur.

§. II.

SI quis accuſaverit, aut denunciaverit, ſive clericus ſit, ſive ſęcularis, & injuriam ſuam non fuerit proſequutus; ab eo articuli ne admittantur, nec accuſatio pro ſua recipiatur, ſed fiſcali tradetur, qui ad ejus proſecutionem tenebitur, in his caſibus, & eo modo, quo titulo *De officio procuratoris fiſcalis* continetur, & non aliter. Ultra ea tamen, quæ ibidem diſpoſita ſunt, ſæcularis clericum fideijuſſorem ad id præbeat, qui ſęcularis ſi in probatione defecerit; expenſas, & pœnam prædictam ſe ſoluturum promittat, aliter ejus accuſatio nequaquam admittatur.

§. III.

QUamvis is, qui calumnioſè fuerit accuſatus, calumniatorem non accuſaverit, poſſint judices (ſi caſus id poſtulat, eiſque videatur) contra calumnioſum criminatorem ex officio procedere, eumque pro merito culpæ condemnare.

§. IV.

QUoniam verò ſępè Indi nomine communitatis, aut particularium, articulos contra nonnullos clericos dare ſolent; decernitur ac jubetur, ut attento quod cum Indis decretum de fideijuſſoribus exhibendis, & pœnis ſupra nominatis, in rigore exſequendum non eſt, fiſcalis cauſſam ſuſcipiat, eamque proſequatur, etiam ſi Indi ab ea deſiſtant, ita ut fiſcalis ac jure eorum ſe protectorem oſtendat, eâ tamen conditione ſtatuta, ut Indis deſiſtentibus hujuſmodi proſecutio, nec fieri, nec inchoari, nec inchoata deſeri à fiſcali poſſit; niſi priùs ſententia & conſenſus Epiſcopi prœceſſerit, cujus paternæ prudentiæ hæc Synodus relinquit, ut quid hac in re magis ad Dei honorem & indigenarum protectionem, exceſſuumque coërcitionem conveniat, attentè conſideret.

LIBRI QUINTI

TITULUS III.

De ſimonia. *

§. I.

ETſi ab ipſo renaſcentis Eccleſię initio, ſemper ſimoniæ vitium abominabile & exſecrabile fuerit, ac ſacris Canonibus prohibitum, gravibuſque pœnis punitum; tamen ea fuit hominum malitia, ut diverſis fraudibus & fallaciis ſua ſimoniaca pacta occultare & palliare procurent. Quod malum in hunc Archiepiſcopatum & provinciam adeò graſſatum eſt (tam ad prœſentationes quæ in his partibus fiunt, obtinendas, quàm ad eas in curia Catholicæ majeſtatis procurandas) ut conveniens remedium & opportunum ſibi afferri poſtulet. De quo providere volens hec Synodus, prœcipit, ne † quiſquam Eccleſiaſticus, ſive ſęcularis, cujuſcumque dignitatis conditioniſve exiſtat, pacta conventioneſve faciat, aut pecunias promittat, aliave, ſtrenarum nomine, ſi præbenda obtineatur, aut mercedis prætextu, pro ſolicitudine, aut ad obtinendum favorem quorumcumque aulicorum, ſolicitatorumve, aut

* Cuziques, y Tequitlatos. *n* De hoc tit. Granat. tit. *De calumn.* n. 1. 2. & 3. quo refor. Conc. Mex. 1. in c. 79. lex. reg. 4. tit. 17. lib 8. recopil. *o* Mil. 1. p. 2 tit. *Quæ pertin. ad coll. Beneficior.* verſ. *Vt omnis.* & Gran tit. *De ſimonia.* n 4. *p* Text. in cap. *Nobis fuit. De ſimonia.* & in extrav. 1. *De ſent. excomm.* inter *communes* confirmata per Greg. XIII. in Bul. cujus titulus eſt, *De datis & promiſſis*, quam ad lit. refert, & eleg. legit Navarrus in tract. *De datis & promiſſis.* Text. in extrav. 2. *De ſimon. inter communes.*

aut procuratorum, ſeu aliarum perſonarum eis propinquarum, qui præſentationes hujuſmodi conferre debent, nec ſcripturas nomine debitorum aliis de cauſſis contractorum concedat, aut alios concedere faciat, quibus eos, qui ſe obligaverint, indemnes ſervaturum promittat, ratione ejus ſummæ, quam perſolverint, nec aliter quovis modo de ſimilibus paciſcatur per ſe, nec per interpoſitam perſonam. Quos omnes hęc Synodus ſimoniacos declarat: & qui hęc commiſerit, pœnas à Jure ſtatutas, & à felicis recordationis Pio Papa 9 V. motu proprio confirmatas incurrere decernit; quę quidem pœnæ hę ſunt: videlicet ipſo jure privatos eſſe Beneficio, aut prębenda hac ratione ab eis obtenta, ac pręterea inhabiles reddi ad alia quęcumque Beneficia obtinenda, necnon ad reſtitutionem fructuum omnium, atque reddituum ab eis receptorum teneri. Itidem ipſo facto incurrunt excommunicationem majorem, à qua, niſi in articulo mortis, ab alio quàm à ſummo Pontifice abſolvi non poſſint.

§. II.

DEclarat prætera hæc Synodus, hos qui pręſentationem obtinent per illicita hujuſmodi media impetratam, non fore admittendos ad ſimilia Beneficia, ſive prębendas quas obtinuerint. Hęc Synodus admonet, eiſdemque pœnas à felicis recordationis Pio Papa V. innovatas, notas facit, eorumque conſcientias graviter onerat, quatenus animadvertant, teneri ſe ad reſignandum Beneficia, & fructus malè perceptos reſtituendum: necnon eoſdem exhortatur, ut ab hoc nequiſſimo vitę ſtatu reſipiſcant, ad illudque acerrimum ac tremendum Dei judicium mentis oculos convertant.

§. III.

EPiſcopis verò, quo omnis ſimoniæ ceſſet occaſio, monet hæc Synodus, ut [r] familiaribus ſuis, ratione officiorum quæ exercent, certam mercedem conſtituant, ne illi hoc ſubſidio deſtituti, Beneficia Eccleſiaſtica, tamquam ſuæ operæ & laboris pretium præcipuè ſibi proponant. Fraudari tamen Eccleſias non vult hęc Synodus probatorum hominum miniſterio, ſi qui ſunt in Epiſcoporum familia, quibus ob ſuam doctrinam & pietatem utiliter Beneficia ſive prębendę conferri poſſunt [ſ]. Qua in re Epiſcopis vehementer commendatur, ut familiarium merita & doctrinam examinent, ita ut bene meriti non graventur, ſi eis familiares Epiſcoporum pręferantur. Cùm in Eccleſiarum damnum, & tertiæ perſonæ incommodum familiaribus ſatisfaciendum non ſit. Quando ſacros lapides, caliceſve, aut ornamenta benedicta, vas aureum aut argenteum, quod intus Sanctorum reliquias contineat, vendi contigerit; pręcipitur, ut ratione conſecrationis, benedictioniſve, aut reliquiarum, nihil quicquam pretii exigatur, nec majori pretio hęc divendantur, quàm eo, quo materia aut opus æſtimabitur, ſub pœnis contra ſimoniacos ſtatutis.

§. IV.

QUI Beneficia, ſeu parochias, multis & ambitioſis precibus, donis, promiſſionibus, favoribuſve ad Epiſcoporum gubernatores aut examinatores allatis petierint, pro illa vice reddantur inhabiles ad tale Beneficium ſeu prębendam obtinendam, in quo eorum conſcientias reſpectivè hæc Synodus valdè onerat.

LIBRI QUINTI

TITULUS IV.

De hæreticis.

§. I.

PErpendens hæc Synodus quàm grave peccatum ſit, eos à fide Catholica deficere, qui divina favente miſericordia è tenebris idololatriæ & gentilitatis ad lucem Euangelii eruti, fidem Chriſtianam in ſacro baptiſmate profeſſi ſunt; quæ à Fide defectio, in his præſertim gravior culpa eſt, qui aliorum duces & magiſtri cùm ſint, eos pervertunt, & à veri Dei cultu ad idola adoranda & dęmones colendos ſeducunt: graviter moleſteque ferens, & eam, quæ noſtræ Fidei irrogatur, injuriam, & tot animarum jacturam; necnon intimis viſceribus cupiens, * nativis Indis, tamquam novellis in Eccleſia plantis, ut in Fide roborentur, afferre remedium. Attendens prætera nimiam Epiſcoporum indulgentiam, quę paterna pietate Canonum rigorem temperantes, hactenus blanditiis potiùs quàm ſeveritate, ad viam ſalutis trahendos Indos exiſtimârunt; non ſolùm Indis utilem fuiſſe, immo eis occaſionem prębuiſſe, ut projecta quadam audacia ad ſuos errores & antiquas ſuperſtitiones (quod pleriſque in partibus hujus provincię experientia docet) redirent. Timens denique quàm grave damnum converſioni & conſervationi Indorum in fide Chriſtiana proveniret, ſi hęc pœnis impoſitis non reprimeretur audacia; ſtatuit ac prącipit Prælatis omnibus hujus provinciæ, ut diligentiſſimè inquirant ac ſcifcitentur de hujuſmodi idololatris, præſertim dogmatiſtis, & errores inter alios diſſeminantibus. Quòd ſi poſtquam eos piè monuerint & corripuerint, nihilominus in ſuis perſeverare erroribus comperiantur; rigidè contra eos procedant, eaſque pœnas applicent, quas magis convenire judicaverint, & ad horum emendationem, & ad aliorum remedium. Paternæ autem Epiſcoporum providentię hæc Synodus committit arbitrium qualitatis pœnarum, monens eos, ne pœnas pecuniarias imponant, quæ nec gravitati delicti, nec Indorum paupertati reſpondent, ſed eos corporalibus pœnis coërceant, quibus ſolùm eorum ſaluti conſultum videatur. Necnon vehementer Epiſcopis eorum cura commendatur, cùm in die tre-

9 Motus prop. Pii V. r Milan. 1. ubi ſuprà. ſ Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 18. *De reform.* cum motu proprio Pii V. * *Naturales Indios.*

tremendi judicii, de animabus ſibi commiſſis, omnipotenti Deo rationem ſint reddituri.

LIBRI QUINTI

TITULUS V.

De uſuris.

§. I.

QUI volunt divites fieri, ait Apoſtolus, incidunt in tentationem & in laqueũ diaboli, & deſideria multa, & nociva, quę mergunt homines in interitum & perditionem. Hinc eſt, quòd multi his Indiarum partibus appulêre inſatiabili * quoad divitiarum ſiti & cupiditate excæcati, qui facilè ſe his contractibus implicant, unde majus lucrum reportari poſſe ſperant, nihil curantes juſti ne an injuſti contractus illi ſint. Quo fit, ut cõſtitutionis vinculo, non ſine magno animarũ periculo obligentur, ob nimiam difficultatem, qua aliena quę retinent bona, veris eorũ dominis reſtituant. Quare hæc Synodus ardenti ſalutis animarum, quarum cura Epiſcopis commiſſa eſt, deſiderio flagrans, à viriſque prudentiâ & experientiâ probatis intelligens, tricas varias, variaſque fraudes lucri cupiditate in his partibus inventas, quibus injuſtitia, quæ dolo malo in proximum exercetur, occultari ac palliari poſſit; quantum valet, omnes hujus provincię fideles in Domino exhortatur, ut rationem quam Deo in die tremendo judicii reddituri ſunt, certamque animarum ſuarum damnationem, ſi injuſtè aliena bona uſurpant, ob oculos ponentes, viros doctrinâ & vitâ probatos conſulant, eiſque modum, quem in negotiando & contrahendo tenent, aperiant, atque eos ſolùm contractus exerceant ad ſecuritatem conſcientiæ, quos Juriſperiti hujuſmodi licitos probaverint. Sed ne poſthac injuſti contractus ſub juſtorum ſpecie lateant, ac de eis ignorantia præſumatur; hęc Synodus quid de aliquibus contractibus, quorum frequentior eſt in hac provincia uſus, ac de quibus permultæ difficultates propoſitæ occurrunt, juxta Juris diſpoſitionem, faciendum ſit, exponit atque declarat. Aliorum verò contractuum diſcuſſionem ad Directorium confeſſorum, ab ea probatum, refert, ut tam confeſſarii quàm pœnitentes, in his omnibus dirigantur.

§. II.

QUIA † is contractus in hac provincia frequens eſt, vendendi, ſcilicet, aut credendi argentum ad certum tempus, ut æſtimato juxta legem * regni pretio, ſexaginta tominorum pro unaquaque argenti marca, venditi, aut crediti, argenti pretium in moneta regalium præfinito tempore ſolvatur. Hæc Synodus illegitimum tunc eſſe contractum hujuſmodi declarat, quando argentum valorem à lege conſtitutum non attingit, ſcilicet denariorum undecim, & granorum quatuor. Quia ad dilatam ſolutionem, argentum minoris valoris, eodem pretio vendere quo argentum pretioſius & valorem à lege æſtimatum pertingens divenditur, contractus illegitimus eſt, & uſurarius. Majori enim pretio in eo argentum venditur, ratione dilatæ ſolutionis, quàm à lege præſcribitur, & pecuniâ numeratâ vendi poteſt. Hoc igitur genus contrahendi Synodus damnat, illicitumque, & uſurarium decernit, idemque tale judicari & reputari mandat. Reos verò, & in ſic contrahendo delinquentes, Eccleſiaſtici judices corrigant, omnique Juris rigore puniant, in eoſque, & in eorum bona, pœnas omnes exſequantur, quas contra uſurarios & fœneratores ſtatutas invenerint. A confeſſariis verò minimè abſolvantur, niſi poſt plenè factam reſtitutionem eorum, quæ ex illicito & uſurario contractu perceperunt & acquiſierunt, ab hujus generis contractu omnino abſtineant.

§. III.

ALiquando ‡ verò argentum undecim denariorum & quatuor granorum valorem attingens, in pecunia numerata juſto legis pretio vendi non poteſt, dilata verò ſolutione juſtæ legis pretio venditur. Cujus contractus juſtitiam, vel injuſtitiam perpendens hęc Synodus, ex varietate circumſtantiarum, aliorumque plurium, poſſe variari, quo fit, ut de eo certa definitio dari non poſſit: volenſque fideles hujus provincię ad rectam juſtitiam dirigere, & conſcientiæ detrimenta ac proximi damna vitare; ſtatuit ac jubet, ut tam in contractibus hujus generis factis, quàm in his, qui in poſterum fient, ante omnia contrahentes conſulere debeant, & conſulant viros vitâ & ſcientiâ, conſcientiaque probatos, Theologos, aut Juriſperitos, quibus circumſtantias, motiones, & cauſſas contractuum hujuſmodi aperiant, eorumque ſententiam & conſilium ſequantur, ut de contractûs hujuſmodi juſtitia tuti in conſcientia ſint. Quod ſi ſecus fecerint, valdè eorum conſcientiæ ab hac Synodo onerantur.

§. IV.

PORRÒ, quia etiam huic Synodo renunciatum eſt, ob pecuniæ penuriam, & urgentem neceſſitatem, permultos, præſertim eo tempore quo claſſis in Hiſpaniam proficiſcitur, mutuò pecunias non invenientes, ut ſuis creditoribus ſatisfaciant, ſolere ad id permutationes facere, merces ad dilatam ſolutionem ementes, quas in pecunia numerata minori pretio divendunt: ſępeque nullis mercibus intervenientibus, quę re ipſa emptioni aut venditioni ſubjiciantur, fictè conveniunt, & contrahunt, ad certum terminum ſolvere ſe obligantes ſummum

* *Conſervandarum.* † Primus caſus. ‡ Text. in leg. reg. 5. tit. 21. lib. 8. & lex 1. 2. tit. 24. lib. 5 recopil. *Quando eſte decreto ſe ordenò, no ſe avia aſentado ni enjuyo de la plata, como lo eſtà ahora por orden de ſu Mageſtad.* ‡ Secundus caſus.

mum pretium, quo falsò præsupponitur merces emptas fuisse, cùm re vera in pecunia numerata aliquam tantum modo summam recipiant, & ad certum tempus majorem summam reddituros, obligatione se devinciant. Qui quidem contractus, sive merces fingantur intervenire & vendi, cùm nec interveniant nec divendantur; sive argentum sit, quod emi confingitur juxta pretium legis, viliusque vendi ratione numeratæ pecuniæ; ab hac Synodo declaratur illicitus & usurarius, quia in eo minor summa pecuniæ mutuò datur, cum obligatione reddendi majorem. Reliquæ verò conventiones, in quibus, ut dictum est, vera emptio vel venditio non intervenit, fraudulentæ, & solùm ad palliandas usuras inventæ decernuntur. Quare hæc Synodus præcipit, ut qui contractibus hujusmodi se implicaverint, & * proxenistæ, qui in eis intervenerint, pœnis contra usurarios statutis puniantur. Judices autem Ecclesiastici diligentissimè inquirant de hujusmodi delinquentibus, ut rei tam perniciosæ, & quæ sic palliata & velata facilè committitur, remedium adhibeatur.

§. V.

PRæterea, quoniam permulti homines illicitum esse intelligentes vendere aliquid ad dilatam solutionem majori pretio, quàm in pecunia numerata in venditione mercium, pretium, quod summum appellatur, ratione dilatæ solutionis ad aliquod tempus excedendo, qui contractus usurarius est, ut illum committant, varios quærunt colores & fallacias, purpuram, cacaum, & similes alias merces majori pretio ad dilatam solutionem divendentes, quàm pecuniâ numeratâ æstimantur, & fortasse majori quo eas ad dilatâ solutionẽ crediderunt; iccircò hæc Synodus juxta Juris præscriptum decernit ac declarat, in his & aliis mercibus, in quibus divendendis multi sese exercent, easque nulla necessitate compulsi pecuniâ numeratâ divendunt, unde verum pretium, quo in pecunia numerata æstimantur, liquidò constare potest usuram committi ab illo, qui eas ad dilatam solutionem majori pretio vendiderit, quàm summo, & eo, quo in pecunia numerata venduntur. Necnon caussa non obstante, qua se communiter excusant, eo quòd nullum pretium in pecunia numerata constitutum sit, delinquentes hæc Synodus puniri mandat pœnis contra usurarios impositis. Itidemque fiat cum illis, qui ad dilatam solutionem magnam quantitatem cacaï, alteriusve generis mercium collectivè majori pretio vendunt, quàm in pecunia numerata collectæ in unum merces hujusmodi divenduntur. Hoc enim est justum pretium istiusmodi mercium, non autem illud, quod si minutatim divenderentur, pro eis reperiretur. Pretium siquidem mercium, quæ minutè divenduntur, ob laborem, periculum, & industriam, majus est quàm earum, quæ collectim emuntur. Quapropter sic contrahentes, hac executione non obstante, eâdem pœnâ plectendi sunt quâ illi, qui cariùs ob dilatam solutionem, quàm pecuniâ numeratâ merces extruduntur.

§. VI.

QUoniam verò casus alii permulti, qui in his partibus passim inter negotiandum occurrunt, quique specialem circumstantiarum indaginem requirunt, ut probentur vel condemnentur, huic Synodo propositi sunt; eos ad Directorium & examen confessariorum refert. Idque negotii confessoribus datur, ut Directorio Synodi hujus auctoritate probato, in discussione istorum casuum utantur.

LIBRI QUINTI

TITULUS VI.

De sortilegis y.

§. I.

MAgna in Deum verum committitur offensa, in quo totius nostræ miseriæ consistit remedium, quique omnipotens est, & summè sapiens, si sortilegi, malefici, ariolive consuluntur, ab eisque futuri inquiruntur eventus. Quæ res acerrimè in sacra Scriptura reprehenditur, & divina lege prohibetur. Eam ob caussam hæc Synodus interdicit, ne quisquam, cujuscumque conditionis existat, auguriis, sortibusve utatur, circulis, aut incantationibus, ad futuros rerum eventus prænoscendos: nec cuiquam philtra, aut veneficia * propinet, ut ad amorem vel odium incitetur; aliterque qui secus fecerint, flagellabuntur, mitraque capiti impositâ in publicæ ignominiæ signo punientur; aut juxta qualitatem delinquentium pœnâ pecuniariâ plectentur, ita ut Episcopi arbitrio gravitati culpæ pœna respondeat.

§. II.

NEmo ζ etiam sortilegos, veneficos, incantatoresve hujusmodi adeat, ut eorum maleficiis seu veneficiis utatur; aliter solennem aget pœnitentiam die festivo dum Missa conventualis in sua parochia celebratur, ubi detecto capite, sine pallio, & nudis pedibus, fune præcinctus, candelamque incensam in manibus tenens, stet, ibique publicè sententia in eum lata legatur *, & præterea, si Hispanus fuerit, duas argenti marcas persolvat, fabricæ Ecclesiæ, accusatori, & piis operibus applicandas. Poterunt tamen judices cum illis misericorditer agentes pœnas hujusmodi moderari, qui sponte sua, sine cujusquam accusatore ad eos confugerint, delictum à se commissum accusantes, necnon in eodem casu pro qualitate personæ, corporalem pœnam in aliam commutare poterunt.

§. III.

* *Corredores.* * *Proxenetæ.* y Mex. 1. c. 5. Guadix tit. 5. const. 20. & tit. 6. const 44. Milan. 1. p. 1. tit. *De magicis artibus*. & Gran. tit. *De sort* n. 1. * *Bebedizos.* ζ Milan. 1. & Granat. ubi supra.

§. III.

NEmo [a] itidem in posterum eorum officium exerceat, qui per verba, aut per benedictiones mederi morbis dicuntur, Hispanicè *saludadores*, *ensalmadores*, ò *santiguadores* nuncupati, nec preces, aut orationes publicè, in plateis, & in Ecclesiis recitet; nisi prius ab Episcopo examinatus facultatem obtineat; aliter juxta Juris formam punietur, ut permultæ superstitiones exterminentur, quę ab hujusmodi hominum genere in his exercendis permisceri solent.

LIBRI QUINTI

TITULUS VII.

De maledicis.

§. I.

UT corruptela, quâ in Dei offensam multi inaniter jurant, funditùs tollatur, maximè oportet, ut Ecclesiastici viri vitam suam quoad hoc emendent, mores reformet, bonumque vitæ exemplum aliis præbeant. Quare clericis omnibus hujus provinciæ hæc Synodus mandat, ut [b] habitâ Dei ac Domini nostri, ejusque Sanctorum nomini reverentiâ, in vanum & absque necessitate ne jurent: immo quos sic jurare audierint, ipsi moneant & exhortentur, quatenus juramentis abstineant. Quòd si clericus aliquis jurare consueverit absque necessitate, ut dictum est, arbitrio Episcopi puniatur.

§. II.

GRave admodum est, & severo supplicio dignum, ut ii qui Dei honori & cultui addicti sunt, in illud perditionis barathrum prolabantur, ut in divinam majestatem, ejusque Sanctos furiosè passim blasphement. Quare cùm sacris Canonibus, & regiis legibus [c] in sæculares blasphemantes, graves pœnæ institutæ sint; æquiùs multo erit, ut contra Ecclesiasticos blasphemos pœnę itidē decernantur. Itaque hæc Synodus statuit ac pręcipit, ut [d] si aliquis clericus tantum scelus commiserit, severè his pœnis puniatur, quæ in Concilio Lateranensi sub Leone X. constitutione quæ incipit: *Statuimus*; statutæ sunt, & à felicis recordationis Pio Papa [e] V. in speciali sua constitutione innovatæ: eæ autem sunt quæ sequuntur.

§. III.

CLerici Deum & Dominum nostrum blasphemantes, si Beneficiati sint, & hoc delicto convicti, pro prima & secunda vice, Beneficiorum fructibus unius anni multentur; pro tertia verò, ipso facto suspensi sint, & Beneficiis privati, ac præterea tamdiu in exsilium relegentur, quamdiu Episcopo videbitur. Si verò Beneficiati non sint, & hoc scelus primò admiserint, pecuniaria aut corporali pœna Episcopi arbitrio punientur: si secundò, carcere includentur: si tertiò, degradentur, & in triremes conjiciantur.

§. IV.

SI verò in Sanctos blasphemaverint, pœna arbitrio Episcopi relinquitur, pro qualitate blasphemiæ & circumstantiarum.

LIBRI QUINTI

TITULUS VIII.

De injuriis & damno dato.

§. I.

NE ita [f] rerum ordo perturbetur, ut ab illis injuriæ irrogentur, qui deberent innocentes & miserabiles personas tueri atque defendere, cùm experientiâ comprobatum sit, ex bellis & irruptionibus quæ in regiones infidelium fiunt, gravissima damna oriri; statuit ac pręcipit hæc Synodus, ne ullus clericus in hujusmodi irruptionibus milites comitetur sine expressa Episcopi facultate, sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ac præterea arbitrio Ordinarii aliis pœnis puniatur. Idemque observari à religiosis monet, cùm tanti ponderis negotium sit. Si sæcularis clericum percusserit, aut in eum manus violentas injecerit, præter excommunicationis sententiam, à Canone: [g] *Si quis suadente*; inflictam, & satisfactionem quam parti facere debet, triginta pondo multetur, in sumptus justitiæ, fabricę Cathedralis Ecclesiæ, & hospitalis usus, æquis partibus erogandis. Quòd si clericus suam injuriam non accusaverit; id fiscalis efficiat, ob injuriam libertati Ecclesiasticę illatam. Si verò clericus sęcularem percusserit, in eum Episcopus juxta modum culpæ arbitratu suo animadvertat. Cui hæc Synodus vehementer commendat, ut eo supplicio delinquentem hujusmodi afficiat, ex quo populus intelligat, dignas suis excessûs pœnas ab hujusmodi reis dari.

§. II.

NIhil magis [h] eorum curæ à Deo commissum esse, Episcopi & Gubernatores harum provinciarum & regnorum existimare deberent, quàm ut Indos recèns in Fide natos, intimo animi affectu, visceribusque paternis protegerent atque defenderent, corporalibus & spiritualibus eorum commodis consulentes. Indorùm enim innata mansuetudo, summissio, & assiduus labor, quibus Hispanorum

---

[a] Guadix tit. const. 23. & Granat. tit. *De furtis* n. 2. [b] Mex. 1. c. 49 & Mila 1. 1. p. tit. *De blasphem.* [c] Lex reg. 1. 2. & 7. tit. 17. lib. 8. recopil. [d] Conc. Lateranen. sub Leone X. tomo 5. Concil. general. [e] Motus proprius Pii V. §. *Ad abolendam.* Milan. 1. p. 1. tit. *De blasphem.* & Synod. de Quiroga const. 107.

[f] Conc. Lim. 3. act. 2. c. 7. [g] Text. in cap. *Si quis suadente* 17. q. 4. Granat. tit. *De injuriis*, n. 1. & 2. [h] Limen. 2. c. 128. & 3. act. 3. c. 3. Text. in cap. 1. cum tribus seqq. 87. d. & in cap. *Administ.* 23. q. 5. facit text. in authentico: *Ut differentes ludi*. §. final. coll. 9.

rum utilitati deſerviunt, cujuſcumque efferatæ gentis animos inducerent, ut eorum potiùs defenſionẽ ſuſciperent, & miſeriis compaterentur, quàm ut eos moleſtiis, injuriis, violentiiſque illatis, quibus quotidie ab omni hominum genere diu vexantur, afficerent. Quod perpendens hęc Synodus, dolenſque vehementer in his pietatem & humanitatem non eſſe, in quibus maxima eſſe deberet; quantum poteſt in Domino cohortatur [i] Gubernatores & Magiſtratus regios hujus provinciæ, ut cum miſerabilibus Indis piè benigneque agant, miniſtrorum ſuorum, & eorum, à quibus Indi moleſtiis & gravaminibus afficiuntur, inſolentiam reprimant, ut ab his Indi non ſervi, ſed liberi exiſtimentur. Quoniam verò ad hujus Synodi notitiam varia gravaminum genera pervenerunt, quibus Indi tam in bonis, quàm in propriis perſonis afficiuntur; hæc declarantur & apponuntur in Directorio confeſſorum ab hac Synodo approbato, eademque nota fiunt tam Magiſtratibus, ut in poſterum emendentur, & viros doctos conſulant, ab eiſque de reſtitutione & ſatisfactione ob damna hactenus illata Indis in foro conſcientiæ facienda, ſciſcitentur; quàm confeſſariis, ut quos contumaces invenerint, ſeque emendare nolentes, nec ſatisfactionem, ut decet, facere, minimè abſolvant, obſervantes ea quæ de damnis & moleſtiis Indis illatis, Directorium hujuſmodi docet. In quibus omnibus adimplendis hæc Synodus conſcientias onerat, prævaricatoribuſque hujuſmodi iram omnipotentis Dei in die tremendi judicii minatur.

LIBRI QUINTI

TITULUS IX.

De pœnis. [k]

§. I.

POENÆ ad coërcendas culpas legibus ſtatutæ ſunt. Ideoque perſonis, de quibus leges loquuntur, accommodari debent. Quare hæc Synodus paupertate & puſillanimitate Indorum attenta, juxta id, quod per regiam majeſtatem ſtatutum eſt, præcipit ne Indis pœnæ pecuniariæ ob quodcumque delictum imponantur, nec pecuniariis pœnis his decretis Indi comprehendi intelligantur. Quòd ſi in caſu aliquo judici videretur pœnam hujuſmodi, omni alia ad exceſſus ſui remedium alicui convenientiorem eſſe, eam ne imponat ſine Epiſcopi facultate, & cum maximo moderamine, Eccleſiæque, cujus Indus parochialis eſt, tantummodo, & non alteri multa hujuſmodi applicetur: ſin minus, judex tantundem fabricæ ejus Eccleſiæ perſolvat, cui pœna erat applicanda.

§. II.

QUando [l] Epiſcopus, aut alius judex, in pœnam delicti clericum in aliqua parte diſtributionum quotidianarum condemnaverit; ne hujuſmodi condemnatio fruſtratoria ſit, præcipitur, ut alii præbendati delinquenti remittere non poſſint, nec ei condonare quod ratione ſententiæ contra eum latæ amiſit, ut titulo *De Beneficiatis, & eorum officio* habetur.

§. III.

POrrò declaratur & exponitur, ut quandocumque in decretis hujus Concilii de curatis ſæcularibus & regularibus mentio fit, & pœna aliqua imponitur, eam tantummodo incurrere ſæculares curati intelligantur. Nam curati regulares ex decreto Concilii Tridentini [m], cujus exſecutio valdè Epiſcopis commendatur, corrigi debent.

LIBRI QUINTI

TITULUS X.

De concubinatu, & pœnis concubinariorum, & lenonum. [n]

§. I.

GRave eorum ſcelus eſt, qui cum ſcandalo populi publicè in concubinatu vivunt: graviſſimum verò eorum, qui cùm conjuncti ſint matrimonio, ſacramento injuriam irrogantes, fidemque violantes quam conjuges invicem ſervare debent, in hoc nequiſſimo vitio verſantur. Eamque ob cauſſam ſacroſanctum Tridentinum [o] Concilium ſeverè contra hos procedendum juſſit. In cujus exſecutionem ſtatuit ac mandat hæc Synodus, ut judices Eccleſiaſtici diligentiſſimè inquirant, an aliqui publicè in hoc ſtatu vivant, contra eoſque pœnas à Jure ſtatutas [p] exſequantur, eoſdem aggravantes ratione contumaciæ, reincidentiæ, & gravitatis culpæ, & reorum, ita ut à peſſimo hujuſmodi ſtatu deſiſtant, & à periculo animarum, in quo ſunt conſtituti, recedant. Quòd ſi fœmina [q], quæ in hoc ſtatu vivit, conjugata ſit, & poſtquam ter fuerit admonita, non obedierit; graviter pro ratione culpæ puniatur, ab eoque oppido aut diœceſi, ſi Epiſcopo viſum fuerit, invocato ad id (ſi opus fuerit) brachio ſeculari, ut eſt à Concilio Tridentino [r] diſpoſitum. Quòd ſi ii qui in concubinatu degunt, ambo ſoluti ſint, ultra pœnas à Jure ſtatutas, aliis, arbitratu Epiſcopi, coërceantur.

§. II.

PRæcipitur quoque, ut [s] ſi aliquis in concubinatu cum conſanguinea intra quartum gradum, aut cum infideli verſetur, pœnam excommunicationis latæ ſententiæ incurrat,

---

[i] Tex. in extravag 2. De *Iudæis* Ioannis 22. & in Extr. comm. late de multis prærogat. & privileg. conceſſis neophytis & noviter ad fidem converſis. Eſt conſt. 29. Paulli III Bulla Pauli PP. III. lata Romæ nonis Iunii 1537. & vide Ioſephum de Acoſta lib. 3. *De procuranda Indorum ſalute*, cap. 17. Conc. Limenſe 2. c. 122. 123. & 125. & 128. [k] Mex. 1. c. 92. §. 1. & Lim. 3 act. 4. c. 7. [l] Tolet. act. 3. c. 20. [m] Seſſ. 25. c. 11. de regular. [n] Mex. 1. c. 43. & Guadix tit. 5. conſt. 19. & 20. [o] Seſſ. 24. c. 8. [p] Lex reg 1. 2. 3. & 5. tit. *De los amancebados.* lib. recopilat. [q] Mex. 1. c. 81. [r] Seſſ. 24. c. 8. [s] Mex. 1. c. 43. Iuvat tex. in cap. *Cùm ſecundum leges, De hæreticis.* lib. 6. & lex 7. tit. 20. lib. 8. recopil.

currat, & ab Epiſcopo pro qualitate delicti puniatur.

§. III.

DEclaratur quoque [t] non ſolum illum qui in eadem domo cum concubina cohabitaverit, pœnâ in concubinarios ſtatutâ comprehendi, ſed etiam quemcumque in peccato hujuſmodi conſtitutum, ſi delictum juxtâ formam Juris probari poſſit, in quo Epiſcopi & Eccleſiaſtici judices omni Chriſtiana prudentia ſe gerant, prout rei ratio poſtulat.

§. IV.

DIligenter cavendum eſt, ut à populo Chriſtiano, tamquam à meſſe zizania, lenonum & lenarum peſtis exſtirpetur, qui tamquam laquei quidam diaboli hominum animas illaqueant in interitum. Iccircò jubetur, ut [u] ſi quiſquam in hoc pernicioſo delicto fuerit primò deprehenſus, publicam pœnitentiam faciat, & in ſcala ad portam Eccleſiæ mitrâ ignominiam capiti impoſitâ, tamdiu quamdiu Epiſcopo videbitur, ſtet: ſi ſecundò, publicè verberibus percutiatur, mitramque in ſignum publicæ ignominiæ geſtet, Epiſcopique arbitratu in exſilium mittatur.

§. V.

PErpendens hæc Synodus gravius, turpius, & pernicioſius eſſe, tam in Eccleſiaſticis, quàm in ſæcularibus, incontinentiæ vitium, cupienſque ut ii non ſolùm ab omni vitæ inhoneſtate abhorreant, ſed ab omni periculo & ſuſpicione impudicitiæ alieni, ad eam quæ decet, continentiam ac vitæ integritatem revocentur; ex decreto Concilii Tridentini [x] ſtatuit ac præcipit, ne [y] ullus clericus ſacro ordine initiatus, cujuſcumque qualitatis exiſtat, in domo, aut extra domum, concubinam tenere audeat, nec ſimilium mulierum domos frequentet, aut cum ipſis conſuetudinem habeat. Quòd ſi aliqui primò à Superioribus moniti, ab his nō abſtinuerint; ſi Beneficia Eccleſiaſtica obtinent, fructuum & proventuum Beneficiorum ſuorum tertia parte ipſo facto privati ſint: qui fructus fabricæ Eccleſiæ, aut alii pio loco, arbitratu Epiſcopi, applicentur. Si verò ſecundò admoniti, in eodem delicto, vel cum eadem, vel cum alia fœmina perſeverantes, adhuc non paruerint; non tantùm fructus & obventiones ſuorum Beneficiorum amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam à Beneficiorum ipſorum adminiſtratione (quoad Ordinarius etiam, uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur) ſuſpendantur. Quòd ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur; tunc Beneficiis, aut officiis, & penſionibus quibuſcumque, honoribus, & dignitatibus Eccleſiaſticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni his & quibuſcumque in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex cauſſa fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio hujus decreti exſecutionem impediat aut ſuſpendat. Nomine verò Beneficiorum, de quibus decretum hoc mentionem facit, quamcumque Indorum adminiſtrationem à clericis obtentam comprehendi hæc Synodus declarat.

§. VI.

CLerici verò hoc peccato delinquentes, qui Beneficia Eccleſiaſtica, aut penſionem non habent, juxta delicti & contumaciæ perſeverantiam & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœnâ, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliiſve modis, juxta ſacros Canones, puniantur.

§. VII.

QUoniam verò aliqui cum mulieribus conjugatis in concubinatu verſantur, ut liberiùs in ſuo nefario ſcelere perſeverent, exiſtimantes contra ſe minimè procedendum, ne ſimilium fœminarum adulterium in apertum proferatur; hæc Synodus ſtatuit ac præcipit, ut quando maritus ejus quæ in concubinatu cum clerico verſatur, conſcius delicti fuerit, ad punitionem delicti, ſicut in aliis concubinatibus fit, procedatur. Quando verò crimen uxoris ad mariti notitiam minimè veniſſe comperiatur, juxta Concilii Tridentini [a] decretum, jubetur, ut ſi delictum poblicum ſit, & delinquentes ter admoniti ea de re non ſe emendaverint; ad puniendum delictum procedatur, eâ tamen adhibitâ cautelâ, ne nomen conjugatæ mulieris in proceſſu evulgetur ad evitandum damnum quod inde ortum habere poſſet. In modo autem procedendi in caſibus ſimilibus, is ordo ſervabitur, qui Ordinarii arbitratu magis expedire videbitur. Ejus enim prudentiæ erit remedio coërcere, & ita de remedio in delictis providere, ut nullum inde naſcatur incommodum.

§. VIII.

POrrò ſi [b] clericus (quod abſit) incontinenter vixiſſe cum ſua ſerva comperiatur; eum ipſo facto amiſiſſe dominium ejus ſervæ hæc Synodus declarat; de cujus ſervæ pretio Epiſcopus diſponat in uſus piorum operum. Ac præterea jubetur clericus puniri juxta Juris rigorem. Si verò ex ea filios procreaverit, ipſo facto ab omni ſervitute liberi ſint.

§. IX.

UT aliquorum clericorum malitiæ occurratur, qui cum famulabus incontinenter cum vixerint, eas ſuis famulis, aut aliis in uxores dant, qui in eodem delicto eaſdem verſari patiantur, hiſque fallaciis ſua flagitia occultare contendunt; præcipit hæc Synodus, ne [c] clerici in ſuis domibus famulas prædictas tenere poſſint: aliter ducentum pondo pœnam in-

---

[t] Guadix tit. 5. conſt. 19. [u] Granat. *De ſortileg.* n. 4. [x] Seſſ. 25. c. 14. [y] Mexic. l. c. 51. § 1, 2. & 4. & Guadix tit. 5. conſt. 18. Synodal. de Quiroga conſt. 38. & Limenſe 3 act. 3. cap. 19.

[z] Limenſe 3. act. 3. c. 19. ad finem. [a] Seſſ. 24. c. 8. Mexic. l. cap 31. vide ſuprà §. 1. [b] Mex. l. cap. 51. §. 3. [c] Lex reg. 3. tit. 19. lib. 8. recopil.

incurrant, piis operibus, accuſatoris, & juſtitiæ ſumptibus æquè applicandorum. Si verò in contumacia delicti perſeveraverint; privatione etiam Beneficiorum, & inhabilitate ad ea obtinendum, necnon exſilio ad arbitrium Epiſcopi plectantur. Quò verò clerici omnem incontinentiæ ſuſpicionem effugiant, interdicit hæc Synodus, ne [d] clerici, maximè illi qui in oppidis Indorum commorantur, fœminam aliquam ſuſpectæ ætatis in famulatum adhibeant, nec per diuturnum tempus, nec per menſes, nec per hebdomadas; ſed ad id, vel viri alicujus ſervitute, vel fœminæ in ea ætate conſtitutæ utantur, de qua nulla poſſit haberi ſuſpicio. Clerici itidem, qui ex ſuis regionibus, aut aliunde pro gerendis negotiis ad civitatem diverterint, honeſtas domos, & minimè ſuſpectas ſibi in hoſpitium quærant, in eiſque commorentur: aliter ab Ordinario punientur, cujus rei exſecutio eidem valdè commendatur.

§. X.

UT omnis à populo auferatur occaſio, omneque in eo veſtigium deleatur, quibus ſacerdotum fama ullatenus maculari poſſit; ſtatuit hæc Synodus ac præcipit, ne [e] ullus clericus, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, præſens interſit baptiſmo, nuptiis, Miſſæ novæ, aut exequiis ſui filii vel filiæ, aut ſui nepotis, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, nec educare, aut in ſuis domibus eos, nec etiam ſuos generos tenere poſſit, neque eos ſibi in comitatu adhibere. Præſertim verò in Eccleſia, ubi Beneficia ſeu præbendam obtinet, eos minimè teneat in grave aliorum ſcandalum. Quotieſcumque verò ſecus fecerit, triginta pondo perſolvat, eaque ſumptibus juſtitiæ, accuſatori, & judici, ſi accuſator deſit, æquis partibus applicentur. Epiſcopis verò, & judicibus Eccleſiaſticis valdè commendatur omnia adimplere, quæ contra filios clericorum Concilium Tridentinum [f] decrevit.

LIBRI QUINTI

TITULUS XI.

De ſententia excommunicationis.

§. I.

CUm excommunicationis ſententia pœna valdè gravis ſit, & gladius ſalutaris, quo Eccleſia utitur, ut fideles in officio contineantur, & à vitiis revocentur; levi de cauſſa exercendus non eſt, ne magis contemni quàm formidari videatur. Quapropter ex decreto Concilii Tridentini [g] præcipit hæc Synodus, ne excommunicationes pro rebus furto ſubtractis decernantur, ſi res illæ ablatæ quinquaginta pondo valorem non attingant, de quo valore per informationem aut juramentum partium conſtet, necnon aliis adhibitis diligentiis, arbitratu Epiſcopi ſufficientibus, quibus non obſtantibus, res hujuſmodi recuperari minimè potuerunt, & non aliter. Excommunicationes etiam ad effectum manifeſtandi rem aliquam occultam, niſi in re gravi & magni momenti, quæ præſtitis omnibus diligentiis aliter revelari non poteſt, minimè concedantur. Quòd ſi excommunicationes hujuſmodi petantur lite aliqua inchoata, vel ad teſtes, vel ad alicujus rei ad litem ſpectantis declarationem, niſi citata parte, minimè concedantur, quibus illi ſolummodo ligentur, qui in favorem ejus, ad cujus inſtantiam excommunicatio decreta eſt, aliquid noverint: præterea pro rebus in facto conſiſtentibus & permanentibus, veluti pro limitibus, finibus, aut metis, pro jure paſcendi, ſcindendi, aut venandi, aliiſve rebus ſimilibus, quæ aliter de Jure decerni poſſunt, ne concedantur.

§. II.

POrrò ſtatuitur ac jubetur, ne excommunicationes hujuſmodi pro rebus furtivis, vel ad effectum revelationis, ab alio quàm ab Epiſcopo, ut Concilio Tridentino [h] conſtitutum eſt, decernantur; & tunc non aliàs, quàm cauſsâ diligenter & maturè per Epiſcopum examinatâ, ſub pœnâ pondo triginta fabricæ Eccleſiæ, accuſatori, & piis operibus applicandorum. Quam pœnam incurrat judex Eccleſiaſticus, qui id propria auctoritate effecerit, non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine. Nullatenus autem cenſuræ hujuſmodi, aut aliæ, citationeſve in albo expediantur, ut fraudes & falſitates quæ inde ortum habere poſſunt, omnino vitentur.

§. III.

UT excommunicati ab aliis fidelibus evitentur, & hoc modo incitati, quam primùm ſibi remedium quærant, & à peſſimo ſtatu in quo verſantur, liberari procurent; ſtatuit ac mandat hæc Synodus, ut in unaquaque parochia, in loco publico ubi legi poſſit, tabella una collocetur, quæ nomina ſcripta contineat eorum, qui in tali parochia excommunicati ſunt. Parochi verò, aut ſacriſtæ, ſingulis Dominicis diebus infra Miſſarum ſolennia, tempore offertorii, excommunicatos hujuſmodi denuncient: aliter quoties in hoc negligenter egerint, pondo dimidium fabricæ Eccleſiæ perſolvant. In reliquis verò Eccleſiis & monaſteriis hoc item annunciari curent, ut ubique noti fiant, & à divinis officiis arceantur.

§. IV.

---

[d] Mexic. 1. c. 51. cum §. 1. & Limenſe 3. act. 3. c. 19. ad finem.
[e] Concil. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 11. Mex. 1. c. 51. §. 5. & Guadix tit. 5. conſt. 21. & Tolet. act. 3. cap. 19. ad finem. & Gran. tit. *De filiis presbyter.* & Synod. de Oſma tit. 8. conſt. 1. §. 9. [f] Seſſ. 25. c. 15. [g] Seſſ. 25. c. 3. *De reform.* Mex. 1. c. 14. Synod. de Quiroga conſt. 21. & Conc. Milan. 4. 3. p. tit. *De foro Epiſc.* Granat. tit. *De ſent. excommun.* num. 6. 7. & 8.
[h] Seſſ. 23. c. 3. Milanenſe 4. 3. p. tit. *De foro Epiſc.* verbo: *Cùm verò.* verſ. ibi: *Neque verò ejus vicario etiam generali.* & Synod. de Oſma tit. 3. conſt. 1. §. 23. & Prov. de Quiroga act. 3. cap. 4. Granat. tit. *De ſent. excommun.* num. 5. & Synod. de Quiroga conſt. 18.

§. IV.

QUia verò nonnulli adeò obſtinato animo ſunt, ut ſpirituale detrimentum contemnentes, per multum tempus in excommunicatione, aut in aliis Eccleſiaſticis cenſuris inſordeſcant; ſtatuit ac præcipit hęc Synodus, ut; ſi aliquis clericus per decem dies excommunicatus aut ſuſpenſus permanſerit, pondo duo perſolvat: ſi per viginti dies, pondo quatuor: ſi per menſem, pondo ſex: ſicque cum tempore contumaciæ pœna etiam accreſcat. Quę quidem multa fabricę Eccleſię & exſecutori æquè applicetur. Hoc tamen declaratur, ne ſcilicet per totum tempus prædictum excommunicatus clericus hujuſmodi fructus & ebventiones Beneficii ab eo obtenti lucretur. Si verò per annum cenſurâ innodatus perſeveraverit; carcere includetur, & contra eum, uſque ad Beneficii privationem, procedetur, & aliis etiam pœnis plectetur, quas Epiſcopus judicaverit.

§. V.

SI verò aliquis ſecularis in excommunicatione per menſem, aut per majus temporis ſpatium, poſtquam ei fuerit notificata, inſorduerit; pœnas à Jure ſtatutas *k* incurrat: ſi verò per annum in dicta excommunicatione perſeveraverit; in eum tamquam de hæreſi ſuſpectum, ex decreto Concilii * procedetur.

§. VI.

CUpiens *l* hæc Synodus, ut nullus in excommunicationis ſtatu perſeveret; videnſque ex eo aliquos in eo permanere, quòd ad civitatem, ſeu oppidum, ubi judex habitat (quod valdè diſtare ſolet) accedere debeant abſolutionem recepturi: aut ex eo, quòd ratione abſolutionis ab excommunicatione aliqua recipiant ſalaria, aut recipi patiantur; facultatem quoque curatis dat abſolvendi quaſcumque perſonas ab excommunicationibus pro rebus furtivis decretis, ſi eis conſtiterit de ſatisfactione partium, tam quoad ſortem principalem, quàm quoad expenſas. Abſolutionem autem, ſi notoria ſit excommunicatio, aut excommunicatus denunciatus fuerit, conferent coram notario & teſtibus. Idemque intelligatur ab eis poſſe fieri ad inſtantiam partis, abſolvendo eos, quos pars abſolvi conſenſerit in totum, vel ad reincidentiam.

§. VII.

NE miniſtri Eccleſiæ, aut aliæ quæcumque perſonæ, ob ignorantiam efficiant quod tempore interdicti aut ceſſationis à divinis Jure prohibitum eſt; hæc Synodus juxta contenta in capitulo: *m* *Alma mater*, declarat ab eis ſequentes regulas obſervari.

Tempore Apoſtolici, ſeu Ordinarii interdicti, Miſſa, & alia divina officia celebrentur clauſis januis, & ab Eccleſia interdictis & excommunicatis excluſis; tantummodoque clericis, non conjugatis, admiſſis.

Ex ſacramentis verò hæc adminiſtrentur, videlicet Baptiſmus parvulis & adultis conferatur; Confirmatio omnibus; Pœnitentia ſanis & ægrotis; Euchariſtia ægrotis tantummodo cum eadem ſolennitate, quę ſervatur in tempore quando non eſt interdictum; Matrimonii quoque ſacramentū per verba de præſenti; benedictio tamē nuptialis eo tempore conferri non poteſt. Extrema-unctio nulli poteſt tunc miniſtrari; ſepultura verò in loco ſacro ſolùm clericis, non conjugatis, qui non fuerint violatores interdicti, concedatur.

In die *n* Nativitatis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & in feſto corporis Chriſti cum octava, & in die Aſſumptionis Beatæ Mariæ, ſicut in literis Apoſtolicis Eugenii IV. & Martini V. continetur, interdictum tollatur. Dies autem prędicti cum omni ſolennitate celebrentur, à primis uſque ad ſecundas Veſperas.

Tempus ceſſationis à divinis.

TEmpore ceſſationis à divinis hæc obſerventur.

Primò, ceſſatione à divinis ſtante, eo in loco divina officia celebrari non poſſint in ulla Eccleſia, ſed omnino ceſſent.

Secundò, ad ſacram Euchariſtiam renovandam, ſingulis octo diebus, ſacerdos (uno adhibito miniſtro ſecreto) poterit Miſſam celebrare.

Tertiò, quoad horas recitandas, eas ſinguli ſolùm recitent, non autem bini, privilegiatis exceptis.

Quartò, quoad baptiſmum, tam parvulis quàm adultis, cum omni ſolennitate neceſſaria conferatur, ac ſi non eſſet interdictum, nec ceſſatio à divinis; itidemque fiat de ſacramento Confirmationis.

Quintò, quoad ſacramentum Pœnitentiæ, tam ægrotis quàm ſanis miniſtretur.

Sextò, Euchariſtia ad infirmos ſolenniter, & pulſato cymbalo, etiam ſi divina officia non recitentur, deferri poterit.

Septimò, Extrema-unctio nulli poſſit perſonæ conferri.

Octavò, Eccleſiaſtica ſepultura presbyteris concedi poterit in cœmeterio, non intra Eccleſiam.

Nonò, matrimonium per verba de præſenti contrahi poterit, benedictiones tamen nuptiales nequaquam dentur.

Decimò & ultimò, quoad literas Apoſtolicas, & privilegia aliquibus conceſſa, ut his temporibus Miſſam audire poſſint, illi qui ea obtinent, ſi tantùm ſibi ad tempus interdicti conceſſa ſunt,

---

i Gran. tit. *De ſent. excomm.* n. 1. & Syn. de Quiroga conſt. 19. *k* Lex reg. 1. tit. 5. lib. 8. recopil. & Synod. de Quiroga conſt. 19. ad finem. * Seſſ 25. c. 3. *De reform.* *l* Mexic. c. 13. Synod. de Quiroga conſt. 20. *m* Tex. in cap. *Alma Mater. De ſent. excomm.* lib. 6. *n* Guadix tit. conſ. 23. & 24. *o* Guadix dicto tit. 3. conſt. 23. & 24. De hac mat. conſule Barr. de Medina in Summa cap. 12. §. 14. & Hieronymum Curiel tract. *De ceſſatione à divinis.* pag. 164. & Ioannem Gutr. in qq. *Canonicis.* cap. 20. Anton. Gomez latè in *Expoſit. Bullæ Cruciatæ.* clauſula 5. & 6. à num. 20. fol. 59. colum. 2. & poſt clauſulam 12. ibi fol. 121.

ſunt, tempore ceſſationis à divinis, literis & privilegiis hujuſmodi ne utantur: & vice verſa, obtinentibus tamen literas & privilegia hujuſmodi valdè commendatur, ut antequam eis utantur, viros doctos conſulant, & de literis & privilegiis hujuſmodi inquirant, ad quæ ſe extendant, & per Bullam Cruciatæ, vel aliter ſint revocata, ne formam in eis præſcriptam excedant, & eis, ut decet, ſine aliquo conſcientię ſcrupulo utantur. Item in his locis, ubi in privatis domibus ſacrum peragi conſuevit, una ſolùm Miſſa ſingulis diebus celebrari poſſit.

LIBRI QUINTI

TITULUS XII.

De pœnitentiis & remiſſionibus.

§. I.

MAgni ponderis [p] & momenti in Eccleſia eſt, toto conatu ad id incumbere, ut homines, qui in ſtatu innocentiæ minimè perſeverantes, ab eo cecidêre, ſancti Pœnitentiæ ſacramenti beneficio reſtituantur & revocentur. Quia verò in hoc miniſterio verſari non minus difficile, quàm ſalutare eſt; hæc Synodus confeſſarios omnes exhortatur & monet, ut ſui officii memores, æternam animarum ſalutem, quæ ſibi commiſſa eſt, omni Chriſtiano zelo procurent, taleſque ſe gerere contendant, ut aliis beatitudinis januam aperientes, ipſi ab ea non excludantur. Quò verò in hoc officio exercendo meliùs dirigantur, hæc decreta proponuntur.

§. II.

NUllus ſacerdos, ſive ſæcularis ſive regularis, ex quocumque privilegio aut conſuetudine, ſæcularium perſonarum, etiam ſacerdotum, confeſſiones audire poteſt, nec idoneus ad id reputari, niſi aut parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopo per examen, ſi illi videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat, juxta præſcriptum Concilii Tridentini [q], cujus auctoritatem ſequuta hæc Synodus, omnibus hujus provinciæ ſacerdotibus, tam ſæcularibus quàm regularibus, jubet, ut ſine approbatione & facultate diœceſani, ſacramentum Pœnitentiæ ne adminiſtrent, aliter confeſſiones factas irritas declarat, & pœnitentes à peccatis non eſſe abſolutos: ac præterea hi, qui ſecus, ut dictum eſt, confeſſiones audierint, pro qualitate delicti, & ſacrilegii hac in re commiſſi punientur. Itidem declarat hæc Synodus, illos confeſſarios, quibus Epiſcopus limitatam facultatem ad certos perſonarum ſtatus conceſſerit, reputari idoneos non debere ad aliarum perſonarum confeſſiones audiendas. Nec per Bullam Cruciatæ eligi poſſunt in confeſſarios ab aliis quàm ab hujuſmodi perſonis. Confeſſiones verò, ſi quas audierint, facultatem & approbationem ſuam excedentes, irritæ ſunt & nullæ.

§. III.

AD tollendas difficultates quę oriri poſſunt, declarat hæc Synodus, confeſſarios omnes ex licentia Epiſcopi expoſitos, ſi is obierit, in eadem facultate & auctoritate remanere, donec à Sede vacante, aut ab Epiſcopo ſucceſſore facultas hujuſmodi revocetur aut limitetur.

§. IV.

QUò verò liberè & integrè confeſſarius convenientem medicinam culparum morbis afferre poſſit, nulloque affectu, quominus id præſtet, impediatur; præcipit hæc Synodus & interdicit, ne ullus confeſſarius quicquam à pœnitente accipiat, quum is ad ſua peccata confitendum accedit, vel ſtatim poſtquam ea confeſſus eſt, ita ut ejus rei cauſsâ dari intelligatur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententię. Ac præterea teneatur in foro conſcientiæ reſtituere id quod hac de cauſſa accepit, fabricæ ejus Eccleſiæ, in qua confeſſiones audit. Si verò primò de hoc delicto convictus fuerit, ab hujuſmodi officio per annum ſuſpendetur; ſi ſecundò, per duos annos; ſi tertiò, ad audiendas confeſſiones in perpetuum inhabilis reddetur, & à Beneficio, ſi illud obtinet, privabitur: ſi verò non, tamdiu exſul erit, quamdiu Epiſcopo videbitur.

§. V.

QUoniam verò multi curati, & confeſſarii Indorum, vel ob imperitiam linguæ pœnitentium, vel ob alias cauſſas, aliquod, vel aliqua peccata tantummodo audiunt, ut inde materia ad abſolvendum ſibi ſuppeditetur, confeſſionem dimidiantes, graveque delictum contra integritatem hujuſmodi confeſſionis comittentes; hæc Synodus ſtatuit ac præcipit, ne in poſterum, præterquam in mortis articulo, ullus ſacerdos antè quemquam abſolvat, quàm integrè à pœnitente audierit & intellexerit omne id, quod opus eſt, ut integrè confiteatur. Quòd ſi aliquid ad pœnitentiæ ſubſtantiam neceſſarium à pœnitente intelligere non poſſit; eum ad alium ſacerdotem in ea lingua peritiorem remittat [s]. Si verò ſecus fecerit, pro gravitate delicti punietur.

§. VI.

---

[p] Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. & 6. *De ſac. Pœnitent.* Mex. 1. c. 8. Guadix tit. 2. à conſt. 19. cùm ſeq. Mil. 1. p. 2. *Quæ pertinent ad ſacramenti pœnitentiæ adminiſtr.* Gran. tit. *De pœn. & remiſſion.* Synod. de Quiroga conſt. 11. Conc. Milan. 4. p. 2. tit. *Quæ pertin. ad ſacram. pœnit.* Idem Milan. 5. tit. *Quæ ad pœnit ſacram. pertinent.* & S. Carolus Borrom. in tract de hoc tit. edito, quem refert Antonius Poſſevinus lib. 3. ſuæ *Biblioth. ſelect.* c. 23. fol. 286. [q] Seſſ. 23. c. 15. Mex. 1. c. 9. & Gran. tit. *De pœnit. & remiſſion.* n. 4. & 5. & Synod. de Quiroga conſt. 12. & Provinc. ejuſdem act. 3. c. 47. & Limen. 3. act 2. cap. 14.

[r] Adverſus ſacerdotes, tùm ſæculares, tum regulares, in hoc ſacrilegii delicto incidentes, excomm. pœnam infligit Conc. 4. Milan. p. 2. tit. *Quæ pertinent, De ſacram. Pœnit.* verb. *Exemm.* Prov. de Quiroga act. 3. c. 27. juvat Guadix tit. 2. conſt. 3. & Gran. tit. *De pœnit. & remiſſion.* n. 12. Conc. Milan. 3. fol. 591. verb. *Si pœnitent.* & 4. tit. *Quæ pertinent ad ſacram. Pœnit* verbo: *Demonſtret.* & Synodo de Oſma tit. 3. conſt. 5. § 8.

[s] Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *De confeſſ.*

§. VI.

ÆQuum est[r], ut hoc sacramentum, quę medicina peccatorum est, ita decenter administretur, ut omnis ab eo peccandi occasio abhorreat. Quare præcipit hæc Synodus, ut in Ecclesiis Sedes constituantur ad mulierum confessiones audiendas; ita ut inter confitentem & confessorem tabella interjecta sit cum foraminibus, seu clathris, per quos confessiones audiantur. Sedesque hujusmodi ad confitendum ita pateant, ut tam pœnitens, quàm confessor, conspiciantur. In hospitalibus verò aut eremitoriis, mulierum confessiones ne audiantur, nisi in Sede, ut præmissum est, constituta, id fiat, nec sine caussa necessaria in privatis ædibus confessiones audiantur.

§. VII.

SÆpè evenit ex eo quòd infirmus ægritudinis suæ periculi non admonetur, nec ad confitendum peccata incitatur, dum sibi constans est, eundem postea ægritudine urgente, absque peccatorum confessione mori, & æterno forsan supplicio damnari. Quare, juxta motum * proprium felicis recordationis Pii Papę V. hæc Synodus statuit ac præcipit * omnibus medicis, qui ad curandum infirmum jam in lecto jacentem fuerint vocati, ut eum primùm admoneant, quatenus peccata sua confiteatur, quibus, si per schedam confessarii non constiterit ab infirmo id præstitum esse, ampliùs quàm tres dies infirmum ne visitent. Quòd si secus fecerint, pœnas in motu proprio prædicto contentas incurrant, videlicet perpetuam infamiam, privationem gradûs, quem in medicinæ facultate obtinent, exclusionem à congregatione doctorum, & eorum qui in Universitatibus honoris gradu insigniti sunt. Ac præterea decem pondo persolvant fabricæ ejus Ecclesiæ in qua infirmus commoratur. Idem etiam chirurgis injungitur, & eorum conscientiæ imponitur, ne saluti corporis prospicientes, aliquid contra salutem animæ consulant aut præcipiant. Ne verò eorum quæ in motu proprio hujusmodi præcipiuntur, ignorantiâ præsumatur; jubet hæc Synodus, ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis hujus Archiepiscopatus & provinciæ quotannis initio Quadragesimæ is publicetur.

§. VIII.

QUoniam verò hęc Synodus, ut sufficienti doctrina confessarios instrueret, & eorum quæ ad suum officium pertinent admoneret (præsertim verò in casibus & difficultatibus quibusdam specialibus in hoc Archiepiscopatu & provincia occurrentibus) cupiensque fidelium pœnitentium necessitati occurrere; Directorium confessorum & pœnitentium constituit & approbavit. Eam ob caussam statuit ac jubet, ut[y] curati omnes hujus provinciæ, tam sæculares quàm regulares, & quicumque sacerdotes, qui confessiones sunt audituri, Directorium hujusmodi secum habere teneantur, ejusque formam observent: aliter qui illud non habuerit, & ad aliquod Beneficium concurrat, ab eo concursu excludatur, donec Directorium habeat. Beneficiati verò illud non habentes, à suis Beneficiis suspendantur, quousque hujusmodi Directorium sibi comparent & perlegant. Nemo autem ad majores ordines admittatur, nisi priùs constiterit revera penes se habere Directorium hujusmodi, ad cujus præscriptum examinari debeat. Examinatoribus verò præcipitur, & eorum conscientiæ injungitur, ut sine ulla exceptione, omni humano affectu posthabito, decretum hujusmodi observent, & exsecutioni mandent, tam quoad examen ad ordines, facultatem celebrandi, & confessiones audiendi, quàm quoad concursum Beneficiorum.

§. IX.

SEmper in Ecclesia Catholica viguit consuetudo, qua atrociora quædam & graviora crimina Episcopis reserventur, ut difficultate absolutionis ea subditi perpetrare formident. Quam ob caussam sanctum Tridentinum[z] Concilium decernit, hanc casuum reservationem maximè convenire, & Episcopos in sua diœcesi posse casus reservare. Cujus auctoritatem sequuta hęc Synodus, declarat, in hoc Archiepiscopatu & provincia hos esse casus Episcopis reservatos, à quibus nullus absolvat, nisi ei ab Episcopo facultas permissa sit.

Casus Episcopis reservati.

1. IMprimis homicidium voluntarium, aut abortum cum effectu procurare.

2. Qui circulis dæmones coërcent, ut cum eis loquantur.

3. Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia hujus generis, Eucharistiâ, oleo sancto, lapidibus, aut altaribus, sacrisve rebus abutuntur.

4. Qui sacrilegium commiserit, aut Ecclesiam violaverit.

5. Qui in damnum proximi pejeraverit.

6. Qui

---

[r] Ita sanxisse Greg. XIII. notat Zenedo ad sextum lib. *Decretalium.* collect. 11. n. 5. Guadix 2. const. 30. Milan. 1. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad sacram. Pœnit. administrationem* verbo: *Sacerd.* Granat. tit. *De pœnit. & remission.* n. 18. & Synod. de Quiroga const. 15. & Prov. ejusdem act. 3. c. 28. & Limen. 3. act. 2. c. 18. & Synod. de Osma tit. 3. const. 1. §. 6. * Mexic. 1. c. 59. §. 2. & Mex. 2. c. 8. & Granat. tit. *De pœnit. & remiss.* n. 17.

* Motus prop. Pii V. const. 3. & Greg. XIII. const. 71. fol. 33. in Bullario Apostol. de quo consule Possevinum in *Bibliotheca selecta.* lib. 14. cap. 4. fol. 153. & Zenedo ad Decretal. coll 107. & collect. 163. [y] Cùm dictis motibus propriis Pii V. & Greg. XIII. loquitur lex reg. 3. tit. 16. lib. 3. recopil. Mexic. 1. c. 10. Milan. 1. p. 8. tit. *Quæ pertinent ad sacram. Pœnit. administrationem*, verbo: *Iubemus.* Synod. de Quiroga const. 17. & Limen. 3. act. 3. c. 39. & Conc. Milan. 2. tit. decreto 17. & Milan. 3. fol. 591. verb. *Gravissimæ.* & Milanense 4. tit. *Quæ pertinent ad sacram. Pœnit.* verbo: *Medici quicumque.* & Synod. de Osma tit. 3. const. 1. §. & Synod. Burgen. tit. *De pœnit. & remiss.* c. 9. E stà este *directorio aprobado por su Santidad conforme à este decreto, y en los demas decretos donde se habla del.* [z] Sess. 14. cap. 7. & canone 11. Mexic. 1. cap. 91. Milan. 1. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad sacram. Pœnit. administrat.* verbo: *Ad eorum etiam criminum.* & Granat. ubi suprà, & Synodal. de Quiroga const. 23.

6. Qui excommunicationem ab Epiſcopo, Superiorive, aut judicibus Eccleſiaſticis decretam incurrerint, excepta excommunicatione pro rebus furtivis, quam incurrentes poſt ſatisfactionem parti factam, à curatis & rectoribus abſolvi poterunt.

7. Qui matrimonio conjuncti, altero conjuge in Hiſpania relicto, in his partibus quinque annis ampliùs commorantur.

8. Qui matrimonium clandeſtinum contrahere attentabunt, & tam ſæculares, quàm regulares, qui in eo intervenerint.

9. Qui ſolutionem decimarum aut primitiarum, verbo, conſilio, aut opere, prohibuerint.

10. Qui publicè blaſphemaverint.

11. Qui inceſtum matrimonium dirimens admiſerint.

12. Sodomiam aut beſtialitatem committentes.

13. Qui ſcripturas in præjudicium proximi depravaverint.

14. Incendiarii, qui ſcienter & prudenter incendium admittunt, ſi adhuc publicati non fuerint: quandoquidem poſt publicationem abſolutio reſervata eſt ſanctiſſimo domino noſtro Papæ.

Excommunicationes quoque latæ ſententiæ ab hac Synodo ſtatutæ, quarum abſolutio Epiſcopo reſervatur, ſunt hæ.

1. Qui jubent, aut conſentiunt taurorum curſus in cœmeteriis.

2. Qui Eccleſias obſident, earum januas claudunt, & ingreſſum impediunt.

3. Qui pro reliquiis Sanctorum pretium recipiunt.

4. Hiſpani, qui liberum Indorum & ſervorum conſenſum ad matrimonium impediunt.

5. Qui in concubinatu cum conſanguinea intra quartum gradum, aut cum infideli vivunt.

6. Examinatores, qui ſuffragium, quod ſecretò tulerunt, revelant.

7. Qui clericis peregrinis teſtimonium non deferentibus neceſſaria ad Miſſam celebrandam tribuunt: judices etiam, qui eis licentiam concedunt, teſtimoniis prædictis minimè recognitis.

8. Clericus, qui ex ſua regione ſine facultate diſceſſerit.

9. Qui aliqua Chriſtianę doctrinę documenta in linguam ſuam converſa, Indis, ſine Ordinarii facultate, dederint.

10. Qui libros ſine licentia imprimunt.

11. Qui decimarum exactionem impediunt.

12. Qui bona alicujus cappellę, abſque eo quòd locentur, aut aliter in utilitatem cappellæ exerceantur, in depoſitum dant.

13. Sæculares, qui dum divina celebrantur officia, intra chori cancellos ingrediuntur, contra id, quod titulo *De celebratione Miſſarum* prohibetur.

14. Qui matrimonium per verba de præſenti contrahere attentant ſine parocho & teſtibus, & qui in hujuſmodi contractu intervenerint.

Hæc, quę libris quinque certis titulis diſtinctis, ſtatuta, decreta, atque ſancita continentur, Provincialis Mexicana Synodus, ut publicum id perpetuum monumentum exſtet, ſubſcribi, & ſigillo in forma communiri mandavit. Mexici die decima ſexta Octobris, anno incarnationis Dominicæ MDLXXXV.

P. Archiepiſcopus Mexicanus.
Fr. Garcia Epiſcopus Guatemalenſis.
Fr. Joannes Epiſcopus Mechoacanenſis.
D. Epiſcopus Tlaxcalenſis.
Fr. Gregorius Epiſcopus Yucatanenſis.
Fr. Dominicus novæ Galleciæ Epiſcopus.
Fr. B. Epiſcopus Antequerenſis.

In veritatis teſtimonium meum nomen ſubſcripſi.

Doctor Joannes de Salzedo Secretarius.

NOS Antonius, tituli SS. Joannis & Paulli presbyter Cardinalis Carrafa, fidem facimus & atteſtamur, Synodum Provincialem à Reverendiſſimo D. Archiepiſcopo Mexicano cum ſuis Provincialibus Epiſcopis anno Domini MDLXXXV. celebratam, à ſacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando auctoritate ſanctiſſimi Domini noſtri præpoſitorum, emendatam, atque aptatam fuiſſe. Ejuſque Synodi originale apud ipſam Congregationem remanſiſſe, cum quo præſens Synodus hoc libro chartarum centum viginti ſeptem, quarum prima incipit: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: ultima verò deſinit: *Doctor Joannes de Salzedo Secretarius*, deſcripta & collata, in omnibus & per omnia concordat. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto Secretario item ſubſcribi, ſigillumque noſtrum, quo in Congregationis prædictæ literis & ſcripturis obſignandis utimur, apponi mandavimus. Romæ die viceſimo ſeptimo Octobris MDLXXXIX. Ita eſt. A. Card. Carrafa. Laurentius Erizolius ſacræ Congregationis antedictæ Secretarius de mandato.

Et eſt ſignatum ſigillo Illuſtriſſimi D. Cardinalis Carrafæ.

Loco ✠ ſigilli Illuſtriſs. Card. Carrafæ.

STA-

STATUTA ORDINATA
A SANCTO CONCILIO PROVINCIALI
MEXICANO III.
ANNO DOMINI MDLXXXV.

Ex præſcripto ſacroſancti Concilii Tridentini decreto Seſſ. 24. cap. 12. De reform. *verbo,* Cętera.

Reviſa à Catholica majeſtate, & à ſacroſancta Sede Apoſtolica confirmata anno Domini MDLXXXIX.

SANCTA Synodus Provincialis in civitate Mexicana, quæ provinciæ novæ Hiſpaniæ caput & Metropolis eſt, legitimè congregata; præſidente in ea Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. D. Petro Moya de Contreras, ejuſdem civitatis & diœceſis Archiepiſcopo, per cujus indictionem, & convocatorias literas eadem Synodus hoc anno Dñi MDLXXXV. inibi celebrata fuit, prout celebratur de præſenti; *Illuſtriſſimo domino Archiepiſcopo Metropolitano, & Reverendiſſimis dominis Epiſcopis ſuffraganeis, Cathedraliumque hujus Archiepiſcopatus & provinciæ Eccleſiarum decanis, & Capitulis, omnibuſque Beneficiatis, vicariis, parochis, cappellanis, & clericis, cujuſcumque ordinis, qualitatis, & præeminentiæ honore fulgentibus; ac quibuſvis ejuſdem provinciæ notariis, ſcribis, & officialibus, quos hic contenta concernunt, aut concernere poſſunt, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui vera ſalus eſt, ſalutem &c.*

Quamvis nobis Chriſtiana religio non oſtenderet quantum ſacrarum cęremoniarum ritus & obſervantia conferat; ut animus ad divinum cultum, & veræ religionis cuſtodiam elevetur; juvat tamen plurimum communis omnium nationum conſenſus, in quibus nulla umquam fuit adeò barbara, quę licèt ſuos falſos deos, tamquam veros colendo erraverit, primo tamen humanorum bonorũ principio & cauſſæ, nempe Deo, adorationem ac reverentiam non tribuat. Sic enim cęremoniarum ritum neceſſarium eſſe gentes exiſtimabant, [a] ut in earum debita obſervantia ſpes ſuas collocarent, incuriæ autem ac negligentię in eis commiſſę adverſos eventus imputarent, eoſque præ cęteris religioſiores, & magis pios judicantes, qui ſe in earum ritu diligentiores oſtendiſſent. Quin etiam tam divina fide, quàm communi experientia conſtat, exteriori cęremoniarum cultu ad divinarum rerum contemplationem ſpiritum ſummopere excitari, ac ſuaviſſimè ferri. Unde videmus tot in lege ſcripta cæremonias à Deo præſcriptas, illarum quidem figuras, quibus redemptor noſter, ejuſque ſacri diſcipuli uſi fuerunt, quaſque mater ac magiſtra noſtra Catholica Romana Eccleſia, vel per traditionem Apoſtolicam, vel ſancto zelo, ac divinâ providentiâ, ad piorum, & obedientium Catholicorum ædificationem, ſuperborumque, & arrogantium hæreticorum, ac infidelium confuſionem introductas recepit: quarum quædam univerſales, ac toti Eccleſiæ communes, ut in ſanctorum ſacramentorum, aliorumque cœleſtium myſteriorum adminiſtratione: quædam verò pro cujuſque provinciæ & Eccleſiæ inſtituto peculiares exiſtunt. Ut igitur non ſolùm ſancta hæc Metropolitana Eccleſia Mexicana, ſed etiam reliquæ ejuſdem Archiepiſcopatus & provincię Cathedrales Eccleſiæ, tam in divini cultus, & divinorum officiorum cęremoniis, quàm in legibus & ſtatutis per earum Prælatos, Capitula, ac miniſtros cuſtodiendis & obſervandis, omnimodam (ut par eſt) conformitatem habeant, atque adeò diverſitatem (quæ plurium ſępè abſurdorum cauſſa eſſe dignoſcitur) quoad fieri poſſit, fugiant; iccircò hæc eadem ſancta Provincialis Synodus, collata ſibi à ſacroſancto Concilio Tridentino [b], ad præmiſſa omnia & ſingula auctoritate fungens, in ejuſdem ſancti Concilii obedientiam & exſecutionem, ac eorum, quæ tam in Miſſali & Breviario ſanctiſſimi patris noſtri felicis recordationis Pii Papę V. juſſu editis, quàm in hujus Metropolis, ad quam cętere ejuſdem provinciæ Cathedrales Eccleſię conformari, & regulari debent, erectione diſponuntur & ordinantur, & obſervantiam, ſtatuit, decernit, & mandat, Cęremoniale, & ſtatuta infraſcripta, in omnibus ejuſdem Archiepiſcopatus & provinciæ, Cathedralibus Eccleſiis hujuſmodi inviolabiliter obſervari, practicari, ac exſecutioni mandari. Pro cujus rei fundamento præcipit ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ erectionem poni, tenoris videlicet ſequentis.

ERECTIO
ECCLESIÆ MEXICANÆ,
QUÆ EADEM EST
CUM CÆTERIS EJUSDEM PROVINCIÆ.

JOANNES de Cummarraga, Dei & Apoſtolicæ Sedis munere Epiſcopus, & ſervus Eccleſię Mexicanenſis, cujus ſub Chriſti Dei Euangelio æterno militanti, gratia & pax à Deo Patre, & ejus conſubſtantiali unigenito Filio, pacis auctore, qui ſui divini corporis effuſo ſanguine donavit nobis omnia delicta, delens quod adverſùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Placuit divinæ bonitati Hiſpaniarum regnis adeò celebres præficere heros, qui ne

[a] D. Auguſt. lib. 10. *De civitate Dei.* c. 4. & D. Thomas lib. 3. *contra gentes* c. 120. [b] Seſſ. 24. c. 12. verbo: *Cætera. De reform.* ad finem capituli. Juvant divina verba S. Greg. quæ refert Card. Anton. Carrafa ex ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis epiſtolar. to. 2. in reſponſ. ad 3. interrog. D. Auguſt. primi Anglorum Epiſ. fol. 531.

ne dum barbaricos enſes, ac mores, qui illorum victoriam ſequuntur, è medio effugarent; verùm ſui patrimonii, ac vitæ prodigi facti, remotiſſimas & incognitas penetrarent regiones, ac idololatriæ monſtro inde ſublato, Euangelium vitę, crucis vexillo hinc inde triumphante, Chriſtianorum magna ſtipante caterva, plaudente religione Chriſtiana, magnis auſpiciis latè diffuſeque plantarent. Sic ſunt ſereniſſima regina Joanna, ac illius genitus invictiſſimus Carolus maximus, Imperator ſemper auguſtus, rei ſæcularis, ex Dei electione, ſolus & indubitatus Monarcha. Quorum cura, circa hoc potiſſimùm verſatur, ut omnes gentes eandem orthodoxam profiteantur Fidem, & univerſus orbis ad unius veri Dei cultum redigatur, fiatque unum ovile & unus paſtor, atque juxta beatiſſimi Paulli oraculum, unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes, unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, à cunctis proclametur uniformiter. Ob hoc innumeras quippe rates, carinas, atque triremes, Scyllæ, Charybdi, ac aliis compluribus cærulei maris anguſtiis, expoſuêre. Ob hoc ſanè ineffabiles ſuorum regnorum theſauros, quaſi manu undequaque perfoſſa, per abruptas & incultas oras, etiam nec aſſem mundani lucri inde ſperantes, Herculeo illo ſuo animo, ſæpiſſimè & affatim projecerunt, attentantes iter vel euntibus vel redeuntibus, multis nominibus infauſtum, nullo tamen infelicius, quàm quòd pluries Chriſtiani nominis augmentum non contingebat, ac penè duplicabat moleſtiam, quòd gentem illam omnino adverſam & inductilem, cujus utilitati potiſſimùm tantum laboris deſudabatur. Ob hoc res utique lucidiſſima eſt, ſelectos viros quamplurimos, ne dum in arte militari, verùm etiam in omnigena eruditione ac pietate, ad barbaros, & ferè beſtialiter viventes homines, deſtinârunt. Alteros quidem, qui illo ſuo regali ſceptro ſubmitterent, alteros verò, qui ſacra Dei templa ædificarent, & ad ſinceram Fidei veritatem radiis veræ Theologiæ illuminatos illos redigerent, & immaculatam quam ædificarent Eccleſiam (ſi fortè diabolico inſtinctu miſceretur) à fædè barbarica appellatione vendicarent. Perſpiciebat nimirum regia prudentia id quod veriſſimum eſt, non mediocriter ad Chriſtianæ religionis ornamentum facere, ne quid omnino canatur, aut legatur in templis, quod non graviſſimo ac doctiſſimo cuique placere poſſit, hoc eſt, quod nõ ex divinis libris hauſtum ſit, aut certè à viris eximiis profectum. Demum tantâ ſolertiâ, tam ingenti cura, & auguſtâ operâ hujus res ſtudio infatigabili Chriſtiani nominis ſumptâ provinciâ annis non paucis infudârunt, ut illis in locis, in quibus ab incognitis ſæculis Aſtaroth, Bel, Baal, Dagon, & reliquæ * baraticę ferinæ, ſpurcitię colebantur, jam nonniſi divinum nomen ſacri hymni, hypoſtaticæ laudes, virginei cantus, divorum panegyrici, Martyrum ſanguis, virginum puritas, Eccleſiæ dogmata & Pontificia jure hinc inde reſonent atque tripudient. Loquantur ipſa opera, teſtentur rem quondam profanæ blasphemiæ, & dæmonum nominibus plenę regiones, nunc verò inſulæ Chriſtianæ, & oppida feliciſſima Chriſto, ac glorioſæ militiæ dicata. Hujus felicitatis participes ſunt Cumana, Perlarum-flumen, Venetia minor, Sancta Martha, Nomen-Dei, Diarenum, Panama, Nicaragua, Indica Carthago, Profunda-loca, Perutum, Yucatanum, Cocumellum, Flumen-palmarum, Hiſpanica-inſula, Fernandina, Margarita, Jamayca, & Sancti Joannis: ac alia quam plurima loca, quædam à fluminibus, quędam verò à ducum illa conquiſtantium genealogiis nomina trahentia, quæ adeò divini cultus ſchemate fulgent, exuberantiſſimis templis, ac monachorum cœnobiis hinc inde conſtructis, ut verè de illis reſpectu noſtri, divinum judicium jam verificetur: *Erunt noviſſima* &c. Hoc verò ingens divini amoris incendium, piiſſimorum horum Regum ſtudio actum eſt, quibus taliter favit divina clementia, ut non ſolùm regali ſceptro cunctos noſtri ævi Reges antecedant; verùm pietate præcipua fidem Chriſtianam prę cunctis ampliaverint. Quapropter mihi magis interea libet, illis mentem iſtam Regibus dignam, quàm fortunam quamlibet amplam gratulari. O felicem Chriſti populum, ſi paſſim contingat tales eſſe principes, quibus Chriſti gloria nihil ſit antiquius, qui totum regium ornatum moribus & vita refrenant, quibus etiamſi ſceptrum detrahas, tamen Reges Chriſtianos agnoſcas, in quibus ſanè fortuna, quam antiquitas cæca m faciebat, oculata videtur. qui generis ſui longè clariſſima ſchemata, morum ſuorum ornamentis illuſtrant, regiam dignitatem vitę integritate conduplicant, imperiali aquilæ, neſcio quid majeſtatis additum videtur; poſtquam hi ſimiles non habentes principes totius orbis monarchiam tenent. Quid ſupereſt, niſi ut Chriſtum optimum maximumque comprecemur, ut iſtam mentem illis, illos verò nobis quam diutiſſimè ſervet incolùmes? Ad tantam itaque exuberantiam (ut ad rem breviter veniamus) horum principum devenit clementia, quod Mexicanam provinciam, inter omnes regię ditioni ſubmiſſas præcipuam, in terra firma, quam *novam Hiſpaniam* nuncupamus, ſituatam, non ſolùm à barbarico illo cultu, Chriſti fide undequaque Euangelizata, mundaverint; verùm & ordo hierarchicus, quem Romana tenet Eccleſia, in illa obſervetur. Apoſtolico ſuper hoc implorato conſenſu, Epiſcopale Cathedrale templum, ac parochiales, & Eccleſiaſticas dignitates, canonicatus, præbendas, Beneficia, & cętera hujuſmodi, in ipſa erigere, conſtruere, ædificare, & fundare omnino (regio ſuper hoc habito conſilio) decreverint: atque, ut rem effectui commendarent, me inutilem, & omnino ad tantę rei exſecutionem inhabilem, cùm apud illos plurimi non deeſſent, qui me â ſententiâ, cumulatè valerent ſuis ſanctiſſimis votis ſatiſfa-

* *Baratica.*

facere, ex angulo mei Franciſcani inſtituti ſemiſepultum extraxerunt, & in primum Mexicanenſem nominaverunt & elegerunt Epiſcopum. Quorum piæ petitioni & electioni ſanctiſſimus D. N. Papa Clemens, hujus nominis ſeptimus, paternali affectu, ut par eſt, condeſcendens, Apoſtolicas literas per manus regias nobis ſuppeditandas ſolerti cura deſtinavit: quas quidem literas in membramine, more Romano, conſcriptas, Apoſtolico plumbo in filis ſericeis rubei croceique coloris pendente, ſanas, integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, is qui regium agebat negotium, coram magno cœtu, in præcipuo templi ſacro loco, ſancti Spiritus invocato favore, nobis præſentavit. Quas quidem eâ quâ decuit reverentiâ & ſubmiſſione ſuſcepimus & legimus. Series verò earum de verbo ad verbum eſt quę ſequitur.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

SACRI Apoſtolatus miniſterio, meritis licèt inſufficientibus, ſuperna diſpoſitione præſidentes, univerſi orbis provincias, & loca, ea præſertim, quæ omnipotentis Dei miſericordiâ Chriſtianæ veritatis lucem noſtris potiſſimè temporibus inceperunt agnoſcere, frequenti meditatione intendimus, ut in illis orthodoxæ Fidei cultus augeatur, & Chriſtiana religio propagetur, ac eorum incolę & habitatores, venerabilium Præſulum doctrina & auctoritate ſuffulti, in eadem Fide ſemper proficiant, ipſaq; loca, maximè inſignia, dignioribus titulis actollantur, & majoribus honoribus decorentur; præſertim cùm id Catholicorum Regum, & etiam Cæſareæ majeſtatis pia vota expoſcant, & cognoſcimus in domino ſalubriter expedire. Sanè cùm oppidum Mexicanenſe in Indiis maris Tyrrheni Indici nuncupati, olim auſpiciis clarę memoriæ Ferdinandi Aragoniæ Regis, & Eliſabethæ Reginæ Caſtellę & Legionis regnorum, per dilectum filium nobilem virum Petrum Arias militem Segobienſem, eorum gentium armorum ad eaſdem Indias deſtinatorum exercitus generalem capitaneum noviter repertis, & è manibus infidelium illas tunc occupantium ereptis, ac ad ditionem & dominium eorum, & pro tempore exiſtentium Regum eorundem regnorum redactis, illiſque in temporalibus ſubjectis, quę eiſdem Regibus dum vixerunt, & deinde chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, dictorum regnorum nedum hæredi & ſucceſſori, verùm etiam in deſiderio orthodoxam Fidem ubique exaltandi imitatori, ac ſub eorum obedientia & dominio, ratione dictorum regnorum, ex tunc ſucceſſivè eodem Petro capitaneo gubernatore permanentibus, conſiſtens, admodùm inſigne exiſtat, longumque & latiſſimum, & diſtinctum territorium circum circa habeat; adeoque in eo ultra viginti millia viciniorum, vel incolarum, quorum plures fideles, tam noviter converſi, quàm etiam alii forenſes, & de diverſis mundi partibus ad illud habitandum confluentes, commorentur & reſideant; ac in eo inter alias Eccleſias, monaſteria, pia loca, ex devotione Regum majeſtatis & capitanei prædictorum inibi conſtructa, una parochialis Eccleſia ſub invocatione Beatę Mariæ Virginis, cum ſtructuris & ædificiis convenientibus, ad quam omnes ipſi fideles pro Miſſis & divinis officiis audiendis, ac Eccleſiaſticis ſacramentis ſuſcipiendis, tamquam ad eorum parochialem Eccleſiam recurrunt, etiam conſiſtit; ac idem Carolus Imperator ſummopere cupiat eandem parochialem Eccleſiam in Cathedralem, ipſumque oppidum in civitatem Mexicanenſem erigi & inſtitui; Nos habita ſuper his, cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione: eodem Carolo Imperatore nobis ſuper hoc humiliter ſupplicante, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & ejuſdem Beatę Marię cœleſtis, necnon ipſius Fidei exaltationem, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium, ſupplicationibus Caroli Imperatoris hujuſmodi inclinati, de eorundem fratrum conſilio pariter & aſſenſu, oppidum Mexicanenſe, ac parochialem Eccleſiam Beatę Marię hujuſmodi in Cathedralem Mexicanenſem, ſub invocatione ejuſdem Beatæ Marię nuncupandam, pro uno Epiſcopo Mexicanenſi, qui inibi, & in illius civitate ac diœceſi verbum Dei prędicet, & infideles ad eandem Fidem convertat; ac tam illos ſic converſos, quàm alios prędictos fideles, in eadem Fide expertiùs inſtruat, doceat, & confirmet: ac ſacramenta Eccleſiaſtica eis miniſtret, & miniſtrari, ac prædictam erectam Eccleſiam, illiuſque ædificia ad formam Cathedralis Eccleſię redigi faciat; ac in civitate & diœceſi prædictis, collegiatas, & parochiales, ac alias Eccleſias, monaſteria, cappellas, hoſpitalia, oratoria, & alia loca pia; ac in illis reſpectivè in numero, & cum dotibus ac qualitatibus decentibus per eum aſſignandis, ſpecificandis: majores, principales, abbatiales, conventuales, & alias dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, etiam curata, & electiva: necnon canonicatus, & præbendas, integras & dimidias portiones, cappellanias, vicarias, & alia Beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ac Capitula, necnon capitulares, abbatiales, conventuales, & alias menſas erigat & inſtituat reſpectivè; ac alia temporalia, ſpiritualia, juriſdictionalia, & Pontificalia officia, omniaque & ſingula alia, quę alii Epiſcopi regnorum eorundem facere & exercere conſueverunt, & quę pro divini cultus augmento, & Fidei hujuſmodi exaltatione, ipſorumque fidelium animarum ſalute expedire cognoverint, faciat & exerceat: ac omnibus & ſingulis aliis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, & gratiis, quibus alii Epiſcopi prædicti

de

de jure, & consuetudine, ac aliàs utuntur, potiuntur, & gaudent; ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet, in futurum utatur, potiatur, & gaudeat; ac uti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeat. Necnon in eadem Ecclesia Mexicanensi Capitulum canonicorum, & personarum, Episcopali & capitulari mensis, ac sigillo, & aliis insigniis, jurisdictionibus, privilegiis, & præeminentiis Episcopalibus, & capitularibus, erigimus & instituimus: ac incolas & habitatores dictæ civitatis cum nomine decoramus; necnon eidem erectę Ecclesiæ pro illius civitate, civitatem erectam, & pro diœcesi terras, insulas, loca, & oppida, quę idem Carolus Imperator, vel ejus Consilium Indiarum nuncupatum, positis limitibus, & confinibus necessariis, statui & assignari jusserit: ac pro clero & populo illorum incolas & habitatores hujusmodi, respectivè, ac pro dote, & etiam Pontificalis dignitatis, & pro tempore existentis Episcopi, illius decentiori sustentationi decimas, primitias, & alia jura Episcopalia, spiritualia, & temporalia, de bonis, rebus, & fructibus, de quibus Carolus Imperator, vel Consilium hujusmodi specificaverint & ordinaverint. Itaque idem Episcopus Mexicanensis in civitate & diœcesi prædictis Episcopalem jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem exercere, ac decimas, & primitias, & jura hujusmodi percipere, & levare, ad instar Episcoporum prędictorum, liberè & licitè valeat, applicamus & appropriamus. Necnon jus patronatûs, & infra annum, propter loci distantiam, per se, vel alium, seu alios, ad id, etiam ante vacationes deputandos procuratores, præsentandi personas idoneas, tam hac prima vice, quàm quoties illa pro tempore vacaverint, ad Ecclesiam videlicet Mexicanensem, nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici, per nos, & illum respectivè, in ejusdem Ecclesiæ Episcopum & Pastorem prędiciendum. At verò omnes & singulas alias dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, portiones, cappellanias, vicarias, monasteria, prioratus, & alia Beneficia hujusmodi, eidem tempore existenti Episcopo Mexicanensi, ac ejus vicario, seu officiali per eum instituendis, ad easdem præsentationes Carolo Imperatori prædicto, ratione regnorum Castelię & Legionis hujusmodi, ac pro tempore existenti illorum Regi, vel Reginæ, de similibus consilio & assensu reservamus, concedimus, & assignamus; non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę erectionis, institutionis, decorationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionis, & assignationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Paulli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicę MDXXXIV. nono Septembris, Pontificatus nostri anno septimo.

Post quarum quidem literarum Apostolicarum præsentationem & receptionem, nobis, & per nos, ut prędmittitur, factas; fuimus pro parte sereniſſimæ Dominæ Joannę, & Caroli semper augusti, ejusdem filii, Hispaniarum Regum, debitè requisiti, ut ad complementum literarum Apostolicarum, & contentorum in eisdem procedendum, in prędicta nostra Cathedrali Ecclesia, ad honorem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Assũptionis dedicata, & in dicta nova Hispania fabricata, Dignitates, canonicatus, & præbendas, ac portiones, aliaque Beneficia & officia Ecclesiastica, quotquot, & prout meliùs expedire videremus, tam in civitate, quàm per totã diœcesim, erigeremus & instituere-mus. Nos igitur Frater Joannes de Cumarraga Episcopus & Commissarius Apostolicus præfatus, attendentes petitionem & requisitionem hujusmodi justas fore, & rationi consonas; cupientesque ut verus & obediens filius Apostolica jussa nobis directa reverenter exsequi, ut tenemur; commissionem præacceptavimus, & eâdem auctoritate Apostolica, quâ fungimur in hac parte, prędata Majestate instante & petente, in prędicta Cathedrali Ecclesia Mexicanensis civitatis in prædicta nova Hispania, ad honorem Dei & Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Mariæ Virginis matris ejus, in cujus, ac sub cujus titulo per prędatum sanctiſſimum dominum nostrum Cathedralis Ecclesia est erecta, tenore prędentium erigimus, creamus, & instituimus.

§. I.

DEcanatum, quæ dignitas prima post Pontificalem in eadem Ecclesia existat, qui curet & provideat quòd officium divinum, & omnia alia quæ ad cultum Dei pertinent, tam in choro, quàm in altari, quàm etiam in processionibus, in Ecclesia, & extra, in capitulo, ubicumque conventus Ecclesię, seu capituli ad illud exsolvendum congregabuntur, cum silentio, & eâ quâ decet honestate ac modestia ritè & rectè perficiantur: ad quem etiam pertinebit, iis quibus à choro ex caussa discedere convenit, expressâ caussâ, & non aliàs, licentiam concedere.

§. II.

ARchidiaconatum ejusdem civitatis, ad quem clericorum ordinandorum examinatio, Prælato solenniter celebrante, ministratio civitatis & diœcesis: si sibi à Prælato injungatur, visitatio, & alia quę de jure communi competunt, exercere pertinebit, qui in altero tamen Jurium, vel in Theologia ad minus baccalaureus existat, in Universitate graduatus.

§. III.

CAntoriam, ad quam nullus possit præsentari, nisi in musica, saltem in cantu plano, doctus & peritus existat, cujus in faciſtolio cantare, & servitores Ecclesię cantare docere, & quę ad cantum pertinent & spectant

ctant ordinare, corrigere, & emendare, in choro, & ubicumque per ſe, & non per alium, officium erit.

§. IV.

SCholaſtriam, ad quam etiam nullus niſi in altero jurium, aut in Artibus, baccalaureus, in aliqua generali Univerſitate graduatus exiſtat, preſentetur, qui Grammaticam clericos, & Eccleſiæ ſervitores, ac omnes diœceſanos audire volentes, per ſe vel alium docere tenebitur.

§. V.

THeſaurariam, ad quam Eccleſiam claudere & aperire, campanas pulſare facere, omnia utenſilia Eccleſiæ cuſtodire, lampades & luminaria curare, de incenſo, luminibus, pane, & vino, ac reliquis ad celebrandum neceſſariis, de redditibus fabricæ Eccleſiæ exponendis ad votum capituli, providere pertinebit.

§. VI.

NEcnon decem canonicatus, & præbendas, quas à dictis Dignitatibus omnino ſeparatas eſſe decernimus, nec unquam unam ſimul cum Dignitate aliqua obtineri poſſe ordinamus. Ad quos etiam canonicatus & præbendas nullus præſentari poſſit, niſi ad ſacrum presbyteratûs ordinem jam ſit promotus. Ad quos quidem canonicatus quotidie (præterquam in primæ & ſecundæ Dignitatis feſtivitatibus, in quibus Prælatus, vel eo impedito, aliqua de Dignitatibus celebrabit) Miſſam celebrare pertinebit.

§. VII.

INſtituimus inſuper ſex integras, & totidem dimidias portiones, & qui ad dictas integras portiones præſentandi fuerint, ad ſacrum diaconatûs ordinem ſint promoti. In quo quidem ordine teneantur in altari quotidie deſervire; necnon Paſſiones decantare. Qui verò ad dimidias, ad ſacrum ſubdiaconatûs: qui quidem Epiſtolas in altari, & in choro, & prophetias, lamentationes, & lectiones teneantur decantare.

§. VIII.

VOlumus inſuper & ſtatuimus, quòd ad dignitates, canonicatus, portiones integras, & dimidias ſupradictas, vel ad aliquod aliud Beneficium totius noſtræ diœceſis, nullus præſentari valeat, qui cujuſvis ordinis, privilegii, aut officii occaſione à juriſdictione noſtra ordinaria ſit exemptus. Et ſi fortè contigerit exemptum aliquem præſentari vel inſtitui; talis præſentatio vel inſtitutio ſit ipſo jure nulla.

§. IX.

ET quia non eſt parvi momenti rectores nominare; ordinamus quòd tot rectores poſſimus eligere, quot ſervitio noſtræ Cathedralis Eccleſiæ neceſſe fuerint: qui ad nutum noſtrum, noſtrorumque pro tempore ſucceſſorum, provideri, & quando licuerit, amoveri poſſint, qui exerceant in dicta Cathedrali Eccleſia noſtra officium rectè & ritè, Miſſas celebrando, confeſſiones audiendo, aliaque ſacramenta cautè & ſolicitè miniſtrando.

§. X.

AC ſex acolytos, qui acolytatûs officium in altaris miniſterio quotidie per ordinem exercebunt. Ordinamus cappellanos inſuper ſex, quorum quilibet, tam in nocturnis horis quàm in diurnis, ac etiam Miſſis, ad faciſtolium perſonaliter intereſſe, & in unoquoque menſe Miſſas viginti, niſi juſta infirmitate, vel impedimento fuerit impeditus, celebrare teneatur.

§. XI.

PRæſentationem autem dictarum dignitatum, canonicatuum, portionum integrarum, ac dimidiarum, aliarumque dignitatum, canonicatuum, & portionem ſimilium futurarum, in prædicta noſtra Cathedrali Eccleſia creandarum, præfatis Catholicis Hiſpaniarum Regibus, ac eorum ſucceſſoribus, prout de jure eis competit, & auctoritate Apoſtolica, reſervamus eâdem auctoritate.

§. XII.

AColytorum & cappellanorum prædictorum electionem, ſeu proviſionem, ad nos, & ſucceſſores noſtros, unà cum noſtro capitulo, pertinere decernimus. Volumus autem, quòd dicti cappellani, qui pro tempore fuerint eligendi, non ſint familiares Epiſcopi, nec alicujus perſonæ dicti capituli, nec fuerint tempore vacationis.

§. XIII.

OFficium verò ſacriſtę, qui ea, quæ ad officium theſaurarii ſpectant, ipſo preſente, & de ejus commiſſione, & in ejus abſentia ad votum capituli exercere tenebitur.

§. XIV.

OFficium organiſtæ, qui organa in diebus feſtivis, & aliis temporibus, ad votum Prælati vel capituli, pulſare teneatur.

§. XV.

OFficium perticarii, cujus in proceſſionibus ordinare, Prælato, presbytero, diacono, ſubdiacono, & reliquis altari miniſtrantibus, de choro ad ſacriſtiam, vel altare, de altari ad ſacriſtiam, in chorum euntibus vel redeuntibus anteire, officium erit.

§. XVI.

OFficium œconomi, ſive procuratoris Eccleſiæ fabricæ, & hoſpitalis: qui architectis, muratoribus, necnon fabris lignariis, & aliis officialibus ædificandis Eccleſiis operam dantibus præerit: quique per ſe, vel alios, redditus & proventus annuos, & quecumque emolumenta & obventiones, ad dictam fabricam, & hoſpitale, quovis modo pertinentia, colligere & expendere habebit; redditurus annuatim rationem de receptis & conſumptis, Epiſcopo & capitulo, vel officialibus, ab eiſdem ad hoc ſpecialiter deputatis. Necnon ad eorum nutum eligendus vel removendus, præbita priùs per eum idonea ſatiſdatione,

quàm ad administrationem admittatur.

§. XVII.

OFficium insuper cancellarii, sive notarii Ecclesiæ & capituli, qui quoscumque contractus inter Ecclesiam, Episcopum, & capitulum, & quoscumque alios, in protocollo, & notis suis recipere, actus capitulares scribere, donationes, possessiones, census, feudos, precaria per eosdem Episcopum, & capitulum, & Ecclesiam, vel eisdem factas, vel in posterum faciendas, annotet & scribat, & instrumenta custodiat: partes redditum Beneficiatis distribuat, necnon rationes reddat & recipiat.

§. XVIII.

OFficium insuper canicularii, qui canes ab Ecclesia ejiciat. In omnibus sabbathis, & quorumcumque festorum vigilias habentium, vigiliis, & aliis, ubi & quando per thesaurarium sibi fuerit injunctum, Ecclesiam purgabit.

§. XIX.

DE quibus omnibus, videlicet, quinque Dignitatibus, decem canonicatibus, sex integris, & totidem dimidiis portionibus, & sex cappellanis, & sex acolytis, & officiis prædictis, quia de presenti fructus, redditus, & proventus decimarum non suppetunt, thesauriariam ex dignitatibus, quinque verò canonicatus, & omnes integras, & dimidias portiones, ad præsens in dicta erectione volumus suspendere. Quòd si prefatis quatuor Dignitatibus, & quinque canonicis redditus memoratę quartę partis ad præsens (quod non credimus) non suppetant; quod defuerit, inter eos dividatur, secundùm valorem prębendarum, & non numerum personarum: donec ad majorem quantitatem fructus pervenerint, restituendi ad prębendas prefatas, per nos, & nostros successores, ordine nobis considerando, ad potiorem Ecclesiæ nostræ utilitatem: ita tamen ut, cum Deo duce, ad pinguiorem fortunam fructus & redditus nostræ prędictę Ecclesiæ pervenerint, quamprimùm ad dotem thesaurariæ suspensę applicatam desuper crescentibus fructibus auctum fuerit, thesauriariam eandem, ex nunc erectam & creatam esse decernimus, absque alia nova creatione & erectione, personę per eandem Catholicam majestatem nominandę, conferendam. Et consequenter dum fructus, redditus, & proventus ulterius augmentum receperint, tres integræ portiones provideantur: & successivè cùm excreverint fructus, dictorum canonicorum numerus usque ad denarium numerum successivè augeatur: quo expleto, tunc reliquæ tres integræ portiones, & dimidię successivè suo ordine admittantur. Et demum de redditibus superexcrescentibus, sex acolytatus, pro sex clericulis, qui in quatuor minoribus sint constituti, & acolytorum officium in altaris ministerio exerceant; & sex cappellanię simplices, pro sex prædictis cappellanis, similiter provideantur. Postmodùm verò officium organistæ, & perticarii, & œconomi, notarii, & canicularii prædictorum, dicto numero successivè, juxta ordinem literaliter prœmissũ, absque aliquo intervallo augeatur.

§. XX.

ET quia secundùm Apostolum, qui altari servit, de altari vivere debet, omnibus & singulis Dignitatibus, personis, & canonicis, & prębendatis, & integris, & dimidiis portionariis, cappellanis, clericulis, sive acolytis, cæteriśque officiis, & eorum officialibus, juxta numerum supradictum expressis, omnes & singulos fructus, redditus, & proventus; tam ex regia donatione, quàm ex jure decimarum, aut alio quovis modo, ad eos de præsenti, aut in futurum pertinentes; videlicet ordine literario, decano, archidiacono, cantori, scholastico, thesaurario, & canonicis, necnon portionibus integris, & dimidiis, & omnibus aliis suprà notatis & nominatis, modo sequenti.

§. XXI.

DEcano scilicet centum & quinquaginta libras (*Pesos* vulgariter in illis partibus nuncupatos) quarum librarum quælibet unum Castellanum aureum, quadringentos octoginta quinque morapetinos monetę usitatę Hispaniæ constituens; archidiacono centum & triginta valoris ejusdem *Pesos*, seu Castellanos, & cuilibet de Dignitatibus totidem, & cuilibet de canonicis centũ, portionariorum cuilibet septuaginta, dimidiis triginta quinque, cappellanis quidem viginti, acolytis singulis duodecim, organistę sexdecim, & notario totidem, perticario totidem, œconomo verò quinquaginta, canicularío quidem duodecim libras auri similes, totidem Castellanos & morapetinos constituentes, ex nunc pro tunc, ordine literario, prout exprimitur, servato, cùm fructus, redditus, & proventus superexcreverint, applicamus & assignamus.

§. XXII.

ET quia, ut dictum est, propter officium datum Beneficium; volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quòd prædicta stipendia sint quotidianę distributionis assignatę, distributę quotidie interesentibus singulis horis, nocturnis pariter & diurnis exercitiis dictorum officiorum. Itaque à decano usque ad acolytum inclusivè, is qui alicui horæ non interfuerit in choro, stipendio, sive illius horę distributione careat; & officialis, qui sui officii exercitio vel exsecutioni deerit, multetur similiter singulis vicibus pro rata salarii. Tales verò distributiones, quibus absentes privantur, aliis interessentibus accrescant.

§. XXIII.

ITem volumus, & eâdem auctoritate ordinamus, ut omnes & singulæ Dignitates, canonici, & portionarii dictæ nostræ Ecclesiæ Cathedralis, teneantur residere & servire in prædicta nostra Ecclesia per octo menses, continuos aut interpolatos; alioquin nos, vel successores nostri, qui pro tempore fuerint, aut capitulum, sede vacante, teneantur, eo priùs vo-

ca-

cato & audito, ſi juſtam & rationabilem cauſſam abſentiæ non habuerit, & allegaverit; perſonatum, vel canonicatum, ſive portionem, vacantem pronunciare, & de illo vel illa idoneis, ad præſentationẽ tamen præfatæ Catholicæ majeſtatis, & eorum in regnis Hiſpaniæ ſucceſſorum, providere. Juſtam autem abſentiæ cauſſam hoc loco diffinimus ægritudinem, dum tamen Beneficiatus infirmus in civitate maneat, aut in ſuburbiis ejuſdem civitatis. Aut ſi eam incurrerit ſtans extra civitatem, cùm redierit, aut redire paraverit ad eam, dum tamen hoc probationibus legitimis conſtet. Vel cùm de mandato Epiſcopi. Vel capituli ſimul, & pro cauſſa, & utilitate Eccleſiæ, abſens fuerit. Itaque iſta tria concurrant in hac ſua abſentia.

§. XXIV.

VOlumus inſuper, & de conſenſu & beneplacito ſereniſſimæ Majeſtatis, & eâdem auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, decernimus, & mandamus, quòd omnium decimarum, tam Cathedralis, quàm aliarum Eccleſiarum dictæ civitatis & diœceſis, fructus, reditus, & proventus, in quatuor æquales dividantur partes, quarum unam nos & ſucceſſores noſtri Epiſcopi perpetuis futuriſque temporibus, pro onere Pontificalis habitus ſuſtentando, & ut decentiùs, & juxta Pontificalis officii exigentiam, ſtatum noſtrum ſuſtentare valeamus, abſque aliqua diminutione pro noſtra ſpeciali menſa habeamus. Decanus verò, & capitulum, & reliqui miniſtri Eccleſiæ, quos ſuprà aſſignavimus, aliam quartam partem, modo præmiſſo inter eos dividendam, habeant; à quibus partibus, licèt ex commiſſione Apoſtolica & longævo temporis uſu, moribus & conſuetudine approbata, eadem Catholica majeſtas tertiam partem (*Tertias* in Hiſpania vulgariter nuncupatas) habere & recipere integraliter conſuevit, volens erga nos ſuæ liberalitatis dexteram extendere, prout extendit circa alias partes, & circa qualitates infrà expreſſas, nos, & Epiſcopos ſucceſſores, ac capitulum prædictos, ut magis debitores, tanto munere refectos, efficeret; & ut pro eadem, & regiis ejuſdem Majeſtatis ſucceſſoribus preces effundere teneremur; in noſtræ, & dictæ Eccleſiæ noſtræ, & capituli, in ſua quarta decimarum parte liberos & exemptos eſſe voluit. Reliquæ verò duæ quartæ partes iterum in novem dividendas partes decernimus, duas, quarum eidem Majeſtati ſereniſſimæ, in ſignum ſuperioritatis & juris patronatûs, ac ratione acquiſitionis prędictæ terræ, futuris perpetuis temporibus percipiendas & levandas, applicamus.

§. XXV.

DE reliquis verò ſeptem partibus bifariam duximus eſſe faciendam diviſionem. Quarũ quatuor de dictis ſeptem omnium decimarum parochię noſtrę Cathedralis Eccleſiæ, applicamus menſæ capitulari, ut meliùs Eccleſia valeat adminiſtrari. Ex quibus quatuor partibus nos & ſucceſſores noſtri, cuilibet veſtrorum aſſignamus ſexaginta *Peſos* vulgariter nuncupatos; ſacriſtę verò quadraginta. Qui quidem rectores habeant omnes primitias, pręter octavam partem, quam applicamus ſacriſtę, qui etiam rectores quotidie in choro, Miſſæ majori, ac veſpertinis horis, ſuperpelliceis induti reſidere teneantur, ut commodiùs animarum ſaluti ſacramenta exercere valeant, ne eorum abſentiâ ſeu incuriâ, quis abſque aliquo ſanctæ matris Eccleſiæ ſacramento incautè diſcedat. Et donec fructus excreverint, ex prædictis etiam quatuor partibus, conferatur acolytis, organiſtæ, & perticario, quod ſuprà dictum eſt: & quod ſuperfuerit, habeat prædicta menſa capitularis.

§. XXVI.

IN ſingulis verò parochialibus Eccleſiis, tam dictæ civitatis, quàm totius noſtræ diœceſis, quatuor prędictæ de dictis ſeptem partibus ſimul cum primitiis, Beneficiis in unaquaque dictarum Eccleſiarum erigendis & creandis applicamus; declarantes etiam ſimili modo octavam partem dictarum quatuor partium, atque primitiarum, ſic dictis Beneficiis applicatarum, ſacriſtę cujuſque parochialis Eccleſiæ dictæ civitatis & diœceſis noſtrę eſſe tribuendam.

§. XXVII.

VOlumus autem & ordinamus, quòd omnibus dictæ civitatis & diœceſis noſtræ Eccleſiis parochialibus (excepta noſtra Eccleſia Cathedrali) tot Beneficia ſimplicia creentur & ordinentur, quot ex quantitate reddituum dictarum quatuor partium, ſic eiſdem Beneficiis applicatarum, creari & ordinari poterunt. Aſſignata tamen congrua & honeſta ſuſtentatione clericis, quibus Beneficia illa conferri debent. Itaque nullus ſit determinatus dictorum Beneficiorum numerus, ſed ſuperexcreſcentibus fructibus, creſcat etiam miniſtrorum copia in eiſdem Eccleſiis. Quæ quidem prędicta Beneficia ſimplicia ſervitoria, quæ pro tempore in dictis Eccleſiis creari contigerit, ut dictum eſt, quotieſcumque contigerit vacare, quovis modo, providere volumus & ſtatuimus filiis dumtaxat patrimonialibus, deſcendentibus ab incolis, qui ex Hiſpania dictam provinciam tranſmeârunt; aut ad eam inhabitandam in futurum tranſire contingat, donec in poſterum viſa & cognita per nos, vel ſucceſſores noſtros Chriſtianitate, & capacitate Indorum, ad inſtantiam & petitionem ſupradicti patroni, nunc, vel pro tempore exiſtentis, viſum fuerit Indis etiam naturalibus dicta Beneficia providenda (præmiſſo priùs examine, & oppoſitione, juxta formam & laudabilem conſuetudinem in Epiſcopatu Palentino hactenus obſervatam) inter filios patrimoniales; dum tamen dicti filii patrimoniales, quibus ſic de dictis Beneficiis proviſum fuerit, infra annum & dimidium à die ſibi factæ proviſionis, teneantur pręſentare & oſtendere coram dictæ provincię appellationum judicibus aut Gubernatore, pro tempore ibidem exiſtentibus, ratihabitionem dictarum Catholicarum majeſtatum,

vel pro tempore ſucceſſorum ſuorum, in Hiſpaniæ regnis collationem & proviſionem, ſic ſibi prædictâ formâ factam: alioquin prædicta Beneficia eo ipſo vacare cenſeantur. Præfatique Catholici Reges, ſive illorum ſucceſſores, perſonas alias poſſint ad dicta Beneficia, juxta prędictam formam qualificatas, præſentare.

§. XXVIII.

VOlumus autem, quòd donec exiſtant filii patrimoniales, qui juxta præfatam conſuetudinem Palentinam, poſſint eligi ad dicta Beneficia; proviſio dictorum Beneficiorum fiat ad præſentationem dictarum Catholicarum majeſtatum patronorum, & non aliàs.

§. XXIX.

SED quia animarum cura dictæ civitatis, ac totius noſtræ diœceſis, ad nos, & futuros ſucceſſores noſtros principaliter & præcipuè ſpectat, tamquã qui juxta Apoſtoli ſententiã, de illis in die judicii rationem reddituri ſumus; accedente ad hoc conſenſu ac voluntate earundem Catholicarum majeſtatum, patronorum prædictorum, & ſua inſtante petitione, ac auctoritate & tenore prædictis; volumus & ordinamus, quòd in noſtra Cathedrali Eccleſia, & in omnibus dictæ civitatis, ac noſtræ diœceſis Eccleſiis parochialibus, nos, & Prælati, qui pro tempore fuerint, commendemus & injungamus animarum curam pro noſtræ voluntatis arbitrio, cui viderimus ipſarum Eccleſiarum Beneficiato, ſeu Beneficiatis, ſeu cuicumque alii ſacerdoti, etiam non Beneficiato, pro eo tempore, ac ſub illa forma, quibus nobis viſum fuerit dictarum animarum ſaluti magis expedire. Sub divini obteſtatione judicii futuros omnes, & noſtros ſucceſſores exhortantes & relinquentes, quòd in hac commiſſione animarum nulla ſit apud eos perſonarum acceptatio; ſed ſolùm ſibi à Deo commiſſarum ovium utilitati conſulant, & ſaluti. Et ut qui præfatæ animarũ curæ à nobis, vel illis præpoſiti fuerint, congruentiùs valeant ſuſtentari; & pro ipſarũ animarũ ſolicitudine aliquam recipiant temporalem retributionem; applicamus eorum cuilibet primitias omnes parochiæ illius, in qua ſic curam animarum geſſerit, relicta parte ſacriſtæ ſuperiùs deſignata.

§. XXX.

VOlumus inſuper & ordinamus, quòd inſtitutio & deſtitutio ſacriſtarum omnium Eccleſiarum noſtrę diœceſis fiat ſemper ad nutum & diſpoſitionem noſtram, & noſtrorum pro tempore ſucceſſorum, cum moderatione ſalarii, ſi forſan prędicta pars, quæ ſibi (ut præmiſſum eſt) ſolvi debet, in magnam excreverit quantitatem. Ita tamen, quòd quicquid ex octava eadem parte illis per nos, vel ſucceſſores noſtros ademptum fuerit, in ipſius Eccleſiæ fabricam, vel aliquod divini cultus augmentum ejuſdem Eccleſiæ, & non alios uſus, conſumi debeat.

§. XXXI.

SImiliter tres partes reſtantes de ſeptem partibus ſupradictis, in duas iterum partes æqualiter dividantur: quarum unam, ſcilicet medietatem trium dictarum partium, cujuslibet dictorum oppidorum Eccleſiæ fabricę liberè applicamus: reliquam verò partem, videlicet medietatem trium dictarum partium, hoſpitalibus cujuslibet oppidi conſignamus: de qua quidem medietate, ſive parte eiſdem hoſpitalibus applicata, dicta hoſpitalia teneantur hoſpitali principali, ubi Cathedralis fuerit Eccleſia, decimam ſolvere. Applicamus etiam eâdem auctoritate in perpetuum fabricæ noſtræ diœceſis dictę ſanctiſſimę Mariæ, omnes & ſingulas decimas unius parochiani ejuſdem Eccleſiæ, & omnium aliarum Eccleſiarum totius civitatis & diœceſis; dum tamen talis parochianus non ſit primus, ſeu major, vel ditior noſtrę dictę Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum Eccleſiarum noſtrę dictæ diœceſis, ſed ſecundus poſt primum.

§. XXXII.

OFficium verò divinum, diurnum pariter & nocturnum, tam in Miſſis quàm in Horis, fiat ſemper, & dicatur ſecundùm conſuetudinem Eccleſię Hiſpalenſis, donec & quouſque Synodus celebretur.

§. XXXIII.

VOlumus inſuper, & de ejus celſitudinis inſtantia & petitione ordinamus, quòd portionarii ipſi vocem habeant in capitulo, unà cum Dignitatibus & canonicis, tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus, præterquam in electionibus, & aliis à Jure prohibi tis caſibus, qui ſolis Dignitatibus & canonicis pertinent.

§. XXXIV.

ET inſuper volumus, & de ejus ſerenitatis inſtantia & petitione ordinamus, quòd in dicta noſtra Cathedrali Eccleſia, (prętерquam in diebus feſtivis, in quibus una tantùm Miſſa ſolennis celebrabitur, horâ tertiarum) duæ quotidie Miſſæ celebrentur, quarum una primis diebus Veneris cujuslibet mẽſis, de anniverſario fiat pro Hiſpaniæ Regibus prętеritis, prętеntibus, & futuris. Diebus verò ſabbathi, Miſſa prædicta in Virginis glorioſæ honorem, pro præfatorum Regum incolumitate & ſalute reſpectivè celebretur. Cujuslibet autem menſis prima die lunæ eadem Miſſa pro animabus in purgatorio exiſtentibus ſolenniter dicatur. Reliquis verò diebus prædicta Miſſa de Prima poſſit celebrari ad voluntatem & diſpoſitionem cujuslibet perſonæ volentis ipſam dotare. Dictique Epiſcopus & capitulum poſſint quamcumque dotem recipere, & à quibuſvis perſonis ſibi oblatam, pro ejuſdem Miſſæ celebratione. Secunda verò Miſſa de feſto, vel de feria occurrenti, ſecundum ritum Hiſpalenſis Eccleſiæ, vel aliàs, horâ Tertiarum celebrabitur: & quicumque majorem Miſſam celebraverit, ultra communem diſtributionem omnibus illi Miſſæ intereſſentibus aſſignatam, vel

aſſi-

assignandam, stipendium lucretur triplum, quàm ad quamcumque diei Horam; diaconus verò duplum, & subdiaconus simplum. Et quicumque majori Missæ non interfuerit, Tertiam & Sextam illius diei non lucretur, nisi ex rationabili & justa causa, & decani licentiâ, vel alterius in choro pro tempore præsidentis, absens fuerit: super quo petentis licentiam, & concedentis conscientiam oneramus. Et quicumque similiter Matutinis & Laudibus interfuerint, triplum lucretur quàm ad quamcumque diei Horam, & insuper stipendium Primæ, quamvis illi non interfuerint.

§. XXXV.

VOlumus insuper, & de ejusdem Majestatis instantia & petitione ordinamus, quòd bis in qualibet hebdomada capitulum teneatur, feriâ videlicet sextâ, & tertiâ: & quòd feriâ tertiâ tractetur ibidem de negotiis occurrentibus: feriâ autem sextâ de nulla alia re, nisi de morum correctione & emendatione tractetur, & de iis quæ ad divinum cultum debitè celebrandum, & ad clericalem honestatem in omnibus & per omnia, tam in Ecclesia quàm extrà, conservandam spectent. Et quælibet alia dies ad capitulum celebrandum sit interdicta; nisi novi casus qui emerserint, aliud exegerint. Per hoc autem volumus jurisdictioni nostræ Episcopali, aut successorum nostrorum, circa correctionem & punitionem dictorum canonicorum, aliarumque personarum nostræ Cathedralis Ecclesiæ, aliquatenus derogari. Quam omnimodam correctionem, punitionem, & jurisdictionem in dictas personas, nobis & dictis successoribus reservamus; ad instantiam & petitionem præfatarum Majestatum patronorum, & de eorum consensu. Item eâdem auctoritate, & de ejusdem Catholicæ majestatis beneplacito, statuimus & ordinamus, quòd quilibet dictæ nostræ Ecclesiæ & diœcesis clericulus primæ tonsuræ, ad hoc ut possit privilegio gaudere, clericalem deferat tonsuram, unius regalis argentei magnitudine, monetæ usualis Hispaniæ; & per duos digitos infra aures tantùm, à tergo prosequenter, scissurâ capillos tondeat, vestibusque honestis induatur, chlamyde videlicet, vel mantello, seu pallio, quod vulgariter *loba* nuncupatur ò *manteo*, clauso vel aperto, ad terram protensis, non rubei, croceique coloris, sed alterius honesti coloris, quibus tam in vestibus superioribus, quàm inferioribus utatur.

§. XXXVI.

ITidem, eâdem Apostolica auctoritate, necnon de ejusdem celsitudinis, & Catholicæ majestatis consensu deliberato (quia in ipsa, *de Mexico* in nova Hispania vulgariter nuncupata, civitate Mexicanensi, & sub invocatione Beatissimæ Mariæ Virginis Assumptionis, Cathedralem Ecclesiam in honorem ejusdem Virginis Assumptionis, Apostolica auctoritate perpetuò erigimus) domos, habitatores, incolas, & vicinos, tam intra civitatem, quàm in suburbiis ejusdem civitatis, de præsenti, vel in futurum habitantes & commorantes, in dictæ Ecclesiæ Virginis Mariæ Assumptionis parochianos deputamus & assignamus, donec in dicta civitate commoda per nos, & nostros successores fiat divisio parochiarum: cui etiam jura parochialis Ecclesiæ solvere teneantur, decimas, primitias, & oblationes offerre; & à rectoribus ejusdem Ecclesiæ confessionis, Eucharistiæ, & alia sacramenta recipere, necnon eisdem rectoribus sacramenta hujusmodi conferre & administrare, & parochianis accipiendi licentiam concedimus pariter & facultatem.

§. XXXVII.

ITem volumus, statuimus, & ordinamus, quòd consuetudines, constitutiones, ritus, & mores legitimos & approbatos, tam officiorum, quàm insigniarum, & habitus anniversariorum, officiorum, Missarum, aliarumque omnium cæremoniarum approbatarum Ecclesiæ Hispalensis, necnon aliarum cujusvis Ecclesiæ, seu Ecclesiarum, ad nostram Cathedralem decorandam & regendam necessariò reducere, ac transplantare, liberè valeamus.

§. XXXVIII.

ET quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio; igitur literarum suprà dictarum virtute, nobis & successoribus nostris plenissimam emendandi, ampliandi, & ea quæ oportuerit, statuendi & ordinandi, in posterum potestatem reservamus, ut possimus id facere de consensu, petitione, & instantia regiæ Majestatis; tam circa quæstionem, & taxationem dotis perpetuam, vel temporalem, & limitum nostri Episcopatus, & omnium Beneficiorum; quàm circa retentionem decimarum, vel divisionem earundem, secundum tenorem Bullæ Alexandri, per quam ipsis Regibus Hispaniæ fuit facta donatio decimarum. (*licèt ad præsens, per eandem Regiam majestatem ad alimenta nobis sint, cùm his tamen qualitatibus donata.*) Quæ omnia & singula, instantibus & petentibus prædictis dominis meis Regina ac Regibus, dicta Apostolica auctoritate, quâ fungimur in hac parte, & melioribus, modo, via, atque forma, quibus meliùs possumus, & de Jure debemus, erigimus, instituimus, creamus, facimus, disponimus, & ordinamus, cùm omnibus ac singulis ad id necessariis & opportunis, non obstantibus contrariis quibuscumque, & illis præcipuè quę sanctissimus dominus noster præfatus, in suis præinsertis literis Apostolicis voluit non obstare; & ea omnia & singula, omnibus & singulis, præsentibus & futuris, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis fuerint, intimamus, insinuamus, & ad omnium notitiam deducimus, & deduci volumus; per præsentes mandamus prædicta auctoritate, & sanctæ obedientiæ virtute, omnibus & singulis suprà dictis, & ea omnia & singula, quemadmodum à nobis instituta sunt, observent & observari faciant. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium premissorum, præsentes literas, sive præsens publicum instrumentum, exinde fieri, & per notarium publicum infrà scriptum scribi & publicari, nostrique sigilli

gilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Toleti ſub anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo quarto.

STATUTORUM

PARS PRIMA

CAPUT I.

IMprimis hæc ſancta Synodus ſtatuit & præcipit, ut quando aliquis in Prælatum hujus Metropolis ſeu provinciæ electus, ad capiendum ſuę Sedis poſſeſſionem perſonaliter, ſeu per procuratorem, venerit; ante omnia Bullas ſeu literas Apoſtolicas ſuper præſentatione, per Regiam majeſtatem deſuper facta expeditas, decano & capitulo præſentet. Qui poſtquam eas viderint, ac legitimas eſſe repererint, capitulares omnes, vocem & ſuffragium in electionibus, juxta præfatam erectionem habentes, ad capitulum ſequenti die habendum, citari & vocari faciant; ubi de electi hujuſmodi receptione debita cum ſolennitate facienda deliberent. Et in ea poſtquam decreta fuerit, procedant ſub hac forma.

§. I.

PRæbendati omnes, qui capitulo, ut præfertur, congregando interfuerint, ab aula capitulari ad Eccleſiæ corpus exeant, ibiq́ue electum perſonaliter accedentem accipiant: electo autem hujuſmodi per procuratorem accedenti, prębendati quatuòr ex antiquioribus, per ejuſdem capituli præſidentem nominandi, ad ipſius aulæ capitularis januam obviam procedant. Sedes verò in capitulo diverſimodè, juxta venientis hujuſmodi perſonę qualitatem, prępparetur. Electo enim perſonaliter accedenti, faldiſtorium cum pulvinaribus, ac cæteris eum actum concernentibus, diſponatur. Procuratori autem tapetum, ſella, & pulvinar ad pedes collocetur. Electo prętterea in eodem faldiſtorio Miſſale ſtatuatur, ut præſtandum ab eo juramentum præſtet, & ſub forma ſequenti.

§. II.

NOs P. Archiepiſcopus de Mexico juramus per Deum & hæc ſancta Dei Euangelia, quòd erectionem hujus ſanctæ Eccleſię Mexicanę obſervabimus & obſervari faciemus: conſuetudines bonas & approbatas ejuſdem Eccleſię, in quantum non contrariantur prędictæ erectioni, ſacris Canonibus, & ſancti Concilii Tridentini decretis, & Provincialis Synodi Mexicanæ editis conſtitutionibus, manu tenebimus, juraq́ue noſtræ dignitatis, & Eccleſię ſponſæ noſtrę, in nullo infringere, pro viribus conabimur. Semper præ oculis habentes verum Dei obſequium, & animarum profectum, prout ex debito noſtrę paſtoralis ſolicitudinis tenemur. Ita nos Deus adjuvet, & hęc ſancta Dei Euangelia.

§. III.

CUjuſmodi juramentum procurator, & qui poſſeſſionem electi nomine capturus acceſſerit, pręſtare teneatur. Quo præſtito, capitulares omnes, nemine dempto, proceſſionis ordine hymnum: *Te Deum laudamus*, ſolenniter decantantes, præcedentibus, tam ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis cruce, quàm parochialium, monaſticarum, eremiticarumq́ue Eccleſiarum crucibus: unà cùm ipſarum vicariis, parochis, miniſtris, ac univerſo clero, qui ad hoc pręveniri debent, electum ipſum, ſub umbraculo, ſeu baldachino, per Dignitates, & in eorum defectum, per prębendatos hujuſmodi ſeniores, ferendo, ad chorum uſque comitentur. Quò cùm perventum fuerit, crucibus, clero, & monachis prædictis, ad chori fores detentis, capitulares omnes electum adhuc ſub baldachino procedentem, eodem ordine comitantes, chorum ingrediantur: eum denique electum, in Sede Epiſcopali, in ſignum poſſeſſionis, per duos ex Dignitatibus antiquiores Beneficiatos collocent. Procuratorem verò, duo per prędidentem deputandi capitulares (ſolennitate ac proceſſione hujuſmodi prętermiſſis) factaq́ue in ipſo actu demonſtratione, quæ perſonam propriam à ſubſtituta diſtinguat, in eadem Archiepiſcopali Sede conſtituant. Quibus peractis ordine, proceſſione, ac forma præmiſſis, ad locum capituli iidem capitulares revertantur; ibiq́ue electum in Archiepiſcopali ejuſdem capituli Sede modo præſcripto collocent: ac tunc decanus, vel qui in ejus abſentia præſederit, ſurgens à loco ſuo, & ad Sedem eandem magna cum obſervantia & reverentia accedens, flexis genibus, electo, ut præfertur, ſedenti, manum deoſculetur, eoq́ue ſigno ipſum in dominum, Prędatum, & paſtorem recipiat; ac eidem, ut tali, debitam prędtet obedientiam: idemq́ue ipſum, modo & forma prędictis, reliqui capitulares, ſervato antiquitatis ordine, faciant. Quibus effectis, aperta ejuſdem loci capitularis janua, omnes Beneficiati, parochi, rectores, vicarii, cappellani, atque ſervientes, reliquus denique clerus ibi repertus, ſimiliter intrent, idemq́ue recognitionis & obedientiæ ſignum Prælato exhibeant.

§. IV.

PRocuratorem verò, qui poſſeſſionem prædictam electi nomine capturus venerit, decanus & capitulum, hymnum: *Te Deum laudamus*, ſimiliter canentes, prætermiſſo baldachino, à loco capituli ad chorum deducant, ipſumq́ue primò in ſede chori, ac deinde in ſede capituli Archiepiſcopalibus ſedere faciant: ibiq́ue in obedientiæ debitę Prędato, cujus ille perſonam & juriſdictionem gerit, recognitionem, iidem capitulares ordine ſuo, cum decenti ſubmiſſionis & reverentiæ demonſtratione, ejuſdem procuratoris, ut prędfertur, ſedentis, manum, ſua quiſque manu dextera porrecta, contingant, porrectamq́ue manum ad ſe volventes deoſculentur, & hoc ipſum reliqui Beneficiati & parochi cum toto clero faciant.

§. V.

§. V.

UT Prælatus, capta per procuratorem poſſeſſione, debita cùm ſolennitate recipiatur civitatem ingrediens, ſequens forma ſervetur.

§. VI.

IMprimis decanus, & capitulum, omnes & ſingulos prębendatos, & parochialium Eccleſiarum rectores, ac Beneficiatos, priores quoque, & conventus religioſorum ejuſdem civitatis, ut die & hora ingreſſus prędicti cum ſuis crucibus de more conveniant, præmoneri, citari, & vocari faciant; ac proceſſionis ordine, unà cum ipſius Cathedralis Eccleſiæ cruce, ingredienti Prælato obviam procedant.

§. VII.

PRiùs tamen iidem decanus & capitulum, & omnes clerici, qui ad hoc congregari potuerint, ſuis mulis ſedentes, præcedente ejuſdem capituli ſceptrifero, ſceptrumque ſuum manu gerente, debita ejus actus conformitate & ordinatione ſervata, extra civitatem, ad mediam leucam, vel eo minus, ad præſidentis arbitrium, progrediantur: & ipſi Prælato, cùm ad eum pervenerint, eodem quo procedunt ordine, ſinguli, & reverentiam exhibeant, & illius manus deoſculentur. Quo facto, omnes ad Eccleſiam, decentibus ad proceſſionem veſtibus prępparandi, ſine mora redeant. Proceſſionis autem hujuſmodi initium omnes, tam ejuſdem Cathedralis Eccleſię, quàm reliquarum parochialium, monaſticarum, & eremiticarum Eccleſiarum, hoſpitaliumque, cymbala hilari ſonitu prænuncient: & quamdiu eadem proceſſio duraverit, ſimiliter pulſentur.

§. VIII.

POſtquam ad Eccleſiam omnes pervenerint, decanus, vel qui præſidens fuerit, pluviali indutus, unà cum duobus miniſtris, diaconi & ſubdiaconi habitum & inſignia gerentibus; reliqui verò prębendati pretioſioribus Eccleſiæ pluvialibus pariter ornati, proceſſionis ordine, prævia ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ cruce, præcipuam ipſius Eccleſiæ januam, quâ Prælato datur ingreſſus, egrediantur: ſicque procedant, quouſque crux eadem ad certum fori locum, pretioſo faldiſtorio decenter ornatum, pervenerit. Quo loco accedens Prælatus, genibus flexus, eandem crucem ſibi per præſidentem, ut præfertur, ornatum, porrigendam, deoſculetur. Ad vitandum verò confuſionem, antequam Prælatus mulâ deſcendat, eadem proceſſio ad Eccleſiam redeat, prębendatis cum choro muſicorum retrò manentibus, qui antiphonam: *Sacerdos & Pontifex, &c.* in Ordinario pręſcriptam concinant, & illâ cum reliquis neceſſariis pronunciatâ, hymnum: *Te Deum laudamus*, alternatis verſibus canentes, eodem proceſſionis ordine ad Eccleſiam regrediantur. In cujus ingreſſu idem præſidens, ut ſuprà ornatus, aquæ benedictæ aſperſorium Prælato, qui ſe & circumſtantes aſpergat, illius manum deoſculatus, offerat; deinde ad altare majus ſimiliter ordinati procedant, ubi Prælatus ſuper pavimentum faldiſtorio coopertum, dum antiphona in Ordinario deſcripta cum verſibus dicitur, genua flectat: quibus dictis, Prælatus inde ſurgat, & eiſdem capitularibus comitantibus, altare majus aſcendat, ibique omnibus aſtantibus Epiſcopalem benedictionem impendat, & inde ſolennitate, cruce, & proceſſione hujuſmodi prætermiſſis, domum ſuam, eiſdem comitantibus, adeat.

CAPUT II.

De loco capitularium.

§. I.

QUoniam juxta conſtitutiones & ordinationes in hujus Archiepiſcopatus & provinciæ erectione conditas, quinque dignitates, decanus videlicet, archidiaconus, cantor, ſcholaſticus, & theſaurarius: decem quoque canonici, ſex etiam integri, ac totidem dimidii portionarii, eſſe debent; ideo hæc ſancta Synodus decernit & mandat, ut hi omnes in capitularibus ipſorum congregationibus ordine infrà ſcripto ſedeant. Imprimis quidem decanus, ad ſedis Prælato deſtinatę latus dexſtrum, & penes decanum cantor, ac tertio loco theſaurarius; quinque deinde canonici, tres poſtea integri, tres denique dimidii portionarii, unus poſt alium, juxta traditæ cuique poſſeſſionis prioritatem, conſideant. Ad ſiniſtrum autem ejuſdem Sedis Archiepiſcopalis latus, primam archidiaconus, ſecundam ſcholaſticus, quinque ſubinde canonici, ſex demum integri, & dimidii portionarii ſequentes ſucceſſivè ſedes, ſervato ejuſdem antiquitatis ordine, teneant.

§. II.

STatuit præterea eadem ſancta Synodus, ut dignitates, canonici, integri, ac dimidii portionarii prędicti, in quibuſcumque officiorum, tam divinum cultum, & Horarum canonicarum celebrationem, quàm reliqua per capitulares agenda negotia concernentium, diſtributionibus ac deputationibus, ordine ſuperiùs deſcripto, juxta cujuſque antiquitatem, nulla prorſus habita ratione quo quiſque chori latere, dextro videlicet aut ſiniſtro, locum teneat, inter ſe prę ferantur.

§. III.

IN proceſſionibus autem, presbyter celebraturus, medius inter utrumque chorum incedat; ita ut decanum quidem dextrorſum, diaconum verò paratum ſiniſtrorſum habeat. Quòd ſi decanus abſuerit, dextrum diacono, ſiniſtrum verò archidiacono latus præbeat.

§. IV.

QUÆ tamen procedere non intelligantur quoties capitularibus actibus, & proceſſionibus hujuſmodi Prælatus intervenerit. Nam juxta ſupremæ dignitatis, & poteſtatis ejus exigentiam (ſacroſan-

ſancto Tridentino [b] diſponente Concilio) primum in choro, proceſſionibus, & quibuſvis aliis actibus, locum, ſeu quam ipſe capere & eligere voluerit, ſedem habere debet.

CAPUT III.

De decano, & ejus præeminentiis.

§. I.

CUjuſvis Cathedralis Eccleſiæ hujus Archiepiſcopatus & provinciæ decanus, ſacro presbyteratûs ordine inſignitus exiſtat; ſin minus, ad eam dignitatem minimè recipiatur. Quamvis enim in præinſerta erectione, hæc à decano qualitas non requiratur; eadem tamen ſancta Synodus Provincialis Prælatos omnes, ut ibi quando & quomodo fieri potuerit, ſancti Concilii Tridentini, exhortationem opere compleant; imprimis admonet, omnibuſque ſibi ab hujuſmodi erectione collatis facultatibus, nulla excepta, fungens declarat, quòd quoties officia ſeu miniſteria, per capitulares, tam in choro, quàm ad altare, ordine in tabula deſignando, peragenda, aliquibus prębendatis committi contigerit, qui vel ea acceptare noluerint, vel ſemel acceptata, ſuis locis & tempore præſtare negligenter omiſerint; tunc decanus, non ſolùm rebelles & negligentes multare; ſed etiam officia vel miniſteria per eos omiſſa, aliis committere (habitâ officii, ſeu miniſterii hujuſmodi, ac præbendati qui commiſſum fuerat, defectuſque & negligentiæ ratione) poſſit ac debeat.

§. II.

INſuper ad decanum [d], quamdiu in civitate fuerit, & non ad aliquem alium capitularem, eoſdem capitulares ad extraordinarium capitulum (quod non niſi in gravibus negotiis, quæ ordinarium capituli diem exſpectare non poſſint fiat) ſub juſta & rationabili pœna citare, & convocare pertineat. Quoties autem ſimilia occurrerint, decanus brevem negotii, ſeu negotiorum tractandorum rationem ſceptrigero, qui eandem capitularibus exponat, in ſcriptis tribuat. Quòd ſi negotia hujuſmodi talia fuerint, quę ut præfertur explicari non debeant; tunc capitulares ad gravia negotia vocari, dixiſſe ſufficiat. Id quòd hæc ſancta Synodus ipſius decani, vel ejus, qui abſente eo, præſidentię munus obierit, prudentiæ committit, juxta hujus ſanctæ Synodi decreta, in ſacroſancti Generalis Concilii Tridentini [e] obedientiam & conformitatem edita.

§. III.

AD eundem ſimiliter decanum negotia in capitulo tractanda proponere ſpectet. Illo verò negotium quodvis ſibi per aliquem ex capitularibus inſinuatum, proponere nolente, vel differente, illud ipſum, hac decernente Synodo, quicumque capitularis, petitâ priùs à capitulo licentiâ, proponere poſſit; id verò decano vel præſidente hujuſmodi impedire conante, datis ibi ſine ulla ſcandali nota ſuffragiis, quod pars capituli major deliberaverit, hoc fiat & obſervetur.

§. IV.

UT autem debitus in choro & actibus capitularibus ordo teneatur, ſitque ſemper qui abſente decano præſideat & regat; eâdem ſtatuente Synodo, declaratur, ut abſente decano, archidiaconus; hoc verò deficiente, cantor: in hujus autem abſentia, ſcholaſticus; in cujus defectum, theſaurarius, in præſidentia ſuccedat: abſentibuſque Dignitatibus, canonicus, vel præbendatus antiquior ubique præſideat.

§. V.

STatuit tamen & ordinat eadem ſancta Synodus, ut nullus ex capitularibus, quamvis abſente decano, præſidere valeat, niſi quamdiu in ſede ſuâ eminenti ſederit, præſidentiæ munere fungatur. Declarat nihilominus, hoc ſtatuto decanum, cui juxta præmiſſę erectionis tenorem præſidendi in choro dignitas & præeminentia competit, non comprehendi; ſed ipſum in quovis chori loco exiſtentem prędidere poſſe, extra chorum tamen hujuſmodi, quamvis in Eccleſia exiſtat, non prędidere. Decani autem defectus, vel exceſſus, ſi quos ille in ſuo officio commiſerit, per capitulares plenè congregatos, habita loci ac dignitatis ejus debita ratione, in capitulo advertantur & corrigantur.

CAPUT IV.

De archidiacono.

QUilibet, tam Metropolitanæ quàm cujuſvis in hac provincia conſtitutæ Cathedralis Eccleſię, archidiaconus (qui vel in altero Jurium, vel in Theologia ſaltem baccalaureus graduatus eſſe debet) quęcumque ſibi per ſuprà inſertam erectionem conceſſa & declarata ſunt, prędare & exercere poteſt. Prędatus tamen cùm potuerit, ſancti Concilii Tridentini [f] exhortationem opere compleri faciat.

CAPUT V.

De cantoris officio ac dignitate.

§. I.

CAntori verò prędterea [g], quæ in præfata erectione prędipiuntur & injunguntur, cujuslibet hebdomadæ tabulam, ſeu matriculam, ab omnibus obſervandam prędcribere, ſeu præſcribi facere, & quæ quibuſque hebdomadæ diebus recitanda, celebranda, ſeu dicenda ſint, animadvertere, tam Dignitatibus, & canonicis Miſſas, quàm integris, ac dimidiis portionariis Euangelia, Paſſiones, Epiſtolas, lectiones,

---

[b] Seſſ. 25. c. 6. verb. *Epiſt. De reform.* [c] Seſſ. 24. cap. 12. verbo: *Hortatur etiam.* [d] Conſtitutio Hiſpal. fol. 50. [e] Seſſ. 25. cap. 6. [f] Seſſ 24. cap. 12. verb. *Arch. De reform.* [g] Conſtitut. Hiſpal. fol. 53.

ctiones, ac lamentationes, quàm etiam capparum geſtationem, ſervato antiquitatis ordine, & habitu, officiorum hujuſmodi alternatione, committere, per novam hujus ſanctæ Synodi declarationem deinceps incumbat.

§. II.

AD cujus etiam, vel ejus locum-tenentis, ſuccentoris officium introitorum verſus, *alleluia*, reſponſoria, antiphonas, prophetias, ac cerei paſchalis benedictionem, per præfixum in matricula ſeu tabula hujuſmodi diſtributionis ordinem commendare, cappellanos præterea ſervientes, & chori miniſtros; qui tamen omnes eidem reverenter obedire tenentur, circa debitam divino cultui, ac ſacris officiis decentiam & compoſitionem, deficientes aut negligentes corrigere pertineat. Cantori autem in præmiſſis deficienti, vel excedenti, juſtam pro culpæ modo, attenta ejus dignitate, correctionem in capitulo, vel extra illud, decanus adhibeat.

CAPUT VI.

De ſcholaſtici dignitate.

§. I.

QUamvis juxta præciſam preſcriptæ erectionis formam, ſcholaſticum vel in altero Jurium, vel in Artibus baccalaureum eſſe ſufficiat; hęc tamen ſancta Synodus Provincialis, ſacroſancti Tridentini [h] Concilii, cui ſe conformat, diſpoſitionem exactè in poſterum præcipit obſervari, eidemque ſcholaſtico imprimis injungit, ut quoties illi à capitulo commiſſum fuerit, quaſcumque ejuſdem capituli nomine literas, ſeu epiſtolas notet, ſcribat, eaſque ſolito capitulari ſigillo in capſa ſub tribus clavibus (quarum una penes decanum, vel ejus loco præſidentem, altera penes eundem ſcholaſticum, ac tertia penes ipſius capituli ſecretarium exiſtat) ſervando ſigillet. Quibus eadem ſancta Synodus etiam mandat, ut nonniſi indubitatas, ac totius, vel majoris, ſanioriſque partis capituli fide ac teſtimonio probatas literas, ex quibus nullum Prælato, ſeu capitulo damnum vel præjudicium obvenire poſſe credatur, ſigillare præſumant, aut ſigillent. Hujus autem mandati tranſgreſſores debitę punitionis rigore ſubjaceant.

CAPUT VII.

De theſaurario.

§. I.

THeſaurarius, cui tam quæ in prędicta erectione, quàm quæ in hujus ſanctæ Synodi cæremoniali & decretis ordinata reperiuntur, incumbunt, ea pariter cum ſequentibus obſervet ac præſtet. Pro candelarum benedictione die Purificationis Beatæ Mariæ facienda, ceræ quantitatem ac diſtributionis formam, à Prælato ſimul cum decano & capitulo, præſcribendas teneat. Quæcumque reliquiaria, reliquias, ornamenta, aurum, argentum, aliaque Eccleſiæ bona, quę pro tempore empta, reſtaurata, & conſtituta fuerint, ſub expreſſo rei cujuſque pondere, valore, diſpoſitione, & qualitate, ſibi per inventarium conſignanda recipiat. Coadjutores quoque ſuos ſacriſtas, idoneam pro iis quæ receperint cautionem, ad eorundem Prælati & capituli beneplacitum præſtare faciat.

CAPUT VIII.

De canonicis.

§. I.

CUjuſcumque ſub hoc Archiepiſcopatu & provincia conſtitutæ Cathedralis Eccleſiæ canonici, qualitates in ſuprà memorata erectione præſcriptas habeant: curent tamen diligenter Prælati, ut ubi & quando commodè fieri potuerit, juxta ſancti Concilii Tridentini [i] diſpoſitionem, ſaltem dimidia eorum pars, vel in ſacra pagina, vel in Jure canonico doctores, aut magiſtri, aut licentiati exiſtant; quibus Miſſas conventuales, exceptis iis, quæ ad dignitates pertinent, ſecundùm Breviarii & Miſſalis, ex ejuſdem Concilii Tridentini decreto editorum, formam; tabellæ quoque deſuper ordinandæ, ac Cęremonialis per hujuſmodi ſanctam Synodum Provincialem conſtituti, ab omnibus quos illud concernet, reſpectivè obſervandi, diſpoſitionem & ordinem dicere incumbat.

CAPUT IX.

De integris, ac dimidiis portionariis.

§. I.

INtegri, ad dimidii portionarii qualitatibus in præmiſſa erectione memoratis ornentur, & & injunctis ab eadem muneribus ſinguli diligenter incumbant. Circa ſuffragia verò per eos, in quibuſvis actibus & congregationibus capitularibus ferenda, tam præfatæ erectionis, quàm literarum exſecutoriarum in contradictorio judicio deſuper expeditarum, ordo & forma ſervetur.

§. II.

QUi omnes Dignitates, canonici, integri, ac dimidii portionarii, capitulares ſuprà relati, præbendas ſuas per quotidianas diſtributiones, juxta ejuſdem erectionis diſpoſitionem, pro parte ſingulis eorum aſſignata, tam in fructum decimarum redditibus, quàm in anniverſariorum, funerum, & aliorum manualium & obventionum emolumentis lucrentur.

CA-

[h] Seſſ. 23. c. 18. verb. *Decætero. De reform.* Ex conſtitut. Hiſpal. fol. 56. [i] Seſſ. 24. c. 12. verbo: *Hortatur. De reformat.*

CAPUT X.

De decimarum partibus ad Prælatum, capitulum, fabricam, hoſpitale, & ſervientes pertinentibus.

§. I.

AD tollendum omne dubium, liteſque, ac diſſenſiones, quæ in reddituum diviſione ac diſtributione oriri poſſent; hæc ſancta Synodus ordinat, declarat, & mandat, ut tam de quarta Prælatum tangente, quàm de aliis partibus ad capitulum, fabricam, hoſpitale, regiam Majeſtatem, ſervientes, & officiales ſpectantibus, id omnino fiat, quod præfatæ erectionis ordinationes & ſtatuta diſponunt. Quæ fundamentalis quidem, & quaſi primaria lex eſſe debet, qua omnes & ſingulæ hujus Archiepiſcopatus & provinciæ Cathedrales Eccleſiæ, abſque ullius rei defectu vel exceſſu regantur & gubernentur.

CAPUT XI.

De forma in admittendis ad poſſeſſionem præbendatis habenda.

§. I.

QUando aliquis, Dignitas, canonicus, vel portionarius, qui regiæ Majeſtatis præſentationem, & Ordinarii collationem, ac factę per eum juxta ſancti Concilii Tridentini [k] formam, Fidei profeſſionis certificationem habeat; noviter admittendus acceſſerit; decanus, ſi in civitate fuerit; ſin minus, chori prędens, ad tradendum perſonæ ſic accedenti, ejus quam petit prębendæ poſſeſſionem, capitulares ad capitulum per diem antè vocari præcipiat.

§. II.

DEinde capitulares omnes, per eorum ſceptrigerum (qui qualiter eos qui in civitate fuerunt, vocaverit, fidem faciat) convocati, & in capitulo, prout de uſu & conſuetudine habent, congregati; prębendandum hujuſmodi ad locum capituli ingredi jubeant; qui ſtans in medio aulæ capitularis, nudo capite omnibus interim dominis capitularibus ſedentibus, & coopertis capitibus, hęc vel ſimilia verba proferat.

§. III.

REgia Majeſtas me ad talem præbendam, hujus ſanctæ Eccleſię, per promotionem aut obitum talis N. ultimi illius poſſeſſoris vacantem, dignata eſt præſentare, cujus collationem, ſeu canonicam inſtitutionem mihi illuſtriſſimus dominus N. vel ejus vicarius fecit. Dominationi veſtrę ſupplico, ut me ad illius poſſeſſionem admittat: nam quantum in me fuerit, huic ſanctæ Eccleſiæ, & in ea dominationi veſtræ ſervire curabo.

§. IV.

HÆc loquutus, jurium ſuorum literas & documenta penes ſecretarium capituli præſentet, ac locum capitularem egrediatur. Capitulares verò poſtquam præſentationem, inſtitutionem, ſeu collationem, reliquaſque literas & documenta hujuſmodi (prævia deſuper opportuna conſultatione) viderint & examinaverint, an tradenda ſit illi poſſeſſio, necne, ſolita ſuffragia ferant: ac de poſſeſſionis traditione deliberato, duo commiſſarii, Dignitas videlicet & canonicus, nominentur, per quos ipſe accedens, à ſecretario capituli admonendus; ſuperpelliceo, & juxta temporis infrà dicendi exigentiam, cappâ chori indutus, ad capiendum ſedis ſuæ poſſeſſionem in choro deducatur: qua ibi capta, ad capitulum reducatur, ſimilem in eo Fidei profeſſionem ſub juramento facturus, quam coram Prælato vel ejus vicario fecerit, quum canonicam ejus præbendæ inſtitutionem ſibi ab eo fieri obtinuit. Ac proinde coram decano, vel in ejus locum prędente, flexis genibus, manibuſque ſuper Miſſali poſitis, conſtituatur, & juxta ſancti Concilii Tridentini [m] diſpoſitionem, ac Motus proprii felicis recordationis Pii Papæ [n] IV. tenorem juret & profiteatur, in forma ſequenti.

§. V.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium, & in unicum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine: & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis: ſub Pontio Pilato paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas. Et aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, firmiſſimè admitto & amplector.

Item ſacram Scripturam, juxta conſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto. Neceam unquam

k Seſſ. 24. cap. 12. *De reform.* & motus Pii IV. / Ex conſueta Gianat. m Seſſ. 24. c. 12. n Motus proprius Pii IV.

quam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè ſacramenta novæ legis à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria: ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Illaſque gratiam conferre: & ex his baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione, in ſacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatoriũ ſacrificium pro vivis & defunctis; atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, unà cum humanitate & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti; atque converſionem totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor enim ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas, firmiter aſſero. Imagines Chriſti, ac Deiparę ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe; ac eis debitum honorem & venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Item omnia à ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, & præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hereſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo adjuvante, retinere & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

§. VI.

Qui præterea prębendatus, ad prębendæ hujuſmodi poſſeſſionem admiſſus, ſingulari ſe jurejurando aſtringere teneatur, in forma ſequẽti.

Ego N. hujus almæ Eccleſiæ, juro per hæc ſancta Dei Euangelia, quòd ab hac hora inantea obediens ero omnibus conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus laudabilibus prædictæ ſanctæ Eccleſiæ; eaſque in omnibus & per omnia obſervabo. Contra eas, & jura dictę Eccleſię, directè vel indirectè, ſcienter non me opponam. Juramenta & ſecreta capituli nemini pandam. Veram obedientiam & reverentiam jure debitam illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino hujus ſanctę Eccleſię Preſuli exhibebo. Honorem & utilitatem dictę Eccleſię in omnibus & per omnia procurabo. Conſpirationes, * monipodia, & conventicula, tum contra reverendiſſimum dominum Antiſtitem exiſtentem, & futuros ſucceſſores ejus canonicè intrantes, tum contra capitulares & Beneficiatos fratres meos, & eorum aliquem, non procurabo. Et quod in aſſecutione hujus prębendæ non intervenit fraus, dolus, aut illicita pactio, vel ſimonię labes directè vel indirectè. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

* *Monopolia!*

§. VII.

His peractis, ambo domini capitulares commiſſarii, ut præfertur nominandi, ſi prębendatum hujuſmodi ad chorum non deduxerunt, deducant, eundemque in ipſa dignitatis, canonicatûs, vel portionis, in qua ſucceſſerit, ſede, in ſignum poſſeſſionis collocent, ibique in libro legere, ſervatis omnibus ſolennitatibus neceſſariis & opportunis, faciant. Quem deinde ad idem capitulum redeuntem ſimiliter comitentur, & in capitulari ſede illi debita conſtituant. Ipſumque denique capitulares omnes in ſignum fraternitatis, ad amplexum & pacis oſculum accipiant, eique de omnibus & ſingulis fructibus, redditibus, proventibus, & emolumentis ad eam prębendam pertinentibus, integrè reſpondere mandent, & publicum de præmiſſis omnibus inſtrumentum petenti, confici ac dari decernant.

CAPUT XII.

De modo, ad hoc ut prębendati noviter recepti ſciant cęremonias, ſervando.

§. I.

EXpedit plurimum * ut prębendati, in iis maximè quæ ſibi circa divini cultus miniſterium, & prębendarum ſuarum ſervitium agenda ſunt, optimè inſtructi exiſtant. Iccircò, eâdem Synodo ſtatuente, decernitur & ordinatur, ut quilibet prębendatus, cum primùm receptus fuerit, non ſolùm ordinum ſuo-

* *Conſt. Hiſpal. cap. 11. fol. 78.*

rum cęremonias in Miſſali, ex decreto ſancti Concilii Tridentini edito præſcriptas; ſed eas, quæ officii divini recitationem, chori quoque cantum & ordinem concernunt; frequenti horum ſtatutorum, & Cęremonialis noſtri lectione addiſcat & calleat. Ad quod etiam per cęremoniarum magiſtrum (ex hujus ſanctæ Synodi Provincialis ſimili decreto deputandum) in titulo *De celebratione Miſſarum* examinetur. Nec priùs in eis, ac debito præbendę ſuæ officio ſufficienter inſtructus eſſe credatur, quàm ejuſdem cæremoniarum magiſtri fide ac teſtimonio probetur. Quòd ſi ſex menſibus à die captæ per eum poſſeſſionis elapſis, cęremonias ac debitum præbendæ ſuę miniſterium ignoraverit, & negligens in addiſcendo fuerit, ad id à Prælato, cujus in hoc conſcientia oneratur, per rigorem opportunum, uſque ad Beneficii ſuſpenſionem, & fructuum privationem, compelli poſſit & debeat.

CAPUT XIII.

De iis, quæ præbendati & alii miniſtri in divinii cultus miniſterio, ac Beneficiorum, officiorumque ſuorum exercitio agere debent. [p]

§. I.

QUoniam opportunus præbendarum & Beneficiorum, in Cathedralibus ac parochialibus Eccleſiis exiſtentium, uſus in eo conſiſtit, ut prębendati ac Beneficiati hujuſmodi, juxta Breviarii, Miſſaliſque Romani diſpoſitionem, ſacras cęremonias cum decentia, honeſtate, ornatu, eâque, quæ Dei miniſtros decet, conformitate obſervent ac teneant; ſtatuit propterea & præcipit hæc ſancta Synodus, ut omnes hujus Archiepiſcopatus & provinciæ Prędati, Cathedraliumque & parochialium Eccleſiarum capitula, parochi, vicarii, Beneficiati, & miniſtri, quæcumque ad hunc finem in Cæremoniali, ac prędentibus ſtatutis ex ejuſdem ſanctæ Synodi Provincialis decreto editis, ordinata, ſtatuta, & decreta ſunt, ſub pœnis in eis contentis, inviolabiliter cuſtodiant & exſequantur.

CAPUT XIV.

Qualiter omnes Cathedralium Eccleſiarum præbendati certis anni temporibus cappas chori geſtare debent.

§. I.

CUM in Cathedralibus Hiſpaniæ [q] Eccleſiis per ſanctas conſtitutiones receptum & obſervatum reperiatur, ut omnes illarum præbendati, certis anni diebus ſuperpelliceis induti, cappas nigri coloris ad chorum deſtinatas ſuperinduantur; idemque in hoc Archiepiſcapatu & provincia laudabili ſemper conſuetudine invaluerit: & quæ in Metropolitanis prędipuiſque regnorum Caſtellę Eccleſiis uſu & obſervantia vigent, maximè deceat in his etiam partibus immutabili conſtitutione ſervari; iccircò hæc ſancta Synodus omnibus & ſingulis præbendatis hujuſmodi ordinat ac præcipit, ut ad Horas canonicas, Miſſas, proceſſiones, divinum officium, & quotieſcumque prævia ſublimi cruce capitulariter proceſſerint, ſuperpelliceis ornati, prędictas chori cappas geſtare teneantur, diebus nimirum & forma ſequentibus.

§. II.

IMprimis, ad Veſperas commemorationis defunctorum, capitulares omnes Chriſtiana (quę ipſos decet) majeſtate atque modeſtia compoſiti, proceſſionis ordine chorum exeuntes, præcedente eorum ſceptrigero, ad ſacriſtiam, ut ibi ſuâ quiſque cappâ induatur, accedant: ac deinde cappis hujuſmodi induti, ſimili proceſſionis ordine ad chorum redeant; in eoque Veſperas defunctorum exordiantur: à quo die uſque ad ſabbathum ſanctum excluſivè eiſdem cappis utantur, præterquam ad primas Veſperas, & per totum diem cujuslibet infraſcriptarum feſtivitatum eo tempore occurrentium, quæ ſunt.

§. III.

NAtivitas Domini, incipiendo ab ejus vigilia, cum duobus ſequentibus diebus, Sanctorum Stephani proto martyris, & Joannis Euangeliſtę.

CIRCUMCISIO, EPIPHANIA } DOMINI.

PURIFICATIO, ASSUMPTIO, CONCEPTIO, PRÆSENTATIO } B. MARIÆ.

EXSPECTATIO PARTUS.

Feſta ſanctorum Apoſtolorum. } Andreę. Thomæ. Matthię.

Translatio corporis S. Jacobi Apoſtoli patroni Hiſpaniarum.

Feſtum S. Joſephi patroni novę Hiſpanię cum die octava.

Feſtum S. Thomę Aquinatis.

Dominica palmarum ad proceſſionem tantùm.

§. IV.

CAPPÆ verò per prębendatos, ut præfertur, geſtandæ, ex laneo ſtamine ſubtili, quod vulgò *Anaſcote*, ſeu *burato*, dicitur, aut quavis alia non inhoneſta tela nigri coloris efficiatur, prętermiſſis curioſitatibus, fulcimentis, *aforros* nuncupatis, præterquam in cucullo & oris anterioribus, quæ, ut moris eſt, aut raſo, aut bombycino ſerico fulciri poſſint; qui-

---

p Circa offic. in choro exercendum piè ſanxit Conc. Milan 5. tit. *Quæ ad divina officia pertinent.* q Conſt. Hiſpal. conſt. 12. fol. 80. Santiago c. 3. Conſuet. de Granat. Conc. Limen. 2. anni 1567. c. 63. f. 16. 2. pag. *De origine. & fundamento harum capparum, quæ vulgò vocantur* capa de choro, *loquitur Ioan. Trullo* in Reg. canon. cor. regul. lib. 1. c. 12. n. 6. & 7.

quibus etiam cauda honeſtæ longitudinis accedat, quæ niſi in proceſſionibus, comitatibus, & actibus publicis, in quibus demitti & extendi ſolet, plicata ſemper feratur. Capitularis autem, qui præſignatis diebus in aſſiſtentia divini officii cappâ hujuſmodi uſus non fuerit; proceſſionis, & actûs, in quo ſic defecerit, emolumenta & fructuũ diſtributionem, quam aliàs lucraturus erat, amittat: ac ſi contumacia creverit, multatio quoque convenienter creſcat, ſuper quo præſidentis in choro conſcientia oneratur.

CAPUT XV.

De reſpectu & obedientia debita præſidenti: ac de ejus officio.

§. I.

SI dum divina peraguntur officia, præſidenti, cui in rebus tunc occurrentibus neceſſaria & opportuna providere incumbit, debita non deferatur obedientia; omnis proculdubiò celebrationis ordo, non ſine magno Chriſtiani populi ſcandalo confundetur. Quapropter hęc ſancta Synodus ſtatuit & mandat, ut [r] omnes Beneficiati, cappellani, cantores, & chori miniſtri cujuſvis ſtatus aut conditionis exiſtant, præſidenti, in his quæ circa divina officia mandaverit, abſque ulla prorſus excuſatione aut repugnantia pareant. Si quis autem (quod abſit) verbo, aut alio quovis modo præſidenti non obtemperaverit; arbitrio capituli, habita inobedientiæ & ſcandali ratione, ab eodem præſidente multetur. Cui tamen eadem ſancta Synodus in primis injungit, ut quæcumque agenda ſint, modeſtis, & ab injuria alienis verbis maturè diſcernat atque præcipiat. Quòd ſi hac in parte idem præſidens nimis exceſſerit, res ad Prælatum, ut de opportuna emendatione ac remedio provideat, deferatur.

§. II.

PRÆSIDENS matutino tempore, priuſquam ad Primam pulſari finiatur, ad Eccleſiam veniat, ejuſque munditiam, tum in altaribus, tum in choro, qui quotidie verri, ac æſtivo tempore etiam rigari debet, tum quoque in ſedibus, per ejuſdem chori pueros in tabula deſignandos etiam quotidie tergendis, diligenter inſpiciat. Deinde chorum primus omnium ingreſſus, antequam incipiantur officia, ad aliorum exemplum, juxta ſedem ſuam genua flectat, & punctatorem ad primam chori ſedem genibus flexum exiſtere, ac omnes cum ſilentio intrare, genua flectere, ac ſupraſcriptis cæremoniis uti procuret. Galerum, aut ligneos calceos, aut quemvis alium indecentem habitum gerentes choro prohibeat. Neminem niſi ſuperpelliceo indutum, aut chorum ingredi, aut inter chorum & altare majus, dum divina officia celebrantur, tranſire permittat: & in univerſum ſuum quemque munus & officium, tam in choro quàm in Eccleſia, quàm etiam ubicumque capitulum convenerit, præſtare, prout æquum eſt, faciat. Silentium denique, à quo decens vel indecens chori miniſtratio pendet, ab omnibus ſervari: loquentes monendo, ac in ipſo rationum tempore Horarum emolumenta iis, quos propter defectus hujuſmodi multaverit, deduci videndo ſuper omnia intendat. Ac proinde ſuam quemque tenere ſedem vetitâ unius loci in alium migratione, prȩcipiat, ita ut quantum chori capacitas permiſerit, ſingulis Beneficiatis ſingulę ſedes hinc inde vacent, quo ſilentii fiat obſervatio facilior, & chori plenitudo major appareat. Quemcumque ab alio diſcedere, utpote colloquentem, aut alia ex cauſſa juſſerit, eundem non obtemperantem unius Horę multet emolumentis. Ad hymnum: *Te Deum laudamus*, pſallentes choro contineat, ne ipſum ſolum ibi manere contingat. Duo quoque ſcamna tapetibus ſtrata, pro ſacris concionibus audiendis antequam incipiatur Prima: unum verò ſimili tapete ornatum ante horam Veſperarum, quoties in eis futuri ſunt cappigeri, afferri, & opportuno tempore apponi faciat. Patentes Eccleſiæ fontes ſingulis diebus Dominicis mundari, & aquam benedictam (quę eiſdem ſingulis Dominicis diebus benedicatur) ſemper continere provideat, ac ſuis omnes officiis quando & quomodo oportet incumbere, accuratè prȩcipiat. Egrediendi denique chorum iis dumtaxat, qui juxta prȩſcriptæ erectionis tenorem urgenti aliqua neceſſitate laboraverint, licentiam concedat.

CAPUT XVI.

De iis quæ cæremoniarum magiſter erga ingredientes chorum præſtare tenetur.

§. I.

CÆremoniarum magiſtro [ſ], perſonis, tam ſecularibus, quàm aliarum Cathedralium Eccleſiarum capitularibus, quibus ex ſanctę hujus Synodi permiſſione chorum ingredi licet, obviam exire, eaſque ad locum ubi ſeſſurę ſint, qua decet modeſtia, urbanitate, ac reverentia comitari, & in earum ſedibus collocare, incumbat. Difficultatem verò, ſeu dubitationem (ſi qua in hoc rerum genere orta fuerit) idem cęremoniarum magiſter cum Prælato, & in ejus abſentia, cum præſidente pro tempore exiſtenti conferat, ut quid potiſſimùm agendum ſit decernatur, decretumque magiſter hujuſmodi ſine aliquo defectu perficiat.

§. III.

QUI tamen, ſi vel in loci aſſignatione, vel in cujuſvis alterius rei exſecutione, arbitrio ſuo quidvis aliud egerit, vel in aliquo defecerit, ejuſdem prȩſidentis judicio multetur. Cùm autem niſi cęremoniarum magiſtro in ejus officio ab omni pareatur, convenientem divini cultus ordinem con-

[r] Ex conſuet. Granatenſi cap. 27. & 28.

[ſ] Ex Eccleſia Compoſtellana à cap. 17. uſque ad cap. 22.

confundi oporteat; iccircò hæc ſancta Synodus quoſcumque hujus & aliarum Cathedralium Eccleſiarum novæ Hiſpaniæ Prælatos, nunc & pro tempore exiſtentes, hortatur in Domino, ut quotieſcumque per cæremoniarum magiſtrum de aliqua cæremonia vel laudabili conſuetudine ſervari debita admoniti fuerint, eundem benignè ſuſcipiant, ac ejus animadverſionem opere exſequantur; ut & ipſi ſuis decenter officiis reſpondeant, & ſuo alios exemplo ad obediendum eidem cæremoniarum magiſtro moveant. Reliquis autem omnibus Beneficiatis, cappellanis, & miniſtris Eccleſiaſticis injungit ac præcipit, ut ipſum cæremoniarum magiſtrum in ejus officio venerentur, eiſque morem gerant. Qui ex ſupradictis contrafecerint, primò unius Horæ, ſecundò integri diei, ac tertiò unius hebdomadæ emolumentis multentur.

CAPUT XVII.

De ordine per capitulum capitulariter egrediens ſervando.

§. I.

QUando Prælatus, & capitulum aliquam Eccleſiam, vel monaſterium, vel eremitorium proceſſionis ordine adiverint, ſolenniter exire, & procedere, ac divinis officiis ordine atque ſilentio ſervatis aſſiſtere debent, ut & ſacrorum rituum quibus utuntur, decentiæ ſatisfaciant, & quò magis totius populi oculis exponuntur, eò majora Eccleſiaſticæ honeſtatis documenta perhibeant. Proinde hac ſancta Synodo decernente ſtatuitur & ordinatur, ut quoties capitulares ab Eccleſia proceſſionis ordine, ſive voti, ſive funeris gratiâ, quomodolibet exierint; ſuperpelliceis ornati, ac pro temporis per hęc ſtatuta ſuperiùs deſignati exigentia, cappis etiam ſuperinduti, cappellanis ſimiliter & miniſtris ſuperpellicea gerentibus, incedant. Quòd ſi celebrandi alibi cauſsâ, capitularis proceſſio fiat; pretioſioribus ornamentis ex conveniente eidem feſtivitati colore, presbyter quidem albâ & pluviali indutus, ſolitoque birreto contectus, uſque ad celebrationis hujuſmodi locum, ubi planetam accipiat; miniſtri verò albis dalmaticiſque præparati procedant. Si verò poſt meridiem hujuſmodi proceſſionis ordo ſit futurus, presbyter ac miniſtri preſcriptâ formâ decorati progrediantur. Cantores quoque ac tibicines ſemper, ut ſolent (niſi aliud proceſſio poſtulaverit) interſint. Omnes autem ordine ſuo euntes, ac divinis officiis aſſiſtentes, & debitis cęremoniis, & opportuno ſilentio utantur. Qui verò vel cum collateralibus colloquutus fuerit, vel nutibus ac ſignis luſerit, aut aliàs quomodolibet contra præmiſſa fecerit, præſidentis arbitrio multetur.

§. II.

ET quoniam ratio poſtulat, ut capitulum competentem locum ac ſedem habeat, ubi divinis officiis aſſiſtere poſſit; eadem ſancta Synodus cæremoniarum magiſtro decentem hujuſmodi locum prævidendi, ac majori ſacriſtæ, ut ſcamna & tapeta, ubi capitulum ordine ſuo ſedeat, & divinis officiis interſit (ita ut neque in his, neque in aliis ſedibus, die corporis Chriſti, & illius Octavis apponi ſolitis, aliquę ſæculares, vel etiam Eccleſiaſticæ perſonæ ſedere præſumant) deferri faciat, præcipiendi cur: mimprimis injungit.

CAPUT XVIII.

De magiſtri cappellæ officio, & cantoribus.

§. I.

EXperientiâ quotidianâ ſatis conſtat, quantum oporteat chori miniſtros & cantores à cappellæ magiſtro ſufficienter inſtrui, & quæ quoque die cantu figurato canenda ſint, ordinato ad id faciſtorio prævideri, ut divinorum officiorum ſolennitas digno ſemper honore celebretur. Quapropter neceſſe eſt, ut idem cappellę magiſter, tam prę miſſis, quàm aliis infraſcriptis ad ejus officium ex hujus ſanctę Synodi decreto ſpectantibus, operam ſuam diligenter impendat.

§. II.

IMprimis, ut ſingulis non feriatis diebus, ſtatim poſt Primam, quouſque pulſari ſinatur ad Miſſam, in loco intra Eccleſiam ad id ſpecialiter deſignando, ſcholam ad omnes, tam Beneficiatos quàm reliquos cantores, & Eccleſię miniſtros, atque ſervientes eò acceſſuros, in cantu figurato & contrapunto docendum & inſtruendum, tempore quo alia cantus firmi lectio per ſuccentorem habenda non impediatur, habere debeat. Quoties autem, niſi ex cauſſa infirmitatis vel abſentiæ à civitate, de Prælati & capituli licentia factæ, defecerit, juxta culpæ modum præſidentis arbitrio multetur. Quamdiu verò abfuerit vel ægrotaverit, aliquem ex cantoribus, judicio præſidentis magis idoneum, qui in ejus locum præfatæ lectioni ſine defectu prę ſit, ſubſtituat. Cui etiam eadem ſancta Synodus injungit, ut quę diebus feſtivis, præcipuè ſolennioribus, ac majoris hebdomadę officiis, Nativitatis quoque Domini die, ad Matutinum figurato cantu celebrandis, canenda ſunt, opportunè à cantoribus prę videri maximè curet: ne dum officium in choro peragitur, defectus aliquis præſentis populi aures offendat. Quòd ſi ob hujus diligentiæ omiſſionem, notabilis cantûs diſſonantia in choro contigerit; idem cappellę magiſter, ejus Horæ in qua ſic defecerit, ſalario multetur. Quia verò ad eundem cappellæ magiſtrum ſpectat, Miſſas, ac reliqua figurato cantu hujuſmodi decantanda eligere, ac deſignare; ita ut illa, & non

* Ex Eccleſia Compoſtel. c. 28. ‖ Ex Eccleſia Compoſtellà 24, & ex collecta Granat. cap. 31.

non alia cantari debeant; eidem propterea injungitur, ut quemadmodum quæ ipſe compoſuerit, cantari, prout æquum eſt, faciet: ſic etiam quę ab aliis inſignibus muſicis compoſita repererit, ſimiliter cani faciat. Cùm in hac celebri Eccleſia, ad quam undecumque concurritur, omne muſicarum genus, à diverſis auctoribus adinventum, cantari deceat, quo cantores in cujuſvis generis muſica exercitentur, atque adeò aſſueſcant, & peritiores evadant.

§. III.

OPortet etiã, ut à cantoribus, tibicinibus, & chori miniſtris, eidẽ cappellæ magiſtro in ejus officio reverenter pareatur. Et ideo eadẽ ſancta Synodus prȩcipit & mandat, ut quod idem cappellę magiſter cantoribus & chori miniſtris decantandum, tibicinibus verò & organiſtę ſonandum commiſerit, ac quibuſlibet illorum quippiam, vel ad chori faciſtorium dicere, vel ſuper cantu firmo contrapunctum facere, vel ad organi ſonitum concinere; vel denique in reliquis ad ejuſdem magiſtri officium pertinentibus injunxerit; id ipſum ab omnibus & ſingulis ſupradictis, ſine aliqua excuſatione aut mora perficiatur. Qui verò ejuſdem magiſtri commiſſa, & injuncta hujuſmodi non egerit, præſidentis arbitrio multetur.

§. IV.

PRęcipit ſimiliter eadem ſancta Synodus, ut ſingulis Dominicis, & aliis obſervari ſolitis feſtivis diebus, in quibus ad organi ſonitum canendum fuerit; idem cappellę magiſter, & cantores, initio Tertię & Veſperarum, videlicet ad, *Deus in adjutorium meum &c.* chorum ingrediantur, ut tam ad antiphonam, *Aſperges*, quàm ad pſalmodiam, quàm etiam ad contrapunctũ, ſuper eiſdem pſalmis intonandum prompti & parati exiſtant. Quòd ſi vel cappellę magiſter, vel cantores hujuſmodi prædicto tempore ingreſſi non fuerint, attento parvo eorum ſalario, moderatè multentur.

§. V.

UT autem cantores dexteriores evadant, ordinat eadem ſancta Synodus, ut ii quos cappellæ magiſter inſtructione egere dixerit, lectioni muſicę, de qua ſuperiùs fit mentio, intereſſe teneantur. Qui verò ex ſupradictis lectioni hujuſmodi, niſi ob adverſam valetudinem, vel abſentiam ab hac civitate de legitima licentia factam, defuerit, prȩſidentis arbitrio etiam moderatè multetur.

§. VI.

ET quoniam ſępè contingit, unico abſente cantore, chorum muſicorum imperfectum manere, ac proinde decentem ſolennitatibus ornatum & ſplendorem deſiderari. Et experientia docet, ex aliquorum prębendatorum (qui etiam cantores ſunt) abſentia, notabiles interveniſſe defectus; iccircò ſancta hęc Mexicana Synodus decernit & mandat, ut nulli prębendato cantoris munus habenti, vel ad Veſperas, vel per totum cujuslibet feſtivitatis muſicam requirentis diem, capere requiem liceat: ſed prębendati hujuſmodi, qui cantorum ſalario fruuntur, ea ipſa, ad quę alii cantores non prębendati tenerentur, niſi hebdomadarii fuerint; ac propterea, in aliquo ejus hebdomadę miniſterio occupati exiſtant, ſervare ſimiliter debeant. Qui autem contra hanc ordinationem fecerint, multę ſubjaceant.

§. VII.

INſuper idem magiſter & cantores, in omnibus Dominicis Paſchalium feſtivitatum diebus, ad primas & ſecundas Veſperas Domini Sabaoth, in reliquis etiam Dominicis, & Beatæ Mariæ feſtivitatibus obſervari ſolitis, ad primas Veſperas, primum, tertium, & quintum pſalmum; ad Matutinum verò, canticum *Benedictus*, alternis cum organo verſibus, eâ muſicæ differentiâ, quæ *fabordon* dicitur; hymnum tamen, & canticum *Magnificat*, tam ad eaſdem primas, quàm ad ſecundas Veſperas, totam quoque Miſſam, non ſolùm in præmiſſis feſtivitatibus, ſed etiam in aliis duplicibus majoribus ſimiliter obſervari ſolitis, cantu figurato canere teneantur.

§. VIII.

PRÆTEREA, à prima die ſabbathi Quadrageſimalis uſque ad feriam tertiam majoris hebdomadæ incluſivè, antiphonã *Salve Regina*; & tam in Nativitatis, & Epiphaniæ Domini diebus, quàm in Aſſumptionis, ac Nativitatis Beatæ Mariæ, & aliis pro tempore nominandis feſtivitatibus, cantilenas rythmicas, devotas quidem & honeſtas, ac per Prælatum approbatas, ac in Dominica palmarum Paſſionem Domini, & in majori hebdomada primas ad Matutinum lamentationes, aliaque officia eiſdem in tabula committenda, cantare debeant.

STATUTORUM PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De capitulis in Eccleſia habendis, illorumque tempore, & aſſiſtentię modo.

§. I.

DUobus * cujuslibet hebdomadę diebus, per Eccleſiarum hujus Archiepiſcopatus & provinciæ erectionem deſignatis, capitulares ad capitulum congregari debent: quacumque videlicet tertia feria, ut de temporalibus ad menſæ capitularis & fabricæ bona ſpectantibus negotiis agant: qualibet quoque ſexta feria, ut de ſpiritualibus rebus, ad divini cultus reformationem pertinentibus differant.

Ad

* Ex Eccleſ. Compoſtel. c. 95, 96, 97, 98, & 99. Conſt. Granat. c. 60. tit. *De Cabildo.*

Ad illud [7] verò non niſi poſt horarum canonicarum officium, nempe poſt Primam, quouſque Tertia, vel Sexta dicenda ſit, vel poſt Miſſæ majoris celebrationem accedant. Ita ut tam ad prębendarum, Beneficiorumque ſuorum obligationem & ſcopum (qui divinus eſt ritus) quàm ad congregationis capitulares, quæ, vel præſcripto, vel veſpertino, poſt horarum recitationem, tempore haberi poſſunt, potiùs attendant.

§. II.

CUmprimùm locum capituli ingreſſi fuerint, ad ſacram ibi propoſitam imaginem ſinguli preces fundant; ac ſervato antiquitatis ordine, ſuo quiſque loco ſedeat. Poſt hæc præſidens ſe ſigno ſanctæ crucis ſignet, ac intelligibili voce dicat: *Sancti Spiritus adſit nobis gratia, &c.* Et: *Adjutorium noſtrum, &c.* Orationem ſancti Spiritus: *Domine, &c.* Et: *Actiones noſtras, &c.*

§. III.

SExtis feriis [7], de competenti altaris & chori miniſterio, ut defectus (ſi qui fuerint) emendentur, & in futurum caveantur, ac inobedientes pro culpæ modo multentur, potiſſimùm agant. Ita ut præſidens ad decentiam, honeſtatem, ſilentium, attentionem, ac devotionem, & id genus alia, Deo miniſtrantibus neceſſaria, capitulares publicè adhortetur, ipſoſque iis præcipuè virtutibus incumbere, quibus chori decentiæ & injuncto ſibi muneri ſatisfaciant, ut hoc laudabili exemplo reliqui Eccleſiæ miniſtri ad ſimilem divini cultus obſervantiam excitentur, identidem moneat: & ſi opus fuerit, ſuccentorem, punctatorem, cęremoniarum magiſtrum, ac cæteros officiales vocari faciat, animadvertat, & corrigat, quatenus Dei optimi maximi obſequio ejuſque cultui felicioribus augmentis incumbant.

§. IV.

TErtiis verò feriis, de temporalibus, tam menſæ capitularis bona, quàm quævis alia negotia concernentibus rebus deliberent. Ita ut nonniſi præſidens, aut de illius & capituli licentia quivis, capitularibus omnibus interea tacentibus, & attentè auſcultantibus, occurrentia negotia proponat.

§. V.

HIC verò in ſuffragiis ferendis ſervetur modus, ut priùs res propoſita ab omnibus, non ſolùm bene audiatur, ſed etiam ſi ardua fuerit, per convenientem ſine clamoribus collocutionem diſcutiatur. Ac ſi adhuc talis fuerit, quæ maturiori conſultatione indigeat, de majoris partis ejuſdem capituli ſententia ad alium diem * deferatur: ſin minus, illicò reſolvatur. Tuncque ante omnes prędidens brevi ac compendioſo loquendi modo (quo etiam reliqui utantur) ſuffragium ferat; deinde ſinguli, ſervato antiquitatis ordine, ſuam ſimiliter ſententiam dicant; ita ut nullus aliorum, vel ſermonem intercipiat, vel ſententiam reſumat, vel etiam reprehendat: ſed quilibet quicquid, inſpirante Domino, ſenſerit, nemine id ægrè ferente, aut aliquo modo impediente, liberè ibi pronunciet. Sui quiſque ſermonis initio ac fine, aliquam nudato capite inclinationem capitulo, verſus præſidentem, cui etiam ſermo dirigendus eſt, faciat. Prælato autem ibi præſidente capitularis locuturus, poſtquam nudo ſimiliter capite ſe erexerit, ac iterum ſedens cooperto capite ſuam ſententiam protulerit; rurſus detracto pileo ſurgat, ac inclinato corpore eidem Prelato reverentiam præſtet. Sic igitur omnes [a] ſuffragia ferant, & primi noviſſimos, ſicut ab eis auditi ſunt, patienter audiant. Qui autem alterius ſuffragium interruperit, quatuor regalium primò, octo verò ſecundò, ac ſi perſeveraverit, multiplicatâ eorundem regalium pœnâ, quæ in quadranti irremiſſibiliter exſequenda ſignetur, juxta hujus Synodi Provincialis decreta puniatur.

§. VI.

OMnium deinde ſuffragia, quantumvis fuerint inter ſe contraria, præſidens reſumat, & colligat, & quod eorum pars major deliberaverit, hoc tamquam potiſſimum tenendum fore declaret. Idque per ſecretarium capituli, nihil propterea dolentibus iis qui contrarium ſenſerint, faciat in actis annotari. Si quis autem ſe ab ea capituli deliberatione ſic annotata gravari proteſtatus fuerit; proteſtationem hujuſmodi idem prędidens apud acta capitularia ſcribi, illaque cum opportuna actorum inſertione, in forma fidem faciente conſcriptam, eidem proteſtanti, ut ſi voluerit ad competentem judicem recurrat, ab eodem ſecretario gratis dari præcipiat. Ea autem negotia quæ juſtitiam concernent, non ex capituli ſuffragiis, ſed ipſius, advocatorum ſententiâ, prout juſtitia popoſcerit, explicentur. Quoties verò ſimiles caſus contigerint, Jurisperiti ab omni affectione immunes, & quoad fieri poſſit non capitulares, conſulantur. Et quoniam in actibus capitularibus hujuſmodi nonnullæ ſæpè diſcordiæ, inimicitiæ, ac diſcuſſiones exoriri ſolent; ideo hæc ſancta Synodus omnes in Chriſto monet, ut modeſtis ac temperatis verbis, & quibus nemo lædi poſſit, utantur. Quòd ſi quis adversùs alium inhoneſtè aut injuriosè locutus fuerit; ſtatim ſex dierum emolumentis, & graviori, ſi opus fuerit, pœnâ, per majorem capituli partem, juxta exceſsûs & ſcandali qualitatem moderandâ, multetur. Cujus quidem pœnæ exſecutio omni prorſus appellatione poſtpoſita fiat, ut ſic damnis majoribus quæ evenire poſſent, occurratur: paxque & unitas Eccleſiaſticis perſonis digna ſervetur, ac ejus generis culpę, quæ Prælatum, & ejus vicarium latere poſſunt, aliqua punitione corriganrur.

Lo-

---

7 Conc. Milan. 3. tit. *De his quæ ad capit. pertinent.* Conc Compoſtel. act. 2. d. 7. & Conc. Toler. act. 3. c. 12. Statutum Eccleſiæ Compoſtel. c. 93. & Limen. 2. c. 74. Milan. 1. p. 2. tit. *De his qui dignit. perſonatus aut canonicatus habent.* verb. *Canonici*, Juvat Concil. Milan. 3. tit. *De his quæ ad capit. pertinent.*

7 Conc. Compoſtel. act. 3. ſtatut. Compoſtel. c. 99. * Differatur.

a Lib. 3. tit. *De Beneficiatis Cathed. Eccleſ. §. 2.*

Locum capituli nullus niſi ſuperpelliceo, ac tempore exigente, etiam cappâ indutus, ſub amiſſionis ſuffragii pœna ingrediatur; ut ſic omnes hujus Archiepiſcopatus & provinciæ Eccleſiæ laudabilem conſuetudinem, ac traditionem, quam in hoc tenuerunt, teneant.

§. VII.

NUllus capitularis Dei domini noſtri, aut glorioſæ matris ejus, aut cujuſvis Sanctorum nomen juret. Qui verò ſemel per præſidentem monitus adhuc juraverit, unius mineralis * pondo Eccleſiæ fabricæ applicãdi, & in quadranti ad hunc effectum ſignandi pœnâ multetur. Idque non ſolùm in capitulo, ſed etiam in choro, & qualibet Eccleſiæ parte ſervetur. Ita ut quilibet capitularis fratrem ſuum jurantem monere, eundemque, ſi contumax fuerit, præſidenti, qui ipſum præſcriptâ pœnâ corripiat, denunciare curet.

§. VIII.

CApitularium in capitulo exiſtentium nullus ad aliquid loquendum, niſi in forma ſuperiùs expreſſa ſurgat à loco ſuo, ubi quiete quouſque capitulum finiatur, ſedere debet: nec inde, niſi de præſidentis licentia, ſub emolumentorum unius horæ illius diei multâ, egrediatur.

§. IX.

SI aliqua ex cauſſa quiſpiam ex capitularibus enſem, aut mucronem, aut aliud telum in Eccleſia vel choro attulerit, pro delicti perſonæ, & loci qualitate, arbitrio Ordinarii plectatur.

§. X.

QUoties alicujus negotii tractati ſecretum capitularibus ex eorundem pro majori parte ſententia indicendum fuerit, ſub pœna præſtiti juramenti indicatur; aut ſi eidem capitulo videbitur, novum de ſecreto ſervando juramentum ab omnibus præſtetur: & qui jurare noluerit, unius, aut (ſi videbitur) plurium dierum emolumentis multetur, ac ſuffragio privatus extra capitulum fiat.

§. XI.

CApitularis autem, de cujus, aut fratris, aut propinqui negotio agitur, & qui, vel à capitulari offenſus eſſe, vel capitularem offendiſſe prætenditur, capitulo, quamdiu ſuper hujuſmodi rebus conſultabitur, non interſit.

§. XII.

CApitulares autem ad capitulum convocare, decano in Eccleſia exiſtenti; ſin minus, Dignitati, aut canonico ſeniori: extra Eccleſiam verò, ſimiliter decano in civitate degenti, & eo abſente, Dignitati, vel canonico hujuſmodi ſeniori, incumbat. At ſi aliquando tale negotium occurrerit, quod ſolitum capituli diem exſpectare non poſſit, ac decanus, vel eo abſente, præſidens per aliquos capitulares requiſitus, capitulum congregare noluerit; duo vel tres capitulares, ne hujuſmodi negotium pereat, aut deteriùs fiat, capitulum intimari faciant: quo caſu ceſſante, nemo ſub gravi, quam ſubeat, pœna, capitulares ad capitulum vocare præſumat.

§. XIII.

NEgotiorum omnium occurrentium decanus, aut capituli præſidens rationem habeat, ut illa omni mora poſtpoſita, prout oportuerit expediantur. Itaque non de pluribus ſimul agi permittat; ſed quod primò propoſitum fuerit, ante reliqua omnia definiatur & concludatur. Negotium verò ſemel definitum; quantumvis aliquis capitularis, qui definitioni hujuſmodi defuerit de novo ingrediatur; niſi de totius capituli mandato, iterum conſultari, aut per ſuffragia diffiniri non poſſit, cùm abſentes capitulares, de ſic deliberatis, ac diffinitis, poſtea informari valeant.

* *Forté*: minæ regalis.

§. XIV.

TAm literæ tranſmittendæ, quàm ſingula ſolutionum & expenſarum juſſu capituli faciendarum mandata, necnon procurationum, obligationum, ac proviſionum capitularium inſtrumenta, ejus capituli nomine, ſubſcribenda per quatuor capitulares (nempe Dignitatem, canonicum, integrum, ac dimidium portionarium, alternatim ſingulis quibuſque menſibus, incipiendo ab antiquioribus) deputandos, quamvis ipſi in præmiſſorum deliberatione cantrarium ſenſerint, ſub pœna ipſius capituli arbitrio infligenda, ſubſcribantur duo, quolibet anno, ex capitularibus ad id magis idoneis, procedendo à dignitatibus. Calculatores, nominentur, qui ſimul cum ſecretario capituli, & computatore totius maſſæ, inſpecta punctatoris chori relatione, calculos ac diſtributiones menſæ capitularis, omnibus Beneficiatis, officialibus, & chori miniſtris, juxta quotam cujuslibet illorum partem, ac ſalarium competentes, faciant.

§. XV.

QUotieſcumque aliqua perpetui, vel redimibilis ſenſus translatio, juxta Motus proprii felicis recordationis Pii Papæ V. formam, aut quævis alia ſimilis ſcriptura contractûs facienda ſit, capitulares omnes per diem antè, ut moris eſt, convocentur, quatenus an pro eodem precio cenſum hujuſmodi accipere, illumque alicui Beneficiato, nonniſi ſub ſeveriſſima cautione (ſuper quo hæc ſancta Synodus eiſdem capitularibus conſcientias onerat) locare velint, maturè deliberent.

§. XVI.

OMNES verò regiæ proviſiones, ac literæ, quæ pro tempore capitulo tranſmittentur, in eodem capitulo per ejus ſecretarium legantur: ac ſi alicujus momenti fuerint, notatis datæ ac receptionis ipſarum diebus, ſtatim in præſidentis (cui hoc in primis injungitur) præſentia per eundem ſecretarium ſub fideli archivi cuſtodia reponantur.

§. XVII.

INcumbit autem capitulo, aliquem capitularem divini cultus zelo ac diligentia ferventem à Prælato approbandum deputare, qui ſacrorum cuſtodias, bibliothecas, reſque omnes Eccleſiæ videndi, & quid reparatione, aut mutatione indigeat, advertendi, ſepulturas quoque ſignandi ac diſtinguendi curam ſuſcipiat,

§. XVIII.

COmputator totius maſſæ per Prælatum & capitulum nominandus, calculos diſtinguere, ac rationes ab omnibus reddituum decimalium pro tempore exiſtentibus œconomis ſimul vel diviſim exigere; quæcumque item pecuniarum juſſu capituli ſolvendarum mandata conſiderare, & in aliquo ad hoc ſpecialiter habendo, ac ſub archivi [b] (quod ex decreto hujus ſanctę Synodi erigi debet) cuſtodia ſervando libro annotare teneatur.

§. XIX.

PRæmiſſa verò omnia & ſingula, ſicut prefertur, ordinata & ſtatuta, primus omnium decanus, ſeu preſidens, quicumque pro tempore fuerit, tam in choro, quàm in capitulo ſervet & opere compleat. Quod ſi non fecerit, non ſolùm in iis, quibus ipſe alios multare poteſt; ſed ſi viſum fuerit, etiam in pluribus in capitulo multetur. Nihil autem præter hujuſmodi ordinationes, vel propria auctoritate, vel ſine expreſſa capituli deliberatione ac ſententia faciat, nec aliquibus magis quàm aliis favorem vel opem præſtet; ſed erga omnes capitulares & Beneficiatos, ac in univerſum quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, modeſtè & urbanè ſe gerat. Qui etiam è converſo ab omnibus honoretur, ac veneretur. Ita ut quando exceſſerit aut defecerit, non publicè, ſed in capitulo, vel ſeparatim reprehendatur.

CAPUT II.

Quomodo & quando convocanda ſint capitula ante diem.

§. I.

QUando [c] grave aliquid negotium ex jam conſideratis, ad quod omnes congregandi ſunt, occurrerit, vel de novo ſucceſſerit, quamvis in ordinariis capituli diebus tractandum veniat; præſidens ſceptrigero, ut capitulares omnes ad capitulum vocet præcipiat, ad caſus videlicet ſequentes.

Ad aſſignandum [d] pro officio alicui committendo ſalarium, & ad aliquid capitulo proprium ſine ullo eorum quæ ſancta hæc Synodus ſuper hoc decreverit præjudicio aliis condonandum.

Ad nominandum etiam punctatorem, calculatores, œconomos, cæremoniarum magiſtrum, Eccleſię cappellanos, miniſtros, & famulos, alioſque quoſcumque, tam menſę capitularis, quàm aliarum rerum officiales, capitulo deputandos, eoſque ſalva in omnibus præcipua Prælati poteſtate, juxta Juris diſpoſitionem, ac ſacri Concilii Tridentini [e], hujuſque ſanctæ Provincialis Synodi decreta removendum.

Præterea, ad reſpondendum quibuſvis alicujus momenti Regię vel Romanæ curiæ literis, vel procuratores conſtituendum, vel capitulum ad aliquid obligandum, vel etiam lites & cauſſas movendum, aut motas proſequendum.

Inſuper, ad poſſeſſionem alicui capitulari noviter admittendo tradendum.

Ad quodvis etiam legatum capitulo relictum acceptandum.

Necnon ad nuncios, tam ex Beneficiatis, quàm ex aliis non Beneficiatis, quocumque opus fuerit mittendum.

Ad quæcumque item Eccleſię, aut menſę capitularis bona ſtabilia permutandum, vel alienandum, vel transferendum.

Ad quamlibet quoque rem, Eccleſiæ ſtatum concernentem, mutandum & ordinandum.

Denique ad ea quæ ſemel deliberata & definita fuerint à capitulo revocandum & annullandum.

§. II.

AD premiſſa igitur omnia & ſingula, & ex noviter occurrentibus quęcumque capitulo bene viſa, quamvis ordinariis diebus, tertiis videlicet ac ſextis feriis, tractanda ſint; capitulares omnes in civitate pro tempore exiſtentes, per ſceptrigerum, qui capitulum ad nulla negotia ſpecialem convocationem requirentia, congregari ſingulis illorum denunciet, ante diem vocentur.

§. III.

SI autem aliis non ordinariis capituli diebus, negotia hujuſmodi de novo occurrerint, dum capitulares omnes tunc in civitate degentes in Eccleſia reperiuntur; ibi etiam ad capitulum ſtatim habendum congregentur. Adveniente verò ſolita capituli hora, quicumque illi intervenerint, tam prænniſſa, ad quæ ſpecialiter vocati fuerint, quàm quæcumque alia preterea occurrentia, reliquis, vel non venientibus, vel ſi, ut prefertur, legitimè occupati exiſtant, ſuffragium non mittentibus, deliberent ac diffiniant.

CAPUT III.

De capitulo in choro non niſi de levibus rebus habendo.

§. I.

VOlens preterea hęc ſancta Synodus, pluribus abſurdis ex habito in choro capitulo hactenus exortis occaſionem tollere; capitularibus omnibus pro tempore exiſten-

[b] Lib. 3. tit. *De rebus Eccleſ. conſervan.* §. 6. & 7.
[c] Ex ſtylo & conſuet. Gran. c. 60. tit. *Del Cabildo* §. 5. comienza: *Quando algun negocio huviere.* [d] Lib. 3. tit. *De rebus Eccleſ.* §. 2. [e] Seſſ. 25. c. 6. lib. 1. tit. *De majoritate & obedien.* §. 1.

ſentibus, ne *f* deinceps in choro, aut alibi, quàm in loco ad id ſpecialiter deputato capitulariter convenire, aut de negotiis ſemel in capitulo diffinitis, vel diffiniri cœptis, aut aliàs gravibus, deducibiles hinc inde rationes habentibus, agere poſſint, in futurum prohibet. Et nihilominus, ut quoties neceſſitas, quę congregationem in loco ſolito habendam exſpectare non debeat, fuerit, aliqua levia ad felicius & ornatius Eccleſię miniſterium, & non aliter dirigenda negotia deliberare & providere valeant, permittit.

CAPUT IV.

De generali capitulo, binis quibuſque menſibus habendo.

§. I.

INſuper, ut ſingulę hujus provincię Eccleſię auctiori ſpiritualium temporaliumque bonorum cumulo, ac ſplendidiori Beneficiatorumque atque ſervientium miniſterio ſemper vigeant; eadem ſancta Synodus ſtatuit, ut *g* præter ordinaria ſingulis hebdomadis modo præmiſſo habenda capitula; unum generale extraordinarium binis quibuſque menſibus, die à præſidente per expreſſum Prælati mandatum deſignando, capitulum habeatur: ad quod capitulares omnes per ſceptrigerum quatuor antè diebus vocentur, ut ibi tam de litium, cauſſarumque pro capitulo, aut contra ipſum pendentium ſtatu, diligentiis factis vel omiſſis, utilitate vel damno, reparatione quoque vel directione; quàm de completa vel incompleta decimarum exactione, & quacumque œconomorum, tum pro maſſa, tum pro fabrica deputatorum, ſi qua fuerit, in exigendo negligentia, vel colluſione, exactarumque rerum, ac pecuniarium partibilium quantitate, diligenter ab omnibus conſultetur; ac de neceſſario & opportuno remedio in omnibus, maximeque in rebus divini cultus decentiam, officiorumque celebrationem concernentibus, provideatur.

CAPUT V.

De negotiis gratiam vel juſtitiam concernentibus.

AD tollendum verò omne dubium & diſſenſionum, quæ ſæpè in Communitatibus ex ignorantia procedunt, materiam; hæc ſancta Synodus declarat *h*, illa gratiæ negotia vocari, quæ in mera ejuſmodi gratiam facientis voluntate conſiſtunt, nullamque petenti actionem juridicam tribuunt: quæ ſi majori capituli parti viſum fuerit, ſecretis ſuffragiis capitularium libertati & paci magis opportunis diffiniantur. Quæ autem petenti jus & actionem in judicio competentem præbent, ea juſtitiæ negotia nuncupari; quæ tamquam talia, ſive publicis, ſive de majoris partis capituli ſententia ſecretis hujuſmodi ſuffragiis, omni mora poſtpoſita, conſulantur ac deliberentur. Ita ut quę ſimilibus juſtitiam concernentibus rebus, à capitulo pro majori parte definita fuerint, ſi cætera de jure neceſſaria concurrant, exſecutioni mandentur.

§. II.

ORdinat præterea eadem Synodus, ut quoties aliquod gratiæ negotium capitulo propoſitum negari, decretumque capitulare deſuper factum ſemel publicare contigerit; illud per ſuffragia iterum deliberari nullatenus poſſit: nec aliquis capitularis contra prędictum de ſecreto ſervando juramentum, vel adversùs alium capitularem quippiam manifeſtare, dicere, aut inſinuare directè vel indirectè præſumat. Pro cujus ordinationis obſervantia, eadem ſancta Synodus præſidentis conſcientiam onerat. Capitulo pariter injungens, ut quoties prędictum præſidentem in præmiſſis exceſſiſſe repererit, eundem duorum dierum emolumentis multatum corripiat: cuilibet denique præbendato in ſanctæ obedientiæ virtute præcipiens, ut ſi capitulum hac in parte negligens eſſe cognoverit; Prælato, qui multam hujuſmodi, ut par eſt, decernat & exſequatur, prædictum præſidentis exceſſum fideliter exponat.

CAPUT VI.

De modo quo gratiæ in capitulo factæ contradici poteſt.

§. I.

CUM ſæpiùs evenire ſoleat, ut quamvis legitima capitularium convocatio per ſceptrigerum ante diem facta fuerit; aliquis tamen præbendatus, vel propter ægritudinem, vel aliam juſtam abſentiæ cauſſam, vel certè propter ejuſdem ſceptrigeri incuriam capitulo, in quo gratię negotium deliberatum fuit, intereſſe non potuerit, factamque hujuſmodi gratiam fieri non debuiſſe judicaverit; ideo hac perpetua Synodali conſtitutione decernitur, ut idem capitularis, qui ab eo capitulo abſens, interim tamen præſens in civitate fuerit, poſſit infra triduum, tam in capitulo, quàm coram capituli ſecretario, gratiæ, ut prędicitur, factæ, contradicere, proteſtatus in forma ſe eidem gratiæ in proximè habendo capitulo expreſsè contradicturum. Si verò præbendatus ut ſuprà contradicens, prędictæ convocationis tempore extra civitatem degerit, eandem gratiam modo & forma præmiſſis, infra octo dierum ſpatium impugnare valeat. Qua facta contradictione, gratia hujuſmodi ſuſpendatur, quouſque præbendato, qui ut præfertur contradixerit, interveniente, iterum ſecretis ſuffragiis, calculis vide-

f Ex conſt. Hiſp. c. 16. fol. 20. *g* Ex conſt. Hiſp. c. 73. fol. 174. & conduxit Eccl. Compoſtel. in ſuis ſtatutis c. 94. *h* Ex conſt. Hiſp. c. 95. & 96. & in ſtatutis Compoſt. à c. 108. uſque ad c. 111. & ex conſueta Granat. c. 60.

delicet albis ac nigris ſuffragantium libertati accomodatis deliberetur.

CAPUT VII.

Quomodo negotium per ſuffragia concluſum, iterum tractari non poſſit, & quando poſſit.

§. I.

NE capitularia decreta, quavis ex cauſſa, vel ad cujuſvis perſonæ inſtantiam quotidie revocentur; hæc ſancta Mexicana Synodus firma in poſterum ordinatione decernit & mandat, ut quicquid ſemel in capitulo deliberatum fuerit, ſive gratiam, ſive juſtitiam concernat, niſi juſta & urgens cauſſa ſupervenerit, iterum tractari minimè poſſit: tunc verò capitulares omnes, expoſita per ſceptrigerum ſufficienti ejus negotii ratione, ante diem vocentur, ita ut quotquot illud negotium aliquando decreverant, ejuſdem conſultationi rurſus interſint, & qui abſentes fuerint, ſub competenti deſuper aſſignando termino exſpectentur. Quòd ſi loci, in quo abſentes reperiuntur, diſtantia tanta fuerit, ut ex adventûs ipſorum exſpectatione grave aliquod diſcrimen vel inconveniens ſuboriri poſſe credatur, quod datis ſuffragiis, major capitularium pars deliberaverit, id ipſum, & nihil aliud exſecutioni mandetur: ſuper quo eadem Synodus conſcientiam præſidentis graviter onerat; & nihilominus præcipit, ut illius vel incuria vel malitia, per quemlibet capitularem Prælato, qui de opportuno remedio provideat, exponatur.

CAPUT VIII.

De horum ſtatutorum lectione ac repetitione.

§. I.

AD occurrendum excuſationibus ex affectata rerum ignorantia ſuboriri ſolitis, hæc ſancta Synodus inviolabili ſanctione conſtituit & mandat, ut hæc ipſa ſtatuta ſimul cum Cæremoniali per eandem Synodum in eis decreto & ordinato, quolibet ſecundo, poſt cujuſvis anni principium futuro capitulo publicè legantur, idque præſidens ſub pœna quatuor pondo monetæ harum partium (quæ ſtatim ſi negligens fuerit fabricæ ſolvat) accuratè perficiat: reliqui verò capitulares, quamcumque in præmiſſis notaverint præſidentis incuriam, Prælato, qui de neceſſario remedio provideat, indicare teneantur.

CAPUT IX.

Quomodo multæ per capitulares invicem remitti non debeant.

§. I.

UT quæcumque Prælati [i] ſententiæ, proviſiones, & mãdata debitam exſecutionem habeant, ac ſuprema ejus juriſdictio, & (quâ velut Eccleſiæ ſponſus ornatur) auctoritas optatum ſortiatur effectum; ordinat propterea & mandat ſancta hæc Mexicana Synodus, ea in pœnarum condemnationumque, atque multarum remiſſionibus obſervari, quę per eandem Synodum in titulo *De Beneficiatis* Cathedralium Eccleſiarum & eorum officio decreta & proviſa ſunt.

CAPUT X.

De ſecretarii capitularis officio & obligatione.

§. I.

AD neceſſariam & opportunam capitularium negotiorum expeditionem, hac ordinante Synodo, ſtatuitur, ut [k] ſecretarius capituli omnibus capitularibus actibus intereſſe, atque adeò extraordinariis quidem capituli diebus, velut capitularis quiſque vocatus. Ordinariis autem, etiam non vocatus, ad capitulum venire, locumque capitularem primus omnium ingredi, & in aliquo ibi ſub fideli capſæ cuſtodia ſervando libro, quo res capitulares contineantur, omnium cuique capitulo intervenientium præbendatorum nomina præmittere, & quæcumque in ejuſmodi capitulo deliberata fuerint ſcribere; impoſitas quoque multas punctis adnotare teneatur. Quoties autem capitulo defuerit, unius diei emolumento pro ſalarii rata multetur.

§. II.

TAm admiſſionis tempore, quàm quoties juſſus fuerit, ſolitum de ſervando actuum capitularium ſecreto juramentum, ſicut quivis præbendatus præſtare, idque pro negotiorum exigentia inviolabiliter obſervare debeat.

§. III.

QUi non ſolùm actus omnes capitulares, ſed etiam quæcumque ad capitulum ſpectantia inſtrumenta condat, omneſque ejuſdem capituli nomine mittendas literas, ſine ulla præter aſſignatum illi ſalarium mercede, componat & ſcribat.

§. IV.

OMnibus item calculis ac partitionibus à capitulo per calculatores ad id deputatos, quandocumque faciendis, interveniat, illoſque & illas ſub capſæ capitularis prædictę cuſtodia reponendos, ac reponendas regiſtret, & quæcumque neceſſaria tranſumpta ex illis accipiat.

§. V.

[i] Ex Eccleſ. Compoſtel. in ſuis ſtatutis cap. 112. lib. 3. *De Beneficiatis.* Cathed. Eccleſ. §. 2. & infrà. vide 4. p. cap. 20.

[k] Ex conſueta Granat. 61. cap.

§. V.

OMnia insuper & singula, sive à capitulo, sive à fabricæ, hospitalisve administratoribus deliberata, quæ ad œconomum dirigentur, pecuniarum mandata, faciat, & in eisdem actibus capitularibus similiter referat, ut debita illorum ratio habeatur.

§. VI.

QUemlibet quoque actum pro capituli parte quibuscumque personis notificandum, idem ipse notificet. Si secus fecerit, ejusdem capituli arbitrio imponendæ multę subjaceat.

§. VII.

SI capituli secretarius, reddituum quoque decimalium notarius existat, quicquid ex eorundem reddituum libro ad mensam capitularem pertinere repererit, extrahat; exactorumque, tam in fructibus quàm in pecuniis reddituum hujusmodi partitiones, ut ab œconomo singulis capitularibus persolvantur, absque ulla pro his recipienda mercede, tribuat.

CAPUT XI.

De sigillo capituli.

§. I.

HÆc præterea sancta Synodus Mexicana, abusus hactenus introductos de medio tollere, & ne similes introducantur in futurum providere desiderans; hac perpetuò permansura constitutione decernit, ut capituli sigillum in capsa sub tribus clavibus, unâ quidem penes decanum, vel ejus loco præsidentem, alterâ penes doctoralis præbendę canonicum, vel eo non existente, capitularem à majori parte capituli nominandum, tertiâ verò penes secretarium servandis, custodiatur: eisdem nihilominus prædictis clavium custodibus debitę officium fidelitatis injungens, ut nullas cujusvis generis literas præter illas, quæ à pleno capitulo deliberatæ fuerint, eodem sigillo sigillari permittant.

§. II.

ET ut dilucida rerum capitularium ratio suo tempore, & quoties quæsita fuerit, commodiùs reddatur, præcipit eadem Synodus, ut [l] præter alios libros capitulo pro tempore necessarios, certus aliquis (ad annotandum commissiones, legationes, deputationesque omnes, ab eodem capitulo factas) liber habeatur, qui secretario custodiendus, unà cum reliquis scripturis & actis, per inventarium consignetur, ut illum & illa quoties requisitus fuerit, exhibeat.

STATUTORUM
PARS TERTIA
CAPUT I.

De iis, quæ reddituum decimalium administratores agere debent.

§. I.

CUpiens aliàs summopere hæc sancta Synodus felici reddituum Ecclesiasticorum administrationi, utilitati, & incremento prospicere, & laudabilem Hispanicarum Ecclesiarum consuetudinem Cathedralibus hujus provinciæ Ecclesiis, in hoc potissimùm sequendam proponere; statuit & mandat, ut [m] duo præbendati (dignitas videlicet & canonicus) vel alii duo capitulares huic ministerio aptiores, à capitulo, assignata congrua juxta redditum quantitatem mercede, deputentur, qui unà cum eo, quem Prælatus negotiis quidem idoneum, & in promovendis redditibus exercitatum ad id nominaverit, decimales hujus Archiepiscopatus & provinciæ redditus annis singulis auctionentur, ita ut admittendis auctionum sponsionibus, ac deliberandis eorundem reddituum locationibus intersint, necessariasque ac sufficientes cautiones recipiant.

§. II.

EIdem etiam capitulo hęc ipsa Synodus injungit, ut viros aliquot deligat, qui Ecclesię fundos, prædia, domos, reditus, & quæcumque alia bona stabilia quotannis visitent, illorumque omnium statum, dispositionem, discrimen, & indigentiam eidem capitulo fideliter exponant. Quibus eadem Synodus conscientiam graviter onerat, nisi quibusvis amore, odio, ac humano lucro postpositis, Ecclesiæ utilitati, ac debito suæ visitationis muneri responderint.

CAPUT II.

De œconomis.

§. I.

UT autem Ecclesiasticorum bonorum securitati & indemnitati consulat hæc sancta Mexicana Synodus, ordinat & mandat, ut [n] œconomi à Prælato & capitulo nominandi sint in Christiana religione & conscientiæ rectitudine laudabiles, legales, sinceri, & communiter approbati; nec priùs admittantur, quàm idoneas, attenta bonorum eis consignandorum quantitate, cautiones præstiterint, ac unà cum fideijussoribus hujusmodi se in cujuslibet anni fine, si præscriptum solutionum reddituumque ac fundorum tempus id permiserit,

[l] Ex consueta Granat. cap. 61. [m] Ex statutis Compostel. cap. 79. & 80. & ex consueta Granat. cap. 60. in §. *Hazen las rentas decimales.* & §. *Las posesiones.* [n] Ex statutis Compostel. cap. 80. & 81.

ſerit, vel ad ſummum ſecundo anno peractè, dum tamen interim ipſorum œconomia durat, integram de diſpenſatis rationem & ſatisfactionem reddituros, ſub obligatione promiſerint.

CAPUT III.

De fabricæ bonis.

§. I.

QUia ſtabilium bonorum permanentia frequenti & opportuna viſitatione maximè indiget, ex hujus Mexicanæ Synodi decreto ordinatur atque præcipitur, ut deinceps fabricę [o] œconomus ſufficientem exigendorum exactorumque bonorum & expenſarum rationum petenti capitulo reddat. Domus quoque ac fundi ejuſdem fabricæ diligenter inſpiciantur, ac de illarum illorumque augmento & conditionum in eorundem locationibus appoſitarum impletione, cenſuum quoque & emphyteuſium duratione. De ipſius [p] denique fabricæ utilitate & proventu perquiratur: & quęcumque ſuper præmiſſis ſcripturæ, acta, & inſtrumenta fuerint, apud archivum, eâdem ſtatuente Synodo deputandum, ſub numero & ſpecificatione reponantur.

CAPUT IV.

De anniverſariis & commemorationibus.

§. I.

UT defunctorum [q] legata, commemorationes videlicet & anniverſaria, ultimarumque voluntatum diſpoſitiones in Cathedralibus Eccleſiis fundata, & in futurum fundanda, debitam exſecutionem & conſervationem habeant; hæc Synodus in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis illa ſervare, & exſecutioni mandare conſtituit, [r] quæ eâdem decernente Synodo, in titulo *De teſtamentis, inſtitutionibus, jure patronatûs, ſepulturis &c.* ſtatuta & ordinata ſunt: pro quorum complemento, is cui chori tabulam qualibet hebdomada ordinare incumbit, anniverſaria & Miſſarum officia hujuſmodi, per capituli ſecretarium quoties celebrari debent referenda, in eadem tabula notare teneatur, quatenus omnes incumbentia ſibi munera noſcant & exſequantur.

CAPUT V.

De ſcripturis Eccleſiæ, & earum cuſtodia.

§. I.

PRælatorum, capitulorumque curæ incumbit, univerſa Eccleſiæ bona, illorumque jura, ſcripturas, & inſtrumenta ſervare. Ideo hęc Mexicana Synodus omnibus capitulis injungit & mandat, ut [s] ea in ſcripturarum ſub inventario exprimendarum cuſtodia, & archivi, à quo nihil ſine Prælati licentia extrahatur, deputatione & clauſura obſervent & exſequantur, quæ eâdem Synodo ordinante, in titulo *De rebus Eccleſiæ conſervandis, vel non alienandis*, ſub pœnis in eis contentis decreta reperiuntur. Quando autem [t] Prælatus & capitulum, quibus in hoc conſcientia oneratur, aliquorum hujuſmodi bonorum alienationem, in evidentem fabricæ utilitatem cedere judicaverint; tunc niſi cætera omnia neceſſaria & requiſita, tam per jus commune, quàm per Apoſtolicas literas diſpoſita & ordinata præceſſerint, nihil innovetur. Si quid verò aliter factum fuerit, nullitatis vitio ſubjaceat.

CAPUT VI.

De candelis in die Purificationis Beatæ Mariæ diſtribuendis.

§. I.

IN candelarum diſtributione [u] die Purificationis Beatæ Mariæ facienda, prohibet eadem Synodus, vanos ac ſuperfluos cereorum ſumptus in poſterum fieri. Præcipiens nihilominus honeſtam cerę quantitatem Prælato, capitularibus, & omnibus Eccleſiæ miniſtris, atque ſervientibus neceſſariam provideri, eamque ipſius Eccleſiæ theſaurario, cui ſimul cum præſidente ejuſdem ceræ partitio incumbit, conſignari. Omnes quoque ſolenni ejuſdem feſtivitatis proceſſioni interventuros, quibus in hoc conſcientiam onerat, hortatur in Domino, ut ſinguli cereis accenſis, cum devotionis fervore, & ſpiritûs elevatione, quæ & ipſorum ſtatum, & illum actum deceat, procedant.

CAPUT VII.

De requie, ejuſque uſu ac tempore.

§. I.

QUamvis præmiſſæ [x] erectionis forma Cathedralium hujus Archiepiſcopatus & provinciæ Eccleſiarum capitularibus, qui præter quotidianas diſtributiones, nullos omnino fructus habent, aliquod pro requie tempus non aſſignet; & ſancta Synodus Tridentina [y] dum quibuſvis Eccleſiarum hujuſmodi præbendatis ultra tres menſes, ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe prohibet, earum Eccleſiarum conſtitutiones, quæ longius ſervitii tempus requirunt, intactas relinquat. Hoc tamen ſanctum Provinciale [z] Concilium humanę infirmitati aliquo, ut par eſt, indulgentię præſidio ſubvenire volens, quò ſuavior atque ferventior divinorum officiorum celebratio fiat; ſingulis [a] omnium Cathedralium Eccleſiarum hujus provincię præbendatis ſeptua-

---

[o] Ex ſtatutis Compoſtel. c. 78. [p] Lib. 5. tit. *De rebus Eccleſ. &c.* § 6. [q] Dict. tit. *De rebus Eccleſ.* §. 3. [r] Lib. 3. tit 7. 9. & 10. [s] Conc. Milan. 3. verbo: *Quæcumque cum ſeqq* [t] Lib. 3. tit. 8. n. 6. & 7. [u] Conſt. Mil. verbo: *Quod pietatis.* & 5. tit. *Quæ ad ſacramentalia & ſacramenta generatim pertinent.* [x] Ex conſueta Gran. c. 55. [y] Seſſ 24. c. 12 verb. *Præterea obtinentibus.* [z] Lib. 3. tit. *De clericis non reſidentibus.* §. 2. [a] Vbi ſuprà d. §. 2.

ptuaginta dierum requiem quolibet anno concedit; quemadmodum in titulo *De clericis non residentibus*, inviolabiliter observanda sanctione decrevit. Ad decidendum verò quascumque super hujus decreti & concessionis usu dubitationes pro tempore occurrentes, quę judicis ministerio indiguerint, idem Provinciale Concilium plenam cuilibet in sua diœcesi Prælato facultatem & auctoritatem tribuit, ut attentis temporis, personarum, negotiorumque circumstantiis, & habita tenuitatis reddituum, ac debitæ divinis officiis frequentię ratione, quę Dei ac Domini nostri obsequio, divinique cultus augmento potissimùm convenire judicaverit; ea deliberet, ordinet, atque provideat, prout pastorali ejus prudentię & solicitudini idem Concilium committit, & conscientię relinquit.

§. II.

DEclarat tamen eadem Mexicana Synodus, neminem præmissi decreti & indulti vigore à sua Ecclesia abesse posse in aliquo ex infrascriptis diebus, qui sunt:

TRES PRIORES PASCHALES DIES.
NATIVITATIS. } DOMINI.
RESURRECTIONIS. }
PENTECOSTES. }
CIRCUMCISIO. }
EPIPHANIA. }
ASCENSIO. }
CONCEPTIO. } B. MARIÆ.
NATIVITAS. }
ANNUNCIATIO. }
PURIFICATIO. }
ASSUMPTIO. }
FESTUM { SANCTISSIMÆ TRINITATIS. / CORPORIS CHRISTI.
FERIA QUARTA, QUINTA, ET SEXTA.
SABBATHUM majoris hebdomadę.
S. JOSEPHI.
S. JOANNIS BAPTISTÆ.
SS. PETRI ET PAULLI.
OMNIUM SANCTORUM.
FESTUM { COMMEMORATIO DEFUNCTORUM, usque ad finem Missę.
PATRONI generalis.
PATRONI titularis Ecclesiæ.

Omnes item Dominicæ Adventus, & cujusvis mensis tertiæ, quamdiu sanctissimæ Eucharistiæ processio duraverit. Omnes item dies Quadragesimæ.

§. III.

SImiliter hæc Synodus neminem septuaginta horum dierum de requie, nisi pro rata temporis, quo eidem Ecclesiæ inservierit, gaudere posse declarat. Si quis verò dum actuali unius prębendæ residentiæ integrè inservit, ad aliam in eadem Ecclesia promoveatur, ut par est, requie integrè gaudeat.

§. IV.

INsuper eadem Mexicana Synodus declarando subjungit, ut ad Matutinum pręcipuarum festivitatum superiùs expressarum, ne dum pręter Adventus, Quadragesimæ, ac tertias cujusque mensis Dominicas prębendati omnes interesse teneantur. Qui verò nisi ex veræ ægritudinis impedimento defuerit, prætèr illius horæ distributionem, sex etiam dierum statim in quadranti annotandorum, emolumentis irremissibiliter multetur; ita ut qui hanc pœnam quovis modo remiserit, eandem emolumentorum quantitatem fabricæ, ipso jure, absque ulla alia declaratione, in conscientia restituere debeat, juxta aliàs factam ab hac sancta [a] Synodo dispositionem.

CAPUT VIII.

De iis quæ amittit, qui prædicta requie utitur.

§. I.

RAtioni consentaneum est, ut propriæ voluptatis quietisque corporeæ oblitis, majus lucrum respondeat, quàm eis qui recreationi vacant. Iccircò hæc sancta Synodus Mexicana plurium dubitationum absurdorumque causas succidere cupiens; decernit & mandat, ut quamdiu aliquis prębendatus prædicta requie usus fuerit, interessentiis, obventionibus, funeribus, anniversariis, & manualibus, quę nonnisi verè & corporaliter præsentibus & residentibus dentur, absentiumque multis careat. Itaque dum in quadranti signum hoc R. requiem denotans habuerit, prębendæ suę acervo, seu grossâ dumtaxat fruatur. Ut autem quisque capitularis cetum remanentium sibi de hujusmodi requie dierum numerum facilè teneat; ex ejusdem Synodi mandato punctator in quadrantis margine, quos quisque de hujusmodi requie dies perceperit, adnotare teneatur.

CAPUT IX.

De iis quæ lucrari possunt prębendati, qui à Prælato occupantur.

§. I.

CUM quilibet Prælatus duos prębendatos in curæ suę pastoralis subsidium deligere & occupare Pontificio [b] jure possit; hac Mexicana declarante Synodo statuitur & ordinatur, duos capitulares hujusmodi à Prælato ad effectum prędictum nominandos, annuis suarum prębendarum emolumentis (præterquam obventionibus & manualibus, quæ nonnisi verè & realiter assistentibus, ut præfertur, dantur) integrè gaudere posse. Ita ut in celebrioribus [c] festivitatibus prędemissis, ad Matutinum & alias Horas, nisi tunc justo actua-

[a] Vbi suprà, lib. 3. tit. *De clericis non residentibus*, §. 2. [b] In cap. *De cætero*, in cap. *Ad audientiam*, *De clericis non residentibus*, & Conc. Trid. sess. 24. c. 12. *De reform.* Verbo: *Omnes verò.*

actualis occupationis impedimento caruerint, ſuper quo eorum conſcientia oneratur, intereſſe non debeant.

§. II.

QUicumque pręterea prębendati [e], qui Prælato alicubi extra ſuam Eccleſiam pontificaliter celebranti miniſtraverint, vel quos idem Prælatus à chori ingreſſu, vel ab eodem choro, etiam ante Miſſę, vel alterius Horæ finem, ad ſe vocaverit, perinde ac ſi verè & realiter divinis intereſſent, univerſa emolumenta lucrentur. Qui etiam ipſo Prælato mandante concionem in eadem Cathedrali Eccleſia habiturus fuerit, tribus ante concionem diebus (ſi tamen in illis ad Miſſam & Veſperas intefuerit) eorundem trium dierum obventionibus, & manualibus; ſicut alii verè preſentes, gaudeat. Si autem alibi ſine expreſſa ipſius Prælati juſſione verbum Dei predicare voluerit; nullis hujuſmodi intereſſentiis, ſed conceſſis pro requie diebus, ſi quos habuerit, fruatur.

§. III.

NE autem cuiquam egrediendi chorum ſimulata ſuffragetur occaſio, ſed omnes coram Deo in ſinceritate cordis ambulare ſtudeant; hæc ſancta Synodus illorum qui per fraudem aliquid lucrati fuerint, conſcientias ad illud ipſum reſtituendum ipſo jure teneri declarat.

STATUTORUM PARS QUARTA.

CAPUT I.

De patitur, *præbendatis ægrotantibus conceſſo* [f].

§. I.

PRębendatos adverſa valetudine laborantes favore per ſacros Canones [g] conceſſo proſequi volens hæc ſancta Synodus; decernit & mandat, ut quoties aliquis Eccleſiarum hujus Archiepiſcopatus & provincię præbendatus ægrotaverit, ad chorum venire non teneatur. Et nihilominus univerſis præbendæ ſuæ emolumentis & obventionibus, anniverſariis, & manualibus, quæ non niſi ab actualiter aſſiſtentibus percipiuntur, perinde, ac ſi divinis officiis intereſſet, gaudeat. Et quia leviſſima ex cauſſa plures dum rectè valent, ægritudinem ſimulant, ut hoc prętextu choro ſe ſubtrahant; quotquot hujuſmodi fuerint, hæc ſancta Synodus, & propriæ conſcientię onus, & ſcrutantis renes, & corda Dei judicium attendere commonet, ut omni prorſus cavillatione poſpoſita, ad interveniendum choro, ibique perpetuas Deo pro tot in nos collatis bonis laudes perſoldendum [h], ſe ipſos excitent, & quęcumque ſimulatæ ægritudinis cauſsâ bona perceperint, tamquam mala fide, & contra Dei legem parta, reſtituant.

§. II.

QUoties autem quis ab ægritudine in priſtinam Deo juvante ſalutem reſtitutus fuerit; cum primùm domo ſua exierit, nonniſi ſuperpelliceo indutus, rectâ viâ ad Eccleſiam, ejuſque chorum, debitas pro receptis viribus eidem Domino gratias acturus, tendat. Sed ſi tunc temporis ab Horis canonicis vacetur, aliquos præſati ſui adventus teſtes adhibeat, chorumque cum voluerit exeat. Quòd ſi quis, ut præfertur, convaleſcens, alio priùs quàm ad Eccleſiam ſe contulerit, præter omnes Horarum, quibus ægritudinis titulo defuerit, diſtributiones, totidem alia emolumenta amittat: ita ut ſi duobus ægritudinis cauſſâ diebus abſens à choro fuerit, dierum quatuor emolumentis multetur.

§. III.

CAppellani [i] quoque, & acolyti, quoties manifeſta ægritudine præpediti fuerint, ſimili abſentiæ beneficio gaudeant. Verùm quia ſępè numero plures illorum bene valentes ſe ægrotare affirmant, ut otio vacent; ideo prætenſas ipſorum ægritudines, eorum maximè qui ſine patenti cauſſa frequenter abſunt, videndi & examinandi cura præcipua punctatori incumbat.

CAPUT II.

De patitur, *præbendatis extra civitatem conceſſo*.

§. I.

QUotieſcumque capitularis qui requiem accepit, extra civitatem profectus fuerit, ibique in verum atque patentem morbum, qui fide digna judicis, vel ſacerdotis, vel notarii atteſtatione, addita juramenti ſolennitate probetur, inciderit; requie interim minimè computata, ægrotantium jure fruatur. Si tamen inde progrediatur ulteriùs, ceſſante hujuſmodi ægrotantium favore, præmiſſa requie iterum gaudeat: qui nihilominus ad civitatem rediens, ſi ipſum verè ægrotare conſtiterit, idem *patitur*, ut præfertur, habeat. Si verò de ipſius ægritudine non ſatis conſtiterit, primò dictam requiem recipiat.

§. II.

INſuper ordinatur & ſtatuitur, ut qui eodem ægrotantium beneficio, quod *patitur* dici ſolet, extra civitatem gaudere voluerit, illud in capitulo per ſe vel per alium petere debeat; non ut à ſuffragiorum eventu pendeat, ſed ut illius abſentia omnibus innoteſcat. Quod tamen nemini extra Epiſcopatum morari volenti, niſi ille ſalutiferum balneum, ſeu calidæ, frigidæve

---

[e] Conc. Mil. 4. verb. *Epiſcopo*. [f] Ex conſueta Granat. cap. 56.
[g] In cap. *Vnico. De clericis non reſidentibus*, lib. 6. [h] Latè Navarrus *De horis canonicis*, in cap. *Quando conſec*. diſt. 1. c. 5. n. 10. [i] Ex doctrina Covarrubiæ lib. 3. *Variar. reſolut.* c. 13. n. 8. ver. 5. Conſueta Granat. c. 56.

dæve regionis temperiem de duorum medicorum id expedire jurantium consilio, se adire velle juraverit, nec sine præmissis limitationibus concedatur.

§. III.

UT autem quoad fieri possit, dubia cessent, eâdem Synodo providente, declaratur, ut si quis capitularis personaliter in choro, vel alibi existens, sibi pro vespertino tempore, vel sequenti die hoc signum *patitur* apponi à punctatore petierit, illud non obtineat. Quòd si obtinuerit, totidem dierum, aut horarum, quibus tale *patitur* habuerit, emolumentis mandato præsidentis multetur. Si tamen aliquis Ecclesiæ actualiter presens adverso aliquo accidenti, vel indubitato morbo correptus fuerit, idque punctator insinuaverit, ejusdem *patitur* signo in quadranti validè notetur.

CAPUT III.

De iis, quæ cum præbendatis ægrotantibus in mortis periculo constitutis agenda sunt.

§. I.

SIquidem satis constat gravibus morbis homines ut plurimum ad interitum duci, in eoque rigidissimo conflictu vires humanas debilitari, & memoriam deficere, adeò ut sic laborantes, ad recolendum mente Deum, seque ab æternę mortis faucibus eripiendum aliorum prudentium hominum præsidio ac ministerio maximè indigeant; ea propter statuit ac præcipit hec sancta Synodus, ut [k] quovis capitulari lethaliter ægrotante, duo Beneficiati ad id magis idonei à capitulo deputentur, qui capitularem prædictum ejusdem capituli nomine visitent, ac eum in corporalibus fraterna solicitudine adjuvent, tum Ecclesiasticis quàm primùm sacramentis reficiant, prout probum decet Christianum. Quibuscumque animæ suę debitis piè condito testamento satisfacere faciant; eidem quoque sanctum Extremę-unctionis oleum, tempore quo illud ab eo cognoscatur, conferri imprimis curent; ipsumque ambo simul, vel alternatim singuli, prout ejus necessitati expedire viderint, usque ad ultimum vitę halitum diligentissimè comitentur. Piis denique, ex sacra potissimùm pagina, verbis & exhortationibus, sanctisque in Ordinario descriptis precationibus, terribili hujusmodi mortis articulo, contra communis hostis insidias, necessariis & opportunis ad bene in Domino moriendum corroborent & suaviter exhortentur.

CAPUT IV.

Quomodo ægrotanti Prælato Ecclesiastica sacramenta sint ministranda.

§. I.

PRæcipit etiam & mandat hæc sancta Synodus, ut [l] Prelato ægrotanti, ac sanctissimę Eucharistiæ & Unctionis extremæ sacramenta petenti, capituli presidens pluviali aureo ornatus, prębendatis omnibus, nemine excepto, unà cum parochis, cappellanis, & Ecclesię ministris, reliquisque sacerdotibus, qui congregari possint, superpelliceis indutis, processionis ordine comitantibus, cruce quoque cum luminaribus ditioribus precedente, eandem sanctissimam Eucharistiam, qua decet, devotione ac reverentia ministret: prębendatisque singulis huic actui deficientibus emolumenta singulorum mensium per eos emerita, inter alios qui interfuerint, distribuenda, detrahi jubeat.

CAPUT V.

Quomodo præbendatis ægrotantibus eadem sacramenta ministrari debeant.

§. I.

QUando sanctissimę [m] Eucharistiæ, & Extremæ-unctionis sacramenta alicui prębendato ægrotanti ministranda fuerint, per parochum, sub cujus ille parochia degerit, serico pluviali ornatum, accensis cereis, deputandisque à præsidente ministris comitantibus, eidem ægrotanti, cui duo capitulares superiùs nominati in reliquis necessariis adsint, ministrentur.

CAPUT VI.

De campanarum pulsatione defuncto Prælato faciendа.

§. I.

UT deferenda Prælato reverentia in omnibus resplendeat, eidemque morienti nihil debiti honoris deficiat; eâdem decernente Synodo statuitur & ordinatur, ut [n] quoties Prælatum obire contigerit, statim campana major sexagies admodùm paullatim pulsetur, omnes deinde majores minoresque campanæ funebri sonitu ter solennissimè tinniant, tumque parochiæ, monasteria, eremitoria, ac hospitalia simili campanarum pulsatione ac solennitate respondeant. Idque per totum novendium quotidie, semel quidem post meridiem, ac iterum post solis occasum, necnon tempore funeris spatio dimidiæ horæ durante similiter faciant, quatenus frequens omnibus precandi Deum

k Ex statutis Hisp. cap. 129. l Ex statutis Hisp. cap. 128.
m Ex constit. Hisp. cap. 127. & 128. n Ex constit. Hisp. c. 130. Const. Mil. 1. 2. p. tit. *De funere Episc.* & Milan. 4. tit. *De funeribus & exequiis.*

Deum recordatio ſubeat, ut & defuncto Prælato æternam felicitatem, & conveniencem ſancto ejus obſequio ſucceſſorem populo concedat.

§. II.

SImiliter, quoties aliquem capitularem obire contigerit, ſi Dignitas fuerit, quadragies, ſi canonicus, terdecies; ſi integer, vicies; ſi verò dimidius portionarius, decies primò dicta campana major etiam paullatim pulſetur, ſtatimque, ac funeris & exequiarum tempore reliquæ omnes campanę funebri ſonitu ſolenniter quatiantur.

CAPUT VII.

De modo ſepeliendi Prælatum defunctum.

§. I.

QUum Prelatus [p] diem clauſerit extremum, Pontificali ornatu veſtibus violacei coloris, juxta dignitatis ejus exigentiam, induatur, & ſic indutus ſuper aliquem, in amplo cubiculo, ubi decentia ad celebrandum altaria eſſe poſſint, conſtruendum, ac ſericeis paramentis ſternendum lectum, collocetur. Poſt hęc capitulares omnes, nemine dempto, ſub pœna præſidentis arbitrio imponenda, ſuperpelliceis, ac ſuo tempore etiam chori cappis ſuperveſtiti, unà cum clero ad eum locum, ſublimi prędcedente cruce, proceſſionis ordine accedant, ac Prælati, ut præfertur, defuncti, animam juxta deſcriptum in Ordinario tenorem Deo commendent, triaque defunctorum nocturna dicant. Manentibus interim, ex ejuſdem prędidentis ordinatione, competentibus in Eccleſia miniſtris, qui currentis officii Horas abſque aliquo defectu recitent. Proviſis deinde atque diſpoſitis cęteris rebus funeri neceſſariis, miniſtri de more parati, ac ſex prebendati pluvialibus induti ſceptra gerentes, ſimulque omnes monachorum conventus, ac reliquus ordo clericorum, à Cathedrali Eccleſia, ubi juxta præviam vocationem congregati fuerint, ad ſupradictum cadaveris locum ordine ſervato procedant. Ibique dicto reſponſorio & oratione, defuncti corpus detecta quidem facie, ut prędertur, indutum feretro decenter ornato imponant, illudque ſeniores Dignitates, cæterique capitulares, & monachorum ordines, pſalmos interea, aut alia ſecundùm Manuale Romanum, vel laudabilem ejus Eccleſiæ conſuetudinem dicenda, decantantes, uſque ad Eccleſiam, ubi ſepeliendus fuerit, humeris viciſſim efferant. Ubi ſi per ſtatutum ad celebrandum tempus licuerit, ſolenne Miſſæ ſacrificium, addita ad ædificationem populi digna funerali concione, peragant. Ac denique corpore ſepulturę tradito, Prælati hujuſmodi propinquos, vel famulos, uſque ad eandem unde exierint domum ſine prævia cruce comitentur.

§. II.

ITem ordinatur & ſtatuitur, ut præmiſſo exequiarum novendio durante, quotidie, tam poſt Miſſam, quàm poſt Veſperas, miniſter pluviali indutus, coram ſublimi cruce ac luminaribus, reſponſorium pro eodem defuncto dicat. Ipſo verò exequiarum die decanus & capitulum, eiſdem monachorum conventibus cum reliquo clero intervenientibus, vigiliam cantet, & Miſſæ ſacrificium, juxta Breviarii Romani formam, habita ſimili funerali concione perficiant. Ita ut in omnibus ſe Chriſtianos ac pios, ſuoque Prælato, ejus Eccleſiæ ſponſo, verè ſubditos oſtendant. Atque adeò, quęcumque alia hîc non expreſſa, quę ad hujus funeris, exequiarumque decus & ornamentum, proba & integra ipſorum conſcientia dictante, deſiderari judicaverint, ipſi diligenter provideant.

CAPUT VIII.

De modo ſepeliendi prębendatos defunctos.

§. I.

QUoties aliquis [q] prębendatus ex hac vita migraverit, ſacerdotalibus quas ipſe habuerit aut emerit, vel ſi adeò pauper fuerit ut eas emere nequeat, ab Eccleſia providendis veſtibus induatur, ejuſque anima per aliquos capitulares & clericos à prędidente nominandos Deo commendetur. Quibus peractis, & adveniente funeris hora, decanus & capitulum, ſimulque miniſtri de more parati, cruce cum luminaribus prędcedente Eccleſiam exeant, ac defuncti corpus ad Eccleſiam ubi ſepeliri debuerit, efferant: & poſt vigiliæ recitationem, ac ſi per tempus licuerit, Miſſæ ſacrificium, illud ſepulturę tradant. Pro quo ſimiliter exequias agere, & Miſſę ſacrificia infra dicenda celebrare; quæcumque demum defuncto fratri, ad animę ſalutem & corporis honorem neceſſaria & opportuna providere teneantur.

§. II.

CUm verò cappellanus vel miniſter Eccleſiæ ex hac vita ſimiliter migraverit, comitantibus omnibus ejuſdem Eccleſię cappellanis atque miniſtris, cum demonſtratione, que talis Eccleſię miniſtrum deceat, per parochos ſepeliatur.

CAPUT IX.

De iis quæ quilibet capitularis agere tenetur in Prælati, vel alicujus capitularis obitu.

§. I.

FIdes Catholica docet, quàm ſancta & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. Unde hęc Mexicana Synodus decernit & mandat, ut quilibet ejuſdem Eccleſię capitularis pro demortui Prę-

lati

[o] Ex conſt. Hiſp. cap. 131. [p] Quæ appoſita ſunt ex conſt. Hiſp. & Concil. Mediolan. ſupra cap. 6.

[q] Ex conſt. Hiſp. cap. 133. Conc. Milan. 2. tit. 2. *De cætero.* 3.

lati anima ſex, pro quovis verò prębendato ſimiliter vitâ functo tres; Prælatus autem pro quolibet ejuſdem Eccleſiæ capitulari ex eadem vita migrante ſex etiam Miſſas infra novendium à die obitus computandum dicere teneatur, & abſentes, ut eiſdem ſatisfaciant, certiores reddantur.[r]

CAPUT X.

De injuriis verbo aut facto illatis.

§. I.

SI viri Eccleſiaſtici (qui propter ſtatûs eminentiam reliquo populo Chriſtiano præ oculis habentur, quique verbis, moribus, & actionibus ſolidę virtutis exemplum præbere debent) ſeipſos, ut par eſt, à vitiis omnibus corrigerent, plurimis profectò ad hoc neceſſariò conditis legibus mandatiſque opus non eſſet. Quare hæc ſancta Mexicana Synodus inviolabili ordinatione decernit & mandat, ut ſ quoties aliquos præbendatos jurgari, aut tam verbo quàm facto rixari quavis ex cauſſa occurrerit, eos præſidens arbitrio ſuo juxta cujuſque eulpam multare & ad mutuam amicitiam quam primùm reſtituere poſſit, debeat. Quandoquidem tot ſpiritualia ac temporalia bona ex concordi fraternitate & pace, tot verò damna & incommoda ex odiis ac diſſenſionibus oriuntur. Si quis autem, quod abſit, pacem & amicitiam reſpuerit, à Prelato, qui ſtatim de hoc certior fiat, tamquam à patre, efficaciori remedio corrigatur.

§. II.

DEclarat nihilominus eadem ſancta Synodus, non eſſe ſuę intentionis per hoc decretum cuiquam jus aliquod tollere, ſed quavis reconciliatione & amicitia interveniente, offenſum contra offendentem conquiri, ac litem proſequi in judicio poſſe: affectu tamen paterno per viſcera miſericordiæ Dei noſtri offenſos hujuſmodi hortatur & monet, ut quid ejuſdem Domini miniſtros, ac veræ charitatis, quæ patiens & benigna eſt, ſectatores deceat, ad puſillorum exemplum & ædificationem attendant: atque adeò quaslibet ſibi ipſis illatas injurias, in ejus, qui pro totius generis humani culpis ſatisfecit, quique nobis ipſum quotidie offendentibus clementiſſimè parcit, amorem, & gratiam aliis remittant. Pro quorum aliorumque in præmiſſis neceſſariorum diſpoſitione & effectu, eadem Synodus præſidenti & capitulo conſcientias onerat, ut ſublatis omnino diſſenſionibus & ſcandalis, quę ad Dei obſequium & divini cultus augmentum expedire judicaverint, provideant. Idemque prędens, tam in capitulo quàm alibi, prębendatos à durioribus verbis & manuum motibus, unde plura ex præmiſſis abſurda naſcuntur, abſtinere jubeat, ac pertinaces, ſi opus fuerit, multari faciat.

§. III.

QUÆ omnia & ſingula, ut præfertur, ſtatuta, hęc ſancta Provincialis Mexicana Synodus, ab omnibus Cathedralibus hujus Archiepiſcopatus & provincię prębendatis obſervari, illaque & multas in eis contentas, à præſidentibus & capitulis debitæ exſecutioni mandari, ac Cæremoniale ſimiliter ordinatum, & eiſdem ſtatutis inſertum recipi & exercitari præcipit, injungit, & mandat. In quorum fidem has literas aſſiſtentium eidem Synodo Patrum nominibus munitas ſigillari fecit. Mexici in aula Synodali, decimo ſeptimo Kalendas Novembris. Anno Domini MDLXXXV.

P. * *Archiepiſcopus Mexicanus.* * Petrus
Fr. * *Garcia Epiſcopus Guatemalenſis.* * Gomez
Fr. Joannes Epiſcopus Mechoacanenſis.
D. * *Epiſcopus Tlaxcalenſis.* * Didacus
Fr. Gregorius Epiſcopus Yucatanenſis.
Fr. D. * *novæ Gallæciæ Epiſcopus.* * Dominicus
Fr. B. * *Epiſcopus Antequerenſis.* * Bartholomæus

In teſtimonium veritatis præmiſſis meum nomen ſubſcripſi.

Doctor Joannes de Salzedo Secretarius.

NOS Antonius tituli SS. Joannis & Pauli presbyter Cardinalis Carrafa fidem facimus & atteſtamur, ſtatuta facta à Reverendiſſimo domino Archiepiſcopo Mexicano in Synodo Provinciali anno MDLXXXV. celebrata, unaque cum Synodo prędicta ad ſanctiſſimum dominum N. miſſa, à ſacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando Sanctitatis ſuæ auctoritate præpoſitorum, emendata atque aptata fuiſſe, eorundemque ſtatutorum originale apud ipſam Congregationem remanſiſſe, cum quo hujuſmodi ſtatuta hoc libro chartarum LXXIX. quarum prima incipit: Sancta Synodus Provincialis in civitate Mexicana; *ultima verò*: Augmentum expedire. *& definit*: Doctor Joannes de Salzedo; *deſcripta & collata, in omnibus & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto ſecretario item ſubſcribi, ſigillumque noſtrum, quo in Congregationis prędictæ literis & ſcripturis obſignandis utimur, apponi mandavimus. Romæ die 27. Octobris MDLXXXIX. Ita eſt.*

A. Card. Carrafa.

Laurentius Frizolius ſacræ Congregationis antedictę ſecretarius de mandato.

Et eſt ſignatum ſigillo Illuſtriſſimi Cardinalis Carrafæ.

Loco ✠ ſigilli Illuſtriſſ. Card. Carrafæ.

CAR-

[r] Conc. Mil. 2. dicto tit. 2. d. 14. ſ Ex conſt. Hiſp. c. 116. & 117. Conc. Mil. 3. verbo: *Si rixæ & contumeliæ.*

CARDINALIS DE AGUIRRE

CATHOLICO AC PIO LECTORI.

POSTQUAM exhibuimus Acta huius Concilii, viſum fuit hoc loci proferre Catalogum Archipræſulum Eccleſiæ Mexicanæ, redactâ in ſynopſim hiſtoriâ ipſorum, exſtante apud Ægidium Gonzalez Davila, Catholicæ Majeſtatis PHILIPPI IV. Chronographum, Tomo I. Theatri Eccleſiaſtici Indiarum, Matriti edito anno MDCXLIX. Inde verò libabimus ſolùm, & breviter indicabimus, quæ ille fuſiùs ſcripſit & majoris momenti ſunt. Porrò dum narrat ea quæ ſpectant ad Archiepiſcopum D. Joannem Perez de la Serna, cuius ſumptibus fuit primò typis editum hoc Concilium anno MDCXXII. divertit aliquantò latiùs ad narrandas res admirandi illius hominis Dei GREGORII LOPEZ, cuius venerandum corpus ipſius tempore è ſepulchro veteri in aliud decentius ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ fuit translatum. Hac occaſione placuit nonnihil indicare de viro illo incomparabili. Certè dum viveret, & poſt fata, non ſolùm à graviſſimis Epiſcopis & Theologis, præſertim ſpirituali vitæ & myſticæ doctrinæ deditis, ſed etiam ab omnibus ferè, reputatus fuit, & cenſetur adhuc, veluti phœnix aut gigas inter eos, qui ſpirituales, imò & perfecti audiunt. Vita ipſius à multis ſcriptoribus piis ac fide digniſſimis Hiſpanico ſermone ſæpiùs edita, tot admiratores quot lectores habet. Vel hoc unum ſtupori ſufficeret, quòd ſaltem triginta tribus annis ante obitum, ſingulariſſimâ Dei gratiâ adjutus, & privilegio rariſſimis conceſſo, nunquam intermiſerit ferventes & puros divini amoris actus, idque aſſiduis incrementis, etiam inter occurrentia aut neceſſaria humanæ vitæ officia, & crebrum uſum quarumlibet excellentiſſimarum virtutum, præſertim mortificationis perfectæ, æquanimitatis ſummæ, & patientiæ invictæ.

CATALOGUS PRÆSULUM ECCLESIÆ MEXICANÆ.

Ubi nonnulla obiter de venerandis ac perfectiſſimis viris GREGORIO LOPEZ & D. JOANNE PALAFOX, in eadem Eccleſia, & tota nova Hiſpania celeberrimis.

PRÆSES hujus Concilii primo loco ſubſcribit D. Petrus Moya de Contreras Archiepiſcopus Mexicanus. Sed antequâ aliquid de eo ſpeciatim dicamus, oportet nonnulla in anteceſſum præmittere de aliis Archiepiſcopis illius deceſſoribus, ac poſtea aliquid libare de ſucceſſoribus: ut uno ferè aſpectu lectores habeant Catalogum omnium Præſulum, qui uſque modò nobiliſſimam Eccleſiam Mexicanam gubernârunt.

PRIMUS omnium fuit D. Fr. JOANNES DE ZUMARAGA, natione Hiſpanus, orta Cantaber, inſtitutò Franciſcanus, & profeſſus in Conventu Deiparæ de Aranzazu. Vir ſanctitate morum, doctrinâ, & zelo ſalutis animarum clariſſimus: ac propterea ab invictiſſimo Imperatore Carolo V. nominatus in Epiſcopum Mexicanum, quem honorem diu conſtanter recuſavit, nec niſi imperio Superiorum compulſus admiſit anno MDXXVII. Poſtea anno MDXLVII. Archiepiſcopali titulo ſibi & ſucceſſoribus dato à Paullo III. majorem in dies virtutum ſublimium ſplendorem proferens, & animas innumeras Gentilium ac barbarorum hominum Chriſti jugo ſubjicens, tandem placida morte octogenarius obiit die ipſo Corporis Chriſti anno MDXLVIII. magno ſui deſiderio relicto, præſertim pauperibus, erga quos inſigniter miſericors fuit. *Vide Ægidium Gonzalez Tomo I. Theatri Eccleſiaſt. Indiarum pag. 19. & ſeqq.*

II. Archiepiſcopus numeratur D. Fr. ALPHONSUS DE MONTUFAR, natus Logiæ in Hiſpania, profeſſus Religionem S. Dominici in Cœnobio S. Crucis Granatenſis: ob pietatem & doctrinam electus ad eam Eccleſiam regendam anno MDLIII. in qua magno cum animarum fructu, & admirandâ erga egenos miſericordiâ, præfuit ac profuit uſque ad annum MDLXIX. vitæ octogeſimum, in quo poſt longam infirmitatem ſpiritum Deo reddidit. Jacet Mexici, ſicut & ipſius prædeceſſor. *Lege auctorem mox citatum pag. 31. & ſeqq.*

III. Fuit D. PETRUS MOYA DE CONTRERAS, quo præſide Concilium hoc Mexicanum, doctiſſimum ſanè, celebratum eſt. Natus Cordubæ ex nobilibus parentibus, poſtea Salmanticæ ſtuduit, & progreſſus fecit in doctrina ſacrorum Canonum. Inde per varios Eccleſiæ gradus viam ſibi aperuit ad Cathedram Eccleſiæ Mexicanæ, quam conſcendit anno MDLXXIII. & adminiſtravit ritè verbo & exemplo, domi ac foris, viginti circiter annis, viſitans ampliſſimam diœceſim miro ſubditorum ſolatio ac fructu. Concilium hoc Mexici ab ipſo celebratum anno MDCLXXXV. dicitur Secundum ejus Metropolis. Primum mihi legere aut invenire nondum contigit. Hoc autem ſecundum confirmatum fuit paullò poſtea à Xyſto V. anno MDLXXXIX. ut ſuprà vidimus. Porrò PETRUS noſter, inter alia pietatis ac religionis ſuæ decora, impensè coluit cœleſtium ordinum ducem, & glorioſiſſimum militiæ illius ſublimis archiſtrategum, MICHAELEM ARCHANGELUM; ejuſque feſto die in pane & aqua jejunabat. Præterea plurimùm dilexit & veneratus fuit magnum illum & incomparabilem virum GREGORIUM LOPEZ ob giganteam ſanctitatem, potiùs admirandam quàm imitandam. Sed de hoc infrà opportuniùs. Rediit in Hiſpaniam ad reddendam rationem non ſolùm viſitationis fiſci Regii, ſed & ſupremi regiminis novæ Hiſpaniæ,

niæ, quod biennio circiter cum laude obiverat. Summi Indiarum Senatûs Præſes electus, paucis poſt menſibus Matriti diem clauſit extremum, anno circiter MDXCII. In ſtemmate ipſius gentilitio hęc epigraphe erat: CAPUT ARTIS EST, SCIRE QUOD DOCEAS. *Ex eodem ſcriptore pag. 37. & ſeqq.*

IV. Archipræſul fuit D. ALPHONSUS FERNANDEZ DE BONILLA, pariter Cordubunſis, & Mexicanæ Eccleſię Decanus, atque Inquiſitor Fidei, nominatus in Archiepiſcopum anno MDXCII. à magno illo & prudentiſſimo Rege PHILIPPO SECUNDO. Qui inter alias ſublimes & verè auguſtas dotes, religioſiſſimè ſcrutabatur & eligebat ad quaslibet præfecturas, ſpeciatim verò ad regendas Eccleſias, viros optimos & præſtantiſſimos; illos maximè, qui ab omni ambitione alieni, totum ſuum ſtudium impendebant pietati, doctrinæ, & utilitati publicæ, immemores exaltationis propriæ, & gratiæ apud Principes captandæ. Cùm verò ALPHONSUS conſecratus fuiſſet apud Limam Peruviæ Metropolim, ubi viſitatoris Regii ærarii munus obibat; contigit ut ad pacificandos urbis Quitenſis in eodem regno tumultus populares mitteretur, neque inde facilè ſe extricare poſſet. Unde impenſo circiter in iis curis quadriennio (à quibus fortaſſis melius fuiſſet ſe expedire, ut gregem ſibi commiſſum paſceret) tandem, nondum visâ Eccleſiâ Mexicanâ, deceſſit intra Peruviam; anno ut conjicio, MDXCVIII. & Limæ in Eccleſia Cathedrali ſepultus eſt. *Ex eodem ſcriptore pag. 40. & 41.*

V. D. Fr. GARCIA A S. MARIA, patriâ Complutenſis, ex nobili proſapia, profeſſione Hieronymianus monachus, ſui Ordinis Generalis, & Prior S. Laurentii in Scoriali. Nominatus fuit à PHILIPPO III. anno ſeculari MDC. ad Eccleſiam Mexicanam, quam ſtrenuè rexit ſex circiter annis. Ingentes labores in reformando clero & populo ſubiit, non abſque magno fructu; tum præterea in tuenda auctoritate ſedis ſuæ adversùs miniſtros regios. In Archiepiſcopatu priſcam vivendi conſuetudinem, modeſtiam religioſam, & frugalitatem retinuit: parcus ſibi, largus erga alios, verè pater pauperum ac miſerabilium Indorum; neque impar primis illis Epiſcopis qui Apoſtolico ſpiritu ex Hiſpania vetere ad novam tranſierunt. Obiit anno MDCVI. & in ſua Cathedrali Eccleſia ſepultus eſt. *Ex eodem ſcriptore pag. 41. &c.*

VI. D. Fr. GARCIA DE ENGUERRA, natus Fromeſtæ in Vaccæo Hiſpaniæ tractu, inſtituto Dominicanus, in ſacra Theologia magiſter provincię, ut vocant; nominatus à PHILIPPO III. Archipræſul, ſimul & inſtitutus Prorex Mexicanus, anno circiter MDCVII. Utriuſque muneris partes rectè ac feliciter explevit uſque ad annum MDCXII. quo obiit ex caſu quodam, ſeu precipitio, ob contractam inde jecoris & unius coſtæ læſionem, cui ſanandæ impar fuit omne remedium à medicis adhibitum. Defuncto juſta duplicia impenſa ſunt, ut Proregi & Archiepiſcopo ſimul. *Ibid. paginâ 44.*

VII. D. JOANNES PEREZ DE LA SERNA, natus Corberæ in Epiſcopatu Conchenſi, ſtudio Theologus, togatus in Collegio majori S. Crucis apud Valliſoletum, & in ejus urbis Academia Cathedræ Durandi regendę prefectus. Nominatus anno MDCXIII. à PHILIPPO III. in Archiepiſcopum Mexicanum, boni paſtoris nomen adeptus eſt. Concilium præjactum, olim à D. Petro Moya anteceſſore ſuo celebratum, typis commiſit, & publicæ luci dedit propriis ſumptibus in ipſa urbe Mexico anno MDCXXII. *Ipſius tempore* (inquit laudatus Chronographus pag. 46.) *translatum fuit corpus ſancti viri GREGORII LOPEZ, mille titulis venerandi, & digniſsimi ob excellentiam ſanctiſsimæ vitæ, ut ab Eccleſia ejuſdem ſummo Paſtore inter Sanctos ſolenni ritu referatur, juxta meritorum ſuorum magnitudinem.* Deinde vitam admirandi ejus viri ſummatim perſtringit, & lectores remittit ad ea quæ fuſiùs ſcripſerunt de ipſo piiſſimi duo auctores Franciſcus Loſa, aſſiduus ferè illius convictor, & Lud. Muñoz in ejus Vita jam diu edita. Ego certè illam ſæpiùs legi cum ingenti admiratione tam raræ ſanctitatis, & perfectionis adeò ſublimis, ut ab obitu Apoſtolorum uſque modò vix aliquid ſuperius in hiſtoria Eccleſiaſtica inveniatur. Hoc idem ferè cenſuerunt graviſſimi Epiſcopi, Prælati, ac doctores, qui virum Dei de viſu & alloquio noverunt; inſuper & quotquot ejus res geſtas & ſcripta lectitârunt, ſapientiam quodammodo divinam, & ſupremum perfectionis apicem ſpirantia. Unde, quemadmodum ille vivens exemplo ac monitis ſuis plurimos traxit ad quoddam cœleſte vitæ genus, ita & poſt obitum. Vide paullò infrà in ſequenti Archiepiſcopo. Porrò D. JOANNES prædictus viſitavit diœceſim, & in pauperes largus fuit, præſertim propriâ manu. Ajebat enim, plurimum conferre ad miſericordiam ritè exercendam, quòd Epiſcopus non tam alienis oculis, quàm propriis, indigentiam miſerorum attendat. Evocatus inde à PHILIPPO IV. & grato animo exceptus, Eccleſiæ Zamorenſi Præſul datus eſt, & in ea deceſſit ac ſepultus fuit anno MDCXXXI.

VIII. Archiepiſcopus fuit D. FRANCISCUS MANSO DE ZUNIGA, nobili proſapia natus apud oppidum Cañas in Rivogia, diœceſeos Calagurritanæ; poſtea ſodalis in Collegio majori S. CRUCIS apud Valliſoletum, & Veſpertinus in ea Academia Juris Pontificii profeſſor, ac deinde Conſiliarius regius in ſupremo Indiarum Senatu. PHILIPPUS IV. anno MDCXXIX. illum deſtinavit Archiepiſcopatui Mexicano, ubi multa laude digna geſſit. Anno MDCXXXVI. aperiri juſſit arcam, in qua decenter ſervabatur venerandum corpus fideliſſimi ſervi Dei GREGORII LOPEZ, ejuſque oſſa numeravit, & invenit adhuc ſpirantia cœleſtem illam fragrantiam ac ſuavitatem, quam à tempo-

re

re obitûs diffuderunt. Poſtea rediens in Hiſpaniâ ſecum attulit, loco inæſtimabilis theſauri, integram ejus tibiam, & ſervavit uſque ad obitum in Eccleſia Metropolitana Burgenſi, ad quam translatus fuit. Poſt ejus mortem, quæ contigit anno circiter MDCLII. (ſiniſtrâ ſui opinione relictâ ob ingentes divitias quas congeſſit ac retinuit uſque ad diem extremum) tibiam ipſam, ſeu hęreditate, ſeu induſtriâ, habuit D. Petrus Manſo de Zuñiga, ejus ex fratre nepos, Jacobæus eques, mihi notiſſimus: qui dimidiam illius partem dono dedit magiſtro D. Ambroſio Gomez de Salazar, Abbati Regii & antiquiſſimi monaſterii S. ÆMILIANI, in quo ego Benedictinę Religioni nomen dedi. Abbas ipſe valdè eruditus, & ſcriptis ſuis ſatis in Hiſpania notus, venerandum illud os, quod reconditiori loco ſcrinii ſui, veluti inæſtimabilem margaritam ſervabat, mihi oſtendit anno MDCLIII. Percepi in eo (ita atteſtor) odorem illum, ſeu fragrantiam, quæ nihil mortale aut caducum ſpirare videtur, ſed quippiam cœleſte. Nec dubito, ſacrum id pignus ſervari adhuc in eodem monaſterio: ubi fortaſſe tandem aliquando eum cultum accipiet, quem Catholici Hiſpaniæ Reges PHILIPPUS III. & IV. ac CAROLUS II. immo omnia ferè ipſorum regna & dominia, quàm longè & latè patent, ſtuduerunt & ſtudent impetrare ab Apoſtolica Sede. Cauſſa Beatificationis illius lentè admodùm ſuſcepta, nondum eſt concluſa. Spero autem in Domino brevi feliciter finiendam, & ſolennem tanti viri apotheoſin toti orbi Chriſtiano ſaluberrimos fructus allaturam. Quiſquis voluerit cum ingenti utilitate ſpirituali nôſſe illius res geſtas, adeat ſcriptores paullò antè indicatos.

IX. D. FRANCISCUS VERDUGO, natus Carmonæ, non longè ab Hiſpalenſi urbe, & in ejus Academia Juris canonici anteceſſor, dein Inquiſitor Limenſis, & Epiſcopus Guamangæ: ubi numeros omnes boni Paſtoris cum inſigni pietatis opinione impleviſſe dicitur. Eccleſiam illam ſibi in ſpirituale conjugium datam relinquere noluit, licèt PHILIPPUS IV. plures ipſi Epiſcopatus in Hiſpania offerret: utpote ob oculos habens ſacros Canones, præſertim Sardicenſes, & tot veterum Pontificum decreta, quibus prohibentur tranſitiones ab una in aliam ſedem, immo & translationes, niſi ubi utilitas & neceſſitas publica Eccleſiæ aliter ſuadet. Cùm verò hac interveniente, nominatus fuiſſet ad Metropolim Mexicanam regendam, antequam Bullæ Pontificiæ expedirentur fato conceſſit anno ætatis octogeſimo, Chriſti verò MDCXXXVI. & ſepultus fuit in eadem Guamangenſi Eccleſia. Nullum condidit teſtamentum, quia in vita omnia donaverat, & per manus pauperum ac miſerabilium Indorum ad cœlum tranſmiſerat. Unde ii catervatim ad obitum confluentes, ingenti ejulatu & copioſis lacrymis, eidem, veluti communi ipſorum refugio, & paſtori optimo, parentârunt. *Ægidius ſuprà.*

X. Numeratur D. FELICIANUS DE LA VEGA, Limæ (quæ & urbs Regum Peruviæ audit) ortus, ab ipſa pueritia ingenii præſtantiâ, & ſtudio ſacrorum Canonum excelluit, atque octodecim annos natus, è ſuggeſto Academię illius celeberrimę (quam alteram earum vaſtiſſimarum Regionum Salmanticam appellare fas ſit) publicè docere cœpit. Emenſo temporis ſtatuti curriculo, in primaria Juris Pontificii cathedra emeritus, à Prorege & eâdem Academia exoratus fuit, ut prælectiones in communem auditorum utilitatem proſequeretur: quòd & fecit, ingenti omnium plauſu. Limenſis Metropolitanæ Eccleſiæ per plures annos vicarius generalis, tum præterea gubernator fuit: cumque quatuor millies circa lites & negotia occurrentia jus dixiſſe legatur, nunquam contigit, ut vel una ipſius ſententia revocaretur. Electus anno MDCXXVIII. Epiſcopus Popayanus, ad eam Eccleſiam quadringentis inde leucis diſtantem ſe contulit, ac diœceſim viſitavit, penetrans uſque ad inacceſſa Chichimecorum loca, quò nullus prædeceſſorum acceſſerat. Nonnullos eorum ad Fidem convertit, plurimis opem tulit, Eccleſias pauperes ornamentis ſacris inſtruxit; ſumptu in eo itinere ex proprio peculio aſcendente ad triginta circiter millia unciarum argenti. Deinde ornavit Eccleſiam Cathedralem altaribus elegantis ſtructuræ: inſtituit & dotavit feſtivitates quaſdam ac pia opera. Fundavit præterea in Academia Limana propriis ſumptibus duas cethedras; alteram tradendæ Grammaticę, alteram Theologiæ. Edidit eruditum librum, cui epigraphe: *Relationes canonicæ*, ſatis celebrem in iis regionibus. Electus Archipręſul Mexicanus anno MDCXXXIX. cùm appuliſſet Acapuleum, novæ Hiſpaniæ portum, accelerata morte finem vivendi fecit, exeunte anno MDCXL. Non fuit locus ut ſacramenta reciperet, & multò minus ut diſponeret quippiam de opulentiſſimo theſauro, partim hæreditario, partim tot ſtudiis & officiis publicis acquiſito, uſque ad octingenta millia unciarum argenti, quæ ſecum deferebat. Niſi enim conſtaret tantam pecuniæ ſummam fuiſſe aggregatam aliunde quàm ex redditibus Eccleſiaſticis, ſiniſtram ſui opinionem reliquiſſet: cùm plerumque nihil turpius appareat, ac plerumque ſuſpicionem æternæ damnationis in Epiſcopo excitet apud omnes, quàm mori divitem, Creditum autem eſt, ipſum detuliſſe ſecum tantam argenti quantitatem expendendam in aliquot præclara opera. Poſtea venerabilis D. JOANNES DE PALAFOX (cujus memoria in benedictione eſt) Epiſcopus Angelopolitanus, & novæ Hiſpaniæ Prorex, juxta inſignem pietatem ſuam corpus Archiepiſcopi prædicti Acapuleo Mexicum aſportari fecit, & intra Metropolitanam Eccleſiam decenti pompa ſepelivit, plurimaque ſacrificia & ſuffragia pro illius anima obtulit. *Ex Egidio ubi ſuprà pag. 63. & ſeqq.*

Obſervandum obiter, eundem D. JOANNEM DE PALAFOX nominatum poſtea fuiſſe à PHILIPPO IV. virtutum ejus heroïcarum conſcio,

ſcio, ad Archiepiſcopatum vacantem poſt obitum prędicti Feliciani. Verùm ille, uti ſacrorum Canonum peritiſſimus, & Apoſtolico vitæ genere forma atque exemplar ſacerdotum factus, conſtanter recuſavit eam exaltationem. Æterno Dei decreto ſancitum erat, ut aliquot annis poſtea Angelopoli pro tuendis Eccleſiæ ac dignitatis ſuæ juribus graviſſimas perſecutiones pateretur, & longum martyrium, licèt incruentum, inſtar Chryſoſtomi, cui vitâ, doctrinâ, zelo ſalutis animarum, eloquentiâ, & ſcriptorum copiâ ſimillimus fuit: itaque, Palafoxio recuſante, electus fuit,

XI. Archipræſul D. JOANNES DE MANOZGA ET ZAMORA, Marquinę in Viſcaja, ſeu Cantabria veteri Hiſpanorum ortus, & Mexici educatus. Inde rediens, Salmanticę majoribus ſtudiis operam dedit, & inter ſodales majoris collegii D. BARTHOLOMÆO ſacri, antonomaſticè VETERIS, numeratus, in Jure Pontificio doctus evaſit. Poſt varios honorum gradus anno MDCXL. electus fuit Matriti Conſiliarius ſupremi Fidei Senatus, & anno MDCXLII. Præſes Regiæ cancellarię Granatenſis. Inde in Archiepiſcopatum Mexicanum evectus, eò acceſſit anno MDCXLV. & initio ſequentis Metropolim viſitare cœpit. Cùm die 13. Aprilis inviſeret oppidum Malmalco dictum, octavâ noctis horâ tam ingens terræmotus accidit, ut omnes turrium campanę per longum temporis ſpatium ſemel, ſecundò, & tertiò cierentur ac ſonum ederent. In eo itinere pluſquam ſeptuaginta duo millia fidelium ſacro chriſmate confirmâſſe legitur.

Huc uſque ex Ægidii Theatro in epitomen contracto. De reliquo autem nequeo exactam ſequentium omnium Archipræſulum notitiam exhibere: quoniam Romę nemo ad manum mihi eſt, à quo illam mutuari poſſim. Ex iis autem, quos audivi, aut novi poſtea in ea Eccleſia ſediſſe, occurrunt nonnulli, de quibus pauca libabo.

XII. D. :::::::::::::: BUGUEIRO, in Gallęcia ortus, profeſſione Theologus, & inter ſodales collegii majoris S. CRUCIS apud Valliſoletum adſcriptus per plures annos (quem me ſæpè vidiſſe memini cùm puer duodennis in ea urbe & Academia ſacris Canonibus, & Juris prudentiæ civili operam darem ſub præſtantiſſimis magiſtris, pręſertim Joanne de Bonilla, & Alphonſo Olea, poſtea Conſiliariis Regiis) Electus fuit Archiepiſcopus Mexicanus circa annũ MDCLIV. Ob litigia acerrima cũ Duce Alburquerquio Prorege Mexicano, redierunt ambo in Hiſpaniam anno MDCLXI. ad cauſſam dicendam, exportatis inde immodicis opibus, non abſque minori utriuſque decore. Omnes enim lævum aliquid ſuſpicantur de Proregibus & Præſulibus, quoties opulenti admodùm redeunt ex regionibus longè poſitis, ac pręſertim ex novo orbe: & communi ferè experimento innoteſcit, divitias inde allatas brevi evaneſcere, ac vix unquam ad nepotes pervenire, juxta illud Poëtæ:

De malè quæſitis non gaudet tertius hæres.

Viſum fuit autem HPILIPPO IV. conveniens, ut intra Hiſpaniam ſiſteret gradum: ac propterea illum præſentavit ad Epiſcopatum Carthaginenſem, ubi tandem poſt nonnullos annos diem obiit inglorius, utpote de quo nihil magnum aut excellens me audiſſe aut legiſſe memini.

XIII. D. Fr. PAYUS DE RIBERA, Ducis de Alcalà Neapolitani Prorègis filius, in Religione Auguſtiniana profeſſus, Theologiam Compluti multis annis è ſuggeſto tradidit; non vulgari opinione gravitatis morum & doctrinæ, ob quas dotes primò ad Epiſcopatum Mechoacanenſem, nî fallor, in nova Hiſpania promotus, deinde verò anno circiter MDCLXX. translatus fuit ad Eccleſiam Mexicanam. In ea omnes boni Paſtoris numeros expleviſſe dicitur, juſtitię tenax, diſciplinæ zelator, vitiorum corrector, profuſus in pauperes, & liber à philargyrię nævo, qui in orbe illo novo quaſi epidemia animorum eſſe ſolet. Proregis inſuper munus nonnullis annis egregiè geſſit, abſtinens, ſive ſponte cedens ampliſſimis redditibus noſtrorum Regum lege conſtitutis. Deponere volens utramque ſarcinam, ut liberior & exoneratior eſſet ad mortem alacriter ſubeundam, impetravit facultatem redeundi in Hiſpaniam anno circiter MDCLXXXI. Vix regreſſo, oblatus fuit ampliſſimus Epiſcopatus Conchenſis: verùm conſtanter id onus recuſavit, & ex Gaditano portu, quò appulerat, abſque ullo ferè comitatu, declinatâ urbium frequentiâ, &c. rectâ viâ, ac ſatis longâ, ſe contulit ad ſanctuarium DEIPARÆ dictum DEL RISCO, Ordinis ſui Auguſtiniani, non procul ab urbe Abulenſi. Ibidem ab omni rerum caducarum cura liber, abſque ullo faſtu aut apparatu familiæ, perinde ferè ac unus è fratribus, piis exercitationibus, atque orationi & ſilentio reliquum vitæ dedit, ac morte acceleratâ, non tamen improviſâ, circa annum MDCLXXXV. ſpiritum Creatori tradidit. Quicquid ferè pecuniæ ex Mexico attulerat in ſubſidium neceſſitatum, expendit in ornatum ejus ſanctuarii, ubi & ſepultus fuit, magna virtutum ſuarum apud omnes exiſtimatione relicta.

ULTIMUS denique Archiepiſcopus omnium qui hactenus Eccleſiam Mexicanam gubernârunt, eſt D. FRANCISCUS DE AGUIAR SEIXAS ULLOA, natus in Gallęcia, & poſt plures progreſſus in pietate, diſciplina Eccleſiaſtica, ac ſtudio literarum, togatus in collegio majori Conchenſi apud Salmanticenſem Academiam, ubi domi ac foris omnibus exemplar morum ſe præbuit. Eandem vivendi rationem ſervavit in Eccleſia Compoſtellana dum eſſet canonicus, eâ miſericordiâ, immo & profuſione in pauperes, ut nequidem neceſſaria ſibi ſervaret, & interdum ſeminudus domum rediret, data interiori veſte pauperibus miſeris ad ipſum confluentibus. Quapropter opus fuit Prælatis tantæ beneficentię modum imponere, & deputare œconomum, qui ex redditibus Eccleſiaſticis ipſius reſervarent aliquid pro neceſſario victu

ctu ac veſtitu. Tantę virtutis famâ ad piiſſimum Regem noſtrum CAROLUM II. perveniente, nominatus fuit primùm ad Epiſcopatum Mechoacanenſem in nova Hiſpania, & poſt aliquot annos ad Eccleſiam Mexicanam, cui modò præeſt. Utrobique priſcæ illius morum innocentiæ, ac pietatis, & zeli diſciplinæ Eccleſiaſticæ, omniumque virtutum illuſtriora ſigna protulit, & profert in dies; parcus ſibi, profuſus aliis, & uti bonus Paſtor, non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti, & gregis ſibi commiſſi. Immortales Deo gratias agere debemus, quòd adeò calamitoſis temporibus, & in miſerrimo alioqui rerum ſtatu, Catholici Reges tam in Hiſpania, quàm apud novum orbem, deſignaverint ſemper, & nunc ſpeciatim, viros præſtantiſſimos vitâ & doctrinâ, omniumque virtutum nitore, ad Eccleſias regendas. Poſſem quàm multos nunc viventes nominare abſque adulationis periculo. Sed abſtineo; tum quia id non ſpectat ad hujus operis argumentum, tũ præcipuè ad ſervandum illud cœleſte monitum: LAUDA POST MORTEM, MAGNIFICA POST CONSUMMATIONEM.

DE SUBSCRIPTIONIBUS HUJUS CONCILII.

PRIMUS ſubſcribit D. PETRUS MOYA DE CONTRERAS, Archiepiſcopus Mexicanus, & præſes Concilii: de quo nos in Catalogo Præſulum Mexicanorum.

II. D. Fr. GOMEZ (non autem GARCIA, ut quędam exemplaria habent) FERNANDEZ DE CORDUBA, genere nobiliſſimus, & nepos D. Gundiſalvi Fernandez de Corduba, dicti antonomaſticè MAGNI DUCIS. Profeſſus in Religione S. Hieronymi apud Granatam, poſt aliquot Prælaturas cum laude geſtas, electus fuit Epiſcopus Guatemalenſis, anno MDLXXIV. Eundem vitæ auſteritatis, jejuniorum, & aliarum virtutum tenorem, quem ſervaverat intra Religionem, conſtanter retinuit in Epiſcopatu. Cilicium ac jejunium illi frequens fuit, & diſciplinæ ſeu flagellationes aſſiduę. Tota ejus familia videbatur monaſterium optimè inſtitutum. Reformavit clerum, & nimium in cultu & habitu ornatum ſeverè coërcuit. Erga pauperes valdè miſericors fuit, præſertim honeſtiores, quibus probro eſſet oſtiatim mendicare. Preſſus gravi ætate, precatus fuit PHILIPPUM II. ut ſibi daretur certus quidam coadjutor valdè dignus ac benemeritus. Verùm prudentiſſimus Rex abnuit, ne fortè id poſtea traheretur in exemplum ut quiſpiam Epiſcopus ſibi nominet ſucceſſorem. Denique optimus Præſul anno MDXCVIII. menſe Julio prope eremitorium Deiparæ DE LOS REMEDIOS à ſe fundatum ægrotans, lectulo circumfuſo multitudine Indorum lamentantium piiſſimi Paſtoris obitum, deceſſit, & in Dominicanorum cœnobio ſepultus fuit.

III. D. Fr. JOANNES DE MEDINA RINCON, cujus virtutes & præclara geſta ſunt longè ampliora, quàm ut hoc loco referri, immo & ſatis indicari poſſint. Sufficiat dicere, fuiſſe patriâ Segovienſem, inſtituto Auguſtinianum, pietate inſignem, zelo obſervantiæ regularis & diſciplinę Eccleſiaſticæ præſtantiſſimum. Nemo ferè ambitioſorum tam ardenter deperiit Prælaturas intra aut extra Religionem, quàm ille recuſavit. Coactus admiſit Epiſcopatum Mechoacanenſem à PHILIPPO II. oblatum anno MDLXXII. Solebat dicere, *Immanem eſſe ſuperbiam eorum qui Prælaturam appetunt: utpote præſumentium ſe poſſe multos regere, cùm tamen unus angelus nonniſi unius hominis curam gerat.* Verſabat quoque mente illud tritum S. Gregorii Magni: *Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat: Virtutibus vacuus, ne coactus quidem accedat.* Hinc veluti electus à Deo, innumeros ſalutis æternæ fructus tulit in Hiſpanis & Indis ſuæ curæ commiſſis. Subditos quoſque à via recta aberrantes ſummâ dexteritate, quà monitis, quà increpationibus, quà ſuppliciis gravibus, ad ſalutis iter revocavit. Cùm in hoc Concilio cautum eſſet ne quis clericorum veſtibus ſericis uteretur, & quidam canonicus valdè dives nollet illas dimittere; Epiſcopus illata vi coram omnibus ipſum ſpoliavit pallio ſerico, & aliud laneum recipere coëgit. Utinam Præſules quique modo ſe ita gererent. Sanè canonici magnæ Eccleſiæ Toletanę tot titulis conſpicui, quamvis multi illorum ſint filii magnorum Principum, laneis veſtibus utuntur, etiam tempore æſtivo, & ſub climate nimium calori obnoxio. Cur non & alii quilibet Eccleſiaſtici idipſum exſequantur? Prædictus porrò Epiſcopus, omni virtutum ſplendore refulgens, parcus ſibi, largus in alios, ac profuſus in pauperes, præſertim in miſerabiles Indos, quos peramanter admonebat, conſolabaturque. immortali nomine ſibi comparato diem obiit anno MDLXXXVIII. & ſepultus fuit in ſua Eccleſia Cathedrali.

IV. Subſcribit D. DIDACUS Epiſcopus Tlaxcalenſis, de quo nulla mihi prorſus notitia peculiaris eſt.

V. D. FR. GREGORIUS DE MONTALVO, Caucæ in diœceſi Segobienſi natus, & anno MDL. in conventu obſervantiſſimo S. Stephani Salmanticæ inſtitutum S. Dominici profeſſus, poſt triginta exactos intra religionem annos electos fuit Epiſcopus Yucatanenſis anno MDLXXX. Quinquennio pòſt adfuit huic Concilio: ac deinde translatus ad Eccleſiam Cuzquenſem in Peruvia, in ea celebravit Synodum, pluraque decrevit utilia, præſertim circa adminiſtrationem ſacramentorum, & converſionem multorum ex Indis, qui ejuratâ Fide Chriſtiana, ad cultũ inanem idolorum redierant. Obiit ibidem anno MDXCIII. non abſque ſubditorum luctu, ut Remeſalius ſcribit.

De reliquis duobus Epiſcopis ſubſcribentibus nihil invenio. CARD. DE AGUIRRE.

SYNO-

SYNODUS III.

DIOECESANA LIMENSIS

Celebrata in oppido Sancti Dominici de Yungay, die 17. Julii anno MDLXXXV.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ gratiâ Archiepiſcopus Regum, Regiæ Majeſtatis Conſiliarius, &c. Obligationi, quam nobis impoſuit ſacrum Concilium Tridentinum [a], *celebrandi ſingulis annis Synodum Diœceſanam ſatisfacre volentes; convocavimus admodùm RR. DD. nobis dilectos decanum & capitulum noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis Regum & vicarios & parochos hujus noſtri Archiepiſcopatus, ad quos de jure vocari pertinet: cujus Synodi convocatio fuit ad diem ſanctiſſimæ Trinitatis proximè præteritum, hujus præſentis anni MDLXXXV. in qua eâdem Synodo ordinavimus & ſtatuimus conſtitutiones ſequentes, quas volumus & præcipimus obſervari, & opere adimpleri, ſecundùm quòd & eo modo quo in eiſdem continetur, ſub pœnis in eiſdem contentis, & aliis arbitrio noſtro imponendis.*

CAPUT I.

De matriculis confeſſionum & communionum.

PArochi omnes, tam Hiſpanorum quàm Indorum, in conficiendis matriculis obſervent conſtitutiones per nos in Synodo Diœceſana [b] anno MDLXXXIV. editas, deſignando diem, menſem, & annum, quibus eas inchoaverint & abſolverint, & ita confectas, ac ſuis ipſorum nominibus ſubſcriptas, ad nos, vel noſtrum proviſorem, aut vicarios mittent intra quindecim dies à completo termino confeſſionum & communionum per ejuſdem dictę Synodi conſtitutiones declarato. Et mittent pariter veridicam relationem perſonarum, quas confeſſas & communicatas non fuiſſe noverint: tenebunturque iidem parochi referre teſtimoniales ſchedas acceptæ matriculæ, à nobis vel noſtro proviſore, aut vicariis, quibus eam tradiderint, ſubſcriptas. Quod totum ſic ſervent & compleant ſub pœna centum peſorum currentis monetæ, juxta noſtram diſpoſitionem applicandorum, & ſub aliis pœnis nobis arbitrariis.

CAPUT II.

Indorum parochi diebus Dominicis petant eleemoſynas pro pauperibus.

NOſtri Archiepiſcopatus Indorum parochi ſingulis diebus Dominicis poſthac petent eleemoſynas pro pauperibus Indis ſuæ curæ paſtoralis, & collectam ejuſmodi eleemoſynam eiſdem diſtribuent. Habeant etiam libros, in quibus eædem eleemoſynæ, earumque diſtributio, deſignatis die, menſe, & anno deſcribantur: ipſæque diſtributiones fiant coram dictis noſtris parochis & Indorum dynaſtis, vulgò *Caciques*, & primoribus viris. Itemque præcipimus, ut Hiſpanorum quoque parochi ſingulis diebus ſabbathinis, & in Veſperis Paſchalibus, in ſuis parochiis petant pro pauperibus verecundis. Et in locis in quibus fuerint vicarii, ſimul cum parochis petent; ubi verò non fuerint vicarii, ipſi parochi aſſument ſibi alium ſocium: & omnes habeant computa & rationes deſcriptas in libro, in quo deſcribantur eleemoſynæ quæ provenient, & qualiter diſtribuantur, ſub pœna quòd contra tranſgreſſores procedetur.

CAPUT III.

De cantando Salve *in Veſperis ſabbathi.*

QUandoquidem ſabbathinus cantus *Salve*, fidelium Chriſtianorum, tam Hiſpanorum quàm Indorum devotionem plurimum promoveat; ordinamus & præcipimus [d], quòd in poſterum omnes utriuſque nationis noſtri Archiepiſcopatus parochi eam cantari curent ſingulis diebus ſabbathi, exhortando ſuos parochianos, ut illi devotè interſint.

CA-

[a] Seſſ. 24. cap. 2. *De reform. matrim.* [b] Synodo præcedenti c. 1. [c] Concil. Mediol. IV. tit. *Quæ ad pia loca pertinent.* [d] Concil. Prov. ann. 1583. act. 3. c. 27. & in Reg. conſuet. c. 17. Concil. Mediol. III. tit. *De divin. officiis.*

CAPUT IV.

Hiſpanorum parochi recitent doctrinam Chriſtianam.

OMnes [e] Hiſpanorum parochi doctrinam ſuæ curæ paſtoralis populum, ſingulis ad minimum totius anni Dominicis diebus & feſtivè colendis docebunt, eundemque populum per proprias ſuas perſonas in Fidei rudimentis inſtruent, juxta catechiſmum factum in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. eiſdem inculcando obedientiam, quam Deo & parentibus ſuis debent; trium peſorum pœnam ſingulis vicibus quibus id omiſerint luituri: & ad hunc effectum curabunt pulſari campanam finito prandio. Id ipſum facient etiam Indorum parochi diebus Mercurii & Veneris cujuſque ſeptimanæ, prout fieri conſuevit; & eoſdem Indos, tam ipſorum vernaculâ linguâ, quàm Hiſpanicâ docebunt.

CAPUT V.

Vicarii procurent ſacrum Oleum & chriſma pro toto ſuo diſtrictu.

QUoniam expedit, ut in locis ubi ſunt vicarii habeatur modus providendi parochis illius diſtrictus oleum & chriſma, nec ut opus ſit ſemper mittere ad civitatem Regum, tam procul plerumque diſtantem, deficientibus etiam fidis nunciis qui mittantur, propterea ſtatuimus [f], quòd vicarii habeant oleum & chriſma in tribus magnis vaſis, ut indè providere poſſint clericis ſui diſtrictus. Et clerici qui acceperint, teneantur dati teſtimonium à vicariis referre, adnotatis die, menſe, & anno, ut ab eiſdem datum fuiſſe conſtet. Quod ita facient, ut alioquin ſeverè caſtigandi ſint.

CAPUT VI.

De cuſtodiendis & renovandis ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, & ſacramentalibus.

QUicumque [g] in poſterum ex noſtris vicariis vel parochis fuerit hebdomadarius, ultima die ſeptimanæ debebit relinquere renovatum ſanctiſſimum ſacramentum in ſacrario, conſecrando duas hoſtias majores, & ſex particulas, aut plures, prout infirmorum uſui in totam ſeptimanam opus fore judicaverit. Et ſingulis bimeſtribus [h] viſitabunt vaſa chriſmatis & ampullas olei infirmorum: & cùm uſus poſtulaverit, ſic eas nutriant, ut non plus infundatur olei communis, quàm fuerit quantitas olei ſancti præcedentis in eiſdem vaſis chriſmalibus. Renovabunt etiam fontem baptiſmalem & aquam benedictam, idque totum cum magna decentia & reverentia, ſub pœna duorum peſorum à contrafaciente ad noſtram diſpoſitionem in pia opera pendendorum, toties quoties in hoc deliquerint.

CAPUT VII.

Indorum parochi inſtituant proceſſiones temporibus litaniarum.

INdorum [i] parochi hinc deinceps temporibus majorum minorumque litaniarum inſtituant proceſſiones, eo modo quo in Hiſpanorum locis fieri conſuevit, ſub pœna quinquaginta peſorum pro noſtra diſpoſitione ſolvenda, & aliis nobis arbitrariis.

CAPUT VIII.

Candelæ quæ apponuntur altari ad Miſſas nuptiales relinquantur Eccleſiæ.

QUoniam [k] ſponſi qui matrimonio junguntur & velantur, ſolent adferre candelas apponendas altari ad Miſſam nuptialem, & ex inadvertentia illas tollunt ſibi parochi; ordinamus ut in poſterum ejuſmodi candelæ relinquantur Eccleſiæ, & habeatur ipſarum ratio.

CAPUT IX.

Collector nominatus habeat curam eleemoſynarum, & Miſſarum, & pitantiarum per pia teſtamenta relictarum.

STatuimus, & omnibus noſtris vicariis, parochis, & clericis noſtri Archiepiſcopatus præcipimus, ut collectori per nos nominando in unaquaque civitate, oppido, vel loco ejuſdem committant & committi faciant omnes eleemoſynas Miſſarum, quæ dabuntur, tam votivas, quàm teſtamentarias, ſive per vivos, ſeu per defunctos. Eiſdemque collectoribus præcipimus, ut librum habeant, in quo per ordinem deſcripta ſervabunt omnia anniverſaria, Miſſas, cappellanias, oblationes votivas, ac teſtamentarias, & pitantiales, & omnibus ex anterioritatis ordine ſatisfieri curet. Clericis [l] autem qui anniverſariis & cappellaniis obſtricti ſunt, illa die nullam pitantiam, vel teſtamentariam eleemoſynam dabit, ſed Miſſas quæ reliquæ fuerint diſtribuet clericis non obſtrictis, & iis qui melius inſervierint Eccleſiæ. Et omnium computa & rationes habeat ipſe collector, eaque ad nos in fine cujuſque anni tranſmittet, ut cognoſcamus

---

e Concil. Mediol. I. par 1. *De Fidei initiis à parochis tradendis.*
f Concil. Mediol. III. tit. *Quæ ad ſacramentalia.* g Concil. Mediol. 4. tit. *Quod ad SS. Euchariſt. ſacram.* h Concil. Mediol. III. tit. *Quæ ad ſacramentalia.* i Concil. Prov. I. act. 2. cap. 23. & act. 4. cap. 11 k Concil. I. Mediolanen. tit. *De funeribus & exequiis.* l Concil. Mediol. IV. par. 2. tit. *Quæ pertinent ad Miſſæ ſacrific.* & Synod. præced. cap. 2.

mus quod anniversariis, cappellaniis, testamentis,& pitantiis ejusmodi satisfactum sit.

CAPUT X.

Indorum parochis non famulentur mulieres.

AD occurrendum incommodis quæ nascuntur & nasci solent ex eo quòd Indorum parochi mulieres famulas adhibeant, & malis exemplis quæ inter ipsos Indos inde oriri possunt; statuimus & præcipimus, [m] ut in posterum nullus Indorum parochus habeat in suo famulatu, societate,vel domo, ullam mulierem, cujuscumque qualitatis sit, juvenis aut vetula, sub pœna centum pesorum, qui pro nostra dispositione applicabuntur, & sub aliis pœnis arbitrio nostro imponendis.

CAPUT XI.

Nullus clericus majorum vel minorum ordinum ullo modo ludat.

UT multis magnisque incommodis & malis exemplis, quæ ex clericorum ludis nasci consueverunt, obviemus, remedium applicare volentes; districtè statuimus & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, [n] ut posthac nullus clericus in sacris ordinibus constitutus ullum ludum, ex illis etiam quos jura permittunt, ludat pro majori quantitate quàm duorum pesorum currentium, singulorum valoris novem regalium, idque pro jentaculo, cœnula, vel prandio, & semel tantùm intra viginti quatuor horas. Quòd si plures clerici, vel cum ipsis etiam laïci ludant, non licebit singulis dictos duos pesos ludo exponere, sed hæc ipsa quantitas inter omnes divisa perdendo lucrandoque servetur; ita ut inter omnes non ampliùs ludatur, quàm pro dictis duobus pesis, & ad præmissum effectum collationis, sub pœna perdendi quicquid sic lucrando perdendove luserint, & revincentibus duplum luendi, & præterea centum pesorum, vulgò *ensayados*, & aliis pœnis ad nostrum arbitrium infligendis, quorum distributionem nostræ dispositioni reservamus. Eosdemque, prout exhortamur, exhortando, ut recolant censuras per proximum Concilium Provinciale [o] præteritum anni MDLXXXIII. sibi impositas. Et idipsum præcipimus, ut servent & compleant clerici minorum ordinum, aliquod Beneficium habentes, sub iisdem præmissis pœnis. Et vicarii & judices qui in earundem pœnarum exsecutione negligentes fuerint, easdem in duplum incurrent. Et tam ipsi quàm dicti clerici easdem luent, quantumcumque longum tempus post ludum transierit.

CAPUT XII.

Indorum doctrinales parochi nihil omnino ludant chartis.

QUia plurimum refert, quòd parochi, qui in Indorum oppidis residents, in id solùm intendant, ut bonæ suæ sejunctæque vitæ exemplis animas curæ suæ commissas ædificent, & in Fidei mysteriis instruant; cui rei cùm plurimum obsistat ludus chartarum, maximè si exorbitans sit: nos volentes peculiare & exactum remedium adhibere, ordinamus & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, [p] quòd nemo deinceps Indorum parochus ullam omnino rem, seu magnæ seu parvæ quantitatis, ludat chartis, nec pro ullius generis collatione. Quod observent & compleant etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna perdendi in duplum quicquid ejusmodi chartarum ludo lucrando, perdendo, vel revincendo luserint; & præterea pesos (vulgò *ensayados*)ducentos ad nostram dispositionem, & sub aliis pœnis arbitrio nostro imponendis.Eosdemque hortamur, ut recolant pariter censuras in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. ut dictum est impositas. Et vicarii qui in harum pœnarum exsecutione negligentes fuerint, easdem ipsi duplicatas persolvent. Easdemque incurrent post quodcumque spatium temporis transactum, ab ejusmodi talium clericorum lusu.

CAPUT XIII.

Indorum parochi in administratione sanctissimi sacramenti Eucharistiæ servent convenientem decentiam.

INdorum parochi [q] in administrando sanctissimo Eucharistiæ sacramento ad infirmorum viaticum, maximopere curent, ut præcedat crux & cerei accensi, & ut locus in quo ministrandum fuerit sacramentũ, sit mundus & honestè compositus: habeantque custodiam argenteam, in qua supra corporale ipsi induti muzetâ ferant sanctissimum sacramentum.

CAPUT XIV.

In locis in quibus fuerint duo sacerdotes, vel concursus Hispanorum, poterit conservari sanctissimum sacramentum.

QUoniam in quibusdam Indorum oppidis nostri Archiepiscopatus sunt duo vel plures parochi, & in aliis in quibus unus solus est, solent esse Hispani & ipsorum concursus; statuimus, [r] quòd in Indo-

[m] Cap. *Oportet.* dist. 81. & pluribus seq. [n] Cap. *Clerici officia. De vita & honest. cleric.* lib. 3. & cap. *Inter dilectos.* lib. 5. *De excessibus Prælat.* Glos. ibidem verb. *Voluptuosos.* [o] Act. 3. cap. 17. [p] Concil. Prov. I. act. 3. cap. 17. [q] Concil. Prov. I. act. 2. cap. 19. [r] Concil. Prov. I. act. 2. cap. 21.

Indorum locis, in quibus erunt duo vel plures ſacerdotes parochi, poſſit conſervari ſanctiſſimum ſacramentum, modò Eccleſiæ habeant bonas portas, ſeras, & claves, cum reliquis neceſſariis. Itemque in locis unius tantùm ſacerdotis parochi, in quibus fuerit concurſus Hiſpanorum reſidentium, ac domicilium ibidem habentium, poſſit pariter conſervari ſanctiſſimum ſacramentum cum conditionibus portarum, ſerarum, & clavium, aliiſque neceſſariis rebus ut ſuprà.

CAPUT XV.

Quando in oppidis Indorum poſſit includi ſanctiſſimum ſacramentum, & in proceſſione portari die Jovis ſancto, & in feſto corporis Chriſti.

IN oppidis Indorum in quibus, ut dictum eſt, fuerint duo parochi, ſanctiſſimum ſacramentum poterit includi die Jovis ſancto, & portari in proceſſione in feſto corporis Chriſti. Idemque pariter fieri poterit in oppidis unius parochi in quibus fuerit concurſus Hiſpanorum ibidem reſidentium, qui illis diebus præſentes ſint.

CAPUT XVI.

In divinis officiis non adhibeantur candelæ ſebaceæ.

QUoniam inaudivimus, quòd Indorum oppidis in monumento ſeptimanæ ſanctæ, & in tenebrarum, aliiſque officiis divinis apponi ſolent candelæ ſebaceæ, quod valdè indecens eſt, & cauſſat magnam irreverentiam; ſtatuimus & præcipimus, quòd parochi non permittant ut dicta officia divina celebrentur cum candelis ſebaceis, vel butyraceis inſtrumentis, nec ut apponantur ad monumentum, vel ſepulturas, vel alias partes, ſub pœna, quòd parochus permittens ſolvat quinquaginta peſos, & quòd illi qui appoſuerint, per judices & viſitatores caſtigentur.

CAPUT XVII.

Indorum parochi habeant duos magnos libros, in quorum uno ſcribent baptizatos, confirmatos, & matrimonio copulatos, & in altero bona Eccleſiæ.

PRopter multa & gravia incommoda, quæ oriri ſolent ex incuria habendi libros Eccleſiaſticos, ſeu matriculas Baptiſmi, Confirmationis, & Matrimonii; unde fit, ut non habeantur illorum nomina qui baptizantur, confirmantur, & matrimonio junguntur, quæ res plurimi refert, maximè inter Indos adeò rudes, ut aliquando dicant ſe non eſſe baptizatos; ita ut ad ſciendam veritatem neceſſe ſit ad ejuſmodi libros recurrere; ut tam gravi incommodo remedium apponamus, ſtatuimus & præcipimus, [f] ut in poſterum omnes Indorum parochi habeant duos magnos libros chartæ bene compactos, & chartâ pergamenâ vel corio tectos, in quorum altero conſcribant omnes baptizatos, confirmatos, & nuptos, deſignando baptizatorum nomina, cognomina, parentes, patrinos, & miniſtrum per quem baptizati, vel matrimonio juncti fuerint; & regionem, vulgò *parcialidad*, & oppidum, diemque menſis, & annum, & Eccleſiam, in quibus baptizatus, vel matrimonio junctus quiſque fuerit, ac teſtes tunc præſentes ſacramento, qui debent eſſe viri, & numero duo vel tres; & an baptizati, vel nupti ſint legitimè nati. Et quia nobis conſtat, quòd ſoleant in libro matrimoniorum exprimi patrini N. & N. ſed non teſtes tunc præſentes, ideo præcipimus, quòd hinc deinceps exprimãt, & expreſsè ſcribant in libro: Teſtibus N. & N. Habeant etiam alium librum, in quo deſcribant bona & facultates Eccleſiæ: quos libros parochi ſemper teneant in arcta cuſtodia ſub clave, quam ipſi parochi ſervabunt, nec ipſam confidant Indis, vel alii cuicumque. Quod totum obſervent & compleant, & habeant ejuſmodi libros factos intra duos menſes poſt primam publicationem hujus Synodi, ſub pœna centum peſorum currentium, pro noſtra diſpoſitione applicandorum.

CAPUT XVIII.

Nullus Hiſpanorum itineretur diebus Dominiis aut feſtivis.

USque adeò in oppidis Indorum progreſſa eſt Hiſpanorum licentia non obſervandi dies Dominicos & feſtivos, ut ex eiſdem ante ſummum ſacrum itineretur. Quæ res tantum ſcandalum cauſsavit & cauſsat indigenis, ut nos ad remedium applicandum obſtrinxerint. Statuimus igitur & præcipimus, [t] quòd poſthac nullus Hiſpanus, vel alius, cujuſcumque qualitatis fuerit, diebus Dominicis vel feſtivis obſervandis arripiat vel proſequatur iter ſine cauſſa urgentiſſima, ac tum quidem poſt ſummum ſacrum & concionem. Et contra tranſgreſſores fiet informatio ad vicarium remittenda. Et parochi populum hujus conſtitutionis admoneant, eamque declarent Indorum præfectis, ne ante id tempus concedant bajulos Indos iter acturis.

CA-

[f] Conc. Mediolan. I. par. 2. tit. *De ſacr. Bapt.* & tit. *De conſerv. bonorum Eccleſiæ.* [t] Concil. Mediol. III. tit. *De feſtorum dierum cultu.* Concil. Prov. I. act. 3. cap. 40.

CAPUT XIX.

Indorum parochi non exerceant prædia vel mercimonia.

INdorum ædificationi plurimum obeſt, quòd ipſorum parochi habeant contractus, mercimonia, & exercitia prædiorum inter ipſos: quia præterquam quòd tot juribus, Conciliis, & conſtitutionibus negotiatio clericis interdicta ſit, eſt etiam maximum detrimentum doctrinæ & prædicationis, quæ tanto ſtudio deſiderioque prætenduntur. Proinde ſtatuimus & præcipimus, [u] ut nemo clericorum inter Indos animarum curæ præfectus exerceat ullum genus negotiationis, aut contractionis, vel alat aut habeat pecora vel jumenta vecturaria quæcumque, vel ſationes, aut agriculturam; non vineas, nec molendina, non machinas, vulgò *Ingenia*, vel alia inſtrumẽta conficiendi ſacchari, vel mineralia, aut ulliuſmodi rei ruſticæ labores aut operas habeat, aut exerceat per ſe, vel per interpoſitas perſonas, ſub pœna perdendi omnia cum fructibus & principali lucro: eoſdem hortantes, prout exhortamur, ut attendãt ad cenſuras ipſis interminatas per Concilium Provinciale, maximè præteritum anni MDLXXXIII.

CAPUT XX.

Nullus Indorum parochus abſque licentia extrahat, vel transferat corpora vel oſſa defunctorum ab una Eccleſia ad aliam.

STatuimus item & præcipimus, [x] quòd nullus poſthac Indorum vel Hiſpanorum parochus, viſitator, vel vicarius poſſit extrahere, vel extrahat corpora defunctorum ex Eccleſiis, vel clatris, ut illa transferant ad novas Eccleſias, ſine expreſſa licentia ad petitionem partium in ſcriptis obtenta. Et quando cum ejuſmodi licentia transferentur, tunc viſitatores, & qui ea transferent, illa ducent in proceſſione, in qua elevata cruce pueri ſcholares recitabunt doctrinam Chriſtianã. Et ſingularem adhibeant curam, ne ligna, vel alias res ullæ veteris Eccleſiæ tranſeant in uſus profanos, ſed omnia applicentur Eccleſiis novis, vel xenodochiis, & locus veteris Eccleſiæ occludatur ſaxis, vel vallo, itaut greges vel beſtię in eum ingredi non poſſint, vel loca ipſa ullo modo profanari: & intus erigatur alta crux, ut cognoſcatur fuiſſe Eccleſiã. Caſu verò quo non extrahantur corpora, claudatur Eccleſia, & crux ad portam elevetur, ſub pœna quòd aduersùs contravenientes cum omni rigore procedatur. Dictiſque noſtris vicariis præcipimus, quòd ſi aliqui in eiſdem veteribus Eccleſiis lanam, victualia, vel alias res incluſerint, ipſi eas ſtatim ſine mora ulla ejici faciant, in quo ipſorum conſcientias oneramus.

CAPUT XXI.

Indorum parochis nil detur pro adminiſtratione ſacramentorum.

QUoniam Indorum parochis pro ipſorum ſuſtentatione ſtipendium ſufficiẽs aſſignatum eſt, non expedit ut Indi pro ullius ſacramenti adminiſtratione quicquã ipſis tribuant. Ordinamus ergo & præcipimus, [y] quòd in poſterum dicti Indorũ parochi pro ſacramentorum adminiſtratione ab eiſdem Indis nulla jura percipiant vel percipere poſſint, nec pro quibuſcumque ſepulturis, quãvis iidem gratis dent, vel conſuetudo ferat contrarium: ſed in his obſerventur decreta ultimi Concilii Provincialis [z] præteriti anni MDLXXXIII. Cũ illis autem Indis, qui habitationem & domicilium habent in oppidis Hiſpanorum, qui plerumque ſunt magis inſtructi in Fide, & quibus placet morem Hiſpanorum ſequi, in ſepulturis & reliquis obſervetur laudabilis conſuetudo loci. Quæ dicti Indorum parochi obſervent & adimpleant, ſub pœna perdendi quicquid ſic ab Indis, ſeu petitum, ſeu gratis datum acceperint, ut dictum eſt, cum quadruplo tanto, & aliis pœnis noſtro arbitrio infligendis.

CAPUT XXII.

Indorum parochi curent conſtrui xenodochia.

CUm hoſpitalium cura in Indorum oppidis ad colligendos & fovendos infirmos neceſſaria, parum agatur; ſtatuimus & præcipimus, quòd Indicorum oppidorum parochi deinceps curam gerant peculiarem, [a] ut in locis in quibus hoſpitalia non fuerint, in eiſdem conſtruantur, ita ut quantum fieri poſſit, ubique habeantur. Et ubi fuerint, ſint medicinis & reliquis neceſſariis inſtructa, bene ornata, & munda, ut in illis ſanctiſſima ſacramenta indigentibus decenter adminiſtrari poſſint: & locorum præfecti per pecunias ad hoſpitalia ſpectantes aſſiſtere debeant.

CAPUT XXIII.

Parochi qui in caſibus permiſſis alienos parochianos matrimonio junxerint vel baptizaverint, mittant rei teſtimonia ad proprios ipſorum parochos.

OMnes [b] poſthac, tam Hiſpanorum quàm Indorum parochi: qui permiſſu juris, vel commiſſione alienæ parochiæ quempiam baptizaverint, vel matrimonio junxerint, curam adhibebunt mittendi rei geſtæ teſtimonium ad proprium baptizatorum vel copulatorum parochum, ut illos in ſuo libro notet.

---

[u] Conc. Provincial. I. act. 3 c. 4. & 5. [x] Conc. Mediolan. IV. tit. *De funeribus & exequiis.* [y] Conc. Provincial. I. act. 2. cap. 38. [z] Act. 2. cap. 32. [a] Conc. Nicæn. Alph. Piſan. I. 3. cap. 70. [b] In hac Synodo ſuprà cap 17.

notet. Et hic viciſſim eos ita notet & ſcribat in ſuis libris cùm ejuſmodi teſtimonium acceperit. Quod uterque præſtabit & perficiet ſub pœna centum peſorum currentium pro ſingulis vicibus omiſſionis: admonentes, quòd contra omittentes cum omni rigore procedetur. Idemque ſub iiſdem pœnis præcipimus parochis, in quorum parochia aliquis alienæ parochiæ confirmabitur.

CAPUT XXIV.

Indorum parochi doceant catechiſmum factum in Concilio Provinciali.

OMnes [e] totius noſtri Archiepiſcopatus Indorum parochos exhortamur, eiſdemque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut magnâ curâ ac diligentiâ doceant ſuos parochianos catechiſmum ac doctrinam factam in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. ſecundùm quod & quemadmodum per idem Concilium ordinatum eſt; id ex animo faciendo tamquam rem quæ obſequii Dei domini noſtri, & profectûs doctrinarum plurimum refert, occupando ſe in illo, & relinquendo omnes negotiationes ſæculares & luſus, prout ſervos Dei, & ſanctæ ejus legis & Euangelii prædicatores decet.

CAPUT XXV.

Indorum parochi doceant pueros ſcholares legere per catechiſmum.

INdorum [d] parochi magnam deinceps curam adhibebunt, ut pueri ſcholares ſuæ doctrinæ & curæ paſtoralis legant & diſcant ex catechiſmis, & libellis per ſacrum Concilium Provinciale confectis; & quòd puerorum quiſque, quantùm fieri poſſit, habeat ſuum, adſintque magiſtri qui ipſos doceant; ipſique parochi ſe, quantum poſſint, in eoſdem inſtruendo occupent, obſequium in hoc facturi Deo. Et cum locorum rectoribus agant, ut jubeant ex bonis communitatis ſolvi ſtipendia magiſtrorum qui docebunt; cùm hoc ſit bonum commune. Itemque de catechiſmis & libellis provideant iidem rectores pauperibus pueris, qui eos procurare ſibi non poterunt.

CAPUT XXVI.

Parochi deſignent perſonam quæ gerat curam, ut Indi frequentent Miſſas & doctrinam.

UT Indi poſthac Miſſas vel doctrinam non omittant, & ut ſciri poſſit, qui in eo ſeduli, quique negligentes futuri ſint; expedit omnino [e], ut Indorum parochi habeant perſonas deſignatas ac diligentes ex ipſis Indis, quæ abſentiæ rationem notent, aſſignato cuique certo numero, vel parte populi, prout expedire videbitur. Proinde eoſdem parochos hortamur, eiſque præcipimus, ut hujuſmodi perſonas, ut dictum eſt, deſignent, quarum quæque aſſignatæ ſibi partis rationem habeat, & eiſdem parochis reddant, ut in omnibus ſerviatur Deo, nec ſit in ejus obſequio defectus.

CAPUT XXVII.

Parochi de Eccleſiarum & hoſpitalium ſtatu moneant Antiſtites.

STatuimus & præcipimus, ut Indorum parochi poſthac peculiarem curam gerant inſtruendi nos de neceſſitatibus Eccleſiarum & hoſpitalium, ut congruum remedium ſingulis apponere poſſimus.

CAPUT XXVIII.

Indorum parochi moneant ſuos parochianos de impedimentis matrimonii.

INdorum [f] parochi ſpecialem deinceps curam gerent docendi ſuos ſubditos impedimenta matrimonii, ea ipſis declarando in Eccleſia, dum copulari cupientes inſtruunt. Deinde ſic bene inſtructos, & regionum *Caziques*, ſeu præfectos, ſingulariter examinabunt, an jungendi habeant aliquod hujuſmodi impedimentum. Et admonitiones in poſterum publicè fient ſub Miſſa majori per tres dies continuos feſtivè ſervandos. Et ad abundantiorem cautelam fient aliæ tres admonitiones particulares intra ſeptimanam temporibus catechiſmi, propter Indorum ruditatem, illæque tres admonitiones quæ diebus feſtivis faciendæ ſint, fiant, tum in oppido, in quo reſederit parochus, tum etiam in quo conjungendi domicilium habuerint, in omnibus obſervando decretum ſacri Concilii Tridentini [g]. Quòd facient & implebunt, ſub pœna quinquaginta peſorum negligentibus toties quoties imponenda.

CAPUT XXIX.

Ne clerici filios domi habeant.

CUM indecorum ſit, & mali exempli ſeminarium, Jure & ſacris conſtitutionibus adeò prohibitum, ut clerici filios domi habeant; nos volentes obviare incommodis quæ inde naſci poſſent, ſtatuimus & præcipimus [h], ne ullus in poſterum clericus poſſit ſuæ domi filium ſuum, vel ejus matrem retinere, ſub pœna quinquaginta peſorum: quòd ſi nihilominus pertinaces exſtiterint, procedetur contra ipſos uſque ad ſuſpenſionem & privationem Beneficii.

CA-

---

e Conc. Prov. I. Act. 2. c. 3. & 4. d Conc. Provinc. I. Act. 2. c. 43.
e Conc. Provinc. I. Act. 2. c. 3. & 5. f Conc. Provinc. I. Act. 2. c. 34.
g Seſſ. 24. can. 1. & c. *De ſacram. matrim.* h Diſt. 92. c. *Propoſuiſti*, in gloſ. 2.

CAPUT XXX.

In indorum locis ad collectionem decimarum parochi præsentes assistant.

QUoniam, ut accipimus, ii qui decimas in Indorum locis colligunt, eosdem Indos variis gravaminibus & extortionibus vexant, plus exigendo quàm illi reddere tenentur, cùm minus capaces, & miserabiles sint; nos opportunum remedium tanti momenti malo providere volentes, statuimus & præcipimus, ut posthac, dum in Indorum locis decimæ colliguntur, loci parochus præsens assistat: eique injungimus, ut magnopere curet, ne Indi graventur, vel ullam patiantur molestiam.

CAPUT XXXI.

Parochi colligant tres novenas.

OMnes Indorum parochi diligenter colligant tres novenas[i] quæ ex ipsarum institutione per Concilium Provinciale anni MDLXXXIII. Ecclesiis & hospitalibus applicatæ sunt, adhibendo in ea collectione omnem diligentiam quæ in casu conveniat.

CAPUT XXXII.

Nullus sacerdos habeat plures equos quàm duos.

QUoniam pluralitas equorum sacerdotis plura damna & labores Indis adferre solet; statuimus quòd in posterum nullus Indorum parochus alat plures equos quàm duos, quemadmodum per constitutiones hujus Archiepiscopatus ipsis ordinatum est, sub pœna reliquos quos habuerint, perdendi. Et duo qui condemnatis relinquendi fuerint, designabuntur ad arbitrium judicis proferentis sententiam ex omnibus quos habuerit.

CAPUT XXXIII.

Parochi non deserant residentiam sine licentia.

PRopter[k] multa incommoda quę ex parochorum absentia inter Indos accidere solent, cùm horum plures interim sine sacramentis & aliis necessariis moriantur, magno parochianorum detrimento; nos districtum remedium adhibere volentes, ordinamus & præcipimus, quòd nullus deinceps clericus Hispanorum vel Indorum animarum curę vel doctrinæ prę fectus, se ad ullam partem ab illa absentet sine expressa licentia Antistitis in scriptis obtenta, sub pœna quatuor pesorum, vulgò *ensayados*, & amissionis stipendii quod lucraretur ex doctrina pro singulis diebus quibus absuerit ab eadem doctrina. Vicarii verò qui in harum pœnarum exsecutione negligentes deprehensi fuerint, easdem ipsi duplicatas incurrent: & perdent pariter stipendium quod lucrarentur tempore absentię si adessent, etiamsi alium sui loco relinquant. Et in has dictas pœnas incidunt propter inobservantiam eorum quæ tam seriò illis injunguntur, ne à suis doctrinis discedant absque licentia in scriptis habita. Nec nostri vicarii possint hujusmodi licentiam concedere. Quoad absentiam autem quæ fit causâ confitendi sua peccata, observetur decretum Concilii Provincialis anni MDLXVII. Ipsisque injungimus, quòd quando sic absuerint, id fiat absque detrimento doctrinæ & parochianorum.

CAPUT XXXIV.

Doctrinarum parochi inde non recedant ad exigendum salarium,

INcommodis capite precedente relatis, aliisque provenientibus ex eo quòd doctrinarum parochi ab Ecclesiis discedant ad ærariа, vulgò *caxas*, & ad congressus, intuitu exigendi sua salaria, remedium adhibere volentes; & quoniam ex hujusmodi congressibus non solùm sequuntur parochianorum jam relata damna, sed quòd, ut percepimus, in illis se occupent in lusu & contractationibus, & aliis rebus ipsorum officium & statum minimè decentibus; statuimus ac districtè præcipimus, ut de hinc nullus Indorum parochus recedat à sua doctrina ullo modo ad exigendum salarium, sub pœna quatuor pesorum (vulgò *ensayados*) supradictorum pro singulis diebus absentię, ac præterea centum pesorum (vulgò *ensayados*) pro singulis vicibus quibus abierint ad ejusmodi ærariа, pro nostra dispositione applicandorum. Et vicarii qui in dictis pœnis exsequendis remissi fuerint, in easdem duplicatas incurrent. Quandoquidem illi parochi salaria sua recuperare possint, mittendo mandatum & procuratoriam potestatem, cum aliquo alio ad ea exigenda, ad sacerdotem doctrinæ loci in quo ærarium consistit, vel ad alium quem voluerint.

CAPUT XXXV.

Vicarii & judices Ecclesiastici non permittant, ut clerici vel alii judices sæculares sumant informationes de debitis & absentiis parochorum Indicorum.

QUoniam, ut percipimus, Indicorum oppidorum præfecti seu Correctores contra omne jus instituunt probationes æris alieni, quod Indorum parochi debent eisdem Indis, atque ipsis ea solvant, parochorumque salariis tantundem subtrahant: Idemque circa eorundem parochorum absentias faciunt, subtrahendo pariter ipsorum salario stipendia temporis quo abesse deprehenduntur,

[i] Act. 5. c. 13. [k] De his novenis infra synod. IV. cap. 29.

[l] Conc. Trid. sess. 6. c. 1. *De reform.*

tur, adeò præter juſtitiam & rationem, ut jam in conſuetudinem id introductum videatur; proinde, ut nos tanto prejudicio libertatis Eccleſiaſticæ remedium apponamus; ſtatuimus & præcipimus omnibus noſtris vicariis & judicibus Eccleſiaſticis, ut [m] nullo modo permittant, quòd dicti Correctores, vel alii judices ſæculares inſtituant ejuſmodi probationes aut informationes; nec propter parochorum abſentias ſalaria ſua, vel Synodos ipſis retineant; cùm omnium dictarum cauſſarum & applicationum, & defectus doctrinę cognitio ad nos pertineat, & ad noſtros judices Eccleſiaſticos, & ut contra ipſos cum omni juris rigore procedant. Quod ut perficiant & adimpleant præcipimus, commonendo quòd contra ipſos alioquin rigidè procedetur. Eoſdemque judices ſæculares, uti hortamur, exhortantes, ut meminerint cenſuras tranſgreſſoribus hujuſmodi in jure impoſitas. Poteſtatemque facimus & committimus parochis doctrinarum, in quibus erunt æraria Communitatum, ex quibus penduntur ipſorum ſalaria, ut cognoſcant debita, quæ ſacerdotes doctrinæ ſuæ Indis debuerint, & faciant ea ſolvi. Et ad omnia hęc & reliqua illis annexa, vel ab eis dependentia, noſtras vices illis committimus, in quantum poſſumus, & jura permittunt, & ut ad ejuſmodi cognitiones poſſint creare & nominare notarios & reliquos neceſſarios miniſtros, non permittendo ut ullus ſacerdos ad dicta æraria ad litigandum accedat; ſed tantummodo mittat poteſtatem alicui perſonę: quam facultatem & commiſſionem nos damus etiam ipſis ſacerdotibus qui reſident in locis ærariorum, ad hoc ut clarè compertis abſentiis, & quòd alii ſacerdotes propter dictas abſentias amiſerint ſtipendia, quæ vocant defectus, eoſdem ſacerdotes in tanto condemnent, juxta diſpoſitionem Juris & ſacri Concil. Trident. & conſtitutionum hujus Archiepiſcopatus, & voluntatem Regiæ Majeſtatis, applicando ſtipendia ſic propter reſidentiæ defectum amiſſa, vel fabricis ipſarum doctrinarum, vel pauperibus Indis earundem; ordinando ut ad hunc effectum in eiſdem ærariis remaneant, prout à ſua Majeſtate jam ordinatum eſt, dictamque applicationem ac diſtributionem ſtatim exſecutioni mandando; ita ut illa pecunia in pœnam ſubtracta ſtatim expendatur. Nos priùs, & Antiſtitem certiores reddendo de quantitate exiſtentis pecuniæ, ac de neceſſitate Eccleſię & ipſorum, ut provideant de modo quo expendenda ſit.

CAPUT XXXVI.

Vicarii ſingulis annis informent nos, vel noſtrum proviſorem, de vita, doctrina, & moribus clericorum ſui diſtrictus.

Juſtiſſimum eſt, ut ſacerdotes & clericos honeſtè & laudabiliter converſantes, ac literis ſufficientes, juxta ipſorum bonam vitam & merita, remunerandi ratio habeatur, & ut ipſorum notitia ad hunc effectum apud nos exiſtat. Hinc ſtatuimus, & Archiepiſcopatus noſtri vicariis præcipimus, ut ſingulis annis mittant relationem ejuſmodi clericorum bonæ vitæ, famæ, & literaturæ, ut dictum eſt, idque tam ſecretè, ut nullum ſcandalum vel infamia reſultet clericis qui aliter vivunt, ut ipſorum ſtatui, actui, ac dignitati convenit, & juſtum eſt: eoſdem vicarios monentes, quòd ſi in hoc præſtando negligentes fuerint, contra ipſos rigidè procedant. Similemque rationem ſecretiſſimè mittent de concubinariis, luſoribus, & aliis perſonis, quæ publicè malè vivunt, & Chriſtianæ reipublicæ ſcandalum præbent, ut nos provideamus quod conſcientiæ noſtræ puritati, & ipſorum animarum ſaluti congruere videbitur.

CAPUT XXXVII.

Nominantur teſtes ſynodales.

Juxta decretum proximè præteriti Concilii [n] Provincialis anni MDLXXXIII. nominamus teſtes ſynodales in civitate Regum noſtrum proviſorem, & doctorem D. Stephanum Voſmediano cantorem, canonicum Medel, & doctorem Balboa, & doctorem Roca: & in reliquis civitatibus, oppidis, & locis provinciæ, noſtros vicarios. Qui debeant diligenter ac diſcretè inquirere res dignas correctione & reformatione, ſine ſtrepitu judiciali, ſed ſolummodo res ejuſmodi remedio dignas notando, ſimul cum teſtibus qui eas noverint, à quibus non ſument juramentum: & ſpecialiter nôſſe, & inquirere debeant, qualiter obſerventur ſacrum Concilium Tridentinum, Concilia Provincialia, & relique conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus. Ipſique teſtes ſynodales debeant præſtare juramentum in forma juris, & officium ſuum bene, fideliter, & perfectè adimplere, poſtpoſito quocumque affectu humano. Et quicquid ſic fecerint, ferent ad nos pro prima Synodo quam celebrabimus, & ad primum futurum Concilium Provinciale.

CAPUT XXXVIII.

Examinatores Beneficiorum.

Sacri Concilii Tridentini [o] præcepto parentes, quod in Synodis Diœceſanis nominentur examinatores Beneficiorum & curæ animarum; eos nominavimus qui ſufficientes nobis viſi ſunt, eoſdem, qui nominati ſunt in præterita Synodo anni MDLXXXIV. debentque præſtare juramentum officio ſuo bene & fideliter fungendi, juxta decreta ejuſdem Concilii Tridentini.

CA-

[m] Conc. Later. ſeſſ. 10. in Bulla *Regimini univerſalis.* [n] Act. 4. cap. 23. [o] Seſſ. 24. cap. 18. Conc. Prov. I. Act. 3. c. 17.

CAPUT XXXIX.

Hiſpanorum, Indorumq; parochi, & judices Eccleſiaſtici habeant catechiſmum & Concilia Provincialia, ac Synodos hujus Archiepiſcopatus.

QUoniam ut parochi & vicarii & judices Eccleſiaſtici, tam Indorum quàm Hiſpanorum, non poſſint prætendere ignorantiam, & ut melius ſciant quid ipſos facere oporteat; plurimum intereſt apud ſe habere Synodos tam, Provinciales quàm Diœceſanas. Propterea ſtatuimus & præcipimus, quòd [p] omnes deinceps dicti vicarii, judices, & parochi habeant eadem Concilia & Synodos, quantum ad ipſos pertinebit. Iidemque parochi habeant catechiſmum, ſermones & Confeſſionarium juſſu Concilii Provincialis proximè præteriti anni MDLXXXIII. compoſita, & impreſſa, ac juſſa, ut in uſum inducerentur, ac iis, vel alio catechiſmo, vel Confeſſionario manuſcriptis utantur, vel alios uti permittant, propter errores, qui tranſcribendo irrepere poſſunt: idemque in ſermonibus obſervetur, poſtquam impreſſi fuerint. Quòd ſic faciant & impleant in virtute ſanctæ obedientię, & ſub pœna centum peſorum vulgò *enſayados* noſtra diſpoſitione applicatorum. Eoſdemque monemus, quòd contra delinquentes cum magna demonſtratione ad exemplarem caſtigationem procedetur. Illaque Concilia & Synodos habeant iidem parochi, vicarii, & judices Eccleſiaſtici intra duos menſes à prima publicatione præſentis Synodi ſub pœna centum peſorum, vulgò *enſayados*, ad noſtram diſpoſitionem, & ſub aliis pœnis noſtro arbitrio imponendis. Et parochi pariter catechiſmum & Confeſſionarium jam impreſſa, & ſermones intra duos menſes poſtquam impreſſi fuerint, ſub iiſdem pœnis habeant.

CAPUT XL.

Præfecti oppidorum non cognoſcant cauſſas idololatriæ.

QUoniam [q] ſæcularibus judicibus prohibita eſt cognitio idololatrię, cæremoniarum, & ſuperſtitionum; ordinamus & prȩcipimus, ut in poſterum noſtri vicarii & judices Eccleſiaſtici non permittant quòd ejuſmodi ſæculares cognoſcant id genus cauſſas, vel alias merè Eccleſiaſticas, cùm id ſit ipſis tot cenſuris interdictum. Quòd ſi ea neglexerint, cum omni rigore contra eos procedatur.

CAPUT XLI.

Clerici non viſitent moniales abſque expreſſa licentia.

CONſtitutione Synodi [r] hujus Archiepiſcopatûs jam ſtatutum eſt, ut nullus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel etiam in minoribus Eccleſiaſticum Beneficium habens, viſitet moniales, propter incommoda & detrimenta quæ inde naſcuntur, perdendo tempus quod non parum refert eorum, qui id melius impendere tenentur. Et quoniam inſtructi ſumus, quòd non ſolùm non obſervent tur illæ conſtitutiones, ſed quòd nimium etiam in adverſum excedatur; volentes huic malo neceſſarium remedium opponere; præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna quinquaginta peſorum, diſpoſitione noſtra applicandorum, & aliis pœnis arbitrariis, toties quoties luendis, quòd nullus ejuſmodi clericus viſitet ullam monialem ſine expreſſa licentia noſtra, vel noſtri proviſoris in ſcriptis obtenta. Eiſdemque monialibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, quòd nulli tali clerico loquantur, niſi priùs viſa & cognita tali ſcripta licentia. Nec præfectæ vel abbatiſſæ id permittant: quibus etiam injungimus, ne facilè concedant licentiam, ut ſæculares cum ipſarum monialibus colloquantur, prȩter ipſarum proprios genitores & germanos fratres, nec nos etiam crebrò, nec eas abſque auſcultatrice ad crates dimittant, in quo ipſarum conſcientias oneramus, ut in hoc obſervando ſeriam diligentiam, & ſedulam curam adhibeant, cùm ex adverſo Dei offenſio, temporis perditio, & conſcientiarum diſtractio dictis monialibus oriri poſſint.

CAPUT XLII.

Clerici diebus Dominicis & feſtivis frequentent Eccleſias Cathedrales.

HUjus Archiepiſcopatus Synodo [s] conſtitutum eſt, ut clerici, quamvis ſolâ primâ tonſurâ initiati, ordinati, ordinariè frequentent Eccleſiam Cathedralem, & parochialem, ſuperpelliceis induti, ad primas, & ſecundas Veſperas dominicales & feſtivas, etiamſi nullam in eis præbendam habeant. Et cùm ejuſmodi conſtitutio eâ, qua oportet, curâ non obſervetur; nos diſtrictius remedium adhibentes, ordinamus & præcipimus, quòd omnes poſthac clerici, etiam vel ſolâ primâ tonſurâ initiati, intra civitatem Regum ad primas & ſecundas Veſperas, & ad Tertiam, & ſummum ſacrum diebus Dominicis, & aliis feſtivè colendis accedant cum ſuis ſuperpelliceis Eccleſiam Cathedralem ejuſdem; nec illis horis abſque noſtra, vel noſtri proviſoris licentia in ſcriptis ullatenus

[p] Conc. Prov. 1. Act. 4. c. 24. & act. 5. c. 2. & 3. [q] Jul. III. conſtit. 2. *Licet in diverſis.* 1551. [r] Conc. Prov. 1. Act. 3. c. 35. Synod. 1. Diœceſana cap. 17. [s] Conc. Prov. 1. Act. 3. cap. 25.

nus ab ſint, ſub pœna unius peſi pro noſtra diſpoſitione applicandi, aliiſque arbitrariis, toties quoties abfuerint. In aliis autem partibus extra dictam civitatem eiſdem diebus & horis ſub iiſdem pœnis accedent Eccleſiam parochialem loci. Et juxta decreta ſacri Concilii Tridentini, clericos per nos ordinatos, & qui in poſterum ordinati fuerint, adſcribimus dictæ Eccleſiæ Cathedrali Regum, & in aliis partibus Eccleſiæ parochiali loci, ut in eiſdem exerceant ordines, quibus initiati fuerint.

CAPUT XLIII.

Proviſores, vicarii, & parochi faciant ut clerici minorum ordinum eoſdem exerceant in Eccleſiis Cathedralibus & parochialibus.

HOrtamur & præcipimus noſtro proviſori, vicariis, & parochis, ut [z] poſthac provideant, quòd clerici minoribus ordinibus initiati, eorumque quilibet, eum ordinem quem habet, & non alius qui eundem non habet, exerceant in Eccleſiis Cathedralibus & parochialibus quibus adſcripti ſunt aſſignando illis ex fabrica juxta facultates Eccleſiæ, ſtipendium aliquod ſui miniſterii, in omnibus obſervando & exſecutioni mandãdo quod ſacri Concilii Tridentini decreto conſtitutum eſt.

CAPUT XLIV.

Hiſpanorum Indorumq; parochi prædicent diebus Dominicis, & feſtivis ſolennibus.

STatuimus item & præcipimus, ut [a] omnes in poſterum, tam Indorum quàm Hiſpanorum parochi, prædicent ſuis parochianis, diebus ad minus Dominicis & aliis ſolennibus per annum, atque in Quadrageſima & Adventu, tribus ſaltem in hebdomada, & aliis quibus id expedire videbitur, ſub pœna ſex peſorum ſingulis vicibus luenda, quibus in dictis diebus Dominicis & feſtis ſolennibus, ac tribus ſeptimanæ id omiſerint, aliiſque pœnis pro arbitrio noſtro; præterquam quòd adversùs negligentes per cenſuras & alias pœnas procedendum ſit. Quòd ſi iidem parochi legitimè impediti fuerunt, hujuſmodi prædicationis officium ab aliis ad id idoneis fieri ſub iiſdem pœnis faciant. Quæ prædicatio & dicentis & auditorum capacitati accommodari debet, docendo res ipſorum ſaluti neceſſarias, & cum brevitate & facilitate verborum, declarando vitia quæ vitare, & virtutes quas amplecti debeant, ut ſe ab æterna pœna liberent, & gloriam conſequi poſſint. Moneantque parochi ſuos parochianos, quòd ſermonem in ſua parochia audire teneantur. Hortenturque, ut eaſdem debito affectu proſequantur, & ad Miſſas in eis audiendas frequentent.

CAPUT XLV.

Indi non alant animalia, vulgò Cuyes.

QUoniã, ut inaudivimus, Indi quum animalia, vulgò *Cuyes*, alunt, certos ritus & cæremonias cum eis exercent; & ut incommodis quę inde naſci poſſunt, omnino occurramus; ſtatuimus & præcipimus, ut Indorum parochi deinceps jubeant, & omni poſſibili modo procurent, ne Indi in ſuis ædibus, vel extrà, hæc animalia vulgò *Cuyes* alant. In quo diligentem curam adhibeant, eoſdem Indos exhortando, & charitativè monendo, ut ſic faciant & adimpleant.

CAPUT XLVI.

Non fiat potus, vulgò Azua, *ex* Sora, *vel* Yuca.

STatuimus item & præcipimus, quòd poſthac nemo, vel Hiſpanus vel Indus, cujuſcumque qualitatis exiſtat, faciat *Azua* ex *Sora* cum miſtura *Yucæ*; quoniam non ſolùm ſanitati nociva eſt, ſed, ut percipimus, etiã perniciosa; quę nimirum Indis ebrietatem, & mortem aliquibus afferre ſolet, ad magnam divinæ bonitaris offenſionem, ſub pœna perdendi quicquid dictę *Azuę* ſic fecerint, & cantharos, aliaque inſtrumenta, quibus eam conficiant. Eoſque monemus, quòd contra ipſos rigidè procedetur: noſtrum proviſorem, cæteroſque judices Eccleſiaſticos hortantes, ut contra tranſgreſſores ita procedant, congruas pœnas illis imponentes: & miniſtros ſæculares enixè rogamus, ut circa hęc obſervantes ſint.

CAPUT XLVII.

Nemo Indis, cùm doctrinæ interſint, moleſtus ſit.

AD hoc ut Indi fideles promptiùs aſſiſtant Chriſtianę doctrinæ iis diebus quibus intereſſe tenentur, Mercurii nimirum, & Veneris; ſtatuimus & præcipimus, quòd [x] nemo deinceps Hiſpanus, Indus, aut Niger, vel etiam perſona quęcumque, ſub ſpecie dictos Indos ad ſuos ruſticos labores conducendi, ullum impedimentum illis ponant, quamdiu in doctrina verſantur, vel eos inde extrahant, aut ullo modo perturbent.

CAPUT XLVIII.

De reparatione & erectione Eccleſiarum.

VIcarii [y] oppidorum & provinciarum, in quibus fuerint Eccleſiæ reparatione indigentes, poſthac jubebunt ut reparentur, & cùm opus fuerit, ut alicubi de novo erigantur, nos vel proviſorem noſtrum celeriter monebunt, ut neceſſitati provideatur, & Eccleſiæ conſtrui jubeantur.

CA-

z Conc. Milan. V. *De imitandis.* a Trident. ſeſſ. 24. c. 4. *De reform.* IV. de Eccleſ. fabrica. x Conſt. Paulli III. tom. 8. annal. Min. an. 1532. y Conc Mediol.

CAPUT XLIX.

Ut publicentur aliqua capita Concilii Tridentini.

JUxta decreta ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 23.cap.1. *De refor.* & in ſeſſ.6.ubi agitur *De reſidentia Prælatorum*; ordinamus, quòd dicta capita in Conciliis & Synodis noſtris publicentur: & præcipimus in præſenti hac Synodo publicari.

CAPUT L.

Parochi habeant tabulas feſtorum.

TUM Indorum, tum Hiſpanorum parochi, habeant tabulas feſtorum de præcepto per annum colendorum, & jejuniorum ad quę Indi tenentur: quas tabulas habere debent intra duos menſes à publicatione hujus Synodi.

CAPUT LI.

Parochi non permittant Indis cæremonias, vel ludos quos Teques *vocant.*

INdorum parochi peculiarem curam adhibeant, quòd in feſto corporis Chriſti, vel ejus Octava, aut alio quovis tempore, non permittant Indis cæremonias, cantica, clamores, vel inſtrumenta rituum ſuæ gentilitatis. Quòd ſi iidem Indi ſaltationes aliquas vel cantica inſtituere voluerint, eas priùs examinent parochi. Et ſi conſtiterit Indorum quempiam aliquid præmiſſorum exercuiſſe, fiat informatio deſuper, & ad nos vel noſtrum proviſorem remittatur.

CAPUT LII.

Nemo compellat Indos laborare diebus feſtivis, quibus ipſi noluerint.

NEmo compellat Indos ad laborandum diebus feſtivis, quos ipſi colere voluerint, cùm ad id non ſint obligati: & parochi contra tranſgreſſores inſtituant informationem ad vicarium remittendam, qui juſtitiam ſeverè proſequatur.

CAPUT LIII.

Hiſpani qui inter Indos habitant, exhibeant parochis ſchedam ſuæ confeſſionis.

HIſpani qui in Indorum oppidis habitaverint, teneantur deferre ad parochos confeſſionis & communionis ſuæ ſchedas; & ipſi parochi contra non deferentes procedant per informationem remittendam ad vicarium provinciæ.

CAPUT LIV.

Indi accedant Eccleſias ad doctrinam iis diebus, quibus intra ſeptimanam tenentur.

QUoniam intelleximus, quòd Indi quarundam operarum non frequentent doctrinam diebus, quibus intra ſeptimanam eos intereſſe conſuevit, indeque offendatur Deus, & ipſi Indi ignorent Chriſtianam doctrinam, & catechiſmum à ſacro Concilio inſtitutum; proinde ſtatuimus & præcipimus, quòd Indi qui in dictis operis laboraverint, in poſterum teneantur ad doctrinam accedere Eccleſiam oppidi, in quo ejuſmodi labores exercentur, illis diebus ſeptimanę, quibus adeſſe debeant, niſi dominus laboritii habeat ſacerdotem, qui iiſdem diebus in ipſo laboritio doctrinam illis declaret: qualem ſi non habuerit, Paſtor oppidi eos accedere compellat. Ubi verò laboritium tam procul aberit, ut dictis diebus ad oppidum accedere non poſſint; provideatur ipſis de ſacerdote cum competenti ſalario, juxta conſtitutionem Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. Et ut Indi commodiùs ad operas egredi poſſint, præcipimus ipſorum parochis, ut ſummo mane doctrinam illis recitent, quemadmodum per conſtitutionem [a] hujus Archiepiſcopatus ordinatum eſt: eoſdemque monemus, quòd ſi mane ad hoc tempeſtivè non ſurrexerint, ſeverè caſtigabuntur. Ubi verò duo ſacerdotes adſtiterint doctrinæ, alter eorum ad eam declarandum accedat ipſum locum laboritii, ut operæ commodiùs exerceantur.

CAPUT LV.

Clerici inter ſe humaniter colloquantur, nec alant inimicitias.

NOſtris vicariis & judicibus Eccleſiaſticis conſtituimus & præcipimus, ut [b] ſi aliqui clerici in ipſorum diſtrictibus ita inter ſe foveant inimicitias, ut nec inter ſe communicent, nec mutuò loquantur, ad minùs quoad communes ſalutationes; contra eos procedant, eoſque ſeverè caſtigent.

CAPUT LVI.

Appellationes, quas pars non proſequitur, pro deſertis habeantur.

QUoniam edocti ſumus, quòd multi Eccleſiaſtici & ſæculares, appellando à ſententiis contra ipſos latis & pronunciatis, ſuas appellationes non proſequuntur, adeoque cauſſæ indeciſæ, delicta-

[a] Act.3.c.12. [b] Act.2.c.3 4.5.& 6. [b] Conc.Mediol.IV.in no. nitionibus verſus charitatem.

ſtaque impunita manent; ſtatuimus [c], & judicibus noſtris Eccleſiaſticis præcipimus, quòd cùm aliquem à ſententia appellare contigerit, aſſignent terminum competentem ad proſequendum eaſdem appellationes; & reliquas diligentias legis diſpoſitioni convenientes adhibeant. Et ſi aſſignato termino, pars quæ appellaverit non adhibuerit debitum ſtudium cauſſam ſuam proſequendi, vel intra terminum juris, cùm nullus à judice aſſignatus fuerit; tunc judex ipſe talem appellationem pro deſerta dando, ſecundùm jus procedet, perducendo ſententias ad debitam exſecutionem & effectum, ut delicta punita ſint, & debitum Deo præſtetur obſequium.

CAPUT LVII.

Torneamenta diebus feſtivis non fiant, nec illis ſpectandis clerici ullo tempore interſint.

QUoniam Bullâ & Motu proprio ſanctiſſimi patris noſtri Gregorii XIII, ſub dato Romę 25. Auguſti MDLXXV. prohibita eſt agitatio taurorum in diebus feſtivis, & nobis relatum eſt id non integrè per omnes Archiepiſcopatus noſtri partes obſervari; quamquam adeò obliget, ac tantopere obſervetur in civitate Regum, reliquarum partium capite; nos volentes opportunum remedium providere, & Sanctitatis ſuę mandatis obedire, juxta eundem Motum proprium, & alium pariter Pii V. & quia juſtum eſt ut feſti dies religiosè colantur, & fideles Chriſtiani Deo & Domino noſtro laudando & honorando, ut & pietatis & miſericordiæ operibus ac jugi orationi in eiſdem inſiſtant; præcipimus, quòd in poſterum nullo feſto die fiant torneamenta vel agitationes taurorum. Quòd ita obſervent, compleant, & exſequantur in virtute ſanctæ obedientiæ. Et monemus, quòd contra tranſgreſſores, & eos qui favorem, auxilium, vel auctoritatem ſuam interpoſuerint, cum omni rigore procedatur, uſque ad declarationem excommunicationis, & incurſûs cenſurarum per dictos Motus proprios impoſitarum. Cunctoſque juſtitiæ & ſęculares miniſtros, Senatus, ſeu Communitates, & regimina, aliaſque perſonas omnes, ad quos pertinebit, enixè rogamus, & exhortamur in Domino, & propter honorem & reverentiam ſanctiſſimi nominis ipſius, ut copioſiſſimum præmium & gratiam ejuſdem propter opus tam bonum exſpectantes, huic malo remedium apponant, & hujuſmodi taurorum agitationes prohibeant, & Apoſtolicis mandatis parentes, peculiarem diligentiam adhibeant, ut non diſſimulent, vel ullo modo permittant ejuſmodi ludos diebus feſtivis, ut dictum eſt. Proviſori quoque noſtro, vicariis, & judicibus Eccleſiaſticis præcipimus, ut præmiſſa prohibeant per pœnas ac cenſuras, quas ipſi expedire judicaverint. Ita ut, quod ſua Sanctitas præcepit & providit, obſervantiam, implementum, & effectum obtineat. Prohibemus [d] inſuper & præcipimus, quòd nullus clericus, cujuſcumque qualitatis, dignitatis, vel conditionis exiſtat, in ſacris ordinibus conſtitutus, præſens interſit hujuſmodi taurorum agitationibus ſpectandis, cùm talibus ſpectaculis aſſiſtere indecorum ſit, & Eccleſiaſticum ſtatum non deceat. Quod ſic faciant & impleant in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna quinquaginta peſorum toties luenda, quoties hujuſmodi taurorum ludis adfuerint, & ſub aliis pœnis arbitrio noſtro imponendis. Eoſdem exhortantes, ut advertant talem aſſiſtentiam clericorum ejuſmodi ludis, ſub pœna excommunicationis per ſummum Pontificem Gregorium XIII. prohibitam eſſe. Cæteraſque perſonas, quarum interierit præmiſſis remedium apponere, ſeriò exhortamur, & eo quòd res poſtulat ſtudio & exaggeratione rogamus, & ſeriò inſtantes petimus, ut circa ſupradicta ac declarata jubeant & provideant, quòd quo tempore agitabuntur tauri, nullius mors vel damnum ſequatur, ſpecialem in hoc habentes curam Indorum, qui aliis plus habent periculi: taurorum cornua cautè ligando, vel burſam illis imponendo, cæteramque diligentiam adhibendo, ne dicta damna ſequantur, & ut in omnibus ſerviatur Deo.

CAPUT LVIII.

Feſta ſervanda in civitatibus, oppidis, & pagis, obſerventur etiam in agris.

CUm intellexerimus, quòd in aliquibus partibus feſta quę ſervanturin oppidis, non obſervantur in campo; ordinamus & prȩcipimus, ut poſthac omnia feſta in civitatibus, oppidis, & locis totius hujus noſtri Archiepiſcopatus obſervanda, eadem integrè obſerventur etiã in agris, non obſtante quacumque prȩterita vel prȩſenti conſuetudine contraria. Et noſtri judices Eccleſiaſtici contra tranſgreſſores ſeverè procedant.

CAPUT LIX.

In doctrina vacante conſtituatur ſacerdos, & audientia Regia intra quadraginta dies certior fiat.

JUxta ſchedulam Regię Majeſtatis, qua diſponitur & edicitur, ut habita monitione quòd aliqua doctrina vacet, intra quadraginta dies, & expenſis ejuſdem doctrinę ſolvatur ſtipendium ſacerdoti, qui interea juſſu Antiſtitis illi inſervierit, quamvis non habeat præſentationem; præcipimus, ut noſtri vicarii, & judices Eccleſiaſtici ſedulam curam gerant Regiam audientiam monendi intra id tempus

[c] Conc. Lateran. III. in append. par. 7. c. 19. & par. 50. c. 16. Conſtantinop. Syn. 6. can. 24. Conc. Mediol. 1. tit. *De armis & ludis, &c.* [d] Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. *De reformat.*

pus quadraginta dierum, vel alium cui incubuerit gubernium, & is dicto ſacerdoti pro præſtito miniſterio perſolvat. Atque circa hoc magnam curam ac diligentiam habebunt.

CAPUT LX.

Indis tollatur conſuetudo concubinarum ante matrimonium.

QUoniam ad noſtram pervenit notitiam, quòd in quibuſdam partibus & doctrinis noſtri Archiepiſcopatus, Indis in pernicioſo more ſit, ut antequam contrahant matrimoniũ ſe fœminis conjungant, nec eas ducere volunt, aſſerentes ſe non eſſe conjunctos, vel eas cognoviſſe, id in malam partem intelligendo; proinde ſtatuimus & præcipimus, quòd noſtri parochi ſolicitâ curâ incumbant hujuſmodi pernicioſo abuſui illis tollendo, eos exactè hortando, & in Eccleſiis monendo de malo ſtatu in quo verſantur, & gravis offenſæ, quam inferunt Deo. Contraque eos qui in hoc deliquerint, inſtituant informationem, eamque ad vicarios remittant, ut ipſos ſeverè puniant.

CAPUT LXI.

Indorum parochi compellant Hiſpanos inter Indos viventes ad audiendam Miſſam, & ad colenda feſta.

STudium etiam adhibeant Indorum parochi, quòd Hiſpani qui in ipſorum parochiis vivunt, audiant Miſſam, & non laborent in diebus feſtivis: & contra culpabiles procedant, exigendo in pœnam duas libras cerę pro uſu Eccleſiæ, toties quoties in hoc deliquerint. Quòd ſi id ſæpiùs contingat, informationem deſuper inſtituant, eamque ad vicarium remittant. Et ſi dicti Hiſpani commiſerint alia delicta vel offenſas Dei ad forum noſtrum pertinentia, eoſdem puniant, & informationes, ut dictum eſt, inſtituant, & ad vicarios remittant.

CAPUT LXII.

Parochi miniſtrent Indis ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, & eoſdem circa id inſtruant.

IN ſacro Concilio *f* Provinciali in civitate Regum ultimò celebrato, & jure, parochis jubetur, ut diligenter inſtrant & doceant ſuos parochianos altiſſima myſteria ſanctiſſimi ſacramenti Euchariſtię, & Viatici, & Extremę-unctionis, declarando ipſis eorum arcana myſteria, & effectus, ipſaque ſacramenta juxtà cujuſque capacitatem illis adminiſtrando. Et non obſtante quòd tàm ſanctè proviſum ſit, reperimus tamen id non obſervari, cum ſit res tanti momenti, & quæ tantopere conferat ſaluti animarum. Quapropter jam neceſſariis rebus providere volentes, ordinamus & præcipimus, quòd Indorum parochi deinceps obſervent & adimpleant ſtatutum & ordinationem ſacri Concilii, conſtitutione decima nona, & viceſima, & viceſima octava Actionis ſecundæ, juxta, & ſecundùm quod in iiſdem continetur. Eoſdem admonentes, quòd ſi id omiſerint, contra ipſos ſeverè procedetur uſque ad privationem doctrinarum, & alias pœnas pro noſtro arbitrio.

CAPUT LXIII.

Indorum parochi ab eiſdem exigant ſcripta teſtimonia Miſſæ in aliis locis auditæ.

HOrtamur & monemus noſtros Indorum parochos, ut diligenter curent, quòd Indi ſui parochiani, qui aliò profecti fuerint, regreſſi ferant ſchedulas teſtimoniales, quòd diebus Dominicis & feſtivis audierint Miſſam, quas ſchedulas ipſis dabunt parochi locorum, in quibus Miſſas audierunt. Eiſdemque parochis injungimus, ut eas ſchedulas Indis petentibus amanter concedant, ut per omnia ſerviatur Deo, & cognoſcatur qualiter iidẽ Indi impleverint præceptum Eccleſiæ.

CAPUT LXIV.

Correctores oppidorum ſacerdotibus Indorum non detineant ſuas Synodos.

QUoniam g detinendo ſacerdotibus Synodos & ſtipendia, quæ ipſis ex doctrinis & Beneficiis debentur, cùm eis tempeſtivè non dantur, coguntur multa pati, propter quæ non poſſunt ſuis muneribus convenienter fungi, per quod Dei offenſa incurritur, ea ipſis contra ipſorum voluntatem denegando; hortamur, monemus, & quantum opus eſt, etiam præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & quibuſcumque perſonis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, quibus incubuerit eorundem ſacerdotum, ſive in Indorum doctrinis, ſeu in Hiſpanorum parochiis reſidentium, ſalaria ſolvere, ut ea completo tempore quo ſolvi debent, nulla interpoſita excuſatione perſolvant; ſolerterque curent, ut ejuſmodi ſolutionũ temporibus præſentes aſſiſtant ærariis, vel aliis partibus & locis, in quibus iſtæ ſolutiones fieri ſolent. Noſtris etiam judicibus & vicariis præcipimus, ut ſolvi faciant ſacerdotibus, qui petierint ſalaria ſua, & ita in caſu ſecundùm juſtitiam provideant, ut hæc conſtitutio ſortiatur effectum, & ſacerdotes obtineant ſua ſalaria.

CA

f Concil. Prov. I. Act. 2. c. 19. 20. & 28.

g Concil. Cabilonenſe cap. 5.

CAPUT LXV.

Nullus minister justitiæ, nec alia persona impediat Ecclesiasticos in emendo, vendendo, aut molendo res suæ sustentationi necessarias.

AD hoc [h] ut sacerdotes doctrinarum Indorum vel Hispanorum officiis suis absque necessariarũ rerum penuria cõvenienter fungi possint, ac Deo per cuncta serviatur; statuimus, quòd nemo, directè vel indirectè, impediat quominus Indi vel alii vendant ipsis necessaria suæ sustentationi, ut triticum, panem, carnes, ligna, herbas, & reliquas res ipsis, aut ipsorum domibus necessarias, nec opera molinaria, vel Indorum servitia illis interturbent. Quod totum ordinamus & præcipimus, ut sic fiat, cùm interminatione, quòd contra transgressores ex rigore Juris procedetur; eosdem exhortantes, ut advertant ad censuras per jura impositas illis qui præmissa impedierint, ad quas debet summopere adverti, ne innodentur excommunicatione latæ sententiæ, quam jura talibus imponunt, cùm res sit contra libertatem Ecclesiasticam. Iisdemque sacerdotibus præcipimus, ut quicquid sic emerint, vel acceperint ab Indis, pretium ejus absque dilatione persolvant: & Indis item, quorum obsequiis usi fuerint, laboris stipendia pendant; nostrique judices & vicarii procedant contra non sic solventes, cogendo illos ad solvendum dictis Indis quicquid ipsis debuerint. Iidemque vicarii & judices Ecclesiastici procedant etiam contra rectores, aliasque personas, quæ præmissa transgressi fuerint.

CAPUT LXVI.

De juribus funeralium.

QUod ad [i] jura funeralium attinet, observabuntur laudabiles consuetudines quæ de jure fuerint. Et quoad Indos servabitur decretum Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. Act. 2. cap. 38. & nostra constitutio Synodalis.

CAPUT LXVII.

Puellæ doctrinarum non famulentur sacerdotibus.

QUoniam indecens est quòd puellæ doctrinarum sacerdotum eorundem domos ad verrendum vel rigandum frequentent, vel *mitam*, vel alias res in eisdem domibus faciant; ordinamus & præcipimus, quòd [k] dicti doctrinarum parochi in posterũ non permittant, ut dictæ doctrinarum puellæ ipsorũ ædes ingrediantur ad ullum dictorum effectuum, ipsos monentes, quòd si contrarium fecerint, contra illos rigorosè procedetur.

CAPUT LXVIII.

Puellæ duodenni majores, cùm doctrinam antè didicerint, non cogantur ei interesse.

QUoniam in Indorũ doctrinis solent esse fœminæ liberę ætate majores annorum duodecim; ordinamus & præcipimus, quòd Indæ duodennes, vel majoris ætatis, quæ callent doctrinam Christianam, non compellantur ei interesse ultra dies usuales Mercurii, Veneris, & Dominicos, aliosque festivos, ut reliquo tempore parentes suos in laboribus juvare possint, & aliis rebus incumbere; cùm per hoc etiam evitentur alia multa incommoda, quæ sequi possunt ex eo quòd singulis diebus detineantur in doctrinis. Et ubi consuetudo est pueros mane & vesperi doctrinam frequentare, parochi diligenter curabunt, ut ad solis occasum ad suas domos revertantur, nec eos ultrà detineant.

CAPUT LXIX.

Inter Indos non fiat disciplina seu flagellatio in processionibus, nisi eodem tempore quo fit ab Hispanis.

CUm perceperimus quòd in aliquibus Indorum oppidis iidem Indi instituant disciplinam extraordinariam, seu publicam flagellationem in forma confraternitatis extra ea tempora, quibus ea ex consuetudine utuntur Hispani; statuimus & præcipimus, ut Indorum parochi non permittant fieri hujusmodi confraternitates iis temporibus, sed ut per omnia se conforment consuetudini & usui Ecclesiæ, prout faciunt Hispani, ac temporibus consuetis, eosdem parochos monentes, quòd aliter faciendo, contra ipsos severè procedetur.

CAPUT LXX.

Indorum parochi funeralia cum superpelliceo, cruce, & stola devotè celebrent.

IIdem [l] Indorum parochi, quum defunctorum corpora ad sepulturam ducunt, id magna devotione faciant, superpelliceis & stolis induti, cruce ad mortui domum præcedente, litaniasque cantantes: & corpus ad Ecclesiam ducant comitantibus pueris doctrinæ, & ipsam doctrinam interea recitantibus: quod ita observent & adimpleant sub pœna rigidæ castigationis.

CA-

[h] Conc. August. ann. 1548. c. 19. vers. *Item cum sacris Canonibus*; Trid. sess. 25. cap. 20. *De refor.* [i] Conc. Mediol. IV. tit. *De funerib. & exequiis.* [k] Conc. Salisburg. sub Everardo. Conc. Nanneten. c. 3. [l] Conc. Mediol. IV. tit. *De funer. & exequiis.*

CAPUT LXXI.

Indi paſtores, & alii foris habitantes, ad Miſſas accedere compellantur.

INdorum [m] parochi diligenter etiam incumbant, ut omnes Indi, tam oppidani quàm qui in ruſticis tuguriis, vel gregum cuſtodiâ alibi morantur, ad Miſſam accedant in diebus obligationis, & etiam ad doctrinam diebus conſuetis, niſi præciſa neceſſitate de jure fuerint impediti, ita ut qui ejuſmodi neceſſitate detenti non ſint, ad accedendum compellantur: ordinando etiam, ut in iiſdem tuguriis, vel gregum cuſtodiis non ſe occupent in rebus non neceſſariis, nec talia ibi ſint in quibus ſe occupent, extra præciſam neceſſitatem. Provideant pariter, ut ejuſmodi Indi qui doctrinam non didicerunt, ſeu juvenes, ſeu ſenes, qui adſtiterint in partibus jam expreſſis, compellant intereſſe doctrinæ donec ipſam bene percalleant. Monemuſque eoſdem ſacerdotes, quòd ſi in præmiſſis negligentes fuerint, contra ipſos cum rigore procedetur; exhortantes cum omni poſſibili exaggeratione, ut tam bono officio ad indigenarum utilitatem ac Dei obſequium gnaviter incumbant.

CAPUT LXXII.

Matrimonio jungendi ad confeſsionem & communionem exhortandi ſunt.

PArochi exhortentur illos qui matrimonio jungi voluerint, ut antequam copulentur, vel tribus ad minus diebus priuſquã matrimonium conſumment, peccata ſua diligenter confiteantur, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipiant. Hortamur pariter eoſdem parochos, ut ſubditis ſuis publicent ac declarent decretum Reformationis matrimonii ex ſeſs. 24. Conc. Trident. cap. 1. idque faciant in locis, in quibus uſque modò publicatum non fuit. Et in reliquis locis, ubi jam publicatum eſt, publicetur etiam toties quoties expedire videbitur: quod decretum tractat de modo quo debet contrahi matrimonium, & de ſtudio quod in id ponendum eſt. Quæ res cùm tanti momenti ſit, nullam in ea negligentiam admittant.

CAPUT LXXIII.

Ordo caſtigandi Indos.

QUoniam per conſtitutiones [n] ſynodales proviſum & mandatum eſt, quòd nullus Indorum parochus poſſit ſuæ curæ Indos caſtigare ſine ſui Antiſtitis cõmiſſione, cum ordine quem in eo obſervare, & pœnis quas imponere debẽt; nunc huic rei providere volẽtes, convenimus fieri conſtitutiones, quarum ſuperiùs mentio facta eſt, & per eaſdem commiſimus noſtris parochis, ut cognoſcere poſſint, & cognoſcant omnes cauſsas in eiſdem conſtitutionibus contentas, & reliquas ut ſuprà, in quibus facultas ipſis conceditur neceſſarias informationes ſuper contentis in eis inſtituendi, ſecundùm quod, & eo modo quo in iiſdem conſtitutionibus continetur. Commiſſionem pariter & facultatem dedimus, ut circa reliquas cauſſas & negotia præter contenta in his conſtitutionibus, & in eis non expreſſa, tam adversùs Indos, quàm Hiſpanos, poſſint ſumere informationes, & fulminare proceſſus uſque ad ſententiam inclusivè, illoſque ad provinciæ vicarium remittere, ut rem decidat: & in caſibus in quibus ipſis expedire videretur, ut non ſe intromittant in aliquarum cauſarum cognitione, ſive ad Indos, ſive ad Hiſpanos pertineant, tunc poſſint earum cognitionem & proceſſus, quos deſuper confecerint, ad vicarium remittere. Et ut eaſdem cauſſas cognoſcant, ut etiam poſſint creare & nominare fiſcalem, notarium, & reliquos miniſtros neceſſarios: pro quibus omnibus, eorumque annexis, indeque dependentibus, noſtras vices illis commiſimus, quantum de jure potuimus. Eiſdemque parochis præcipimus, ut corporales caſtigationes, quæ in Indos exercendæ eſſent, fierent per manus miniſtrorum ſæcularium, & non aliter. Imprimis ſi quis Indus deprehenſus fuerit revertiſſe ad ſacrificandum in ſuorum defunctorum ſepulchris, vulgò *guacas*, vel adoratorio, vel recurriſſe ad veneficos, ut ipſius nomine adorent, ſacrificent, vel veneficia faciant; tunc parochus informationem deſuper inſtituat, eamque ad nos, noſtrumve proviſorem, vel generalem vicarium mittat. Et ſi per eandem informationem culpa deprehenſa fuerit, & ſufficiens ſit, delinquẽs interim capiatur, & in cuſtodia detineatur.

CAPUT LXXIV.

Indi filiorum capita non formant typis.

CUpientes penitùs exſtirpare abuſum & ſuperſtitionem, quibus Indi paſſim infantium capita formis imprimunt, quos ipſi vocant *caito*, *oma*, *opalta*, & certos modos componendi crines, eoſque ex una in alteram formam abradendi, ſeu unctionibus evellendi, quæ ſunt ſuperſtitiones dignæ remedio; proinde ſtatuimus & præcipimus, quòd Indus qui talia fecerit, ſi fuerit ſatrapa, vulgò *Cacique*, ſeu primarius; pro prima vice ſerviat per decem dies Eccleſiæ ſuo oppido viciniori; pro ſecunda, per viginti; & pro tertia vice inſtituatur informatio, & remittatur ad vicarium provinciæ. Quòd ſi plebejus fuerit, pro prima vice ſuſtinebit plagas viginti, pro ſecunda duplicatas, & pro tertia fiat informatio, & remittatur eidem vicario. Et ſi fuerit mulier, frequentabit doctrinam per continuos decem dies manè & veſperi pro prima culpa, pro ſecunda verò

[m] Conc. Colonien. ann. 1536. par. 7. cap. 26. Vide infrà c. 82. hujus Synodi.

[n] Conc. Provincial. I. act. 4. c. 7. & 8. & infrà Synod 4. cap. 8.

verò per viginti, & pro tertia fiat informatio & remittatur, ut dictum eſt,

CAPUT LXXV.

Indi aures non inaurent.

AD tollendam ſuperſtitionem qua Indi inaurant aures, cùm intellexerimus quòd nunquam fiat abſque præcedentibus ritibus & adorationibus gentilitiis; ſtatuimus quòd quando id evenerit, tunc Indorum parochi inſtituant informationem, eamque ad nos vel noſtrum proviſorem remittant: & ſi culpa ad id ſufficiat, captivi delinquentes interim detineantur.

CAPUT LXXVI.

Tempore ſementis, vel aliis temporibus, non exerceant ludos, vulgò taquies, *vel compotationes.*

EST etiam, inter Indos communis abuſus, magnæ olim ſuperſtitionis apud ipſorũ majores, inſtituendi inebriationes & ludos, quos *taquies* vocant, & offerendi ſacrificia ad honorem dæmonum temporibus ſementis & meſſis, vel quando moliuntur aliquod negotiũ, quod ipſis videtur majoris momenti. Nos his cæteriſque ſuperſtitionibus, & cæremoniis, & diabolicis ritibus, quos innumerabiles habent, maximè pro negotiorum auguriis, remedium apponere volentes; ſtatuimus & præcipimus, quòd quando ejuſmodi quippiam contigerit, tunc iidem Indorum parochi ſumant informationes, & ſumptas, ad nos vel noſtrum proviſorem remittant, contra quamcumque perſonam, vel perſonas, quæ prædicta, vel eorum quippiam commiſerint. Et cùm culpa per informationem digna reperta fuerit, tunc delinquentes facti captivi bene cuſtodiantur interim donec provideatur in caſu.

CAPUT LXXVII.

De pœna eorum qui ſe inebriaverint.

AD magna multaque incommoda præcavenda, quæ ex eo ſequuntur, quòd Indi ſe in publicis plateis, vel alibi inebriant; conſtituimus [q] quòd ſatrapa, ſeu principalis Indus, qui ſe eo modo inebriaverit, vel inſtrumentum ſeu cauſſa fuerit ut alii ſe ſic inebrient, pro prima vice per decem dies inſerviat Eccleſiæ proximi oppidi, pro ſecunda per viginti, & pro tertia parochi ſument informationes, & remittent vicario provinciæ in qua caſus contigerit, ut exemplarem pœnam inde ſumat. Et ſi fœmina fuerit, pro prima vice frequentabit doctrinam manè & veſperì decem continuos dies, pro ſecunda per viginti, & pro tertia remittatur informatio ut ſuprà. Si verò fuerit alius qualiſcumque Indus, pro prima vice vapulabit plagis viginti, pro ſecunda quadraginta, & pro tertia committatur vicario, ut dictum eſt. Quòd ſi hujuſmodi inebriationes noctu fiant, pœna præſcripto jam ordine duplicabitur. Si autem ejuſmodi compotationes fiant cum tripudiis, vulgò *taquies*, vel aliis cæremoniis, cùm ſint infidelitatis indicia, parochi faciant informationes, & mittant nobis aut noſtro proviſori, & interim cùm culpa id merebitur, delinquens captivus detineatur, ſervato ordine ſupradicto.

CAPUT LXXVIII.

Pœnæ non ritè ſepelientium, vel è ſepulchro extrahentium corpora defunctorum.

SI quis poſthac Indus alterius Indi in Eccleſia ſepulti corpus eruerit, vel talem, ſi Chriſtianus fuerit, fecerit ſepeliri extra Eccleſiam, aut cum veſtimentis, cibo, aut potu ſepelierit; ubi conſtiterit id ex ordine & mandato ipſius defuncti factum eſſe, tunc parochus oppidi videat quæ circa hæc ordinata & præcepta ſunt in Concilio Provinciali anni MDLXVII. ſeſs. 2. cap. 102. ubi decernitur, quòd defunctus privetur ſepultura Eccleſiaſtica, & tradatur brachio ſeculari: & qui in eo culpabiles inventi fuerint, caſtigabuntur juxta diſpoſitionem Juris canonici: quam caſtigationem nobis vel noſtro proviſori reſervamus: & præcipimus parochis, ut informationes deſuper confectas ad nos, ut dictum eſt, remittant. Et cùm cauſſæ merita poſtulaverint, ſervetur ordo præſcriptus in incarceratione aliorum delinquentium.

CAPUT LXXIX.

Contra reiterantes ſacramenta.

CUm aliqui Indi ſoleant bis vel ſæpiùs ſuſcipere ſacramenta non iteranda, ut ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Matrimonium, & videatur quòd ex malitia peccent, & malè ſentiant de ſacramentis; ſtatuimus & præcipimus, [r] quòd parochi informationes contra tales conficiant, & factas, ad nos vel noſtrum proviſorem remittant. Et cùm res requiſiverit, ſervetur ordo jam præmiſſus in incarceratione delinquentium.

CAPUT LXXX.

De punitione concubinariorum.

INdi concubinarii [ſ] pro prima vice moneantur ut ſe ſeparent à peccato, & concubinam deſerant, ſub pœna, ſi fuerint *Caciques*, ſeu viri primarii, quòd ſerviant in Eccleſia oppidi pro-

---

[p] Simile quid eſt in 6. Synodo Conſtantinopolit. can 45.
[q] Eutychianus Papa decret. 8. Conc. Turon. 3. c. 48. Conc. Moguntini ſub Leone III. c. 46. [r] Conc. Cabilonen II. c. 37. Trident. ſeſſ. 7. can 9 & ſeſſ. 24 c. 27. *De reform. Matrimonii.* & can. 2. *De Matr.* [ſ] Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. *De refor. Matrim.*

proxima per decem dies, & pro ſecunda vice viginti, & pro tertia vice, cum nova admonitione triplicatur pœna. Quòd ſi his non obſtantibus repetierint ejuſmodi peccatum, tunc parochus conficiet informationem (in qua exprimet tres admonitiones quas præmiſit) eamque remittet ad vicarium provinciæ, ut exemplarem pœnam exigat. Fœminæ quoque eædem tres admonitiones eodem ordine fiant, ut prima vice per continuos decem dies doctrinam cum pueris manè & veſperi frequentet, pro ſecunda viginti, & pro tertia triginta dies. Quòd ſi in publico concubinatu perſeveraverit, exſilio multetur ab oppido in quo caſus acciderit, ſi ita expedire videbitur. Si autem delinquens fuerit plebejus, fiant etiam ipſi tres admonitiones eodem ordine; & pro prima vice infligentur ei viginti plagæ, monendo, ut ſe abſtineat à peccato: quod ſi non fecerit, duplicabitur pœna, & pro tertia triplicabitur. Quòd ſi adhuc perſeveraverit, fiat informatio, & mittatur ad vicarium. Si denique concubina fuerit uxor alterius viri, caveant parochi & judices, ut ſecretiſſimè procedant, ne aliquid detrimenti in ſua perſona patiatur à marito vel parentibus.

CAPUT LXXXI.

Seipſos occidentibus non concedatur ſepultura.

QUia non ſolùm contra naturam, ſed etiam contra omnem inclinationem naturæ eſt, ut quiſquam ſeipſum occidat; ideò ſtatuimus [x] & præcipimus, quòd Indus qui ſeipſum occidiſſe repertus fuerit, careat Eccleſiaſtica ſepultura.

CAPUT LXXXII.

Pœna non obſervantium feſta, & non accedentium ad Miſſas.

SI quis [a] Indorum die Dominico, vel feſto ipſis præcepto non acceſſerit ad Miſſam, niſi legitima neceſſitate impeditus, qua de jure excuſetur, vel in eiſdem diebus feſtivis laboraverit, ſi fuerit *Cacique*, ſeu primarius Indus, puniatur in ſervitio Eccleſiæ alicujus oppidi pro prima vice per quatuor dies, & interea cum pueris manè & veſperi aſſiſtet doctrinæ: pro ſecunda vice duplicabitur pœna; & ſi deinde continuabit culpam, fiet informatio, & mittetur ad vicarium provinciæ, ut jam dictum eſt. Alius autem quicumque Indus, portabit pro prima culpa plagas viginti, pro ſecunda duplicentur, & pro tertia remittatur informatio, ut ſuprà. Quòd ſi fœmina Miſſis audiendis defuerit, vel jam dictis diebus laboraverit; pro prima vice per continuos quatuor dies manè & veſperi cum pueris aſſiſtet doctrinæ, pro ſecunda duplicabitur pœna, & ſi culpam protraxerit, fiet informatio, & mittetur ad vicarium.

CAPUT LXXXIII.

Pœna non frequentantium doctrinam.

CAcique, ſeu primarius Indus, qui diebus Dominicis, & feſtivis, & intra ſeptimanam diebus Mercurii & Veneris, prout fieri conſuevit, non adſtiterit doctrinæ, ſerviet per duos dies Eccleſiæ, & interim veſperi & manè frequentabit puerorum doctrinam toties quoties deliquerit. Quòd ſi frequenter abfuerit, remittatur cum informatione ut ſuprà. Plebejus autem pro ſingulis abſentiis portabit duodecim plagas, & ſæpiùs recidivus remittetur, ut dictum eſt. Fœmina verò quoties deliquerit, toties per duos dies manè & veſperi interſit puerorum doctrinæ.

CAPUT LXXXIV.

Pœna non adducentium filios ad baptiſmum.

AD præcavenda incommoda quæ inter Indos accidere ſolent ex dilatione baptiſmi infantium; ſtatuimus & præcipimus, * quòd in poſterum Indus Chriſtianus, in cujus parochia fuerit ſacerdos, filium, ſeu alium infantem ſuæ curæ, intra octo dies poſt natum non ferens ad baptiſmum, vel etiam priùs cùm neceſſe fuerit, ſi ſit *Cacique* ſeu vir primarius, debet pro ſingulis vicibus per decem dies inſervire Eccleſiæ proximi ſacerdotis: & ſi ſæpiùs deliquerit, parochus informet, & cauſſam remittat ad vicarium provinciæ. Plebejus autem Indus qui in hoc deliquerit, punietur viginti plagis pro ſingulis vicibus, & adhuc pertinax remittetur ad vicarium. Fœmina verò per ſex dies frequentabit mane & veſperi catechiſmum puerorum.

CAPUT LXXXV.

Pœna ſcientium, & tacentium impedimenta matrimonii.

CUm inaudierimus, quòd non obſtantibus monitionibus ac declaratione impedimentorum matrimonii, quas Indorum parochi, ex conſtitutione & præcepto noſtro, in Eccleſia publicè faciunt, dicti tamen Indi hujuſmodi impedimenta malitiosè celant, ex quo multa reſultant gravia incommoda, dum conſanguinei, etiam in ſecundo gradu, & cum aliis impedimentis quandoque copulantur; ut tantis malis proſpiciamus, ſtatuimus & præcipimus, quòd ſi factis monitionibus juxta ſacri Concilii Tridentini, & hujus noſtri Archiepiſcopatus conſtitutiones, Indus aliquis vel Inda reperti fuerint noviſſe, & non manifeſtâſſe ſacerdoti hujuſmodi aliquod impedimentum; ſi fuerit *Cacique* ſeu primarius Indus, puniatur ſer-

[a] Conc. Bracaren I. cap. 34. & 23. q. 5. [x] Conc. Provin. 1. Act. 3. c. 40. * Conc. Mediol. I. p. 2. tit. *Quæ pertinent ad Bapt. adminiſtrationem.*

ſerviendo per decem dies in Eccleſia proximæ doctrinæ. Et ſi culpam iteraverit, cum informatione ad vicarium remittatur, ut pro gravitate casûs castigetur. Mulier autem cujuſvis qualitatis in hoc delinquens, per decem dies manè & veſperi aſſiſtet puerorum doctrinæ pro ſingulis vicibus; & ſi ſæpiùs deliquerit, cum informatione pariter ad vicarium remittatur. Indus autem plebejus toties quoties reportabit plagas triginta, & ſi ſæpiùs recidat, informatio ad vicarium remittatur, & etiam de iis, qui cum impedimentis copulati reperti fuerint, ne hujuſmodi errores tam liberè committantur.

CAPUT LXXXVI.

Ne uxores maritis auferantur, propterea quòd ſint alterius loci indigenæ.

QUoniam turpis & remedio tollendus inter Indos abuſus invaſit, ut uxores maritis auferantur, ſub colore quòd ſint alterius loci indigenæ; ſtatuimus & præcipimus, quòd ejuſmodi uxor marito ſuo reſtituatur, & contra ſic auferentẽ inſtituatur informatio ad provinciæ vicarium remittenda; in cujus diſtrictu caſus contigerit, qui exemplarem pœnam à delinquentibus exigat.

CAPUT LXXXVII.

Contra non accedentes ad confeſſionem, cùm ætatem habuerint.

UTriuſque ſexus Indi Chriſtiani, qui in ætate & tempore ipſis præſcripto ad confeſsionis ſacramentum non acceſſerint, ſi fuerint *Caciques* ſeu primores Indi, ſerviant Eccleſiæ proximæ doctrinæ, & ad confeſſionem compellantur: & pro ſecunda vice informatio cauſſæ per parochum ſumenda remittatur ad vicarium; fœmina verò per continuum menſem veſperi & manè quotidie frequentabit doctrinam, & confiteri cogatur, de recidiva autem inſtituatur informatio, & ad vicarium remittatur. Plebejo Indo pro prima vice infligantur plagæ triginta, ac de recidivo remittatur informatio, ut ſuprà.

CAPUT LXXXVIII.

Pœna Indorum qui diebus vetitis comedunt carnes.

INdus qui [a] tempore Quadrageſimæ, quatuor temporibus, aut diebus Veneris, aut vigiliarum, quibus Indi obſtricti ſunt, carnes comediſſe deprehendetur; ſi fuerit *Cacique* ſeu vir primarius, punietur per dies decem in ſervitio Eccleſiæ proximæ doctrinæ, ſingulis vicibus quibus in hoc deliquerit; & ſi frequenter peccaverit, cauſſæ proceſſus ad vicarium, ut ſuprà, remittatur. Mulier autem per ſex doctrinæ continuos dies, modo ſuperiùs præſcripto, puniatur: & contra recidivam remittatur proceſſus, ut dictum eſt. Popularis autem Indus vapulabit plagis triginta, quæ ſi ad emendationem non ſufficerint, remittetur informatio, ut ſæpè dictum eſt.

CAPUT LXXXIX.

Parochi tribus diebus feſtivis has conſtitutiones Indis in Eccleſia congregatis exponant.

NE *Caciques*, vel alii noſtri diſtrictus Indi præmiſſarũ conſtitutionum ignorantiam prætendere poſſint, doctrinarum parochis præcipimus, ut tribus vicibus per tres dies feſtivos, quibus iidem Indi congregati fuerint, eas illis coram notario ac teſtibus exponant, eoſdem commonentes pœnarum, quas inobſervantes incurrant. Et vos dicti noſtri parochi & vicarii nequaquam in earum obſervatione remiſſi ſitis: quos proinde monemus, quòd alioquin per viam juris contra vos procedendum ſit. Voſque ſeriò hortamur, eaque exaggeratione quam res tanta requirit, ut conformitatem & bonam correſpondentiam cum Regiis miniſtris conſervare ſtudeatis, ut doctrina fiat ſicut oportet. Et pro parte noſtra ab eiſdem miniſtris petimus, ut juſtitiam indigenis adminiſtrent, eorum curam habentes, eandemque conformitatem & correſpondentiam cum ſacerdotibus colant, ipſos juvando & animando ad munus ſuum ritè perſolvendum, juxta proviſa in Regiæ Majeſtatis ſchedulis, quæ de his rebus loquuntur: cùm omnes miniſtri, tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares in unum eundemque finem tendant, ut doctrina convenienter procedat ad indigenarum profectum, Deique & Domini noſtri obſequium.

CAPUT XC.

Nemo impediat præmiſſarum conſtitutionum exſecutionem.

UT prædicta omnia integrum & completum ſortiantur effectum; hortamur, monemus, & quantum opus ſit, etiam in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus omnibus & quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, cujuſcumque qualitatis aut conditionis exiſtant, ut dictis parochis nullum apponant impedimentum in exſecutione & libero exercitio prædictorum. Et caſu quo ulla prædictarum perſonarum his, vel eorum alicui contraveniat, vel impedimentum ponat, quo minus doctrina Chriſtiana bene & convenienter exerceatur, vel quicquid ad ſacramentorum adminiſtrationem, vel ad officium ſacerdotum pertinet; nos facultatem dictis parochis impertimur, ut informationem deſuper conficiant, & factam, ad provinciæ vicarium remittant, ut eâ

---

y Videndus Sanchez *De Matrim.* tom. 1. lib. 1. d. 40.
z Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. *De ſacram. pœnit.*
a Conc. Trident. ſeſſ. 25. in decreto *De delectu ciborum*; Conc. Provinc. 1. Act. 3 c. 41.

çâ visâ, faciat quod obſequio divino conſentaneum fuerit, & juſtitiam in caſu miniſtret.

CAPUT XCI.

Diſtributio pœnarum in conſtitutionibus impoſitarum noſtræ diſpoſitioni relinquatur.

DIſtributio & partitio pœnarum in hac & præcedentibus noſtris Diœceſanis Synodis impoſitarum noſtræ diſpoſitioni remaneat, prout eam ſic reſervamus, præter eas, quæ in hac Synodo, quam nunc celebramus, peculiariter applicatæ fuerint.

CAPUT XCII.

Declaratio dubiorum, quæ in hac, & antecedentibus noſtris Synodis occurrerint, reſervetur Illuſtriſs. Archiepiſcopo.

QUoniam accidere poſſit, quòd in aliqua conſtitutionum & ordinationum per nos in præſenti, vel aliis noſtris Synodis ſancitarum offeratur dubium aliquod, vel interpretationis locus; ordinamus & præcipimus, quòd ejuſmodi dubii vel dubiorum quæ quovis modo occurrerint, declaratio & interpretatio, nobis, prout meliùs nobis videbitur, reſervata ſit, quemadmodum per hanc conſtitutionem dictam declarationem, ut dictum eſt, amodò nobis reſervamus.

CAPUT XCIII.

Parochi, cæteriq; ad quos pertinebit, accedant ad Synodum Diœceſanam.

SAcri Concilii Tridentini decretis, & hujus noſtri Archiepiſcopatus conſtitutionibus inhærentes, ordinamus & præcipimus, ut omnes, tam Indorum quàm Hiſpanorum parochi, quicumque ſint, cæteriq́ue omnes, qui de jure vel conſuetudine tenentur Diœceſanæ Synodo intereſſe, ad eam perſonaliter accedant. Cùm autem juſto impedimento detenti fuerint, & ejuſmodi parochi non habuerint aliã perſonam liberam, vel ſacerdotem quem ſui loco in doctrina vel animarum cura relinquant, tum mittent aliquem cum poteſtate & ſcripturis ad Synodum, vel eandem poteſtatem remittant alicui qui ſciat & poſſit ipſorum loco & nomine Synodo aſſiſtere, & quæ expediunt in ea tractare. Quod ut commodiùs facere valeant, cùm ejuſmodi impedimenta perſonaliter accedendi occurrerint, tunc ex ſingulis vicariis unũ qui nomine omnium ejuſdem vicarię ſeu diſtrictus ſic impeditorum cum literis procuratoriis, & aliis ſcripturis ad Synodum, ipſorum omnium communibus expenſis accedat, cui jubebimus juſtam laboris mercedem ſolvi, taxando per nos quod eum mereri judicaverimus. Quod ſiç faciant & adimpleant in virtute ſanctæ obedientiæ, trina canonica monitione præmiſſa, & ſub pœnâ centum peſorum, vulgò *enſayados*, pro noſtra diſpoſitione applicanda: in quam pœnam ipſos ex nunc condemnamus, & citamus, ut declarentur in eam incidiſſe: eoſq́ue monemus, quòd contra ipſos cum omni rigore procedemus ad majorem demonſtrationem, & alias pœnas nobis arbitrarias, tamquam contra inobedientes præcepto ſui Antiſtitis, ac decretis ſacri Concilii Tridentini, quibus hæc tam ſeriò commendantur. In doctrinis autem in quibus fuerint duo vel plures ſacerdotes, unus ſaltem accedat, ſi alius locum ejus ſupplere poterit pro tempore quo ipſe in Synodo occupatus fuerit, abſque detrimento doctrinæ & ſuæ curæ parochianorum.

Literæ convocatoriæ Synodi proximè celebrandæ.

DToribius Alphonſus Mogrovexus, Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratiâ Archiepiſcopus Regum, Regiæ Majeſtatis conſiliarius, &c. Quia per ſacrum Concilium Tridentinum ordinatum eſt, ut ſingulis annis fiat Synodus Diœceſana pro neceſſariarum rerum reformatione; nos huic obligationi ſatisfacere volentes, decrevimus, favente Deo, celebrare dictam Synodum in civitate Regum, vel alia parte ſeu loco hujus noſtri Archiepiſcopatus, in quo tunc erimus, pro die B. Apoſtoli Jacobi futuri anni MDLXXXVI. pro quo die, tempore, & loco, citamus & convocamus chariſſimos fratres noſtros decanum & capitulum ſanctæ Eccleſiæ Regum, omnibuſq́ue, tam Hiſpanorum quàm Indorum parochis, cæteriſq́ue perſonis Eccleſiaſticis ac ſecularibus, quæ de jure vel conſuetudine eidem Synodo intereſſe tenentur, præcipimus, ut pro dicto tempore accedant ad dictam civitatem Regum, vel ad aliam partem aut locum noſtri Archiepiſcopatus, in quo nos fuerimus: & cùm juſtum habuerint impedimentum, quo de jure excuſentur, tunc mittant ſuam poteſtatem ad perſonam, quæ ipſorum nomine aſſiſtat Synodo cum opportunis ſcripturis. Et parochi doctrinarum & Beneficiorum cum cura animarum, habentes perſonam in alia doctrina, vel curâ animarum non occupatam, quæ ipſorum loco reſidere poſſit in ipſorum doctrinis vel Beneficiis, veniant, & perſonaliter compareant in dicta Synodo. Et non habentes ejuſmodi perſonam quæ pro ipſis reſidere poſſit, cum ſuis ſcripturis mittant literas procuratorias ad aliquem, qui pro ipſis aſſiſtat: quod facilè fieri poterit, ſi ex ſingulis vicariis accedat unus clericus aliàs non occupatus, nomine omnium occupatorum, ut dictum eſt. Quod ſiç faciant, & adimpleant iidem parochi, cæteræq́ue perſonæ, quæ Synodo intereſſe de jure vel conſuetudine tenentur, ſub pœna decem peſorum argenti, vulgò *enſayados*, ad noſtram diſpoſitionem applicandorum, ultra quod contra ipſos procedemus ad alias pœnas, illiſq́ue & aliis perſonis non comparentibus parabitur detrimentum, ac ſi præſentes forent. Et ut hæc ad omnium notitiam perveniant, præci-

pimus, ut publicentur in noſtra ſancta Eccleſia Regum, & vicariis noſtri Archiepiſcopatus, & quòd vicarii dent notitiam ſacerdotibus & cæteris perſonis ſui diſtrictus. Dat. in oppido Sancti Dominici de Yungay 17. die menſis Julii anni MDLXXXV.

Proinde hortamur, requirimus, & mandamus omnibus & quibuſvis perſonis, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, exiſtentibus & habitantibus in hoc noſtro Archiepiſcopatu, quòd à die publicationis hujus Synodi, ac deinceps, has conſtitutiones apud ſe habeant, teneant, & obſervent, ac exſequantur tamquam conſtitutiones ſynodales hujus noſtri Archiepiſcopatus in omnibus & per omnia, ſecundùm, & in forma quæ in illis & in ipſarum qualibet continetur. Et tamquam res etiam per viam viſitationis factas & pertinentes ad correctionem & reformationem morum, nec earum tenorẽ aut formam ullatenus excedant, ſub pœnis in eiſdem contentis, & aliis nobis arbitrariis. Et omnes qui illis, aut earum alicui rebelles fuerint, aut ullo modo contravenerint, monemus, quòd contra ejuſmodi ad earum exſecutionem rigidè procedemus. Ac præcipimus ut dictæ conſtitutiones legantur & publicentur in Eccleſia hujus oppidi S. Dominici de Yungay, & in noſtra ſancta Eccleſia Cathedrali Regum, & habeant vim & vigorem conſtitutionum ſynodalium, quam nos illis damus, quantum ad ipſorum validitatem requiritur.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ſynodales ad gloriam & honorem Dei Domini noſtri, in oppido S. Dominici de Yungay provinciæ de Guaylas, die decima ſeptima menſis Julii, anni MDLXXXV.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis,

Joannes Rodriguez Secretarius.

Bernardinus de Almanza Notar. publicus Secr.

SYNODUS IV.
DIOECESANA LIMENSIS

Celebrata in oppido Sancti Jacobi de Yauras-bamba, die 7. Septembris anno MDLXXXVI.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratiâ Archiepiſcopus Regum, Regiæ Majeſtati à conſiliis, &c. Volentes ſatisfacere obligationi, quam nobis imponit ſacrum Concilium Tridentinum, celebrandi ſingulis annis Synodum Diœceſanam, convocavimus admodùm RR. DD. nobis dilectos decanum & capitulum noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis Regum, noſtroſq; parochos & vicarios, ac reliquas perſonas Eccleſiaſticas, quæ de jure vel conſuetudine tenentur accedere & aſſiſtere dictæ Synodo noſtri Archiepiſcopatus, quæ de jure vocandæ ſunt. Cujus Synodi convocatio fuit pro die Sancti Jacobi proximè præterito præſentis anni MDLXXXVI. in qua dicta Synodo ordinavimus & ſtatuimus conſtitutiones ſequentes, quas præcipimus & volumus obſervari & adimpleri, quemadmodum, & ſecundùm quòd in illis continetur, ſub pœnis in eiſdem contentis, & aliis nobis arbitrariis.

CAPUT I.

Indorum parochi diligenter legant libros conjugatorum, baptizatorum, & confirmatorum.

OMnes in poſterum Indorum parochi ſolicitam curam gerant, ut ſemel ſingulis annis coram congregatis Indis legant libros baptizatorum, confirmatorum, & matrimonio junctorum, ne dicti Indi prætendendo ignorantiam, Baptiſmum, Confirmationem, vel Matrimonium vivente priori conjuge iteratò ſumant. Quod ita diligenter compleant iidem parochi, ut eos moneamus, quòd contra negligentes procedemus.

CAPUT II.

Vicarii ſuo & ſubditorum ſibi clericorum nomine, mittant vaſa chriſmalia ad locum in quo conſecrabitur ſacrum oleum.

VIcarii omnes deinceps nomine ſuo, & aliorum vicariorum, & clericorum ſuæ provinciæ ſibi ſubditorum, pro die Jovis ſancto mittant vaſa chriſmalia ad locum in quo fiet conſecratio ſancti olei, retinendo penes ſe alia vaſa interim dum oleum novum adferatur, ita ut dicta die vaſa omnia ſint in eo loco, in quo conſecrabitur ſanctum oleum, cum teſtimonio noſtri proviſoris aut parochi illius Eccleſiæ, in qua fiet conſecratio; in quo teſtimonio notabuntur dies, menſis, & annus, quibus acceſſerunt, & tradiderunt vaſa, & oleum quod ipſis traditum fuit. Quod totum ſic faciant & compleant ſub pœna quadraginta peſorum, & aliis ad noſtram diſpoſitionem: diſtribuendo ſumptus qui in acquirendo oleo fient, prout ad quemlibet ſua pars pertinebit, & ut expedierit. Curabunt [a] etiam eadem vaſa ſancti olei nutrire, ſicut ipſis priùs ordinatum eſt. Sed ſemper cavendo ut minor ſit quantitas olei quod præerat. Porrò parochi qui viciniores fuerint loco in quo fiet conſecratio olei, curabunt id illicò & celerrimè obtinere, ſine magna mora duorum menſium, vel unius, ut ab aliquibus fieri cognovimus.

CAPUT III.

Omnes parochi habeant matriculam, tam Hiſpanorum quàm Indorum ſubditorum, quàm etiam advenarum, ut morientium rationem reddere poſſint.

HAbeant [b] omnes parochi Indorum & Hiſpanorum unum librum compactum, in quo matriculam Indorum Chriſtianorum & Hiſpanorum ſuæ doctrinæ, nemine dempto, deſcribant: & in eodem libro conſcribent omnes defunctos, tam proprios parochianos, quàm advenas, celeriter & diſtrictè: ſcribendo advenas in parte libri à propriis diſtincta, notando diem, menſem, & annum, quibus deceſſerint, & cujus loci ſeu patriæ ac parentum, cujuſque erant parochiani, ſi liberi, vel conjugati, & cujus uxoris vel mariti, cum nominibus parentum uxoris, & mariti, quì ſupervivent, cum indice alphabetico: mittantque qua poterunt celeritate ad partes, unde ejuſmodi advenæ fuerunt, teſtimonium mortis eorum, cum die, menſe, & anno, ut ibidem conſtet, & ipſorum animabus benefieri poſſit; & ut ſi conju-

[a] Synod. 3. præcedenti c. 6.

[b] Synod. Diœceſana Auguſten. anni 1548.

conjuges fuerint, qui ſuperfuerit maritus vel uxor, poſſit de ſe diſponere, & ſcire quid in cæteris facere debeat. De quibus omnibus hîc contentis, tanquam de re tanti momenti, peculiarem curam gerent omnes parochi: in quo ipſorum conſcientias oneramus, eoſdemque monemus, quòd contra tranſgreſſores cum magno rigore procedetur, in ponendo ipſis pœnas ad noſtrum arbitrium.

CAPUT IV.

Indorum parochi habeant matriculas, ex quibus eoſdem Indos ad Miſſam vocent.

UT poſthac habeatur bonus ordo & ratio, & exoneretur conſcientia, omnes Indorum parochi habeant librum & catalogum omnium Indorum ſuæ parochiæ, ipſoſque ex eo vocent ad Miſſam illis diebus quibus adeſſe tenentur: & aliquos in ipſo catalogo deſignabunt, quorum unuſquiſque curam gerat certum eorundem Indorum numerum ſibi aſſignatum ad Miſſas convocandi, eorumque reddat parocho. Ipſeque parochus tempeſtivè aderit ad portam templi, vocando per ordinem ex ipſo catalogo primùm eos quos præfecerat, ac deinde nominatim ſingulos horum unicuique commendatos: & abſentium rationes à præfectis exigat. Conſtituet deinde fiſcales, qui neminem ex Eccleſia ante Miſſam finitam exire permittant. Eundem modum ſervabunt parochi in convocando populum diebus doctrinæ, utendo eodem catalogo iiſdemque præfectis & fiſcalibus. Puerorum autem qui quotidie ſolent intereſſe catechiſmo, ſeparatam habebunt parochi matriculam, in qua omnes deſcriptos per claſſes ſeu calles ordinabit; unum ex eiſdem cuique claſſi vel calli præficiendo, qui reliquorum ſibi commiſſorum convocandi curam agat, eorumque rationem reddat ſacerdoti: & parochus hujuſmodi præfectos in ipſo catalogo ſeu matricula notanter ſignabit, & rationes ab eis exiget, ne quiſquam deſit: ſingulos etiam Indos quarto quoque menſe examinabit, ut ſcientes ſe ſic examinandos eſſe, non oblivi-ſcantur doctrinæ, ac diligentiùs eam frequentent illis diebus quibus tenentur adeſſe.

CAPUT V.

Singuli parochi habeant ferreos forcipes ad coquendas hoſtias, & rectores bonorum fabricæ ſolvant eorum pretium.

QUoniam in viſitatione quam fecimus, & nunc facimus, comperimus multos clericos omiſiſſe Miſſas defectu hoſtiarum & ferri quo conficiantur, multaque fuit nobis de hac re oblata querela; ſinguli deinceps noſtri Archiepiſcopatus, tam Indorum quàm Hiſpanorum ſacerdotes, habebunt ferra, quibus conficiantur hoſtiæ, quiſque in ſua doctrina vel parochia, ne opus habeant hoſtias vel ferrum aliunde petere. Et rectores regionum pecuniam ad ea emenda ex bonis fabricæ Eccleſiarum ſacerdotibus tribuant: cumque hi noluerint ea emendi curam ſuſcipere, jubemus ut ipſi rectores id faciant, & cum celeritate adimpleant, in virtute ſanctæ obedientiæ. Totius rei exſecutionem & complementum remittentes, prout remittimus, vicariis provinciarum, in quibus ejuſmodi rectores fuerint, ut eos faciant efficere quod jubetur, terminum illis aſſignando, ne ſequantur hîc ſuperiùs relata detrimenta Miſſarum.

CAPUT VI.

Ut parochi plurium populorum ſuos parochianos moneant feſtorum & jejuniorum, quæ ſervare tenentur.

HUjus noſtri Archiepiſcopatus parochi omnes, quibus plurium populorum cura incumbit, parochianos ſuos omnes peculiari cura & vigilantia præmonebunt feſtorum dierum & jejuniorum, quæ ſervare tenentur. Et ne ullam prætendant ignorantiam, & ut Deo dignè ſerviatur, mittent perſonam quæ ſingulos populos præmoneat, vel alicui fido in ipſis populis committat, relinquendo ei catalogum feſtorum & jejuniorum, ut ea populis declaret, cùm ſacerdos ipſe non potuerit accedere.

CAPUT VII.

Parochi diligenter conſcribant baptizatos, & matrimonio junctos,

CUM parochi deſcribent baptizatos & conjugatos, ad ſingulos apponent ſubſcriptiones teſtium præſentium, & patrinorum, quantumvis eadem die plures baptizentur & copulentur, ad evitandos errores, & confuſionem, quæ in ea re contingere poſſunt.

CAPUT VIII.

Parochi caſtigent Indos, & pœnas imponendas illis declarent.

CUncti Indorum parochi hujus Archiepiſcopatus, quibus poteſtatem dedimus & commiſimus eos corrigendi, & caſtigandi ipſorum delicta, declarando eis pœnas imponendas, cæteraque faciendi quæ per noſtras conſtitutiones Synodi proximè præteriti anni MDLXXXV. ipſis ordinata ſunt, peculiarem curam ac diligentiam adhibeant, obſervantiſſimique ſint præſcriptorum, ſpecialiter procedendo contra iteratò ſuſcipientes Baptiſmum, vel Confirmationem, vel matrimonium ineuntes vivente priori conjuge, inſtituendo informationes, eaſque ad nos, vel noſtrum

[a] Conc. Ravennat. II. ſub Clem. V. [b] Synod. Dioec. Moguntin. 1548. [c] Synod. III cap. 73. Conc. Prov. I. Act. 4. cap. 7. & 8.

ſtrum proviſorem remittendo, prout & ſecundùm quòd in eadē Synodo eiſdem parochis cap. 73. præceptum eſt. Quantum autem ad id quod diſpoſitum eſt de illis qui contrahunt duplex matrimonium, declaramus debere intelligi juxta præſentem conſtitutionem. Quòd ſi parochorum quiſquam incurius fuerit in rebus ſibi per eaſdem conſtitutiones commiſſis, parochus, vel parochi reliquarum doctrinarum id ſcientes, monebunt omni meliori modo vicarium provinciæ, ut remedium adhibeat, & procedat contra negligentes & remiſſos in adminiſtratione juſtitiæ.

CAPUT IX.

Hiſpanorum Indorumq; parochi ſua nomina matriculis in principio & fine inſcribant.

CUM fient matriculæ, omnes, tam Hiſpanorum quàm Indorum parochi, ſuis nominibus in principio ſignabunt quando illas inceperint, & in fine quando abſolverint excipere confeſſiones ſuorum parochianorum: idque totum deſignando diem, menſem, & annum, cum omni diſtinctione & claritate. Quod ita faciant & adimpleant, ſub pœnis contentis in Synodo proximè præterita anni MDLXXXV.

CAPUT X.

Ubi fuerint Indorum parochi non periti linguæ, aſſiſtant vicini ad prædicandum, & excipiendas confeſſiones.

QUia propter defectum ſacerdotum qui Indorum linguas probè calleant, ut eorum confeſſiones excipere, vel verbum Dei eiſdem prædicare poſſint, non rarò in aliquibus doctrinis conſtituuntur parochi minus periti linguarum; & quoniam neceſſitaci confeſſionū & prędicationis expedit adhibere remedium; nos ejuſmodi neceſſitatibus providentes, ſtatuimus, ut [f] omnes noſtri vicarii vigilantem curam agant, quòd quiſque in ſuo diſtrictu & regione, in qua ejuſmodi imperiti ſacerdotes fuerint, illos juvent per alios vicinos ſacerdotes linguæ peritos, qui ſuis temporibus confeſſiones audiant & prædicent, aſſignando illis partem ſtipendii imperitorum, & procurando ut hujuſmodi adjutores tales ſint, quibus non incumbat cura alterius doctrinæ: quòd ſi ſic vacantes reperiri non poſſint, curabunt ut parochus, quàm maximè fieri poterit, vicinus, ex iis qui linguam callent, hoc officio fungatur, alio quopiam interim, vel ſaltem eodem, cui tunc ſufficitur, in ejus loco & parochia remanente, dum ipſe hujus populum ſacra confeſſione & verbi Dei ſermonibus imbuit: ita ut nec uni, nec alteri parochię deſit ſacerdos, & ut per omnia ſerviatur Deo. Illi autem qui imperiti ſacerdotis defectum ſuppleverit, interim dum in ejus populo erudiendo & abſolvendo occupatus fuerit, prædicti noſtri vicarii honeſtum & moderatum aſſignabunt ſtipendium, idque ei perſolvi curabunt impendio illius cujus defectum ſuppleverit. Iidem vicarii ex charitate & poteſtatis rigore hortabūtur preſbyteros imperitos, ut linguas diligenti cura perdiſcant, & contra negligentes procedant juxta conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus, imponendo illis pro primo anno pœnam privationis tertiæ partis ſalarii, eamque juxta culpæ meritum, ſecundo tertioque anno augendo. Eandemque pœnam exigendi ſolertem curam habebunt noſtri viſitatores. Et ſi vicariorum quiſquam animarum curam inter Indos habens non poſſit ex defectu linguæ, doctrinę prædicationem, vel pœnitentiæ ſacramentum eiſdem ritè miniſtrare; tunc parochus tali vicario proximè vicinus, & linguæ peritus, ibit ejus populo prædicatum & miniſtratum ſacramentum, relicto in ſuo loco alio ſacerdote non alibi occupato, vel ipſo vicario, ſi alius occupatione liber non ſuppetat; ita ut nullibi deſit ſacerdos. Neque dicti vicarii reſiſtant, vel contradicant ſacerdoti qui ipſorum defectum ſupplet, & providet neceſſitatibus populi. Sed potiùs obſervantiſſimi ſint, & bonum exemplum aliis præbere ſtudeant, ſe in hoc ſubmittendo, ut juſtum eſt, quod faciant. Eoſdemque monemus, quòd cùm perceperimus eos contrarium facere, cum magna demonſtratione contra eos procedemus. Providebitque ejuſmodi ſacerdoti, qui ipſius defectum ſic ſuppleverit, portionem ſtipendii, & eleemoſynam, quę juſtè ad eum pertinebit pro tempore quo ſic occupatus fuerit, abſque eo quòd opus ſit recurrere ad ſuperiorem, qui tamen in caſu efficiat ut perſolvatur. Utque præmiſſa omnia debitum ſortiantur effectum, poteſtatem & facultatem facimus cuicumque clerico diſtrictûs talis vicarii, & cuicumque pariter alteri vicario ejuſdem provinciæ, vel confinium ad hoc ejuſque annexa ac dependentia, noſtras vices illis committendo, prout eorum unicuique in ſolidum committimus, ut illi ſacerdoti ſolvi faciant dictam eleemoſynam & ſtipendium, ut dictum eſt, pro ratione temporis quo ſic occupatus fuerit, & laboris quem in eandem occupationem inſumpſerit, pro ut ſecundùm juſtitiam judicaverint. Et ut pariter ſolvi faciant vicario vel clerico, qui remanet in loco ſacerdotis, vicarii, vel alterius imperiti ſacerdotis defectum ſupplentis in prædicando & confeſſiones excipiendo, poteſtatem id faciendi concedimus, & ut poſſint adminiſtrare reliqua ſacramenta interim dum ibidem occupati fuerint, quantum de jure poſſumus.

CA-

[f] Conc. Mediol. I. tit. *De prædic. verbi Dei* · Conc. Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. *De reform.*

CAPUT XI.

Quòd clerici nec pro ſe, nec aliorum nomine ludant, nec alii pro ipſis.

QUoniam clericis prohibuimus ne ludant, ſecundùm quod, & prout in noſtris conſtitutionibus [g] continetur; ad prævenientias calumnias, fictiones, & fraudes quę inde naſci poſſunt, dum ut liberentur à pœnis, allegant, ſe non pro ſe, ſed pro aliis luſiſſe, prout ex viſitatione quam fecimus, nobis conſtitit; iccircò declaramus, dictas conſtitutiones & ordinationes intelligi debere, ſive clerici pro ſe, ſive alterius nomine, vel alius pro ipſis, vel eorum nomine ludat; ita ut iidem clerici non poſſint pro ſe, vel pro aliis, vel alii pro ipſis, aut ipſorum nomine ludere, ſub pœnis pecuniariis per nos impoſitis in Synodo Diœceſana [h] anni MDLXXXV. in oppido Yungay celebrata, advertentes interim ad cenſuras per Concilium Provinciale anni MDLXXXIII. hujuſmodi luſoribus impoſitas.

CAPUT XII.

Clerici nullo ludo jure prohibito ludant.

NUllus clericus Indorum parochus ludet chartis, quemadmodum in Synodo [i] Diœceſana anni MDLXXXV. conſtitutum eſt, ut nec aleis, nec alio genere ludorum qui de jure prohibentur, pro parva vel magna quantitate, ſive pro collatione, ſeu alio fine, ſub pœnis pecuniariis in eadem Synodo contentis, & aliis nobis arbitrariis. Similiqúe modo hujuſmodi ludos, aleam, & alios in jure vetitos, prohibemus reliquis clericis cujuſcumque qualitatis ſub iiſdem pœnis pecuniariis in eadem Synodo contentis, & clericis non parochis Indorum impoſitis, & aliis pœnis ad noſtrum arbitrium; eoſqúe exhortantes, ut attendant ad cenſuras ſibi impoſitas in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. ſi tranſgrediantur.

CAPUT XIII.

Sacerdotibus cappellanias obtinentibus non detur vinum vel cera expenſis Eccleſiæ.

CLericis [k] in aliqua Eccleſia habentibus cappellanias non detur vinum vel cera expenſis ejuſdem Eccleſiæ, etiam in fundatione cappellanię, niſi caſu quo ipſi Eccleſiæ relicta ſit aliqua ſufficiens eleemoſyna, cum onere miniſtrandi ſacellanis ejuſmodi vinum & ceram.

CAPUT XIV.

Oeconomi ceram per ordinem ſubminiſtrent, & conſummatæ rationes à ſacriſtis exigant.

ECcleſiarum [l] œconomi ceram ſacriſtis ordine & ratione ſubminiſtrent, nec recentem daturi plures candelas dent, quàm ad numerum receperint, remanentes crematarum particulas. id quod nobis conſtat, ut ſtatuimus, maximæ Eccleſiarum utilitati fore, & contrarium non minori detrimento.

CAPUT XV.

Vicarii colligi faciant veteres Eccleſiarum libros, eoſq; parochis ad uſum ſervandos tradi.

QUoniam [m] ex viſitatione quam nunc proſequimur, nobis conſtat multos veteres baptiſmatum & matrimoniorum libros in alienis manibus abſque debita cuſtodia malè haberi; cuncti poſthac, tum Indorum tum Hiſpanorum parochi, omnes hujuſmodi libros vel doctrinam ſpectantes, colligi, conſui, compingi, & magno ſtudio cuſtodiri diligenter curabunt: eos nullius fidei permittentes, ut ſi cuivis dubii circa matrimonia vel baptiſmata caſus contingant, ad eos pro veritatis notitia recurri poſſit. Et noſtri Archiepiſcopatus vicarii hujus rei exſecutioni invigilabunt, ordinando quicquid ad hoc maximè conduxerit, efficiendoqúe ut per ſuos diſtrictus omnia ejuſmodi baptiſmatum & matrimoniorum protocolla ſolerter colligantur, ac parochio Eccleſiæ ad quam pertinent conſignentur: nobis enim conſtat multos ejuſmodi libros in poteſtate clericorum inveniri, qui non ſunt proprii parochi locorum ad quæ libri pertinent.

CAPUT XVI.

Quomodo domeſticorum baptiſmatum defectus in Eccleſia ſupplendi ſint.

QUando contigerit parvulum aliquem ex neceſſitate domi vel alibi baptizari, & poſtea ut ungatur ad Eccleſiam deferri; parochus ipſum baptizans vel ungens diligenter curabit, ut in libro notetur qui fuerint ejus patrini, quando baptizatus, unctus, & exorcizatus fuerit.

CA-

g Conc. Provinc. I. Act. 3. c. 17. h Synod. Diœceſ. I. cap. 3. & Synod. 3. c. 11. & 12. i Iiſdem locis proximè citatis. k Conc. Mediol. IV. tit. *De cappellis & altaribus.* l Regula conſueta cap. 29. & 31. m De Eccleſiaſticarum ſcripturarum cuſtodia & cura Conc. Mediol. I. tit. *Quæ pertinent ad bonorum &c.* & Mediol. III. tit. *De iis quæ ad capitulum pertinent.*

CAPUT XVII.

Viſitantes quibus victûs neceſſaria ſuppeditantur, non accipiant jura, quæ pilæ vocant.

QUoniam nobis innotuit, quòd viſitatores aliqui dum viſitant, quamvis ita excepti, ut nihil victûs vel rerum neceſſarium ipſis deſit, ulteriùs ab Eccleſiis exigant aliquot peſos, quos *jura pilæ* vocant; cùm hoc ſit contra decreta ſacri Concilii Tridentini [n], & conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus; ſtatuimus, ut viſitatores in poſterum ab ejuſmodi exceſſibus abſtineant, & conſueto victu contenti ſint, attendantque ad rigidas pœnas, quas jura, & ſacri Concilii Tridentini hujuſque Archiepiſcopatus conſtitutiones tranſgreſſoribus imponunt, eoſdem commonentes, quòd contra eos cum rigore & exemplari demonſtratione procedetur.

CAPUT XVIII.

Proviſor & judices Eccleſiaſtici, itemq; notarii habeant protocolla cauſſarum.

PRoviſor noſter cęterique judices Eccleſiaſtici habebunt librum in quo deſcribent omnes condonationes quas facturi ſunt, omneſque appellationes deſuper interpoſitas, cum notis diei, menſis, & anni, adnotando pariter an denegatæ ipſis fuerint eædem appellationes, vel conceſſæ, & ad quem terminum, vel an ſententias exſecuti fuerint, & penes quem exſtant condonationes. Notarii quoque librum ſeparatum habeant, in quo deſcribant proceſſus tam abſolutos quàm pendentes. Quod totum magna claritate & rerum diſtinctione exſequatur, cum indice alphabetico in principio libri.

CAPUT XIX.

Judices ſæculares non cognoſcant cauſſas idololatriæ, vel alias merè Eccleſiaſticas.

LOcorum Correctores, & judices ſæculares non ſe interponant cognitioni cauſſarum idololatrię vel gentilium rituum, ſeu cæterarum cæremoniarum Indorum, vel aliarum cauſſarum merè Eccleſiaſticarum, nec in limitando vel præſcribendo tempus, quo debeant doctrinarum parochi in illarum oppidis eſſe; cùm hoc ipſis toties prohibitum ſit. Quod ita adimpleant, attendendo ad pœnas contra tranſgreſſores interminatas, & ad conſtitutionem noſtram in Synodo [o] proximè præteriti anni MDLXXXV. Et quod circa hoc ibi ordinatum eſt, declaramus intelligi debere juxta formam hujus præſentis conſtitutionis.

CAPUT XX.

Judices & notarii non accipiant ab Indis actorum jura.

JUdices & notarii [p] non accipiant ab Indis jura pro ulla re quam pro ipſis expedient, ſive proviſiones ſint, ſive fiſcalium tituli, ſive aliud quodcumque, ſub pœna dupli eiſdem Indis applicata, à quibus ejuſmodi jura exacta fuerint, & ſub aliis pœnis nobis arbitrariis.

CAPUT XXI.

Judices & notarii jura quæ perceperint, ſuis expeditionibus adnotent,

JUdices & notarii [q] ad omnes proceſſus, ſcripturas, licentias, titulos, & alias expeditiones adnotabunt jura quæ perceperint, & in fine proceſſuum ſummam omnium jurium, ſub pœna dupli piis operibus applicata. Et ſi præſcripta ſibi jura accipiendo exceſſerint, reſtituent quadruplum ipſis partibus à quibus juſto plus acceperunt, & reliquum ad opera pia. Nec iidem judices aut notarii debita ſibi jura dimittant in manu vel arbitrio illorum, qui ea dare debent; ſed clarè dicant, ac declarent partibus jura quæ debent & aſſignata ſunt. Et quando aliquid ex gratia remiſerint, notent, ſcribant, ac declarent ſe id præter jus facere.

CAPUT XXII.

Notarii pro titulis ordinationum nihil accipiant ultra præſcriptum Concilii Tridentini.

CUM notarii videantur excedere accipiendo duos peſos pro titulo ordinum, moti forſitan occaſione cujuſdam taxæ in qua per errorem tale ſtipendium ſcriptum eſſe oportet, quale in reliquis taxis per Concilium Provinciale conſtitutis non exſtat, ſtante decreto ſacri Concilii Tridentini [r], quòd non accipiatur ultra decimam partem unius aurei; moniti ſint dicti notarii, ut poſthac in omnibus & per omnia ſervent ſacri Concilii Tridentini decretum, juxta, & eo modo quo in eo continetur, ejus ordinationem nullatenus excedendo, attentis pœnis, & rigore quo per ipſum Concilium contra tranſgreſſores imponuntur.

CA-

[n] Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. *De reform.* Conc. Limenſe anni 1583. Act. 4 & 4. & alia ibi citata. [o] Synodus Diœc. 3. ſuprà c. 35. & 40. & locis ibi in margine citatis. Conc. Provinc. annî 1583. Act. 3. c. 7. [p] Conc. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 38. & 39. & Act. 3. cap. 6. [q] Edict. generale I. §. 4. verſ. *Pro charta citationis.* & §. 8. in fine, & Synodus Diœc. 2. cap. 3. [r] Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. *De reform.*

CAPUT XXIII.

Vicarii faciant obſervari conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus.

NOſtri vicarii vigilanter incumbent, ut clerici doctrinarum ſui diſtrictus obſervent provinciales & diœceſanas conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus, & ut eaſdem, ac pariter etiam catechiſmos, confeſſionaria, & conciones per Concilium præteritum Provinciale anni MDLXXXIII. ordinata apud ſe habeant, ne poſſint prætendere ignorantiam, aut ne in aliquos defectus aut errores incidant: & ut cum decenti recollectione & honeſtate vivant, bonum exemplum Indis præbendo. Nec permittant, ut cujuſcumque qualitatis mulierum famulatu vel miniſteriis utantur, nec ut filios domi alant, quod illis prohibitum eſt, exſequendo pœnam centum peſorum, per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus impoſitam, quam nunc denuò imponimus in eos qui filios domi aluerint, & alias ad noſtrum arbitrium, ſi aliud fecerint, quàm quod ipſis ordinatum & præſcriptum eſt.

CAPUT XXIV.

Ut declaratio conſtitutionum reſervetur Illuſtriſſimo Archiepiſcopo.

SI dubium aliquod circa hujus Synodi conſtitutiones contigerit, ejus declarationem reſervamus nobis.

CAPUT XXV.

Multarum diſtributio ſervetur eidem Archiepiſcopo.

DIſtributiones multarum in his conſtitutionibus indictarum; tum quæ particulatim exprimuntur, tum quæ noſtro arbitrio imponendæ ſunt, noſtræ quoque diſpoſitioni & arbitrio reſervatæ ſunto.

CAPUT XXVI.

Vicarii & parochi has conſtitutiones penes ſe habeant.

CUncti noſtri Hiſpanorum Indorumque vicarii & parochi ſynodales has conſtitutiones, quoad ipſos attinet, intra quatuor menſes à prima præſentis Synodi publicatione penes ſe habeant, alioquin luituri pœnam in Synodo Diœceſana præcedentis anni MDLXXXV. in oppido Yungay celebrata inflictam illis, qui Concilia Provincialia & Synodos Diœceſanas non habent, & alias pœnas noſtro arbitrio imponendas, & contra tranſgreſſores procedendo exigendas.

CAPUT XXVII.

Conſtitutiones Provinciales ac Diœceſanæ obſervantur, etiamſi non ſint in uſu.

QUoniam in Provincialibus ac Diœceſanis Archiepiſcopatus noſtri conſtitutionibus, multa, eaque ſalubria decreta ſunt; & quidam earum minus obſervantes, in ſui defenſionem cauſſantur, eas in uſu non eſſe; declaramus & volumus, ut obſerventur juxta quod, & eo modo quo in ipſis continetur, excludendo omnes excuſationes & allegationes frivolas, eaſdem conſtitutiones & ordinationes reducendo, uti, quantum opus eſt, reducimus, in uſum & conſuetudinem, ſecundùm quod, & eo modo, & in quantum juris locus permittit, juxta decreta ſacri Concilii Tridentini, & conſtitutiones hujus noſtri Archiepiſcopatus.

CAPUT XXVIII.

Quomodo diſponendæ ſint Indorum decimæ.

QUamquam per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus ſanctum & ſeriò ordinatum eſt, ut Eccleſiis & xenodochiis Indorum provideatur per tres novenas, quæ ad ipſas dimidiatæ pertinent, & parochis item per quatuor novenas, juxta erectionem hujus Archiepiſcopatus, eiſdem parochis ſubtrahendo tantundem ſalarii quod ab Indis percipiant, quantum valent dictæ quatuor novenæ: quoniam tamen omnes decimæ locantur ſimul, & ex eis fit una maſſa, indeque naſcitur ut percipi non poſſit, vel rectè diſcerni pars quæ pertinet ad dictas Eccleſias & xenodochia Indorum, vel ad parochos, neque quantum eos cõcernat ratione novenæ & mediæ, quæ Eccleſiis debetur, & alterius novenæ & mediæ quæ debetur xenodochiis, neque quatuor novenarum quæ ad parochos pertinent: unde fit ut defraudata ſint ac defraudentur eadem hoſpitalia, Eccleſiæ, & parochi, ac etiam Indi, dum interea ſalaria ſacerdotibus, & ſimul quatuor novenas perſolvunt, nihilo detracto ſalario intuitu dictarum quatuor novenarum quas in decimis dant, & quæ ſacerdotibus debentur, uti nobis conſtat ex viſitatione quam modò proſequimur; volentes igitur tanto detrimento remedium adhibere, & ejuſmodi malis occurrere; per viam viſitationis & reformationis, & per conſtitutiones ſynodales, omni meliori forma & modo hortamur, & in Domino petimus à dilectiſſimis fratribus decano & capitulo noſtræ ſanctæ Cathedralis Eccleſiæ civitatis Regum, & à cæteris perſonis quibus incumbit hujus Archiepiſcopatus decimas locare, ut non conſentiant vel permittant, quod decimæ doctrinarum Indorum in poſterum locentur, ſed ut abſque locatione recuperentur, id committendo vicariis cujuſque regionis, ut jubeant, quòd unuſquiſ-

quiſque ſacerdos in ſua doctrina faciat illas colligi, unam vel duas perſonas ad hoc nominando expenſis ipſarum decimarum: quoniam hac ratione parvo labore & ſolicitudine fieri poterit, ut Eccleſiæ, xenodochia, & parochi habeant & integrè recuperent quod ipſis debetur; idque cum ampliori proventu, fructu, & utilitate ipſius decani & capituli, cæterorumque ad quos decimæ pertinebunt, majorique commodo Indorum & parochorum, quando decimis in unoquoque oppido venditis, poterunt utrique ſibi moderatiori pretio neceſſaria providere. Monemus quoque quòd ſi contrarium fecerint, vel decimas unâ maſsâ locaverint, & non ut dictum eſt, tum dictæ tres novenæ Eccleſiarum & xenodochiorum; & quatuor novenæ parochorum integrè exigentur, detrahendo iiſdem parochis tantum ſalarii pro ipſis Indis, quantum illæ quatuor novenæ valebunt, non ſecùs quàm ſi decimæ locatæ non fuiſſent, non permittendo ut conductores gaudeant illis tribus & quatuor novenis, & Eccleſiæ, hoſpitalia, & parochi iiſdem fraudentur: omnibuſque hujus Archiepiſcopatus doctrinarum clericis mandatum & facultatem damus, ut retineri faciant, & in ſua quiſque doctrina retineat, dictas tres, & alias quatuor novenas; nullatenus permittendo, ut decimarum conductores eas exigant vel obtineant: quod ita faciant dicti noſtri parochi, tres illas & quatuor novenas integrè & abſque ulla remiſſione recuperando, ac ſi decimæ locatæ non fuiſſent, ſalario ſibi ab Indis aſſignato tantundem pro iiſdem Indis detrahendo, quantum valent dictæ quatuor novenæ. Eoſdemque parochos monemus, quòd ſi per hoc decretum ipſis ordinata, & præcepta non adimpleverint, tantum debebunt de propria ſubſtantia ſolvere. Et ut hæc omnia debitum ſortiantur effectum, noſtras vices ad id ipſis committimus, & ad omnia illi annexa, vel inde dependentia, in quantum de jure poſſumus. Hortamur etiam & monemus decimarum conductores, ne doctrinarum Indorum decimas cõducant, advertendo, quòd ſi fecerint, dictæ tres & quatuor novenæ Eccleſiarum, hoſpitalium, & parochorum ita ab illis exigentur, ac ſi nulla facta fuiſſet conductio vel locatio.

Porrò ne vel doctrinarum parochi, vel decimarum conductores ignorantiam ullam vel excuſationem prætendere poſſint; noſtri vicarii jubebunt, ut quàm citò fieri poterit, iſta conſtitutio in omnibus diſtrictus ſui doctrinis publicetur, & in principali loco & parte in qua fuerint ipſi vicarii; advertendo, quòd ſi id omiſerint, vel non habuerint ſufficientia teſtimonia, quòd ſic publicaverint & notificaverint, tunc adversùs ipſos cum omni rigore & opportuna demonſtratione procedetur. Doctrinarum item parochos monemus, quòd ſi non reſtituerint Indis tantundem ſalarii & ſtipendii, quod ex tributis & taxis Indorum perceperunt, & ipſis aſſignatum eſt, quantum & quomodo valent, & aſcendunt quatuor novenæ, quas per hanc conſtitutionem ordinatur ut accipiant; tunc illis præcipietur, ut reddant & reſtituant, contra ipſos procedẽdo cum omni rigore, & aliis pœnis nobis arbitrariis: cùm juſtum non ſit, ut Indi ſacerdotibus ſolvant integrum ſalarium, quod ipſis ex doctrina tamquam ſufficiens aſſignatur: & præterea quatuor novenas decimarum; attento quòd per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus ordinatum ſit, quòd quatuor novenę decimarum parochis tribuantur, & tantundem ſalarii quod ex doctrina merentur, ipſis ſubducatur.

CAPUT XXIX.

Diſtributio decimarum quæ ex Hiſpanorum villis & aliis eorundem locis provniunt.

CUM ex viſitatione per nos facta, & quam nunc proſequimur, nobis innotuerit, quòd per ſimultaneam & ſummariam locationem decimarum defraudentur Eccleſiæ, hoſpitalia, & parochi multorum locorum, villarum, & aliarum partium, manſionum, gregum, laboritiorum, & machinarum gentis Hiſpanicæ, in quibus reſident ſacerdotes, ultra mediam partem eorum quæ ad ipſos pertinent, præſertim verò Eccleſię, hoſpitalia, & parochi villarum Sañæ, Chancay, Cañetæ, Ycę, & Machinę Naſcenſis, & manſionis de Bombor, ac vallis Patibilcæ, propter ſummariam illam locationem decimarum, & quia quælibet res in particulari non locatur per ſe, nec ſciri, nec certò deprehendi, nec intelligi poteſt quid ad dictas Eccleſias pertinet ex novena & media, vel ad hoſpitalia ex altera novena & media, vel ad parochos ex quatuor novenis quę per erectionem hujus Archiepiſcopatus illis attributæ ſunt: de quibus ex aliquibus partibus multas in hac viſitatione querelas accepimus, & petitiones juſtitiæ, & remedii hujuſmodi gravaminum; nos illis providere volentes, per viam viſitationis & reformationis, & per conſtitutiones ſynodales, & omni meliori forma & modo, hortamur & requirimus in Domino, & cum efficacia quam res ipſa poſtulat, petimus à chariſſimis nobis ac dilectis fratribus decano & capitulo, & reliquis omnibus perſonis, quibus poſthac incubuerit locare decimas, ne locent vel locari conſentiant, aut permittant, ut decimæ omnes ſimul unâ maſsâ locentur, ſed ordinent & jubeant, ut villarum & partium prædictarum decimæ particulariter & per ſe locentur, ut unuſquiſque clarè ac diſtinctè accipiat quod ſuum eſt, nec poſſit contingere fraus vel error in ulla re, Deoque per cuncta ſerviatur, & ceſſent querelæ quæ hactenus deferebantur: advertentes & monentes, ut facimus, quòd ſi decimæ in particulari, & modo jam dicto locatæ non fuerint, tunc dictę tres novenæ ad Eccleſias & hoſpitalia, & aliæ quatuor novenæ ad parochos pertinentes, ita integrè exigentur & recuperabuntur, ac ſi dictæ decimæ locatæ non fuiſſent; dando, prout damus, facultatem & poteſtatem omnibus prędictarum villarum & partium parochis, ut retineri faciant, & unuſquiſque retineat, quod ad dictas Ec-

Eccleſias & hoſpitalia pertinet ex dictis tribus novenis, & quod ad ipſoſmet ex quatuor aliis novenis pariter pertinet; non permittentes, ut decimarii, virtute generalis & ſummariæ locationis decimarum, eas uſurpent, vel ſibi retineant. Quod ita faciant & adimpleant dicti noſtri parochi integrè & abſque ulla remiſſione, recuperando dictas tres novenas, & alias quatuor, quæ ad ipſos pertinent, ac ſi locatæ non fuiſſent decimæ dictarum Eccleſiarum & hoſpitalium. Eoſque monemus, quòd ſi non adimpleverint quæ hîc ordinata ſunt, tunc debebunt ex propria ſua ipſorum ſubſtantia totum perſolvere. Et ut prædicta omnia debitum ſortiantur effectum, nos dictis parochis commiſſionem & facultatem damus ad hoc, & ad omnia illi annexa, vel ab eo dependentia, vices noſtras, quantum poſſumus, & jura permittunt, ipſis committentes. Conductores verò decimarum hortamur & requirimus, ne ejuſmodi conductiones aliter faciant, quàm per partes, ſecundùm quod, & eo modo quo in hac conſtitutione ordinatum eſt: eoſdemque monemus, quòd ſi aliter fecerint, tunc dictæ tres & quatuor novenæ ab ipſis integrè exigentur pro Eccleſiis, hoſpitalibus, & parochiis, non ſecùs quàm ſi nullæ factæ fuiſſent conductiones ejuſmodi. Et quilibet vicarius in ſuo diſtrictu jubebit, ut conſtitutiones ſynodales omnes, tam Provinciales quàm Diœceſanæ, publicentur, & præſertim iſtæ quæ ad decimas pertinent, in ſingulis doctrinis; ita ut parochis omnibus innoteſcant, ſumendo etiam teſtimonia hujuſmodi publicationum quæ factę fuerint. Eoſdemque dictos vicarios commonemus, quòd contra ipſos ſeverè cum demonſtratione procedetur, tamquam auctores ignorantiarum & errorum quæ ſucceſſerint. In quo ipſorum conſcientias oneramus ut ſic faciant & adimpleant.

Et ut Indorum Hiſpanorumque parochi intelligant quales & cujus quantitatis ſint quatuor novenæ, & tres novenæ, & qualis fiat decimarum diſtributio, & ut non prætędant ignorantiam ejus quod facere debent; declaramus & advertimus, quòd decimæ cujuſcumque Beneficii, vel doctrinæ, partis, vel loci in quibus decimæ ſolvuntur, dividuntur in quatuor portiones, juxta erectionem hujus Archiepiſcopatus; quarum una portio ſpectat ad nos, & alia ad præbendarios & reliquos miniſtros noſtræ ſanctę Eccleſiæ Cathedralis, & ex reliquis duabus fiunt novem partes, quarum duas (quas duas novenas appellamus) accipit ſua Regia Majeſtas, quæ ad ipſum pertinent: alię quatuor partes (quas quatuor novenas vocat) ſpectant ad rectores doctrinarum & reliquorum Beneficiorum, dempta octava earum parte, quam percipit facriſta: reliquæ tres partes, quæ remanent ex novem primæ diviſionis, dividuntur iterum in duas, quarum una (quæ novena & media dicitur) ſpectat ad Eccleſiam dicti rectoris, tam Hiſpanorum quàm Indorum, & altera medietas, quæ eſt alia novena & media, pertinet ac debetur xenodochiis tam Hiſpanorum quàm Indorum, juxta quod, & eo modo quo in dicta erectione hujus Archiepiſcopatus continetur. Quod advertant dicti parochi, ſeu Beneficiorum rectores, ut intelligant quid in dicta diſtributione ac partitione decimarum eos facere oporteat, & qualiter dictas novenas exigere & recuperare debeant.

CAPUT XXX.

Nominantur teſtes ſynodales, & examinatores Beneficiorum.

Juxta decreta ſacri Concilii Tridentini, & Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. proximè præteriti, examinatores doctrinarum & Beneficiorum nominamus perſonas jam nominatas in ſuperiori Synodo anno MDLXXXIV. Et juxta idem ſacrũ Concilium Tridentinum, teſtes ſynodales eaſdem perſonas quę in proximè præterita Synodo anni MDLXXXV. nominatæ & aſſignatæ fuerunt: qui omnes ita nominati debent præſtare ſolenne juramentum officio ſuo bene & fideliter fungendi, juxta quod, & eo modo quo in Synodo Diœceſana anni MDLXXXV. ordinatum eſt.

Futuræ Synodi convocatio.

Dᵀoribius Alphonſus Mogrovexius, Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratiâ Archiepiſcopus Regum, ac D. N. Regi à conſiliis. Quemadmodum à ſacro Concilio Tridentino ſtatutum eſt, ut ſingulis annis fiat Synodus Diœceſana & Epiſcopalis, ac nuper per Breve & privilegium particulare ſummi Pontificis Gregorii XIII. felicis recordationis ſub dato Romæ 12. Julii MDLXXXIV. Pontificatûs ipſius anno decimo tertio, nobis peculiari gratia & beneficio conceſſum eſt, ut noſtro tempore dictam Synodum de ſecundo in ſecundum annum celebremus; nos volendo ſatisfacere dictę obligationi, & uti Brevi & gratiâ ſuæ Sanctitatis; determinavimus Deo favente dictam Synodum convocare ad civitatem Regum, vel ad alium locum hujus noſtri Archiepiſcopatus, in quo inventi fuerimus in vigilia Nativitatis Dominæ noſtrę die 7. Septembris futuri anni MDLXXXVIII. Pro quo dicto die, tempore, & loco citamus & convocamus chariſſimos noſtros decanum & capitulum ſanctæ Eccleſiæ Regum, & præcipimus cunctis Indorum Hiſpanorumque parochis, cæteriſque perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, qui de jure vel conſuetudine tenentur aſſiſtere dictæ Synodo, ut pro eo tempore ſe conferant ad dictam civitatem Regum, vel aliam partem, aut locum hujus noſtri Archiepiſcopatus, in quo tunc inveniemur. Et interveniente juſto impedimento, quo de jure excuſentur, mittent ſuam poteſtatem ad perſonas quæ ipſorum nomine Synodo aſſiſtant cum ſcripturis quas illis commiſerint. Et parochi doctrinarum & Beneficiorum cum cura animarum, ſi habuerint perſonam à

do-

doctrina & Beneficio liberam, quam ſui loco relinquant, veniant, & in dicta Synodo compareant perſonaliter; ſi verò non habuerint hujuſmodi perſonas quas in Beneficiis relinquant, cum ſuis ſcripturis mittent procuratoriam facultatem, vel perſonam quæ pro ipſis aſſiſtat: quod facilè fieri poterit, ſi ex unaquaque vicaria accedat unus clericus non occupatus, nomine omnium occupatorum, ut dictum eſt. Quod etiam adimpleri faciant dicti parochi, cæteræque perſonæ, quæ, ut dictum eſt, de jure vel conſuetudine aſſiſtere tenentur, ſub pœna centum peſorum argenti (vulgò *enſayados*) pro noſtra diſpoſitione applicandorum; ultra quam contra ipſos ad alias pœnas procedemus, & præjudicium parabitur ipſis, ac reliquis perſonis, quæ non comparuerint, ac ſi eſſent præſentes. Et ut hæc omnibus innoteſcant; præcipimus, ut publicentur in ſancta noſtra Eccleſia Regum, & in reliquis vicariis noſtri Archiepiſcopatus, & quòd dicti vicarii id ſine ulla remiſſione ſacerdotibus, & aliis ſui diſtrictus perſonis notificent, ſingulis capitatim, & accipiant teſtimonia talis notificationis: & ſinguli vicarii ejus rei teſtimonium ad nos mittent, ne poſſit prætendi ignorantia. Dictoſque vicarios præmonemus, quòd niſi ſic fecerint, contra ipſos cum omni rigore procedetur, tamquam cauſſas ignorantiarum quas prætendent ipſorum diſtrictuum ſacerdotes circa prædicta.

Quapropter exhortamur, requirimus, & mãdamus omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus exiſtentibus & habitantibus in hoc noſtro Archiepiſcopatu, quòd à die primę publicationis hujus Synodi, ac deinceps, has ejus ordinationes habeant, teneant, obſervent, ac exſequantur, tamquam ejuſmodi conſtitutiones ſynodales hujus noſtri Archiepiſcopatus, in omnibus & per omnia, ſecundùm quod, & in forma quæ in illis & earum qualibet continetur, & tamquam res etiam per viam viſitationis factas, & ſpectantes ad correctionem & reformationem morum: nec earum tenorem & formam ullatenus excedant, ſub pœnis in eiſdem contentis: monentes quòd contra tranſgreſſores ſeverè procedemus, pœnas pecuniarias, & alias ad noſtrum arbitrium ipſis imponendo. Et præcipimus ut eædem conſtitutiones legantur & publicentur in Eccleſia hujus oppidi S. Jacobi de Yauras-bamba, provinciæ de Pacallas, & in noſtra ſancta Eccleſia Cathedrali Regum, & ut habeant vim & vigorem conſtitutionũ ſynodalium, quam nos illis damus, quantum ad eorum validitatem requiritur.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ſynodales ad honorem & gloriam Domini noſtri Dei, in oppido S. Jacobi de Yauras-bamba provinciæ Pacallarum ſeptima die menſis Septembris anni MDLXXXVI.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis,

Ludovicus Perez Secretarius.

Ego Ludovicus Perez clericus diaconus, Secretarius Illuſtriſſimi domini Archiepiſcopi Regum, domini mei, fidem facio, & verum teſtimonium adhibeo omnibus præſens viſuris, qualiter in oppido S. Jacobi de Yauras-bamba provinciæ Pacallarum, termini & juriſdictionis Chachapoyæ, die Dominica, ſeptima Septembris, ſub veſperis Nativitatis Domine noſtre, hujus preſentis anni datæ hujus teſtimonii, in Eccleſia hujus oppidi, congregatis in ea multis, tam Hiſpanis quam Indis, legi & publicavi alta & intelligibili voce iſtam Synodum Diœceſanam, & conſtitutiones in ea contentas, omnia de verbo ad verbum, ut in illa continetur.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis,

Bernardinus de Almança Notarius publicus, Secretarius.

SYNODUS V.

DIOECESANA LIMENSIS

Celebrata in oppido Sancti Chriſtophori de Guañec, die 22. Septembris anno MDLXXXVIII.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, miſeratione Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Regum, D. N. Regi à conſiliis &c. Volentes noſtræ ſatisfacere obligationi celebrandi, juxta ſacrum Concilium Tridentinum, ſingulis annis Synodum Diœceſanam, & juxta Breve ſummi Pontificis Gregorii XIII. fel. record. nobis conceſſum, ut peculiari gratia & beneficio ſuo pro tempore quo fuerimus, poſſimus ſatisfacere celebrando dictam Synodum de ſecundo in ſecundum annum, convocavimus charos fratres noſtros decanum & capitulum noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis civitatis Regum, noſtroſq; parochos & vicarios, & reliquas omnes perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares, quæ de jure vel conſuetudine tenentur accedere, & aſſiſtere Synodo noſtri Archiepiſcopatus, quæq; de jure vocari debeant: cujus Synodi convocatio fuit ad diem ſeptimam præſentis menſis Septembris currentis anni M D LXXXVIII. in qua dicta Synodo ordinavimus & ſtatuimus conſtitutiones ſequentes, quas ſervari & adimpleri præcipimus & volumus, juxta quod, & eo modo quo in ipſis continetur, ſub pœnis in eiſdem pariter contentis, & aliis ad noſtrum arbitrium.

CAPUT I.

Quòd nec proviſor noſter, nec ullus alius judex poſſit pro quacumque cauſſa eximere ullum clericum à ſua doctrina vel Beneficio, non remanente in ejus loco alio ſacerdote.

IMprimis, reſpiciendo damna ſpiritualia quæ ſequi poſſunt ex abſentia ſacerdotis in doctrina vel Beneficio; ordinamus & præcipimus, quòd [a] noſter proviſor, aut vicarius, vel alius quicumque judex noſter, pro delicto, vel alia quacumque cauſſa, non convocent, evocent, vel extrahant clericum ullum à ſua doctrina vel Beneficio, etiamſi Prælati ordinem ad id habeant, niſi relicto in ejus loco alio ſacerdote, omni alia doctrina & Beneficio curę animarum libero, antequam dictus ſacerdos diſcedat à dicta ſua doctrina vel Beneficio. Et iidem parochi ſic faciant & impleant, aſſiſtendo ſuis curis animarum, ſub pœnis per noſtras conſtitutiones impoſitis, & aliis nobis arbitrariis.

CAPUT II.

Nullus clericus doctrinæ vel Beneficii curati ab eis diſcedat per commiſſionem cujuſcumque judicis, non relicto alio ſacerdote, qui ſuppleat ejus vices.

NEmo [b] Hiſpanorum vel Indorum parochus, per commiſſionem cujuſcumque judicis, etiam Antiſtitis, ordinationem ad id habentis, diſcedat, vel diſcedere poſſit è loco ſuæ curæ paſtoralis ad ſumendas informationes, vel ad aliam ullam cauſſam, non relicto priùs quàm ipſe diſcedat alio ſacerdote non occupato in alia doctrina vel Beneficio curato, qui ejus curam interim, dum ipſe abeſt, exerceat: & monemus, quòd contra tranſgreſſores procedetur ad exſecutionem pœnarum per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus impoſitarum, & aliarum pro noſtro arbitrio.

CAPUT III.

Clerici non reſignent ſuas doctrinas vel Beneficia coram judice ſæculari.

SEcundùm juris diſpoſitionem obviantes exceſſibus, quos uſque modò vidimus & intelleximus; ſtatuimus & præcipimus, quòd [c] nullus clericus poſſit facere renunciationem ſui Beneficii coram ullo judice ſæculari. Cujus non obſervantes ſubſint pœnis arbitrio noſtro imponendis.

CAPUT IV.

Clerici in ſuis doctrinis & Beneficiis decentem habitum geſtent.

AD hoc ut Indi, cæteriq́ue parochiani ædificentur ad debitam obſervantiam erga ſacerdotes, ſtatuimus & ordinamus, ut [d] deinceps clerici omnes, tam doctrinarum quàm aliarum partium, geſtent ſuam veſtem

---

[a] Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. *De reform.* Concil. Liman. ann. 1583. Act. 2. cap. 41. [b] Triden. & Limanum ibidem.
[c] Conc. Lateran. ſub Alex. III. in append. tit. *De depoſit. cler. &c.* cap 8. Et ſub Calliſto II. cap. 4. Et ſub Leone X. ſeſſ 10. in Bulla Regim. Univerſalis. [d] Conc. Liman. anni 1583. Act. 3. cap. 16.

ſtem talarem, & biretum; neque ſuper togam talarem gerant penulam, ſed pallium etiam talare, & veſtes longas: & quod omnes veſtes ſint nigræ, & non alterius cujuſcumque coloris.

CAPUT V.

Qui miniſtrant ſacramenta, eorum virtutem & uſum populis declarent.

SAcri Concilii[e] Tridentini ſanctionibus inhærentes, ſecundùm eaſdem ordinamus, quòd quando clerici miniſtrant ſancta ſacramenta, eorum vim & uſum declarent juxta catechiſmum Pii V. quem ad hunc finem omnes parochi penes ſe habeant, quando ſacramenta populis adminiſtrant.

CAPUT VI.

Quòd circa ludum obſerventur conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus abſque ulla excuſatione.

QUoniam in viſitatione per nos facta intelleximus quoſdam clericos prætendere excuſationes pœnarum per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus luſoribus impoſitarum, frivolas rationes allegando, præſertim quòd joco ludant, & quòd ideo ſe in hoc occupent, ut alii qui ludant puniantur, & ipſi ſint teſtes contra eos; nos volentes huic fraudi occurrere,[f] præcipimus, ut obſerventur conſtitutiones ſynodales, & fiat exſecutio pœnarum pecuniariarum in eis impoſitarum, ſecundùm quod, & eo modo quo in illis continetur contra tranſgreſſores, abſque ulla excuſatione vel reſpectu ad illas rationes, vel alias quaſcumque impeditivas proviſionis factæ in dictis conſtitutionibus, toties quoties luſerint contraveniendo eiſdem conſtitutionibus, quamvis nunquam antè propter ejuſmodi ludos damnati fuerint.

CAPUT VII.

Indi non omittant Miſſas propter tactionem campanarum.

QUoniam intelleximus, quòd valdè ordinariè multi Indi à principio Miſſæ manent extra Eccleſiam in loco ubi pendent campanæ, vel in earum turribus, ut pulſent campanas ad *Sanctus*, & ad elevationem ſanctiſſimi ſacramenti; hinc Indorum parochi peculiarem curam adhibeant, ut non omittant Miſſas occaſione hujuſmodi pulſationis. Sed jubeant & provideant iidem parochi, quòd ubi campanæ fuerint in loco, in quo qui eas trahit non poſſit audire Miſſam, in tali caſu non pulſentur illæ campanæ, ſed ſolummodo campanula altaris: in quo eorundem parochorum conſcientias oneramus.

CAPUT VIII.

Qui impediti ne accedant ad Synodum, mittunt literas procuratorias, habeant ſufficientem illius rei probationem.

UT in viſitationibus percipiatur quinam miſerint ſuam facultatem ad Synodum Diœceſanam, non potentes perſonaliter accedere, prout ipſis per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus ordinatum eſt; ideo parochi, & aliæ perſonæ, quæ per ſe ipſas accedere tenentur, vel mittere ad Synodum, debent habere teſtimonium notarii ſynodalis, vel etiam probationem pro ſua excuſatione. Eoſque monemus, quòd alioquin contra ipſos procedetur ad exſecutionem pœnarum per eaſdem conſtitutiones impoſitarum.

CAPUT IX.

Monialium viſitatores abſque urgenti cauſſa non intrent clauſuram ad viſitandum.

JUxta decretum ſacri Concilii Tridentini,[g] & Motus proprios Romani Pontificis, ac declarationem Cardinalium interpretum ejuſdem Concilii Tridentini; ordinamus, quòd viſitatores monaſteriorum monialium ad exercendam viſitationem non ingrediantur interiora monaſterii, niſi in caſu urgentis neceſſitatis, qui forſitan reſultet ex viſitatione ejuſdem monaſterii ad crates.

CAPUT X.

In monialium cœnobiis non ſint æthiopiſſæ, nec perſonæ ſæculares aliæ ad ſerviendum.

IN[h] monaſteriis monialium non erit famulitium nigrarum, vel aliarum mulierum ſæcularium, quæ morentur & habitent intra dicta moneſteria. Quod ut ita obſervent diſtrictè præcipimus, cùm nullum ſit Breve Pontificium, vel privilegium aliter faciendi conceſſum ab ullo poteſtatem concedendi habente. Quod attendent cœnobiorum viſitatores in ſuis viſitationibus, hanc conſtitutionem exſecutioni mandando, & non permittendo ut contraveniatur decreto ſacri Concilii Tridentini, nec Motibus propriis ſummi Pontificis, juxta declarationem Cardinalium interpretum ejuſdem ſacri Concilii Tridentini deſuper editam, quam in noſtris manibus habemus cum epiſtola per eoſdem ad nos directa, in qua ordinatur ut ſic obſervent & adimpleant.

CA-

---

e Trid ſeſſ. 24 c. 7. *De refor. matrim.* Concil. Colonien. ann. 1536. par. 7. c. 2. Synod. Auguſt. ann. 1548. c. 15 f Conc. Limen. ann. 1583. Act. 3. c. 17. Synod. l. c. 3. Syn. III. c. 11. & 12. Syn. IV. c. 11. & 12. g Reſcriptum S. Congreg. ad 24. interrogat. Toribii in noſtro *Sole novi mundi* lib. 3. pag. 282. Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 5. *De reformat.* h Ibidem ad 24. interrog.

CAPUT XI.

Res quæ abſque ingreſſu monaſterii monialibus miniſtrari poſſunt, non aliter miniſtrentur.

MOnaſteria *i* monialium non ingredientur ullæ perſonæ, ad reponendum farinam, triticum, aquam, ligna, victualia, nec ad occidendum verveces, vel alia animalia, vel res ullas inferendas agendaſve, quæ exteriùs, abſque neceſſitate ingrediendi monaſteria, fieri, dari, vel miniſtrari poſſint. Quod moniales ipſæ ſic obſervabunt, non operando in contrarium, cùm dictis ipſarum neceſſitatibus ab extra ſatisfieri poſſit abſque ingreſſu monaſterii. In cujus exſecutione cœnobiorum viſitatores ſolicitam curam gerent, attendentes ad declarationẽ Cardinalium ſacri Concilii Tridentini interpretum, qui deſuper ſic diſponunt. Circa quæ prædicta, & perſonas quæ intraturæ ſunt, obſerventur decreta Concilii Tridentini, & Motus proprii ſummi Pontificis, quæ prohibent monaſteriorum ingreſſum abſque urgenti caſu neceſſitatis, & licentia eorundem Superiorum.

CAPUT XII.

Viſitatores Eccleſiaſtici non accipiant ſumptus viſitationis uſque ad ſententiam & determinationem cauſſarum.

QUoniam expedit ut ſumptus qui faciendi fuerint in proceſſionibus viſitationum, taxentur per judicem, qui eos terminaturus ſit, & contingere poſſit, quòd viſitatus etiam ſine ſumptibus liberetur, ſicut aliquoties fecimus; proinde in poſterum non exigentur nec accipientur ſumptus ulli proceſſuum, qui per viſitatores fulminabuntur, donec determinentur, ſententientur, & taxentur ab illo cujus intererit.

CAPUT XIII.

Quòd in non accipiendo jura ab Indis obſervetur diſpoſitio conſtitutionum hujus Archiepiſcopatus.

QUia *k* nobis relatum eſt, quòd non obſervatur proviſio conſtitutionum hujus Archiepiſcopatus in non accipiendo ab Indis jura & ſumptus cauſſarum, & expedit ut remedium adhibeamus; præcipimus quòd in omnibus & per omnia, abſque ulla excuſatione ſervetur decretum dictarum conſtitutionum, prout in eiſdem continetur, ſub pœnis in eiſdem contentis: ad quas, & alias arbitrii noſtri, ſine ulla remiſſione vel perſonarum acceptatione, procedetur contra tranſgreſſores, etiam uſque ad privationem officiorum. In qua re viſitatores multam adhibebunt diligentiam, ne ſilentio tegatur, & ut poſſit ad earundem pœnarum impoſitionem procedi.

CAPUT XIV.

Indorum parochi poſſint adminiſtrare ſacramenta perſonis alienæ doctrinæ, quamvis non in mortis periculo conſtitutis.

QUia ſæpè contingit quòd Indorum parochi, vel à ſuis doctrinis abſentes, vel infirmi, ſeu aliàs impediti non poſſint ſuo munere ſatisfacere; ideo licentiã concedimus, durante noſtro tempore, & interea dum aliud in contrarium non diſpoſuerimus, omnibus Indorũ parochis noſtri diſtrictus, præſentibus & futuris, ut deinceps, abſque præjudicio proprii parochi, poſſint adminiſtrare ſacramenta Indis infirmis doctrinarum aliorum parochorum noſtri diſtrictus, quamvis ejuſmodi infirmi non ſint in periculo mortis, quum proprii ipſorum parochi abſentes ſunt, vel alio legitimo impedimento detenti, quominus dictis neceſſitatibus ſuccurrere poſſint, excepto ſacramento matrimonii, quod ſolus proprius parochus illis celebrabit.

CAPUT XV.

Indorum parochi miniſtrent ſacramenta alienis parochianis, qui in ipſorum doctrinis exſtiterint.

IN doctrinis Indorum ordinariè reperitur nõ parvus numerus Indorum alterius parochiç, qui in variis operibus, laboritiis, & exercitiis occupati per longum tempus à ſua propria parochia diſtantes & ſeparati, neque commodè potentes ad illas accedere, & nonnunquam infirmantur. Nos cupientes ut ipſis proviſum ſit, licentiam concedimus, ut interim, dum aliud in contrarium non ſtatuemus, alii præſentes & futuri Indorum parochi noſtri diſtrictus poſſint ejuſmodi Indis, tam ſanis quàm infirmis, miniſtrare ſacramenta abſque præjudicio proprii ipſorum parochi, præter ſacramentum matrimonii, quòd adminiſtrabit dictus proprius parochus, dantes eiſdem Indis ſchedulas teſtimoniales, quòd ſacramenta ſic illis adminiſtraverint, ut propriis ipſorum parochis id ſatis conſtare poſſit.

CAPUT XVI.

Sacramenta cum debita cura & diligentia Indis adminiſtrentur.

QUoniam per viſitationẽ à nobis factam conſtat, quòd in adminiſtratione ſacramentorum, minori cura quàm priùs attendatur, & quòd expediat ut in hoc ſeriò agatur; nos juxta decreta Concilii Provincialis *l* anni MDLXXXIII. Indorum parochis

i Ibid. ad eundem. *k* Cap. 20. Syn. præc. ibid. in margine. *l* Act. 2. cap. 19 & 28.

ochis præcipimus, ut in ſacramentorum adminiſtratione obſervantiſſimi ſint, dicti Concilii Provincialis ſanctiones in omnibus & per omnia ſervando, ſecundùm quod, & eo modo, quo in eodem continetur. Et à religionum Prælatis cum omni ſinceritate & ſtudio, quo poſſumus, in domino petimus, ut ſuis religioſis doctrinarum rectoribus jubeant, & ſeverè injungant, ut quiſque muneri ſuo abſque remiſſione inſiſtat in adminiſtratione ſacramentorum, ita ut Domino noſtro per omnia ſerviatur. Neque, quantum ad nos pertinet, defuturi ſumus, ut omni officio, quantum poterimus, cum iiſdem religioſis correſpondeamus, ut in dictis doctrinis munere ſuo rectè fungantur, quatenus poſſimus nos invicem alteri alteros hac ratione juvare, & utrique conſcientiæ exonerentur.

CAPUT XVII.

Ubi non fuerit ſacrarium, & cuſtodia ſanctiſſimi ſacramenti, non feratur ad viaticum infirmorum, niſi una ſola particula.

Quando miniſtrandum eſt ſanctiſſimum ſacramentum pro viatico infirmorum, in locis, in quibus non eſt cuſtodia & ſacrarium; idem ſacramentum cum convenienti decẽtia feretur poſt abſolutam Miſſam, & non priùs, Miſſam ipſam interrumpendo. Nec niſi una particula conſecrata deferatur, præterquam in caſu quo alius ſacerdos celebraturus ſit, qui reliquas conſummet: & in tali caſu, quo duæ deferantur, ſacerdos cum altera revertetur ad Eccleſiam cum proceſſione, & eodem apparatu, quo inde diſceſſit.

CAPUT XVIII.

Ubi non fuerit ſacrarium, ſanctiſſimum ſacramentum non deferatur in proceſſione in feſto corporis Chriſti.

In ſolennitate feſti corporis Chriſti, ubi non fuerit ſacrarium ſeu tabernaculum, & cuſtodia ſanctiſſimi ſacramenti, non deferatur ſacramentum in proceſſione, niſi alius ſacerdos poſt abſolutam proceſſionem celebraturus ſit, qui hoſtiã in proceſſione delatam conſummat. Quæ proceſſio cum Sanctiſſimo fiet poſt abſolutam priorem Miſſam, & non antè, Miſſam ipſam, ut dictum eſt, interrumpendo.

CAPUT XIX.

Dum celebrantur officia divina, nulli clerici loquantur, vel diſcurrant in Eccleſia, vel in ſacriſtia ad celebrandum induti.

Quoniam interim dum divina celebrantur officia, indecens eſt clericos colloquiis in Eccleſia vacare, & in ſacriſtia veſtitos ad celebranda ſacra, & ab omni ſtatu, præſertim Eccleſiaſtico, longè alienũ; ordinamus & præcipimus, ut [m] nullus clericus, cujuſcumque qualitatis vel conditionis ſit, dum divina officia vel Miſſæ celebrantur, vel ad Miſſam dicendam paratus eſt, cum ullo in Eccleſia vel ſacriſtia colloquatur, ſub pœna duorũ peſorum valoris cujuſque novem regalium, toties quoties contrarium fecerit, & aliis ad arbitrium judicis, qui cauſſam diffinierit.

CAPUT XX.

Doctrinarum ſacerdotes in eiſdem per ſex ad minus annos permaneant, & perpetuò reſideant.

Cum ex viſitatione per nos facta perceperimus, quòd ex crebra mutatione ſacerdotum doctrinalium, & aliorum ſubſtitutione, perdatur fructus per prædeceſſorem relatus, & exſtet occaſio, quòd & Indi, & alii qui ſcire tenentur, neſciant Chriſtianam doctrinam, & per aliquot annos non confiteantur, & quòd poſſint inde ſequi alia incommoda, ac Domini noſtri Dei offenſiones; proinde volentes huic malo providere, cum omni, quo poſſumus, ſtudio præcipimus, quòd noſter proviſor, & vicarius generalis exſecutioni mandent quod conſtitutum eſt in Concilio Provinciali celebrato in civitate Regum anno MDLXVII. ſeſſ. 2. cap. 4. in quo agitur de Indis: nullo modo permittendo, juxta quod, & eo modo quo ibi continetur, ut mutentur doctrinarum rectores ab illis quas poſſident ad alias, ſi per ſex ad minus annos continuos in eis non permanſerint, niſi gravis cauſſa ſuberit, vel neceſſarium fuerit, ut per ejuſmodi mutationes occurratur alicui gravi ſcandalo. Et qua poſſumus inſtantiâ petimus, & hortamur in Domino religionum Superiores, ut juxta hæc etiam incumbant, ne religioſos doctrinarum rectores tam crebrò mutent, ut hactenus fieri vidimus, & per viſitationem à nobis factam intelleximus; ſed per omnia obſervetur quod proviſum eſt per dictum Concilium Provinciale: unde Domino noſtro multum inſervietur, & ſequentur boni effectus in ædificatione & converſione horum indigenarum. Nec pariter permittant iidem religionum Superiores, ut religioſi, qui in doctrinis reſident, inde ſe abſentent, eundo ad capitula quæ celebrantur, vel ad alias partes, abſque eo quòd religioſum, alteri doctrinæ non adſtrictum, ſui loco relinquant; cùm alioquin tanta mala reſultare poſſint animabus, ſi Indi interim abſque ſacramentis moriantur: quæ res magnam exigit conſiderationem.

CA-

[m] Conc. Mediolan. I. par. 2. tit. *De Eccleſiis, & earum cultu.* Conc. Mogunt. ann. 1549. cap. 73.

CAPUT XXI.

In procedendo contra Indos observentur constitutiones hujus Archiepiscopatus.

EX visitatione quam fecimus instructi sumus, quòd constitutiones hujus Archiepiscopatus non observentur à parochis in procedendo contra Indos, & alias personas quæ delinquunt: ac proinde omnes, tam præsentes quàm futuri, hujus nostri Archiepiscopatus parochi, posthac prædictorum observantissimi sunto. Quibus dictis parochis, tam sæcularibus quàm regularibus, præsentibus & futuris, facultatem ad præmissa de novo concedimus & potestatem vices nostras, quantum de jure possumus, illis committentes ad hoc & omnia illi annexa vel inde dependentia, & ut procedant contra impeditores & perturbatores, & possint creare fiscales & notarios, & reliquos necessarios ministros.

CAPUT XXII.

Adversùs concubinarios, tam Ecclesiasticos quàm sæculares, serventur decreta Concilii Tridentini.

JUxta Motum proprium Pii V. statuimus & præcipimus, quòd omnes nostri judices Ecclesiastici nunc præsentes, & posthac futuri, in procedẽdo cõtra concubinarios Ecclesiasticos & sæculares, sacri Concilii Tridentini [o] statuta & decreta districtè, absque ulla remissione, observent. Eosque monemus, quòd si in eo negligentes fuerint, rationem Deo reddituri sint, & nos contra ipsos procedemus.

CAPUT XXIII.

De ordine standi, sedendi, & genuflectendi in Missa.

QUoad standum, sedendum, surgendum, & genuflectendum attinet, ad *Gloria*, *Credo*, vel alias partes Missæ, observabuntur rubricæ novi Missalis Romani, & laudabiles consuetudines quæ circa hæc invaluerint, juxta declarationem Cardinalium interpretum, qui sic interpretantur, & ordinant ut fiat.

CAPUT XXIV.

Parochi curent noctu pulsari pro animabus purgatorii.

INdorum [p] parochi diligenter curabunt, ut pueri doctrinales alta voce per plateas recitent preces pro animabus purgatorii, ut omnes eos audiant, & simul orent: & ad hunc effectum pulsabitur campana. nec in hoc remissi sint. Nostrique visitatores in visitationibus quas fecerint, solerter inquirant, qualiter hæc per dictos parochos observentur.

CAPUT XXV.

Indorum parochis commendatur, ut singulis diebus recitent litanias pro suis parochianis.

OMnes nostros Indorum parochos hortamur, & monemus in Domino, ut singulis diebus devotè recitent litanias pro Indis pastorali suæ curæ commissis, ut Dominus noster eos protegat & illuminet, & ut confirmentur in Fide, præmium ab eodem Domino nostro Deo exspectantes.

CAPUT XXVI.

Doctrinarum rectores moneant Pro-reges & Gubernatores, ubi opus fuerit, sternere vias, construere pontes, & instituere reductiones, ut doctrina convenienter exerceatur.

QUoniam [q] ex defectu viarum, & pontium, & reductionũ, non rarò sequuntur Indorum mortes absque sacramentis, & quòd præcipitentur sacerdotes, & multi Indi submergantur, aliaque incommoda, quibus distrituum Correctores remediũ facillimè adhibere possent, ut ex visitatione nobis constitit; proinde rectores Indicarum doctrinarum diligenti cura Pro-reges, vel alios in regimine constitutos, dictæ necessitatis monebunt, ut eam percipiant, & remedium apponant, attendendo semper ad bonum spirituale & corporale Indorum: nos quoque, nostrumque vicarium generalem instruant, ut pro parte nostra possimus instare.

CAPUT XXVII.

Nominantur testes synodales, & examinatores Beneficiorum.

JUxta decreta [r] sacri Concilii Tridentini, & Concilii Provincialis [s] anni MDLXXXIII. nominamus examinatores doctrinarum & Beneficiorum personas à nobis nominatas in Synodo anni MDLXXXIV. & juxta eadem decreta nominamus testes synodales easdem personas nominatas in Synodo proximè præterita anni MDLXXXV. qui omnes sic nominati debent præstare solenne juramentum officio suo bene & fideliter fungendi, juxa quod, & eodem modo, quo ordinatum est in dicta Synodo anni MDLXXXV.

CA-

[a] Conc. Liman. ann. 1583. Act. 4. cap. 7. & 8. Synod. Diœc. 5. cap. 73. & seqq. Synod. 4. cap. 8. [o] Conc. Trident. sess. 24. cap. 8. *De refor. Matrim.* [p] Regula consueta cap. 1. n. 8. [q] Conc. Limen. anni 1583. Act. 5. cap. 4. [r] Conc. Lateran. c. 6. *Sunt olim.* Trident. sess. 24. c. 18. Tolet. Act. 2. cap. 24. & act. 3. c. 28. [s] Liman. ann. 1583. Act 4. c. 17. & 23.

CAPUT XXVIII.

Vicarii & parochi penes ſe habeant iſtas conſtitutiones ſynodales.

OMnes [a] Hiſpanorum & Indorum vicarii & parochi habeant iſtas conſtitutiones ſynodales (quoad ipſos pertinent) infra quatuor menſes poſt primam publicationem hujus Synodi, ſub pœna procedendi contra tranſgreſſores ad exſecutionem pœnæ aſſignatæ in Synodo ſuperiori, [b] celebrata in oppido Yungay anno MDLXXXV. contra eos, qui non habent Concilia Provincialia & Synodos, aliiſque nobis arbitrariis.

CAPUT XXIX.

Augmentum ac diminutio pœnarum ſit penes arbitrium & diſpoſitionem Archiepiſcopi.

QUoniam in præſenti Synodo, & aliis per nos celebratis, pœnæ aliquæ impoſitæ ſunt, & nonnunquam expedire poſſit ut augeantur vel diminuantur; reſervamus nobis augmentationem & diminutionem pœnarũ in his conſtitutionibus impoſitarum, prout nobis videbitur, & facere placuerit.

CAPUT XXX.

Declaratio conſtitutionum ſit penes Archiepiſcopum.

QUando circa conſtitutiones hujus Synodi dubium aliquod orietur, declarationem obſervamus nobis.

Quapropter exhortamur, requirimus, & mandamus &c. *Ut ſuprà in fine præcedentis Synodi pag. 265. excepta mutatione loci & temporis, ut ſequitur.*

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ſynodales ad honorem & gloriam Domini noſtri Dei in oppido Sancti Chriſtophori de Guañec provinciæ de los Yauyos, die 20. menſis Septembris anni MDLXXXVIII,

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis,

Franciſcus Nuñez Cedano.

Literæ convocatoriæ futuræ Synodi.

DToribius Alphonſus Mogrovexus, gratiâ Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Regum, &c. *Eſt ejuſdem omnino tenoris cum convocatoria præcedentis Synodi ſuprà pag. 444. præterquam quòd futura Synodus hic indicta convocatur ad civitatem Regum, & ad vigiliam, ſeu veſperas S. Matthei anni MDXC.* Dat. in oppido S. Chriſtophori de Guañec provinciæ de los Yauyos die viceſima menſis Septembris anni MDLXXXVIII.

T. Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimę dominationis,

Franciſcus Nuñez Cedano.

IN oppido Sancti Chriſtophori de Guañec provinciæ de los Yauyos, die 20. Septembris MDLXXXVIII. Ego Franciſcus Nuñez Cedano, Notarius Apoſtolicus, Secretarius Illuſtriſſimi D. D. Toribii Alphonſi Mogrovexi Archiepiſcopi Regum, domini noſtri Regis Conſiliarii, fidem facio qualiter hodie dicto die exiſtens in Eccleſia ejuſdem oppidi, poſt celebratum ſacrum congregata ibidem majori parte Indorum ipſius oppidi, & Hiſpanorum qui in eo fuerunt, alta & intelligibili voce, præſente Archiepiſcopo meo domino, legi & publicavi hanc Synodum, ejuſq; conſtitutiones, & convocatorias, omnia de verbo ad verbum, ſicut in illis continetur, teſtibus dictæ publicationi præſentibus multis Indis; & præſertim P. Fr. Laurentio de Saravia Ord. S. Dominici, huius dicti oppidi parocho, & P. Melchiore de Figueroa, & Roderico Mexia, & aliis Hiſpanis: & in fidem hîc appoſui hoc meum ſignum ✠, in teſtimonium veritatis.

Franciſcus Nuñez Cedano Apoſt. Not. Secretarius.

IN civitate Regum die Dominica, 16. menſis Octobris anni MDLXXXVIII. exiſtens in ſancta Eccleſia Cathedrali ejuſdem civitatis, ſub Miſſa majori, quam celebravit D. Petrus de Villaverchi magiſter ſcholarum, & officiabant decanus & capitulum dictæ ſanctæ Eccleſiæ, licentiatus Bartholomæus Menacho clericus presbyter, & œconomus ejuſdem Eccleſiæ, legit & publicavit alta & & intellecta voce hanc Synodum, capitula, & conſtitutiones in ea contentas, audientibus multis perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus. Teſtibus doctore Alonſo Criado de Caſtilla, auditore hujus Audientiæ Regiæ, & licentiato Alvaro Nuñez à Solis ejuſdem Advocato, & Antonio Alvarez Ramirez. Et ſubſcripſit licentiatus Menacho, coram me Hieronymo Garon Notario publico Apoſtolico.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimę dominationis,

Bernardinus de Almanza Not. publ. Secret.

[a] Conc. Limenſe anni 1583. Act. 4. cap. 24.

[b] Synod. 3. cap. 89. & 90.

SYNODUS VI.

DIOECESANA LIMENSIS

Celebrata in civitate Regum, die 11. Menſis Octobris anno MDXC.

NOS *D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, miſeratione Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Regum, D. N. Regi à conſiliis &c.* Ut in principio Synodi præcedentis.

CAPUT I.

Quòd clerici non ſpatientur in equis.

ATtendentes [a] imprimis rem indecentem eſſe, quòd ſacerdotes & clerici in ſacris ordinibus conſtituti circũeant ſpatiatũ in equis vel equabus; præcipimus, ut ab hoc ſe in poſterum abſtineant. Eoſdem monentes, quòd alioquin contra ipſos ſeverè procedetur.

CAPUT II.

Clerici mulos non adornent panno.

AD [b] refrenandum exceſſivum ornatum, prohibemus ne ullus deinceps clericus mulos panno adornet, exceptis noſtro proviſore, vicario generali, præbendariis hujus ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis, vel aliis, quibus id faciendi licentia per nos concedetur.

CAPUT III.

Vicarii & parochi civitatum, quando mittent pro ſacris oleis, non accipiant ab aliis clericis partem ſumptus, quem in eis adferendis inſumpſerint.

QUoniã [c] exceſſus aliquis committi poſſit in partitione ſumptuum, qui impẽduntur in perſonã, quę adfert ſacra olea ex loco in quo conſecrata fuerunt; nos cupientes remedium illis apponere, præcipimus quòd vicarii & parochi poſthac procurent oleũ & chriſma omni meliori commoditate, & minimis quibus poterunt ſumptibus adferri: nec ullatenus permittant, ut repartitiones hujuſmodi ſumptuum fiant inter clericos qui venient ad ea ab ipſis accipienda, vel quibus ea dederint: quoniam cùm oleum pro ſe, uti tenentur, accipiunt, id facillimè poterunt aliis concedere, & ſingulis diſtribuere.

CAPUT IV.

Partitiones mitarum, *ſeu tributi, vel aliarum rerum, ab Indis non fiant in Eccleſiis.*

DIligenter invigilent parochi, ne permittant ut Indi in templis, quæ ſunt domus orationis, faciant partitiones *mitarum*, ſeu tributorum, vel rerum ruſticarum, & contra tranſgreſſores procedant.

CAPUT V.

Ne Indæ in Eccleſiis ullos labores exerceant.

PArochi non permittant, ut Indæ fœminæ in Eccleſiis neant, pannos * lævigent, vel alios labores exerceant, ſed ſtudeant exſtirpare malam conſuetudinem circa hoc introductam.

CAPUT VI.

Non pulſentur campanæ ad honorificam Correctorum ſuſceptionem.

IN Indorum [d] Correctoribus ſuſcipiendis non conſentiant vel permittant parochi ut pulſentur campanæ: nec in hujus conſtitutionis exſecutione remiſſi ſint.

CAPUT VII.

Correctores non aſſignent parochis tempus, quo in doctrinarum pagis permaneant.

VIcarii [e] noſtri peculiarem curam gerant procedendi adversùs Correctores, qui ſe intromiſerint in aſſignando Indorum parochis tempus, per quod in ſingulis doctrinæ ſuæ pagis permaneant, cùm ſit res ab eorum juriſdictione aliena, ſe in ſimilibus immiſcere.

CA-

---

[a] Conc. Limen. ann. 1583. Act. 3. c. 15. & Trid. ibid. in margine. [b] Ibidem Act. 3. c. 16. [c] Suprà Synod. IV. cap. 8. * Vulgò *deſmatar.* eſt, nodos & lappas pannis auferre. [d] Conc. Lim. anni 1583. Act. 3. c. 41. [e] Synod. 3. ſup. c. 35. 40. 59. 64. 65.

CAPUT VIII.

Correctores non colloquantur cum Indis in templis, vel eorum cœmeteriis.

Cum[f] indecens ſit, ut Correctores Indorum cum illis in Eccleſiis conferant ſermones, vel etiam in earum cœmeteriis, de negotiis ad ipſorum officium ſpectantibus, vel aliis; id ampliùs utrobique ipſis inhibitum eſto: neque parochi ullo modo permittant ejuſmodi colloquia in dictis locis.

CAPUT IX.

Infidelium Indorum ſepulchra occludantur.

Quoniam[g] infidelium Indorum ſepulchra, ſi in propatulo ſint, occaſionem præbere poſſunt ut Indi vivi recordentur idololatriæ, & ſuperſtitionum ſuæ gentilitatis; ideo Indorum parochi ſolerter curabunt, ut ſepulchra in quibus jacuerint infidelium cadavera, occludantur; præſertim ſi in ipſis oppidis, vel prope illa ſint: in quo obſervantiſſimi eſſe debent.

CAPUT X.

Indorum parochi procedant contra excedentes in collectione decimarum.

INdorum gravaminibus & exceſſibus, quos decimarum collectores in eos committunt, ut inſtructi ſumus, tollendo quod non debetur, & pluſquam ad eos pertinet, remedium apponere cupientes; ordinamus, quòd parochi, juxta conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus procedant contra collectores decimarum, qui plus exigunt quàm illis debetur. Et cùm ipſis expedire videbitur, informationem deſuper ab ipſis confectam, ad nos, noſtrumvè proviſorem remittent, ut viſis eorum exorbitantiis, provideatur de remediis, & contra eos procedatur.

CAPUT XI.

De judicibus, qui nominantur ad cauſſas per ſedem Apoſtolicam ad has partes commiſſas.

SEcundùm decreta ſacri Concilii Tridētini, pro deciſione cauſſarum Apoſtolicarum, quæ ad has partes committuntur, aſſignamus in hac Synodo judices cauſſarum Apoſtolicarum, quæ ad has partes commitentur, P. Fr. Dominicum de Valderama Priorem Conventus Sancti Dominici hujus civitatis, & P. Fr. Ioannem de la Vega Guardianum Conventus Sancti Franciſci, & P. Fr. Ludovicum Lopez Priorem Conventus S. Auguſtini ejuſdem civitatis Regū, & P. Fr. Joannem Garcès, Commendatorem domus Dominæ noſtræ de Mercede, & P. Joannem Sebaſtianum rectorem Societatis Jeſu hujus civitatis: & priores, guardianos, commendatores, & rectores, qui in eiſdem officiis ſuccedent in hac civitate, & doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianum, cantorem hujus ſanctæ Eccleſiæ, ac D. Petrum de Villalverchi magiſtrum ſcholarum hujus ſanctæ Eccleſiæ, ac D. Chriſtophorum Medel theſaurarium ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ, & eos qui in eiſdem dignitatibus, cantoris, magiſtri ſcholarum, ac theſaurarii ſucceſſerint, ac decanum, & archidiaconum qui creabuntur, & ſucceſſerint loco eorum, qui hactenus fuerunt, ac doctorem Joannem Balboa cathedraticum, & examinatorem linguarum Indicarum, ac doctorem Antonium de Molina canonicum, ac doctorem Joannem Diez canonicum hujus ſanctæ Eccleſiæ.

CAPUT XII.

De examinatoribus Beneficiorum & doctrinarum.

SAcri Concilii Tridentini decretis & ordinationibus inhærendo, nominamus examinatores Beneficiorum & doctrinarum doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianum, cantorem hujus ſanctæ Eccleſiæ, & doctorem Antonium de Molina, & doctorem Joannē Diez, canonicos hujus ſanctæ Eccleſiæ, & doctorem Joannem de Roca, & baccalaureum Chriſtophorum Sanchez, parochos hujus ſanctæ Eccleſiæ; qui debent præſtare juramentum juxta ſacrum Concilium Tridentinum.

CAPUT XIII.

De teſtibus ſynodalibus.

RAtio ob quam ſancti Patres juſtè & ſanctè inſtituerunt, ut Synodi ſingulis annis fierent, erat, ut in eis tractetur correctio & emendatio malorum morum, atque bonorum reformatio, & ut in eis conſtituatur quod expedit ad bonum regimen animarum, & de rebus ad Epiſcopatus pertinentibus. Et ut quod ordinaretur & fieret in eiſdem Synodis, cum majori efficacia adimpleretur, ac deſideratum ſortiretur effectum; ſtatuerunt ut ſingulis Epiſcopatibus conſtituerentur & nominarentur teſtes ſynodales, perſonæ idoneæ & bonæ, quæ per totum Archiepiſcopatum, quiſque in diſtrictu ſibi aſſignato, magnâ diligentiâ inquirant, qualiter ſervetur & adimpleatur quod in Synodis conſtitutum & præceptum eſt. Et nos hanc ſanctam inſtitutionem in effectum ducentes, deſignamus in hac Synodo parochos Eccleſiarum parochialium hujus civitatis, præſentes & futuros, & viſitatores præſentes pariter & futuros hujus Archiepiſcopatus, ut quod dictum eſt, per noſtrum Archiepiſcopatum inquirant. Idque abſque ſcriba, notario, vel ſtrepitu judiciali, ſed ſimpliciter

---

[f] Concil. Mediolan. I. tit. *De Eccleſiis & earum cultu.*

[g] De exſtirpandis reliquiis idololatriæ. Conc. Toler. XVI. & alia apud Binium in Notis ad cap. 2. ejuſdem.

ter ac de plano præſtare debebunt, quia juriſdictionem non habent, nec eam illis damus. Et quod ſic ſecretò perquiſierint, ſignando, & memorando teſtes qui rem ſciant ac deponant, tam de defectibus & culpis vicariorũ & clericorum, quàm etiam laïcorum, non ſumendo juramentum à teſtibus, ſed ſolummodo per viam informationis, id ſecum deferent ad Synodos & Concilia Provincialia quę celebrabuntur, ipſumque nobis ſecretò tradent, ut eo per nos viſo, provideamus remedium, uti Domino noſtro placuerit. Et debebunt præſtare juramentum officio ſuo bene & fideliter fungendi.

CAPUT XIV.

Vicarii & parochi penes ſe habeant has conſtitutiones.

OMnes noſtri, tam Indorum quàm Hiſpanorum vicarii & parochi, habeant iſtas conſtitutiones ſynodales, quantum ad ipſos pertinent, intra quatuor menſes poſt primam publicationem hujus Synodi, ſub pœna quòd contra tranſgreſſores procedatur ad exſecutionem pœnę impoſitę in pręterita Synodo anni MDLXXXV. celebrata in oppido Yungay, illis qui non habent Concilia Provincialia & Synodos Diœceſanas, aliarumque pœnarum arbitrio noſtro infligendarum.

Quapropter exhortamur, requirimus, & mandamus omnibus & quibuſcumque &c. *Ut in fine IV. Synodi anni MDLXXXVI.*

Abſolutę ſunt iſtę conſtitutiones ad honorem & gloriam Domini noſtri Dei in civitate Regum undecima die Octobris anni MDXC.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuę Illuſtriſſimę dominationis,

Bernardinus de Almanza Notarius publicus Secretarius.

SYNODUS
DIOECESANA VALENTINA
CELEBRATA
PRÆSIDE ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
D. JOANNE RIBERA
PATRIARCHA ANTIOCHENO ET ARCIEPISCOPO VALENTINO.
anno MDXC.

JOANNES RIBERA

PATRIARCHA ANTIOCHENUS, ET ARCHIEPISCOPUS VALENTINUS
Omnibus ſuæ diœceſis parochis ſalutem in Domino.

NE diutiùs quàm par erat, Synodi Diœceſanæ celebratio differretur, eam aggredi, ac maturè peragere decrevimus: in qua communi veſtrûm omnium conſilio, de his conferre poſſemus, quæ Eccleſiis noſtris utilitatem aliquam eſſent allatura. Illud enim noſtri muneris eſſe intelligimus, more prudentis agricolæ ſentes primum ac ſpinas, ſi quæ in agris obortæ fuerint, avellere: poſt verò ſedulò ac diligenter agros excolere, ut nihil intuentium oculos offendat: ſed ſplendidæ floreant undique arbores, frugiferi etiam inſerti ſurculi pulchrè aſſurgant, & grata aſpectui, atque odorifera fruteta prorſus oblectent: ex quibus tandem frugum oriatur ubertas, quæ nutrimentum omnibus afferat ſalutare. Cuiuſmodi corporum nutrimenta quanti fiant novimus omnes: quanti ergo ſpiritualia alimenta æſtimanda erunt quibus ad ſpiritalem ſalutem nutrimur, & ad æternam gloriam educamur? Ego certè nihil tanti facio, quàm quum video noſtrarum Eccleſiarum parochos ita in ſuum munus incumbere, ut exemplo vitæ, & rerum agendarum ſolicitudine ſuos quiſque paſcat, & nihil deſiderari poſſit: ut ſcilicet ſacerdotes, & alii natu majores, velut provectæ jam arbores, virtutum omnium fructus ex ſe ferant ſaluberrimos: ipſi quoque ætate minores velut fertiles ſurculi, ad majora tendant bonorum incrementa. Demum cùm ipſas conſpicio Eccleſias velut florida quædam fruteta ſuaviſſimum undique ex ſe odorem emittere quo omnes alliciantur, & Eccleſiaſticorum omnium exemplo ad optima quæque provocentur. Certè hanc nunc vobis tertiam Diœceſanam Synodum peractam jam, atque decretam damus. Veſtrum erit totis viribus curare, ut ex ipſa rerum cognitione major in vobis accreſcat ad virtutem affectus; ac proinde meliora ſemper meditemini & ſequamini: quod vos facturos eſſe maximè confido: ut ſimul omnes divinis rebus pro noſtro munere intenti: illum tandem finem conſequamur, quem ſuis Deus paratum habet, in quem noſtra omnia ſunt à nobis referenda. Quę enim ſeminaverit homo (*dicebat beatus Apoſtolus*) hec & metet *Quoniã qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam: quam pro ſua benignitate concedere nobis dignetur Dominus omnipotens. Valentiæ è domo noſtra Archiepiſcopali 6. Kal. Junii MDXC.*

DECRETUM I.

Quòd nihiles *à collectoribus dati intra ſex menſes recuperentur.*

SOlent redditum Eccleſiaſticorum collectores in exſecutionibus quę contra debitores fiunt, ſtatim atque ipſi debitores mandato judicis ſeſe rationibus poſitis opponunt, ab ipſa debiti exſecutione ceſſare, quaſi nihil jam debitum illud æſtimari debeat. Hinc fit, ut redditus illi minimè recuperentur, ipſumque debitum paucis annis vel oblivione vel negligentia extinguatur. Quamobrem viſitatoribus noſtris præcipimus, mandent ipſi clero, ut altero electo collectore, vel certè per ipſum cleri ſyndicum intra ſex menſes debitum illud recuperet, vel juſtam ipſi viſitatori cauſſam clerus exponat, ob quam recuperari non potuerit: alioqui clerus ipſe debitum illud ſolvere tenea-

neatur, & ad ipsum solvendum ipso facto condemnatus existat.

DECRETUM II.

Rectorum substituti diebus festis bis celebrare possunt.

Jure permissum est rectoribus, qui præcipuis suis Ecclesiis annexa loca habent, posse diebus Dominicis & festis bis Missam celebrare; in præcipua scilicet ipsa Ecclesia, & in aliquo ex annexis locis. Declaramus posse ipsos, si infirmi, aut legitimè impediti fuerint, sacerdotem substituere, qui duas illas Missas prædictis diebus & locis celebrare possit.

DECRETUM III.

Sacris initiati ne galerum gestent.

Debent Ecclesiæ ministri honesto ac decenti corporis vestitu honestos etiam animi sui mores ostendere. Cumque multus nostro tempore in galeris ac pileis gestandis abusus in viris Ecclesiasticis invaluerit, dum illorum deformitate secularem usum imitantur; debuit nostra hæc Synodus huic malo obviam ire. Statuit igitur, ne ullus clericus in sacris constitutus, publicè, & ut plurimum absque necessitate, galerum gestet: quem si in Ecclesia propria gestaverit, illum amittat. Utantur autem sacris initiati pileis. hi enim proprius sunt illorum habitus, & insigne clericale: qui tamen ad mediocrem & honestam formam sint confecti, quâ sacerdotes uti solent.

DECRETUM IV.

Pauperes ad fores templi consistant.

In Provinciali Valentino Concilio sess. 5. cap. 6. aliàs etiam Apostolicis constitutionibus cautum provide fuit, ne in Ecclesiis quies eorum qui sacra audiunt, vario tumultu perturbetur. Cujusmodi quietis impedimenta à mendicis pauperibus, & ab his qui eleemosynarias patinas circumferunt, excitari solent. Quamobrem superiora decreta innovantes, præcipimus, ne pauper aliquis, aut cæcus orationes recitans, dum officia sacra celebrantur, in Ecclesiam petendi gratiâ ingrediatur, sed foris ad templi januam petendo consistant: possitque electus ad id minister eos ab Ecclesiis expellere, & renitentes, in Archiepiscopalem carcerem etiam mittere.

DECRETUM V.

Quomodo licentiæ petendi concedi debeant.

Non facile est effrænatam illorum cupiditatem, & varias artes comprimere, qui nostris, aut officialis nostri suffulti licentiis, per Archiepiscopatûs loca eleemosynas petunt: qui quamvis se minimè quæstores appellent, sunt tamen verè quæstores, ad mercaturam nostris licentiis abutentes, ac simplices nimis vario persuasionum genere gravantes. Quare mandamus, ne in posterum licentiæ ad populorum conventus faciendos concedantur, aut ad pulsandam campanam, aut ad patinas eleemosynarias apponendas, aut ad erigendas confraternitates, neque ut candelæ dentur, aut imagines, aut similia, neque ut eos rector comitetur, aut ut hujusmodi alia ostentent: sed ad id tantùm licentiæ dari possint, ut eleemosynas simpliciter petant. Neque liceat parochis quæ in ipsa continebuntur licentia ad alia extendere ac dilatare, impositâ eis, si aliter egerint, trium librarum pœnâ, quas fabricæ applicamus.

DECRETUM VI.

Cæremoniæ Missalis serventur.

In Breviario, & Missali Romano, quæ felicis recordationis Pius V. Pont. Max. in universali Ecclesia admitti mandavit, cæremoniæ omnes, quæ tam in sacrificio Missæ, quàm in quocumque divino officio cantu vel simpliciter celebrando, observandæ sunt, abundè traduntur. Quæ quamvis in nostro Archiepiscopatu, quantum in nobis fuit, servatæ hactenus fuerint; quia tamen id non ubique fieri intelleximus, cunctis parochis, chorique vicariis præcipimus, ut prædictas in Breviario & Missali Romano contentas cæremonias ad unguem servari faciant. In quibus tamen dubium aliquod occurrerit, ad Metropolitanam Ecclesiam recurrant: ubi quid ab eis agendum erit, facilè intelligent.

DECRETUM VII.

De ritu canendi in Ecclesiis.

Ne in nostro Archiepiscopatu in celebrandis officiis aliqua sit in cantu varietas, ut qui simili sunt animo, simili etiam voce & cantu divinas laudes efferant; statuimus & mandamus, chori libros, in quibus ad cantûs formam officia sacra disponuntur, si quidem fuerint posthac describendi, ad eam cantûs normam describi debere, quæ in nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ libris, non autem in aliis, continetur. Qui verò libri sunt jam hactenus scripti, ad librorum originalium ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ formam corrigantur & emendentur. Illud etiam præcipimus, ut librum quem *Intonarium* vocant, in suis parochialibus Ecclesiis parochi omnes & Beneficiati qui choro assistunt, habeant: quem prope diem typis excudi mandabimus. In quo libro notatum canendi modum in concinendo officio sequantur omnes, dum benedictiones, lectiones, prophetias, orationes, Epistolas, Euangelia, antiphonas, responsoria, hymnos, & quicquid

aliud

aliud in Eccleſia decantandum erit, tono efferent: ut pari ſimiliq́ue modo ab omnibus officia concinantur.

DECRETUM VIII.

De cenſuris proprio motu impoſitis.

CONvenit maximè, non ſolùm parochis, ſed ipſis etiam presbyteris, qui audiendis confeſſionibus dant operam, cognitionem habere peculiarem earum cenſurarum quæ noviſſimè à S. ſede Apoſtolica in ipſis Motibus propriis ſunt impoſitæ; ut hoc modo illis, ipſiq́ue plebi ſit probè conſultum. Quare mandamus, ſummam quandam omnium propriorum Motuum, qui à felicis recordationis Pio V. Pont. max. hactenus prodierunt, in quibus cenſuręq promulgatæ ſunt, colligi: quæ unà cum hac Synodo typis mandentur.

DECRETUM IX.

Acta cenſuum adminiſtrationum à quibus notariis recipi debeant.

IN noſtra Diœceſana Synodo anno Domini MDLXXVIII. celebrata, ſtatutum fuit ad cenſuum Eccleſiaſticorum firmitatem, ne eorum cenſuum, qui ad Eccleſiarum bona pertinent, acta ab ullo alio, quàm à notario illius Eccleſiæ cujus bona illa fuerint, ſyndico recipiantur: & quia ex eo decreto non parum utilitatis ipſis Eccleſiis accreviſſe intelleximus, mandamus etiam præſenti hoc noſtro ſtatuto, ut quoties ex quibuſcumque adminiſtrationibus, quæ ad ipſam Eccleſiam pertinebunt, cenſus creabuntur, eorum etiam acta ille idem notarius Eccleſię ſyndicus, & non alius, recipiat: quoties verò ex quibuſcumque adminiſtrationibus operariorum Eccleſiæ, eorum etiam, qui pauperum dicuntur operarii, cenſus creabuntur, idem ille cleri, vel certè ipſius parochiæ ſyndicus, & non alius, acta recipiat.

DECRETUM X.

Colloquia virorum & mulierum in templis vitanda.

DOmum tuam decet ſanctitudo Domine, dicebat egregius Propheta David Pſal. 92. Debet itaque à templis Deo conſecratis quicquid ſcandali & offenſionis occaſionem præbere poteſt, procul abeſſe. Hujuſmodi ſunt virorum cum mulieribus in templis colloquia, tempore & locis non decentibus; quem abuſum aliàs etiam prohibitum, nondum tamen ſublatum eſſe videmus. Quamobrem rectoribus, & eorum vicariis hoc noſtro decreto præcipimus, ut ſedulò diligenterq́ue curent, ne viri cum mulieribus ſoli in Eccleſiis colloquantur, illoſq́ue ſeverè foras exire compellant: alioqui ſex librarum pœna, quas fabricæ jam nunc applicamus, eos multandos eſſe ſtatuimus.

DECRETUM XI.

Dies feſtus B. Ludovici Epiſcopi colatur.

DIvino certè beneficio diœceſi noſtræ Valentinæ conceſſum eſſe intelligimus, ut Beati Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris corpus in Metropolitana hac Eccleſia reconditum habeamus. Cui beneficio diœceſanos noſtros gratos eſſe maximè cupimus. Quapropter conſilio & votis hujus Synodi mandamus, ut B. Ludovici feſtum, quod die 19. menſis Auguſti agitur, inter feſta colenda in hac noſtra diœceſi poſthac habeatur, non aliter atque in eadem diœceſi cætera colenda feſta haberi ſolent.

DECRETUM XII.

Ætas patrinorum in baptiſmo.

IN ſacri baptiſmi adminiſtratione non admittantur patrini minores annis quatuordecim: neque compatres minores, duodecim annis: ut intelligere poſſint, qua ſe obligatione aſtringant, erudiendi ſcilicet in doctrina Chriſtiana eum vel eam, quem vel quam in baptiſmo tenuerint.

DECRETUM XIII.

Quo in loco ſunt relinquendi pauperes infirmi.

CUM infirmi pauperes è loco uno in alterum deportantur, ſtatutis ſynodalibus decretum jam fuit, ne eos iter aggredi ſinant, niſi priùs Eccleſiæ ſacramenta receperint. Nunc etiam mandamus, ne populi ipſos in locum aliquem deportari ſinant, aut in aliquo conſiſtere permittant, in quo non ſit aliquis ſacerdos: ne ſi mortis articulus ingruat, ſpiritale eis ſubſidium deeſſe poſſit.

DECRETUM XIV.

Ne fiant repræſentationes in templis, etiam honeſtæ.

QUamvis fuerit jam antea decretum, nihil actionibus perſonarum repræſentari in templis debere, quod non fuerit priùs ab Ordinario approbatum; quia tamen ea eſt improborum hominum iniquitas, ut hoc etiam modo multæ oriantur peccandi in templis occaſiones; mandamus, ne ullæ in templis repræſentationes fiant, de rebus etiam honeſtis, & ad devotionem moventibus. Rectores verò, vicarii, aut clerus, alięvè Communitates, qui eas repræſentationes permiſerint, duabus libris multentur.

DECRETUM XV.

De obſervantia feſtorum.

PRæceptum, quo feſta ſanctificari jubentur, multis variiſque modis (quod dolenter referimus) in hac noſtra diœceſi à multis violari intelleximus: etiam ſi tam in Provinciali Concilio, quàm in Diœceſanis Synodis, fuerit hoc ipſum præceptum omnibus maximè commendatum. Quæ ipſa Concilii, & Synodorum decreta innovantes, rectoribus, eorumque vicariis mandamus, ut quantum in ipſis fuerit, hoc præceptum ab omnibus obſervari curent: noſtri etiam miniſtri idem ſua ex parte exſequantur, eos qui aliter egerint, ad pœnas quæ tranſgreſſoribus ſunt impoſitę, ſolvendas adigendo.

DECRETUM XVI.

Baptiſmi teſtimonium rectores in libro propria manu ſcribant.

REctores, eorumque vicarii, qui baptiſmi ſacramentum in ſuis Eccleſiis conferunt, teneantur propria ſua manu in baptiſmi libro illorum nomina qui baptizantur deſcribere, patris etiam & matris, ac ipſorum etiam patrinorum, impoſitâ illis viginti ſolidorum pœnâ, ſi aliena manu deſcribi illa fecerint. Qui baptiſmi & Confirmationum libri, cùm abſoluti & completi fuerint, in ſacrario vel archivo ipſius Eccleſiæ ſedulò cuſtodiantur, non autem in rectoris domo.

DECRETUM XVII.

Unaquæque Eccleſia ſigillum habeat.

STatuimus & mandamus, in omnibus noſtri Archiepiſcopatus Eccleſiis ſigillum haberi, cum peculiari illius Eccleſiæ ſigno, aut cum ipſa Sancti, cui conſecrata eſt Eccleſia, imagine. quo ſignentur acta quæ in teſtimonium baptiſmi, Confirmationis, matrimonii, aut alia quæcumque alicui danda fuerint. quod quidem ſigillum apud rectorem cuſtodiatur. Qui quum hujuſmodi teſtimonium impreſſo prædicto ſigillo alicui dabit, non poſſit pluſquam ſolidum unum ab eo accipere.

DECRETUM XVIII.

De tertia parochia in funere convocanda.

SI jufſerit aliquis ſepeliri ſe extra parochialem ſuam Eccleſiam in monaſterio aliquo, tertiamque convocari parochialem Eccleſiam voluerit; mandamus, ne parochialis illa Eccleſia, intra cujus ambitum monaſterium illud ſitum fuerit, cum paucioribus clericis adfunus illud comitandum exeat, quàm tertia illa Eccleſia detulerit.

DECRETUM XIX.

Rectores noviter converſorum præſentes habeantur in aliis Eccleſiis ubi reſident.

QUando noſtri Archiepiſcapatus aliquis noviter converſorum rector vel ejus vicarius, in alia Eccleſia extra rectoratus ſui Eccleſiam, ut Beneficiatus vel ſubſtitutus reſederit, ieritque ad rectoratus ſui Eccleſiam, ad ſuum rectoris vel vicarii peragendum officium; volumus, ne ejus abſentiæ cauſsâ ad eos actus in Eccleſia, in qua Beneficium obtinet, vel ſubſtitutus eſt, punctum amittat, quibus alioqui præſens in illa fuiſſet.

DECRETUM XX.

De extravaganti parochia in funere convocanda.

SI defunctus aliquis dum vitam ageret, ſacramenta vel ſacramentum aliquod ex alia parochiali Eccleſia, quàm ex ſua, in illa ægritudine quam mors ſecuta fuit, recepiſſet; volueritque præter parochialem ſuam Eccleſiam, & eas quæ ex decretis ſynodalibus funus comitari debent, aliam etiam convocari; illa convocetur, ex qua aliquod ex ſacramentis illi adminiſtratum fuerit. Idem de his clericis intelligatur, qui cùm in parochiali aliqua Eccleſia reſideant, domicilium tamen in altera habent.

DECRETUM XXI.

De funerali quarta exigenda.

MErito ſancti Patres antiquis Canonibus ſanxerunt atque explicârunt, quantũ homines parochialibus ſuis Eccleſiis debeant, à quibus divina ſacramenta, ipſaque doctrinæ Chriſtianæ ſpiritualia alimenta receperunt; ut majore etiam obligatione Eccleſiis illis judicentur eſſe obſtricti, quàm ipſis matribus, à quibus ſecundùm carnem ſunt geniti. Quod ut ſignificarent, tantique momenti Beneficiis unuſquiſque gratus eſſet; ſtatuerunt, ex legatis piis ſumptibuſque funerariis, quos defuncti in ſuis teſtamentis, diſpoſitionibus, aut codicillis reliquiſſent, quartam partem propriæ parochiali Eccleſiæ jure eſſe dandam. Quam partem, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, portionem vocant canonicam. Cumque in hoc noſtro Archiepiſcopatu nulla ſit de quartæ aut canonicæ portionis exactione certa regula, quòd in præteritis Synodis nulla ſit ea de re forma ſtabilita, unde variæ oriuntur controverſię; ideo cùm diligẽter quid hac de re ſacri Canones, Clementina potiſſimùm *De ſepulturis*, ſtatuerint, animadverterimus; antiquam etiam conſuetudinem, quæ ſervata fuit, & ſervari etiam in diœ-

ce-

cesi hac Valentina debet, consideraverimus: præsenti hoc nostro decreto, approbante Synodo, declaramus, quòd de legatis, sive in testamento, seu aliàs à defuncto factis sedi, vel alicui parochiarum Valentiæ, non debet dari quarta portio parochiæ cujus fuerit defunctus: nisi talia legata fuerint dimissa pro expensis exequiarum ipsius defuncti, pro obligationibus scilicet in sepultura faciendis, pro duobus cereis, cujuscumque formę fuerint, coram cruce portandis: quia de omnibus istis pars quarta debetur parochię, ultra duos cereos, qui virtute sententiæ Regis Jacobi, cruci parochię defuncti debentur. Et si fortè defunctus omnes cereos, qui in suis exequiis deservient, legaverint Ecclesiæ seu monasterio ubi sepelietur; tali casu de omnibus illis, cujuscumque formæ fuerint, sive plures, sive pauci, pars quarta debetur parochię defuncti.

Si defunctus dimiserit alicui Ecclesiæ seu monasterio vexilla, tapeta serica vel aurea, calices, cruces, aut alia quæcumque ornamenta, quæ solùm in honorem & cultum Dei & Ecclesiæ diserviunt, vel quantitatem aliquam ad ea facienda, de istis non debetur portio quarta parochiæ dicti defuncti: sed si talia fuerint dimissa ut post obitum ipsius convertantur in usum vel utilitatem propriam sacerdotum vel fratrum Ecclesiæ seu monasterii ubi fuerit sepultus, si talis dimissio fortitur suum effectum, tunc de his debetur portio quarta.

Si defunctus dimiserit pecuniam vel Missas alicui Ecclesiæ seu monasterio: & etiam dimiserit suę parochiæ, in qua sepultus fuerit, aliquot de prædictis legatis, tunc non debetur portio quarta dictæ Ecclesiæ de legatis aliarum Ecclesiarum. Si verò non fecerit mentionem de parochia sua, in qua sepultus est, tunc de melioribus legatis aliis Ecclesiis relictis, primò debetur sibi unum, quia mater defuncti fuit, ubi Ecclesiastica sacramenta ei fuerunt ministrata.

Si defunctus elegerit sepulturam in aliquo monasterio seu Ecclesia quæ non fuerint Sedes Valentina, nec aliqua parochiarum ejusdem: & dimiserit illi monasterio seu Ecclesiæ ratione sepulturę ibi electæ centum, & suę parochiæ dimiserit decem, pro canonica portione ei debita; tunc de illis centum debent superaddi parochię quindecim pro complemento viginti quinque, quæ dictę parochiæ debentur pro quarta portione dictorum centum. Si autem talis absolutè legaverit dictæ parochię decem, non intentione solvendi dictam quartam portionem, tunc integrè percipiat dictos decem, & ultra hoc viginti quinque pro sua quarta portione. Et hoc fuit inductum in compensam damnorum, quæ Sedes & parochiæ prędictę sustinent propter licentiam seu privilegium quod habent audiendi confessiones, & recipiendi ad sepulturam parochianos dictarum Ecclesiarum parochialium.

Si quis elegerit sepulturam in aliena diœcesi, etiam si de jure non sit solvenda portio quarta parochię defuncti; tamen quoniam talis est consuetudo in Valentina diœcesi, si evenerit casus, quarta portio debet solvi parochiæ dicti defuncti.

Si quis dimiserit rectori vel curato Ecclesiæ ubi sepelietur Missas, rector vel curatus suę parochiæ de jure debet habere quartam partem ipsarum, sic tamen quod ipsæ Missæ celebrentur per sacerdotes residentes in dictis Ecclesiis: sed si legaverit dictas Missas alicui Beneficiato seu presbytero Ecclesiæ ubi sepelietur; tunc de illis non debetur quarta pars rectori vel curato dictę suæ parochiæ. Nam dimittens uni sacerdoti, ut est una particularis persona, & non est caput Ecclesiæ, non sic intelligitur dimittere, quod totus clerus dictæ Ecclesiæ habeat utilitatem ipsarum, nisi in dicta Ecclesia sit consuetudo quòd Missæ relictæ uni particulari sint communes omnibus: quia tunc portio quarta debetur dictæ parochiæ suæ.

Quæ omnia, sicut præfertur, statuimus & decernimus servanda in hac nostra diœcesi Valentina, circa solutionem quartæ portionis propriæ parochiali Ecclesiæ faciendam. Declarantes, per hanc nostram constitutionem privilegiis veris, expressis, & confirmatis, ac in viridi observatione existentibus, mendicantium Ordinibus, seu aliis personis à sancta Sede Apostolica hactenus concessis, in nullo aliquo derogari, vel præjudicium inferri.

DECRETUM XXII.

De Missarum reductione.

Quamvis superioribus hujus diœcesis Synodis circa Missarum, quæ ex variis defunctorum relictis supersunt, reductionem, quæ in Ecclesiis celebrari non potuerint, sancitum & per nos statutum fuerit: quia tamen sæpè eadem necessitas ob penuriam sacerdotum & charitatis Missæ tenuitatem contingit, sicuti in præsenti videmus; ne piæ testatorum voluntates depereant, & ut illorum conscientiæ, quibus hoc negotium incumbit, consulatur; sacri Tridentini Concilii decretum sequuti, quod incipit: *Cuntingit sæpè*; (ubi potestas datur Episcopis, ut in Diœcesana Synodo hac de re statuere ea possint, quæ ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem judicaverint expedire) in hunc modum statuimus: In omnibus, tam collegiatis quàm parochialibus hujus diœcesis Ecclesiis, in quibus declaramus sequentem Missarum reductionem necessariam esse, Missę omnes ex variis defunctorum relictis impositę, quæ hactenus celebrari minimè potuerunt, sed neque nunc possunt, reducantur, sicuti præsenti hoc decreto illas reducimus, in anniversaria perpetua, aut in distributiones quotidianas, quę ad horas in choro inter præsentes distribuantur, aut in alia opera pia, nostra voluntate & arbitrio exprimenda, ut pro qualitate & necessitate cujusque Ecclesiæ illi convenire judicabimus. Ita tamen ut qui hæc commoda senserint, intelligant se adstrictos esse ad orandum & commemorationem pro illis fa-

faciendam, qui legata illa pro animarum ſuarum ſalute reliquerunt, & ad ea etiam præſtanda, quæ à nobis ad hanc rem illis imponentur. Ut autem perpetua hæc anniverſaria celebrari poſſint, & diſtributiones quotidianæ in choro perſolvi, & alia pia opera perfici; eas omnes eleemoſynas quę ad prędictas Miſſas celebrandas in Eccleſiis congeſtę ſunt, ex nunc ad dictos effectus applicamus. Ex qua pecuniarum ſumma in tutis ac ſecuris locis cenſus noſtro tamen aſſenſu & decreto, conſtituantur.

DECRETUM XXIII.

EXamini vacaturis Eccleſiis parochialibus præſentis diœceſis præficiendorum, ſequentes ſacræ Theologię doctores, Synodo approbante, deputamus, videlicet:

D. Jacobum Ferruzium.
D. Antonium Galant.
D. Bartholomęum Paſqual.
D. Petrum Joannem Aſcenſium.
D. Gaſparem Aldana.
D. Dionyſium Oromir.
M. Michaëlem Ægidium.

Ad cauſſas verò Eccleſiaſticas in partibus à ſancta Sede Apoſtolica, vel ejus Nunciis ſeu Legatis committendas, ſequentes in hac diœceſi Valentina judices ſynodales, eâdem approbante Synodo, nominantur, videlicet:

D. Joannes Frigola præcentor & canonicus Valentinus.

Doctor Petrus Català canonicus.

Doctor Honoratus Figuerola canonicus, Commendator Sancti Antonii civitatis Valentiæ.

CASUS

In quibus per modernas conſtitutiones à felicis recordationis Pio Papa V. & ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus hucuſque editas, incurritur eo ipſo aliqua Eccleſiaſtica cenſura.

Contra mulieres monaſteria regularium ingredientes, & regulares illas admittentes.

MUlieres domos, ſeu monaſteria Carthuſiana, & aliorum quorumcumque regularium Ordinum, etiam mendicantium, ingredientes, ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrunt, à qua abſolutionis beneficium à ſolo Romano Pontifice obtinebunt. Ipſi verò religioſi, ſive Superiores ſint ſive ſubditi, qui mulieres ad hujuſmodi monaſteria vel domos admiſerint, vel introducere auſi fuerint, ſententiâ ſuſpenſionis à divinis ipſo facto alligantur. Ex conſtitutione Pii V. quę incipit: *Regularium perſonarum*. Dat. Romę 23. Octobris MDLXVI.

Sed per hanc conſtitutionem non eſt præcluſus aditus mulieribus, adeundi hujuſmodi monaſteria, nec locum habet conſtitutio prędicta in caſibus ſubſequentibus, videlicet quando in hujuſmodi domibus aut monaſteriis, Miſſæ & alia divina officia celebrantur, ac quando proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadavera ibi ſepeliuntur, pro eiſque ſuffragia fiunt, ac etiam quando propter verbi divini concionem, aut aliam cauſſam, tantus eſt concurſus populi, quòd commodè ingredi non poſſunt & egredi per principalem portam Eccleſię, ſed unà cum aliis ſæcularibus per portam clauſtri recto tramite ad portam quâ exitur è monaſterio accedunt. Ex ejuſdem conſtitutionis declaratione per eundem Pontificem facta die 27. Januarii MDLXVIII.

Contra collatores, electos, patronos, & alios admittentes reſignationes & permutationes Beneficiorum, & eligentes ac præſentantes ad illa præter formam hujus conſtitutionis.

EPiſcopi, & alii facultatem habentes, itemque electores, præſentatores, patroni, confirmatores, & inſtitutores, ſive clerici ſive laïci, qui admiſerint Beneficiorum reſignationes aut permutationes, vel ad illa elegerint, præſentaverint, confirmaverint, vel inſtituerint, præter, aut contra formam à Pio V. prędcriptam in conſtitutione quæ incipit: *Quanta Eccleſia Dei*. Dat. Romę Kalend. Aprilis MDLXVIII. ubi etiam cautum eſt, ne verbo, nutu, aut ſigno, futuri ſucceſſores in Beneficiis ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, & ne de iis aſſumendis inter eos promiſſio, vel etiam intentio qualiſcumque intercedat, ac denique ne collatores ſuis, aut dimittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, de Beneficiis reſignandis audeant providere. A Beneficiorum collatione, electione, præſentatione, confirmatione, & inſtitutione, prout cuique competierit, ſuſpenduntur. Et qui talia Beneficia acceperint, eidem ſubjacent pœnę. Ac nihilominus qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, præſentare, confirmare, aut inſtituere auſi fuerint, excommunicationis quoad perſonas, quo verò ad capitula & conventus, à divinis ſuſpenſionis ſententias eo ipſo incurrunt, quibus ſolus Romanus Pontifex abſolutionem poterit impertiri. Ex eadem conſtitutione.

Contra Regulares ſacros ordines ſuſcipientes, non ſervatâ formâ Concilii Tridentini ſeſſ. 21. cap. 2. De reformatione.

DEcretum Concilii Tridentini ſeſſione 21. cap. 2. ubi ſtatuitur clericis ſęcularibus forma per quam ad ſacros ordines promoveri debeant, de clericis ſæcularibus ad clericos cujuſcumque ordinis regulares, ſeu religioſos non profeſſos, & ſęcula-

res

res more religioſorum in communi viventes, ita extenſum & ampliatum eſt, ut quicumque religioſi hujuſmodi, qui non ſervatâ dicti decreti formâ ſacros ordines ſuſceperint, ab ordinum ſic ſuſceptorum exercitio eo ipſo ſuſpenſi exiſtant, & ſi miniſtraverint, irregularitatis pœnam, per ſolum Romanum Pontificem, ſecluſis eorum privilegiis relaxandam, ipſo facto incurrant. Ordinatores quoque ipſorum à talium ordinum præſtatione, ſuſpenſione per annum aſtringuntur. Ex conſtitutione Pii V. quę incipit: *Romanus Pontifex*. Dat. Romę pridie Octobris MDLXVIII.

Contra moniales à clauſura egredientes, & licentiam illis concedentes, comitantes, & receptantes.

MONIALES à ſuis monaſteriis ſeu clauſura, niſi in caſu magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemię egredientes, & Superiores licentiam exeundi concedentes, necnon comitantes, & receptantes, etiam ſi illarum conſanguinei ſint, excommunicationem eo ipſo incurrunt: à qua niſi à ſolo Romano Pontifice abſolvi nequibunt. Ex conſtitutione Pii V. quę incipit: *Decori & honeſtati*. Dat. Romę Kalend. Februarii MDLXXXIX.

Contra impedientes & offendentes perſonas, ac diripientes bona, & frangentes carceres officii Inquiſitionis.

QUI aliquem ex Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, aut miniſtris ſacri officii Inquiſitionis, vel Epiſcopi id munus in ſua diœceſi obeuntis; ſeu accuſatorem, denunciatorem, aut teſtem in cauſſa Fidei productum vel evocatum, occiderit, verberaverit, dejecerit, ſeu perterrefecerit: quivè Eccleſias, ædes, aliasve res, ſive publicas ſive privatas, officii aut miniſtrorum hujuſmodi expugnaverit, invaſerit, incenderit, ſeu expoliaverit; aut libros, inſtrumenta, vel ſcripturas combuſerit, diripuerit, interverterit, ſeu aliquo modo exportaverit; quique carcerem effregerit, vinctum extraxerit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, vel occultaverit, aut res vel perſonas ſervari defendive prohibuerit: ſeu aliàs auxilium, conſilium, aut favorem in aliquo prædictorum ſcienter præſtiterit, licèt nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, aut ereptus, nihilque prędictorum ſecutum ſit, anathematis vinculo eo ipſo alligatus eſt. Ex conſtitutione Pii V. quę incipit: *Si de protegendis*. Dat. Romæ Kalendis Aprilis MDLXIX.

Contra recipientes Beneficia, fructus, aut penſiones, & confidentias.

QUI Beneficia Eccleſiaſtica, quęcumque illa ſint, aut illorum fructus, penſiones, aliaſve res, intercedente vitio confidentiæ, admiſerint, excommunicationis ſententiâ ipſo facto innodantur: cujus ſententiæ abſolutio Romano Pontifici reſervatur. Ex conſtitutione Pii V. quæ incipit: *Intolerabilis*. Dat. Romę Kalendis Aprilis MDLXIX.

Contra petentes aliquid in proviſionibus Beneficiorum.

PRIVILEGIA, ſtatuta, & conſuetudines Eccleſiarum, quorum vigore obſervari ſolebat quòd in proviſionibus Beneficiorum, vel admiſſione ad poſſeſſionem & diſtributiones quotidianas, certæ conditiones illicitè interponebantur, ac etiam quòd vacantibus Beneficiis, fructus aut diſtributiones quotidianę ex eis primò ab ipſa vacatione anno, aut longiori vel breviori tempore proventuri, menſę capitulari, aut aliàs integrè, vel partim applicarentur. Nec non quòd nullus etiam auctoritate Apoſtolica proviſus recipiatur, niſi priùs de obſervandis hujuſmodi privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus juramentum præſtitiſſet; ſeu dulciaria, aut quid aliud tribuiſſet; revocata, caſſata, & annullata fuerunt, ſalvo jure fabricæ & ſacriſtiæ. Qui igitur contra hujuſmodi revocationem, caſſationem, ſeu annullationem, quicquã commiſerint, cenſuris Eccleſiaſticis ipſo facto aſtringantur: ita tamen quòd ſi Epiſcopi fuerint, tamdiu à Pontificalis officii exercitio ſuſpendentur, donec per Sedem Apoſtolicam ſuſpenſio relaxetur: capitula & collegia Eccleſię interdicto ſubjicientur: ſingulares verò perſonę ſententiâ excommunicationis vincientur, à qua niſi à Romano Pontifice abſolutionis beneficium nequibunt obtinere. Ex conſtitutione Pii V. quæ incipit: *Durum nimis*. Dat. Romæ pridie Kalen. Junii MDLXX.

Contra prædicantes, & ſcribentes de alterutra parte controverſiæ Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis Mariæ.

CONCIONATORES, vel prædicatores, ſive regulares ſive ſæculares fuerint, qui in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum & mulierum multitudo convenire ſolet, de controverſia Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis Mariæ pro alterutra parte diſputare, rationibus vel doctorum auctoritate aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, aut de eadem quæſtione vulgari ſermone ſcribere aut dictare præſumpſerint; ſi modò in ſacris exiſtant, ſuſpenſionis à divinis ſententiam ipſo fa-

facto incurrunt. Ex conſtitutione Pii V. quæ incipit: *Super ſpeculam.* Dat. Romæ pridie Kalendas Decembris MDLXX.

Contra redigentes in ſervitutem Chriſtianos apud Turcas repertos.

QUI Chriſtianos apud Turcas repertos in ſervitutem redegerint, bonis ac fortunis ſpoliaverint, triremibuſve alligaverint, aut illis taliam impoſuerint, quinimmo fraternè & amicabiliter (ut Chriſtianam pietatem decet) non tractaverint, ac liberè cum liberis ſuis, conjugibus, & bonis abire non permiſerint, anathematis mucrone ipſo facto feriuntur. Ex conſtitutione Pii V. Quæ incipit: *Licèt omnibus notiſſimum ſit.* quæ in Bullario Romano non reperitur Kalendata, nec expedita fuit, ſed ejus ſolam ſignaturam ſufficere voluit idem Pontifex.

Contra depingentes & vendentes formas Agnus Dei *dictas.*

QUI formas illas *Agnus Dei* dictas, per Romanum Pontificem benedictas, depinxerit, infecerit, miniaverit, notaverit, vel aurum, vel colorem aliquem illis impoſuerit, aut quicquam aliud ſuperinduxerit, aut depingi vel miniari fecerit, vel illos venales propoſuerit, aut tenuerit; eo ipſo ſententiâ excommunicationis inficitur. Ex conſtitutione felicis recordationis Gregorii XIII. quæ incipit: *Omni certè ſtudio.* editâ ſub Dat. Romæ octavo Kalendas Junii MDLXXII.

Contra dominos temporales, & civitatum ac locorum rectores, permittentes taurorum ſpectacula & agitationes,

CIVITATUM & locorum domini, aut rectores, permittentes in ſuis civitatibus, terris, oppidis, & locis fieri in foro vel circo taurorum & aliarum ferarum ſpectacula, ſententiæ excommunicationis ipſo facto ſubjiciuntur. Ex conſtitutione Pii V. quæ incipit: *De ſalute gregis.* Dat. Romæ Kalendis Novembris MDLXVII. Sed hanc conſtitutionem poſtmodùm Gregorius XIII. ad dies tantùm Dominicos & feſtivos reſtrinxit & limitavit. Sed perſonas Eccleſiaſticas in ſacris conſtitutas talibus ſpectaculis intereſſentes, eâdem ſententiâ excommunicationis ipſo facto devinxit.

Contra Prælatos & Superiores monaſteriorum monialium, qui ad illa non comitati, & citra caſus neceſſarios ingrediuntur.

PRÆLATI & Superiores monaſteriorum monialium, qui ex decreto Concilii Tridentini alterius licentiâ ingrediendi ad illa non indigent; ſi id faciant, præterquam in caſibus neceſſariis, & tunc aliter quàm probis, eiſque ſenioribus ac religioſis perſonis, comitati, cenſuris Eccleſiaſticis alligantur: nimirum, ſi Epiſcopi fuerint, pro prima vice ingreſſu Eccleſiæ interdicuntur: pro ſecunda, à munere Pontificali, & à divinis ſuſpenduntur: ac deinceps excommunicati exiſtunt. Regulares verò excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrunt, ex conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Dubiis.* Dat. Romæ die 23. Decembris MDLXXXI.

Contra dominos temporales locum ad duellum privatum concedentes.

DOmini temporales locum ad monomachiam, & duellorum pugnam concedentes, quibus à Concilio Tridentino ſeſſione 25. cap. 19. *De reformatione*, impoſita eſt eo ipſo ſententia excommunicationis, perinde illam incurrunt, ubi nullis patrinis, nulliſque ſociis convocatis, ac nullis præcedentibus provocatoriis literis, ex condicto, ſtatuto tempore, ſingulare duellum initum eſt, ac ſi publico illo & conſueto abuſu duellum commiſſum fuiſſet. Ex conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Ad tollendum.* Dat. Romæ nonis Decembris anno MDLXXXII.

Contra extorquentes juramenta illicita à Prælatis, & locorum rectoribus, & officialibus in illorum admiſſione.

QUI juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel etiam Eccleſiaſticæ libertati, vel decretis Concilii Tridentini obviantia, à Prælatis cùm ad Eccleſias primò accedunt, vel canonicis cùm agitur de illis recipiendis, & inter laïcos à poteſtatibus, civitatumque, caſtrorum, ac terrarum rectoribus, vel officialibus, cùm de illorum aſſumptione vel admiſſione tractatur, exigunt aut extorquent, aut illos jure jurandi religione ad quædam ſtatuta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel Eccleſiaſticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia aſtringunt, cenſuris Eccleſiaſticis ipſo facto afficiuntur: Epiſcopi videlicet à divinis ſuſpenduntur: capitula verò & conventus, eorumque Eccleſiæ, & loca omnia interdicto ſupponuntur: ac ſingulares perſonæ excommunicationis ſententiâ innodantur. Ex conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Inter Apoſtolicas.* Dat. Romæ nonis Septembris MDLXXXIV.

Contra Regulares admittentes ad habitum & profeſſionem ex ſacrilegio, aut inceſtu natos.

SUperiores Ordinum quorumcumque, qui ex ſacrilegio aut ex inceſtu genitos, quorum ſcilicet parentes conſanguinitate vel affinitate intra tertium gradum invicem conjuncti ſunt, vel quorum alteruter parens caſtitatem devoverit, ad habitum receperint, vel ad profeſſionem admiſerint, ſententiam excommu-

municationis ipſo facto incurrunt, cujus abſolutio Romano Pontifici dumtaxat reſervatur. Ex conſtitutione ſanctiſſimi D.N. Xyſti V. quæ incipit: *Cùm de omnibus*. Dat. Romæ ſexto Kalen. Octobris MDLXXXVII.

Contra clericos malè promotos, & illorum ordinatores.

SI quis Epiſcopus vel Abbas ad primam tonſuram minoreſque ordines ſubditis ſuis conferendos facultatem habens, quēcumque ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis aut militiæ regularem, præter Juris communis & Concilii Tridentini diſpoſitionem, aut aliàs, malè clericali charactere inſigniverit, aut ad ordines minores vel ſacros promoverit; à collatione quorumcumque ordinum, atque ipſius tonſuræ, & ab exſecutione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtit. Cujus interdicti ſuſpenſioniſque relaxatio Romano Pontifici reſervatur. Et nihilominus clerici qui ſic malè promoti fuerint, ab exſecutione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum, omniſque ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores, perpetuò ſuſpenduntur. Et ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic effectos irregulares ſolus Romanus Pontifex ex hujuſmodi cenſuris poteſt ſolvere & liberare. Ex conſtitutione ſanctiſſimi D. noſtri Xyſti V. quæ incipit: *Sanctum & ſalutare*. Dat. Romæ nonis Januarii MDLXXXVIII.

Contra habentes licentias ingrediendi, ſeu permanendi in monaſteriis monialium.

OMnes licentiæ ingrediendi monaſteria monialium, quibuſcumque perſonis, cujuſvis ſexus, ſtatus, & cōditionis, ſub quibuslibet formis & tenoribus cōceſſæ, revocatæ fuerunt per Gregoriū XIII. in conſtitutione quæ incipit: *Ubi gratiæ*. Dat. Romæ idibus Junii MDLXXV. Et pari modo omnes licentię ad hujuſmodi monaſteria ſeu loca ingrediendi & inibi permanendi mulieribus conceſſę, revocatæ ſunt per conſtitutionem ſanctiſſimi D. N. Xyſti V. quę incipit: *Sanctimonialium*. Dat. Romæ die quinto Januarii MDLXXXIX. Qui igitur in monaſteria ſeu loca monialium ingredi, aut inibi permanere vigore alicujus prætenſæ licentię auſus fuerit, in pœnam incidit excommunicationis latę ſententię, cujus abſolutio Romano Pontifici dumtaxat reſervatur, ex duabus ſupradictis conſtitutionibus. Eum verò qui ob ingreſſum monaſterii monialium excommunicatur ex decreto Concilii Tridentini ſeſs. 25. cap. 5. *De regularibus*, confeſſarius poteſt abſolvere, quia non eſt reſervata abſolutio.

SYNODUS
DIOECESANA VALENTINA

Celebrata die 25. menſis Octobris anno MDXC.

PRÆSIDE

EODEM ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

D. JOANNE RIBERA

PATRIARCHA ANTIOCHENO ET ARCHIEPISCOPO VALENTINO.

JOANNES RIBERA

PATRIARCHA ANTIOCHENUS, ET ARCHIEPISCOPUS VALENTINUS
Omnibus ſuæ diœceſis parochis ſalutem.

VIDEBIMVR fortaſſe nimis properè poſt Synodum Diœceſanam hoc eodem anno poſtremò celebratam, & nunc hanc alteram congregâſſe. Non certè multiplicandi leges ſtudium, quibus in noſtra diœceſi Eccleſiaſtica diſciplina abundat: aut temporis otium depellendi, quod paſtoralis cura non patitur, laborem iterâſſe compulit. Ambiguus rerum eventus, & difficilis negotiorum progreſſus effecerunt, ut quod antea ſuperiori Synodo ſtatuere cogitabamus, in opportunius tempus diſtuliſſemus. Cogebat presbyterorum paupertas eleemoſynam pro Miſſarum celebratione augere. Sed exhauſto populi querimonias timebamus. Appulerunt interim domini noſtri Philippi Regis Catholici literæ, ſtatûs clericorum inopiâ laborantium miſerti, quibus & nos ad eam ſublevandam in Diœceſana Synodo ſtatim congreganda exhortabatur obnixè, & civitatis Conſules ea de re admonebat. Quo factum eſt, ut præcocem hanc congregationem habuerimus, cujus etſi brevis materia eſt, grandis tamen & neceſſaria pro Eccleſiaſticorum & divini cultus reparatione. Veſtrum igitur erit quę in ea ſancita ſunt, ad unguem exſequi: ut ad laudem omnipotentis Dei obſequii veſtri fructus accreſcat. Dat. Valentiæ die 26. menſis Octobris anni MDXC.

DECRETUM I.

Quòd pro eleemoſyna Miſſarum dentur tres ſolidi.

NON poſſumus non ęgrè ac dolenter ferre cùm communes humanarum miſeriarum caſus, tum maximè hujus noſtri Archiepiſcopatus ſacerdotum inopiam, qua non ſolùm in comparandis quæ ad convenientem illorum ſtatui veſtitum, ſed & in his etiam acquirendis, quæ ad communem victum ſunt neceſſaria, plurimum laborant. Adeò enim hęc duo noſtro hoc tempore difficilia eſſe experimur, ut vix alteri tantùm ſufficere poſſint. Quapropter coguntur illorum multi ejuſmodi negotiis tractandis ſe immiſcere, quæ dignitatem ſacerdotalem minimè decent, ut ipſam in ſacerdotalem habitum animi propenſionem, ac devotionem in viris ipſis ſæcularibus imminui quodammodo videamus. Quapropter his malis pro noſtro munere aliqua ſaltem ratione occurrendum fuit: qua etiamſi non omnino hæc incommoda vitari poſſint, quæ tamen prorſus depellere æquum, & D. Paulli Apoſtoli doctrinę conſonum eſt; is tamen modus ſaltem adhibeatur, qui his, quę naturę ſunt neceſſaria, poſſit mediocriter ſufficere. Cùm igitur videamus, eleemoſynas, quę Miſſis celebrandis hoc noſtro tempore ſunt aſſignatæ, tenuiores eſſe, quàm ut tantæ ſacerdotum egeſtati ſubvenire poſſint: quodque ſi vendibilium rerum pretia illius temporis, in quo hæc prędſcriptæ ſunt eleemoſynę, cum tanta noſtri temporis rerum omnium charitate conferantur, poſſent nunc quidem juſtè à nobis hęc ſacerdotum emolumenta magis adhuc augeri; nihilominus hunc in modum ſtatuendum eſſe duximus, & Synodo approbante ſtatuimus, ut ſcilicet Miſſarum quę votivę dicuntur, eleemoſyna trium ſit ſolidorum: Miſſarum verò perpetuarum, tam Beneficiorum, quàm alterius cujuſcumque modi, quatuor ſit ſo-

ſolidorũ : ſi quę verò Miſſę reperiantur, quarum eleemoſyna hujus, vel majoris ſit valoris, in eodẽ illæ ſtatu relinquantur: neque tamen de illis hoc noſtro decreto aliquid innovatum eſſe volumus.

DECRETUM II.

Sepulturæ pauperum à Rationali ſcribantur.

MAndamus, in ſingulis noſtri Archiepiſcopatûs Eccleſiis, omnium pauperum qui gratis ſepeliuntur, tam virorum, quàm mulierum, tam infantium, quàm adultorum, ſepulturas à Rationali ipſius Eccleſiæ in libro deſcribi, perinde atque divitum ſepulturæ deſcribuntur. Hujus enim rei incuriâ factum eſt, ut multa ſequerentur incommoda: adde, quòd æquum ſit, ea in re pauperum, etiamſi mendicantes fuerint, rationem haberi, ut ipſorum habetur divitum.

DECRETUM III.

De cæremoniis in ſolenni Miſſę officio obſervandis.

QUamvis in Eccleſiis perſpicuum eſſe oporteat, quibus cæremoniis, & quàm appoſitis in Miſſarum celebratione presbyteri uti debeant; quales propriæ illæ quidem & accomodatæ in Romani Miſſalis regulis, & in felicis recordationis Pii V. proprio Motu traduntur; nos tamen de his cæremoniis exſequendis, quæ in Miſſa cantu celebranda, & in officio ſolenni obſervandæ ſunt, nihil hactenus in hac noſtra Eccleſia, & aliis hujus diœceſis, ob difficultates aliquot, quæ ſeſe offerebant, ſtatuimus: in privatis enim Miſſis nihil de cæremoniarum uſu ſtatuendum fuit, cùm in eis propriæ illæ ac veræ cæremoniæ ad unguem in tota diœceſi obſerventur, ſublatis jam omnibus quæ contra illas introducta eſſe videri poterant. Quia tamen in ſolenni officio, & in Miſſis, quæ cantu efferuntur, videmus nonnullas in hac noſtra diœceſi cæremonias ſervari, quæ prædictis Romani Miſſalis regulis repugnant, alias verò, quæ quamvis contrariæ illis non ſint, ipſorum tamen dumtaxat miniſtrorum, & populi privata devotione nituntur: viſum nobis fuit, illas omnes ad prædictas Romani Miſſalis regulas revocare: has verò, in quibus piè id fieri poterit, aliquo etiam modo conſervare. Quamobrem electis ab admodùm reverendo Metropolitanæ Eccleſiæ noſtræ capitulo canonicis aliquot, qui ad eam rem pertractandam nobis aſſiderent, regulas quaſdam & obſervationes circa eas tantùm cæremonias, quę in hac Eccleſia & diœceſi neceſſariò erant reformandę & ſtabiliendæ, prę ſcripſimus, & in ordinem redegimus: reliquas verò ad ſupradicti Miſſalis regulas, in quibus de cæremoniarum modo fuſiſſi nè agitur, revocantes ac remittentes, illas unà cum preſenti Synodo typis mandari præcipiemus. Quare hoc noſtro decreto ſtatuimus atque jubemus ut in poſterum, tam in noſtra Metropolitana Eccleſia, quàm in reliquis hujus diœceſis collegiatis & parochialibus Eccleſiis, prędictæ cęremonię diligenter ac perpetuò, juxta regulas & obſervationes à nobis in ordinem digeſtas, cuſtodiantur & obſerventur: quas mandamus ſcriptas, & tabellę affixas, & appendentes in ſacriſtiis à rectoribus & vicariis reponi & collocari: ut ſacerdotes ac reliqui Eccleſiarum miniſtri per illas diſcere poſſint, quid ipſis in his quæ ad Miſſæ cęremonias ſpectant, ſit agendum.

REGULÆ

Pro Miſſæ ſolennis cæremoniis.

De Miſſa principali pro defunctis.

MIſſam principalem, quæ prima die cujuſcumque menſis (extra tempus Paſchale) non impeditâ officio duplici & ſemiduplici, generaliter pro defunctis ſacerdotibus, benefactoribus, & aliis, juxta rubricas generales Miſſalis Romani juſſu felicis mem. Pii Papæ V. nuper editi, dicenda eſt, in Archiepiſcopatu Valentino hactenus prætermiſſam invenimus. Eam igitur de cętero (ut regulas Miſſalis exſequamur) in altari majori, loco Miſſæ conventualis, in Metropolitana & collegiatis Eccleſiis celebrandam fore decernimus: in quibus (ne quicquam ad officii integritatem omittatur) etiam altera de feſto ſimplici ſi occurrat, vel de feria, ſi propriam habeat, aut de prędecedenti Dominica, reſumenda ſit, decantetur. Sed in Eccleſiis non collegiatis una tantùm Miſſa de die, cum commemoratione generaliter pro defunctis, dicatur.

De oratione in Miſſa.

IN feſtis duplicibus, in quibus Eccleſia unicam, eamque inſignem ſolennitatem celebrat, unica tantùm in Miſſa & officio recitetur oratio: niſi commemoratio de Dominica, feria, octava, aut de altero feſto fieri debeat: nec tunc addatur illa collecta: *& famulos tuos*, quę pro Eccleſiæ & regum ſtatu recitari ſolet. In reliquis autem diebus in Miſſa conventuali & in officio dicatur.

Quando duæ Miſſæ decantari debent.

IN feriis Quadrageſimæ, quatuor temporum, Rogationum, & vigiliarum, in quibus feſtum duplex, vel ſemiduplex, aut octava occurrit, Eccleſia in Metropolitana, & collegiatę noſtræ diœceſis duas debent decantare Miſſas: unam de feſto ejus diei poſt Tertiam, alteram de feria poſt Nonam. Quòd ſi in Rogationibus proceſſionaliter ad aliam Eccleſiam vel monaſterium ſtatio facienda ſit, ſecunda Miſſa de feria in ea ſtatione cantetur.

De fonte ad abluendas manus.

UT tota cæremonialis ſacræ Miſſæ undique ſplendeat diſciplina, & in rubricis Romani Miſſalis ſervetur ordo diſpoſitus; præcipimus, tam in Metropolitanæ, quàm collegiatarum, & parochialium Eccleſiarum ſacriſtiis, fontem ad abluendas ſacerdotum manus, qui ſe ad Miſſam celebrandam accingunt, præparari; qui vel parieti infixus, vel penſilis aquam præbeat cum linoſtina palla ad extergendum: in cappellis autem principalibus Eccleſiarum ubi peculiares ſacriſtiæ exiſtunt, idem ſervetur, & in eiſdem ſacriſtiis ſacerdotes in proximioribus cappellis vel altaribus celebraturi ſeſe induant, indeque egrediantur induti: ne ſuper eis, apud quæ celebrant altaria, veſtiantur, quod fieri omnino prohibemus, cujus rei exſecutio pro locorum & Eccleſiarum diſpoſitione ad noſtros pertineat viſitatores.

De Miſſæ privatæ miniſtro.

NE presbyteri celebrantes idoneo deſtituantur miniſtro, in Metropolitana Eccleſia Valentina ſex pueros talari veſte violacei coloris & rocheto indutos, qui juxta altarium ſtationes diviſas adſtantes Miſſas privatas celebrantibus inſerviant, cum ſalario competenti deputandos eſſe cenſemus: in reliquis autem Eccleſiis, quoad commodè fieri poterit per capitula in collegiatis, & noſtros viſitatores, & rectores in parochialibus, ſacro Miſſæ privatę miniſterio proſpiciatur.

Quando ſacerdos & miniſtri de ſacriſtia exeunt.

DUM induit ſacerdos veſtimenta in ſacriſtia, ſilentium & attentionem diligenter cuſtodiat, eaſque orationes, quæ in Miſſali continentur, ad ſingula paramenta devotè recitet: quibus indutus, ex ſacriſtia ad altare oculis demiſſis, inceſſu gravi, erecto corpore, & cooperto capite birreto, incedat: ad altare majus caput inclinet, & ad locum ſacramenti genuflectat, ſi eo contigerit tranſire: ſi alicubi ſacramentum elevatur, detecto capite genuflectat, neminem verò obvium ſalutet: diaconus & ſubdiaconus, ſi ſolenniter celebrandum ſit, idem omnino obſervent. Sed neque ſacerdos cum miniſtris alicui perſonæ, præterquam Prælato in ſua diœceſi, vel loco juriſdictionis, caput inclinet, aut reverentiam faciat. Jubemus tamen ut dum ad altare proceditur, ſacerdos unà cum miniſtris recitet voce ſummiſſa Pſalmum *Deus miſereatur noſtri*, vel alium Pſalmum, juxta conſuetudinem Eccleſiæ Valentinę.

De cuſſino & gradu infimo altaris.

LIcèt in rubricis librum Miſſale ſuper cuſſino aperiri debere dicatur; non prohibemus tamen illud ſuper atrili collocari.

Celebrans coram Prælato.

SI aliquis presbyter coram Cardinale, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, in eorum reſidentiis vel loco juriſdictionis ſolenniter celebraverit; ſtans à ſiniſtris Prælati (ſi in eadem cappella commodus & altari vicinus aſſiſtat) cum eo ſimul ſtante faciet confeſſionem, cæteris miniſtris interim reſpondentibus & genuflexis.

Si verò coram eiſdem privatè celebraverit, ſtans ad infimum gradum altaris, non in medio, ſed ad latus lęvum Epiſtolę inclinatus exſpectet, & dato ſigno à Prelato, in eodem loco perſiſtens, verſus ad altare faciet confeſſionem, quâ finitâ inclinans ſe Prelato, veniet ad medium altaris, & facta humiliatione proſequetur: *Aufer à nobis, quæſumus Domine, &c.*

Quando hebdomadarius de choro ad ſacriſtiam vadit.

IN noſtra Metropolitana Eccleſia Valentina pro more antiquo ſervatum eſt in choro, quòd hebdomadarius celebraturus, ceptâ horâ, quæ proximè ante Miſſam conventualem cantatur, deſcendit ad medium chori prope altare Crucifixi, ibique cum miniſtris hinc inde, verſus altare majus reverentiam facit, incipienſque hymnum: *Veni creator Spiritus &c.* ſubmiſſa voce alternatim ad ſacriſtiam procedit: quem morem de cętero etiam in aliis Eccleſiis, ubi commodè fieri poterit, volumus obſervari.

De forma incenſandi altare.

UT in omnibus Eccleſiis noſtræ diœceſis eadem incenſandi forma ſervetur, & eodem more ab omnibus peragatur, ſtatuimus juxta ritum & morem Pontificalis, ut ubi primùm facta confeſſione celebrans aſcendet cum miniſtris ad altare, ſtatim illud oſculetur. Deinde benedicat incenſum oblatum in cochleari, miniſtrāte diacono naviculam, & thuriferario thuribulum & cocleare exhibente: producat deinde ſignum crucis, dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis.* Poſtea diaconus reddità naviculâ thuriferario, accipiet ab eo thuribulum, & dabit celebrāti, oſculata prius ejus manu: celebrans verò factâ cruci, vel imagini in medio altaris poſitæ reverentiâ, ipſam crucem vel imaginem incenſabit, ter illi thuribulum ducens: tum facta inclinatione, imaginem aut reliquias à dextris illius, ſi fortaſſe ibi poſitæ fuerint, bis ante illas thuribulum ducet, & factâ iterum cruci vel imagini reverentiâ, incenſabit

eodem

eodem modo imaginem aut reliquias ad ſiniſtram poſitas, & factâ iterum reverentiâ, proſequitur ad cornu Epiſtolæ incenſans imagines, vel earum loco candelabra, ſemel ſingulis thuribulum ducens. Deinde manus inclinans ſeu demittens, incenſabit poſterius cornu Epiſtolæ, bis idem thuribulum ducens: tum elevans paullulum thuribulũ, revertetur verſus cornu Euangelii, incenſando continuè ſuperiorem partem altaris, ſcilicet tabulam ſeu ſuperficiem altaris: & procedens ante crucem, factâ ei reverentiâ, incenſabit eodem modo alias imagines ſeu candelabra in cornu Euangelii, & illius poſtremam partem altaris inferiorem & ſuperiorem tabulæ. Deinde totam anteriorem uſque ad extremum altaris, videlicet uſque ad cornu Epiſtolę, factâ primùm cruci reverentiâ, quum ante eam tranſit, ubi in cornu ſcilicet Epiſtolæ reddito thuribulo diacono miniſtranti, & fimbriam veſtium deferenti, ab eo ipſe ſolus incenſatur: interim dum ſacerdos incenſat altare, dicet Pſalmũ *Dirigatur Domine oratio mea*, uſque in finem, cum *Gloria Patri &c.* Sed quum ipſe incenſatur, dicat verſiculum: *Non nobis, Domine, non nobis &c.*

Quando incenſantur oblata, ad benedictionem incenſi dicat celebrans: *Per interceſſionem Beati Michaëlis Archangeli, ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium electorum, dignetur Dominus incenſum iſtud benedicere, ut cum odore ſuavitatis aſcendat. In nomine Patris &c.* Deinde accepto thuribulo incenſat oblata, ter ducens thuribulũ ſuper calicem & hoſtiam ſimul, in modum crucis, & ter circum calicem & hoſtiam, ſcilicet bis à dextera ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra ad dexteram, diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo: in prima: *Incenſum iſtud.* In ſecunda: *A te benedictum.* In tertia: *Aſcendat ad te Domine.* In quarta: *Et deſcendat ſuper nos.* In quinta & ſexta: *Miſericordia tua.* Deinde incenſat altare ut ſuprà, dicens: *Dirigatur oratio mea Domine.* uſque in finem Pſalmi.

De Miſſa defunctorum coram Prælato.

QUando Miſſa ſolenniter celebratur pro defunctis coram Cardinale, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, in locis ſuæ cujuſque reſidentiæ vel juriſdictionis, cantato Euangelio, liber Euangeliorum deferatur deoſculandus Prælato.

De oſculo Miſſalis poſt Euangelium.

CElebrans non incipiat *Credo*, niſi priùs deoſculato libro Euangeliorum, contraria conſuetudine Eccleſiæ Valentinæ non obſtante: & ſtatim poſt decantatum Euangelium concio habeatur, ſi prædicandum ſit; poſt concionem verò ſtatim dicatur *Credo*.

Officium diaconi.

IN Miſſa ſolenni finito à choro: *Et homo factus eſt*; diaconus accedat ad abacum ſeu credentiam prope altare, pro loci commoditate diſpoſitam, & inde accipiat corporale cum burſa, quam deferat elevatam, & ambabus manibus uſque ad oculos erectam, & factâ altari reverentiâ, ſuper illud eam collocet, extrahat, & explicet corporalia.

Officium ſubdiaconi.

DIcto à celebrante *Oremus*, dum legitur offertorium ſubdiaconus accedet ad abacum ſeu credentiam, & accipiet calicem cum patena, & hoſtia, & palla, quem cooperit velo ab humero pendenti, & ſic ad altare procedat, cui primùm in medio reverentiâ factâ, accedat ad cornu Epiſtolæ, & ibi tradat illum diacono, qui calicem amovebit, deteget, dabitque patenam cum hoſtia celebranti: ſubdiaconus verò exterget calicem purificatorio, & diaconus imponet vinum, ſubdiaconus interim ampullam aquę oſtendet celebranti, & ab eo benedictionem poſtulabit.

De patena.

DIcto per celebrantem: *Offerimus tibi Domine calicem &c.* Expletoque offertorio, diaconus det patenã ſubdiacono in dextra manu, quam cooperiet extremitate veli ab ejus humero pendentis: qui vadet poſt celebrantem ante medium altaris, & ibi ſtabit in loco convenienti.

De incenſatione chori.

POST incenſata oblata & altare, eo more quo ſuprà dictum eſt, diaconus cum duobus acoluthis, & duobus chori thuriferariis, qui cappis induuntur (ſi ſolennitas diei exigat) ſe comitantibus, deſcendat ad chorum, ibique incenſet chori rectores faciſtorio adſtantes, deinde tradens thuribulũ alteri ex acoluthis, eiſdem acoluthis ſociatus redeat ad altare, ibique accepto thuribulo, ſubdiaconum incenſet ſtantem & tenentem patenam. Et ipſe diaconus, tradito thuribulo alteri ex thuriferariis, ab eo incenſetur, & ad ſuum locum juxta celebrantẽ revertatur: thuriferarius verò ſtans ad portam cappellę majoris in medio verſus populum, inde populum incenſet, ter ſuper eum ducens thuribulum, ſcilicet ad dextram, ſiniſtram, & medium. Interim verò ſtatim poſt diſceſſum diaconi à choro, illi chori thuriferarii cappis induti, ad incenſandum totum chorum procedant, prout moris eſt, in quo dum incenſantur ſtare debent omnes. Qui ritus incenſandi chorum & populum, in omnibus Eccleſiis Valentinæ diœceſis, quoad fieri poterit, pro cujuſque diſpoſitione & convenientia, ſervetur.

Diaconus ſine cruce procedat ad petendam benedictionem à Prælato.

QUando Miſſa ſolenniter celebratur præſente in choro in cappella Archiepiſcopo Valentino, diaconus cantaturus Euangelium, librum deferens Euangeliorũ hora competenti, cum acoluthis & virgario dumtaxat præcedentibus, accedet ad Pontificem ut ab eo accipiat benedictionem: reverſus autem ad altare, ſtans ante gradus altaris, & factâ ei reverentiâ, exſpectabit ſubdiaconum, qui ſumpta cruce de altari, eam manibus complectens, & velo à collo pendente, cum ceroferariis & luminaribus accenſis præcedentibus, deſcendet de altari, & ſubſequente diacono, omnes ad pulpitum procedant, ubi diaconus dicto *Dominus vobiſcum*, incenſat librum Euangelii, & deinde crucem quam ſubdiaconus manibus tenet.

De oſculo Euangelii per Pontificem.

DIcto Euangelio, diaconus & ſubdiaconus cum cruce & luminaribus ad gradus altaris conſiſtent, tunc ſubdiaconus ad celebrantem aſcendet, eique crucem oſculandam offeret; qui dum oſculatur, dicat: *Adoramus te Chriſte, & bened. &c.* eamque in altari reponet. Diaconus autem cum acoluthis & virgario, & libro Euangeliorum aperto ſupra pectus, factâ priùs altari reverentiâ, veniet ad Pontificem, & ſtans coram eo claudet librum brachiis complectens, & ita faciet reverentiam. Qua facta, librum aperiet, offeretque Pontifici oſculandum Euangelium, qui ſtans illud oſculatur, ſtante ſimiliter diacono. Deinde diaconus claudet librum & genuflectet, manumque Pontificis oſculabitur, & factâ reverentiâ Pontifici, aperiet iterum librum, & revertetur ad altare, celebrantique oſculandum offeret.

Intortitia ad elevationem ſacramenti.

AD elevationem corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, dum ſolenniter celebratur Miſſa conventualis in Eccleſia Metropolitana Valentina, duo ex pueris deputatis, qui candelabra deferre ſolent, cum ſuperpelliceis exeant de ſacriſtia, duo intortitia alba accenſa deferentes, qui ante gradus altaris hinc inde genuflexi, aſſiſtant dum elevatur ſacramentum. Qua elevatione finita, factâ profundâ reverentiâ ſacramento, diſcedant.

Qui incenſare debet ſacramentum.

IN elevatione ſacramenti unus ex acoluthis, aut in Eccleſia Metropolitana alter ex cappellanis camerariis, incenſet ſacramentum genuflexus à cornu Epiſtolæ, & ipſemet incenſum ponat in thuribulo.

Beneficia deſtinanda ad ſervitium altaris.

UT miniſtrorum ad officia & obſequia altaris major ſuppetat copia, & certæ ſint perſonæ ad hæc munera deſtinatæ, aliqua Beneficia ſimplicia in ſede Valentina inſtituta juris patronatus Eccleſiaſticorum Archiepiſcopi vel capituli videntur deſignari & deputari. Ea propter Beneficia hujuſmodi primò vacatura, de noſtri capituli conſenſu, ad officia in altari majori explenda exercendaque deſtinamus: videlicet ad deferenda intortitia accenſa in elevatione ſacramenri, aliaque munera, quæ magis ad altaris divini cultum & ornatum cenſebuntur opportuna: interim verò dum hæc debitę exſecutioni mandantur, conſtitutio, ſeu caput quod incipit: *Ad elevationem*, obſervetur.

Diaconi officium.

DUM dicitur in Miſſa ſolenni *Pater noſter*, circa finem orationis ſubdiaconus revertitur ſeu accedit ad altare, & genuflexus in uno gradu altaris, offert patenam diacono, qui eam diſcooperit, & dat celebranti, oſculans ejus manum, purificatâ priùs patenâ purificatorio.

De oſculo pacis.

DIaconus accepta pace à celebrante, & ſacramento in altari adorato, vertit ſe ad ſubdiaconum retrò poſt celebrantem, qui ſimiliter à diacono accepta pace, facta priùs altari genuflexione, comitatus acoluthis & virgario, vadit ad Pontificem, ſi prę ſens ſit Pontifex in choro, portans imaginem dextra manu elevatam, pallâ etiam ad collum circumamictus, qui ſtans coram Pontifice, recondat imaginem ad pectus, operiens eam ſummitate pallę, & ſic faciat Pontifici reverentiam; tunc diſcooperiat imaginem, & elevatam offerat Pontifici oſculandam, quâ oſculatâ, ſubdiaconus iterum recondat imaginem, & genuflectat, ac parumper recedat, faciatque reverentiam Pontifici, poſtea detecta imagine & elevata, ad altare revertatur, acoluthi autem à ſubdiacono pace accepta, dent omnibus in choro exiſtentibus per ordinem. Si verò non adſit Prælatus, diaconus porrigit pacem ſubdiacono, ſubdiaconus autem tradit eam acoluthis, qui deferant eam ad chorum.

Poſt Communionem quid agendum.

SUmptis ablutionibus, diaconus deferat Miſſale ad cornu Epiſtolæ; ſubdiaconus verò vadit ad cornu Euangelii, & purificat calicem, plicat corporalia, & omnia defert ad credentiam, ſicut ex ea ad altare aſportaverat.

Finitâ Miſſâ, celebrans redit ad ſacriſtiam cum miniſtris cooperto capite, ſicut venerat, dicendo: *Trium puerorum cantemus hymnum.*

In

In Miſſa ſolenni defunctorum abſolutio.

FInitâ Miſſâ defunctorum, prout in regulis Miſſalis habetur, ſi facienda ſit abſolutio, celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, exuitur caſſulâ, & depoſito manipulo, accipit pluviale nigrum, qui verò defert crucem medius inter duos acoluthos candelabra accenſa portantes, procedit præcedentibus duobus aliis acoluthis, uno cum thuribulo & navicula, altero cum aqua benedicta & aſperſorio, & ſequitur celebrans, & diaconus à ſiniſtris. Crux verò ſiſtitur in loco parato ad caput contra altare, celebrans verò ex alia parte verſus altare, & à ſiniſtris diaconus, & alii duo acoluthi deferentes vas aquæ benedictæ & thuribulum, interim cantatur reſponſorium. Cum dicitur *Kyrie eleiſon*, celebrans ponit incenſum in thuribulum miniſtrante diacono naviculam, cœpto *Pater noſter*, accipit aſperſorium de manu diaconi, & factâ altari reverentiâ, comitante diacono à dextris, & tenente fimbriam anteriorem pluvialis, aſpergit circumiens locum paratum: quum tranſit, crucem profundè inclinat, diaconus verò genuflectit, & rediens ad priſtinum locum, de manu ejuſdem diaconi accipit thuribulum, & eodum modo quo aſperſerat, incenſat. Poſtremò, diacono tenente librum, orat junctis manibus dicens: *Et ne nos inducas in tentationem &c.* Cum aliis, & orationem: *Abſolve quæſumus Domine*, ut in Ordinario: & poſtea dicens: *Requiem æternam &c.* facit crucem manu dextera ſuper locum paratum, & dicto per cantores: *requieſcant in pace*, præcedente cruce, redit cum aliis ad ſacriſtiam.

De horâ celebrandi Miſſam.

MIſſa conventualis & ſolennis, in feſtis duplicibus & ſemiduplicibus, in Dominicis, & infra octavas, cantetur dictâ in choro horâ Tertiâ.

In feſtis ſimplicibus, & feriis per annum, cantetur dictâ in choro horâ Sextâ.

In Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus, & vigiliis quæ jejunantur, cantetur dictâ in choro horâ Nonâ.

Miſſa defunctorum ſolennis, quæ dicitur in anniverſario, cantetur finitâ in choro horâ Primâ immediatè.

De ordine ſedendi, ſtandi, & genuflectendi in Miſſa ſolenni.

CElebrans medius inter diaconum & ſubdiaconum ſedere poſſit à cornu Epiſtolæ juxta altare, quum cantatur *Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis Deo*, & *Credo*. Alio tempore ſtet ad altare, & genuflectat quando oportet, ut in regulis Miſſalis. Item genuflectit quando legitur Euangelium: *In principio erat verbum*, ad illa verba: *& verbum caro factum eſt*. Et Euangelium: *Cum natus eſſet Jeſus*, ad illa verba: *& procidentes adoraverunt eum*. Item Euangelium feriæ quartæ poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ad illa verba in fine: *& procidens adoravit eum*. Et quum diaconus cantat illa verba, ipſe verſus librũ, celebrans & circumſtantes verſus altare, genuflectant, acoluthi candelabra tenentes non, genuflectant. In Miſſis autem privatis circumſtantes ſemper genuflexi debent aſſiſtere, præterquam ad Euangelium, reliqua ut in Miſſali obſerventur.

De coloribus & qualitate paramentorum.

CUm Eccleſia Romana quinque dumtaxat coloribus utatur in paramentis altaris, celebrantis, & miniſtrorum, in officio Miſſæ, juxta differentiam feſtorum quæ celebrantur, videlicet albo, rubro, viridi, violaceo, & nigro; in regulis in Miſſali Romano diſpoſitis cuique celebrandorum feſtorum quis color adhibendus ſit, erit videre: quæ omnino obſerventur, & in appenſa tabella in ſacriſtiis conſpicienda omnibus ſcribantur.

Nigro colore utitur.

Feria ſexta in Paraſceve, & in Miſſis defunctorum.

De veſtimentis celebrantis & miniſtrorum.

IN officio Miſſæ celebrans ſemper utitur planetâ ſuper albam. Si autem ſit Epiſcopus, & ſolenniter celebrat, ſuper dalmaticam & tunicellam.

Pluviali utitur in proceſſionibus, & benedictionibus quæ fiunt in altari. Item in officio Laudum & Veſperorum, quando ſolenniter dicuntur, eodem utitur aſſiſtens celebranti in Miſſa Pontificali. Item quando celebrans poſt Miſſam defunctorum facit in fine abſolutionem.

Quum celebrans utitur pluviali, ſemper deponit manipulum, & ubi pluviale haberi non poteſt, in benedictionibus quæ fiunt in altari celebrans ſtat ſine planeta cum alba & ſtola.

Dalmaticâ & tunicellâ utuntur diaconus & ſubdiaconus in Miſſa ſolenni, & proceſſionibus, & benedictionibus, quandocumque ſacerdoti miniſtrant.

In diebus verò jejuniorum (præterquam in vigiliis Sanctorum) & in Dominicis, & feriis Adventûs & Quadrageſimæ, ac in vigilia Penteceſtes, ante Miſſam (exceptis Dominicâ *Gaudete*, etiam ſi ejus Miſſa infra hebdomadam repetatur, & Dominicâ *Lætare*, vigiliâ Nativitatis, ſabbatho ſancto in benedictione cerei, & in Miſſa, ac quatuor Temporibus Pẽtecoſtes) in Cathedralibus & præcipuis Eccleſiis utuntur planetis plicatis ante pectus, quam planetam diaconus dimittit cum lecturus eſt Euangelium, & tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper ſtolam complicatur, aut ponitur aliud genus ſtolæ latioris in modũ planetæ plicatæ, & facta communione reſumit planetam ut priùs. Similiter ſubdiaconus dimit-

dimittit eam quum lecturus eſt Epiſtolam, quam legit in alba, & poſtea illam reſumit ut priùs. In minoribus autem Eccleſiis prædictis diebus jejuniorum albâ tantùm amicti miniſtrent, ſubdiaconus cum manipulo, diaconus etiam cum ſtola humero ſiniſtro pendente ſub dextrũ.

De ordine ſtandi, ſedendi, & genuflectendi in choro.

DIgnitates, canonici, Beneficiati, & reliqui omnes qui choro interſunt, dum divina officia decantantur, magna animi devotione decoroque corporis ſitu, compoſitione, & modeſtia adeſſe debent, tanquam triumphantis Eccleſiæ beatorum ſpirituum imitatores, qui coram Deo & agno in throno ſedente ſua ſpiritualia miniſteria jugiter exhibent. Itaque ut certa forma in choro verſandi preſcribatur, ſtatuimus, ut dum decantatur Miſſę introitus omnes pariter ſedeant, & dum dicitur *Gloria Patri*, aſſurgant. Dum autem ſacerdos facit Confeſſionem, omnes in ſuo loco genuflectant, & confeſſionem alternatim faciant. Tempore verò Paſchali ſtantes faciant confeſſionem paullulum inclinati. Dum cantatur *Kyrie eleiſon*, chorus ſedeat, in Miſſis autem defunctorum ſtet. Sed chori rectores cęterique faciſtorio aſſiſtentes cantores, dum cantant, ſtare debebunt.

Quum à celebrante incipitur *Gloria in excelſis Deo*, totus chorus aſſurgat, & ſtans, ſubmiſſa voce totum hymnum abſolvat, quo finito ſedeat, dum cantores proſequuntur.

Quando celebrans dicit: *Dominus vobiſcum*, ante orationem chorus aſſurgat, & ſtet uſque ad finem orationum, ſi dicendę ſunt plures. In Miſſis autẽ de feria, in Adventu, Quadrageſima, & in feriis quatuor Temporum, & vigiliarum quæ jejunantur, in Miſſis etiam defunctorum, dicit celebrans: *Oremus*, omnes genuflectant, & ad finem uſque orationum genuflexi perſiſtant, exceptis vigiliis Reſurrectionis, Pentecoſtes & Nativitatis Domini.

Dum decantantur Epiſtola, Graduales, & alleluia, chorus ſedeat.

Cùm diaconus cœperit Euangelium decantare, chorus aſſurgere, & uſque in finem Euangelii ſtare debet.

Quando celebrans incipit Fidei Symbolum, omnes aſſurgant, & ſtantes, totum Symbolum ſubmiſſa voce percurrant, quo finito ſedeant, & interim dum alta voce in choro decantatur: *& incarnatus eſt*, genuflectant omnes.

Cum celebrans verſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, ante offertorium chorus ſtet, & omnes caput inclinent: dicto verò *Oremus*, ſedeat dum cantatur offertorium.

Poſt dictas orationes ſecretas, quum intonat celebrans: *per omnia ſæcula ſæculorum*, totus chorus aſſurgat: ſed dum cantatur Preſatio, *Sanctus*, &c. quæ in Miſſa peraguntur, uſque ad ſignum tintinnabuli ante elevationem corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnes ſtare debẽt. Quo ſigno dato, dũ elevatur corpus & ſanguis, omnes genuflectant, & adorent, & ſtatim conſurgant, & ſtent uſque ad communionem ſacramenti.

In Miſſis autem quę dicuntur de feriis Adventûs, Quadrageſimę, quatuor Temporum, & vigiliarum quę jejunantur, & in Miſſis defunctorum, finita Preſatione à celebrante, quum cãtatur *Sanctus*, omnes genuflectũt uſque quò ſacerdos dicat: *pax Domini ſit ſemper vobiſcum*: quo dicto, chorus conſurgat, & ſtet dum cantatur *Agnus Dei*, quoad uſque celebrans ſanguinem ſumpſerit. Exceptis vigiliis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini noſtri, in quibus omnes ſtant, ſicut in aliis Miſſis dictum eſt.

A die ſancto Paſchę Reſurrectionis uſque ad octavam Pentecoſtes incluſivè, vetuſtus ritus eſt in Eccleſia Valentina, ut cùm celebrans inchoaverit in tono: *Præceptis ſalutaribus moniti &c.* ante *Pater noſter*, chorus aſſurgat: id omnino decreto ſervetur, omneſque ſic uſque ad communionem conſiſtant.

Dum incenſatur unuſquiſque in choro, ſtare debet, neque acoluthus alios thurificans, quemquam ſedentem aut genuflexum incenſet.

Quum datur pax, ſimiliter ſtando, factâ imagini debitâ reverentiâ, per oſculum imaginis, & non aliter, recipiatur.

Dum cantatur Poſt-communio chorus ſedeat. Ad orationes autem ſtet, poſtquam celebrans intonaverit *Dominus vobiſcum*, quoad uſque detur benedictio.

In Miſſis quę dicuntur de feriis Adventûs, Quadrageſimę, quatuor Temporũ, & vigiliarum quę jejunantur, & in Miſſis defunctorum, dicto *Oremus*, omnes genuflectunt dum orationes dicuntur, ut ſuprà dictum eſt.

Genuflectit etiam chorus in Euangelio: *In principio erat verbum*, ad illa verba: *& verbum caro factum eſt.*

In Veſperis.

IN principio, dum hebdomadarius dato ſigno dicit ſecretò *Pater noſter*, totus chorus exſpectans & ſtans, ſic perſiſtere debet quouſque dictum ſit: *Deus in adjutorium, &c.* & antiphona prima cantata, qua finitâ vel inchoatâ, ſi non ſit feſtum duplex, ea pars chori ubi eſt chorus, & hebdomadarius facit officium, adhuc ſtet, altera verò pars ſedeat dum cantatur alternatim primus Pſalmus, & ad *Gloria Patri &c.* omnes aſſurgant, paullulumque detecta capita inclinent, & ſtent dum repetitur antiphona, & ſecunda antiphona cantatur vel inchoatur. Incepto verò ſecũdo Pſalmo, illa pars chori quę antea ſteterat, ſedeat, altera ſtante: & hic modus in decantandis Pſalmis & antiphonis alternativa ſtatione & ſeſsione in omnibus Horis diurnis & nocturnis ſervetur.

Dum dicitur capitulum, & cantatur hymnus, & reliqua quę in Veſperis cantantur, uſque in finem chorus ſemper ſtare debet.

In reliquis omnibus Horis, videlicet Completorio, Matutinis, & Laudibus, Primâ, Tertiâ, Sextâ, & Nonâ, ſemper chorus ſtare debet, prętereaquã dum Pſalmi alternis vicibus cantantur, ut ſuprà dictum

dictum eſt in Veſperis, & dum dicuntur lectiones & reſponſoria in Matutinis.

Officium minoritatis beatę Marię dum dicitur in choro, ſemper chorus ſtet.

Officium defunctorum dum dicitur in choro, ſemper chorus ſedeat, prȩterquam dum dicitur *Pater noſter*, in fine Nocturni, & dum cantatur *Benedictus*, & Pſalmus *Miſerere mei*, & oratio dicitur in Laudibus.

Septem Pſalmi Pœnitentiales cum litaniis dum dicuntur in choro, ſemper genuflexi aſſiſtant omnes.

Pſalmi Graduales quum dicuntur in choro, chorus ſtare debet: preces verò & orationes poſt decimum Pſalmum dicuntur flexis genibus.

Quandocumque in choro ad Horas dicuntur preces feriales in Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus, & vigiliis quæ jejunantur, vel litaniæ extra Horas, genibus flexis dicuntor.

Quandocumque in choro cantatur Pſalmus: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam &c.* totus chorus ſtare debet, præterquam quum dicitur ad preces, tunc enim dicitur genibus flexis.

Quandocumque ad Laudes dicitur Pſalmus: *Laudate Dominum omnes gentes*, chorus aſſurgat.

In omnibus feſtis principalibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in feſtis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ad Miſſam & omnes Horas ſemper chorus in noſtra Eccleſia Metropolitana Valentina ſtare conſuevit.

CONCILIUM PROVINCIALE TARRACONENSE ANNI MDXCI.

SIVE COLLECTIO

CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM TARRACONENSIUM,

AB ANNO CIRCITER MCCC. USQUE AD MDXCI.

LIBRIS QUINQUE DIGESTA

Primùm ab ANTONIO AUGUSTINO, poſtea à JOANNE DE TERES, ARCHIEPISCOPIS TARRACONENSIBUS.

PRÆFATIO ANTONII AUGUSTINI ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

TARRACONEM urbem iam inde à veterum Scipionum temporibus claram fuiſſe, cùm populus Romanus cum Carthaginenſibus de imperio totius Hiſpaniæ contendit, Polybii Græcis, & Titi Livii Latinis hiſtoriis conſtat. Et cùm Hiſpania in citeriorem & ulteriorem eſſet diviſa, citerior, Tarraconenſis provincia; ulterior Luſitania & Bætica, à Romanis ſunt appellatæ. Sed multò major Tarraconenſis fuit, quàm cæteræ. Ipſa quoque in ſeptem conventus ſub Auguſto fuerat diviſa: Tarraconenſem, Cæſarauguſtanum, Carthaginenſem, Clunienſem, Aſturum, Lucenſem, & Bracarenſem. Quæ urbes atque oppida, quæq; coloniæ, & populi in ſingulis diſceptarent, diſertè à C. Plinio traditum invenimus. Eâdem quoque ratione cùm à beatorum Apoſtolorum diſcipulis & ſucceſſoribus Hiſpani religionem Chriſtianam ſuſcepiſſent, quaſi quibuſdam conventibus, ſive regionibus, quæ etiam provinciæ poſtea appellatæ ſunt, Epiſcopi ſunt diviſi. Ita invenimus primas olim ſedes habuiſſe Tarraconenſem, Carthaginenſem, Emeritenſem, Bracarenſem, & Hiſpalenſem Antiſtites: quòd præeſſe dicerentur Tarraconenſi, Carthaginenſi, & Luſitaniæ provinciis, & Bæticæ, & Gallæciæ. Poſtea ſub Gotthis Regibus Carthagine nova diruta, Toletanus eſt ſuffectus Carthaginenſi. Longo poſtea intervullo, Calliſto minore, ut audio, Pont. Max. Emeritenſis ditio in Compoſtellanam migravit. Hujus diviſionis atque ordinis varia exſtant exempla: & ut omittam, quæ ſub Conſtantino Imperatore, & ſub Wamba Rege geſta eſſe dicuntur, Conciliorum liber mihi magis idoneus eſt teſtis, in quo ſingulorum Conciliorum Hiſpaniæ Acta commemorantur. Ex his quædam generalia totius Hiſpaniæ ſunt, in quibus plures Metropolitani Epiſcopi ſubſcripſerunt; alia ſunt ſingularum urbium, in quibus pauci Epiſcopi cum uno Archiepiſcopo ſubſcribunt. In pluribus Toletanis invenies Metropolitanos illarum provinciarum, quas diximus, cum ſubjectis Epiſcopis, item Narbonenſis provinciæ, quæ Gotthorum Regibus parebat. Conciliis verò Tarraconenſi, Gerundenſi, Ilerdenſi, Oſcenſi, Cæſarauguſtanis, & Barcinonenſibus paucos Epiſcopos ſubſcripſiſſe ſcimus, eoſq; ex hac ſola provincia, ſive conventu. Quæ decreta, ſive Canones ſtatuta fuerint in hac provincia ante cladem illam inſignem totius Hiſpaniæ, qua Sarracenorum ſervitus inducta eſt, omnia ferè in Conciliorum voluminibus editis continentur. Ejuſmodi verò, paucis exceptis, ſunt, ut propter eorum æquitatem, antiquitatem, & prudentiam, toto orbe Chriſtiano recepta ſint, ac jus commune effecerint. De his alio tempore agemus. Quæ verò poſtea quàm ſe in libertatem citerior Hiſpania vindicaſſet, inſtaurata Eccleſia Tarraconenſi, & cæteris Eccleſiis urbium ſubditarum, ſive ipſi Archiepiſcopi in Conciliis Provincialibus, ſive Apoſtolicæ Sedis Legati in ſimilibus Conciliis, ab Innocentii III. & Honorii III. Pontificum temporibus ſanxerunt, hoc volumine continentur. Sunt etiam nonnulla Romanorum Pontificum reſcripta hic relata, quibus aut confirmantur Provincialia Concilia, aut aliqua jubentur ad provinciæ ſtatum & mores pertinentia. Primus Joannes Aragonius, tam genere, quàm ſanctitate morum illuſtris, temporum ordine ſervato, veterum Antiſtitum in Conciliis decreta collegit, quorum initium fuit ab Aſparagi Archiepiſcopi, & Joannis Sabinenſis Epiſcopi, Legati Apoſtolici, ſanctionibus. Sequutæ ſunt aliæ in Conciliis editæ conſtitutiones, tum ab eodem Joanne, tum ab aliis Antiſtitibus, quibus non defuerunt juris interpretum Commentaria. Sed quia ſine titulis, & imperfectæ Conſtitutiones hujuſmodi legebantur; alius liber editus eſt à Hieronymi Auriæ Cardinalis Vicariis, in quo omnes Conſtitutiones ad certos titulos juris Pontificii referebantur. His nos addi juſſimus quæ poſtea Conſtitutiones editæ ſunt, & ſub ſuis titulis collocari curavimus. Variæ quoque lectiones editæ ſunt, & quædam mutata, quæ mendoſa legebantur. His autem omnibus Conſtitutionibus nullam nos auctoritatem impertimur, ut quaſi à nobis conſtituta ſervari velimus; ſed ſolùm teſtamur nos eas in noſtris libris ita ſcriptas invenisſe, debereq; omnes huic libro integram fidem adhibere. TARRACONE, anno MDLXXX.

JOAN-

JOANNES TERES

Miſeratione divina Archiepiſcopus Tárraconenſis

Reverendiſſimis Epiſcopis noſtræ provinciæ, Abbatibus, Prioribus, & univerſo ejuſdem clero & populo ſalutem in Domino.

SALVATOR noſter JESUS Chriſtus, antequam ad Patrem aſcenderet, Eccleſiam proprio ſanguine plantatam, & pro ſummo erga illam amore, probatis ſeminibus repletam, ſeptem ſacramentis, & ſalutaribus præceptis inſtitutam, Petro ac ejus ſucceſſoribus cuſtodiendam & regendam commendavit. At inimicus homo, hoſtis ſcilicet humani generis diabolus, tantam hominis felicitatem non ferens, jam inde ab exordio naſcentis Eccleſiæ zizania, ideſt pernicioſas hæreſes ac errores peſtiferos, blandis interdum vitiorum illecebris, quaſi malis herbis permiſtis, improbè diſſeminavit. Illis Petri navicula agitata ſæpè, & afflicta eſt, nunquam tamen, juxta promiſſum Chriſti, ſubmerſa; quin potiùs Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, in unum convenientes, Spiritu ſancto afflati, ſanctiſſimis ſanctionibus eam nobis ab omni hæreſi & ſpurcitia liberam & integram conſervârunt. Quod diſertè & ſacræ Scripturæ, & ſacrorum Conciliorum teſtimonio comprobârunt. Fuerunt enim & tempore Apoſtolorum Hieroſolymis, & poſtea tam in Oriente, quàm in Occidente, ſive pro erroribus, qui ſubinde oriebantur exſtirpandis, ſive rebus decernendis, ſive litibus dirimendis ac legibus ſanciendis conventus & concilia habita. Atque ex his quædam fuerunt Oecumenica & Generalia, totius orbis Epiſcopis convocatis, in quibus ſummi Pontifices, aut eorum Legati præſederunt: alia Nationalia, in quibus plures Metropolitani ſubſcripſerunt, qualia fuerunt multa Africana, & Toletana in Hiſpania tempore Gothorum Regum celebrata: alia tandem Provincialia, quibus interfuerunt Metropolitanus & Coëpiſcopi ejuſdem provinciæ. Huiuſmodi fuerunt Tarraconenſe, Gerundenſe, Ilerdenſe, Oſcenſe, Cæſarauguſtana, & Barcinonenſia ante cladem illam inſignem totius Hiſpaniæ, qua Sarracenorum ſervitus inducta eſt, celebrata: & ea quæ habita ſunt in hac provincia poſtea quàm citerior Hiſpania ſe in libertatem vindicavit, Eccleſia Tarroconenſi, & cæteris urbium ſubditarum inſtauratis. Sed decreta & ſanctiones priorum Conciliorum propter eorum æquitatem & antiquitatem toto orbe recepta ſunt, & Jus commune effecerunt, & Conciliorum voluminibus editis continentur. Poſteriorum verò, quæ ab Archiepiſcopis prædeceſſoribus noſtris, aut ab Apoſtolicæ ſedis Legatis habita ſunt, ſtatuta, obſcurè, confuſè, & ſine ordine legebantur, & in archivo noſtræ menſæ Archiepiſcopalis ferme neglecta, & perpaucis cognita ſervabantur. Quod animadvertens Joannes Aragonius, Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus prædeceſſor noſter, tam genere, quàm morum ſanctitate illuſtris, primus, ut audio, temporum ordine ſervato, veterum Antiſtitum decreta, ſumpto initio à Joanne Cardinali, Epiſcopo Sabinenſi, Honorii III. Legato, & ab Aſparago Archiepiſcopo (nullæ enim eorum qui Aſparagum præceſſerunt, reperiuntur ſanctiones) in unum volumen collegit. Poſtea ſecuta ſunt alia decreta ab eodem Joanne, & aliis Antiſtibus, & Sedis Apoſtolicæ Legatis ſancita: quæ cùm ſine titulis, & abſque ordine legerentur; Vicarii Hieronymi Auriæ Cardinalis & Archiepiſcopi ad certos titulos Juris Pontificii, non ſine magno conſilio, & legentium utilitate referenda, & typis excudenda, ſacri Provincialis Concilii approbatione curârunt. Tandem Antonius Auguſtinus, etiam prædeceſſor noſter, Juris Pontificii peritiſſimus, & rerum antiquarum ſtudioſiſſimus, cùm multa in eo codice à Vicariis Auriæ edito paullò aliter legeret, quàm in codicibus manuſcriptis in noſtro archivo aſſervatis reperiſſet, aliam recentem nobis dedit editionem, in qua, & quæ editæ fuerant à Ferdinando Loazes, & Gaſpare Cervantes Cardinale, prædeceſſoribus noſtris, conſtitutiones addendas curavit, quæ mendosè legebantur emendatis, & variis lectionibus in manuſcriptis inventis ad marginem appoſitis. Quibus conſtitutionibus à ſe editis nullam prorſus impertitus eſt auctoritatem, id modo in præfatione teſtatus, eas ſe ita in libris editis, & manuſcriptis reperiſſe. Quod jure optimo feciſſe viſus eſt, cùm multa ibi decreta definitaq; eſſent tam ab Apoſtolicæ ſedis Legatis, quàm Archiepiſcopis, quæ pro veritate temporum in deſuetudinem abierunt, & noſtro iſto ſæculo, aut non poſſunt, aut certè non debent obſervari. Quæ cùm promiſcuè legerentur, incertum erat, quæ retineri, quæve rejici oporteret. Unde conquerebantur multi, quòd in una eademq; provincia, non eadem eſſet apud omnes decernendi ratio: ſed quiſque ſuo judicio niteretur, & eas dumtaxat obſervaret conſtitutiones, quæ ſuo magis congruerent inſtituto, reliquas verò tanquam inutiles exploderet ac rejiceret. Id quod mihi, jam cùm aliis præeſſem Eccleſiis, apprimè conſideranti, & de opportuno remedio cogitanti, majorem in modum ſolicitudinem auxit, cum ſingulari Dei beneficio, meritis licèt imparibus, & nihil ſanè minùs cogitans, Archiepiſcopus ſum renunciatus. Quamobrem urbem noſtram Tarraconem ingreſſus, Deumq; aſſiduè precatus, meas ut cogitationes in ſuam gloriam majoremq; hujus provinciæ utilitatem dirigeret, nihil antiquius duxi, quàm occurrere illis incommodis, re primùm cum Reverendiſſimis Coëpiſcopis, & aliis viris doctrinâ, morum ſanctitate, & rerum experientiâ illuſtribus communicatâ. Cùm primum igitur mihi licuit, ſecundum Concilium Provinciale (nam in primo, anno MDLXXXVII. celebrato, quod multæ Eccleſiæ Cathedrales, & omnes ferè Abbatiæ paſtorum eſſent ſolatio deſtitutæ, nequicquam de conſtitutionibus antiquis agendum putavimus) in noſtra Metropolitana Tarraconenſi 13. Kal. Novembris MDXCI. inchoandum, & ſequentibus diebus celebrandum & finiendum indiximus: quod fuit poſtea juſtis & neceſſariis cauſſis Barcinonem prorogandum & ut antè ferendum. In con-

ventu Tarracone, de antiquis conſtitutionibus, cùm ejus rei cauſsâ potiſſimum fuiſſet indictum Concilium, agi cœptum eſt: res fuit controverſa & multis ultro citróq; ſententiis agitata, eò tamen ab omnibus tandem deventum eſt, ut ſelectio fieret antiquarum conſtitutionum, & quæ ab omnibus obſervandæ eſſent, in unum volumen redigerentur: quæ verò, aut propter mutatam temporum conditionem, aut aliis de cauſſis ſuperfluæ inutileſq; viderentur, ſeorſum excuderentur, ne ſi omnino eas obliteratum iri cuperemus, iniqui in venerandam illam antiquitatem videremur. Selectio Tarracone incepta, Barcinone, ſacro approbante Concilio, perfecta abſolutaq; fuit, ſimulq; nobis ab eodem Concilio cura commiſſa, ut in unum volumen collectas emendataſq; quoad fieri poſſet, & typis fidelibus excudendas curaremus. Nonnulla etiam Coëpiſcoporum noſtrorum, Abbatum, & eorum qui Conciliis Provincialibus intereſſe conſueverunt, approbatione ſtatuimus, quæ & perturbatam cleri, ac reliquorum vitæ, & officii diſciplinam reſtituere, vacillantem confirmare, conſervatam propagare poſſe viderentur. Synodo ergo dimiſſa, nihil mihi majori curæ fuit, quàm ut & decreta à nobis ſancita, & antiquarum conſtitutionum ſelectionem, provinciæ, ut ſpero, ſalutaria, primo quoque tempore pervulgarem. Quam in cogitationem toto animo incumbentem me, & non ſatis conſtans valetudo, & quæ in noſtra civitate Tarraconenſi, & aliis oppidis ditionis noſtræ nuper ſubſequuta eſt peſtis (quamvis non à ſtudio in lucem illa proferendi, tametſi graviſſimis curis diſtinerer, ſpiritualibus & temporalibus neceſſitatibus occurrendi noſtræ amantiſſimæ civitatis, & aliorum oppidorum, in quibus peſtis miſerè graſſabatur) ab editione tamen nimiùm retardârunt. Ideo ſingulari Dei benignitate mihi, civitati noſtræ, & reliquis oppidis firma reſtituta valetudine, ſtatim animum ad edendas conſtitutiones appuli. Damus igitur vobis ſelectionem earum conſtitutionum, quæ à majoribus noſtris ad mores componendos, corrigendos exceſſus, retinendam Eccleſiaſticam diſciplinam, decretæ & ſancitæ ſunt, typis quoad fieri potuit fidelibus excuſſas, ſervata meliori, veriorique ſemper lectione, reliquis è margine, quod parum id pro rei argumento, aut nihil intereſſet, detractis: item illas, quæ ab Antonio Auguſtino, & à nobis editæ ſunt, omnes ſub congruis titulis collocatas, nonnullas etiam Apoſtolicas conſtitutiones, & reſcripta, quibus aut conſtitutiones Provinciales confirmantur, aut certè ad earum cognitionem magnum afferunt ſplendorem. Quas quidem omnes (inutiles tantùm & ſuperfluas in finem relegatas excipio) libris quinque hujus voluminis comprehenſas, ab omnibus in tota noſtra provincia ſacri approbatione Concilii obſervari volumus & præcipimus. Vos q; Reverendiſſimos Coëpiſcopos, ac reliquos locorum Ordinarios in Domino hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei rogamus omnes & ſingulos, ut volumen legis hujus habeatis, non modò ante oculos, Phariſæorum more, ſed in animo penitùs inſitum; leges in eo conſcriptas quanto maximo poſſitis amore & pietate complectamini, legatis, ſequamini. Si enim, ut par eſt, honori noſtro & ſaluti conſulere, & utilitati Eccleſiæ nobis commiſſæ proſpicere, ſi dignitati etiam noſtræ ornamento, & cæteris qui in nos oculos habent conjectos, exemplo eſſe velimus, in hujus voluminis decreta amplectenda, tuenda, & exſequenda omni ſtudio incumbamus, ut quod coram Deo, & magna lectiſſimorum virorum frequentia ſolemnibus verbis promiſimus, id ultro & ſponte, omni ſtudio, cura, labore, & diligentia, reipſa cumulatiſſimè expleamus. Vos autem, qui eſtis oves Domini, populus Dei electus, ſi quid in vobis Chriſtianum (redolet autem, Chriſto gratias, plurimum) illud quoque ſuſcipite: & quantum diſtant oves ab hircis, lupis, & leonibus, tantum efficite, ne ulla cupiditatis, malevolentiæ, & arrogantiæ in animis veſtris macula reſideat: vos, inquam, quorum eſt legem Dei de labiis ſacerdotis requirere, volumen etiam hoc legis accipite, & nolite extinguere ſpiritum Domini: ſed ut eſtis oves, ita humilitate & obedientia mitem & innocentem ovium naturam, quoad fieri poterit, imitamini, ut veſtra morum mutatione, vel innocentia, ac pietatis perſeverantia, vicinis nationibus exemplo eſſe poſſitis. Nobis enim ut in his decretis, ac ſelectione conſtitutionum veterum Antiſtitum nihil propoſitum fuit, niſi Dei gloria & veſtra ſalus; ſic nihil optatius eſſe poteſt, quàm ut ita ſervantur: ut pœnis, quæ delinquentibus propoſitæ ſunt, nullus omnino locus relinquatur. Fiet enim ita, ut & compenſetur labor, gloria Dei augeatur, vetus illa veterum diſciplina conſervetur, & tandem omnes, licèt ſervi inutiles fuerimus, à Domino pro ſumma illius erga homines charitate, & immenſa bonitate, gloriam ſempiternam, cujus cauſsâ conditi procreatiq; ſumus, ſingulari ejus beneficio conſequamur.

ARCHIEPISCOPORUM TARRACONENSIUM NOMINA

Ante Arabum & Maurorum in Hiſpaniam adventum.

AUCTORE ANTONIO AUGUSTINO.

I.

BEATUS FRUCTUOSUS Chriſti martyr, qui cum Augurio & Eulogio diaconis ſub Gallieno Imperatore 12. Kalendas Februarii, anno plus minus Chriſti CCLXV. occiſus eſt. Exſtat hymnus elegans Prudentii, cujus initium eſt: *Felix Tarraco fructuoſe veſtris.*

II.

HIMERIUS ſub Damaſo & Syricio Pontificibus. Exſtat Syricii ad eundem Epiſtola in primo volumine Conciliorum, data 3. idus Februarii Arcadio Auguſto & Bautone Conſulibus, anno Chriſti CCCLXXXV. Ex eadem multa capita retulit Gratianus in Decretis. Hunc Eumerium appellat Iſidorus in libro *De ſcriptoribus eccleſiaſticis*, & vetus Canonum liber.

III.

ASCANIUS ſub Hilario Romano Pontifice fuit: qui ad eum, & ad Concilium Provinciale ſcripſit Epiſtolam datam 3. Kalendas Ianuarii, Baſiliſco & Herminerico Conſulibus, anno Chriſti CCCCLXV. duæ item Epiſtolæ ejuſdem Aſcanii, & Concilii Tarraconenſis leguntur in Concilio Romæ habito ab Hilario 15. Kalendas De-

cem-

cembris eiſdem Coſſ. Ex eiſdem tribus Epiſtolis conſtat, jam tum Barcinonenſem, & Calagurritanum, & Cæſarauguſtanum Epiſcopos ſub Tarraconenſi Metropolitano fuiſſe. Sed & alia ejuſdem Hilarii ad Aſcanium ſolum Epiſtola exſtat in Conciliis, cujus initium eſt: *Divinæ circa nos*. Et Gratianus multa capita ſumpſit ex his literis, & ex dicto Concilio Romano.

IV.

Joannes, qui Concilium Tarraconenſe, quod exſtat anno ſexto Theoderici Regis habuiſſe dicitur, ſed aliis eſt Erâ Cæſaris Auguſti DLIV. Chriſti annus DXVI. Petro Conſule, 8. idus Novembris. Subſcribunt eidem Concilio Turiaſonenſis, qui eſt Emporitanus in veteribus libris, Gerundenſis, Barcinonenſis, Eliberitanus, Cæſarauguſtanus, Dertoſanus, Auſonenſis, & Egarenſis Epiſcopi, item Carthaginenſis Metropolitanus. Anno proximo Gerundenſe Concilium habitum eſt 7. idus Junias, Agapeto Conſule, cujus collega fuit Anaſtaſius Auguſtus in quarto conſulatu. Iidem ferè Epiſcopi ſubſcripſerunt urbium nominibus omiſſis. Utriuſque Concilii Canones refert Gratianus in Decretis. Ad hunc ipſum Joannem creditur eſſe Hormiſdæ Pontificis Maximi Epiſtola tertia, qua de adventu ejus in Italiam gratulatur, & ei vices ſuas in Hiſpaniis committit, ſervatis privilegiis Metropolitanorum: quod etiam Gratianus refert cauſsâ 25. quæſt. 2. cap. 6. Datæ literæ ſunt 4. nonas Aprilis eodem Agapeto viro clariſſimo Conſule. Sequuntur mox ejuſdem literæ, quæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcriptæ eodem die ſunt. In veteri tamen Canonum libro hic Joannes Illicitanæ Eccleſiæ Epiſcopus appellatur.

V.

Sergius putatur is fuiſſe, qui in Concilio Ilerdenſi ſubſcripſit tacito urbis nomine 8. idus Auguſti, anno decimoquinto Theoderici, vel potiùs Theudæ, ſive Theudis Regis, ut aliis videtur. Eſt enim in veteribus libris Era Cæſaris DLXXXIV. is eſt Chriſti annus DXLVI. Ilerdenſis Concilii Canones refert Gratianus multis in locis. In Concilio Barcinonenſi nondum edito invenio interfuiſſe Sergium Metropolitanum, & Epiſcopos Barcinonenſem, Emporitanum, Ilerdenſem, Gerundenſem, Cæſarauguſtanum, & Dertoſanum.

VI.

Euphemius interfuit Concilio Toletano III. in quo Reccaredus Rex Arianam hæreſim ex Hiſpania extorrem fecit 8. idus Maji, anno quarto ejus regni, Erâ DCXXVII. Chriſti anno DLXXXIX. ut eſt in editis Conciliis; quinque annos addit Rodericus Toletanus Antiſtes, quatuor Alphonſus Caſtellæ Rex. In Conciliis tamen editis Euphemius Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopus dicitur, Stephanus Tarraconenſis: apud Alphonſum Eupolemius Tarraconenſis Archiepiſcopus appellatur, apud Rodericum Euphemius, & Helladius Toletanus. In veteribus Conciliorum libris Stephanus Turiaſonenſis eſt, Euphemius Toletanus. Beati Gregorii temporibus hæc geſta ſunt, cujus exſtat in Regeſto gratulatio ad Reccaredum Wiſigothorum Regem, & ad Leandrum Hiſpalenſem Antiſtitem.

VII.

Artemius ſubſcripſit Cæſaraug uſtano Concilio nondum edito, anno ſeptimo ejuſdem Reccaredi Regis, Erâ Cæſaris DCXXX. anno Chriſti DXCII. Quod verò Cæſaraugſtanum poſt Gerundenſe, de quo ſuprà ſcripſimus, editum eſt, habitum 4. nonas Octobris ab Epiſcopis Siradio, Delphino, & cæteris, ſunt qui putent multò antiquius eſſe, circa annum Chriſti CCCXXX. cùm Severus Sulpicius mentionē fecerit cujuſdam Cæſarauguſtani Concilii adverùss Priſcillianiſtas. Id nobis incertum eſt. Tertium, ſive quartum Cæſarauguſtanum Concilium habitum accepimus Kalendis Novembris Erâ DCCXXIX. Chriſti DCXCI. anno quarto Regis Egizani, ſive Egicanis, ex veteribus libris. *Egica is Rex in nummis dicitur*.

VIII.

Asiatici mentio exſtat in quodam Barcinonenſi Concilio nondum edito, quod habitum eſt Kalendis Novembris, anno XIV. Reccaredi Regis, anno Chriſti DXCIX. Sub ſcripſerunt Epiſcopi Barcinonenſis, Orgellitanus, Auſonenſis, Dertoſanus, Calagurritanus, Emporitanus, Gerundenſis, Cęſarauguſtanus, Ilerdenſis, & Egarenſis.

IX.

Eusebium invenio ſubſcripſiſſe in quodam Toletano Concilio, habito Gundemari Regis anno primo, Erâ DCXLVIII. Chriſti anno DCX. cui Concilio Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus ſubſcripſit. Ejus mortis mentio fit in Epiſtola Braulionis Cæſaraug uſtani Epiſcopi ad eundem Iſidorum, & in Epiſtola Iſidori ad Braulionem, quæ leguntur ante libros viginti Etymologiarum Iſidori. Sed & in Concilio Egarenſi nondum edito ſubſcripſit Euſebius anno tertio Siſebuti Regis, idibus Januarii, Erâ DCLII. Chriſti anno DCXIV.

X.

Audax ſubſcripſit Toletano IV. Concilio, quod habitum eſt nonis Decembris, anno tertio Siſenandi Regis, Erâ Cæſaris DCLXXI. ut eſt in veteribus libris, is eſt annus Chriſti DCXXXIII. quatuor annos addit Alphonſus Rex, quindecim Rodericus Toletanus.

XI.

Silva interfuit Toletano V. Concilio, anno primo Chintilani, ſive Chintilæ Regis, Erâ DCLXXIV. Chriſti DCXXXVI. ut eſt in duobus veteribus libris. His quinque annos addit Alphonſus, quindecim Rodericus. In Conciliis editis Silvę nomen deſideratur.

XII.

Protasius fuit in VI. Toletano, quod habitum eſt 6. idus Januarii, anno ſecundo ejuſdem Regis, ut teſtantur Rodericus, & Alphonſus ſupraſcripti. In Conciliis editis mendosè appellatur Epiſcopus Placentinus. Idem etiam interfuit VII. Toletano Concilio, quod habitum eſt anno ſexto, vel ut in veteribus libris eſt, anno quinto Chindaſvinthi Regis, 5. vel 15.

Kalend. Novembris Erâ DCLXXXIV. anno Chriſti DCXLVI. Nomen Protaſii non eſt in editis Conciliis, exſtat in hiſtoriis Roderici & Alphonſi Regis.

XIII.

CYPRIANUS vicarium ſuum Spaſſandum ad Concilium Toletanum XIII. miſit, ut ex Actis ejuſdem Concilii nondum editis conſtat: quod habitum eſt anno Ervigii Regis quarto, Erâ DCCXXI. anno Chriſti DCLXXXIII. pridie nonas Novembris. Spaſſandus Abbas à Roderico Toletano appellatur, Speraindeo ab Alphonſo Rege. Idem Rodericus teſtatur, Vitalianum presbyterum interfuiſſe Cypriani vicariũ in Concilio Toletano XIV. idque Actis ejuſdem Concilii non editis confirmatur: & additur Argebado abbas collega. Ea Synodus habita eſt anno quinto ejuſdem Regis, 12. Kal. Decembres. Itidem Toletana Synodus XV. nondum edita, ſubſcripta eſt à Seſuldo archipresbytero, & Abbate, agente vicem ejuſdem Cypriani, 5. idus Maji, Erâ DCCXXVI. anno Chriſti DCLXXXVIII. Egicani, ſive Egicæ, ſive Egicanis Regis anno primo. Siſuldum vocat Rodericus, Siſundum Alphonſus. Hujus Antiſtitis ſepulchrum exſtat Tarracone his verbis inſcriptum:

HIC REQUIESCIT VIR SANCTISSIMUS CYPRIANUS, PRIMAE SEDIS TARRACONENSIS CIVITATIS EPISCOPUS. POSITUS EST IN HUNC TUMULUM VIII. KALENDAS MAJAS. IN PACE.

Appellabantur autem illis temporibus Archiepiſcopi & Metropolitani, primæ ſedis Epiſcopi, ut ex multis Africæ Conciliis conſtat.

XIV.

VERA interfuit XVI. & XVII. Concilio Toletano, ut Rodericus Antiſtes refert, quem Alphonſus Rex Verum appellat. In Actis autem eorum Conciliorum Vera nuncupatur. XVI. Conciliũ habitum eſt 6. nonas Majas, anno ſexto Egicæ Regis, anno Chriſti DCXCIII. Mox anno proximo XVII. Conciliũ 5. idus Novembres. Subſcriptiones in Actis quę vidimus, deſiderantur.

HORUM Archiepiſcoporum nomina certa retulimus: plures fuiſſe non dubitamus, in quibus exſtat mentio Georgii Epiſcopi, cujus incerta ſunt tempora. Etenim altaris cujuſdam diruti hanc inſcriptionem legimus.

STEPHANUS ALEXANDRINUS, IN HONORE DEI, ET OMNIUM SANCTORUM DIE VIII. IDUS APRILIS ANNO TERTIO ORDINATIONIS EJUS CUM SUIS, SUB PONTIFICATU GREGORII EPISCOPI. SIGILLUM HIC ESTO.

Omiſimus Prudentium, Æmilianum, Paternum, Idacium, Phalvacem, & Agnellum, ut incertos, licèt eorum nomina in Eccleſiæ Tarraconenſis libris legantur. Agnelli quidem certè nomen in Regiſtro B. Gregorii eſt, unde ſumitur caput ſecundum *De immunitate Eccleſiarum*: ſed eum Terracinenſem Epiſcopum fuiſſe conſtat: qui cum priùs Fundanam Eccleſiam obtinuiſſet, Terracinenſis vacans paſtore, & ob cladem everſa, eidem commendata eſt: ut apud Gratianum refertur cauſsâ 21. quæſt. 1. cap. 5, & 6. videndus Gregorius lib. 2. Epiſt. 13. & lib. 7. cap. 20. Regiſtri.

TARRACONENSIUM EPISCOPORUM NOMINA

Poſt Arabum vaſtationem, ob quam Tarraco Antiſtite annos quadringentos caruit.

EX literis Joannis XV. Pont. Max. quæ ſcriptę ſunt menſe Januario, indictione 14. (is eſt annus Chriſti DCCCCLXXXVI. Pontificatûs ejuſdem annus ſecundus) conſtat Borrellum Comitem Romam veniſſe, & impetrâſſe à Pontifice, ut Tarraconenſis Eccleſia diu paſtore carens, Auſonenſi Eccleſię uniretur: eiſque ATTO, ſive AZZO pręficeretur, & accepto pallio, ſuffraganeis Epiſcopis, ut Archiepiſcopi olim, præeſſet. Et aliis literis Guiſado Urgellenſi, Petro Barcinonenſi, & Somario Helenenſi Epiſcopis jubetur, ut eidem Attoni obediant, ut olim ſolebant veteres Epiſcopi ſuis Archiepiſcopis obedire, & ut ab eo ordinentur & conſecrentur. Poſteri quoque Auſonenſes Epiſcopi diu hoc munere functi eſſe dicuntur.

I.

BERENGARIUS ROSANES, quem Auſonenſem Archiepiſcopum vocat Urbanus ſecundus, Romam veniens, literas ad eodem Pontifice accepit ad Berengarium Barcinonenſem Comitem, & Marchionem, & ad Hermengaudum Urgellenſem, & Bernardum Viſundunenſem Comitem, & alios viros nobiles, ut ſummopere niterentur Tarraconem urbem & Eccleſiam reſtaurare, multis ſpiritualibus indulgentiis eiſdem conceſſis. Datę hæ literę ſunt Kal. Julii, anno ſecundo Pontificatûs ejuſdem, Indictione 12. is eſt annus Chriſti MLXXXIX. Aliis verò literis datis Capuæ Kal. Juliis, indict. 14. anno Chriſti MXCI. Pontificatûs anno quarto, mentionem facit cujuſdam donationis dicti Comitis Berengarii Eccleſię Romanę factę, & cenſus quinque librarum argenti quotannis perſolvendi: & pallio dato eidem Berengario Epiſcopo, ipſi, & ſucceſſoribus idem Urbanus Tarraconem urbem perpetuò poſſidendam conceſſit. Mortuum Berengarium Antiſtitem ferunt 14. Kalen. Aprilis, anno Chriſti MXCIII. Sunt qui longiùs vitam producant, in annum MXCVI. Quę verò de Bernardo Toletano Tarracone geſta à quibuſdam narrantur, noſtrorum librorum monumentis falſa eſſe convincuntur.

II.

OLDEGARIUS natione Gallus, Prior olim monaſterii Sancti Hadriani canonicorum S. Ruffi, mox Epiſcopus Barcinonenſis, poſt Berengarium à Gelaſio II. Eccleſię Tarraconenſi præfectus eſt: cujus reſcriptum datum eſt Cajetę 12. Kal. Apri-

Aprilis indictione 11. anno ab Incarnatione Domini MCXVIII. Pontificatûs anno primo. Eisdem literis Dertosa, cùm recepta fuerit à Mauris, ut parochia subdita conceditur. Huic & successoribus urbs Tarraconensis cum amplo territorio à Raymundo Berengario Comite Barcinonensi Kal. Februarii data est, & ab eodem Pontifice confirmatur. Sed Oldegarius decimo Pontificatûs sui anno Robertum Aquilonem, sive Bordetum Principem urbis constituit pridie idus Martii, anno Incarnationis Dñi MCXXVIII. & Barcinonem reversus, octo annos sanctissimè vixit, ad pridie nonas Martias anni Christi MCXXXVI. quo mortuum fuisse accepimus. Sedisse ferunt annos 18. menses 11. dies 17. quę suspicor ad Barcinonensem Ecclesiam esse referenda.

III.

Gregorius soli Tarraconensi prefuit Ecclesiæ, à Lucio II. pallio accepto, cujus literæ datæ sunt apud Lateranum 9. Kalen. Aprilis, indictione 7. anno Incarnationis Domini MCXLIII. Pontificatûs anno primo. Est autem is annus à natali Christi MCXLIV. In his mentio fit ab Urbano fuisse Berengario Ausonensi Episcopo, & à Gelasio Oldegario Barcinonensi pallium datum. Confirmantur eadem quę de donatione Raymundi Comitis, & de urbe Dertosa dicta sunt, & de officio & potestate Metropolitani.

IV.

Bernardus Tortus Gallus origine, canonicus S. Ruffi, post Gregorium ab Eugenio III. præfectus est Viterbii 6. Kal. Junii, indictione 9. anno Christi MCXLVI. Pontificatûs anno secundo. In ejus literis eadem confirmantur quæ à Lucio sunt enumerata. Plenior confirmatio est impetrata ab Anastasio IV. cui omnes Sacrę Romanæ Ecclesię Cardinales subscripserunt, data apud Lateran. 8. Kal. Aprilis, indictione 2. anno Incarnationis Domini MCLIV. Pontificatûs anno primo. In his literis enumerantur subditę urbes & parochiæ: Gerunda, Barcino, Urgellum, Ausona, Ilerda, Dertosa, Cæsaraugusta, Osca, Pampilo, Turiaso, & Calagurris, & si quæ aliæ antiquis temporibus subditę fuerunt. Hujus ædificium fuisse ferunt turrim Archiepiscopalem, ubi cum canonicis suis regularibus vivebat. Roberto verò Principi confirmaverat ab Oldegario factam donationem, quibusdam exceptis, 5. idus Februarii, anno Incarnationis Domini MCXLVIII. Sed & Raymundo Barcinonensi Comiti, & Principi Aragoniæ, aliam donationem fecisse dicitur, Eugenio, ut fertur, confirmante, multis exceptis, mense Augusto, anno Christi MCLI. Convenerat autem, ut tertia pars Roberto relinqueretur. Ex his donationibus multę quęstiones ortæ sunt Bernardo & successoribus. Mortis ejus dies fuisse dicitur 4. Kalen. Julii, anno Christi MCLXIII. Sedisse ajunt annos 17. mensis 3. dies 21. Initium fortasse sumunt à Gregorii morte, ut alibi factum novimus.

V.

Hugo Cervellio Catalanus, dum contendit cum Guillelmo Roberti & Agnetis filio, qui urbis partem obtinebant, 15. Kal. Maji, anno Christi MCLXXI. occisus est, postquam sedisset annos 7. menses 9. dies 20. Graviter & acerbè tulit hoc Alexander III. cujus exstant varia rescripta data Anagniæ 5. idus Junii, & Tusculi 8. Kalen. Februarii, & 13. Kalen. Julii. Titulus sepulchri hic est.

Obiit R. P. D. N. Hugo de Cervilione q. Archiepiscopus S.E. Tarraconen. 15. Kal. Madii, anno Domini MCLXXI. cujus ossa sunt in hac tumba posita: & quem Robertus Princeps Tarracon. ejus Ecclesiæ vaßallus interfecit. Propterquod ipse, & Berengarius ejus frater, mater quoque ipsorum, in ejus morte unà cum filiis fuerunt machinati, de toto regno cum tota sua progenie per edictum regium expulsi, sed & bonis suis privati. Hugo magis voluit perire, quàm jura perire.

VI.

Gullielmus, sive Willelmus, cognomento Turris-Rubra, ab eodem Alexandro III. ab urbe Barcinonense translatus, mortem Hugonis ultus est, & cum Alphonso Rege Raymundi Principis filio transegit 9. Julii, & 15. Kal. Augusti, & 8. idus Novembris, anno Christi MCLXXIII. Exstant Alexandri literę datę Tusculi 7. kal. Februarii, quibus confirmatur Raymundi Comitis donatio urbis, & ampli territorii, & hominum homagia, & decimæ, & primitiæ, & dominicaturæ de stagno, de vite, de Francolino, de Constantino, de castro Redus, & aliis tunc possessis. In aliis literis datis Anagniæ 7. idus Junii appellatur Gullielmus Apostolicę sedis Legatus. Mortis dies fertur nonis Martii, anno MCLXXIV. Sedisse putant annos 3. menses 9. dies 21. Quæ nobis incerta sunt.

VII.

Berengarius Villamulius Catalanus, Abbas S. Felicis Gerundensis, electus est à canonicis, electionem Alexander III. confirmavit Ferentini 13. Kal. Julii, anno Christi MCLXXIV. Castrum Albiolum in Carbonario monte à Rege Alphonso Narbone obtinuit Majo mense, anno Christi MCLXXVII. Occisus est à Gulielmo Raymundo Moncada, qui filiam fratris vel sororis ejus duxerat, 14. Kal. Martias, anno Incarnationis Christi MCXCIII. Exstant ea de re Cælestini III. literæ datę apud Lateranum idibus Maji, & alia 15. Kal. Julii, Pontificatûs anno 4. Sedisse fertur annis 19. menses 11. dies 9. A Gullielmi morte initium sumitur.

VIII.

Raymundus ex castro Tertiolo Catalanus, ab eodem Cælestino confirmatus, pallium accepit 15. Kal. Decembris, Pontificatûs anno 4. Aliis literis confirmantur ea quæ variis donationibus Regum & Comitum obtinebat: item suffraganeæ & proprię Ecclesiæ, 3. Kal. Decembris, indictione 13. anno Christi MCXCIV. Pontificatûs anno 4. Mortuum esse ferunt pridie nonas Novembris, anno Christi MCXCVIII. sedisse annos 4. menses 8. dies 17.

IX.

IX.

RAYMUNDUS ROCABERTINUS Catalanus ſuffectus eſt. Ad hunc Innocentius III. literas miſit, ut cum Abbate Populeti & archidiacono Barcinonenſi, de quibuſdam criminibus Epiſcopi Vicenſis cognoſceret: ut conſtat ex cap. 19. *De accuſationib.* incip. *Cùm oporteat*. Dies mortis fuit 8. idus Januarii, anno Incarnationis Domini MCCXIV. cùm ſediſſet ann. 16. menſes 2. dies 2. à morte alterius Raymundi.

X.

SPARAGUS, ſive ASPARAGUS, cognomento BARCA-GALLUS (quem avunculũ ſuum vocat Jacobus Rex) priùs Pampilonenſis Epiſcopus fuerat. Hujus temporibus Joannes Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus ſub Honorio III. plures conſtitutiones in Concilio Ilerdenſi edidit 4. kal. Aprilis, anno Chriſti MCCXIX. ſubſcripſerunt Epiſcopi præter Metropolitanum, Barcinonenſis, Gerundenſis, Vicenſis, Urgellenſis, Ilerdenſis, Dertuſenſis, & Oſcenſis. Mox anno proximo Tarracone Sparagus Concilium habuit kal. Maji. Hoc initium eſt conſtitutionũ quæ in hoc libro continentur. Mortuum eſſe conſtat 5. nonas Martii, anno à natali Chriſti MCCXXXIII. Sediſſe fertur annos 18. menſ. 1. dies 22. à morte Raymundi poſterioris initio accepto.

XI.

GULLIELMUS MONGRIUS Catalanus, tantùm electus fuit, cùm eſſet Gerundenſis Sacriſta, nomine Eccleſiæ Tarraconenſis & Regis, Ebuſum inſulam, & Frumẽtariam, ſive Colubrariam acquiſivit, ducibus Petro Portugallenſi & Nunnio Sanctio, Regis Jacobi conſobrino, poſtrid. nonas Auguſti, anno Chriſti MCCXXXV. Poſtea electioni renunciavit, fructibus inſulæ, & Conſtantinæ villę retentis, ut apparet ex literis Gregorii IX. datis Viterbii 3. idus Aprilis, Pontificatûs anno 11. & aliis datis apud Lateranum 6. idus Januarii, Pontificatûs anno 12. is eſt annus Chriſti MCCXXXIX. Teſtamentum ejus ſcriptum eſt 14. kal. Julii, anno MCCXLVII. & codicilli ſcripti 18. Kal. Februarii, anno MCCXLVIII. diem mortis fuiſſe accepi 11. Kal. Julii, anno MCCLXXIII.

XII.

PETRUS ALBALATIUS, interea Theologus, Epiſcopus Ilerdenſis, ſuffectus eſt, qui Regi Jacobo in expugnatione Valentiæ præſtò fuit. Patrimonium Archiepiſcopale quibuſdam prædiis auxit, & Epiſcopo ſubdito Valentino. Plura Concilia habuit, quæ hoc volumine continentur, ab anno Chriſti MCCXXXIX. ad annum MCCXLVIII. ſubſcribentibus Epiſcopis, aut eorum procuratoribus, Barcinonenſi, Dertuſenſi, Gerundenſi, Urgellenſi, Auſonenſi, ſive Vicenſi, Oſcenſi, Ilerdenſi, Cæſarauguſtano, Valentino, Tyraſonenſi, Pampilonenſi, & Calagurritano: & Magiſtris militiarum hoſpitalis Hieroſolymitani, & Templi. Mortuum eſſe ferunt Populeti 6. non. Julii, anno Chriſti MCCLI. cùm ſediſſet ann. 19. menſ. 3. dies 29. à morte Sparagi. Hic provinciam ſuam ſæpè luſtrabat, exſtantque viſitationis ejus volumina, quibus omnes ferè diœceſes conſtat correxiſſe.

XIII.

BENEDICTUS ROCABERTINUS Catalanus, Camerarius Tarraconenſis, electus eſt ab Innocentio IV. confirmatus pallium accepit, cujus literæ exſtant datæ Peruſiæ 5. Kal. Februarii, indictione 11. anno Incarnationis Domini MCCLII. Pontificatûs anno 10. Hujus conſtitutiones leguntur in Conciliis habitis anno Chriſti MCCLIII. & MCCLVI. & MCCLXVI. Mortuus eſſe dicitur Oſcæ 4. nonas Majas, anno MCCLXVIII. & ſediſſe annos 16. menſes 10. dies duos, poſt Petri mortem.

XIV.

BERNARDUS OLIVELLA Catalanus, ex Epiſcopo Dertuſenſi: partem majoris templi & portas exſtruxit. Conſtitutiones quoque edidit in Conciliis habitis anno Chriſti MCCLXXIII. & MCCLXXVII. & MCCLXXXII. Obiit 4. Kal. Novembris, anno MCCLXXXVII. Sediſſe creditur ann. 14. menſ. 4. dies 7.

XV.

RODERICUS TELLIUS Bęticus ſuffectus, Provincialia Concilia habuit ab anno Chriſti MCCXCI. ad annum MCCCV. Mortis dies in ſepulchro ejus inſcriptum eſt 17. Kal. Januarii, anno MCCCVIII. Sediſſe fertur annos 21. menſ. 1. dies 19. à Bernardi morte.

XVI.

GUILLELMUS ROCABERTINUS Catalanus: poſt eum conſtitutiones etiam edidit in Concilio Tarraconenſi anno Chriſti MCCCIX. & pro cauſſa Templariorũ 3. idus Auguſti an. MCCCXII. Emit idem oppida quædam ſibi & ſucceſſoribus. Obiit 5. Kal. Martii, anno MCCCXV. cum ſediſſet ann. 6. menſ. 2. dies 12.

XVII.

EXEMINUS, ſive XIMENIUS LUNA Aragonus, olim Cæſarauguſt. Epiſcopus, Concilia itidem habuit anno Chriſti MCCCXVIII. & MCCCXXIII. Sub hoc Cæſarauguſtanus Epiſcopus Metropolitani jus accepit à Joanne XXII. pridie idus Julii, anno Chriſti MCCCXVIII. Cui ſubditi ſunt Oſcenſis, & Iaccenſis, & Turiaſonenſis, & Pampiſonenſis, & Calagurritanus, & Calciatenſis Epiſcopi, qui Tarraconenſis provinciæ fuerant; item Albarracinenſis, cujus ſubjectio litigioſa fuit. Sub eodem brachium Beatæ virginis Theclæ Tarraconem allatum eſt ex Armenia anno MCCCXXIII. Ipſe Antiſtes Toletum translatus fuit Kal. Septembris, anno MCCCXXVII.

XVIII.

JOANNES Jacobi minoris Regis filius, priùs electus Archiepiſcopus Toletanus, poſtea Patriarcha Alexandrinus, & Eccleſiæ Tarraconenſis adminiſtrator. Hic Eccleſiam Metropolitanam conſecravit menſe Junio anno nobis incerto. Volumen conſtitutionum ſuperiorũ Antiſtitum edidit in primo Concilio Tarraconenſi, 4. Kal. Martias, anno MCCCXXIX. alias adjecit anno MCCCXXXI. & XXXIV. In ejus ſepulchro hæc inſcriptio legitur:

Hic

Hìc quieſcit corpus ſanctæ memoriæ Domini Joannis, filii Domini Jacobi Regis Aragonum, qui 17. anno ætatis ſuæ factus Archiepiſcopus Tolſtanus, ſic dono ſcientiæ infuſæ divinitus, & gratiâ prædicationis floruit, quod nullus ejuſdem ætatis in hoc ei ſimilis crederetur: carnem ſuam jejuniis, & ciliciis macerans, in 28. anno ætatis ſuæ factus Patriarcha Alexandrinus & adminiſtrator Eccleſiæ Tarracon. ordinato per eum inter multa alia bona opera novo monaſterio Scalæ-Dei, diœceſis Tarracon. ut per ipſam ſcalam ad cœlum aſcenderet: reddidit ſpiritum creatori 14. Kal. Septembris, anno Domini MCCCXXXIV. anno verò ætatis ſuæ 33. Pro quo Deus tam in vita, quàm poſt mortem ejuſdem, eſt multa miracula operatus.

XIX.

ARNALDUS CESCOMES Catalanus, ex canonico Barcinonenſi Epiſcopus Ilerdenſis, inde tranſlatus, conſtitutiones edidit ab anno Chriſti MCCCXXXVI. ad XLI. Vallium, & Alforgiæ arces Archiepiſcopales reſtauravit, & Eccleſiæ patrimonium Tamariti oppido auxit. Mortis dies fuiſſe dicitur 5. idus Septembris, anno Chriſti MCCCXLVI. Sediſſe ferunt annos 12. dies 22. à morte Joannis.

XX.

SANCTIUS LUPIUS AIERBIUS Aragonenſis, Ordinis S. Franciſci, ex Epiſcopo Turiaſonenſi: Concilia habuit anno Chriſti MCCCLIV. & LVII. quo anno mortuus eſſe dicitur 12. Kal. Septembris.

XXI.

PETRUS CLASQUERINUS Catalanus, priùs Oſcenſis, mox Majoricenſis Epiſcopus, inde tranſlatus idibus Februarii, anno MCCCLVIII. Patriarcha quoque Antiochenus fuit. Concilia habuit anno MCCCLXIV. & LXVII. & LXIX. à Rege Petro, & civibus Tarraconenſibus diu vexatus eſt, uſque eò, ut in Galliam profugerit: illic mortuus eſt in urbe Agathenſi 5. idus Januarii, anno MCCCLXXX. translatæ reliquiæ ſunt 14. Kal. Majas, anno LXXXIIX. Sediſſe fertur annos 21. menſes 10. dies 26. Vacat Eccleſia propter ſchiſmata totius Europæ annos ſeptem.

XXII.

ENNECUS VALTERRA Valentinus, ex Epiſcopo Gerundenſi Segorbicenſis, ingreſſus Tarraconem dicitur 7. idus Februarii, anno MCCCLXXXVII. Hic cum Rege Joanne de juriſdictione tranſegit. Conſtitutiones edidit in Conciliis anno MCCCXCI. & XCV. & MCCCCVI. Sub hoc Petrus Luna diaconus Cardinalis Legatus Apoſtolicus Clementis 7. in ſchiſmate Concilium Gerundæ habuit 8. Kalendas Novembris, anno MCCCCII. Is poſtea Benedictus XIII. appellatus eſt. Segorbicæ mortuus eſt 12. Kal. Martias, anno MCCCCVII. Sediſſe dicitur an. 20. menſes ferè 5.

XXIII.

PETRUS SAGARRIGA Catalanus, ex Ilerdenſi Epiſcopo. Hic unus fuit ex novem viris, qui Ferdinandum Regem appellaverunt, cujus poſtea Cancellarius fuit. Agerenſe caſtrum, & agrum ſibi & ſucceſſoribus comparavit. Fimbriæ partem veſtis Domini ex urbe Roma attulit, magnaque celebritate coli juſſit. Conſtitutiones edidit in Concilio Tarracone habito anno MCCCCXIV. Mortis ejus dies fuiſſe dicitur pridie Kal. Januarii, anno Chriſti MCCCCXIIX. Sunt qui dicant non. Januarii, anno XIX. & ſediſſe ann. 11. menſ. 4.

XXIV.

DALMATIUS MURIUS Catalanus, ex antiqua & nobili familia, de Muro dominorum del Albi, ex Gerundenſi Epiſcopo translatus 6. kal. Auguſti, anno MCCCCXIX. Conſtitutiones edidit in Concilio Tarraconenſi anno MCCCCXXIV. Sub hoc Petrus Fuxenſis presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, à Martino V. miſſus, Concilium habuit Dertuſæ nonis Novembris, anno XXIX. Mox an. XXXI. ſuprà MCCCC. die 17. kalend. Novembr. Cæſarauguſtam tranſlatus eſt. Sedit annos 12. menſem 1. dies 16. à die poſſeſſionis, ut ſuſpicor.

XXV.

GUNDISALVUS DE IXAR Aragonenſis, ſuffectus eſt 18. kalen. Novembr. anno Chriſti MCCCCXXXI. ſed infelici caſu, dum venatur, extra urbem moritur 5. idus Novembr. anno XXXIII. Sedit annos 2. dies 25. Vacat ſedes menſes 8. dies 21.

XXVI.

DOMINICUS RAMUS Aragonenſis, Oſcenſis olim Epiſcopus, cum Petro Tarraconenſi Ferdinandum Regem appellavit, mox Ilerdenſis Antiſtes fuit, & ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, 8. kalen. Septembris, anno MCCCCXXXIV. Gundiſalvo ſuffectus eſt. Romæ Portuenſis Epiſcopus moritur 6. kalen. Majas, anno MCCCCXLV. Sedit annos 9. menſ. 8. dies 27. quod incertum eſt.

XXVII.

PETRUS URREA Aragonenſis, 8. kal. Julii ejuſdem anni XLV. ſufficitur. Chorum ornavit ſedibus. Joannis Regis partes in civilibus bellis eſt ſequutus. Obiit 5. idus Septembris, anno MCCCCXXCIX. cùm ſediſſet annos 44. menſ. 1. dies 12. à die poſſeſſionis.

XXVIII.

GUNDISALVUS FERDINANDES HEREDIA Aragonenſis, ex Epiſcopo Barcinonenſi ab Innocentio VIII. translatus idibus Juniis, anno Chriſti MCCCCXC. Romæ præfectus Urbis fuit poſt mortem Alexandri VI. Dies mortis fuit 11. kalend. Decembris, anno MDXI. Sepulchrum Laurentius Epiſcopus Nicopolitanus alumnus fecit.

XXIX.

ALPHONSUS ARAGONIUS, vel DE ARAGON, Alphonſi ducis Villæ-formoſæ filius, Joannis Regis nepos, ex Dertuſenſi Epiſcopo translatus nonis Juliis, anno Chriſti MDXIII. iniit. 8. kal. Septembris mortuus eſt.

XXX.

PETRVS CARDONA Catalanus, ex antiqua & nobili Folcorum familia, olim Epiſcopus Urgel-

gellitanus, 10. Kalendas Aprilis, anno MDXV. iniit. Conſtitutiones fecit in Concilio Barcinonenſi anno XVII. & in Tarraconenſi anno XXIX. Prædiis quibuſdam ſucceſſores auxit. Jacobo Cardonæ Cardinali patruo, & Timbori amitæ ſepulchrum, & ſibi inſigne paravit. Mortuus eſt Alcobarii tertio idus Aprilis MDXXX. ſedit annos 15. menſem 1. dies 8.

XXXI.

Ludovicus Cardona Petri fratris filius, ex Epiſcopo Barcinonenſi urbem ingreſſus eſt 4. idus Maji, anno MDXXXI. mortuus eſt anno XXXII. idibus Novembris.

XXXII.

Hieronymus Auria Genuenſis, diaconus Cardinalis, Helenenſis olim Epiſcopus, abſens iniit pridie nonas Julias, anno MDXXXIII. Conſtitutiones fecit ab anno XLIII. ad LVI. ſub cujus nomine volumen conſtitutionum in certos titulos & libros digeſtum eſt. Mortuus eſſe dicitur Genuæ 8. Kal. Aprilis, anno Chriſti M. D LVIII.

XXXIII.

Ferdinandus Loazes Oriolenſis, hæreticæ pravitatis Inquiſitor Barcinone, mox Helenenſis Epiſcopus, deinde Ilerdenſis, & poſtea Dertuſenſis. Inde translatus, abſens iniit nonis Auguſti, anno M D LX. Patriarcha Antiochenus à Pio V. creatus eſt. Conſtitutiones edidit Barcinone anno LXIV. Valentiam translatus eſt 4. Kal. Majas, anno Chriſti M D LXVII.

XXXIV.

Bartholomæus Sebastianus Aragonenſis, hæreticorum etiam Inquiſitor, & Epiſcopus Pactenſis: poſtquam Decembri menſe iniiſſet, eodem anno LXVII. moritur repentinò 14. Kalendas Maji anno MDLXVIII.

XXXV.

Gaspar Cervantes de Gaete Caſtellanus, ex urbe Truglii, ex Inquiſitore Archiepiſcopus Meſſanenſis, mox Salernitanus, tandem Tarraconenſis, abſens iniit nonis Octobris, anno MDLXVIII. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis à Pio V. creatus 16. Kalendas Junias, anno MDLXX. Civitatem Tarraconenſem Univerſitate, & aliis piis operibus mirum in modum decoravit. Aliquot edidit conſtitutiones anno MDLXXII. Mortuus eſt 16. Kalendas Novembris, anno Chriſti MDLXXV. tota parentem optimum lugente civitate.

Hucuſque Antonius Auguſtinus.

XXXVI.

Antonius Augustinus Cæſarauguſtanus, Juris Pontificii peritiſſimus, ſacri Palatii Apoſtolici auditor, & Epiſcopus Allifanus, mox Ilerdenſis, à Gregorio XIII. translatus eſt 16. Kalendas Januarii, anno Chriſti M D LXXVI. per procuratores iniit 4. Kalendas Martias. Urbem ingreſſus eſt 6. Idus Martias. Cathedralem Eccleſiam inſigni ſacello illuſtravit. Volumen Conſtitutionum ſecundò edendum curavit. Mortuus eſt pridie Kalend. Junias, anno MDXXCVI.

XXXVII.

Joannes Teres Catalanus, ex oppido Cerdù, Theologus, ex canonico Pœnitentiario Eccleſiæ Tarraconenſis, Epiſcopus Marrochitanus, mox Helenenſis, poſtea Dertuſanus; inde tranſlatus à Xyſto V. decimo Kalendas Junias, anno Chriſti MDLXXXVII. per procuratorem iniit. Conſtitutiones nonnullas edidit anno MDLXXXVII. Tarracone in primo Concilio, & in ſecundo, anno MDXCI. in quo ſelectionem antiquarum conſtitutionum faciendam curavit. Volumen hoc tertiò edidit, etiam num divina miſeratione ſuperſtes.

CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM LIBER PRIMUS.

Tit. I. De ſumma Trinitate, & Fide catholica.

PETRUS de Fuxo Cardinalis, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Dertuſæ celebrato ANNO MCDXXIX.

CAPUT I.

Compendium breve rudimentorum Fidei Chriſtianæ fieri præcipitur, & à diœceſanis ac curatis populo explanari. De Fide Catholica diſputare laïcis interdicitur.

SAluti animarum plurimum dignoſcitur opportunum, ut unuſquiſque fidelis cognoſcat & ſciat quid credere debeat, ſcilicet articulos Fidei; quid petere, ſcilicet quæ in oratione Dominica Chriſtus nos docuit poſtulare; quæ ſervare, videlicet decem præcepta legis; quæ vitare, ſcilicet ſeptem peccata mortalia; quid optare, gloriam paradiſi, & ſperare; quid timere, pœnas inferni: quæ à multis popularibus, ut percipimus, ignorantur. Quod Chriſtianæ doctrinæ breve & utile epilogium eſſe cenſetur. Hac igitur conſtitutione diœceſanis omnibus, & aliis Prælatis Eccleſiaſticis ſuper his juriſdictionem Eccleſiaſticam habentibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per viros literatos & providos dictari & ſcribi faciant aliquod breve compendium, in quo prædicta omnia, quantum à populo neceſſe eſt ſciri, diſtinctè comprehendantur & clarè. Quod compendium ſic commodè dividatur in partes, ut per ſex vel ſeptem lectiones poſſit declarari. Quod ſic per totius anni diſcurſum repetitis vicibus per curatos diebus Dominicis populo faciant explanari, ut excuſſis ignorantiæ tenebris, populum acceptabilem Deo valeant exhibere. Interdicimus tamen laïcis omnem materiam de Fide Catholica diſputandi; diœceſanis, aliiſque judicibus ordinariis Eccleſiaſticis ſub inter-

mina-

minatione divini judicii ſtrictiùs injungentes, ut contra laïcos de Fide Catholica diſputare attentantes taliter inſurgant, ut jura communia per cenſuram Eccleſiaſticam tenaciter obſerventur.

Joannes Terès Archiepiſcopus in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Monentur Epiſcopi, ut prædicationi intendant, & idem à parochis ſuæ diœceſis fieri procurent.

QUia prædicatio verbi Dei, quæ proprium & præcipuum Epiſcopi munus eſt, magni eſt in Eccleſia ponderis & momenti; nec ſine evidenti totius populi Chriſtiani incommodo prætermitti poteſt: omnes noſtræ provinciæ Epiſcopos in Domino hortamur, ut ſui officii memores, gregis ſibi commiſſi curam gerant, ac diligenter miniſterium ſuum impleant, & in omnibus, ut præcipit Apoſtolus, ſumma ſolicitudine laborent; præcipuè prędicationi Euangelii intendant, & plebes ſibi commiſſas in Eccleſia verbo Dei paſcant, quòd ſi fuerint legitimè impediti, non alios quàm idoneos aſſumant ad hujuſmodi prędicationis officium ſalubriter exſequendum. Idipſum ut quiſque parochus in ſua Eccleſia, pro ſua & audientium capacitate exſequatur, ſummo ſtudio procurent.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Præcipitur parochis totius provinciæ, ut rudimenta Fidei populum doceant.

UT Fides Catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, fidelium animis inſideat, ea debet eſſe parochi ſolicitudo, ut ſubditos ſuos in his quæ ad fidem pertinent inſtruat; ut iis armati, tela ignea, & inſidias antiquì hoſtis facilè propellere poſſint. Quocirca conſtitutionem provincialem Petri de Fuxo Cardinalis, Legati Apoſtolici, *Saluti animarum*, innovantes & ampliantes, ſtatuimus & ordinamus, ſacro approbante Concilio, ut parochi omnes, per ſe ipſos, aut ſi impediti fuerint, per alios idoneos, ab Ordinario approbatos, omnibus diebus Dominicis & feſtis populum inter Miſſarum ſolennia; & poſt prandium pueros & puellas, alioſque rudes & ignaros Fidei rudimenta linguâ vernaculâ & maternâ doceant. In expoſitione verò rudimentorum Fidei & doctrinæ Chriſtianæ catechiſmo Romano utantur, & aliquo brevi compendio eorum, quæ lingua vulgari & materna circumferuntur. Curabunt etiam parochi, ut populi ſibi commiſſi quanta ſit vis ſacramentorum, quantumque referat ſacræ Euchariſtiæ & Pœnitentiæ ſacramenta ſepiùs frequentari, intelligant. Quòd ſi in præmiſſis negligentes fuerint, graviſſimè puniantur.

Idem in eodem.

CAPUT IV.

Monentur Epiſcopi ne aliâ linguâ quàm materna audientium, ubi aliena non intelligitur, prædicare patiantur.

AD noſtrum pervenit auditum, & nos etiam ſæpè in his, quibus præfuimus Eccleſiis, auribus noſtris audivimus, (quod dolenter ferimus) multos verbi Dei prædicatores, ſui officii immemores, & linguam, ut ait Apoſtolus, conceſſam eſſe nobis ad interpretandum, ac propterea Spiritum ſanctum variis linguis Apoſtolis datum, popularem auram, & quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ideſt audientium utilitatem quærentes, alienâ linguâ eloqui, naturalem & maternam populi, cui concionantur, prætermittentes, quæ ab auditoribus vix, ac ne vix quidem, intelligitur. Quo fit ut miſeri (quod dolendum eſt) jejuni, ac ſine ullo fructu ex concione domum revertantur. Cui morbo ſalutare remedium adhibere cupientes, ſacro approbante Concilio, omnes hujus noſtræ provinciæ Epiſcopos, & alios juriſdictionem ordinariam habentes in Domino hortamur, ut poſtpoſita omni affectione, utilitatis ſolius gregis ſibi à Chriſto commiſſi curam habentes, nullo modo in Eccleſiis ſuę diœceſis, in quibus probabile eſt ſolum idioma maternum & naturale intelligi, alienâ linguâ Euangelium explicari patiantur. Qua in re ſi negligentes fuerint, ſciant ſe coram Deo ſtrictam reddituros eſſe rationem.

Tit. II. De cõſtitutionibus.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Si ad indictum Concilium non convenerint Epiſcopi, iis ab Archiepiſcopo citatis Tarraconem veniendum: unde non liceat eis abſque ejus licentia diſcedere.

ITem quia Epiſcopi ad Provinciale Concilium non veniunt, ut deberent, excuſationes frivolas prætendentes, ex quo diſciplina Eccleſiaſtica enervatur, & ſacri Canones cõtemnuntur; ſtatuimus, ut in poſterum omnes Epiſcopi ſine ullo diffugio ad Provinciale Concilium veniant, prout decet, niſi cauſsâ neceſſariâ & urgentiſſima excuſentur. Et quicumque Epiſcopus contra hanc conſtitutionem duxerit faciẽ-

ciendum, ab Archiepiſcopo evocatus, civitatem adeat Tarraconenſem, ibi tamdiu moraturus, quoad ab Archiepiſcopo recedendi licentiam obtinuerit ſpecialem.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Curati vocati ab Epiſcopo ad Diœceſanam Synodum venire teneantur.

EOdem modo ſtatuimus, ut omnes clerici curam animarum habentes, ad Synodum veniant Cathedralis Eccleſiæ, in cujus diœceſi commorantur; occaſione vel conſuetudine quavis non obſtante. Eandem pœnam, ſi hujus conſtitutionis tranſgreſſores fuerint, in ſuis civitatibus incurrant.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Epiſcopi ad Concilium vocati, Abbates, & alios Prælatos, ut in Concilium etiam veniant cogere jubentur.

ITem cùm aliqui Abbates, Priores, & alii Prælati collegiatarum Eccleſiarum noſtræ provinciæ Tarraconenſis non venerint ad præſens Concilium, licèt per literas noſtras mandatum fuerit venerabilibus fratribus Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, ut prædictis Abbatibus, Prioribus, & Prælatis præciperent, ut ad Concilium præſens venirent, iccircò præcipimus præfatis Epiſcopis in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus de cætero prædictos Abbates, Priores, & Prælatos in ſuis diœceſibus conſtitutos compellant venire ad alia Concilia, quæ per nos vel ſucceſſores noſtros celebranda fuerint Domino annuente. Illos verò, qui ad prædicta Concilia non venerint, juvari nolumus conſtitutionibus, quæ in prædictis Conciliis fuerint celebratæ, niſi, quominus venire poſſint, impedimentis canonicis fuerint impediti; vel juſtas cauſſas oſtenderint, quibus ad dicta Concilia venire minimè teneantur.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus, in Concilio primo Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Synodalia Concilia quotannis celebranda.

AD memoriam reducentes ſtatuta Patrum, in quibus præcipitur, ut ſemel in anno per Epiſcopos Synodalia Concilia celebrentur, & ſuper hoc reperimus aliquos Epiſcopos noſtræ provinciæ negligentes; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſuffraganeis noſtris præcipimus, ut ſingulis annis per ſe, vel per idoneos viros, ſi ex cauſſa neceſſaria fuerint præpediti, dicta Synodalia Concilia habeant celebrare.

Idem in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Epiſcopi legitimè impediti probos & ſapientes viros procuratores mittant, alios ab iis qui à capitulis lecti fuerint, & contrà, Abbates procuratorem ſui Ordinis.

QUia interdum contingit quòd Epiſcopi, qui ad Provincialia Concilia venire perſonaliter ſunt aſtricti, niſi præpeditione canonica fuerint prepediti, illos procuratores conſtituunt, qui ad ipſa Concilia procuratores per eorum capitula mittuntur, Abbates etiam prædictos, vel alios ſeculares clericos procuratores conſtituunt ad prædicta, & ex hoc honos Tarraconenſis Eccleſiæ & Concilii minuitur, & ſalubritas Concilii, quæ in multis conſiſtit potiùs, quàm in paucis, etiam ſubtrahitur circa ea quæ in ipſis Conciliis imminent facienda; iccircò ſub virtute ſanctæ obedientiæ prædictis injungimus, ut cùm ipſi Epiſcopi venire ad ipſa Concilia perſonaliter fuerint legitimè impediti, procuratores conſtituant viros providos & diſcretos, alios ab illis, qui per eorum capitula fuerint conſtituti, & capitula alios ab illis, qui per eorum Epiſcopos. Abbates etiam, in dicto caſu, religioſos ſui Ordinis, vita & honeſtate probatos, qui ſalubre ſciant dare conſilium in agendis, ſi Dei, & noſtram vitare voluerint ultionem. Et qui contrarium fecerint, ad arbitrium Archiepiſcopi de inobedientia puniantur.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

Prælati, qui vocati ad Concilium venire recuſaverint, aut procuratores non miſerint, commodo conſtitutionum provincialium privantur.

QUia parum prodeſſet jura & conſtitutiones condere, niſi conditæ diligentiùs obſerventur, teneantur, & exſecutioni debitæ demandentur; iccircò conſtitutionem editam per bonæ memoriæ dominum Rodericum Archiepiſcopum Eccleſiæ Tarraconenſis approbantes, quæ incipit: *Item cùm aliqui abbates*, eidem conſtitutioni adjicimus, ſacro Concilio approbante, quòd ſi Abbates, Priores, & alii Prælati collegiatarum Eccleſiarum provinciæ Tarraconenſis citati ad Provincialia Concilia non venerint, legitimo impedi-

pedimento ceſſante, vel in illo caſu impedimenti procuratores ſufficientes non miſerint, omni prorſus commodo & auxilio conſtitutionum ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium, tam per prædeceſſores noſtros jam editarum, quàm per nos & ſucceſſores noſtros de cætero edendarum, ipſo facto habeantur extorres, donec perſonaliter Tarraconem venerint, & de contumacia & inobedientia ad noſtri Archiepiſcopi, vel nobis abſentibus, noſtri vicarii, vel officialis arbitrium ſatisfecerint competenter: præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ venerabilibus ſuffraganeis noſtris, & eorum vicariis, & officialibus, ne ad requiſitionem prædictorum, neve ex ſuo officio, vigore dictarum conſtitutionum procedant, ſi præfati, vel eorum aliquis venire, vel, ut præfertur, mittere neglexerit ad Concilia celebranda.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VII.

Pœna ſtatuitur iis qui ad Concilium venire recuſaverint, fabricæ Eccleſiæ Tarraconenſis, & ſumptibus Concilii applicanda.

Quamvis per prædeceſſores noſtros proviſum fuerit & ſtatutum, ut Epiſcopi & Prælati provinciæ Tarraconenſis vocati, venire ad Provinciale Concilium teneantur, ſub certis pœnis in antiquis conſtitutionibus jam contentis; quia tamen eorum aliqui excuſationem frivolam allegantes, in veniendo ſunt deſides ac remiſſi; ſacro approbante Concilio ordinamus, ut quicumque Epiſcopus ad Concilium auctoritate ordinaria evocatus non venerit, niſi talem excuſationem habuerit, quæ adverata, medio juramento per procuratorem per eum miſſum, & ad hoc legitimè conſtitutum, per Concilium legitima fuerit reputata, ultra alia ſtatuta contra tales, quæ volumus in ſuo robore permanere, pœnam centum florenorum incurrat: quorum quinquaginta fabricæ Tarraconenſis Eccleſiæ, alii verò quinquaginta communibus expenſis Concilii irremiſibiliter applicentur. Inferiores verò Prælati, qui in talibus fuerint remiſſi, & capitula, in pœnam incidant quinquaginta, qui in duas partes diviſi modo ſimili applicentur.

Idem in Concilio ſecundo Tarracone celebrato.

CAPUT VIII.

Nullus ut procurator alterius in Concilio admittatur, niſi fuerit in ordine ſacro conſtitutus, aut religionem profeſſus.

Cum nullus in Eccleſiis Cathedralibus vel collegiatis, ſecularibus vel regularibus, vocem habeat in capitulo, etiam ſi hoc ab aliis liberè concedatur, niſi ſaltem in ſubdiaconatûs ordine fuerit conſtitutus, de conſenſu ſacri Concilii duximus ſtatuendum, ut nullus de cætero admittatur ad Provinciale Cõcilium, ut procurator capituli vel alterius perſonæ, qui in dicto Concilio habeat intereſſe, niſi in ſacris ordinibus conſtitutus, vel ordinem regularem fuerit expreſsè profeſſus.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT IX.

Nullus in ſacro Concilio Provinciali admittatur, quin fuerit aut in ſacris conſtitutus, aut Religionem profeſſus.

Eccleſiaſticæ dignitatis decori non convenit, ut qui ſemel ſacro Provinciali Concilio ſubſcripſerint, iterum ad ſæculum redeuntes laïcam vitam ſequantur. Quamobrem conſtitutionem Enneci prædeceſſoris noſtri: *Cùm nullus*, ſacro approbante Concilio, innovantes & ampliantes, ſtatuimus & ordinamus, ut de cætero nullus, ſive titularis, aut commendatarius, ſive alterius procurator ad ſacrum Provinciale Concilium admittatur, niſi fuerit in ordine ſacro conſtitutus, aut aliquam Religionem profeſſus.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT X.

Quales procuratores mittendi ſint ab Epiſcopis, quando fuerint legitimè impediti.

Antiquam conſtitutionem declarando hac nova conſtitutione ſancimus, ut nullus Epiſcopus noſtræ provinciæ de cætero, cùm ad hoc ſacrum Concilium convocatus fuerit, & legitimum impedimentum habuerit, propter quod venire perſonaliter nequiverit, nullos alios conſtituat procuratores, præterquam officiales, ſeu vicarios generales ſuos, aut aliquem ex canonicis ſuæ Eccleſiæ, vel in eadem, ſeu diœceſi ſua dignitatem habentes, ſeu doctores in utroque, ſeu altero jurium, aut in ſacra Theologia magiſtrum, qui ad minus unum Beneficium in illa diœceſi obtineat: Quodque nullum ex capitulis Eccleſiarum noſtræ provinciæ, ſyndicum, ſeu procuratorem conſtituere poſſit, niſi unum ex canonicis illius capituli, qui de corpore & collegio eorum exiſtat, cùm quiſque melius ſcire poſſit quæ in ſuis capitulis contingere dignoſcuntur. In cæteris verò conſtitutionem prædictam illæſam remanere volumus.

Idem in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XI.

Sede vacante, capitulum canonicum ad Concilium mittat, qui nomine ſedis vacantis Concilio interſit: cui æqua merces decernenda.

FElicis recordationis Joannes Patriarcha Alexandrinus,& Archiepiſcopatûs Tarraconenſis adminiſtrator perpetuus,ſapienter admodùm & ſalubriter ſtatuit,decreto Concilii illius, quòd is ſecundum celebravit, cujus quidem initium eſt: *Quia interdum*, ut cùm ab Epiſcopis ſuffraganeis noſtris procuratores mitti ad Provinciale Concilium res cogeret, alii ab iis, qui pro capituli negotiis miſſi eſſent, legerentur; ne quid Concilio Tarraconenſis Eccleſiæ detraheretur auctoritatis, neve ejus quippiam amitteretur in deliberando prudentiæ, quam veriſimile eſt multorum potiùs, quàm paucorum ſententiis contineri. Ac ne minus quidem ſalubriter decrevit Petrus Archiepiſcopus in conſtitutione, cujus initium eſt: *Inſuper*, ut canonicis tum Cathedralium Eccleſiarum, tum etiam collegiatarum, ad Concilium Provinciale miſſis, regiaſve curias ad Epiſcoporum aut capitulorum negotia gerenda ire juſſis, quo tempore iis diſtricti eſſent, non minus integræ portiones canonicæ darentur, quàm ſi in ſuis Eccleſiis cultui divino intereſſent. Sapiens videlicet utriuſque decretum, & quod ad retinendam ſacri Concilii Tarraconenſis auctoritatem pertinere videatur; ſed in quo non ſatis diſertè iis cautum fuerit, qui ſede vacante pro Epiſcopis ad Concilia Provincialia, aut regias curias mittuntur: quippe cùm plerique eorum ſua fraudati mercede adhuc fuerint. His igitur rebus adducti, & aliis nonnullis communi Eccleſiæ & clericorum utilitati congruentibus; ſtatuimus, ut quoties vacare ſedem contigerit, quempiam de canonicis capitulum illius deſignare teneatur, qui ſedis vacantis nomine Provincialibus Conciliis, regiiſve curiis, cæteriſque hujuſmodi congregationibus interſit: ei autem qui miſſus fuerit, vel ex hoc tempore de fructibus & redditibus Archiepiſcopatûs, ac etiam menſæ Epiſcopalis, mercedis tantundem decernimus, quantum iis conſtitui ſolet, qui gerendis capitulorum negotiis ad Provincialia Concilia, alioſve conventus mittuntur.

Idem in Concilio quinto Tarracone celebrato.

CAPUT XII.

Declaratur, tranſgreſſores conſtitutionum Provincialium non obligari ad culpam mortalem, ultra pœnam in eis contentam, niſi in caſibus hîc expreſſis.

NE permultos peccati laqueis irretiamus, declaramus, eos qui contra has conſtitutiones peccaverint, pœnæ tantùm in eis conſtitutæ, non etiam peccato mortali obnoxios eſſe: niſi ſi vel eas contemptu violârint, vel peccandi conſuetudine irritas fecerint; vel certè admiſſa crimina adeò gravia exſtiterint, ut in peccatis mortalibus vel divina lex, vel ſacroſanctæ Romanę Eccleſiæ decreta habenda cenſuerint. Quibus verò delictis nulla certa pœna conſtituitur, ea judicis arbitrio plectenda ſunt: permittimuſque Prelatis,ut ubicumque excommunicationis pœna infligitur, eam, ſi viſum fuerit, in aliam quampiam commutent. Malumus enim in iis, quorum noſtra eſt animadverſio, paullò remiſſiores videri,quàm dum legum ſeveritatę delicta vindicare ſtudemus, maximam animarum multitudinem æternæ damnationis periculo objicere, Deum imitati, qui *non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*.

Tit. III. De conſuetudine.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Neque prandia, neque aliud quicquam exigendum ab his, qui decimas ferunt.

SCriptura ſacra,Patrumque decreta ſanxerunt, à cunctis fidelibus Deo & ejus miniſtris decimas integrè & liberè eſſe perſolvendas. Habet tamen quorundam abuſus, quorũ Deus venter eſt, ut quum decimas ad granarium Eccleſię deferunt, ſicut debent, comeſtiones, ſeu prandia exigant hac de cauſſa: & quod ſemel, ſeu una die poſſent ad granarium Eccleſiæ apportare, per multas vices, multoſque dies decimas minutatim deferant; ut ſingulis vicibus reficiantur à rectoribus & cibentur. Cumque hoc in detrimentum & deminutionem jurium decimalium non ſit dubium redundare;ideo nos Rodericus, permiſſione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſię Archiepiſcopus, approbante ſacro Concilio, hoc fieri prohibemus, conſuetudine quavis contraria non obſtan-

ſtante. Si quis verò contra prohibitionem noſtram hujuſmodi comeſtiones & prandia ex hac cauſſa exegerit, ſeu propter hoc partem decimæ ſubtraxerit & retinuerit, vel retineri fecerit; & monitus per rectorem, infra decem dies non ſatisfecerit, auctoritate præſentis conſtitutionis excommunicationis pœnâ compellatur.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Præcipitur, ut præter librum qui vulgò Conſueta *dicitur, alius quo officiorum, juxta uſum cujuſque Eccleſiæ, continetur deſcriptio, in choro catenâ alligatus habeatur.*

QUIA per cęremonias, quas per anni circulum ad Dei laudem, & cultus divini augmentum in Eccleſiis Cathedralibus, collegiatis, & aliis, ubi eſt ultra numerum duodecim officiantium, obſervare debent Eccleſiaſticę perſonæ, cùm in ſcriptis non appareant, quę quiſque in qualibet Eccleſia facere teneatur, officii divini turbatio, & frequenter ſcandala oriuntur; præcipimus, in qualibet dictarum Eccleſiarum infra biennium fieri unum librum, qui ſtet in choro Eccleſiæ cum catena, ubi omnia pertinentia ad divinum officium, ſecundùm uſum Eccleſiæ, infra annum, & quis illa facere debeat, exactè conſcribatur.

Tit. IV. De electione.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Forma faciendi proceſſus & inquiſitiones ſuper promovendis ad regimina Eccleſiarum Cathedralium, ſeu monaſteriorum, atque cæteras dignitates, de quibus in conſiſtorio providetur, ex decreto felicis recordationis Gregorii Papæ XIV.

STatuit ſancta Tridentina Synodus eam formam examinis, inquiſitionis, aut inſtructionis in Concilio Provinciali faciendam de qualitatibus eorum, qui ad Cathedrales Eccleſias promovendi ſunt, in unaquaque provincia præſcribendam eſſe, quæ magis opportuna & utilis eſſe videatur. Cùm verò hanc formam Gregorius Papa XIV. felicis recordationis ſua conſtitutione præſcripſerit; & ad examen etiam eorum, qui ad monaſteria & alias dignitates, de quibus in conſiſtorio providetur, extenderit; eam hoc loco inſeri jubemus, & in tota noſtra provincia, ſacro approbante Concilio, obſervari præcipimus.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

ONUS Apoſtolicæ ſervitutis, ad quod nuper nos dignatio divina provexit, aſſiduè admonet, in eam potiſſimùm curam nobis eſſe paſtorali ſolicitudine incumbendum, ut quæ à ſacris Oecumeniciſque Conciliis pro communi totius Chriſtiani populi ſalute piè prudenterque ſtatuta ſunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentiâ deſerantur; ea præſertim, quę ad bonos idoneoſque Paſtores Cathedralibus, ac ſuperioribus Eccleſiis gubernandis præficiendos pertinent. Nam ſi in quibuſvis Eccleſiæ gradibus & miniſtris curandum eſt tales eligi, qui religione & ſanctitate fideles ædificent, multò certè magis elaborandum eſt, ne in ejus electione erretur, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, cui tamquam ſervo fideli & prudenti totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei obſervantiam aliorum forma eſſe debet; cùm certum ſit gregis ſalutem magnopere pendere ex boni paſtoris præſtanti vita & doctrina. Sanè venerabiles Patres, qui ex toto terrarum orbe ad ſacrum Generale Tridentinum Concilium à ſummis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris evocati magnâ frequentiâ convenerunt, cùm aliis rebus multis præclarum ſtudium ad corrigendos depravatos mores, & collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam oſtenderunt, tum in eo potiſſimùm inſigni zelo magnaque cum laude laborârunt, ut ratione invenirent, qua viri doctrina, pietate, prudentiaque excellentes, & in Eccleſiaſticis functionibus diu multumque verſati, Eccleſiis Cathedralibus præficerentur. Nos igitur qui cùm in minoribus conſtituti, Cremonenſem Eccleſiam regeremus, in eodem Concilio cum ſanctis & egregiis illis Patribus interfuimus, & Concilio abſoluto, ad Eccleſiam noſtram reverſi, magno ſemper deſiderio flagravimus, ut tam ſalubria Generalis Concilii decreta exſecutioni debitę mandarentur, atque ut id fieret pro virili parte curavimus: multò nunc magis, quum diſponente Domino, omnium Eccleſiarum cura & ſolicitudo nos premit, ſummo deſiderio tenemur, ut paſtores ii præficiantur Eccleſiis, qui opus ſuum & miniſterium impleant & de ovium ſalute nos in Domino lætificent. Illud autem in hoc ſaluberrimo, & perneceſſario negotio, quod eſt de Epiſcopis eligendis & præficiendis, videtur eſſe præcipuum, ut inſtructio, examen, & inquiſitio de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promovendorum tam accuratè, fideliter, ac ſeriò inſtituatur, ut omnis fallaciæ fuco ſemoto, certò confidere valeamus, tales à nobis Chriſti gregi paſcendo eſſe præpoſitos, quales tantum onus, angelicis videlicet

hu-

humeris formidandum, exigit, & quales ille expetit, qui pro iiſdem ovibus redimendis propriæ vitæ ac ſanguini non pepercit. Et quidem in hac parte providentia dicti Concilii Tridentini minimè defuit, cùm ſtatuerit ac mandaverit, ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda præſcriberetur quibuſque locis & provinciis, propria examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis faciendæ forma Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eiſdem locis utilis atque opportuna eſſe videretur. Verùm neque id hactenus, niſi à paucisſimis, factum eſt, neque ſpes eſt, niſi longiſſimo temporis ſpatio, ut ab omnibus fiat, atque interim, dum certa examinis ſive inquiſitionis ratio à Provincialibus Conciliis exſpectatur, perit uber ille fructus, qui ex tam utilibus Concilii Generalis decretis ſperari poſſe videbatur; & experientia ipſa docuit per tot annos à publicatione Concilii prædicti elapſos, quid in unaquaque provincia opus ſit, quidve poſſit fieri. Habita igitur cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum unanimi conſilio & aſſenſu, præſenti noſtra perpetuò valitura conſtitutione decernimus, ut quum extra Romanam curiam examen, inſtructio, ſive inquiſitio facienda erit, nemo omnino, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionisve fuerit, inquiſitionem prædictam ſibi arrogare præſumat, ſed integrum hoc negotium iis, qui à prædicto Tridentino Concilio deſignantur, Apoſtolicæ videlicet ſedis Legatis, ſeu Nunciis provinciarum, aut ejus, de quo inquiſitio fit, Ordinario, eoque deficiente, Ordinariis vicinioribus relinquatur, niſi juſtis de cauſſis nobis, aut pro tempore exiſtenti Romano Pontifici, per ſpeciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum eſſe viſum fuerit. Quod ſi fortè aliquis prædictorum conſanguinitate, aut affinitate uſque ad tertium gradum inclusivè promovendum contingeret, ut omnis ſuſpicio carnalis affectûs à tam ſancto negotio repellatur, ille quidem eo caſu cenſeatur excluſus, atque ad eum, qui proximè ſequitur, hoc eſt ſi Legatus excludendus erit, ad Nuncium, ſi Nuncius, ad Ordinarium, ſi Ordinarius, ad viciniorem Ordinarium, inquiſitionis officium deferatur. In curia verò hęc functio ſpectet, vel ad eos Cardinales, qui à nobis, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice deligentur, vel ad Cardinales earum provinciarum, ſeu regnorum apud nos, & ſedem Apoſtolicam protectores, in quibus Eccleſiæ ipſæ conſiſtunt, ſi tamen ad ipſos hujuſmodi vacantium Eccleſiarum relatio pertinebit. Quòd ſi de Epiſcopo vel Metropolitano extra Romanam curiam degente, ab una Eccleſia ad aliam ex aliqua gravi & juſta cauſſa transferendo agetur, hoc munus deficientibus Legato, vel Nuncio Apoſtolico ejus provinciæ, aut regni ubi Eccleſia ipſa, à qua tranſfertur ſita erit, ad Metropolitanum, ſi Epiſcopus; ad ſuffraganeum verò antiquiorem reſidentem, ſi Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus. Deinde, quia ſacrum Tridentinum Concilium, non ſine magna ratione, eminentes perſonas, & quæ negotii magnitudinem probè intelligerent, ad hoc officium nominavit; declaramus & ſtatuimus, tam Legatos, ſive Nuncios, quàm Ordinarios, vel alios ab hac ſancta ſede fortè delegandos, non per auditores, aut vicarios, alioſve miniſtros, ſed per ſe ipſos inquirendi munus exercere debere, quamvis ab hujuſmodi perſonis aliiſque viris peritis adjuvari poſſint. Et ſi Prælatus inquirens per ſe non poſſet ob locorum diſtantiam teſtes examinare circa articulum aliquem, ut legitimos natales, vel ætatem, aut aliquid ejuſmodi; licebit ei articulum illum alteri perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę ſubdelegare, non autem univerſam inquiſitionem. Quod ſi fortè contingat, aliquem ſupradictorum legitimè impediri, ut per ſe hoc munus preſtare non poſſit, ad alios ea cura transfertur, qui ſunt ab eodem Concilio Tridentino ad hoc officium deſignati, ut ſuprà dictum eſt, de iis qui ob conſanguinitatem vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad hæc, ut mens ejuſdem ſacri Concilii rectè ac fideliter debitę exſecutioni mandetur, & tale ſit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac ſtatuimus, non eſſe in vita ac doctrinâ promovendi inveſtiganda, eam rationem adhibendam, ut ab ipſo promovendo articuli offerantur ac teſtes producantur; ſed oportere, ut Prelatus, qui munus inquirendi ſuſcepit, articulos conſcribat, atque ipſe ex officio ſuo illos teſtes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis ſincerum ac fidele teſtimonium daturos eſſe exiſtimet. Verùm ut inquiſitio predicta faciliùs ac plenius perfici atque expediri queat, utile erit, ſi Prælatus, qui inquiſitionem facturus eſt, vel à promovendo, vel ab alio aliquò confici curet ſchedulam, in qua ſint ordine deſcripta, nomen promovendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, profeſſio, functio, ſi quam is fortè exercuit, loca in quibus, aut Theologiæ, vel Juri canonico operam dederit, aut longo tempore verſatus fuerit, denique amici, ac familiares, qui tam ipſum, quàm parentes ejus intimè nôrint. Quòd ſi promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipſius ætas, gradus, dignitas, ſacri ordines, functio, officia, muneraque, aut aliquid ejuſmodi comprobetur, admittendum, ac proceſſui inſerendum erit, modò documentum publicum ſeu authenticum fuerit. Illud quoque prohibendum cenſuimus, ac expreſsè prohibemus, ne ad teſtimonium dicendum de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam Eccleſiam, quilibet homines admittantur; ſed viri tantùm graves, pii, prudentes, docti, qui de qualitatibus promovendorum rectum judicium ferre valeant, ac ut ſuprà diximus, ſincerum ac fidele teſtimonium dare velint. Proinde tam cognati, ac nimium familiares, quàm inimici atque æmuli, excludendi erunt. Porrò teſtes ejuſmodi, Prælatus qui examen ſeu inquiſitionem habiturus erit, ſeorſum ac ſigillatim examinabit,

bit,& ſi quando judicaverit expedire,eis ad memoriam reducet, tum juramenti vim, tum perjurii gravitatem: eoſdem etiam ſeriò & graviter admonebit,ipſos reos futuros apud omnipotentem Deum eorum omnium, quorum vel committendo vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, ſi vel falſa narrando, vel reticendo vera, in cauſſa erunt, ut homines indigni,vel minus idonei ejuſmodi Eccleſiis præficiantur. Diligenter etiam teſtium qualitates cognoſcere ſtudebit, ac potiſſimùm quàm ſint ad promovendos affecti, ut inde conjiciat utrum ex affectu, an ex veritate teſtimonium dicant. Denique quum teſtes de qualitatibus promovendi interrogabit, dabit operam,ut quoad ejus fieri poterit, omnia & ſingula, quæ ad prædictam inquiſitionem facere videbuntur, per ipſos exprimantur. Quamvis autem qualitates omnes promovendorum, quæ in Generalium Synodorum decretis, aliiſque canonicis ſanctionibus continentur,probè cognitæ eſſe debeant,iis quibus inquiſitionis officium demandatum eſt, quales ſunt,natũ eſſe ex legitimo matrimonio, atque ex parentibus Catholicis, annum triceſimum jam expleviſſe, ſacris ordinibus, ſaltem ante ſex menſes, initiatum eſſe, gradum doctoratûs, aut licentiæ in Theologia, vel Jure canonico, aut certè publicum alicujus Academiæ teſtimonium obtinuiſſe, quo ad alios docendos idoneus eſſe declaretur; ad hæc in Eccleſiaſticis functionibus diu eſſe verſatũ: item fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, uſu rerum, integra fama, doctrina denique prędítum eſſe. Tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi ſolent,& ſæpè contingit,ut nonnulli ſcientiâ vacui, de ſolo doctoris titulo aut privilegio glorientur, volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel doctoratûs, aut licentiæ titulis & privilegiis gaudent, vel etiam à publicis Academiis teſtimonium habuerunt, quòd idonei eſſent ad alios docendos; niſi fortè aliquorum inſignis doctrina ex publica ipſorum functione notoria eſſet. Ita verò inquiſitio facienda erit,ut quibus in locis,quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel Juri canonico promovendus operam dederit cognoſcatur. Et quoniam in quibuſdam provinciis nulla ſunt ſtudia generalia, neque ullæ publicę ſcholæ, neque uſus habet, ut qui ſtudiis operam navant, ullis doctoratûs aut licentiæ inſignibus decorentur; declaramus in ejuſmodi locis ſufficere, ſi teſtimonio virorum gravium, & ſacræ Theologiæ, vel Juris canonici peritorum conſtet, promovendos, eâ ſcientiâ Theologiæ vel Canonum verè pollere, ut idonei ſint ad ea docenda, quæ populum Chriſtianum ſcire oportet, ac muneris ſibi injungendi neceſſitati valeant ſatisfacere. Teſtes prętęrea deponant ſe de ſcientia promovendorum certos redditos eſſe ex eo, quòd prædictos promovendos ſpecimen ſuæ doctrinæ publicè vel privatim dediſſe cognoverint. Quod autem ad regulares pertinet, cùm ad Eccleſias Cathedrales promovendi fuerint; ne fraus ulla ſubrepere poſſit, in eo quod idem Tridentinum Concilium ſtatuit, ut regulares à ſuis ſuperioribus ſufficientis doctrinæ teſtimonium habeant: declaramus nomine Superiorum eos dumtaxat intelligendos eſſe,qui nullum ſui Ordinis Superiorem agnoſcunt, ſive ii cujuſvis Ordinis abbates, magiſtri, aut miniſtri, aut prępoſiti generales, aut quarumlibet congregationum præſidentes, ſive definitores, aut viſitatores capitulum generale repręſentantes, ſive alii quocumque vocabulo nominentur, & in eorum abſentia ipſorum vicarii, ſeu commiſſarii generales, vel in Romana curia procuratores ordinum aut congregationum generales in hac parte ſuccedant. Et nihilominus præter ſuperiorum teſtimonium,qui fidem facient ejuſmodi regulares ad alios docendos idoneos eſſe, volumus ea ſervari quæ de iis diximus, qui publicum ſuæ doctrinæ ab aliqua Academia teſtimonium habent;ut videlicet ſeriò inquiratur,an regulares ad Cathedrales Eccleſias promovendi eos progreſſus in ſtudiis fecerint, qui in futuro Antiſtite requiruntur. Poſt inquiſitionem verò de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promovendi,necnõ informationem de ſtatu Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis rebus, quæ pariter coram ſuperiùs expreſſis Prælatis,juxta ejuſdem Concilii decreta, fieri debet, profeſſio fidei Catholicæ à promovendo facienda erit, quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam eſſe declaramus, ad quem inquiſitio pertinebit; niſi fortè qui profeſſionem emiſſurus eſt, à Prælato inquirente longè diſſet:tunc enim is Prælatus ex ſubdelegatione inquirentis profeſſionem admittere debebit, cui promovendus vicinior erit: quod idem intelligatur de informatione de ſtatu Eccleſiæ accipienda; ſi quando contingeret, ut in alia provincia ſive regno eſſet Eccleſia, in alio promovendus. Recipiet autem Prælatus profeſſionem promovendi præſente notario publico ac teſtibus, atque eam à ſe admiſſam ac receptam propriæ manus ſubſcriptione teſtabitur. Is quoque, qui profeſſionem ejuſmodi fecerit, in eo loco ubi proprium nomen profitentis exprimi ſolet, nomen ſuum manu propria adſcribet. Denique his peractis, notarius publico inſtrumento fidem faciet de profeſſione prædicta, adhibitis teſtibus, ut præfertur. Ubi verò totum examen ſeu inquiſitio de perſona promovenda perfecta fuerit,ea in inſtrumentum publicum redacta, cum toto teſtimonio ac profeſſione fidei emiſſa ad hanc ſanctam Sedem, ut Concilium ſtatuit, quamprimum clauſa & obſignata in forma authentica tranſmittenda erit. In qua re obſervari volumus, ut profeſſio Fidei iiſdem omnino verdis deſcripta ſit, quæ in ea forma continentur, quam felicis recordationis Pius Papa IV. prædeceſſor noſter ſtatuit obſervandam, & ut Prælatus qui inſtructionem, examen, & inquiſitionem fecit, vel per literas ſeparatas, ſimul tamen cum proceſſu mittendas, vel per ſubſcriptionem dicti proceſſus ſignificet, quanta fides teſtibus examinatis, eorumque dictis, & ſcripturis productis ſuo judicio habẽda ſit: ſimul etiam quid de promovendo ipſe ſentiat.

tiat. Proceſſus autem ſic formati, & ad curiam tranſmiſſi, à Cardinale, cui proponendi munus incumbet, & à tribus prioribus ordinum Cardinalibus, ut moris eſt, juxta formam Concilii prædicti, ſubſcribentur & expedientur. Volumus autem, ut Cardinalis relator moneat promovendum, ſi præſens in curia fuerit, ut juxta Concilium Lateranenſe noviſſimè celebratum, omnes Cardinales, ſive majorem partem collegii adeat, antequam Eccleſiam proponat; ut quæ à referente collega ſint audituri, oculata fide, quantum ad perſonã promovendi attinet, cognoſcere poſſint. Hæc porrò omnia, quæ de promovendis ad Eccleſias Cathedrales dicta ſunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione ſervanda eſſe declaramus & decernimus, qui nominati, præſentati, aut electi fuerint, ad dignitates abbatiales, ac prioratus, ſeu præpoſitatus, monaſteriorum regimina, aut alias regularium cujuſvis Ordinis, aut etiam ſæcularium præfecturas, de quibus conſiſtorialiter provideri contigerit, atque eos præſertim, quibus præter curam & regimen monachorum, aut canonicorum, clericorumque regularium, vel ſæcularium, annexa eſt in populum juriſdictio ſpiritualis vel temporalis, excepta tamen ætate, circa quam nihil innovamus. Quò verò ad doctrinam, cùm Generalia Concilia non ſtatuant, ut perſonæ promovendæ ad regulares dignitates, doctoratus, ſive licentiæ gradum ſuſcipere, vel publicum teſtimonium ab Academia aliqua habere teneantur; & tamen æquum ſit, ut eâ doctrinâ polleant, qua onus ſibi imponendum ſuſtinere valeant, declaramus & ſtatuimus, ut Prælati, qui inquirendi munus ſuſcepturi ſunt, ſtudioſè ac diligenter inquirant ſuper doctrina ejuſmodi perſonarum, juxta modum & formam ſuperiùs præſcriptam, ut nos, & pro tempore futuri Romani Pontifices, habita de illis vera informatione per proceſſum, qui ab inquirente tranſmittetur, certò ſtatuere ac judicare poſſimus, an perſona promovenda verè ſit talis, qualem dignitas illa ad quam provehenda eſt, exigit & requirit. Hortamur verò in viſceribus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac ſancta ſede nominandi, præſentandi, vel etiam eligendi futuros Epiſcopos vel Abbates jus habent, ut ſeriò apud ſe cogitent quanti ſit hoc negotium, ex quo ſalus animarum, tranquillitas reipublicæ, incolumitas religionis, propagatio fidei, aliaque permulta & maxima bona dependent. Illud etiam ſæpè & ſæpiùs ad mentem revocent, quod ſancta Tridentina Synodus admonet, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem utilius poſſe facere, quàm ſi bonos paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus; ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. De nominandis verò, præſentandis, vel eligendis ad regulares dignitates, præter ea quæ ſuperiùs obſervanda eſſe declaravimus, illud quoque paternis his noſtris hortationibus & monitionibus adjiciendum cenſuimus, ut nominationis, præſentationis, vel electionis jus habentes eos deligere ſtudeant, atque omnino conentur, qui non modò eundem ordinem ſint antè profeſſi; ſed in eodem etiam ſatis diu laudabiliter verſati. Neque enim decet ut magiſtri aliorum eſſe incipiant, qui non fuerint antè diſcipuli, & ſubditis imperare præſumant, qui priùs non didiſcerint Superioribus obedire. Eos denique, qui vel examinando & inquirendo, vel teſtimonium ferendo, operam ſuam in hac re præſtabunt, ſeriò admonemus, ut ea fide ac diligentia in negotio tanti momenti verſentur, ut à Deo, & à nobis laudem pro bono opere exſpectare valeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis, voluntatis, declarationis, decreti, ſtatuti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignatione omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, in Monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. idibus Maji, Pontificatûs noſtri anno primo.

Tit. V. De auctoritate & uſu pallii.

INNOCENTIUS PAPA IV.

CAPUT I.

Conceditur facultas Archiepiſcopo Tarraconenſi, ut per totam ſuam provinciam poſſit ante ſe crucem facere deferri.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Tarraconenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm pro Chriſto legatione fungaris, natus pro patribus inter alios filios gratiæ, filius adoptivus, ac divinorum miniſteriorum diſpenſator fidelis, ut illius ſigilli ſigneris ſignaculo, qui te diſpenſatorem, ex injuncta tibi officii cura, conſtituit verbi ſui, & per ſigillum appenſum & ſuſpenſum legatio pateat manifeſta; quæ ſic Crucifixi nuncium probet exterius ad decorem, ut intus ipſius tibi memoriam imprimens ad timorem, ad portanda Crucifixi ſtigmata in tuo corpore te inducat; ut dum judicatum ſubſequeris, ab auditione mala, quam proferet contra malos, judicantem non timeas, tuæ fraternitatis meritis meritò provocati, ut Eccleſia tua in te recipiat munus gratiæ amplioris; & fructus palmæ tibi aſcendenti in palmam, fiat gutturi tuo dulcis, externo decore internum multipliciter ampliante; quod per totam Tarraconenſem provinciam Metropolitico tibi jure ſubjectam, liceat tibi tuiſque ſucceſſo-

ſoribus in perpetuum, vivificæ crucis vexillum facere anteferri, auctoritate vobis preſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Lugduni 15. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Valentiæ celebrato.

CAPUT II.

Prohibetur Archiepiſcopus Toletanus crucem jubere ſibi præferri, palliove uti, aut indulgentias concedere in provincia Tarraconenſi.

ITem ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd ſi Toletanus Archiepiſcopus per Tarraconenſem provinciam tranſitum faciens, crucem ante ſe portare fecerit, vel pallio uſus fuerit, vel indulgentias dederit in noſtra provincia; quę, ſicut dicitur, fuerunt per eundem temerè alicubi attentata, loca, ad quę ipſe taliter venerit, & in quibus prædicta attentaverit, quamdiu ibidem fuerit, ceſſent penitùs à divinis. Et ne ejus præſumptio remaneat impunita, ſi ſupradicta in provincia noſtra de cætero commiſerit, auctoritate noſtra, & ſacri Concilii ipſum ex nunc quaſi ex tunc excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere. Et ſi aliquis literis indulgentię Archiepiſcopi Toletani in noſtra provincia uſus fuerit, tamquam falſarius puniatur.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Pœna ſtatuitur Ordinariis provinciæ Tarraconenſis, qui non vetuerint, quominus Archiepiſcopus Toletanus, quiſpiamve alius crucem ſibi præferri jubeat, palliove utatur, aut indulgentias concedat intra provinciam.

ITem ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd ſi Toletanus Archiepiſcopus, vel quicumque alius Archiepiſcopus, per Tarraconenſem provinciam tranſitum faciens crucem ante ſe portari fecerit, vel pallio uſus fuerit, vel indulgentias dederit; quæ, ſicut dicitur, fuerunt per aliquos temerè attentata; ſi diœceſanus, in cujus diœceſi talia committentur, non ſe oppoſuerit, & hæc non inhibuerit, ut melius poterit, ſit ab ingreſſu Eccleſię eo ipſo ſuſpenſus. Et ſi aliquis literis indulgentiæ aliquorum Archiepiſcoporum in noſtra provincia uſus fuerit, tamquam falſarius puniatur.

Tit. VI. De renunciatione.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Quo pacto reſignationes Beneficiorum fieri debeant, & quatenus ab Ordinariis ſint admittendæ, ex decreto felicis recordationis Gregorii Papæ XIII.

QUoniam occultę & ſimulatæ Beneficiorum reſignationes multa incommoda & vitium ſimonię ſæpè ſecum afferre ſolent; felicis recordationis Gregorius Papa XIII. ſequentem edidit conſtitutionem; quam, ſacro approbante Concilio, ut omnibus hujus noſtrę provinciæ Ordinariis nota ſit, & quo pacto reſignationes Beneficiorum ab illis admittendæ ſint, innoteſcat; hoc loco inſerendam eſſe ſtatuimus & ordinavimus.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

HUMANO vix judicio ita bene quicquam & providenter ſanciri poteſt, quin uſus ſæpè aperiat doceatque id quod ſalubre fore credebatur, minus experiundo prodeſſe: quod in illis conſtitutionibus, quas ad prohibendas ſimulatas occultaſve Beneficiorum Eccleſiaſticorum reſignationes diverſi Romani Pontifices multifariam ediderunt, & felicis recordationis Pius Papa V. prædeceſſor noſter noviſſimè promulgavit, cognoſcimus accidiſſe. Nos hoc malum, prout occaſio neceſſitaſque poſtulat, coërcere volentes, ſtatuimus, ut poſthac omnes & quæcumque reſignationes, etiam cauſsâ permutationis, ac Commendarum, & etiam literis Apoſtolicis non confectis, & poſſeſſione non habita, necnon litis, & jurium quorumcumque ceſſiones ac retroceſſiones, quæ deinceps de quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis in noſtris, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manibus, ac etiam coram notario publico & teſtibus fient, & à nobis, vel illo, ſeu noſtro, vel illius mandato admittentur, & ſuper eis proviſiones & quæcumque aliæ diſpoſitiones, ſive temporales, ſive perpetuę, aut ad hoc mandata Apoſtolica ſub quacumque forma, & quibuſcumque etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ

Cardinalibus, ac piis locis, quocumque privilegio ſuffultis, fact., publicari debeant cum literis Apoſtolicis deſuper confectis intra ſex menſes, ſi Beneficium circa montes fuerit, ultra verò intra novem à data conceſſionis gratiæ, non autem à die præſtiti ſuper ea conſenſus numerandos, etiam ſi poſtea conceſſio gratię hujuſmodi ex quavis cauſſa, diverſiſque ſubſequentibus datis, ac quotieſcumque, & quovis modo reformata & valida reddita fuerit, plureſque, & quotquot in alium, vel alios ceſſiones, ac etiam in ipſummet primum reſignantem vel cedentem retroceſſiones termino prædicto nondum elapſo interceſſerint; itaut unicus dumtaxat terminus omnibus his ſucceſſivis ceſſionibus, ac retroceſſionibus decurrat; ut qui poſtremus gratiam habuerit, publicationem hujuſmodi facere, cæteraque omnia hîc præſcripta intra eundem terminum præſtare teneatur. Ipſa autem publicatio in Cathedrali, & in Beneficii Eccleſia, vel Eccleſiis, ſi in pluribus illud ſit, fiat ubique dum frequens populus ad Miſſarum ſolennia convenerit: palam omnibus literæ Apoſtolicæ prædictę, earumve tranſumptum authenticum exhibeatur, claraque & intelligibili voce reſignatio, ſeu ceſſio hujuſmodi, ac Beneficii qualitas, & invocatio, nominaque, & cognomina reſignantis, ſeu cedentis, ac illius, in cujus favorem gratia hujuſmodi facta eſt, pronuncientur; itaut hæc omnia poſſint ad notitiam omniũ ibi exiſtentium veriſimiliter pervenire, ſcriptoque de his omnibus exemplo collato, valvis dictarum Eccleſiarum affixum relinquatur. Si verò Eccleſia Beneficii ruralis ſit, aut populo, conventuque careat, eo caſu in parochiali, intra cujus parochiæ limites Beneficium ipſum conſiſtit, & in Cathedrali Eccleſia, vel ſi locus bello, ſeu peſte, aliiſve manifeſtis periculis ſubjaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali Eccleſia, vel ſi aditus ad illas aut utramvis minimè ſit ſecurus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori, periculorum immuni publicatio hujuſmodi peragatur. Is quoque in quem diſponi vel mandari de Beneficio etiam litigioſi vel accedente non poſſeſſo ſub quacumque forma contigerit, poſſeſſionem Beneficii intra dictum tempus vigore literarum Apoſtolicarum deſuper confectarum, nec aliàs apprehendere debeat, & ſi propter litem, aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, ſaltem literas Apoſtolicas cum earum publicatione, ſi tunc facta erit, judici, ſeu exſecutioni illarum, vel aliis ad quos pertinet, per ſe, vel procuratorem ſuum legitimum, intra idem tempus præſentare, & apud illum vel illos pro ipſarum literarum exſecutione inſtare, & poſſeſſionem hujuſmodi inſtanter petere teneatur. Cęterùm modus & forma hîc tradita ſemper & ubique debeat obſervari, nec alia, vel æquipollens ullo modo admitti in omnibus hujuſmodi reſignationibus, ceſſionibus, & retroceſſionibus, de quibuſcumque Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, tam virorum quàm mulierum, dignitatibus, officiis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam militiarum regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jure patronatûs laïcorum illuſtrium, & aliàs quomodocumque exiſtentibus, ſive pacificis, ſive in petitorio, ſive in poſſeſſorio litigioſis, etiam de quibus in conſiſtorio noſtro diſponi conſuevit ſeu debet, quæ poſthac ex quacumque cauſſa fient, & per nos, ac prædictos ſucceſſores, extra tamen dictum conſiſtorium, admittentur, etiam cum reſervationibus nominis, tituli, adminiſtrationis, poſſeſſionis, fructuum, etiam omnium, ac rerum, & jurium quorumcumque. Ad prędictorum tamen obſervationem, eum, in quem juris ſit ceſſio Beneficii, quod tempore ceſſionis hujuſmodi, & ante illam, vigore literarum Apoſtolicarum, ut ſuprà, ſi ad id tenebatur, publicatarum, realiter poſſidebat, nolumus obligari. Quòd ſi quicquam prędictorum omnium omiſſum fuerit, dictis terminis, ut cuique prędſcripti ſunt, elapſis, omnes diſpoſitiones & gratiæ reſignatorum & ceſſorum Beneficiorum, aut jurium hujuſmodi, cum omnibus inde ſecutis, ſive de pacificis, ſive de litigioſis, ſint irritæ & inanes; nullaque alia gratia ſuper hujuſmodi Beneficio, ſive jure ceſſo, iis quibus conceſſa fuerit, ſuffragetur; ſed ipſi tales inhabiles & incapaces ſint ad hujuſmodi Beneficia ſic reſignata & ceſſa quandocumque obtinenda, illaque ſive jura ab ipſa ſtatim prima reſignatione ſeu ceſſione, etiamſi illæ aliàs nullę & invalidæ eſſent, vacaviſſe & vacare cenſeantur eo ipſo, nec reſignantibus, ſeu cedentibus, ſi poſtea in ſua poſſeſſione remanent, conſtitutiones de annali & triennali poſſeſſore, nec prędſumptæ aut tacitæ retroceſſiones, etiam propter diuturnam continuatę poſſeſſionis hujuſmodi tolerantiam, nec omnino aliud jus, vel Beneficium ullo tempore ſuffragetur, ſed ipſa Beneficia ſive jura ſic à principio vacantia, à ſede Apoſtolica prædicta dumtaxat impetrari valeant ac concedi. Illorum verò impetrationes, vel etiam Motu proprio conceſſiones, quibuſcumque derogationibus ſuffultæ, nunquam ſub clauſulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur; ſed ſpecialiter & expreſsè ob non ſervatam prędſentis conſtitutionis formam, ac cum declaratione nominum & cognominum reſignantis ſeu cedentis, & gratiam habentis diſpoſitivè, & non conditionaliter fieri omnino debeans: & quicumque ſic impetrans, aut gratiam etiam Motu ſimili habens prędſinitum cuique caſui tempus prędſictum à data conceſſionis gratiæ ſibi factæ hujuſmodi, ea omnia quæ cadens à jure prædicto debebat, præſtare teneatur: & ſi pluribus gratiam hujuſmodi fieri contigerit, is præ omnibus obtineat, qui primus publicationem ſuę impetrationis fecerit, & poſſeſſionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requiſita prędſicta adimpleverit, quamvis in data ſit poſtremus, & poſſeſſio ab alio in publicando negligentiore priùs apprehenſa fuerit vel petita. Reſervationibus omnibus nominis, adminiſtra-

tio-

tionis fructuum etiam omnium, ac penſionum, & aliarum rerum quarumcumque, necnon facultatibus, indultis, & aliis conceſſionibus, tam ipſis reſignantibus ſeu cedentibus, qui tamen poſſeſſionem ab initio re ipſa dimiſerint, quàm aliis ex hujuſmodi reſignationibus, ſeu ceſſionibus à ſede Apoſtolica factis nihilominus validis, plenumque effectum fortituris. Sed ne in Beneficiis ſuper poſſeſſione, vel proprietate litigioſis litis proſecutio turbari valeat, vel differri in cauſſis hujuſmodi contra cedentem ad ulteriora, etiam ad ſententiam diffinitivam, & rem judicatam, ac illius exſecutionem, quouſque ille qui gratiam ex reſignatione ſeu ceſſione, aut ex omiſſa forma publicationis hujuſmodi obtinuit, ad cauſſam per ſe vel procuratorem legitimum acceſſerit, litemque hujuſmodi ſuſceperit, eodem modo & ordine procedi poſſit, quo potuiſſet legitimè, ſi ceſſio hujuſmodi facta non fuiſſet, ac quicquid interim ſic procedendo decretum & expeditum fuerit, ſive cum cedente, ſive contra eum, etiam poſtquam ipſe, vel quivis alius, incumbentia ſibi ſecundùm prædicta præſtiterit, non ſolùm circa fructus, ſed etiam circa poſſeſſionem, & ipſum jus, quod ceſſum eſt, valeat omnino & vim obtineat, illumque ipſum, cui gratia facta eſt, non minus afficiat, quàm ſi ipſo legitimè citato, contra eum decretum & expeditum fuiſſet, nec ipſe adversùs hęc, prætextu non acceptæ gratiæ, vel etiam illius ignoratæ, aut citationis vel intimationis exſecutioni contra ipſum minimè demandatæ, aliave ratione valeat excuſari. Poſſit tamen ipſe, etiam ſi in lite & cauſſa hujuſmodi ſubrogatus non ſit, quandocumque ad illius proſecutionem & terminationem venire, & à judice, coram quo cauſſam ipſam, etiam ex delegatione pendere contigerit, in illis ipſis ſtatu & terminis, in quibus tunc eam eſſe repererit, etiam abſque reſcripto ſpeciali admitti. De Beneficiis autem, quę deinceps in manibus Ordinariorum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta & facultates ad hoc ab Apoſtolica ſede habentium, ac Legatorum etiam de latere, & delegatorum etiam ſpecialium ejuſdem ſedis extra Romanam curiam reſignari, etiam ex cauſſa permutationis contigerit, ipſi intra menſem negotium univerſum admiſſionis, vel rejectionis reſignationis hujuſmodi, & ſi per eos facienda erit, proviſionis reſignati Beneficii, juxta Apoſtolicas & alias canonicas ſanctiones omnino abſolvant, Et qui ſic proviſus fuerit, intra tres menſes à die ſibi factæ proviſionis illam publicet, & poſſeſſionem Beneficii capiat modo & forma ſupradictis, alioquin illis elapſis nulla ſit ejus proviſio, & Beneficium vacare cenſeatur eo ipſo. Ordinariique, & alii prædicti qui hæc, uti eis preſcribuntur, non perfecerint, eo caſu poteſtate diſponendi de ipſis Beneficiis ſint ea vice privati, eorumque diſpoſitio eo ipſo ad ſedem Apoſtolicam devoluta exiſtat, aut aliis idoneis ab ipſa ſede dumtaxat, modo & forma prædictis concedantur. Decernentes ſic per quoſcumque judicari debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædicti Pii V. & aliis omnibus aliorum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus de publicandis reſignationibus hujuſmodi hactenus editis & reformatis, quas omnes omnino abrogamus. Ita tamen quòd in publicandis illis reſignationibus & ceſſionibus, quæ in manibus noſtris hucuſque factæ, & à nobis admiſſæ ſunt, & tempus ad eas publicandas, juxta dicti Pii prędeceſſoris conſtitutionem, nondum efluxit, conſtitutio ipſa, quoad eas dumtaxat, integrè obſervetur. Necnon reſignantium, ſive cedentium voluntatibus, conditionibus, proteſtationibus, & clauſulis, in ipſiſmet reſignationibus & ceſſionibus, ſeu procuratorum conſtitutionibus & mandatis, ac aliàs etiam ad præſervationem ſuorum jurium, & ſignificationem quòd non aliter, nec alio modo reſignant, ſeu cedunt, appoſitis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione expreſſis, necnon indultis, privilegiis, & gratiis Apoſtolicis, etiam prædictis Cardinalibus, ac eorum & noſtris familiaribus continuis commenſalibus, necnon literarum Apoſtolicarum ſcriptoribus, Abbreviatoribus, cæteriſque Romanę curiæ officialibus, & ex quibuſvis cauſſis quomodocumque conceſſis & confirmatis: quæ omnia etiam tollimus & annullamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem preſentes ampliùs innoteſcant, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides ubique in judicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem preſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Mandamuſque illas in librum *Quinternum* appellatum, Cancellarię Apoſtolicæ ad perpetuam rei memoriam de more referri. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIII. nonis Januarii, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Tit. VII. De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Quibus ſit conferenda prima tonſura.

PRima tonſura nemini conferatur, de quo non ſit veriſimile, quòd intendat ad ſacros ordines promoveri. Epiſcopi verò, & eorum officiales taliter punire ſtudeant clerи-

eos criminoſos, ne aliquis prætextu impunitatis alleget privilegium clericale.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Præcipitur canonicis Cathedralium, ut infra annum ad ſubdiaconatûs ordinem promoveantur.

CUM nuper in ſacro Concilio, quod continuando celebramus, ordinaverimus, quòd quicumque in canonicum Eccleſiæ Cathedralis aſſumptus fuerit, infra annum à die pacificæ poſſeſſionis computandum, poſtquam ad ætatem legitimam pervenerit, ad ordinem ſubdiaconatûs ſaltem, legitimo impedimento ceſſante, ſe faciat promoveri: aliàs canoniâ, quam adeptus fuerit, ſit privatus ipſo facto, alii per illos, ad quos collatio pertinet, liberè conferenda, cumque ante dictam conſtitutionem nonnulli fuerint, & ſint canonici Cathedralium Eccleſiarum, & in ipſorum canonicatuum pacifica poſſeſſione, qui ſaltem ad ordinem ſubdiaconatûs, ceſſante legitimo impedimento, non ſe fecerunt promoveri; ideo, eodem Concilio approbante, prædictam conſtitutionem ad illos extendentes ſancimus, ut præfati canonici, & presbyteri de capitulo, qui ætatem legitimam habent, infra annum à die præſentis conſtitutionis publicatæ, quam etiam volumus in Eccleſiis Cathedralibus publicari, cum ætatem legitimam habuerint, ex tunc infra annum immediatè computandum ſe faciant, ceſſante legitimo impedimento, promoveri, ſaltem ad ordinem ſubdiaconatûs: alioqui eo ipſo canonicatibus & præbendis, quas obtinent, & Beneficiis etiam, quæ obtinent in dictis Eccleſiis, & quæ obtinere non poſſent, niſi eſſent canonici prebendati, ſint privati: quę aliis conferantur per illos, ad quos pertinet collatio eorundem.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, in Concilio Dertuſę celebrato.

CAPUT III.

De examine eorum qui promovendi ſunt ad ſacros ordines.

NIhil eſt quod Eccleſię Dei magis officiat, quàm indecens promotio indignorum. Nam quum indignis ad ſacros ordines patet aſcenſus, inordinata creſcit ambitio, & proficiendi in ſcientia cura & ſtudium amputatur, & Eccleſiaſtici ordinis dignitas deducitur in contemptum. Univerſos igitur Epiſcopos ſub obteſtatione divini judicii commonemus, ut unuſquiſque tamquam ſervus fidelis & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ſic fideliter & prudenter attendat, cui divina ſacramenta committat; ne, ſi ultra debitam menſuram alicui credat; aut infidelitatis, ſi ſcienter, aut imprudentię, ſi ignoranter, in diſtricto judicio valeat culpâ notari. Sed promovendi ad ſacros ordines, de ętate, qualitate, moribus, & ſcientia debito ſubjiciantur examini: & circa eos, quę à ſacris Canonibus, conſtitutione domini Sabinenſis, & conſtitutionibus Provincialibus & Synodalibus, & noſtra etiam ſtatuta ſunt, tenaciter obſerventur: nec ſub ſpe futuri profectus aliquis ordinetur, niſi actualiter tempore promotionis reperiatur idoneus. Sanè quia aliqui proprii Prelati notitiam fugiendo, vel aliis exquiſitis coloribus & modis, minus idonei, immo penitùs illiterati, ſacerdotale officium arripiunt; omnibus Eccleſiarum Prelatis injungimus, eorum conſcientias onerando, ut ſi de aliquorum inſufficientia eorum aures notabilis fama pulſaverit, tales examinationi ſubjiciant: & ſi eos ſic inſufficientes reperiant, ab officii ſacerdotalis exſecutione ſuſpendant, uſquequò per ſtudii exercitium debitam ſufficientiam fuerint aſſequuti. Ceterùm ut addiſcendi, & proficiēdi in ſcientia opportunitas talis conferatur, Eccleſiarum Prelatos, & capitula propenſiùs exhortamur, ut circa reformandas & conſervandas ſcholas Artium ſolerter ac diligenter intendant: ut tales in ſcholis clerici nutriantur, qui meritò idonei fieri valeant ſacerdotes.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Præſcribitur modus in ordinibus conferendis, & dimiſſoriis concedendis ſervandus.

SI quę à ſancta Tridentina Synodo de his, qui ordines vel conferunt vel ſuſcipiunt, accuratè ſancteque definita ſunt, ea ab omnibus diligenter exacteque fuiſſent obſervata; jam nunc Eccleſias noſtrę provincię pluribus doctis, & probatę vitę ſacerdotibus, & aliis Eccleſiaſticis viris, ex quorum exemplo totius populi Chriſtiani reformatio pendet, magis decoratas haberemus. Sed cùm compertum habeamus, aliquos (quod vehementer dolendum eſt) neque doctrinâ aut moribus commendatos, neque juſto titulo, neque à proprio Epiſcopo, ſed aut ad titulum Beneficii ſæcularis, parvi, aut nullius valoris, aut regularis, cujus nulli ſunt fructus, aut patrimonii ſæpè ficti, neque ab Epiſcopo approbati, aut denique à capitulis ſede vacante intra annum, vel etiam ab aliquibus abbatibus literas, ut a quocumque ordinari poſſint ſæculares clerici obtinentes, ab aliis, etiam Gallis, & ignotis Epiſcopis, non exſpectatis temporum interſtitiis, aut publicatis edictis, ad ſacros ordines fuiſſe promotos, & quotidie promoveri. Quibus incommodis ut occurrere poſſimus, ſacri concilii Tridentini decretis inhærentes, hujus noſtri Provincialis Concilii

lii approbatione decernimus, ut Epiſcopi temporibus à jure ſtatutis, & ſervatis omnibus, quæ ſunt ab eadem ſancta Tridentina Synodo definita, ſubditos dumtaxat ſuos, quos diligenti examine habiles, Eccleſiæ utiles, & Beneficium, de quo honeſtè vivere poſſint, pacificè poſſidere repererint, per ſeipſos ordinare curent. Quòd ſi ægritudine fuerint impediti, non eis, ut à quocumque ordinentur, concedant, ſed ipſi, ad quem hujus provinciæ maluerint Epiſcopum, eos ordinandos mittant. Alterius verò ſubditum, qui à proprio Epiſcopo miſſus non ſit, aut Beneficium, de quo vivere commodè poſſit, in ipſorum Eccleſiis non obtineat, cui adſcribi, & ſuis muneribus fungi in animo non habeat, nullo modo ſacris initient. Beneficia nullius valoris omnino abolenda, parvi cum aliis unienda curent, neque his titulis abuti permittant.

Ad titulum penſionis, vel patrimonii nemo, præterquam à proprio Epiſcopo, ordinetur; qui qualia illa bona ſint, fictane, an vera, & ad vitam ſuſtentandam ſufficientia, ac qui ad talem titulum pro neceſſitate & commoditate Eccleſiarum aſſumendi fuerint, ipſe ſolus judicare poſſit. Capitula Eccleſiarum, ſede vacante, elapſo anno, præter artatos, iis tantùm, qui Beneficium in ea diœceſi obtineant, quod ad commodè vivendum ſufficiens ſit, quique diligenti examine, & edictis publicatis, habiles ſcientia, ætate, & moribus reperti fuerint, literas dimiſſorias concedant; non ut à quocumque, ſed ab hujus dumtaxat provinciæ Epiſcopo, ſervatis temporum interſtitiis, promoveri poſſint: diſpenſare autem in temporum interſtitiis, aut in pluralitate Beneficiorum nequaquam ſibi licere arbitrentur. Abbatibus quibuſcumque, etiam ſi nullius diœceſis ſint, diſtrictè præcipimus, ne poſthac (ut à ſancta Tridentina Synodo vetitum eſt) clericis ſæcularibus, etiam in ipſorum Eccleſiis Beneficia obtinentibus, dimiſſorias literas ad quoſcumque Epiſcopos concedere: neve Epiſcopos, in quorum diœceſi ſunt, quominus proprio nomine in ipſorum Eccleſiis edicta, quibus de ætate, genere, & vita ordinandorum inquiritur, publicent, impedire ullo modo præſumant. Regulares quoque, aut regularia Beneficia obtinentes, niſi priùs profeſſionis votum emiſerint, & diligenti Epiſcopi examine, literis & moribus ornati, & in legitima ætate conſtituti reperti fuerint, ad ſacros ordines aſcendere non permittantur.

Quæ verò à ſancta Tridentina Synodo, non ſine magna cauſa, de ſervandis temporum interſticiis, in conferendis minoribus & majoribus ordinibus decreta ſunt, ea ab omnibus Epiſcopis ſummopere obſervari oportet: niſi quum perſonæ qualitas, aut Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas aliud poſtularet. Edicta verò tria poſt minores ordines publicanda ſunt, per menſem ante ſingulos ſacros ordines ſingula: unde illorum pravam conſuetudinem reprobamus, qui uno die minores, & altero ſubdiaconatum conferunt, ſine ullo edicto, aut uno pro tribus abutentes: nullis temporum legitimis interſtitiis obſervatis. Id enim eſt quod vehementer improbandum eſt: ſi quis citò & temerè contra Apoſtoli præceptum manus imponat. 1. Timoth. c. 5.

Tit. VIII. De filiis presbyterorum.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Bona ex Beneficiis parta, & filiis illegitimis collata, quibus, ab ipſis ablata, debeant applicari.

Quia bona quæ ab Eccleſiaſticis Beneficiis habentur, per rectores, ſeu adminiſtratores Beneficiorum debent in utilitatem eorundem Beneficiorum, & non profanis uſibus applicari, & iis quamplurimi abutuntur; ideo, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, ut de cætero nulla perſona Eccleſiaſtica beneficiata, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, gradus, ordinis, religionis, vel conditionis exiſtat, habens prolem illegitimam, eidem proli terras, poſſeſſionis, honores, ſeu alia jura ſuorum Beneficiorum audeat ſtabilire, ſeu in emphyteuſin concedere: nec eidem proli aliquid in vita, vel in morte, ſeu teſtamento, de pecunia, ſeu de aliis bonis, quæ à dictis ſuis Beneficiis acquiſivit, per ſe vel interpoſitam perſonam, vel alio quæſito colore, donare, concedere, ſeu legare, dari, ſeu legari faciat. Aliàs quicquid tali proli fuerit, ut præfertur, in vita vel in morte datum ſeu relictum, medietas in ornamenta Eccleſiæ, in qua eſt Beneficiū ipſius donantis ſeu relinquentis erogetur, & reliqua medietas ejus Ordinario applicetur.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Non licere presbyteris, & aliis Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, filios illegitimos domi alere, neque in Eccleſia in ſacris eorum uti miniſterio.

Quamvis in ſacra Oecumenica Tridentina Synodo ſanctè diffinitum ſit, non licere filiis clericorum, qui ex illegitimo ſunt matrimonio procreati, Beneficium aliquod in Eccleſiis, ubi eorum patres idem, vel aliud conſimile habuerunt, obtinere, aut in illis miniſtrare; nihilominus (non ſine gravi dolore, quod loqui veremur, & tacere non expedit) ad aures noſtras deductum eſt, nonnullos clericos ſui ſtatus & dignitatis oblitos, proprios illegitimos filios magno cū populi Chriſtiani ſcandalo & animarum jactura domi ſecum retinere, alere, & nutrire, ſimulque cum illis Seſſ. 25. De reform. cap. 15.

illis cohabitare, eoſdemque in illis Eccleſiis, in quibus patres ſunt beneficiati, ipſis, & aliis, dum Miſſas, vel alia divina officia celebrant, miniſtrare. Ideo ut parentum, quos maximè puritas & ſanctitas decet, incontinentia à locis Deo conſecratis longiſſimè abſit, & ab hominum memoria penitùs aboleatur, & exſtirpetur; his quæ tam piè ab illis ſanctis Patribus tradita & definita ſunt adhærentes, & conſtitutionem Arnaldi prædeceſſoris noſtri (*Presbyter cum proprio filio ſpurio Miſſam non audeat celebrare*) innovantes & ampliantes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, ne filii illegitimi in illis Eccleſiis, in quibus patres Beneficium obtinent, vel obtinuerunt, audeant, vel præſumant aliquo modo eiſdem patribus, vel aliis presbyteris in aliquo officio miniſtrare, aut inſervire, vel etiam ſimul in domibus parentum cum eiſdem vivere & cohabitare. Quòd ſi filius contraierit, aut pater illum domi habuerit, aut Eccleſiæ, in qua ipſe reſidet, filium deſervire permiſerit, pœnâ centum ducatorum ille, quem Ordinarius elegerit, piis operibus arbitrio eiuſdem applicandorum, puniatur.

Tit. IX. De clericis peregrinis.

Hieronymus ab Auria Cardinalis, & Archiepiſcopus, in Concilio quinto Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Clericos peregrinos ſine literis dimiſſoriis ad publica Eccleſiaſtica munera admittendos non eſſe.

CLerici alienæ diœceſis, & præſertim alienæ nationis, non ſunt recipiendi, nec admittendi ad Miſſarum ſolennia publicè celebranda, nec ad curæ animarum regimen, vel aliquod ſacerdotale officium, ſine literis ſuorum ordinum, & etiam literis teſtimonialibus ſui Prælati, perhibentibus teſtimonium vitæ, famæ, & converſationis honeſtæ. Et, ſi fieri poſſit, teſtes adhibendi, qui de notione hominis, & qualitatibus prædictis teſtimonium perhibeant veritati. Ad Miſſas verò privatas & ſecretas, cum ſolitis literis ſuorum Ordinariorum admitti poterunt, prævio in omnibus legitimo examine.

Tit. X. De officio vicarii, & ſalariis officialium, & jure ſigilli.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Vicarii, & officiales principales, & foranei non creentur, niſi de regnis Aragonum, Valentiæ, Balearium inſularum, & principatu Cathaloniæ, niſi fuerint canonici alicujus Eccleſiæ præfatorum regnorum: foraneos verò ſat fuerit Beneficiatos eſſe.

ARchiepiſcopalis apicis nos cura invigilare impellit, ut quæ in Eccleſiis noſtræ provinciæ, non abſque miniſtrorum diſpendio, & divini cultus detrimento, & omiſſione juſtitiæ, quæ ſummum bonum eſt in rebus, fieri viderimus, appoſitione opportuni remedii, quantum cum Deo poterimus, ſuccurramus. Cum itaque à longis citrà temporibus ad noſtrum auditum multorum perduxerit relatio fide digna, quòd nonnulli vicarii, ſeu officiales venerabilium ſuffraganeorum noſtrorum abſentium extraneæ nationis plura damna Eccleſiis inferant, crimina impunita relinquant: quinimmo paſſim receptâ pecuniâ, abſolutiones facinoroſis hominibus faciant, qui eſſent ſuis demeritis exigentibus corporali perpetua vel tēporali pœna plectendi, defunctorū pias voluntates ultimas infringant, deſtituendo Beneficia ab ipſis defunctis, pro animarū ſuarum ſalute, de bonis à Deo ſibi collatis maximis laboribus inſtituta, dictorum defunctorum bona, quæ ex ipſorum pia largitione deberent perſonis religioſis, mendicantibus, vel aliis Chriſti pauperibus erogari, imburſare conentur, & recepta pecuniâ, abſolutiones, & quitationes faciant exſecutoribus eorundem, ut de aliis taceamus; quærentes quæ ſua ſunt potiùs, quàm Chriſti. Ex quibus primùm perit juſtitia, propter quod Deus offenditur, jus partium læditur, delinquendi præparatur occaſio, cùm facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, divinus cultus minuitur, propter Beneficia ſic contra conſcientiam deſtituta. Alii, qui forſan Beneficia inſtituere cupiebant, ab inſtitutionibus hujuſmodi retrahuntur, quæ quidem deſtituentes, ad gehennam ædificant, & defunctorum animæ, qui propter Beneficia inſtituta ſperabant per Miſſas & orationes, ſeu ſacrificia ſacerdotum, quos in Beneficiis inſtituerant, per Dei clementiam à pœnis purgatorii eripi, impediuntur (quod dolentes referimus) ad cæleſtem patriam convolare. Nos igitur Archiepiſcopus prælibatus, tot & tam neſandis malis ac periculis obviare volentes, hac in

per-

perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ſacro Concilio approbante, quòd de cætero nec nos, nec venerabiles fratres noſtri Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis, qui nunc ſunt, & qui pro tempore fuerint, vicarios, vel in ſpiritualibus vel temporalibus, officialeſve principales, vel foraneos teneamus, nec teneant in diœceſibus nobis, & eis creditis extraneæ nationis, ſed de regnis Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, vel de Principatu Cathaloniæ dumtaxat, niſi extranei conſtituti vicarii, vel officiales principales eſſent canonici realiter præbendati, vel de capitulo Eccleſiarum Cathedralium Principatûs & regnorum prædictorum, & officiales foranei eſſent Beneficiati in eiſdem. Quod ſi ſecus factum fuerit ſeu attentatum, ſubditi non teneantur talibus vicariis, ſeu officialibus in aliquo obedire; immo ſi de facto dicti vicarii ſeu officiales procederent contra quemquam, ſeu juriſdictione aliqua uterentur, ſententiæ, & proceſſus per eos facti, ſint ipſo facto invalidi, irriti, & inanes.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in Concilio ſecundo Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Judices Eccleſiaſtici, qui gratis jus dicere tenentur, niſi aliud ex conſuetudine legitimè præſcripta inductum ſit, in fraudem cauſſas committere, vel patrocinari vetantur.

FRaudes commiſſas hactenus de medio exſtirpare, ac committendas in poſterum præſcindere, quantum cum Deo auctore poterimus, ſatagentes, præſenti conſtitutione perpetuò valitura ſtatuimus, ut nulli vicarii generales, officiales principales noſtri, vel venerabilium ſuffraganeorum noſtrorum cauſſas, quas jure ordinario, & gratis, ſine ullo ſalario tenentur decidere, in fraudem partium, vel aliorum, quorum interſit, delegent. Quod ſi ſecus egerint, ipſo facto excommunicationis ſe noverint ſententiam incurriſſe. Prohibemus inſuper, ne in cauſſis prædictis, poſito quòd juſtè poſſent eas committere, pro neutra partium officium advocationis aſſumant. Quod ſi fecerint, officio cui tunc præſidebunt, cum infamia, ultra juris pœnas contra tales editas, perpetuò ſint privati, & effecti inhabiles ad alia officia ſimilia obtinenda.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Epiſcopi & Ordinarii nequaquam concedant munus decani & officialis foranei, & procuratoris fiſcalis iis, qui non fuerint in aliquo ordine ſacro conſtituti. Si contrarium fecerint, in Provinciali Concilio ſtrictam reddere rationem cogentur.

COnqueruntur multi in noſtra provincia, quòd cùm non deceat res Eccleſiaſticas à perſonis laïcis pertractari (quemadmodum fuit à noſtris prædeceſſoribus diffinitum) nihilominus reperiri multos Ordinarios, qui munus decanorum, ſeu officialium foraneorum, & procuratorum fiſcalium curiæ Eccleſiaſticæ perſonis merè laïcis committant: quod ſtatum Eccleſiaſticum non parum dehoneſtat. Cui incommodo remedium aliquod adhibere cupientes, & veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum inhærentes, ſacri approbatione Concilii præcipimus omnibus noſtræ provinciæ Epiſcopis & Ordinariis, ut de cætero nullum decanum, ſeu officialem foraneum, nec procuratorem fiſcalem eligant, qui non ſit in aliquo ſacro ordine conſtitutus. Quòd ſi contrarium fecerint, ſciant ſe non ſolùm apud Deum, ſed etiam in Concilio Provinciali, ſtrictam reddituros rationem.

Idem in eodem.

CAPUT IV.

Vicarii, & officiales generales ſint in aliquo ſacro ordine conſtituti, atque in alterutro ſaltem jure graduati.

SÆpè contingit, ut is qui munus vicarii, aut officialis generalis in curia Eccleſiaſtica exercuit, ad ſæculum rediens uxorem ducat; aut is officialis generalis, ad quem decidere cauſſas Eccleſiaſticas ſpectat, eligatur, qui juris canonici ſit omnino ignarus; quo fit, ut Aſſeſſore in jure perito indigeat, quem ſæpè merè laïcum eſſe conſtat: quod quàm indecorum ſit, nemo eſt qui non videat. Quamobrem, ſacri approbatione Concilii, omnibus noſtræ provinciæ Epiſcopis, & locorum Ordinariis præcipimus, ut deinceps eos dumtaxat vicarios generales & officiales eligant, qui ſint in aliquo ſacro ordine conſtituti; nec eos eligant ad decidendas cauſſas Eccleſiaſticas qui non fuerint, aut in utroque Jure, aut in altero ſaltem graduati.

Tit. XI. De officio & poteſtate judicis delegati.

PETRUS de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT I.

Delegati Apoſtolici jubentur primæ citationi delegationis tenorem integrum inſerere, poteſtatisq; ſuæ limites minimè tranſilire.

ETſi Apoſtolicæ ſedis providentia circumſpecta ſalubriter ſtuduit providere, ut talibus perſonis conſervatoris & delegati officia committerentur, de quibus veriſimiliter ſperari poſſet, quòd ſic injuncti ſibi officii vires expedirent, ut poteſtatis ſibi traditæ limites non excederent, experientiâ tamen, rerum magiſtrâ, docente comperimus, ex multorum talium abuſibus ſæpè grandia illata diſcrimina: cenſurâ Eccleſiaſticâ injuſtè ligando ac denunciando ipſius cenſuræ ſententiâ innodatos, pluraque enormia perpetrando in perniciem Eccleſiarum & ſcandalum plurimorum. Nolentes igitur ſedis Apoſtolicæ auctoritatem per actus indiſcretos & improbos quorundam conſervatorum vel delegatorum ipſorum exſecutorum, vel ſubexſecutorum, quaſi tenebroſi fumi caligine obfuſcari, ſed eorum auſus temerarios reprimere cupientes; præſentis tenore, in virtute ſanctæ obedientiæ, auctoritate qua fungimur, diſtrictè præcipiendo mandamus eiſdem, ne ultra limites traditæ poteſtatis aliquid facere ſeu attentare præſumant: cùm enucleati juris exiſtat, poteſtatem eis conceſſam excedentes velut privatos debere, & quidem meritò reputari; & ſit juſtum contra non ſervantes traditam eis formam, jura, & ipſorum miniſtros taliter inſurgere, ut effrænata audacia debitâ juſtitiâ compeſcatur. Et ut omnis fraudis & figmenti materia penitùs evitetur, in primis literis, quæ ab aliquo conſervatore vel judice delegato, exſecutore, vel ab eis gerentibus vices in cauſſa aliqua emanaverint, tenor ſuæ commiſſionis integraliter inſeratur.

Tit. XII. De officio Ordinarii.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Præcipitur, ut Ordinarii gratis jus dicant; notarii moderata mercede contenti ſint.

PRæcipimus, ut Epiſcopi, vel officiales eorum, & alii clerici ordinariam juriſdictionem habentes, gratis cauſſas examinent, & ſententias proferant, nullam inde pecuniam recipientes, ſalvo eo, quod pro juſtitia, ratione dominationis debetur. Notarii autem pretium recipiant pro labore ſcripturæ temperatum.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Qui admiſſo aliquo delicto, ut ſibi impune ſit, aliò profugerint, à ſuo judice revocati, & ad pœnam expetiti, remitti debent, niſi ſi nomine malevolentiæ fuerit ſuſpectus judex.

BOnus & gravis præſes curare debet, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit. Quod non difficilè obtinebit, ſi ſolicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat, & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere ſatagat. Quod ut frequenter accidit, non poteſt de facili obtineri. Commiſſo enim per aliquem maleficio in una diœceſi, ſeu territorio, ad aliam ſe transfert, ne pro ſuis demeritis puniatur. Et cùm per ſuum Ordinarium, vel alium, in cujus juriſdictione vel territorio crimen commiſit, de delinquente ſeu delato petitur, ſeu requiritur ad locum delicti fieri remiſſio, per eum, à quo petitur modis variis impeditur, & conſequenter juſtitia: & inde mala malis, & facinora facinoribus cumulantur. Nos igitur Archiepiſcopus ſæpè dictus, approbante ſacro Concilio, ordinamus, quòd per nos, & venerabiles fratres noſtros Epiſcopos, & per alios juriſdictionem obtinentes, cujuſcumque conditionis vel ſtatus exiſtant, etiam ſi exempti, vel de ordine militari fuerint, ad judices Eccleſiaſticos noſtræ provinciæ fiant remiſſiones ad invicem de omnibus clericis criminoſis, cùm unus per alterum fuerit requiſitus: niſi forſan ille, de quo peteretur ut fiat remiſſio, contra judicem remiſſionem petentem, juſtam cauſſam allegaverit, & eam probaverit coram judice, à quo hujuſmodi

modi remiſſio fieri petitur: vel judex, à quo fuerit petita remiſſio, eam facere minimè teneretur. Si verò aliquis præmiſſorum, ut prædicitur, requiſitus, remiſſionem criminoſi, ſeu delati non fecerit; commodo & auxilio conſtitutionum ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium contra invaſores, raptores, & deprædatores rerum Eccleſiaſticarum, hominum, Eccleſiarum, & locorum religioſorum editarum, ſe noverit eo ipſo privatum. Prædictam verò conſtitutionem per omnes ſuperiùs nominatos in virtute ſanctæ obedientiæ, ceſſante omni fraude & dolo, præcipimus inviolabiliter obſervari.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarraconę celebrato.

CAPUT II.

Quis ordo ſervandus in viſitatione.

COgit nos temporum corruptela, ut quæ de viſitandi munere, tantopere neceſſario, à noſtris prædeceſſoribus, & à ſanctis Patribus, potiſſimùm in ſacro Tridentino Concilio, ſtatuta definitaque ſunt, ſæpiùs in memoriam revocemus. Quamobrem omnes hujus noſtræ provinciæ Epiſcopos, ſacro approbante Concilio, in Domino hortamur, ut meminerint ſe in ſortem Domini, & ad gubernandam ejus Eccleſiam vocatos, omniumque animarum ſuæ curæ commiſſarum rationem reddendam eſſe, & in munere aſſumpto ita vigilandum & laborandum, ut nunquam eos de tanto munere ſuſcepto pœniteat, neque ſubditos tales Paſtores habuiſſe. Curent igitur diligenter, ut ſingulis annis ſuam diœceſin, vel ſaltem biennio, juxta diœceſis amplitudinem, per ſe ipſos viſitent, aſperaque loca, quantùm fieri poſſit, præſertim in ea parte quę Galliæ affinis eſt, aſcendant, aliquos homines Eccleſiaſticos, doctos, & pios, quorum apud omnes probata vita ſit, ſecum in ea viſitandi cura adhibeant, modeſto tamen equitatu & comitatu in Conciliis definito, ne ſubditis graves oneroſive ſint. Antequam munus viſitandi aſſumant, in Synodo Diœceſana, aut alibi optionem parochis præbeant, ſi malint ſolvere jus procurationis, quod erat ab ipſis antea ſolvi conſuetum; an verò victualia ſubminiſtrare. Caveant tamen viſitatores, ne utrumque recipiant, neque munera per ſe, neque per ſuos familiares, etiam ſponte oblata. Quod ſi quiſquam (quod non credimus) contrarium fecerit, is præter dupli reſtitutionem, in prima Synodo Provinciali celebranda, juxta ſanctorum Patrum, & ſacrorum Conciliorum decreta, ſine ulla ſpe veniæ multabitur. Quum verò hoc viſitationis munus exſequentur, diligentiam adhibeant non modò in cleri & populi moribus cognoſcendis, iiſdemque depravatis corrigendis; ſed etiam in Eccleſiarum cultu & ornamento tuendo & augendo, Sanctiſſimum Euchariſtię ſacramentum decenter, & cum debito honore cuſtodiendum curent, Corporalia ſingulis menſibus, Purificatoria octavo quoque die, lavanda & mutanda præcipiant, & reliqua altaris & totius Eccleſiæ ornamenta. Quæ ad chorum ſpectant, an piè & ſanctè, ut decet, tractentur, obſervent. Unam ab omnibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cæremoniam in choro, & in divino Miſſæ ſacrificio ab omnibus obſervari faciant; & quos ad id exſequendum repererint inhabiles aut negligentes, coërceant & coarguant. Omnes clericos veſtitu honeſto, ut decet ſtatum clericalem, juxta ſanctorum Patrum decreta incedere cogant. Parochos diligenter viſitent, & qua diligentia ſacramenta adminiſtrent, populum ad pietatem inſtruant, & num ſingulis diebus Dominicis inter Miſſarum ſolennia, aut poſtea, pueros vulgari lingua ſalutaria doceant, intelligant; negligentes in his omnibus corrigant, & emendandos curent. Hoſpitalia, confraternitates, & omnia pia opera, oneraque cujuſque Beneficii diligenter proſpiciant, & ex fundatoris, ac inſtituentis præſcripto & voluntate exſequenda diſtrictè præcipiant. Domos parochialis Eccleſiæ, & Beneficiorum omnium dirutas inſtaurare, ruinam minantes reficiendas procurent. Colloquia monialium & clericorum omnino prohibeant. Mulieres, quæ ætate provectę non fuerint, de quibus ſuſpicio apud populum, & ſcandalum oriri poſſit, cum clericis cohabitare non permittant. Peccata publica, tum cleri, tum populi, ſeverè puniant, & omnino evellant. Officiales foraneos, quo pacto in adminiſtratione juriſdictionis ſibi commiſſæ ſe exercuerint, diligenter intelligant: & quos in ſuo munere negligentes repererint, aut juriſdictione abutentes, amoveant, amotos corrigant & caſtigent; & tales ei muneri præficiant, qui prudentes ſint, & populo exemplo eſſe poſſint. Et denique nihil Epiſcopi prætermittant, quod ad ſalutarem & piam populi inſtructionem & correctionem pertinere videatur. Si verò Epiſcopi legitimè impediti fuerint; viſitandi munus ſolis vicariis generalibus committant, aut aliis doctis & piis hominibus hujus rei uſu peritis & idoneis; qui viſitationis officium ſedulò, ut par eſt, præſcripto modo & forma exſequantur. quibus præcipient, ne aliis remotorum locorum viſitationem committant, neve jus procurationis ſolvi conſuetum, ab eis Eccleſiis, quas non viſitaverint, recipiant, ut in quibuſdam aliquando diœceſibus (quod non ſine dolore referimus) hoc ipſum, ut credimus, ignorantibus Epiſcopis, aliquorum relatione audivimus accidiſſe. Hanc conſtitutionem ad abbates, archidiaconos, capitula, & alios inferiores, qui hactenus viſitationem exercere legitimè conſueverunt, extendi volumus.

Tit. XIII. De majoritate & obedientia.

CAPUT I.

Monentur Prælati & clerici univerſi, Archiepiſcopo Tarraconenſi pro Eccleſiaſticæ immunitatis defenſione adeſſe, eidemq; parere, & dicto eſſe audientes.

CLEMENS PAPA V.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus ſuffraganeis Eccleſiæ Tarraconenſis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, præpoſitis, archipresbyteris, ac aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon & clericis univerſis per Tarraconenſem provinciam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si debitum exſolvere officii, ad quod eſtis obligati, ac diſcrimina evitare propria, ſicut viros decet conſtantes & providos, affectatis; nequaquam opus videtur ut ſuper eo, quod in præſentiarum ſcribimus, Apoſtolicis vos literis excitemus; qui ad illud promptis animis, ac ſtudiis efficacibus promovendum motu tenemini exſurgere proprio & debetis, non requiſiti aliquatenus vel rogati: cùm ſpecialiter de re veſtra dubium non ſit agi, quæ abſque univerſali veſtro periculo nequit negligi vel poſtponi. Licèt igitur de ſinceritatis veſtræ prudentiæ fiduciam habeamus, quod ad libertatem libenter intendat Eccleſiaſticam obſervandam, pro qua veſtra intereſt murum defenſionis ex adverſo aſcendentibus opponere pro viribus, ne valeat conculcari: quia tamen nil nocet ad bona voluntarios inductionibus animare congruis, ac ſolicitis vigilantiam ſuadere; ſuper hoc Apoſtolicis commonitionibus vos eò propenſiori cura decrevimus invitandos, quòd diebus iſtis, quibus, prout non ſine cordis dolore accepimus, libertas ipſa in partibus iſtis impugnatur; graviter ac enormiter derogatur eidem: veſtraque in hac parte præſidia oportuna, magna & neceſſaria reputantur. Ideoque univerſitatem veſtram rogamus attentiùs & hortamur, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus venerabili fratri noſtro Tarraconenſi Archiepiſcopo Metropolitano, in libertatis tuitione ipſius, circa quam laborare debet, ſtudioſiùs pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia ſic efficaciter aſſiſtatis, ac ei aliàs in iis, quæ ad Archiepiſcopalis miniſterium dignitatis pertinent, ſic intendatis devotè, ac humiliter pareatis, ut libertatis prædictæ fervidi zelatores, ac obedientiæ filii operibus comprobemini ex effectu; & propterea veſtra devotio ex hoc apud nos reddatur commendabilis: ac propterea favorem Apoſtolicum dignè mereatur uberiùs cū actionibus gratiarum. Datum Peruſii 8. idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barchinone celebrato.

CAPUT II.

Quæ cæremoniæ obſervandæ in quaque Eccleſia Cathedrali, & quis locus Epiſcopo tribuendus in omnibus actionibus Eccleſiaſticis.

CUM non deceat Epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores, diverſo ritu, in eadem præſertim provincia conſiſtentes, ſacra myſteria peragere, aut alia Pontificalia munera exercere; ſacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, ut circa cæremonias Pontificales peragendas idem modus & ordo in omnibus & ſingulis Eccleſiis hujus noſtræ provinciæ uniformiter obſervetur atque impleatur, qui nobiſcum in noſtra Metropolitana Eccleſia obſervatur. Necnon eodem ſacro approbante Concilio decernimus & præcipimus, decretum ſextum ſeſſionis 25. quod incipit: *Statuit ſancta Synodus*, & omnia alia ſacri Tridentini Concilii decreta debitum Epiſcopis honorem & auctoritatem tribui præcipientia, ab omnibus inviolabiliter obſervari.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT III.

In Pontificalibus cæremoniæ, juxta Pontificale Romanum, uniformiter in totâ provincia eadem obſerventur.

CUM Romana Eccleſia norma ſit & regula omnium Eccleſiarum, æquum eſt, ut in cæremoniis obſervandis, quantum fieri poteſt, cum ea conformemur; ſitque in omnibus hujus noſtræ provinciæ eadem, præſertim in Pontificalibus, cæremoniarum ratio. Quocirca, ſacro approbante Concilio, conſtitutionem bonæ memoriæ Ferdinandi de Loazes: *Cùm non deceat*, renovantes & ampliantes, ſancimus & ordinamus, ut ſingulis hujus noſtræ provinciæ Eccleſiis in Pontificalibus eædem cæremoniæ, quemadmodum in Pontificali Romano præſcriptæ ſunt, uniformiter obſerventur.

Idem in eodem.

CAPUT IV.

Quæ quibuſque temporibus cappæ & almuciæ, pro cujuſque dignitate, in Eccleſiis geſtari debeant.

CLericos decet ubique veſtes ordini congruentes deferre; præcipuè verò in Eccleſia & in choro, dum divina celebrantur officia; ut in domo Dei, quam decet

ſan-

ſanctitudo, major honeſtate habitus interioris, devotionis effectus oſtendatur. Et quamvis à prædeceſſoribus noſtris de honeſtate veſtium in Eccleſia & choro deferendarum multæ editæ ſint conſtitutiones; aliquæ tamen ex illis temporum injuriâ in deſuetudinem abierunt, aliquæ moderatione & declaratione videntur indigere. Quamobrem, ut certa ſit in Eccleſia & choro habitûs ratio, ſacro approbante Concilio, hac noſtrâ conſtitutione ſancimus & ordinamus, ut conſtituti in dignitate, & canonici Eccleſiæ Cathedralis, à feſto omnium Sanctorum uſque ad diem Paſchæ Reſurrectionis, cappas deferant pellibus griſiis coopertas. Commenſales verò & portionarii pellibus nigris. Reliquo autem anni tempore Dignitates & canonici almucias ex ſetino carmeſino forratas, commenſales & portionarii violacei coloris deferant. Quòd ſi ſecus fecerint, diſtributiones illius horæ amittant, qua contrarium fecerint, ipſo jure.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Quis habitus & locus doctoribus & licentiatis in Theologia aut Jure canonico, in choro & proceſſionibus tribuatur.

UT virtuti debitum detur teſtimonium, & complures virtutis ſtudio incitẽtur, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, ut doctores vel licentiati in Theologia, vel Jure canonico, commenſales, aut Beneficiati, primum & immediatum ante commenſales, ſeu portionarios, tam in choro, quàm proceſſionibus, obtineant locum, ſervata cujuſque in præcedentia doctoratûs antiquitate. Habitum verò deferant in unaquaque Eccleſia Cathedrali, quem commenſales, ſeu portionarii deferre conſueverunt. In Eccleſiis etiam collegiatis, & aliis parochialibus, præfati doctores & licentiati, ſi in illis fuerint Beneficiati, eaſdem veſtes deferant, & immediatum poſt canonicos & rectores locum obtineant. Rectores verò, etiam ſi graduati non fuerint, in ſua Eccleſia almucias ſetino violaceo forratas deferant.

Tit. XIV. De pactis & collegiis illicitis.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in quinto Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Qui illicitam ſocietatem cum aliquibus coïerint, excommunicantur.

CONſpiratorum genus odibile cupientes à perverſitate hujuſmodi coërcere, ſacro approbante Concilio, excommunicamus omnes conſpiratores, & colligationes illicitas facientes in clero, & contra conſtitutos in clero. Sententiam autem hujuſmodi ad præterita duximus extendendam, niſi infra menſem, à tempore ſcientiæ, conſpirationem colligationemque hujuſmodi pro poſſe duxerint revocandam.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Illicita collegia jus collegiorum non habentia, excommunicatione coërcentur.

INter curas innumeras, quas paſtoralis officii debitum humeris noſtris impoſuit, illas præcipuè amplectimur & ſolvere cupimus, per quas ſtatus & juriſdictio Eccleſiaſticæ illibata permaneat, & ſubditi ab illicitis actibus compeſcantur. Ad auditum igitur noſtrum veridica relatione deductum eſt, quòd nonnulli Cathedralium Eccleſiarum Beneficiati, & clerici ſæculares collegium non habentes, ac parochialium Eccleſiarum rectores, & Beneficiati provinciæ noſtræ, ordinariæ diſciplinæ jugum abjicere ſatagentes, ſub figmento offuſcatæ devotionis, & utilitatis perſonarum, & Beneficiorum ſuorum, quæſito colore, collegia illicita, & congregationes à Jure reprobatas per ſe facere & procurare non formidant, contra juriſdictionem Prælatorum, in eorum, & capitulorum, & Eccleſiarum Cathedralium præeminentias calcaneum erigere non verentes. Præmiſſa igitur tantò fortiùs deteſtantes, quantò ipſa pernicioſius exemplum pariunt, vel à juris æquitate ſunt aliena, ac volentes prædictorum temerariam & effrenatam voluntatem juſto retinaculo prohibere, omnes & ſingulos talia attentantes, vel fieri procurantes, ipſo facto, approbante ſacro Concilio, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere. Et ſi moniti, infra decem dies ab hujuſmodi illicitis actibus non deſiterint cum effectu, ipſos, eiſdem lapſis, eorum Beneficiis, adminiſtrationibus, vel officiis quæ tunc temporis obtinebunt, decernimus hoc edicto conſultiſſimo perpetuò eſſe privatos, per eos, quibus ipſorum Beneficiorum, adminiſtrationum, vel officiorum collatio ſpectet, aliis idoneis conferendis: aliis pœnis contra talia peragentes in ſuo robore permanſuris.

CAPUT III.

Superior conſtitutio Apoſtolica approbatione confirmatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

BENEDICTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providentia circumſpecta, his, quæ pro Eccleſiarum, Prælatorum, ac

ac aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum utilitate providè facta ſunt, ut illibata conſiſtant, libenter adjicit Apoſtolici muniminis firmitatem. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris Joannis Epiſcopi, & dilectorum filiorum capituli Barcinonenſis petitio continebat, quòd olim pro correctione morum ſubditorum, clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac honeſtatis diſciplina, & pro juriſdictione Eccleſiaſtica conſervanda, in Concilio Tarraconenſi conſtitutio canonicè edita exſtitit tenoris ſubſequentis: Inter curas innumeras, quas paſtoralis officii debitum humeris noſtris impoſuit, illas præcipuè amplectimur, & ſolvere cupimus, per quas ſtatus & juriſdictio Eccleſiaſtica illibata permaneat, & ſubditi ab illicitis actibus compeſcantur. Ad auditum igitur noſtrum veridica relatione deductum eſt, quòd nonnulli Cathedralium Eccleſiarum Beneficiati, & clerici ſæculares, collegium non habentes, ac parochialium Eccleſiarum rectores, & Beneficiati provinciæ noſtræ, ordinariæ diſciplinæ jugum abjicere ſatagentes, ſub figmento offuſcatæ devotionis, & utilitatis perſonarum, & bonorum ſuorum, quæſito colore collegia illicita, & congregationes à jure reprobatas per ſe facere & procurare non formidant, contra juriſdictionem Prælatorum ſuorum, & capitulorum Eccleſiarum Cathedralium præeminentias calcaneum erigere non verentes. Præmiſſa igitur tantò fortiùs deteſtantes, quantò ipſa pernicioſius exemplum pariunt, vel à juris æquitate ſunt aliena; ac volentes prædictorum temerariam & effrænatam voluntatem juſto retinaculo prohibere; omnes & ſingulos talia attentantes, vel fieri procurantes, ipſo facto, approbante ſacro Concilio, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere: & ſi moniti infra decem dies ab hujuſmodi illicitis actibus non deſtiterint cum effectu, ipſos, eiſdem lapſis, eorum Beneficiis, adminiſtrationibus, vel officiis, quæ tunc temporis obtinebunt, decernimus hoc edicto conſultiſſimo perpetuò eſſe privatos; per eos, quibus ipſorum Beneficiorum, officiorum, vel adminiſtrationum collatio ſpectet, aliis idoneis conferendis, aliis pœnis contra talia peragentes in ſuo robore permanſuris. Datum in ſacro Concilio Provinciali celebrato in caſtro Archiepiſcopali Tarraconenſi, per dominum Ennecum Archiepiſcopum die Jovis 15. menſis Martii, anno Domini MCCCCVI. Quæ ſupradicta conſtitutio, quæ tunc in eodem Concilio, nemine diſcrepante, edita exſtitit, cùm poſtmodum in Eccleſia Barcinonenſi, quæ de provincia Tarraconenſi exiſtit, publicata fuiſſet; nonnulli Beneficiati in eadem Eccleſia falsò prætendentes ex conſtitutione prædicta ſe fore gravatos, tam pro ſe, quàm ſuis huic parti adhærentibus, ad ſanctam ſedem Apoſtolicam appellârunt: noſque cauſſam appellationis hujuſmodi dilecto filio Aymerico Abbati monaſterii Sancti Saturnini Toloſani, Ordinis ſancti Auguſtini, in Romana curia commoranti, ad inſtantiam dictorum Epiſcopi & capituli audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, non obſtante quòd cauſſa ipſa de ſui natura ad Romanam curiam legitimè devoluta, in ea tractanda & finienda non eſſet, & cum poteſtate citandi præfatos Beneficiatos, & adhærentes, extra Romanam curiam, & ad partes, quoties opus eſſet. Idemque Abbas, ad inſtantiam magiſtri Franciſci Pineda canonici Barcinonenſis, procuratoris dictorum Epiſcopi & capituli, coram eo in judicio comparentis, præfatos Beneficiatos per ſuas literas citari mandavit ad partes, ut coram eo certo termino peremptorio competenti tunc expreſſo, cum omnibus juribus & munimentis ſuis cauſſam hujuſmodi tangentibus comparerent: proceſſuri in cauſſa ipſa ad ſingulos actus neceſſarios uſque ad definitivam ſententiam, prout exiſteret juris & rationis. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, conſtitutio ſupradicta pro conſervatione juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & morum ſubditorum correctione fuerit, ut præmittitur, canonicè edita; pro parte ipſorum Epiſcopi & capituli nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut non obſtantibus appellatione prædicta, & proc eſſu cauſſæ hujuſmodi, conſtitutioni prędictæ robur confirmationis adjicere, ac defectus, ſi qui intervenerint, in eadem ſupplere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatū cauſſæ hujuſmodi habentes, præſentibus pro expreſſo hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictam conſtitutionem, non obſtantibus appellatione & lite hujuſmodi, ac conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eadem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Maſſiliæ apud Sanctum Victorem 15. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

Tit. XV. De poſtulando.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Valentiæ celebrato.

CAPUT I.

Cavetur, ne quis clericus provinciæ Tarraconenſis cuiquam contra Tarraconenſem Eccleſiam patrocinetur.

SAcro approbante Concilio ſtatuimus, quòd ſi aliquis clericus Tarraconenſis provinciæ contra Tarraconenſem Eccleſiam advocationis officium non petitâ à nobis licentiâ, & obtentâ præſtiterit, niſi pro ſua Eccleſia

cleſia, ſcilicet noſtræ provinciæ, in qua intitulatus fuerit, vel pro Epiſcopo noſtræ provinciæ, in cujus diœceſi Beneficium obtinuerit, vel niſi ſuam cauſſam, vel ſuorum proſequatur; Beneficio, quod habuerit in Tarraconenſi provincia, auctoritate hujus conſtitutionis noverit ſe privatum.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Ne clericus contra Epiſcopum ſuum poſſit eſſe advocatus.

ITem ſtatuimus, quòd aliquis clericus contra Epiſcopum ſuum non advocet, niſi pro Epiſcopo, à quo majus Beneficium obtinuerit, quàm à ſuo, vel niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Interdicitur clericis laïcorum patrocinium contra clericos pro ſuis Beneficiis litigantes, præterquam in certis caſibus.

CUm Eccleſia una ſit, unum Deum prædicet atque colat, & omnia quæ ipſa Eccleſia habet, unum ſit patrimonium Crucifixi, & quilibet clericus Beneficiatus, qui de ipſo patrimonio vivit, ipſam Eccleſiam non impugnare, immo defendere teneatur; & aliqui clerici Beneficiati de patrimonio ſupradicto, contra eam in cauſſis non dubitent laïcis patrocinium impartiri; iccircò præſenti conſtitutione ſtatuimus perpetuò valitura, quòd nullus Beneficiatus in aliqua cauſſa, quam clericus aliquis contra aliquem laïcum ratione ſui Beneficii habeat, agendo vel defendendo in judicio Eccleſiaſtico, ſeu etiam ſæculari laïco, contra clericum, niſi in caſibus, in quibus permiſſum eſt clerico coram ſæculari judice poſtulare, impendat patrocinium in judicio vel extrà, publicè, vel occultè, advocati, ſeu procuratoris officium exercendo: in facientes contrarium excommunicationis ſententiam proferentes.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Superior conſtitutio ad religioſos etiam decernitur pertinere.

COnſtitutionem olim editam in Provinciali Concilio Tarraconenſi per bonæ memoriæ dominum Joannem Patriarcham Alexandrinum, & adminiſtratorem Eccleſiæ Tarraconenſis, qua cavetur, ne clericus Beneficiatus pro laïcis contra clericos advocatus, vel procurator exiſtat, ad religioſos quoſcumque, ita quòd non recipiant advocationis, ſeu procurationis officium contra clericos, vel alios religioſos, ſeu perſonas quaſcumque Eccleſiaſticas, vel Beneficiati clerici contra eos, duximus extendendam.

Petrus quartus de Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT V.

Decem ducatis primùm multantur clerici, qui advocatum, aut procuratorem pro aliquo egerint, niſi quatenus à Jure permittitur: graviore pœna, qui id facere perrexerint.

NUllus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, aut religioſus, audeat poſtulare, ſeu advocare, vel etiam procurare in curia Eccleſiaſtica, vel ſæculari, niſi in caſibus à Jure permiſſis; ſub pœna 10. ducatorum pro prima vice. Si verò deinde culpabilis fuerit repertus, graviori pœna per Ordinarios puniatur.

Tit. XVI. De procuratoribus.

Petrus tertius Archiepiſcopus, in Concilio.

CAPUT I.

Statuitur, ut in ſingulis diœceſibus advocatus & procurator conſtituatur, qui pauperum cauſſas diligenter defendat, quos pauperes eſſe Epiſcopus, aut ejus officialis cenſuerit. Et merces de menſa Epiſcopali decernitur, ne quid à pauperibus ulla ratione exigatur.

SUper egenum & pauperem intendentes, cũ pleræque viduę & pupilli, & aliæ miſerabiles perſonæ propter indigentiam & paupertatem, nequeant agendo vel defendendo ducere cauſſas, & ſic eorum jura pereant indefenſa: ea propter cupientes, ſicut tenemur, indigentibus aperire viſcera charitatis; ſtatuimus & ordinamus, ſacro approbante Concilio, quòd nos, & quilibet ſuffraganeorum noſtrorum in curiis noſtris, & eorum advocatum & procuratorem pauperum conſtituere, ordinare & continuè habere teneamur: quibus de menſa noſtra, & ipſorum ſuffraganeorum, in ſuis diœceſibus, de competenti ſalario ſatisfiat. Qui quidem advocatus & procurator pauperum teneatur advocare & procurare in dictis curiis ſolerter & diligenter cauſſas dictorum pauperum, viduarum

rum pauperum, & perſonarum illarum, ſcilicet quę ab Epiſcopo, vicariis, vel officialibus ſuis verè pauperes ſuerint inventę ſummaria informatione recepta, & eiſdem advocato & procuratori expreſsè quod pauperes ſint, nota facta: nihilque ab eis quovis colore vel modo inde recipientes: ſed conſtituto per nos & dictos ſoffraganeos noſtros in dictis diœceſibus ſalario ſint contenti: ultra quod labores eorum cum multiplicato fructu retribuet infallibiliter eis ille, qui bonorum retributor eſt omnium, & pauperum fideijuſſor.

CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM LIBER SECUNDUS.

Tit. I. De judiciis.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdenſi.

CAPUT I.

Clericum in crimine fragrante, ſi quis miniſter judicis laïci comprehenderit, ut Eccleſiaſtico judici reddat, omni pœna liberatur; modò ut ne comprehenſum tractet duriùs. Sin id fecerit crimine minimè fragrante, ſine Eccleſiaſtici judicis mandato, culpæ affinis cenſetur.

CUM juſtitia ſæcularis, licèt fragrante maleficio, in furto, rapina, vel homicidio, vel raptu mulierum, vel cudendo falſam monetam clericum comprehendit, non ut vindictam in ipſum exerceat, ſed ut eundem reddat Eccleſiaſtico judici; & cùm eum ita captum reddiderit Eccleſiaſtico judici, niſi manifeſtè exceſſerit contractando captum enormiter, nullam in hoc pœnam incurrat: & qui ſic fuerit deprehenſus, canonicè puniatur. Maleficio autem non fragrante, ſi juſtitiæ ſæcularis miniſter clericum cœperit abſque mandato Eccleſiaſtici judicis, reus habeatur.

Tit. II. De foro competenti.

CAPUT I.

Archiepiſcopo Tarraconenſi mandatur, ut queſtionem de iis habeat, qui Eccleſiaſticis judicibus ſpretis, ad ſæculares profugiunt.

URBANUS PAPA IV.

URBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, capitulis, & clericis univerſis, exemptis & non exemptis, per Tarraconenſem Eccleſiam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamvis ſit grave nimis, & divini plenum animadverſione judicii, quòd aliqui laïci falcem in meſſem Domini ſacrilegis auſibus ingerentes, perſonas Eccleſiaſticas ſuis ſubjiciendo judiciis, in periculum fidei Eccleſiaſticam moliuntur ſubvertere libertatem: hoc tamen ardentiùs zelum commonet ultionis, quòd idem laïci ſui fomentum erroris dicuntur in clero aliquoties invenire, dum clerici à clericis, & quod eſt gravius, religioſi non ſolùm inviti, ſed interdum voluntarii ſpretis Eccleſiaſticis tribunalibus, ad publica judicia pertrahuntur. Ad aures namque Apoſtolatus noſtri pervenit, quòd nonnulli veſtrûm, ſpreto foro Eccleſiaſtico, ſuper his quæ ad illud pertinent, ſe mutuò protrahunt ad judicium ſæculare: aliqui verò judicium Eccleſiaſticum retardare, vel totaliter impedire volentes, regias prohibitiones contra alios impetrare præſumũt; aliquoties rem litigioſam per Regem ipſum, & alias ſæculares perſonas occupari temerè procurando. Quia igitur illud indignum eſt, & divini judicii animadverſione digniſſimum, & ideo minimè tolerandum; univerſitati veſtræ diſtrictiùs inhibemus, ne aliquis veſtrûm, in contemptum publici Beneficii, quod clericorum collegio ita inviolabiliter eſt indultum, ut ei privatis aliquorum pactis vel conſenſibus nequeat derogari; ſuo relicto judice, ad publica trahere judicia prætextu conſuetudinis, qua quidem ſe ſuper hoc, ut dicitur, munire contendunt; quamvis in talibus aliqua conſuetudo convaleſcere nequeat, vel impetratæ prohibitionis, aut occupationem procurare hujuſmodi non præſumat. Nos enim timentes, ne vos, niſi hęc corrigatis; & nos, ſi ea neglexerimus incorrecta, indignationem æterni judicis incurramus; venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Tarraconenſi per noſtras damus literas in mandatis, ut contra omnes, quos circa prædicta culpabiles invenerit, auctoritate noſtra procedat juxta canonicas ſanctiones: contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum apud Urbem-veterem, pridie idus Junii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Rodericus Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT II.

Qui clericum ad judices ſæculares citârit, ſive clericus exſtiterit, ſive laïcus, excommunicatur, & jus agendi amittit; lataque in ejuſmodi judicio ſententię invalidæ habentur.

HAbet tam de jure canonico quàm civili, libertas Eccleſiaſtica privilegium, ut clericus in cauſſa civili & criminali, volens etiam & conſentiens, nequaquam valeat co-

coram ſæculari judice conveniri: pręſumunt tamen alicubi in provincia Tarraconenſi clerici, & laïci, clericos ſuper violentiis & injuriis, & quod eſt abſurdius, ſuper decimis, ad ſæculare judicium trahere, ac temerè evocare. Judices etiam ſæculares falcem in alienam ſegetem mittentes, de cauſſis hujuſmodi inter clericos cognoſcentes, captis pignoribus, ac multâ indictâ, cogunt clericos ſic conventos, & per ipſos ſententialiter condemnatos ſatisfacere, fori exceptione declinatoria propoſita, non admiſſa. Unde cùm prędicta in præjudicium vergant non modicum Eccleſiaſticæ libertatis; iccircò nos Rodericus miſeratione divina ſanctę Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, approbante ſacro Concilio, ſtatuimus & ſancimus, ut clericus, aut laïcus, qui in criminalibus aut civilibus, temporalibus aut ſpiritualibus, clericum vocaverit coram judice ſæculari, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat. Ac nihilominus clericus actionem ſic temerè intentatam amittat. Sententias verò prędictas, tamquam à non ſuo competenti judice latas, decernimus viribus penitùs vacuatas: conſuetudine quavis, quæ corruptela debet veraciùs nuncupari, in contrarium non obſtante.

Tit. III. De feriis.

Petrus primus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Qui per anni circulum feſti dies habendi.

ITem cùm otium & deſidia fomentum pariant vitiorum, feſtivitatum multitudinem ducimus temperandam: cùm in illis, in eo quòd non laborant pauperes, aggraventur, & otioſi & deſidioſi ad illicita provocentur. Quare feſtivitates colendas neceſſariò ſubnotavimus: quas qui contempſerint colere, per ſuum presbyterum compellantur: feſtũ ſcilicet Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Sancti Vincentii, Purificationis Sanctę Marię, Mathiæ Apoſtoli, Annunciationis beatę Mariæ, duorum dierum octavarum Paſchę, Sancti Marci Euangeliſtæ, Philippi & Jacobi, Inventionis ſanctæ Crucis, Aſcenſionis Domini, feriæ ſecundæ octavarum Pentecoſtes, Joannis Baptiſtæ, Petri & Paulli, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Jacobi Apoſtoli, & Sancti Laurentii, Aſſumptionis beatæ Mariæ, Sancti Bartholomæi, Nativitatis virginis Mariæ, Matthæi Apoſtoli, Sancti Michaëlis, Lucę Euangeliſtæ, Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Sancti Martini, Sancti Andreæ, Sancti Nicolai, Sancti Thomæ, Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Et quælibet parochia obſervet feſtivitatem illius Sancti, in cujus honore conſtituta eſt major ejus Eccleſia. Officia verò harum ſolennitatum, & omnium aliarum, ſive ſint novem', ſive trium lectionum, prout hactenus conſuevit fieri à clericis, & in Eccleſiis, & in portionibus obſerventur: & ad audiendum officia laïci nihilominus moneantur.

Bernardus Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Viceſimus tertius dies Septembris jubetur eſſe ſacer & feſtus divæ Theclæ virgini & martyri; eoque à ſervilibus operibus abſtinendum.

CÆterùm quia Eccleſia Tarraconenſis, quæ caput & mater exiſtit totius provinciæ Tarraconenſis, ſub invocatione & titulo beatiſſimæ Theclæ virginis & martyris eſt conſtructa, propter quod ad invocationem & venerationem ejuſdem omnes & ſinguli de prædicta provincia ſpecialiter aſtringuntur; conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc editas innovantes, volumus, ac univerſis & ſingulis ſuffraganeis noſtris in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter dicimus, & mandamus, quatenus obſervent conſtitutiones editas in ſacro Concilio Tarraconenſi, ſuper obſervatione feſtivitatis beatæ Thecle virginis ſupradictæ, videlicet, ut feſtum beatæ Theclæ virginis & martyris nono Kalend. Octobris per ſuas civitates, & diœceſes in abſtinentia cujuſlibet ſervilis operis faciant celebrari.

Ferdinandus, in Concilio Barcinonenſi.

CAPUT III.

De feriis. & jejuniis,

QUIA propter frequentiam dierum feſtorum ac jejuniorum in multis locis hujus provinciæ, atque alibi, ea minus rectè obſervantur; placuit, ſacro approbante Concilio, eos dies hîc enumerare, quos volumus ab omnibus diſtrictè cuſtodiri, & in ſingulis parochiis ſæpiùs publicari. Dies itaque feſti, præter Dominicos dies, quos oportet omnes Chriſtianos colere, & in eis, ceſſante legitima cauſſa, Miſſam audire, & ab opere ſervili abſtinere; hi ſunt: Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis beatæ Mariæ, Mathiæ Apoſtoli, Annunciationis beatæ Mariæ, Marci Euangeliſtæ, Philippi & Jacobi Apoſtolorum, Inventionis ſanctæ Crucis, Joannis Baptiſtæ, Petri & Paulli Apoſtolorum, Jacobi Apoſtoli, Laurentii martyris, Aſſumptionis beatæ Mariæ, Bartholomæi Apoſtoli, Nativitatis virginis Mariæ, Matthęi Apoſtoli, Theclę virginis, Michaëlis Archangeli, Lucæ Euangeliſtæ, Simonis & Judæ Apoſtolorum,

rum, omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, Conceptionis beatæ Mariæ, Thomæ Apoſtoli, Nativitatis Domini noſtri, Stephani protomartyris, Joannis Apoſtoli. Necnon duo dies poſt diem ſanctum Dominicum Paſchæ, & duo etiam dies poſt Dominicum diem Pentecoſtes, & dies Aſcenſionis Dominicæ, atque Corporis Dominici eâ dem celebritate colendi ſunt. At alii feſti dies ſunt, quos ſaltem matutino tempore coli non præcipimus, ſed hortamur, in quibus, poſt Miſſarum præſertim celebrationem, permittimus ſervilibus operibus, præſertim ruſticis, operari. Sunt autem hi: Gregorii Papæ, Benedicti Abbatis, Ambroſii Epiſcopi, Georgii martyris, Barnabæ Apoſtoli, Mariæ Magdalenæ, Viſitationis beatæ Mariæ, Annæ matris ejuſdem Mariæ virginis, Dominici confeſſoris, Auguſtini Epiſcopi, Hieronymi presbyteri, Franciſci confeſſoris, Catharinæ virginis, Sanctorum Innocentium. Eos quoque dies celebrari in ſingulis parochiis convenit, quibus feſtivitas ejus Sancti incidit, cui Eccleſia parochialis dedicata eſt. Ab omnibus autem coli mandamus ejus Sancti diem feſtum, ſub cujus nomine Cathedralis Eccleſia eſt conſecrata; necnon patroni ſingularum Eccleſiarum Cathedralium vel oppidorum. Jejuniorum verò dies hi ſunt: A feria quarta cinerum, uſque ad ſabbathū ſanctum, quod diem ſacrum Paſchatis præcedit, exceptis Dominicis diebus. Quatuor anni Temporum terni dies, hoc eſt feriæ quartæ, feriæ ſextæ, & ſabbatha. Vigiliæ Sanctorum Apoſtolorum, Mathiæ, Petri & Pauli, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, & Thomæ, omnium Sanctorum, Joannis Baptiſtæ, & Laurentii martyris, vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ, vigilia Nativitatis Domini, & Pentecoſtes. Necnon illi dies, quibus in ſingulis diœceſibus Epiſcopi ex aliqua rationabili cauſſa jejunia indixerint. Cumque ſcriptum ſit: *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*; vota quæcumque jejuniorū, aut dierum feſtorum, à populo, aut à ſingularibus perſonis emiſſa, ab eiſdem obſervari jubemus: melius eſt enim non vovere, quàm poſt votum non reddere promiſſa.

Hanc igitur tam feſtorum dierum, quàm jejuniorum enumerationem ab omnibus obſervari, dicti Concilii approbatione præcipimus, prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & conſuetudinibus quibuſcumque non obſtantibus. In tranſgreſſores autem hujus noſtræ conſtitutionis, tam omnes Eccleſiaſtici judices, quàm parochialium Eccleſiarum rectores, eorumque vicarii, atque alii Superiores ſeverè procedant; ne ſanguinem ovium Chriſti ipſe Dominus ab eiſdem requirat.

Idem in eodem.

CAPUT III.

In proceſſionibus ſimulatos Reges, vates, pueros, aut puellas, nuditate corporis angelos ſeu virgines repræſentantes, & bruta animalia admitti non debere.

Multis antiquorum Patrum conſtitutionibus prohibitum eſt, clericos arma portare, aut comam, vel barbam nutrire, aut etiam ſæcularibus veſtibus indui, ut qui in ſortem Domini, ut pars ejus hæreditatis, vocati ſunt, ab aliis vita & moribus ſeparatos ſe eſſe oſtendant, audent tamen aliqui, ſe ſub prætextu & clypeo ſacrarum litaniarum, ſive proceſſionum, in celebratione ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, aut aliis temporibus, publicè ſanctos Reges, aut Prophetas, aut ſacros milites Chriſti, non modeſtiâ & continentiâ religioſâ imitari, ſed profanè Reges, aut vates, aut ſuperbos milites æmulari. Pueros quoque, vel puellas nuditate corporis, aut fucata facie, ſive in angelorum, ſive in ſanctarum virginum, aut virtutum repræſentationem, aut viros, qui beatum Sebaſtianum, vel Laurentium, aut alios ſacros martyres agunt, nuditate, aut alia turpi aut indecora corporis vel habitus geſticulatione prodire in publicum illis, aut aliis diebus, nefas eſſe nemo negabit. Multò etiam magis, ſi equus, aut bos, aut alia quæcumque bruta animalia templa ſacra ingredi, aut inter clericorum canentium choros verſari in proceſſionibus permittantur. Hæc igitur omnia, ſacro approbante Concilio, ſub excommunicationis pœna, monitione præmiſſa infligenda, fieri omnino prohibemus. Sancta enim ſanctos decent, & per quæ placare Deum cupimus, graviùs offendere non debemus.

Tit. IV. De teſtibus.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

A procuratore fiſcali teſtes inquiſitionis recipi non debere.

Teſtimonia quæ recipi debent, antequam contra delatum offerantur capitula, vel aliàs moleſtetur, niſi timeatur de fuga, vel fragrante crimine, capiatur, non per procuratores fiſcales, ſed per officiales, ſub excommunicationis pœna recipi præcipimus, cum officium ſit judicis, & non partis.

Tit. V. De fide inſtrumentorum.

Petrus Claſquerinus in Concilio Tarracone celebraro.

CAPUT I.

Notariis, qui obtinent ſcribanias Eccleſiaſticas, non eſſe contractionibus aut abbreviationibus dictionum utendum.

DEfidiæ, quæ hactenus in notariis ſeu tabellionibus Eccleſiarum, civitatum, diœceſium, & provinciæ Tarraconenſis inolevit, necnon litigiis & damnis, quæ interdum contrahentibus ad invicem inferuntur propter abbreviaturas, quas rectores, vicarii perpetui, & aliæ perſonę Eccleſiaſticę & ſæculares provinciæ ſupradictæ habentes, ſeu tenentes, & regentes ſcribanias, ſeu notarias Eccleſiæ ponunt in inſtrumentis, quæ recipiunt ad inſtantiam contrahentium prædictorum, per verbum *&c.* vel ſimile, occurrere cupientes; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd quicumque rector, vicarius perpetuus, ſeu quævis alia perſona Eccleſiaſtica, vel ſæcularis, aut quicumque alius notarius, ſeu ſcriptor, habens ſeu tenens, aut regens ſcribaniam, ſeu notariam Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ intra provinciam Tarraconenſem, qui formam alicujus inſtrumenti recipiet, ſcribat, ſeu ſcribi faciat in ſuis capibreviis, vel libris notularum, notam dicti inſtrumenti largo modo, & per continentiam literarum dictatam, ſic quòd in ipſa nota non ſit aliqua abbreviatura, quæ per verbum *&c.* vel ſimile, prout hactenus conſuevit fieri, quam quidem notam ſcribere ſeu ſcribi facere teneatur infra duos menſes, poſt firmas omnium contrahentium, & aliorum, qui ipſum inſtrumentum firmare habent, interpoſitas computandos: ipſis tamen contrahentibus dictis notariis exſolventibus medietatem ipſius ſalarii, de & pro ipſo inſtrumento eis pertinentis. Si verò dictum inſtrumentum, aut contractus ſuper quo ipſum inſtrumentum recipietur, ad cognitionem ſapientis, vel alterius perſonæ dictari habeat, eo caſu, tempus dictorum duorum menſium, poſtquam ipſa cognitio interpoſita fuerit, incipiet currere, & non antè; & illud idem in teſtamentis volumus obſervari. Terminus tamen duorum menſium poſt publicationem teſtamentorum, quæ poſt mortem teſtantium coram ſuis amicis ſolet fieri, vel poſt mortem teſtatoris in locis ubi dicta publicatio non eſt ſolita fieri coram amicis, ut præfertur, incipiat currere, & non antè. Et ſi forſan teſtator in vita ſua requirat teſtamentum ſuum in notulam, aut capibrevium notularum redigi ſeu ſcribi, illud notarius infra duos menſes à tempore ipſius requiſitionis immediatè ſequentes, facere teneatur: ipſo tamen teſtatore medietatem ſalarii ipſius teſtamenti eidem notario perſolvente. In locis tamen ubi jam ordinatum exiſtit, quòd notarii habeant teſtamenta in notas capibreviorum redigere, ſervetur id quod jam in ipſis locis exſtitit ordinatum. Et ſi prædicta, aut prædictorum aliquod, rector, vicarius, aut notarius, aut ſcriptor aliquis habens, regens, ſeu tenens notariam, ſeu ſcribaniam Eccleſiæ in civitate, diœceſi, & provincia prædictis, repertus fuerit non ſervare; pœnam viginti ſolidorum pro quolibet inſtrumento vel teſtamento quod repertum fuerit breviter notatum, ſeu in quo dicta abbreviatura per verbum *&c.* vel ſimile facta fuerit, incurrere volumus ipſo facto, in ornamenta, vel alias neceſſitates Eccleſiæ, in cujus ſcribania hoc repertum fuerit, per Ordinarium convertendam. Et nihilominus teneatur reſtituere omnia damna & intereſſe, quæ ratione ipſius abbreviaturæ ſecuta fuerint, contrahentibus, vel alteri eorundem, quæ damna & intereſſe ſolvere teneantur, facta priùs taxatione de ipſis damnis & intereſſe per Archiepiſcopum, Epiſcopum, vel vicarium, aut officialem, ſeu rectorem, vel vicarium prædictorum.

Idem in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Rectores, vicarii, ac notarii, quique notariorum vices gerunt, prohibentur extra fines rectoriæ, aut loci, cujus ſcribanias tenent, quamcumque ſcripturam publicam exportare.

SAcro approbante Concilio ſtatuimus, ut nullus rector, ſeu vicarius, ſeu quivis alius notarius, ſeu locum tenens rectoris, vicarii, ſeu notarii cujuſcumque Eccleſiæ, loci, ſeu parochiæ noſtræ diœceſis, & provinciæ Tarraconenſis, aut alia quæcumque perſona Eccleſiaſtica, vel etiam ſæcularis, notulam, ſeu notulas, aut protocollum, ſeu protocolla notularum ipſius Eccleſiæ, loci, ſeu parochiæ inſtrumentum, ſeu inſtrumenta, aut quamcumque aliam ſcripturam publicam, quam idem notarius, vel locum-tenens notarii tenere debet, extra fines aut terminos loci, ſeu parochiæ, aut notarię ipſius extrahat, ſeu extrahi faciat quovis modo, abſque noſtra, vel venerabilium fratrum noſtrorum, aut vicariorum, ſeu officialium noſtrorum, vel eorum, aut aliorum dominorum Prælatorum dominorum ſcribaniarum, ſpeciali licentia & permiſſu. Quicumque autem hujuſmodi prohibitionis ſeu ſtatuti temerarius exſtiterit violator, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, à qua abſolvi nequeat, niſi priùs Eccleſiæ loci, ſeu parochiæ ipſi, ac paſſis inde injuriam, ſive damna integrè ſatisfecerit arbitrio noſtro, vel dictorum ſuffraganeorum noſtrorum, aut vicariorum, ſeu officialium noſtrorum, vel eorum, de tranſgreſſione hujuſmodi nihilominus puniendus.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Domini temporales invadere prohibentur in ſcripturas, contractus, atque inſtrumenta, quæ à perſonis Eccleſiarum ſcribi jus eſt.

ITem quia nonnulli domini temporales, bajuli, ſeu officiales ſuis in locis, in quibus ſcribaniæ ſunt, & fuerunt hactenus Eccleſiarum, ab aliquibus citra temporibus, poſtquam juriſdictionem dictorum locorum, civilem vel criminalem, iidem domini temporales emerunt, jura ad dictas Eccleſias, ſcribanias, vel rectores ipſarum, vel ad alias perſonas Eccleſiaſticas ratione inſtrumentorum, & aliarum ſcripturarum pertinentia, in fraudem & detrimentum prædictorum rectorum, & Eccleſiarum, vel aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum uſurpari permittunt, ſeu uſurpare nituntur; faciendo in regiſtris ſuis, vel ſuorum officialium ſcribi inventaria, contractus, & alia, de quibus erant per dictos rectores, ſeu eorum vicarios, ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas inſtrumenta publica facienda: propter quod evidenter deminuti fuerunt, & deminuuntur redditus, proventus, & emolumenta ad dictos rectores, & Eccleſias, ac Eccleſiaſticas perſonas alias pertinentes, talia deinceps ſub excommunicationis anathemate, quam contrarium facientes ipſo facto incurrant, fieri prohibemus: à qua abſolvi nequeant, donec de damnis, Eccleſiis & rectoribus eiſdem ad arbitrium diœceſani, hujuſmodi uſurpantis vicarii generalis, vel officialis principalis ipſius, fuerit plenariè ſatisfactum. Sciantque præfati domini temporales, bajuli, vel officiales prædicti, ſe ad reſtitutionem damnorum per eos jam illatorum, eiſdem Eccleſiis & rectoribus teneri, ſi divinam cupiunt evitare ultionem.

Idem in eodem.

CAPUT IV.

Notarii, qui facultate non impetrata, inſtrumenta acceperint in iis locis, in quibus ſcribaniæ ad Prælatos, Eccleſias, ac rectores pertinent, excommunicantur.

CUm nullus in alienam ſegetem ponere debeat falcem ſuam, approbatione hujus ſacri Concilii, quoſcumque notarios, vel ſcribas publicos, qui in locis, in quibus notariæ, ſeu ſcribaniæ ad Prælatos, Abbates, Eccleſias, vel rectores earundem, aut alias perſonas Eccleſiaſticas pertinent, inſtrumenta, vel teſtamenta, vel quoſcumque alios contractus acceperint, deinceps excommunicationis vinculo innodamus, niſi ea fecerint de expreſſa licentia, de qua apparuerit, eorundem: inſtrumentaque & alia ſic confecta careant roboris firmitate. Noſtræ tamen intentionis exiſtit, quòd notarii noſtri Archiepiſcopi, & venerabilium ſuffraganeorum noſtrorum, & capitulorum Eccleſiarum, etiam Cathedralium, in locis prædictis utantur, prout hactenus eſt fieri aſſuetum.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Contrahentes, qui notarium induxerint, ut in alia parochia actus recipiat, quàm in qua recipi jus fuerit, excommunicantur.

QUia fraus & dolus nemini debent patrocinium impertiri, ſtatuimus, quòd contrahentes alicujus parochiæ, ſeu abbatum, ſeu aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, quibus competit publica conficere inſtrumenta, vel alios quoſcumque contractus, ſeu obligationes recipere, ad conficiendum inſtrumenta per rectorem, vel aliũ quemcumque notarium, ut in alia parochia prædicta inſtrumenta recipiat, ne inducant, excommunicationis ſententiam ipſo facto, ſi ſecus actum fuerit, incurſuri, à qua nullatenus abſolvantur, niſi Eccleſiæ, rectori, aut damnum paſſo de ſalario, quod erat eidem debitum, ſi inſtrumenta, vel contractus hujuſmodi recepiſſet, fuerit plenariè ſatisfactum.

Idem in eodem.

CAPUT VI.

Æſtimatio mercedis notariorum, quæ vulgò taxa *dicitur, Ordinariorum relinquitur arbitrio.*

DEnique, quia in Concilio per nos celebrato anno à Nativitate Domini MCCCLXIIII. in conſtitutione quæ incipit: *Deſidiæ &c.* fuerat ordinatum, quòd rectores, & alii notarii, ad quos pertinet in protocollis ſeu ſchedulis contractus ſcribere, largo modo teneantur ſine *&c.* & quòd eis inſtrumentorum ſalaria taxentur, taxationem præfatam remittimus ad Ordinarios in ſuis diœceſibus per ſe, vel vicarios, vel officiales ſuos debitè faciendam.

Hieronymus ab Auria Cardinalis, & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VII.

Cum neutra pars litigantium in expenſis damnata fuerit, tantum ab unaquaque exigendum, quantum inſtruendæ liti expenderit.

CUm nil magis æquitati & rationi conveniat, quàm in collitigantium controverſiis negotium æqua libra pertractari, & hactenus in aliquibus hujus provinciæ curiis compertum ſit, inter litigantes per

notarios, & curiæ ſcribas abuſivè ſalaria proceſſuum æqualiter exigi, nulla habita conſideratione expenſarum eorum, quæ pro qualibet parte fuerunt producta, deducta, & exhibita: ideo, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus de cætero, pro eo ſolum à quocumque litigante ante ſententiam, vel eâ latâ, & neutra parte in expenſis condemnata, exigendum eſſe quod pro ſua parte judicialiter in proceſſu productum, deductum, ac exhibitum fuerit; & quòd notarii & curiarum ſcribæ in quolibet intermedio debitum, ex dicto proceſſu à litigantibus exigere valeant.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT VIII.

Rectores & notarii notulas aut protocollum, extra fines aut terminos parochiæ aut notariæ non extrahant; librum apriſiarum habeant; & ſi locum, ſeu parochiam mutaverint, nullo modo inſtrumenta ſecum afferant.

CUM maximè interſit reipublicę, ut inſtrumenta & aliæ ſcripturę authenticæ conſerventur, ut ab iis quorum intereſt, abſque difficultate haberi poſſint: proinde per bonæ memoriæ Petrum de Claſquerino, Patriarcham Antiochenum in Archiepiſcopatu Tarraconenſi prædeceſſorem noſtrum, in ſecundo Provinciali Concilio per eum celebrato ſtatutum fuit, ut nullus rector ſeu vicarius, vel quivis alius notarius, vel locum-tenẽtes rectoris, vicarii, ſive notarii cujuſcumque Eccleſiæ, loci, ſeu parochiæ noſtræ provincię Tarraconenſis, aut alia quæcumque perſona Eccleſiaſtica, vel etiam ſæcularis, notulam ſeu notulas, aut protocollum, ſeu protocolla notularum ipſius Eccleſiæ loci, ſeu parochiæ inſtrumentum, ſeu inſtrumenta, aut quamcumque aliam ſcripturam publicam, quam idem notarius, vel locum-tenens notarii tenere, debeat extra fines aut terminos loci ſeu parochiæ, aut notariæ ipſius, extrahat, ſeu extrahi faciat quovis modo ſine Metropolitani, aut comprovincialium Epiſcoporum, vel vicariorum, ſeu officialium eorundem, aut aliorum Prælatorum dominorum ſcribaniarum ſpeciali licentia & permiſſu, ſub excommunicationis ſententia ipſo facto per contrafacientes incurrenda; à qua abſolvi nequeant, niſi priùs Eccleſiæ loci, ſeu parochiæ ipſi, ac paſſis inde injuriam ſive damna, ſatisfecerint, ut in dicta provinciali conſtitutione latiùs continetur. Verùm quia plures parum Deum & cenſuras Eccleſiaſticas timentes, contra conſtitutionem prædictam, dum ab aliqua parochia, in qua tanquam rectores, vicarii, aut notarii fecerunt reſidentiam, recedunt; protocolla, ſeu librum manuale nuncupatum, aut alias ſcripturas publicas ſecum aſportant, in grave partium præjudicium & jacturam; alii verò dicta inſtrumenta, ſeu illorum apriſias in papyro volanti ſcribunt, nec illas in libro aliquo, ſicut convenit, redigere curant, ſicque de facili amittuntur; nos volentes hujuſmodi abuſibus, & partium indemnitati providere, dictam conſtitutionem innovando, & ei addendo, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, ac ſingulis rectoribus, vicariis, ſeu eorum loca-tenentibus, notariis hujus noſtræ Tarraconenſis provinciæ præcipimus & mandamus, ut quilibet eorum habeat, & habere debeat librum, in quo per ſingulos annos omnes apriſiæ, ſive protocolla inſtrumentorum, tam ultimarum voluntatum, quàm aliarum diſpoſitionum, inter vivos, & aliarum ſcripturarum, cujuſcumque generis ſint, & quovis nomine nuncupentur, de quibus eos rogari contigerit, ſcribere & continuare teneantur: ipſamque apriſiam, ſive matricem ſcripturam infra duos menſes in inſtrumentis, quibus id commodè fieri poterit, extendere, & in alio libro notularum notam dicti inſtrumenti largo modo, & per continentiam literarum dictatam, ſic quòd in ipſa nota non ſit aliqua abbreviatura per verbum *&c.* ſcribere teneantur, ut per eundem Petrum de Claſquerino in alia conſtitutione provinciali, quæ incipit: *Deſidiæ*, quę hactenus in notariis ſtatutum fuit, & ut fraudibus, quę dictis conſtitutionibus fieri poſſent, obvietur; præcipimus & mandamus, quòd in qualibet parochiali Eccleſia, ſeu illius ſacriſtia, aut ſacrario, aut alio loco ad cuſtodiam dictarum ſcripturarum convenienti, fiat expenſis rectoris ſeu vicarii perpetui, ſeu alterius, ad quem ſcribania dictæ parochiæ pertinet, unum armarium, in quo recondantur omnes libri dictarum apriſiarum ac notularum, & ſi contigerit rectorem ſeu vicarium mutari ad alium locum, ſeu alio modo regimen ſcribanię dimittere; teneatur ſuo ſucceſſori per inventarium omnes libros & ſcripturas prædictas dimittere. Et quilibet novus ſucceſſor in ſuo novo ingreſſu teneatur etiam dictos libros & ſcripturas in inventario ponere; in cujus confectione Bajulus, aut duo Jurati illius loci ſeu parochiæ, aſſiſtere debeant: exhortantes omnes & ſingulos Epiſcopos comprovinciales noſtros, & alios Ordinarios, ad quos viſitatio pertinet, ut in viſitatione dictarum Eccleſiarum, etiam dictum armarium inſtrumentorum & aliarum ſcripturarum viſitent, & dictos libros recognoſcant, & ipſos rectores aut vicarios de eorum culpis ſeverè caſtigent.

Tit. VI. De jure-jurando.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Clerici perjuri juxta ſanctiones canonicas puniantur.

ÆGrè ferimus quòd ad noſtrum pervenit auditum, nimirum aliquos clericos in noſtra provincia ita eſſe propriæ famæ & ſui ſtatus oblitos, ut intra judicium, & extra judicium juramenta per eos præſtita in magnum animarum ſuarum, & juſtitiæ præjudicium violare præſumant. Nos huic peſtifero morbo, quantum poſſumus, obviare cupientes, ſacro approbante Concilio, ſancimus, ut ſi quis clericus in noſtra provincia juramenti religionem ſpreverit, & contra juramentum per eum præſtitum venerit, aut de perjurio coram ſuo judice convictus fuerit; quinquaginta ducatorum pœnam, piis operibus ab Ordinario applicandorum ipſo facto, abſque remiſſione incurrat; ut quem Dei timor à delicto non revocavit, temporalis ſaltem coërceat ſeveritas diſciplinæ. Quòd ſi ſolvendo non fuerit, ſic aliàs ejus tranſgreſſio puniatur, quod ejus pœna cæteris auferat audaciam ſimiliter delinquendi: ſalvis tamen omnibus aliis pœnis canonicis contra perjuros editis, quibus nolumus per conſtitutionem præſentem in aliquo derogari.

Tit. VII. De appellationibus.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Triginta dies, qui ad concedendum Apoſtolos dantur, incipere declaratur à die appellationis emiſſæ.

INſuper quia ab aliquibus citrà temporibus quidam inolevit abuſus per judices & officiales Eccleſiaſticos, à quibus in vocem appellationis prorumpitur, introductus, quem diverſorum doctorum, ſeu gloſſatorum opinio antea præparavit, diſceptantium an triginta dies, qui dantur à judicibus, à quibus vox appellationis ſeu provocationis emittitur, ad tradendum Apoſtolos appellanti, currant à die latæ ſententiæ, vel illati gravaminis, quum extra judicium provocatur, vel appellationis emiſſæ nonnullis aſſerentibus, quòd à die latæ ſententiæ, aliis quòd à die appellationis emiſſæ debent currere; propter quod eſt in judicis optione, utram maluerit prædictarum opinionum eligere, & certum juris terminum præfigere appellanti, ex quibus appellantes laboribus ac ſumptibus fatigantur; cùm ſæpè habeant coram appellato ſeu provocato judice comparere: quinimmo interdum jus appellantium poſſet ex cauſſis præmiſſis facilè deperire, cùm appellationes ex hoc reperiantur deſertæ; affectantes diſceptationem prædictam de Tarraconenſi provincia radicitus exſtirpare, & ſub tuto & certo ponere appellantes: & ideo ſacri approbatione Concilii, præſenti irrefragabili conſtitutione duximus ordinandum, quòd dicti triginta dies currant à die appellationis emiſſæ: ſive à ſententia definitiva, ſive interlocutoria; vel extra judicium ab illato, vel inferendo gravamine appelletur. Adjicientes, quòd cùm à nobis & ſuffraganeis noſtris, vel quibuſvis judicibus Eccleſiaſticis noſtræ provinciæ fuerit appellatum, nos, & ipſi noſtri ſuffraganei, & noſtri & eorum judices, certum diem dictorum triginta dierum, & certum Kalendarium continentem teneamur, & teneantur præfigere appellanti ad recipiendum Apoſtolos; & eadem die, & non ulteriùs appellans coram appellato habeat, ſeu provocato judice comparere Apoſtolos recepturos.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Apoſtolos, ſive literas dimiſſorias nimis prolixas eſſe non debere.

ABuſum, qui in aliquibus locis Tarraconenſis provinciæ inolevit, per quem fuerat introductum, quòd Eccleſiaſtici judices in appellationibus ab eis emiſſis nimis prolixos Apoſtolos, ſeu literas dimiſſorias in gravamen & detrimentum appellantium concedebant, penitùs deteſtantes, talia de cætero fieri per Prælatos, officiales, vel judices, ad quos præmiſſa concedere pertinet, ſub obteſtatione divini judicii, & in virtute ſanctæ obedientiæ fieri prohibemus.

CON-

CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM LIBER TERTIUS.

Tit. I. De vita & honeſtate clericorum.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Inſtruuntur vita, habitus, & mores clericorum.

A Crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant; officia, vel commercia ſæcularia non exerceant, maximè inhoneſta: joculatoribus, mimis, & hiſtrionibus non intendant; tabernas prorſus evitent, niſi fortè neceſſitatis cauſsâ in itinere conſtituti: aleis vel taxillis non ludant; nec hujuſmodi ludis interſint: coronam, & tonſuram competentem habeant; clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda: pannis rubeis, vel ſendatis, ſeu viridibus, ſeu virgatis tunicis, vel ſupertunicis ſic apertis, ut oſtendant latera; ſed aſtrictis, ut femoralia non demonſtrent: necnon manicis, nec ſotularibus conſuticiis, vel roſtratis, aurifricis, pictis pallis, ſerico ſuperornatis, fibulis aut corrigiis auri ver argenti ornatum habentibos, cincturis ſericis, ſellis quoque deauratis, vel deargentatis, vel coloris varii, frænis, pectoralibus, calcaribus deauratis, vel aliam ſuperfluitatem gerentibus non utantur. Nullus in ſacerdotio vel peſonatu conſtitutus cappam manicatam gerat, niſi juſti timoris cauſſa exegerit habitum tranſformari. Ad divinum officium intra Eccleſiam cappam manicatam nullus deferat, & infrà. In Eccleſiis, civitatibus, villis, vel aldeis, clerici cultellos acutos, vel arma portare non præſumat; niſi fortè ad defenſionem proprii corporis, juſti cauſsâ timoris. Si quis autem contra noſtram hanc conſtitutionem venire præſumpſerit, ſi Beneficiatus ſit, ſuſpendatur ab omnibus Beneficiis; & cùm ad emendationem venerit, tanto tempore poſtmodũ eorum perceptione Beneficiorum careat, quanto in ſua contumacia permanere præſumpſerit. Si verò Beneficiatus non fuerit, ab introitu Eccleſiæ ſuſpendatur.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Moderatio præcedentis conſtitutionis.

COnſtitutionem bonæ memoriæ Joannis Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati: *A crapula*, ſacro approbante Concilio, renovantes & moderantes, ſtatuimus & ordinamus, ut is qui in aliquo eorum, quæ in illa continentur, deliquerit, juxta ſanctiones canonicas, & conſtitutiones provinciales aliàs editas, ut magis videbitur expedire, pro qualitate perſonæ ab Ordinario puniatur.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Clericorum veſtitus præſcribitur: quibus præcipitur, ne cum ſuperpelliceo aut roquetto per plateas & vicos vagentur, & ne barbam nutriant.

NON poſſumus non graviter dolere, audientes aliquos clericos hujus noſtræ provinciæ in ſacris ordinibus conſtitutos, & Beneficiatos, qui populo exemplo ad bene, piè, honeſteſque vivendum eſſe deberent, in itinere, in civitatibus, & oppidis, tali veſtitu incedere, ut ſine ullo diſcrimine tamquam laïci reputentur & habeantur; quod ſtatum clericalem non leviter dehoneſtat. Quamobrem huic malo de ſalutari remedio providere cupientes; ſacri Tridentini Concilii decretis inhærendo, & prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones de hac re diſponentes, ſacri approbatione Concilii renovantes ac declarantes; quæ ſequuntur in tota noſtra provincia obſervanda, præſenti conſtitutione ſancimus & ordinamus. Principiò, ut poſthac nullus clericus, cujuſcumque gradus vel conditionis exiſtat, in aliquo ex ſacris ordinibus conſtitutus, vel Beneficiatus, ſubuculam collari & manicis rugatis, ſeu lactucatis deferat; nec veſtes virides, rubeas, vel croceas, aut quovis alio inhoneſto colore infectas, induatur; nec veſtes ſericas, etiam ſi fuerit in dignitate aliqua conſtitutus, aut canonicus Eccleſiæ Cathedralis; ſed nec mulas ornamentis aureis, argenteis, aut ſericis ornari patiatur. Quilibet verò ſacerdos, aut ſacris initiatus, vel Beneficiatus caligas honeſtas, ſotanam, vel tunicam ſatis oblongam cum mantello aut toga ex panno nigro, vel propter paupertatem fuſci coloris, veſtiatur; pileumque ſtatui clericali decentem deferat: infirmitatis tamen cauſsâ, vel in itinere galerum, tabardum, aut tunicam brevem

vem deferre poterit. Deinde in Ecclesia & choro, ac in sepulturis, & novenis, seu in aliis quibusvis exequiis & divinis officiis, quæ tam pro vivis, quàm pro defunctis dicentur; sotanam, vel tunicam talarem, superpelliceum mundum, seu roquetum pro tempore congruens, & pileum clericalem induatur; coronam & barbam, præsertim in superiori labro, sæpiùs radat; & caveant omnes, cujuscumque status & conditionis fuerint, ne cum superpelliceo aut roqueto per plateas, per civitatem, & oppida deambulantes vagentur; neve carnes, pisces, aut alia victualia sic vestiti emant, aut secum asportent. Qui verò rebus hac constitutione prohibitis contraierit; amissione vestium, & pœna decem librarum, aut alia arbitrio Superiorum punietur. Simili quoque pœna, sacro approbante Concilio, eos multari volumus, qui chirothecas odoratas, & annulos aureos vel argenteos deferunt; illis exceptis, qui ratione dignitatis, doctoratûs, vel alterius privilegii annulum deferre possunt. Hortamur autem omnes nostræ provinciæ Episcopos, & quoscumque alios Ordinarios, vt in conferendis Beneficiis caveant, ne illis Beneficia conferant, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude; sed ut Deo & Ecclesiæ fidelem cultum præstent, velle Ecclesiasticum Beneficium recipere; & eosdem moneant diligenter, ut præsentem observent constitutionem. Quod si non fecerint, sciant se, juxta decretum sacri Concilii Tridentini, Beneficiis privandos esse.

Idem in eodem.

CAPUT IV.

Ludus alearum & chartularum Beneficiatis & sacerdotibus interdicitur.

CUM ex ludi vitio multiplicia mala oriri compertum sit, videlicet perjuria, blasphemias, rixas, seditiones, homicidia, furta, quamplurimaq; alia nefanda crimina; idque vitium omnes Christianos, & maximè clericos dedeceat: omnino interdicimus omnibus in sacris ordinibus constitutis, seu Beneficia Ecclesiastica cujuscumque qualitatis obtinentibus, aleam semper, & ludos chartularum, & pilæ; nisi intra parietes privatos, & cum sacerdotibus, seu Beneficiatis, recreationis causâ. Ita tamen ut neque frequenter, neque cum scandalo id fiat: hortantes eos potiùs literis, seu musicæ vacare, aliisque honestis occupationibus, quàm in hoc turpi & inhonesto vivendi genere tempus conterere; memores se de verbis otiosis, nedum de factis turpibus, strictam rationem in supremo judicio reddituros. Volumus tamen, ut quũ musicæ vacabunt, non noctu vagantes, aut laïcorum recreandorum gratiâ id peragant. Contrarium verò facientes, vel partem aliquam cum ludentibus habentes, pœnam quinque librarum incurrant.

Benedictus Rocabertinus Archiepiscopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Prælati monentur curare, dum cibum capiunt, aliquid sacri ut legatur.

ITem ne solùm fauces sumant cibum, sed & aures audiant & percipiant verbum Dei, & cessent vaniloquia & tumultus; statuimus, quòd singuli Episcopi in palatiis suis, dum comedunt, ad mensam faciant legi sibi. Idem volumus & statuimus de Abbatibus, Prioribus, & Præpositis in suis Conventibus, dum in refectorio comedunt, observari.

Arnaldus Cescomes Archiepiscopus, in secundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

Prælatorum mensis nonnisi duo fercula apponi debere.

STatuimus, quòd nos, vel aliquis Episcopus, seu Prælatus, aut quicumque alius clericus, non donet in uno prandio seu comestione nisi duo fercula: in quorum altero possint esse duo genera carnium, in altero de una dumtaxat; in quibus tamen carnes salsæ minimè computentur. In diebus verò jejunii possint dari tria fercula, & non ultrà.

Petrus Clasquerinus Archiepiscopus, in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT VII.

Clericis Beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis lancea, scutum & balista interdicitur.

CUM usus armorum clericis sit prohibitus, & maximè qui gestum & habitum clericalem deturpat; propterea, sacro approbante Concilio, statuimus, quòd nullus Beneficiatus, seu clericus in sacris ordinibus constitutus, à modò absque justa & rationabili caussa, equitando vel peditando portet lanceam & scutum, vel balliſtam cum sagittis; nec ad sonum de *viasos*, seu rixam, quæ aliquando in civitatibus, villis, seu castellis, seu locis fieri contingunt, exeant cum armaturis prædictis: cùm non sit licitum clericis aliquem offendere, nec inter offendentes existere, nisi caussâ defensionis sui, vel rerum suarum. Qui verò contrarium fecerit, nisi ex justa vel rationabili caussa, ut præfertur, & nisi de licentia sui Su-

pe-

perioris hoc fecerit; pœnam viginti ſolidorum incurrat pro qualibet vice, qua culpabilis inventus fuerit in præmiſſis, applicandam ſuo Prælato.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VIII.

Armorum uſus certo modo clericis interdicitur.

ARmorum uſum, ſacrorum Conciliorum & ſanctorum Patrum decretis prohibitum eſſe, certum eſt: nihilominus multorum relatione intelleximus, aliquos hujus noſtræ provinciæ clericos in ſacris conſtitutos, ſuæ honeſtatis & dignitatis immemores, arma deferre offenſiva, & jure prohibita. Quamobrem conſtitutionem provincialem *Cùm uſus armorum*, & conſtitutionem *Approbando*, de vita & honeſtate clericorum, ſacro approbante Concilio, renovantes & ampliantes, ſtatuimus atque ordinamus, ut poſthac nullus clericus, cujuſcumque dignitatis & conditionis fuerit, vel Beneficiatus, arma deferre audeat. Si quis autem ex prædictis balliſtam, lanceam, pugionem, vel ſicam, vel tormentum quodvis manuarium, ideſt, ſcopetam, vel ſimilia portaverit, & cum ipſis fuerit repertus, præterquam in itinere, in quo enſem deferre poterit, decem ducatorum pœnam æquis portionibus pauperibus illius loci, in quo deprehenſus fuerit, & reparationi domus Epiſcopalis, aut illius Ordinarii, ad quem clericum deprehenſum punire ſpectat, dividendam incurrat, & eadem ipſa arma prohibita amittat. Poterit tamen Epiſcopus, vel Ordinarius, ſi ita expedire judicaverit, facultatem aliquando præbere clericis; ut eos talia arma deferentes comitentur, neceſſitate ita exigente.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT IX.

Tormenta manuaria, vulgò pedrenyals curts *appellata, clericis interdicuntur,*

PIE, ſancteque fuit à prædeceſſoribus noſtris armorum uſus clericis interdictus: oportet enim ſacris myſteriis addictos orationibus potiùs, quàm militum more armis ſe ſuaque tueri. Nihilominus tamen in noſtra provincia adeſſe intelleximus Beneficiatos & ſacerdotes, qui Deum & multam pecuniariam parum timentes, ea deferunt, quæ conſtitutionibus provincialibus ſunt prohibita, quæ ſine vitę diſcrimine, qualia ſunt tormenta manuaria, quæ vulgò *pedrenyals curts* appellantur, à laïcis deferri non poſſunt. Quamobrem conſtitutiones bonæ memoriæ Petri Claſquerini: *Cùm uſus armorum*, & Antonii Auguſtini: *Armorum uſum*, prædeceſſorum noſtrorum, ſacro approbante Concilio, renovantes & ampliantes, ſancimus & ordinamus, ut ſi quis Beneficiatus, aut ſacris initiatus, cujuſcumque dignitatis & conditionis, fuerit, tormentum hujuſmodi, *pedrenyal curt* vulgò dictum detuliſſe convictus fuerit; ſeverè, & ſine remiſſione, arbitrio Ordinarii puniatur. Non enim decet eum, qui laïcis exemplum eſſe debet, ea arma deferre, quæ tamquam proditoria etiam jure patriæ ſunt interdicta.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus. in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT X.

Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis famulatus laïcorum prohibetur.

NEmo militans Deo, ut ait beatus Apoſtolus, implicat ſe negotiis ſæcularibus. Quamobrem multis ac variis ſacrorum Conciliorum, & Romanorum Pontificum, ac noſtrorum prædeceſſorum conſtitutionibus ſtatutum eſt, ut clerici vel monachi ſæcularibus negotiis non ſe immiſceant. Miniſtros itaque & famulos laïcarum perſonarum eſſe clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, aut menſæ laïcorum miniſtrare, ſacri approbatione Concilii prohibemus; necnon fœminas quaſcumque eiſdem clericis inniti, & manibus vel brachiis eorũ adhærere; aut eâdem mulâ, equo, vel jumento vehi, ſub excommunicationis pœna prohibemus.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XI.

Præcipitur in ſacris ordinibus conſtitutis, ne laïcis famulentur, neve mulieres deducere & reducere audeant.

ETſi ſublimis atque admirabilis ſit ſacerdotum dignitas, magnamque auctoritatem & ſanctimoniam ſacris ordinibus inſignitus habere debeat; permulti tamen ſacerdotes ſui ſtatus & dignitatis immemores, illam deturpare non verentur; dum inhoneſto laïcorum miniſterio ſeipſos ſubjiciunt, in menſa miniſtrantes, vel uxores ac filias eorum tamquam famuli deducentes ac reducentes, aliaque hujuſmodi exercentes. Unde qui tamquam optimi, verique Dei miniſtri extolli ac venerari debuerant; ab omnibus deſpiciuntur & con-

te-

temnuntur. Horum igitur dignitatem atque auctoritatem conservare cupientes, constitutionem provincialem: *Nemo militans Deo*, sacro approbante Concilio renovantes & declarantes, hac nostra constitutione sancimus, & sub excommunicationis pœna præcipimus atque mandamus, ut posthac nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, cujuscumque gradus vel conditionis existat, laïcis in rebus supradictis famuletur, nec mulieres aliquas, præter aviam, matrem, sororem, amitam, vel materteram, pedester vel equester, publicè deducere vel reducere audeat. Poterit tamen sacris initiatus personis Ecclesiasticis inservire, præterquam in rebus vilibus & inhonestis.

Tit. II. De cohabitatione clericorum & mulierum.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Prælati in concubinarios publicos, & rectores in suis Ecclesiis non residentes, in visitationibus annuis jubentur procedere.

Quoniam, teste Scriptura, mundos & sedulos esse convenit qui Domini vasa ferunt; ideo, sacro approbante Concilio, ordinamus, ut contra clericos concubinarios, præsertim publicos, eorumque concubinas; & rectores Ecclesiarum in suis non residentes Ecclesiis, Episcopi in visitationibus (quas semel in anno fieri præcipimus) seu aliàs, sic procedant juxta canonica, seu synodalia statuta, ne peccatum eorum proprium facere videantur.

Arnaldus Cescomes Archiepiscopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Concubinarios, qui ad vomitum redierint, hæc constitutio jubet retrudi quopiam, non pecuniâ multari.

Et clericos concubinarios publicos Beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos, qui post primam & secundam correctionem reperti fuerint dicto vitio laborare, ad peragendam pœnitentiam ad tempus, prout eis videbitur expedire, in aliquem locum detrudant, pecuniam ab eis in casu præmisso nullatenus recepturi.

Petrus Clasquerinus Archiepiscopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Vetantur Episcopi in concubinatu manifesto bis deprehensos pecuniariè punire, & Beneficia conferre concubinario publico.

Quamvis ad decorem domus Dei circa vitam & honestatem, & continentiam clericorum in Dei conspectu divina ministrantium sacramenta, per sanctiones canonicas, & per provinciales constitutiones aliàs sit provisum; quia tamen nonnulli punitiones pecuniarias ipsarum non formidantes, correctiones ipsorum criminum deducunt penitùs in contemptum; nos debitum nostri officii exsolvere cupientes, sacro approbante Concilio, statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, ne aliquis Episcopus, per se vel per alium, clericos concubinarios Beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos, qui in domo propria vel aliena teneant publicè concubinam, quorum concubinatus non possit per aliquam tergiversationem celari, ex quo bis eos, vel eorum alterum in concubinatu invenerit & puniverit, ne possit in pecunia, vel in bonis aliquo modo punire: sed tales concubinarios, & eorum quemlibet, teneatur in persona, seu eorum Beneficiorum privatione, seu ad tempus suspensione, aut ab eorum ordinum exsecutione punire; ejus conscientiam onerantes: proviso tamen, quòd fructus Beneficiorum advenientes durante tempore dictæ suspensionis, si fortè fieri contingat occasione prædicta, convertantur in utilitatem ipsorum Beneficiorum. Cæterùm cùm ex ingenio calli ditatis humanæ naturæ protervitas criminum proteletur, convenit super hoc de speciali remedio providere. Iccircò, eodem approbante Concilio, providemus, ne de cætero alicui clerico in crimine concubinatûs publicè, ut prædicitur, constituto, cujuscumque status seu conditionis existat, Beneficium Ecclesiasticum, quocumque nomine censeatur, conferri possit ullo modo: & si collatum fuerit, collatio hujusmodi sit nulla ipso jure. Et si talis clericus concubinarius, Prælatus, seu canonicus Ecclesiæ Cathedralis vel collegiatæ fuerit, ad communes tractatus capituli, vel ad curias generales, vel Concilia minimè admittatur: nec possit tenere officium aliquod honoris alicujus Episcopi seu Prælati.

PETRUS de Luna Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legatus, in Concilio Gerundæ celebrato.

CAPUT IV.

Concubinarii, quamdiu in concubinatu vixerint, & poſt duos menſes, quàm à concubinatu ſe abſtinuerint, inhabiles jubentur eſſe ad quodvis Beneficium obtinendum, & ordines recipiendos & exſequendos: & tunc facta illis collatio ipſo jure nulla declaratur.

SPecioſus formâ præ filiis hominum, & plenus gratiâ, fons virtutum, glorioſus ſponſus Eccleſiæ Jeſus Chriſtus, inter alia ſanctitatis inſignia, quibus ſponſam ſuam inclytam inſignivit, glorioſam conſtituit caſtitatem; ut in illa, ſine qua nullum bonum opus exiſtit, ſponſæ ipſius, & miniſtri ejus, eidem ſponſo virgini, nato de virgine, vitæ puritate fulgentes, devotione ſupplici deſervirent. Sed nonnulli clericorum & religioſorum famæ ſuæ, & ſalutis immemores, cum concubinis publicè vitam ducunt enormiter diſſolutam. Super quo bonæ memoriæ Joannes Epiſcopus Sabinenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in partibus Hiſpaniæ Apoſtolicæ ſedis Legatus, cupiens ſalubriter providere; quandam conſtitutionem providè edidit, quæ antiqui hoſtis procurante verſutia, uſquequaque non exſtitit obſervata. Propter quod nos adversùs hujuſmodi vitium providere de ſalubri remedio cupientes, monemus omnes & ſingulos presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, & clericos Beneficiatos, ac etiam religioſos cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis, atque ordinis exiſtant, ne concubinas in domo propria aut aliena publicè audeant detinere. Contrarium facientes ſint inhabiles, dum ſicut præmittitur, tenuerint publicè concubinas, & per duos menſes ſequentes, poſtquam etiam eaſdem dimiſerint realiter & cum effectu, ad quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum obtinendum; etiamſi Beneficium patrimoniale exiſtat, vel cappellania fuerit temporalis. Sit etiam eis per idem tempus ad recipiendum ſacros ordines aditus interdictus; ut ſic ab exſecutione ordinum infra idem tempus receptorum ſuſpenſi maneant, donec cum eiſdem fuerit diſpenſatum ſufficienter: & collatio Beneficiorum eis facta infra ipſum tempus, vacua, irrita ſit, & nulla ipſo jure; ſi ipſas concubinas tempore receptionis dictorum ordinum, aut collationis Beneficii, ſeu Beneficiorum eis factæ, vel infra terminum duorum menſium antè publicè tenuerint, ut præfertur. Et ut de prædictis certiùs conſtet, & nullum dubium in poſterum oriatur, volumus, quòd Beneficiorum collatores in literis per eos concedendis ſuper collationibus hujuſmodi Beneficiorum, apponi faciant clauſulam ſequentem: Noſtræ tamen intentionis exiſtit, quòd ſi tempore collationis per nos de hujuſmodi Beneficio tibi factæ, aut à duobus menſibus proximè lapſis citrà, publicus concubinarius fueris, præſens noſtra collatio nullius ſit roboris vel momenti. Adjicientes etiam, & inſuper ſtatuentes, prout Joannes Epiſcopus Sabinenſis præfatus ſtatuit, quòd quicumque clerici, aut religioſi, qui poſt duos menſes à publicatione conſtitutionis & monitionis, in Eccleſia Cathedrali cujuſque diœceſis facienda, numerandos, concubinam, ſeu concubinas modo prædicto retinuerint, vel dimiſſam, ſeu dimiſſas, aut aliam, ſeu alias admiſerint, ſi Beneficiati exiſtunt, tertiam partem fructuum omnium Beneficiorum, quæ pro illo tempore obtineant, ſint privati ipſo facto. Si verò per alios duos menſes prædictos, duos immediatè ſequentes in eodem crimine continuaverint vitam fœdam, alia tertia parte. Et, ſi forſan, Dei timore contempto, per alios duos menſes prædictos, quatuor immediatè ſequentes in peccato permanſerint memorato, reliqua tertia parte dictorum Beneficiorum fructuum omnino privati exiſtant; præcipientes eiſdem, quòd ad aliquam partem fructuum prædictorum, poſtquam ipſa, vel ipſis, ut prædicitur, privati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et ſi forſan contrarium attentaverint, ſub obteſtatione extremi judicii Prælatis eorum, ſive ſint diœceſani, ſive alii, diſtrictè præcipimus, quòd ad reſtituendum quicquid de prædictis tertiis fructuum, ſeu ipſarum aliqua parte, poſtquam modo prædicto privati exiſtent, occupaverint, ſeu detinuerint, vel conſumpſerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia ipſos compellere non omittant. Quòd ſi fortè prædicti clerici, vel religioſi concubinarii adhuc ad cor non redierint, ſed noſtrum contemnentes mandatum, ſe oſtenderint tam exſecrandæ turpitudinis amatores, Prælatis ſuis prædictis, & eorum cuilibet, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub animarum ſuarum periculo diſtrictè præcipimus & mandamus; quatenus ſi infra quatuor menſes poſt ſupradictos ſex menſes continuè numerandos, trangreſſores prædicti concubinas præfatas omnino non dimiſerint; eaſdem, vel alias ulteriùs admiſerint, eos privent Beneficiis ſuis; ipſoſque in limo peccatorum tam fixos, donec ſe correxerint, & poſtea per duos menſes, inhabiles eſſe denuncient ad quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda; eiſque decernant per idem tempus ad ſuſcipiendum ſacros ordines aditum interdictum. Volumus etiam, quòd ſi quis de prædictis, poſtquam Beneficio ſeu Beneficis privatus fuerit modo prædicto, manus rapaces extenderit ad dictorum Beneficiorum fructus, ſeu ad aliquam eorum partem, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto: à qua non poſſit abſolvi, niſi de ſic occupatis reſtitutionem integram, & Beneficii, ſeu Beneficiorum, quibus privatus fuerit, ut prædicitur, dimiſſionem plenariam priùs fecerit. De fructibus verò Beneficiorum, quibus concubinarii hujuſmodi privati decer-

nuntur, ut præmittitur, dimiſſione plenaria duæ partes aſſignentur pro ſervitio Beneficii vel Eccleſiæ, cui concubinarius ipſe deſerviebat, faciendo: tertia verò pars Ordinario diœceſis, vel alteri ipſius concubinarii Prælato hujuſmodi noſtram conſtitutionem exſequenti; aliàs pro dicto ſervitio remaneat applicata. Et ut tantò major in eoſdem concubinarios exerceatur pœna, quantò gravior in ipſis fuerit culpa reperta, prefatæ ordinationi adjicimus ſtatuentes, quòd præfati presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, & clerici Beneficiati, ac religioſi, qui tempore ſui obitus, vel infra duos menſes tunc immediatè lapſos in crimine concubinatûs hujuſmodi reperti fuerint publicè permanſiſſe, ſint inteſtabiles: & bona ipſorum, tam mobilia quàm immobilia, locis & perſonis, ac negotiis infraſcriptis remaneant confiſcata. Et nihilominus tam ipſi concubinarii, quàm eorum concubinæ Eccleſiaſticâ careant ſepulturâ; niſi per duos menſes ante ſuum obitum, fraude ceſſante, ab invicem fuerint ſeparati. Qui verò ipſorum aliquem in cœmeterio ſepelire, aut eorum ſepulturæ intereſſe præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto; & cœmeterium ubi hoc factum fuerit, ſeu preſumptum, interdictum remaneat, donec corpora concubinariorum, ſeu concubinarum hujuſmodi ſic ſepulta, ab inde projecta fuerint in ſignum damnationis eorum. Bona verò dictorum concubinariorum ſic decedentium, tam mobilia quàm immobilia, in tres partes dividantur: quarum una pars fabricis Eccleſiarum, ubi Beneficiati fuerint, reliqua ipſius concubinarii Prælato, ſive diœceſano, ſeu alteri hujuſmodi noſtram conſtitutionem quoad hoc exſequenti; tertia verò pars redemptioni captivorum remaneat, & ſit applicata. Quam tertiam partem redemptioni captivorũ deputatam, Prælatus diœceſis concubinarii ipſius per fratres de Mercede, vel de Trinitate ordinum, quos ad hoc magis promptos & utiles noverit, exigi faciat & levari; & per ipſos in dictam redemptionem captivorum fideliter diſpenſari. De quibus diœceſanis ipſis, de his, quæ in eorum diœceſibus prædicta de cauſſa receeperint, teneantur reddere rationem: in quo ſi culpabiles reperti fuerint, vel remiſſi; per diœceſanos ipſos ſubtrahatur eis portio, quam illi de ſimilibus petere ſeu levare debuerint. Per hanc autem ordinationem Eccleſiis, vel perſonis, aut locis quibus jus aliquod in dictis bonis concubinariorum decedentium pertinet, præjudicare non intendimus, neque volumus quoquo modo. Dictis autem Prælatis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus in exigendis pœnis prædictis diligentiam adhibeant, & per duos viros idoneos, per eos infra limites diœceſium, ſeu juriſdictionum ſuarum deputandos, recolligi faciant, diſtribuendas juxta formam ſuperiùs ordinatam. Volumus inſuper & mandamus, quòd Prælati in civitatibus & diœceſibus ſuis teſtes deputent ſynodales, qui per eorum diœceſes veritatem perquirant ſuper omnibus ſupradictis: & ea quæ repererint, quàm citiſſimè potuerint, ſuis Prelatis in Synodis, quas annuatim propterea celebrari jubemus, vel ipſis in remotis agentibus, eorum vicariis, ſemel anno quolibet teneantur nunciare; ne iidem Prælati excuſationem prętendere, ſeu ignorantiam aliquam valeant allegare.

Petrus à Sagarriga Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT V.

Declaratur conſtitutionem, cujus initium eſt: Quamvis ad decorem, *ad quoſcumque Prælatos, etiam inferiores, pertinere.*

CONſtitutionem per bonę memoriæ dominum Petrum prædeceſſorem noſtrum editam ſuper modo correctionis concubinariorum, incipientem: *Quamvis ad decorem*, quia nonnulli cauſſam editionis ejuſdem non quærentes, Epiſcopos ſuffraganeos noſtros dumtaxat, & non alios Prælatos, & eorum inferiores, ligari curiosè interpretantur; quoſcumque Prælatos, vicarios, & officiales principales, & quoſcumque alios inferiores comprehendi intelligunt, præſenti irrefragabili ſtatuto, approbante ſacro Concilio, & ad eos omnes duximus extendendam: præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, de cætero debere illam ab omnibus obſervari. Si qui verò ex prædictis contra formam dicti ſtatuti concubinarios ultra ſecundam vicem duxerit pecuniariè puniendos, punitionis illius debitores effecti, ad reſtitutionem, tamquam de re penitùs aliena, ſe noverint obligatos; aliis etiam pœnis ſuper his appoſitis, in ſuo robore permanſuris & duraturis. Adjicimus etiam, quòd vicarii, & officiales, procuratores, & alii inferiores Epiſcopi ſcienter contrarium facientes, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant.

Petrus à Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT VI.

Mandatur Prælatis, ut circa animadverſionem concubinariorum diligenter & ſeverè ſe gerant.

QUamvis tam à jure, quàm per plurimas conſtitutiones Legatorum Apoſtolicæ ſedis, & provinciales ſit rigidè ac ſalubriter proviſum contra clericos concubinarios; tamen Prælati (quod dolentes, & cum gravi cordis dolore referimus) in eis exſequendis adeò negligentes ſunt, ac ſi ſanguis delinquentium de eorum manibus non eſſet requirendus: nec cernunt gravia ſcandala, & alia quamplurima pernicioſa mala, quæ inde ſequuntur. Quare cupientes, quantum in nobis

bis est, huic tam pernicioso morbo providere, exhortamur enixè Ordinarios, &, sacro approbante Concilio, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus unusquisque in suos subditos summam adhibeant diligẽtiam, & rigidam exsecutionem, juxta formam & tenorem constitutionum super hoc editarum: certificantes eos, quòd si in præmissis negligentes fuerint, nos tam contra eos, quàm etiam contra eorum subditos concubinarios districtiùs procedemus; ne in die judicii de eorum negligentiis, maximè statum Ecclesiasticum tam enormiter diffamantibus, rationem reddere teneamur.

Tit. III. De clericis non residentibus.

Joannes Cardinalis, Episcopus Sabinensis, Apostolicæ sedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Priores ad sacerdotalem ordinem ascendere cogendi, & ut Ecclesiis deserviant. Idem de curatis & portionariis.

ADjicimus quoque, ut Priores per subtractionem Beneficiorum ad ordinem sacerdotalem ascendere, & in suis Ecclesiis deservire cogantur: hoc adhibito moderamine, ut qui ex dispensatione sedis Apostolicæ plures curas retinere noscuntur, in eisdem vicissim resideant, secundùm numerum curarum residentiæ tempora dividendo. Clerici quoque, qui in Ecclesiis parochialibus portionarii existunt, nec portiones quotidianas, nec præstimonia de eisdem Ecclesiis percipiant, nisi in ipsis Ecclesiis curaverint personaliter deservire.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Qui ob irregularitatem Ecclesiæ deservire non possunt, fructibus privandi.

QUoniam Ecclesiasticis personis propter servitia divini cultus assignata sunt Beneficia, & propter multorum irregularitates multæ Ecclesiæ divinorum officiorum patiuntur detrimentum; statuimus, ut qui propter irregularitatem, quam non sine culpa sua incurrerunt, in Ecclesiis propriis sua explere non possunt officia, à perceptione Beneficiorum suorum priventur, quamdiu tali impedimento durante, suis Ecclesiis non poterunt deservire, nisi super hoc cum ipsis à sede Apostolica fuerit dispensatum.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Qui in templo, vel claustris tempore processionis inambulant, canonica portione per tres dies priventur.

CUM canonicos, & alios clericos conventualium Ecclesiarum servitiis deputatos, omnino non deceat quòd aliis divinis inservientibus officiis, ipsi per Ecclesias, vel claustra, processionis tempore, deambulent in habitu sæculari: ne id fiat, de cætero districtiùs inhibemus, statuentes pœnam transgressoribus, ut per tres dies canonica portione priventur.

Antonius Augustinus Archiepiscopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Qui habitus in Ecclesia deferendus dum divina officia celebrantur, & nullo modo esse per Ecclesiam deambulandum.

QUIA honestatem ubivis, & præcipuè in Ecclesiis dum divina celebrantur officia, clerici servare debent; sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus, ut cumprimùm clerici Ecclesiam intraverint, superpelliceis mundis, sive roquetis, ac minimè laceratis, vestibus inferioribus talaribus nigris, aut alio honesto colore infectis, sine sericis flosculis, seu alamaribus, ut dicunt, cum cappis & almuciis pro tempore congruentibus, induantur. Item in processionibus & choro silentium & gravitatem servent; nec literas, aut scripturas aliquas legant, nec confabulentur, sed nec privatum officium dicant; quin potiùs horis canonicis intendant, psallant, & cantent, non festinanter, sed lentè ac pedetentim: contrarium verò facientes, distributione illius Horæ priventur. Clericos dum divina celebrantur officia è choro exeuntes, & per Ecclesiam vagantes, si semel moniti non destiterint, per mensem distributionibus quotidianis privãdos esse sancimus: & nostræ provinciæ Prælatos in Domino hortamur, ut laïcos, juxta Motum proprium Pii V. felicis recordationis, per Ecclesiam vagari, quum divina celebrantur officia, non permittant; multò minus fœminas chorum, aut choro proximos cancellos, etiam ex parte superiori contiguos, aut vicinos, sub anathematis pœna ingredi; & viros laïcos, ubi aliter fieri non potest, propter angustiam loci, à clericis non secerni ac separari, majore parte chori clericis relicta. Qua in re si non paruerint laïci, in sententiam excommunicationis illos incidere declarent.

CAPUT V.

Conſtitutio Pii V. de his, qui quum celebrantur divina officia, per Eccleſiam deambulant.

PIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM primùm Apoſtolatûs officium, divina nobis diſpoſitione commiſſum, ſuſcepimus, ſtatim omnem curam & cogitationem noſtram in Dominici gregis fidei noſtræ crediti ſalute defiximus, & Chriſti fideles, Deo juvante, ita dirigere ſtatuimus, ut à vitiis & peccatis abſtinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, inſiſtant. Cùm autem ad omnia, quæ divinam majeſtatem aliquo modo poſſent offendere amovenda, mētis noſtræ aciem intenderimus, ea primùm, & ſine mora emendare decrevimus, quæ Deo præter cætera diſplicere, & iram ejus provocare cùm divinæ docent Scripturæ, tum graviſſima exempla declarant; nempe divini cultus neglectum, ſimoniæ labem, blaſphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium exſecrandum, propter quę populi & nationes, bellorum, famis, & peſtilentiæ calamitatibus, juſta Dei ultione ſæpè plectuntur. Etſi autem contra eos, qui tam gravia crimina admiſerint, multæ à prædeceſſoribus noſtris conſtitutiones editæ fuerunt, tamen quia parum eſt leges edere, niſi ſint qui eas debitis temporibus exſequantur; iccircò ne qui forſan ex tolerantia ſperare impunitatem audeant, ſcientes pleroſque pœnarum gravitate magis quàm Dei timore arceri ſolere à voluntate peccandi, omnes & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & Apoſtolica auctoritate innovamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus: admonemuſque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non ſolùm ſubituros eas pœnas, quæ ſacris ſunt Canonibus conſtitutæ, ſed eas etiam quas leges civiles comminantur, & noſtri quoque arbitrii diſcretio pro perſonarum qualitate conſtituet. Mandantes civitatum & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici pro tempore Ordinariis & Gubernatoribus, illis quidem ſub pœna ſuſpenſionis à divinis, his verò ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut quos debitum Deo cultum in Eccleſiis non tribuere, aliiſque neſandis criminibus pollutos eſſe compererint, comprehendi curent, pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipſis judicibus, quòd ſi poſt hanc noſtram conſtitutionem in caſtigandis hujuſmodi delictis negligentes fuerint, primùm quidem Dei omnipotentis judicio obnoxii erunt, deinde noſtram quoque incurrent indignationem. Ut autem pœnarum certitudo cunctis faciliùs innoteſcat, nonnullas hîc duximus exprimendas, aliis nihilominus contra hujuſmodi criminum reos à Jure ſtatutis in ſuo robore manentibus.

Ut igitur Deo optimo maximo, glorioſæ Virginis, & Sanctis omnibus debitus honos deferatur, Gregorii X. prædeceſſoris noſtri conſtitutionem innovantes, ac ſtatuta in Tridentino Concilio obſervari volentes, ſtatuimus & ordinamus, ut ad Eccleſias ſit humilis & devotus ingreſſus, quieta converſatio, devotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis ſanctiſſimum ſacramentum adorent, ad nomen Jeſu Chriſti Domini noſtri cum exhibitione reverentię caput inclinent, nullus in dictis Eccleſiis ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat, ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes judiciorum, & alia quæcumque quæ divinum officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſias deambulare audeat ſive præſumat dum celebrantur ſacra Miſſarum myſteria, & alia divina officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempſerint, præter divinæ ultionis acrimoniam, noſtri quoque arbitrii pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoque Ordinarii in ſuis Eccleſiis faciant obſervari. Quicumque verò in Eccleſiis, dum ibi ſacrificium Miſſæ, & divina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad ſanctiſſimum ſacramentum, irreverenter ſedere, aut aliquid quod ſcandalum generet, aut divina perturbet officia, facere præſumpſerit, pœnam viginti quinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio noſtro imponendas, & moderandas pœnas: & qui non habebit in ære, luet in corpore, aut exſilio multabitur. Qui verò in Eccleſiis cum mulieribus impudicis, ſive etiam honeſtis, colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, viginti quinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per menſem. Qui in Eccleſiis, ut ſuprà, obſcœnis & inhoneſtis verbis, aut ſignis uſus fuerit, aut alia fœda colloquia cum perſonis quibuſcumque habuerit, decem aureorum pœnâ multetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & parochialium Eccleſiarum capitulis, rectoribus, vicariis, ſacriſtis, oſtiariis, & aliis ipſarum cuſtodibus, quatenus præfatos omnes in Eccleſiis delinquentes admoneant, & ut in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinariis, vel officialibus noſtris puniendos deferant: quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes, per Eccleſias tempore Miſſarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valvas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi eos ejici curaverint, & parochis dimidii aurei. Religioſis etiam clauſtralibus ſive regularibus præcipimus in virtute ſanctæ

obe-

obedientiæ, ut in Eccleſiis ſuis deputent aliquem, qui tales ejiciat, & ſi negligentes fuerint, graviſſimè ab Ordinario corripiantur; quòd ſi illi parere recuſaverint, graviſſimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum etiam corporaliter punientur arbitrio noſtro, ſive Superiorum.

Et ut in Eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoveantur, prout aliàs ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Cùm verò dierum feſtorum obſervatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in lege divina præcipiatur; cupientes abuſus pravos, qui ex eorum inobſervantia invaluerunt, omnino corrigere; & antiquorum Canonum ſtatuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni veneratione obſerventur, & omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent, divinis officiis devotè intendant, ab omni illicito & ſervili opere abſtineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit; præter divinam ultionem: & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio noſtro, ſeu vicarii noſtri in Urbe: in aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum magiſtratuum, ita ut præventioni locus ſit. Quibus omnibus diſtrictè præcipimus, ut hæc diligenter obſervari procurent; illas etiam feſtivitates, quæ juxta conſuetudinem locorum ſolenniter celebrari conſueverunt, juxta laudabilem conſuetudinem, debita cum reverentia obſervari faciant, ſub pœnis arbitrio ipſorum imponendis & moderandis.

Et ut ſimoniacæ pravitatis crimen & labes prorſus aboleatur; conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum contra ſimoniacos editas, & præſertim Paulli II. inviolabiliter obſervari mandamus: & delinquentes, tam in ſacrorum ordinum receptione, quàm in Beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferiùs pœnis noſtra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur deteſtabile crimen ſimoniacæ pravitatis commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum exſecutione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè acquiſiverit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Qui Beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo jure privatus; & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quecumque alia Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe convictus fuerit, præter ſupradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis degradatus, à fidelium conſortio ejiciatur. Qui verò ordines, & Beneficia ſimoniacè contulerint, pœnis à Jure ſtatutis puniantur, cujuſcumque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam ſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel majores fuerint. Caveant præterea quicumque ne in ſacramentorum exhibitione ſimoniacum aliquid faciant, alioquin graviſſimè puniantur per locorum Ordinarios; qui hujuſmodi criminis reos cum maxima ſeveritate coërcere procurent, juxta Concilii Tridentini ſtatuta.

Ad abolendum verò nefarium & exſecrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoque legibus receptum eſt, nunc autem propter nimiam judicum in puniendo ſegnitiem, vel potiùs deſuetudinem, ſupra modum invaluit, Leonis X. prædeceſſoris noſtri in noviſſimo Lateranenſi Concilio ſtatuta innovantes, decernimus, ut quicumque laïcus Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel glorioſam Virginem Mariam ejus genitricem expreſsè blaſphemaverit, pro prima vice pœnam viginti quinque ducatorum incurrat, pro ſecunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos ſolvet, & ignominiâ notatus exſilio multabitur. Qui verò plebejus fuerit, nec erit ſolvendo, pro prima vice manibus poſt tergum ligatis, ante fores Eccleſiæ conſtituetur per diem integrum, pro ſecunda fuſtigabitur per urbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blaſphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium & quorumcumque Beneficiorum ſuorum, pro ſecunda Beneficiis ipſis privetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exſilium mittatur. Quòd ſi clericus nullum obtinuerit Beneficium, pœnâ pecuniariâ, vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blaſphemaverit, pro qualitate blaſphemiæ atque perſonæ, arbitrio judicis puniatur.

Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetraverit, curiæ ſæculari puniendus tradatur: & ſi clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus, ſimili pœnæ ſubjiciatur. Monemus præterea omnes locorum Ordinarios, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipimus, ut ſtatuta Tridentini Concilii contra concubinarios, tam clericos quam laïcos, edita, diſtrictè faciant obſervari, reddituri Deo ac nobis, ſi id omiſerint, rationem.

Et ut præmiſſorum delictorum ſimoniæ, blaſphemiæ, ac ſtupri nefandi notitia faciliùs habeatur, volumus, quòd in ſingulis caſibus non ſolùm per accuſationem & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem & ſecretam denunciationem procedatur per quoſcumque judices, aliàs tamen de jure competentes, tam ratione de-

delicti, quàm perſonarum, ita quòd inter eos locus ſit præventioni.

Monemus præterea omnes & ſingulos, ut ſolùm Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantùm deferant, innocentes non vexent. Quòd ſi aliqui ex calumnia aliquos denunciâſſe comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus & mandamus.

Multæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio noſtro in Urbe; extrà verò, Ordinariorum, pro tertia accuſatori, qui delinquentes detulerit. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ feudatariis, ſub pœna privationis feudorum, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent: reliquos verò Principes Chriſtianos, & terrarum dominos hortamur in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut pro divini nominis reverentia & honore, præmiſſa omnia in ſuis dominiis ac terris exactiſſimè ſervari faciant, uberrimam ab ipſo Deo mercedem tam boni operis recepturi.

Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus, & literis Apoſtolicis, quibuſvis capitulis, conventibus, militibus, ordinibus, & perſonis cujuſcumque qualitatis & conditionis exiſtentibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, ſtatuti, decreti, ordinationis, præcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVI. Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

In choro convenientes quo pacto ſuo muneri ſatisfaciant, & quo tempore in chorum ingredi debeant, ut ſuam faciant diſtributionem.

Cum illi qui in choro conveniunt, canendi, ſeu pſallendi, & non confabulandi, ſeu dormiendi gratiâ convenire debeant, ut ita decenti clericorum numero, majoriſque ſolennitate & reverentia divina officia peragantur, pariterque ab omnibus in Pſalmis & canticis, devotè ac reverenter nomen Domini laudetur, & ut burſarius, ſive is qui ejus officio fungitur, ex cujus diligentia ferè totam chori diſciplinam, ejuſque regimen pendere compertum eſt, certò ſciat, quibus diſtributiones quotidianas, juxta ſacramentum ab eo præſtitum in introitu ſui officii, tutâ conſcientiâ ſolvere & exhibere poſſit & debeat: hac noſtra conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, ut qui in Matutinis ante finem Pſalmi: *Venite exultemus*, in aliis Horis ante finem primi Pſalmi, in Miſſa verò conventuali, vel anniverſarii ante ultimum *Kyrie eleiſon* dictum non venerit, & uſque in finem divino officio non interfuerit, & in majori ſaltem parte Miſſæ, vel cujuſcumque Horæ canonicæ confabulationibus, vel deambulationibus, vel ſomno operam dederit, illius Horæ diſtributione privetur. Et ſi dicta diſtributio à dicto burſario ſcienter pro illa Hora, qua id egerit, ei dabitur, ad reſtitutionem illius in foro conſcientiæ teneatur, niſi pro celebranda Miſſa, vel alia urgente neceſſitate, permiſſu & licentia Præſidis, è choro exierit, aut propter negotia Eccleſiæ, aut ex infirmitate evidente præſens in choro cenſeatur, abuſum illarum Eccleſiarum, in quibus ſola facta, ut dicunt *intrata*, ſive introitu in chorum, diſtributiones recipere conſueverunt, conſtitutionem provincialem: *Cùm propter evidentem*, renovantes, ſalvis etiam laudabilibus Eccleſiarum conſtitutionibus, ordinationibus, vel conſuetudinibus, quæ arctiùs de his rebus diſponunt: ne inſtituta per nos ad cultus divini augmentum, deminutionem ejus operentur. Quod etiam ad alias partes harum conſtitutionum referendum cenſemus.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VII.

Clerici Beneficiati, aut in ſacris conſtituti, lites in Curia ſæculari continuè ſequi prohibentur.

Et ut malitiis obvietur, & Eccleſiæ debitis ſervitiis non fraudentur, ac vagandi, & diſſolutionis materia ſubtrahatur, ſtatuimus, ne aliqua prædictarum perſonarum Ecclę-

cleſiaſticarum, quæ in ſacris ordinibus ſit, vel fuerit conſtituta, vel Beneficium Eccleſiaſticum obtinens, vel religioſa, præſumat ſequi continuè, vel quaſi continuè aliquam curiam ſæcularem, ſic quòd ſit de familia ſua, vel victum, ſeu ſtipendium recipiat ab eadem, niſi ſui Prælati, vel Superioris conſilio, & aſſenſu ſui capituli, ſeu conventus, vel majoris partis ejuſdem licentiâ priùs habitâ & obtenta. Si quis verò horum temerarius violator exſtiterit, excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto. Epiſcopum verò propter prærogativam Pontificalis officii ligari nolumus hac ſententia lata. Sed nihilominus à nobis Archiepiſcopo, vel ſucceſſoribus noſtris ſuper his petere licentiã teneantur.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VIII.

Cogendi rectores & Beneficiati, ut in ſuis Eccleſiis reſideant.

ET ut prædicta de divino officio in Cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis per canonicos, & alios quoſcumque Beneficiatos in dictis Eccleſiis horis debitis, ſine murmure, & aliis confabulationibus ſolenniter & devotè fiant, compellant Epiſcopi rectores Eccleſiarum, & alios Beneficiatos, præſertim habentes Beneficia requirentia ex ſpeciali ſtatuto vel ordinatione reſidentiam perſonalem, in ſuis Eccleſiis & Beneficiis reſidere: non obſtantibus licentiis per eos de non reſidendo quibuſcumque, niſi ſtudiorum cauſsâ perſonis docibilibus, vel alia rationabili cauſsa conceſſis.

CAPUT IX.

Conſtitutio Pii V. de reſidentia Rectorum.

PIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

CUpientes pro noſtri paſtoralis officii munere Chriſti fidelium animarum ſaluti, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter conſulere, & parochialibus Eccleſiis ab earum parochis, prout tenentur, in divinis debitè & laudabiliter deſervire, inhærendo etiam decretis ſacri Concilii Tridentini, motu proprio, & ex mera deliberatione, certaque ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnes & ſingulos rectores parochialium Eccleſiarum, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, in quibuſcumque regnis, provinciis, civitatibus, diœceſibus, ac aliis Chriſtiani orbis partibus conſiſtentes, qui parochialem Eccleſiam, ac canonicatum, aut dignitatem, etiam poſt Pontificalem majorem, ſeu principalem in quibuſvis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis, ſeu aliud quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum, etiam quarumcumque diſpenſationum, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum titulo, quas omnes hac præſenti conſtitutione abolemus & revocamus, ſeu quocumque alio prætextu obtinent, cùm prima & præcipua debeat eſſe cura animarum, eos ad reſidendum in Eccleſia parochiali, & ibi in divinis deſerviendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri & obligatos eſſe, ac ad id per Epiſcopos, & aliorum locorum Ordinarios, etiam tamquam Apoſtolicæ ſedis delegatos, ſub ſententiis & cenſuris Eccleſiaſticis, ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium, & aliorum quorumcumque Beneficiorum pœnis, quacumque appellatione remota, cogi & compelli poſſe & debere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen ſic reſidentes in Eccleſiis parochialibus omnes & ſingulos fructus, redditus, & proventus, etiam canonicatus ſui, vel dignitatis, ſeu alterius cujuſcumque Beneficii, exceptis dumtaxat quotidianis diſtributionibus, & aliis quæ ex juſta cauſſa abſentes percipere non ſolent, lucrari volumus. Sicque per quoſcumque judices & commiſſarios, etiam cauſſarum palatii Apoſtolici Auditores, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, interpretari, judicari, & definiri debere. Necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, decernimus & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis diſpenſationibus, & exemptionibus, literiſque Apoſtolicis deſuper confectis, necnon Apoſtolicis in provincialibuſque & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, & etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis in genere, vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet conceſſis & approbatis, in poſterumque concedendis & approbandis, quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſsè derogamus,

cæ-

cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd harum literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio quàm extrà, adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abolitionis, revocationis, ſtatuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVIII. octavo idus Julii, Pontificatus noſtri anno tertio.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT X.

Beneficiati, & divinis officiis interſint, & in Miſſa conventuali per hebdomadas viciſſim Euangelium & Epiſtolam decantent.

OMnia Beneficia fuiſſe inſtituta, ut divinus cultus augeatur, & divina officia majori ſolennitate celebrentur, certum eſt. Nihilominus conqueruntur rectores noſtræ provinciæ, & alii Eccleſiarum curati, quòd Beneficiati diebus Dominicis, & aliis feſtis in Miſſa conventuali, & aliis divinis officiis Beneficiati aut diſcedant ab Eccleſia, aut eos in Miſſa conventuali juvare recuſent, ex quo & divinus cultus minuitur, & grave in populo generatur ſcandalum. Huic abuſui remedium adhibere cupientes, ſacri approbatione Concilii ſancimus & ordinamus, ut de cætero cunctis diebus Dominicis, & aliis feſtis, quibus Miſſam cum diacono & ſubdiacono celebrari ſolitum eſt, vel expedit, quilibet Beneficiatus in Eccleſia parochiali, in qua Beneficium obtinet, divinis officiis, præcipuè Miſſis conventualibus, quę in eadem celebrabuntur Eccleſia, interſit, & ordine ſervato, Beneficiati, unus Euangelium per hebdomadas, & alter Epiſtolam decantet, & ita unuſquiſque proprium curatum adjuvet. Quòd ſi rector ſocium, ſeu vicarium habuerit, partem laboris in ſua hebdomada vicarius ſuſtineat. Qui autem prædictis Dominicis, atque ſolennibus feſtis divinis officiis non interfuerint, & ſuam hebdomadam adimplere recuſaverint, emolumentis illius hebdomadæ priventur, & etiam arbitrio Ordinarii, tamquam negligentes in ſuo officio, malumque populo exemplum dantes puniantur. Ubi verò certa Beneficia ad decantandum Euangelium & Epiſtolam ſunt inſtituta, vel deinceps inſtituentur, quod in Eccleſiis Cathedralibus contingere ſolet, hanc conſtitutionem locum habere nolumus.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XI.

Canonici ab Epiſcopo vel capitulo miſſi, canonicam recipiant portionem.

CAnonicus, ſeu clericus de capitulo Eccleſiæ Cathedralis quandocumque per Epiſcopum & capitulum, ſeu per ipſum capitulum, pro negotiis ipſius Eccleſiæ miſſus fuerit, recipiat, ac ſi præſens eſſet, canonicam portionem.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XII.

Extenditur ſuperior conſtitutio ad Canonicos & presbyteros collegiatarum Eccleſiarum ad communia negotia miſſos.

INſuper, quia per dominum Arnaldum bonæ memoriæ Archiepiſcopum ſanctæ Eccleſiæ Tarraconenſis, prædeceſſorem noſtrum, fuit providè inſtitutum in conſtitutione quæ incipit: *Canonicus, ſeu clericus &c.* quòd canonicus qui ab Eccleſia Cathedrali pro ipſius Eccleſiæ negotiis miſſus eſſet, reciperet in abſentia portionem; præfatam conſtitutionem ad canonicos & præbendarios de capitulo Cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum, qui à dictis Eccleſiis, pro earundem Eccleſiarum Cathedralium vel Collegiatarum negotiis miſſi fuerint, ducimus extendendã. Et quòd præbendatus, qui in pluribus Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis miſſus fuerit per alterum ex ipſis ad tractandum negotia, quæ communiter tangunt ipſas Eccleſias, ut ſunt negotia Concilii Provincialis, vel curiarum domini Regis generalium, habeat portionem ſuam, quam reciperet ſi perſonaliter adeſſet in ipſis Eccleſiis: quam etiam extendi volumus ad illos, qui ad præſens Concilium convenerunt.

Dalmatius de Mur Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT XIII.

Miſſi ab Epiſcopo vel capitulo diviſim vel conjunctim, præſentes cenſeantur.

LIcèt per conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum, ſcilicet dominorum Alnaldi, incipientem: *Canonicus*, & Petri Claſquerini memoriæ celebris, incipientem: *Inſuper quia* &c. ſufficienter, ut congruit, ſit proviſum,

ſum, quòd canonici, ſeu presbyteri de capitulo per Epiſcopum & capitulum ad Concilium Provinciale miſſi, ſeu ad curias, vel ad alia parlamenta, fructus ſuarum præbendarum & Beneficiorum recipiant integrè ac completè, ac ſi in dictis eorum Beneficiis exiſterent reſidentes: aliqui tamen curioſi nituntur in dubium deducere, an hoc ſolùm de ſyndicis per Epiſcopum & capitulum, vel per capitulum tantùm miſſis intelligi deberet. Nos itaque hujuſmodi dubii materiam, quantum poſſumus, amputare volentes, ſacro approbante Concilio, ducimus declarandum, quòd conſtitutiones ſuperiùs expreſſæ non ſolùm ſyndicos, vel procuratores Epiſcopi & capituli, vel capituli tantùm, ſed etiam procuratores ipſius Epiſcopi meritò amplectuntur, & ad omnes conjunctim & diviſim indubiè extenduntur: volentes quòd præſenti conſtitutione ſeu declaratione non ſolùm futuri, ſed etiam qui in præſenti ſunt Concilio, gaudere valeant cum effectu.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT XII.

Venientes ad Concilium Provinciale omnes fructus, diſtributiones, anniverſaria, & alia emolumenta lucrantur.

CUM propter evidentem Eccleſiarum utilitatem abſentes licitè ex conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit: *Conſuetudinem*, pro præſentibus & divinis officiis intereſſentibus habeantur; ita ut non ſolùm cæteros fructus atque proventus, ſed etiam quotidianas diſtributiones & defunctorum anniverſaria conſequantur: ſacri approbatione Concilii decernimus ac declaramus, omnes Epiſcopos, Abbates, Priores, & alios quoſcumque, dignitates, canonicatus, vel præbendas, aut quæcumque alia Beneficia, vel officia, tam in noſtra Metropolitana, quàm in aliis Cathedralibus, vel collegiatis Eccleſiis, aut etiam aliis Eccleſiis, vel monaſteriis obtinentes, qui vel generaliter, vel ſpecialiter ad hoc ſacrum Concilium, aut ad alia, quæ juvante Deo, noſtris, aut futuris temporibus, quandocumque celebrari contigerit, vocati ſunt, vel fuerint; aut ex rationabili cauſſa ad ea miſſi fuerint, vel in eis interfuerint; in ſingulis eorum Eccleſiis, vel monaſteriis, ubi Beneficia prædicta obtinent, omnes fructus, redditus, & proventus, atque etiã diſtributiones quotidianas, & anniverſaria, & alia emolumenta, quæ dum in Eccleſia reſidebant, ſoliti erant percipere, à die arrepti itineris, uſque ad diem reverſionis ſine ulla fraudatione lucratos fuiſſe, & ad eos pertinere, eiſque reſtitui debere, ſi diſtributi fuerint; aut ſi non fuerint, eiſdem reſervari oportere mandamus: contradictores verò & contumaces canonicis pœnis atque cenſuris coërcendos eſſe & compellendos declarantes.

Tit. IV. De præbendis & dignitatibus.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Procedendum in eos, qui poſt Generale Concilium Lateranenſe Secundum plura receperint Beneficia, quæ ſimul nequeunt obtineri.

QUoniam propter hominum malitiam ſacræ conſtitutiones ſteriles ſunt penitùs & inanes, niſi eas exſecutionis diligentia fecerit fructuoſas; diſtrictè præcipimus, ut contra illos, qui ſine diſpenſatione domini Papæ poſt Generale Concilium plura receperunt Beneficia habentia curam animarum, vel unum ſimile ei quod ante Concilium haberent: & contra illos, qui ſine Apoſtolica diſpenſatione plures dignitates vel perſonatus poſt Concilium Generale receperunt, vel unum, cùm ante Concilium alium perſonatum, vel dignitatem fuiſſent adepti: necnon contra illos, qui in conferendo primo Beneficio, perſonatu, vel dignitate, recepto ſecundo negligentes exſtiterint, ſecundùm ſtatuta Generalis Concilii procedatur. Et quoniam qui taliter adeptus eſt Beneficia, quibus cura animarum eſt annexa, ſeu perſonatus, vel dignitates, ipſo jure privatus eſt primo; & non ſine culpa ſacrilegii, quod ſuum non eſt ſpirituale Beneficium, de facto retinere præſumit, ſi poſtquam monitus fuerit, vel ad ipſum hujus conſtitutionis notitia pervenerit, ſpontaneus eidem non ceſſerit ſine mora, & eandem ceſſionem non declaraverit, excommunicationis vinculo ſit aſtrictus. Adjicimus quoque, ut juxta ſtatutum Generalis Concilii, ſi quis parochialem habet Eccleſiam, in ipſa perſonaliter deſerviat in officio quod requirit ipſa Eccleſia: aut eâdem ſit ipſo jure privatus ſecundùm conſtitutionem Generalis Concilii: & præcipimus, quòd alii conferatur, niſi fuerit præbendæ vel dignitati annexa, & tunc præcipimus, quòd in ea perpetuus vicarius ſtatuatur. Et qui conſtituti ſunt in perſonatibus vel dignitatibus, ad ordinem, quem ipſa requirit dignitas, per ipſarum ſubtractionem aſcendere compellantur.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Non habentes sufficiens Beneficium, ad ordines sacros non sunt promovendi, neque indigni ad ordines & Beneficia admittendi.

PRæcipimus, ne quis promoveatur in subdiaconum, diaconum, vel presbyterum, nisi habeat sufficiens Beneficium Ecclesiasticum, vel saltem sufficiens patrimonium, ad cujus quasi titulum ordinetur. Et qui aliter ordinaverit, sufficienter provideat in necessariis ordinato, vel à præsentatore ipsius ordinato faciat provideri, donec ei competens Beneficium fuerit assignatum. Constitutiones quoque de indignis nequaquam promovendis ad ordines, sive ad Beneficia sub interminatione damnationis æternæ præcipimus amodò districtiùs observari, per pœnam super hoc in Generali Concilio constitutam: adjicientes, ut ii qui illegitimi personatus aut dignitates hactenus receperunt, vel recipere præsumpserint in futurum, dispensatione canonica non obtenta, eisdem sint ipso jure privati.

Petrus Clasquerinus Archiepiscopus, in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Statuitur ut Archiepiscopus & Episcopi cappellam trecentos florenos valentem conficiant.

CUM ex officio charitatis illis teneamur obnoxii, à quibus nos recognoscimus Beneficia suscepisse; hoc eodem approbante Concilio ordinamus, quòd quicumque de cætero præficietur in Episcopum alicujus Cathedralis Ecclesiæ provinciæ Tarraconensis, teneatur facere, & assignare Ecclesiæ Cathedrali, in qua assumptus fuerit, intra triennium cappellam integram de panno serico, vel de auro cum necessariis frisaturis, valentem ad minus trecentos florenos auri: aliàs ex tunc quòd non sit ausus recipere ornamenta Ecclesiæ pro servitio ejusdem extra ipsam; nec teneantur præpositi, seu alii qui ad hoc tenentur, eidem dare canonicam portionem, si forsan ex consuetudine, statuto, vel alio jure recipiat in eadem; donec dictam cappellam fecerit & assignaverit dictæ Ecclesiæ, ut prædicitur, cum effectu. Et si prædicti Prælati infra dictum tempus dictam cappellam fecerint, prout tenebantur per constitutionem Tarraconensem quæ incipit: *Cùm ad honorem Dei*; ad aliam cappellam faciendam non teneantur post obitum suum, nec eorum bona remaneant obligata. Sed si fortè infra prædictum tempus non fecerint, postea, vel post obitum suum dictam cappellam de dicto valore florenorum trecentorum facere teneantur; & eorum bona ad hoc remaneant obligata. Verùm si infra dictum triennium mortui fuerint, vel translati antequam dictam cappellam fecerint, ad illam nihilominus teneantur faciendam, & eorum bona remaneant obligata.

Hieronymus ab Auria Cardinalis, & Archiepiscopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Archiepiscopus & Episcopi jubentur cappellam & ornamenta conficere.

LIcèt per alias constitutiones & Ecclesiastica decreta, sit sanctè dispositum, per Prælatos, & alias Ecclesiasticas personas, in Cathedralibus, & aliis Ecclesiis debere fieri cappellam, cappas, aliaque ornamenta Ecclesiæ, concessa eisdem facultate trium annorum ad illa faciendum: & cùm docente experientia, intra illud tempus morte, vel alio legitimo impedimento præventi Prælati dictum onus non adimpleverint, & consequenter Ecclesiæ dictis ornamentis privatæ sint; attenta difficili exactione in bonis eorum; ideo de congruo super his, ac salubri remedio providere cupientes, statuimus de cætero, quòd dicti Prælati ac Ecclesiasticæ personæ in continenti in adeptionibus possessionum dictarum dignitatum dictas cappellas, cappas & ornamenta, ad quæ tenentur, persolvant, atque pro traditione earum in posse capituli Ecclesiæ pignora aurea vel argentea quantitatem ornamentorum valentia, realiter & cum effectu deponant; eaque antequam illa quæ facere tenentur, adimpleverint, minimè restituantur: facultate dicto capitulo concessa, quòd si intra annum non fuerit adimpletum, vendito pignore per dictum capitulum adimpleatur: dictis constitutionibus aliàs in suo robore permanentibus.

Tit. V. De institutionibus.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, in Concilio Dertusæ celebrato.

CAPUT I.

Sine auctoritate Ordinarii, ad quem pertinet, nullum Beneficium Ecclesiasticum ordinandum.

QUÆ magna sunt, & veneratione condigna, si passim pro quorumlibet voluntatibus exercentur, sua numerositate vilescunt; absorbetque regendi ordinem incomposita multitudo. Hæc sedula meditatione pensantes, quòd quæ pertinent ad

de-

decus Eccleſiæ, & vituperari, vel infirmari poſſent, providere; ſicque Eccleſiaſtica Beneficia conſtitui ſuper ſtabili fundamento, ne in opprobrium Eccleſiæ facilè deſerantur & ruant; harum ſerie duximus ſtatuendum, quòd nullum de cætero Beneficium Eccleſiaſticum, ſine auctoritate Ordinarii, ad quem pertinet, in aliqua Eccleſia ſeu cappella quomodolibet ordinetur. Qui quidem Ordinarius non aliter fundationi, vel ordinationi talis Beneficii auctoritatem præbeat aut conſenſum, niſi priùs dos ſufficiens ad ſuſtentationem vitæ presbyteri aſſignata fuerit in loco idoneo & ſecuro; quodque in ſua auctorizatione clauſulam adjiciat ſubſequentem: Salvis canonicis ſtatutis, & auctoritate providæ diſpenſationis. Quam clauſulam, etiam ſi omiſſa fuerit, haberi volumus pro inſerta; & contrà faciendi poteſtatem Prælatis omnibus abdicamus.

Hieronymus ab Auria Cardinalis, & Archiepiſcopus, in quinto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Legenda Beneficiorum onera, quibus ea fuerint conferenda: & ipſis conferentibus obſervandæ fundationes, & beneficiandorum qualitates.

QUIA valdè periculoſum eſt, tam conferentibus Beneficia, quàm ipſa acceptantibus, juramentum de adimplendis oneribus Beneficiatis injunctis præſtare vel recipere; ſi talia onera non manifeſtentur, ut ſciatur ſi talia ſint, quæ adimpleri poſſunt per beneficiandum: & ſi non poſſint adimpleri collationes & inſtitutiones, denegentur, providemus, quòd ante collationem, ſeu inſtitutionem faciendam, ſi id commodè fieri poſſit, legantur onera injuncta per fundatores, vel quæ à jure injunguntur, explicentur ipſis beneficiandis, ut ipſis viſis & intellectis, ſciant ad quæ tenentur, & ignorantiam prætendere non poſſint; ne ſub generalitate de obſervandis & adimplendis oneribus, ipſorum animæ illaqueentur. Et ut fundatorum Beneficiorum voluntates adimpleantur, mandamus quibuſcumque facultatem præſentandi, conferendi, ſeu inſtituendi habentibus, ut antequam ad prædicta, ſeu aliquod ipſorum deveniant, curent fundationes & inſtitutiones Beneficiorum videre; & qualitates præficiendorum advertere.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT III.

Non eſſe recipiendas inſtitutiones Miſſarum vel anniverſariorum, niſi dote ſufficienti recepta, quæ perpetuò utilis futura ſit.

SÆpè contingit, ut paucorum hominum vel negligentia vel cupiditas, multis perpetuum afferat detrimentum. Quocirca, ne nocere poſſit Eccleſiis, aut eis, qui in eiſdem Beneficia obtinent, aliave emolumenta Eccleſiaſtica percipiunt (quod fieri accepimus in aliquibus locis hujus provinciæ, ut pecuniæ inter præſentes dividantur, & ſucceſſores oneribus graventur) hac conſtitutione, ſacro approbante Concilio, vetamus, ne perpetua onera, utpote Miſſarum vel anniverſariorum, tam in Eccleſiis Cathedralibus, quàm in aliis collegiatis, vel parochialibus, aut aliis quibuſcumque, aut etiam à quibuſvis Eccleſiaſticis collegiis, confraternitatibus, ſive perſonis imponi patiantur, ut ſe & ſucceſſores ſuos perpetuò obligent, niſi dote ſufficienti recepta, quæ perpetuò utilis futura ſit. Idque ſi factum fuerit, ab omnibus Ordinariis, & aliis Superioribus, tam in viſitatione, quàm extra eam, ſeverè coërceantur. Quæ verò à viginti annis citrà impoſita fuiſſe conſtiterit ſine dote ſufficienti, aut ſi dos inter præſentes & conſentientes conſumpta fuerit; non obligare ſucceſſores declaramus, niſi ex ea pecunia redditus perpetui, æquipollentes oneri comparari poſſint: quòd quamprimùm fieri jubemus, eiſdem malè perceptis pecuniis reſtitutis per Eccleſiaſticam diſtrictionem. Qua in in re Ordinarii & Superiores prædicti viſitando, aut aliàs, debitam moderationem adhibebunt.

Idem in eodem.

CAPUT IV.

Nullus cappellanias, perſonatus, vel alia officia, aut ſervitia, ſine auctoritate Ordinarii inſtituat: quòd ſi in teſtamento id fecerit, Epiſcopus ſit moderator & exſecutor, juxta canonicas ſanctiones.

BONÆ memoriæ Petri de Fuxo Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legati, conſtitutioni, quæ incipit: *Quæ magna ſunt*, fraudem fieri à multis accepimus. Cùm enim in ea ſtatuatur, neminem Beneficium Eccleſiaſticum ſine auctoritate Ordinarii, ad quem pertinet, in aliqua Eccleſia ſeu cappella quomodolibet ordinare debere; neque ipſum Ordinarium aliter fundationi vel ordinationi ejus Beneficii auctoritatem aut conſenſum præbere, niſi priùs dos

ad ſuſtentationem vitæ presbyteri in loco idoneo & ſecuro fuerit aſſignata: multi cappellanias, perſonatus, vel alia officia, aut ſervitia, tam in vita, quàm in ultima voluntate inſtituunt, quæ nolunt Beneficia appellari, neque auctoritatem alicujus Ordinarii interponi, neque collationem, inſtitutionem, aut confirmationem fieri; neque quemquam Epiſcopum, aut ejus vicarium generalem, aut officialem, aut viſitatorem, neque ſedis Apoſtolicæ Legatum, aut aliam Eccleſiaſticam perſonam, in eorum diſpoſitione, ſive contractu, aut pia voluntate, aut circa perſonam illius cappellani, aut ſervientis, aut circa dotem, vel bona ei relicta vel applicata quoquo modo ſeſe immiſcere. Cùm Jure quoque civili ſtatutum ſit, neminem poſſe efficere quin leges in ſua diſpoſitione locum habeant. Sunt etiam ex his aliqui, qui non dotem certam relinquant; & alii, qui eam dotem non clerico ſervienti aſſignari permittant, ſed omnia fidei hæredum, aut aliarum perſonarum committant. Quæ omnia corrigere cupientes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, ut Epiſcopi, qui juxta ſacri Concilii Tridentini decreta omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, ſunt exſecutores, omnium prædictarum diſpoſitionum, non obſtantibus quibuſcumque verbis dictorum contrahentiũ vel diſponentium, ſint moderatores, & exſecutores; ita ut, quæ juxta canonicas ſanctiones, in laudem Dei, & utilitatem Eccleſiarum relicta vel diſpoſita fuiſſe conſtiterit, habitis pro non ſcriptis, vel cancellatis, & abolitis conditionibus illis, vel pactis minùs rationi conſentaneis, cætera confirment; & ſi opus fuerit, Beneficia erigant, aut pia ipſa relicta vel diſpoſita in tutioribus locis collocent: ſuper quibus eorum conſcientias oneramus. Quòd ſi non talia fuiſſe repererint, aut modicæ, vel nullius utilitatis, aut ſi eis videatur, ea in alia pia opera commutent, aut nulla & irrita eſſe declarent. Nec deinceps tales contractus vel diſpoſitiones cum eiſdem vel ſimilibus clauſulis fieri ſub excommunicationis pœna in notarium, & teſtes, & ipſos contrahentes vel diſponentes ferenda, ullo umquam tempore permittimus. Nec rectores, aut alii clerici quemquam ad Miſſarum, vel divinorum officiorum celebrationem admittant, ſine Epiſcopi, vel ejus vicarii generalis licentia in ſcriptis obtenta. Quòd ſi fecerint, arbitrio eorundem Ordinariorum puniantur.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Quo pacto Beneficia perſonalia inſtituenda ſint, ut omni ſimoniaca labe careant.

LIcèt perſonatus, ſive perſonalia Beneficia ideo nuncupata ſint, quòd non ut in perpetuum Beneficia remanerent, ſed ad vitam aliquarum perſonarum Eccleſiaſticarum dumtaxat inſtituerentur, & poſtea eorum redditus in alios pios uſus applicarentur, & ab immemorabili tempore in hac noſtra Tarraconenſi provincia erigi & inſtitui conſueverint; cùm ea in divini cultus augmentum tendant; ac Chriſti fidelium pias voluntates ampliari, non autem reſtringi conveniat; inſtitutiones eorundem adjuvari oportere cenſuimus. Verùm cùm nonnumquam in dictorum perſonatuum, ſeu perſonalium Beneficiorum fundatione plurimæ fraudes, & ſæpè non ſine ſimoniaca labe (quod vehementer dolemus) commiſſæ fuerint; ut hujuſmodi fraudibus, quantum à nobis fieri poſſit, occurratur, ſacri approbatione Concili ſtatuimus, ut nullus perſonatus, ſeu perſonale Beneficium, ſine auctoritate & decreto Epiſcopi, ſeu ejus vicarii generalis, erigatur: qui decretum & auctoritatem ſuam in fundatione interponere non poſſint, niſi dos aſſignata in cenſualibus, vel aliis redditibus perpetuis conſiſtat. Ea verò dos, ſive ii redditus non ſuper bonis dotantis, vel ejus, qui patronus efficitur, ex cenſuali, vel alio novo contractu fundentur; ſed ſint alii veri redditus in locis tutis & firmis conſiſtentes, ab eiſdem Ordinariis antea approbandi; ita ut priùs pecuniæ rectè collocatæ ſint, quàm decretum interponatur; nec dos in ſola pecunia numerata conſiſtat, aut in prædiis vel domibus inutilibus, aliiſve rebus mobilibus vel immobilibus, aut animalibus, niſi ea perpetuò fructuoſa eſſe veriſimiliter poſſint. Quòd ſi permittatur in fundatione, ut in alia opera pia redditus ſupradicti collocentur, poſt primæ vel ſecundæ, vel ulterioris perſonæ obitum, quæ Beneficium obtinebit (nolumus enim, ut poſt earundem reſignationem, aut aliam vacationem id fieri permittatur) in ipſa erectione, ſeu fundatione declarentur ſpecies piorum operum; & cùm caſus evenerit, in ea pia opera illi redditus diſtribuantur. Et ut horum omnium & ſingulorum nihil umquam poſſit celari, in libro ſpeciali, tam perſonatuum erectiones & dotationes, quàm collationes & inſtitutiones, nec non in libro piarum cauſſarum, vel operum piorum, ea pia opera in dictos eventus inſtituta deſcribantur. Maximam quoque curam prædicti Ordinarii adhibebunt, ne quis dolus vel fraus, aut aliqua ſimoniaca pactio in erectione aut fundatione, vel in collatione aut inſtitutione, aut etiam in permutatione dictorum perſonatuum, ſive perſonalium Beneficiorum interveniat: eaque prohibere ac punire ſeveritate canonica procurent. quod non ſolùm in futura, ſed etiam in præterita crimina jure communi prohibita locum habere declaramus.

Tit. VI. De Eccleſiis & cappellis.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Sine auctoritate Ordinarii non licere Eccleſias & cappellas ædificare.

CUM Eccleſias hujus noſtri Archiepiſcopatus, & Epiſcopatuum Helenenſis & Dertoſani, quibus divina diſpoſitione, meritis licèt imparibus, præfuimus, vilitaremus; quàm plurimas cappellas vidimus ob negligentiam fundatorum funditùs deſtructas & ſolo æquatas; nonnullas etiam receptacula pecudum factas; ex quibus Deus offenditur & Chriſtianorum devotio valdè minuitur: quod & in tota noſtra provincia eodem modo ſe habere accepimus. Ne igitur tantam poſthac rerum ſacrarum noſtris oculis jacturam & contemptum contemplemur; hac conſtitutione, ſacro approbante Concilio, ſancimus & ordinamus, ut nullus in poſterum, ſine Epiſcopi, ſeu Ordinarii, vel ſui vicarii generalis facultate, cappellas fundare aut ædificare audeat; neque rectores, ſeu curati in ſuis parochiis, ſub pœna decem librarum, illas fieri ſeu conſtrui permittant. Præcipimus autem Epiſcopis, & aliis Ordinariis, ne talem facultatem cuiquam concedant, niſi ſufficientem dotem pro reparatione & conſervatione dictarum cappellarum & ornamentorum earundem præbuerint: idem intelligendum dicimus de reſtauratione jam deſtructarum cappellarum.

Tit. VII. De ratione dividendi fructus annui valoris cujuſcumque Beneficii.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Quo pacto dividendi ſint fructus cujuſcumque Beneficii inter hæredes defuncti Beneficiati, & ſucceſſorem.

ET quia ut plurimùm ſucceſſor Prælati defuncti, qui condidit teſtamentum, petit de bonis defuncti proviſionem uſque ad novos fructus, ex quo ſæpè ſequuntur litigia, & dicta bona in litigiorum amfractus impenduntur; nos volentes hoc evitare, decernimus, quòd ſi ſucceſſor Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut cujuslibet Prælati collegiatæ Eccleſiæ, vel rectoris, ſeu vicarii perpetui Eccleſiæ parochialis, fructibus poſt mortem ſui prædeceſſoris collectis, & poſtea colligendis, contentus eſſe noluerit, ſed proviſionem de bonis ſui prædeceſſoris petierit, computentur fideliter omnes fructus, redditus, & proventus dictæ dignitatis, vel parochialis Eccleſiæ totius anni, quo vacavit; qui annus incipiat à Kalendis Maji: & dividantur inter defunctum & ſucceſſorem, pro rata temporis illius anni, quo quilibet præfuit dictæ dignitati, vel Eccleſiæ, & ipſius onera ſupportavit. Hoc autem extendi nolumus ad alia Beneficia; cùm eadem obtinentes non habeant tot onera ſupportare, ſed ſervetur in eis quod eſt de jure, ſtatuto, vel conſuetudine approbatum. Hujuſmodi verò proviſionem ad rectores vel vicarios perpetuos Eccleſiarum parochialium extendi non intendimus in diœceſi, ubi aliud de ſtatuto, vel rationabili conſuetudine eſt obtentum.

Tit. VIII. De his quæ fiunt à majori parte capituli.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT I.

Ne capitulum habeatur, dum Miſſa conventualis celebratur.

CUM deceat canonicos Cathedralium, atque aliarum Eccleſiarum, primùm quærere regnum Dei, hoc eſt, ſacro Miſſæ ſacrificio (quàm conventualem Miſſam vocant) peracto, de aliis rebus atque negotiis in capitulis ſuis tractare atque agere: ut ſperare poſſint quod apud Matthæum Dominus pollicetur, ut cætera eis adjiciantur; ſacri approbatione Concilii ſtatuimus, ut dum eadem Miſſa conventualis celebratur, capitulum non habeatur; nec ea de cauſſa alio, quàm ſolito tempore Miſſa celebretur: contrarium facientes, præter irritationem actûs, duorum dierum diſtributionibus quotidianis ipſo jure privati ſint, pauperibus eiſdem ſtatim erogandis. In omnibus verò capituli actionibus conſcribendis omnium canonicorum nomina ſcribantur, quamvis aliqui ex eis contradixerint iis, quæ majori parti placuerunt. Nec quod ſemel decretum fuerit, à minori numero canonicorum reſcindatur; cùm varietas & illuſio ſit maximè in clericis deteſtanda: ne captata occaſione abſentiæ vel occupationis, aliorum alii rectè geſta reſcin-

ſcindant. Quæ omnia tam in ordinariis, quàm in extraordinariis capitulis locum habeant.

Tit. IX. De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Statuitur, ne ſublato communi convictu à Prælatis, aut clericis Eccleſiæ, bona viritim dividantur, niſi diœceſani conſenſu.

CUM in pleriſque locis Eccleſiarum Priores, ſeu Prælati clericis ſuis communiter viventibus miniſtrare victualia teneantur; & circa eoſdem, nec non & laïcos parochiarum ſuarum in cura animarum debeant intendere diligenter: quidam Priores, ſeu Prælati, ut liberiùs evagari valeant, aut ut ſuæ ſatisfaciant avaritiæ; quidam quoque clerici, ut ad divini cultus aſſiduitatem non compellantur à Prioribus, ut eorum effugiant diſciplinam, poſſeſſiones, & bona Eccleſiæ inter ſe diviſione perpetua partiuntur. Quare præſentis auctoritate Concilii duximus ſtatuendum, ut nulla de cætero talis partitio fiat: & ſi qua facta eſt abſq; auctoritate & conſenſu diœceſani, vel Superioris, eam decernimus non tenere. Quòd ſi forſan alicujus Eccleſiæ Prior, & clerici contra iſtam conſtitutionem venire præſumpſerint; per diœceſanum loci, vel ejus vices-gerentem ipſos ab eiſdem Eccleſiis præcipimus in perpetuum amoveri. In illis autem Eccleſiis, in quibus factæ ſunt partitiones hujuſmodi de aſſenſu diœceſani, vel Superioris, id præcipimus obſervandum, ut clerici ſub obedientia & correctione ſui Prioris, ſeu Prælati conſiſtant, & ſimul comedant in uno refectorio, ſicut ante partitionem facere conſueverunt; nec Eccleſiæ proventus aliquo modo inter ſe dividant, ſed magis in una menſa communicent: ut qui divinis officiis intereſſe neglexerint, ſubtractione eorum portionis ſecundùm ſuam negligentiam puniantur à Priore. Provideat quoque Prior, ne clerici ſui, vel eorum diſpenſatores, Eccleſiæ bona diſpenſent taliter, aut expendant, quòd ceſſantibus quotidianis diſtributionibus divini ſequatur officii detrimentum: & hoc ita fieri nequaquam permittat. Inhibemus quoque ne Prior ſine clericis, aut clerici ſine Priore aliquam de poſſeſſionibus Eccleſiæ impignorare valeant: nec ſine diœceſani conſenſu aliquam poſſeſſionem vendere, aut quomodocumque alienare præſumant. Clerici quoque inter ſe terras & vineas Eccleſiæ non dividant, ſed communiter eas poſſideant, ſicut communibus debent uſibus deſervire.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Capitula generalia & regularia quo pacto fieri debeant.

QUoniam monaſteria multiplici correctione & reformatione indigent, præcipimus, juxta formam Generalis Concilii, ut tam monachorum, quàm canonicorum regularium generalia capitula, fiant ipſius conſtitutionis tenore in omnibus obſervato: qui talis eſt, adjicientes præſentis auctoritate Concilii, ne viri religioſi ſine conſenſu ſui diœceſani Epiſcopi poſſeſſiones monaſteriorum vendant, vel inchartent, ſeu concedant ad vitam hominis, aut permutent, aut infeudent, aut quocumque modo alienent. Quod qui facere præſumpſerint, ab adminiſtratione qua funguntur, per ſuum Epiſcopum amoveantur in perpetuum: & qui ſic obtinent, careant ſic obtentis.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Jubentur Prælati, cæteriq; Eccleſiaſtici, tempore quo poſſeſſionem adipiſcuntur, eorum quæ reperierint ſuorum Beneficiorum inventaria facere.

QUia rei evidentia docuit, plura cenſualia, & redditus Beneficiorum Eccleſiaſticorum in toto aut in parte fuiſſe perdita & alienata, redditus diminutos, & jura alia defraudata propter reſidentium in ſuis Beneficiis incuriam, ſeu per mortem; ideo, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes Prælati, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ tempore adipiſcendæ poſſeſſionis ſuorum Beneficiorum faciant inventarium de omnibus inventis, ſeu repertis in hoſpitiis, caſtris, ſeu aliis locis ſuarum dignitatum, officiorum, ſeu Beneficiorum, ſive ſint inſtrumenta, libri, capibrevia, aut alia eorum dignitati, officio, ſeu Beneficio pertinentia. Et etiam nova capibrevia facere teneantur infra ſex menſes à tempore pacificæ poſſeſſionis adeptæ. Ac obtinentes nunc ipſa Beneficia, infra annum à præſenti die in antea computandum habeant capibreviare: in quibus quidem capibreviis ponantur, ſeu deſignentur ſpecificè eorum redditus, cenſualia, & jura alia univerſa, nomina facientium cenſualia, & confrontationes proprietatum, quæ ſunt dictis dignitatibus & Beneficiis obligata. Et dicta inventaria, capibrevia, & aliæ ſcripturæ publicæ ponantur & conſerventur infra alium menſem immediatè ſequentem in aliquo certo loco & ſecuro, per eorum diœceſa-

ſanum Epiſcopum deputando. Quòd ſi contra prædicta, & eorum aliquod actum fuerit per aliquem, ſeu omiſſum, ad ſui Superioris arbitrium puniatur.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

In quavis Eccleſia librum conſcribi debere, in quo inſtrumenta jurium omnium dignitatum & Beneficiorum authenticè contineantur.

CUpientes Eccleſiarum ſtatui proſpero providere, ſacro approbante Concilio, ordinamus, quòd fiat in qualibet Eccleſia Cathedrali, collegiata, parochiali, vel ſimplici noſtræ provinciæ unus liber, in quo inſtrumenta jurium, tam dignitatis principalis, quàm aliorum Beneficiorum ipſarum Eccleſiarum, & eorum onera in forma authentica ad expenſas cujuslibet Beneficiati, & ampla ſerie conſcribantur, qui infra quinquennium in ſacriſtia, vel ſacrario cujuslibet Eccleſiæ, ad quam pertineat, reponatur: conſtitutione de capibreviis faciendis per quemlibet Beneficiatum, incipiente: *Quia rei evidentia docuit*; in ſuo robore permanſura.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Quoties feudatarii innovantur, recognoſcenda feuda, & poteſtates de quinquennio in quinquennium requirendæ.

FEuda, vel poteſtates habentes in caſtris, locis, ſeu proprietatibus quibuſcumque, ut feudatariis contradicendi materia auferatur, præcipimus, per Prælatos, & Beneficiatos quoſcumque, ratione dignitatum, vel Beneficiorum, ut ea recognoſci faciant: quatenus feudatarii innoventur, & de quinquennio in quinquennium poteſtates requirere teneantur.

Idem in eodem.

CAPUT VI.

Scribaniæ, bajuliæ, ſagioniæ, carcellariæ, caſtellaniæ prohibentur à dignitatibus, & Beneficiis, quorum ſunt, ſeparari.

CEdit quidem in magnum Eccleſiæ detrimentum, quòd ſcribaniæ, vicariæ, bajuliæ, ſagioniæ, carcellariæ, caſtellaniæ, alcaidiæ, & earum fructus, emolumenta, & officia, quocumque nuncupentur nomine, conſueta etiam per laïcos gubernari, quaſi à menſis dignitatum, & à Beneficiis, à quibus dependent, ſeparata concedantur in perpetuum alicui, vel ad vitam: cùm ex conceſſionibus hujuſmodi ſequatur, quòd à pluribus impetrantur invitis Prælatis, & aliis Beneficiatis, ad quos talium officiorum diſpoſitio pertinet & ſpectat, & per ingratos & damnoſos Eccleſiæ multoties talia officia gubernantur. Nos indemnitati Eccleſiæ providentes, ut via ambitioni improbæ præcludatur, & ne conceſſiones hujuſmodi in perpetuum fiant amodò, vel ad vitam; ipſas ſcribanias, vicarias, bajulias, carcellarias, ſagionias, caſtellanias, alcaidias, & hujuſmodi officia, quovis vocentur nomine, quas eſſe damnoſas Eccleſiæ multoties comperimus, cùm per tales talia officia gubernantur; prohibemus ea, & emolumenta illorum ab eis ſeperari dignitatibus vel Beneficiis, quibus talium officiorum diſpoſitio noſcitur pertinere: quinimmo, ſacro approbante Concilio, eiſdem annectimus & unimus.

Idem in eodem.

CAPUT VII.

Cavetur, ne cuiquam ſcribaniæ emolumenta, redditus, proprietates, & proventus ultra triennium attribuantur.

HOc conſultiſſimo prohibemus edicto, ne ſcribaniæ, emolumenta, redditus, proventus, proprietates, ſeu jura quovis nomine nuncupentur, ad menſas dignitatũ, monaſteriorum, capitula, collegia, conventus, vel ad Beneficia quæcumque annexa vel pertinentia quoquo modo, à nobis Archiepiſcopis, ſuffraganeis noſtris, inferioribus Prælatis, capitulis, conventibus, vel dignitates & Beneficia habentibus infra provinciam Tarraconenſem, etiam intervenientibus noſtri, ſeu ſuffraganeorum, capitulorum, & inferiorum Prælatorum, conventuum conſilio & aſſenſu, etiam jure compenſationis ſervitiorum Eccleſiæ impenſorum, vel ubi utilitatem Eccleſiæ concernere videantur, alicui concedantur in perpetuum, vel ad vitam, ſive etiam ad beneplacitum, vel ultra triennium dari vel concedi valeant ullo modo. Neque etiam vicarias, bajulias, alcaidias, caſtellanias, carcellarias, ſagionias, vel alia officia, quocumque nomine cenſeantur, nos, ſeu noſtri ſuffraganei, aliique inferiores Prælati, ſeu habentes dignitates, officia, vel Beneficia, capitula, collegia, vel conventus, ad quas, ſeu quæ dare pertineat officia ante dicta, alicui, vel aliquibus, etiam conſilio & aſſenſu intervenientibus ſupradictis, in perpetuum, vel ad vitam, nec ultra triennium, aſſignare vel committere valeamus; nec ſic commiſſa volumus poſt committentis obitum perdurare. Et ſi forſan per ignorantiam, per inadvertentiam, vel aliàs per nos aut ſucceſſores noſtros, ſuffraganeos, vel alios inferiores Prælatos, ſeu habentes dignitates vel Beneficia de facto contrarium fuerit attentatum; ſacro approbante Concilio, tales conceſſiones, donationes, vel aſſignationes irritas

de-

decernimus & inanes, nulliuſque efficaciæ, roboris, vel momenti,

Idem in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT VIII.

Excommunicantur qui de bonis, & juribus, conjunctim & indiviſim ad ordinationem Tarraconenſis provinciæ pertinentibus, alicui quicquam concedunt.

EXactiones calliditate quadam conceptas, quæ interdum ſubtili ingenio Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, & earum ſtatui damnum afferunt, & reipublicæ tribuunt nocumentum, quantum poſſumus amputare volentes; nos Ennecus miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Provinciale Concilium celebrantes, omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas noſtræ provinciæ, etiam Pontificali dignitate præditas, quicquam de bonis vel juribus Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis, aut earum hominibus, conjunctim & inſimul pertinentibus, ordinationi totius provinciæ, dantes & concedentes, promittentes, vel aſſignantes, aut ſpem concedendi vel aſſignandi promittentes, vel dantes alicui, vel aliquibus ullo modo, caſu, vel etiam ratione quantumcumque ardua, particulariter tamen, videlicet extra curias & Concilia Generalia, excommunicationis ſententiæ, approbante ſacro Concilio, ipſo facto decernimus ſubjacere. Capitula verò, collegia, & conventus Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum, & monaſteriorum, quibus præſunt, ſi in præmiſſis culpabiles fuerint, ſuſpendimus à divinis, quorum abſolutionem, & ſuſpenſionis relaxationem nobis, vel ſucceſſoribus noſtris in Provinciali Concilio, & non aliàs faciendam reſervamus.

CAPUT IX.

Conſtitutio Pii V. de rebus Eccleſiæ & Beneficiorum non alienandis:

PIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

ETſi de ſingulis paſtoralis officii cura nos admonet eſſe ſolicitos, fabricam tamen Sancti Petri, quam ſpeciali quadam cura nobis cognoſcimus eſſe commiſſam, ſpecialis intentionis favore proſequimur, eamque gratiis attollimus opportunis. Accepimus ſanè nuper, quòd diverſæ perſonæ, tam Eccleſiaſticæ quàm ſæculares, quamplura bona, poſſeſſiones, & terras ad Eccleſias, etiam Metropolitanas, monaſteria, & Beneficia, domos, & alia regularia, ac alia pia loca, necnon hoſpitalia, pertinentia & ſpectantia, prætextu diverſarum alienationum eis contra tenorem literarum felicis recordationis Symmachi, & Paulli II. ac aliorum Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum, aut ſine Apoſtolicæ ſedis licentia, ſeu illarum forma non ſervata, aut aliàs, in evidens damnum & præjudicium Eccleſiarum, monaſteriorum, Beneficiorum, & piorum locorum hujuſmodi factorum occupaverunt & detinuerunt, ac de præſenti occupent & detineant. Nos præmiſſa conniventibus oculis pertranſire nequeuntes, utpote quæ in divinæ majeſtatis offenſam, ac Eccleſiarum, & ordinis clericalis detrimentum tendant; utque fabricæ præfatæ maximis neceſſitatibus ſuccurramus, dilectos filios, collegium, & deputatos fabricæ præfatæ, eorumque pro tempore Auditores, & miniſtros, ac eorum ſingulos, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio; non ad ipſorum deputatorum, & collegii, ac Auditorum, & miniſtrorum præfatorum, vel alicujus eorum, aut pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed ex certa ſcientia, ac de mera noſtra liberalitate, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eiſdem collegio, & deputatis, eorumque pro tempore Auditoribus, & miniſtris præfatis, ut omnes & ſingulas alienationes in emphiteuſin, ſeu cenſum perpetuum, aut tertiam, vel aliam generationem, ſeu hominis vitam, aut aliud tempus ultra triennium locationes, vel conceſſiones, ſeu permutationes, aut occupationes, de quibuſvis terris, poſſeſſionibus, aut aliis bonis immobilibus, ſeu rebus, & juribus, tàm ſpiritualibus quàm temporalibus, Eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, Beneficiorum, hoſpitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet, ſine ſedis Apoſtolicæ licentia, aut illius formâ non ſervatâ, in damnum Eccleſiarum, ſeu ſolennitatibus jure requiſitis, aut conſtitutionibus ipſorum monaſteriorum, ſeu domorum minimè ſervatis, aut aliàs nulliter hactenus factas revidere, & conſtito ſibi quantum ſufficere videbitur de præmiſſis, illas, & contractus ſuperinde ſub quibuſvis formis & verborum expreſſionibus habitos & celebratos, etiam ſi juramento vallati exiſtant, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolica, ad ſolius præfatæ fabricæ procuratoris inſtantiam, etiam parte invita & contradicente, facta ſibi priùs intimatione per tres menſes, tenore præſentium, reſcindere, irritare, caſſare, & annullare, ipſoſque detentores & occupatores, ad terras, poſſeſſiones, & bona, res, & jura præfata, ut præfertur detenta & occupata relaxandum, & de fructibus tam hactenus perceptis, & qui percipi potuerunt, quàm in poſterum percipiendis, realiter ſatisfaciendum cogere & compellere, bonorumque, & fructuum recuperandorum hujuſmodi ter-

tiam

tiam partem ipſi fabricæ, reliquis duabus partibus Eccleſiis, monaſteriis, Beneficiis, domibus, hoſpitalibus, & piis locis, ad quæ bona ipſa ſpectabunt, cum effectu conſignatis, vendicare & applicare poſſint & valeant, facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur. Ita ut eiſdem collegio, deputatis, eorumque Auditoribus, & miniſtris, liceat dictæ tertiæ partis hujuſmodi bonorum præfatæ fabricæ, ut præmittitur, applicatorum corporalem poſſeſſionem propria auctoritate liberè apprehendere, illamque in dictæ fabricæ uſus & utilitatem, abſque alia ſedis Apoſtolicæ, & Superiorum Eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, Beneficiorum, hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, ad quæ bona ipſa & fructus ſpectabunt, licentiâ, alienare, vendere, & convertere, diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ; decernentes, præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut invalidari, etiam ex eo capite quòd intereſſe habentes vocati non fuerint, aut ad juris terminos reduci, minuſque in controverſiam vocari poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, minuſque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi ullatenus poſſe, ſed ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe, & cenſeri: ſicque per quoſcumque judices & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſſarum palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, judicari debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis, in genere vel in ſpecie, quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu ſecretarii, & ſigillo collegii dictæ fabricæ ſubſcriptis & munitis, eadem prorſus in judicio, & extrà fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, impartionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD LXIX. Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT X.

Quotieſcumque cenſuales, ſive alii redditus Beneficii Eccleſiaſtici redimuntur, pecunia in ſacrario vel ærario Eccleſiæ Cathedralis, vel in locis ab Epiſcopis deſignandis conſignetur, & in ſacrarii vel ærarii libro conſcribatur.

QUod frequenter evenit, ut dotes, atque alii redditus quorumcumque Beneficiorum in cenſualibus conſtituti, vel ad minorem ſummam redigantur, vel in totum pereant, aut etiam redimantur, colluſione nonnumquam, vel fraude Beneficia obtinentium, aut aliarum rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratorum, aut patronorum, ſacri approbatione Concilii decernimus & declaramus, ut quotieſcumque redimantur cenſuales, ſive alii redditus cujuſcumque Beneficii Eccleſiaſtici, etiamſi perſonatus, vel perſonale Beneficium, vel officium, aut ſervitium, aut capellania ſit, aut alio quocumque nomine appelletur, & ad tempus, vel in perpetuum fuerit inſtitutum, non alibi, quàm in ſacrario, vel ærario Eccleſiæ Cathedralis, vel in locis ab Epiſcopis deſignandis in unoquoque officialatu, intra quem Eccleſia illa conſiſtit, in qua Beneficia hujuſmodi ſunt inſtituta, aut in civitate Barcinonenſi in tabula cambii, ſive depoſitorum ejuſdem civitatis pro iis, qui in eadem civitate Beneficia prædicta obtinent, depoſitum illarum pecuniarum coram publicis & authenticis perſonis conſignetur, & in libro ejuſdem ſacrarii vel ærarii, vel aliorum locorum, omnia conſcribantur. Ea verò pecunia inde non amoveatur, niſi ad emendos alios redditus cenſuales, vel alios perpetuos dictorum Beneficiorum, & cum decreto Epiſcopi, ſi intra provinciam fuerit, aut ſi abierit, ejus vicarii, ſive officialis generalis. Ejus verò decreti interpoſitio in dicto libro conſcribatur. Illud præcipuè animadvertendum eſt, ut ſi ipſe qui Beneficium obtinet, aut ejus conſanguineus, vel affinis intra ſecundum gradum, aut etiam patronus, vel patroni conſanguineus, vel affinis intra eundem gradum, petierint eam pecuniam ſibi conſignari, ut ipſi deinceps, vel aliquis prædictorum redditus prædictos ſolvere ſe obligent, per ſe vel interpoſitam perſonam, id fieri Epiſcopi, ſive vicarii, vel officiales non patiantur. Qui verò contra hujus conſtitutionis tenorem aliquid agere tentaverint; & quod egerint irritum habeatur, &

de ſuo damnum quarumcumque perſonarum læſarum, vel Eccleſiarum, ſive Beneficiorum reſarcire teneantur.

Per hanc autem conſtitutionem nihil detrahimus aliis conſtitutionibus provincialibus vel ſynodalibus, quæ majorem diligentiam adhibent, vel alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, vel depoſitis faciendis, aut aliis ſolennitatibus in ſupradictis requirendis de jure vel conſuetudine. In regularibus verò Beneficiis, aut in ſæcularibus, regularibus tantùm perſonis ſubjectis, eorum Superiores depoſitorum loca deſignabunt, & decreta ſive auctoritatem interponent.

Tit. X. De emptione & venditione.

CAPUT I.

Declaratio Apoſtolica, qua ſtatuitur venditiones cenſualium juxta morem patriæ licere.

NICOLAUS PAPA V.

NIcolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Solicitudo paſtoralis officii fores noſtræ providentiæ pulſare non deſinit, ut indemnitati ac ſtatui proſpero fidelis populi curæ noſtræ cœlitùs commiſſi, juris moderando rigorem, per opportuna proviſionis remedia, quantum ex alto nobis permittitur, ſalubriter conſulamus. Sanè, ſicut fide dignorum relatione didicimus, in regno Siciliæ, ac cæteris aliis dominiis & terris chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Aragonum & utriuſque Siciliæ Regis illuſtris, avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas quorundam oculos adeò excæcavit, uſurariaque pravitas illis in partibus in tantum excrevit, quòd incolæ & habitatores partium illarum pecuniis indigentes, eas vix aliter, quàm fœneratorum operâ, quaſi inauditũ fœnus exercentium, conſequi poſſint: & cùm eas acceperint, ſi in tempore perceptas non reſtituant, brevi eorum bona inſatiabili uſurarum voragine miſerabiliter conſumuntur: & quòd in dominiis & terris ipſius Regis ultra montes conſtitutis, videlicet Regnis Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, & Principatu Cathaloniæ, & Comitatibus Roſſilionis, & Ceritaniæ univerſitates, & ſingulares perſonæ, tam Eccleſiaſticæ quàm ſæculares, hujuſmodi pecuniis indigentes, ut cum minori incommodo eas habere poſſint, per venditiones annualium cenſualium, quæ mortua nuncupantur, ſuper domibus, poſſeſſionibus, & proprietatibus ſpecialiter, vel etiam generaliter ſuper omnibus bonis, redditibus, emolumentis, juribus, & rebus eorum, mediante tamen inſtrumento gratiæ redimendi onera eorum, ſibi ut plurimum proſpicere & conſulere conſueverunt. Quod in prædictis ejuſdem Regis partibus & regnis ultra montes conſtitutis non ſolùm in longam conſuetudinem, de cujus contrario hominum memoria non exiſtit, more utentium deductum eſt, ſed etiam per municipalia hujuſmodi regnorum & partium jura, per Regem ipſum, ſeu ejus prædeceſſores cum conſenſu trium brachiorum, Eccleſiaſtici videlicet, militaris, & regalis, promulgata ſimpliciter confirmatum. Cùm itaque multis incolis & habitatoribus partium & dominiorum ejuſdem Regis citra montes conſtitutorum indigentibus, per hujuſmodi cenſualium venditiones ſubveniri, ipſíque à fœneratorum uſuris eximi poſſent: ſed quia in hoc pecuniis abundantes dubitant uſurariam pravitatem committere, & ſic eiſdem indigentibus more præmiſſo ſuccurrere formidant, & indigentium detrimentum, & fœneratorum eorundem evidens incrementum, pro parte ejuſdem Regis, aſſerentis ex ſubditis ſerenitatis ſuæ quamplures gravium uſurarum voraginibus magnis hactenus penuriis exhauſtos exiſtere; alios quoque in dies pecuniis egentes fœnore magis ac magis opprimi & vexari; nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis paterno compatientes affectu, in præmiſſis de opportunæ proviſionis ope ſuccurrere: præfataſque cenſualium venditiones cum clauſulis & cautionibus ad earum validitatem inter venditores & emptores mutuo conſenſu ineundis abſque læſione conſcientiæ in regnis Siciliæ, citra & ultra Pharum fieri poſſe debere decernere & declarare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pro debito miniſterii paſtoralis nobis divinitùs injuncti, ſuper his ſalubriter providere, ac ſtatui & indemnitatibus incolarum & habitatorum regnorum, & terrarum dicti Regis citra montes conſtitutorum, præſentium & futurorum, quantum cum Deo poſſumus, ſubvenire cupientes; & attendentes, quòd clero terrarum & dominiorum ipſius Regis ultra montes conſtitutorum, in ſuis olim indigentiis per venditiones prædictorum cenſualium auctoritate Apoſtolica pluries conſultum & proviſum fuerit, præfati Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tam eidem Regi, quàm hujuſmodi regnorum Siciliæ citra & ultra Pharum, cum omnibus & ſingulis incolis & habitatoribus, ac locorum, civitatum, & terrarum univerſitatibus, præſentibus & futuris hujuſmodi cenſualia ſuper rebus & proprietatibus ſuis, ac facultatibus & emolumentis earundem, inſtrumento gratiæ pro conſimili pretio illas redimendi mediante, dummodo annualis cenſus hujuſmodi cenſualium decimam partem principalis receptæ, ſeu pretii eorundem non excedat, inter ſe contrahendi, vendendi, & emendi, cum opportuna contrahentium ſecuritate, tuitione, & indemnitate, ac cum poteſtate vendentes perſonas, eorumque proprietates, reditus, jura, juriſdictiones, cenſus, & omnia & ſingula, mobilia & immobilia bona obligandi, & obligari faciendi: ac etiam quaſcumque alias obligationes & ſubmiſſiones, cuicumque foro, necnon renunciationes, promiſſiones, & ſtipulationes pœnis, juramentis, & aliis cautionibus vallatas, & alia quæcumque, de quibus inter

emen-

ementes & vendentes hujuſmodi cenſualia, conventum, & in pactum deductum fuerit, plenam licentiam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem; decernentes & declarantes, eoſdem incolas & habitatores, ac locorum, civitatum, & terrarum univerſitates cenſualia hujuſmodi modo præmiſſo in regnis ipſis Siciliæ, citra & ultra Pharum inter ſe liberè & licitè contrahere, ac vendere, & emere poſſe, neque propterea uſurariam pravitatem committere: dummodo ne aliàs, quam ut præmittitur, quodlibet annuũ cenſuale decimam partem principalis receptæ, ſeu pretii venditionis ipſius non excedat, & penſionibus, ſeu annualitatibus illorum in ſortem non computatis pro totali redemptione præter principalem ſummam nihil ultra percipiatur ab emptore, vel exhibeatur à venditore: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis Apoſtolicis, necnon ſtatutis, etiam municipalibus, vel regalibus, & conſuetudinibus civitatum, & terrarum regnorum prædictorum Siciliæ citra & ultra Pharum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, etiamſi de eis facienda eſſet mentio ſpecialis, quæ haberi volumus, & habemus pro ſufficienter expreſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, conſtitutionis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Paulli ſe noverint incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LII. pridie Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Tit. XI. De locato & conducto.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Non licere familiaribus Eccleſiaſticorum poſt illorum mortem mercedem petere, niſi probaverint promiſſam fuiſſe.

STatuimus, quòd ii, qui cum Prælatis, vel perſonis Eccleſiaſticis pro domeſticis & familiaribus morantur vel morabuntur, poſt mortem dominorum ſuorum non poſſint petere ſalarium, ſeu ſolidatam, niſi probaverint, quòd eis promiſſum fuerit ſalarium, vel ſolidata, ſeu ſuper remuneratione habenda pro ſervitio dominos viventes convenerint in judicio, ſaltem citatione ſecuta.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Qui contra immunitates Eccleſiaſticas domos Eccleſiaſticorum hoſpites per vim intromittunt, excommunicantur.

PRæſumpta temeritas nonnullorum abſtinere neſciens à vetitis, nec debito modo gaudere permiſſis, dignè compellit officium præſidentis, ut ea quæ frequenter à pluribus officialibus temporalibus in perſonarum Eccleſiaſticarum præjudicium attentantur, cenſurâ Eccleſiaſticâ compeſcantur. Sanè licèt privilegiis principum, & aliis, hoſpitia Prælatorum, canonicorum, & aliorum Beneficiatorum à ſervitutibus hoſpitum ſæcularium dominorum immunia exiſtant, tamen nonnulli regii officiales, ſeu aliorum dominorum temporalium Poſaderii, per vim & violentiam compellunt perſonas Eccleſiaſticas ad recolligendum curiales, vel alios venientes ad curiam, ſeu loca, ubi tales officiales juriſdictionem exercent, ad inſtar ſæcularium perſonarum pro libito voluntatis. Nos volentes huic morbo decenti remedio providere; ſacro ſuadente Concilio ordinamus, tales officiales, vel eorum vices-gerentes, & hoſpites, invitis dictis perſonis domos prædictas intrantes, ſi moniti verbo, vel ſcriptis, protinus dicta hoſpitia non exiverint, per locı Ordinarium excommunicationis ſententiâ innodari, & excommunicatos in Eccleſiis diebus continuis publicari, proceſſus competentibus terminis aggravando, donec dicta hoſpitia indemnia ab immiſſis hoſpitibus abſque redeundi animo fuerint relaxata, vel ſatisfecerint illi, cujus eſt hoſpitium, vel moram traxerint in eodem, ad ordinationem ſui Superioris de damno, intereſſe, & injuria, ut decebit.

Tit. XII. De pignoribus & aliis cautionibus.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Obligationem, qua quis dignitatem quam obtinet, obligârit, non tenere.

IN Eccleſiis Cathedralibus & regularibus diſtrictiùs inhibemus, ne aliquis perſonatum, ſeu dignitatem ſuam, ſicut de jure non poteſt, ita nec de facto pro aliqua ſumma pecuniæ præſumat aliquatenus obligare: decernentes ipſam obligationem penitùs non tenere:

hanc etiam pœnam tranſgreſſoribus infligentes, ut quicumque contra hanc conſtitutionem venire præſumpſerit, ipſo facto ab omni officio & Beneficio, donec ab Apoſtolica ſede veniam impetraverit, ſit ſuſpenſus.

Tit. XIII. De fideijuſſoribus.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Eccleſiaſticos à dominis temporalibus compelli non poſſe ad obligationes fideijuſſorias.

COmpellunt domini temporales homines Eccleſiæ in ſuorum territoriorũ limitibus populatos, pro violariis & cenſualibus obligare: ex quo Eccleſiis damna plurima ſubſequuntur, Mandamus, tales obligationes, ſive principales ſive fideijuſſorias, per officiales Eccleſiaſticos amodò non admitti, niſi priùs ſuorum conſenſus interveniat dominorũ.

Tit. XIV. De teſtamentis.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Archiepiſcopum, & Epiſcopos ex officio viſitationis officium exercentes, & aliàs, abſque ſtrepitu & figura judicii, ſuper exſecutionibus teſtamentorum & relictis, ad pias cauſſas poſſe inquirere & procedere.

PEriculoſæ negligentiæ, perverſæque malitiæ hæredum defunctorum, & eorundem ultimarum voluntatum exſecutorum occurrere cupientes, & ut piæ voluntates defunctorum effectum debitum ſortiantur; nos Rodericus divina miſeratione ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, ut tam nos, & ſucceſſores noſtri, quàm venerabiles fratres noſtri Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis, & eorum ſucceſſores viſitationis officium exercentes, & aliàs, quandocumque nobis, & eis videbitur expedire, poſſimus maximè ſuper exſecutionibus teſtamentorum, potiſſimùm circa relicta ad pias cauſſas, inquirere & procedere ex mero & puro officio, abſque libelli oblatione, & litis conteſtatione, & abſque ſtrepitu & figura judicii, ſimpliciter, & de plano, ipſaque negotia veritate cognita, decidentes, voluntates ultimas defunctorum exſecutioni debitæ demandare: cùm nihil tam hominibus debeatur, quàm ut extremæ voluntatis liber ſit ſtylus, & liberum, quod poſtea non redit, arbitrium: eademque forma poſſit ſervari ſuper uſurarum reſtitutionibus faciendis. Et cùm hæc fuiſſent jam à Jure permiſſa, volumus quòd præſens ſtatutum non tantùm futura negotia, ſed & præterita, & adhuc pendentia amplectatur.

Guillermus Rocabertinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Curandum Epiſcopis, ut quæ fratribus Minoribus legata ſunt, quæ ipſi accipere prohibentur, in anniverſaria & Miſſas conferantur conſilio hæredum.

CUM in omnibus piis voluntatibus defunctorum ſit per Epiſcopos providendum, præcipimus univerſis Epiſcopis provinciæ Tarraconenſis, quòd quilibet in ſuis civitatibus & diœceſibus donata, & aſſignata, ſeu legata fratribus Minoribus, ſeu eorũ Ordini pro anniverſariis faciendis, ſeu Miſſis celebrandis, vel aliàs, quæ ipſis fratribus, ſecundùm eorum ordinem, regulam, & profeſſionem non licebit percipere, vel habere; & quæ ipſi fratres ex Superioris præcepto extra manum ſuam poſuerunt, vel ponere debuerunt, à quibuſcumque & per quoſcumque detineantur, convertere ſtudeant, cùm hæredum defunctorum, qui prædicta dederunt, aſſignaverunt, vel legaverunt, conſilio, in anniverſariis in aliis locis faciendis, vel Miſſis celebrandis, vel aliis operibus pietatis, voluntates ipſorum defunctorum, in quibus obſervari commodè poterunt, obſervando.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Quando illi, ad quos ſpectat, legata pia noluerint recipere, poſſit Ordinarius ea aliis piis operibus applicare.

COnſtitutionem bonæ memoriæ Guillermi Rocabertini, prædeceſſoris noſtri: *Cùm in omnibus*, ſacri approbatione Concilii renovantes & ampliantes, ſtatuimus & ordinamus, ut poſthac quotieſcumque quis pia legata, quocumque nomine cenſeantur, alicui Eccleſiæ, aut piæ cauſſæ teſtamento reliquerit, ſi illi, ad quos ſpectaverit ea noluerint recipere, poſſit Ordinarius conſilio hæredum, aut manumiſſorum defunctorum, qui legavêre, aliis Eccleſiis aut piis operibus applicare: ita tamen ut quoad fieri poſſit voluntates defunctorum obſerventur.

Joan-

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Adminiſtratori ſedis vacantis non impedienda exſecutio teſtamenti Archiepiſcopi, vel Epiſcoporum, ſi facultatem teſtandi à ſede Apoſtolica obtinuerint.

SAnè quia frequenter Archiepiſcopus, & Epiſcopi ex privilegio ſedis Apoſtolicæ teſtantur etiam de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, vel aliter, quantum eis à jure permittitur, de bonis ſuis ordinant vel diſponunt; caveant adminiſtrator, & capitulum, ſede vacante, quòd exſecutionem teſtamenti, vel ordinationē ſeu diſpoſitionem factam canonicè non impediant vel perturbent; nec aliquid ſcienter, malitiosè, vel dolosè occupent, vel occupari faciant de bonis defuncti Prælati; ſed ea liberè permittant exſecutoribus teſtamenti Prælati defuncti: alioquin ſi qua de bonis ipſius Prelati defuncti, ut prædicitur, præſumpſerint occupare, vel hactenus præſumpſerunt, & infra menſem, ex quo fuerunt requiſiti, etiam plenariè non reſtituerint exſecutoribus ſupradictis, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Excommunicatione prohibetur vicariis generalibus & officialibus Epiſcoporum, ne bona defunctorum in pios uſus expendenda, in uſus proprios convertant.

CUM nil ſit tam naturale, quàm voluntates ultimas defunctorum exſequi juxta votum eorundem, & nonnulli vicarii generales, officiales principales, & decani, vel officiales foranei Epiſcoporum, vel aliorum Prælatorum, ſeu Priorum, & Commiſſariorum eorundem, ad quos competit præfata exſecutio de jure vel approbata conſuetudine, aut aliàs, aliquotiens in proprios uſus convertere non expaveant; cùm converti, aut inter pauperes dividi deberent juxta ordinationem teſtatorum: noſque huic abuſui volentes occurrere; præfato approbante Concilio ordinamus, ne aliquis prædictorum pecunias ſeu bona defunctorum, quæ in pios uſus exiſtunt, convertenda, aut inter pauperes dividenda, in proprios uſus ipſorum convertant; ſed ea, deductis expenſis & ſalariis moderatis, diſtribuant, & diſtribui faciant ſecundùm voluntates ultimas defunctorum. Alioquin vicarios, & alios prænominatos ſententiam excommunicationis volumus incurrere ipſo facto. à qua non poſſint abſolvi, quouſque plenariam ſatisfactionem fecerint de prædictis, convertendam in pios uſus, juxta voluntatem, ut prædicitur, defunctorum. Quam abſolutionem poſſint facere Ordinarii eorum, ſatisfactione tamen præmiſſa.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT VI.

Religioſorum bona decedentium, quibus à jure permittitur de bonis teſtari, à Prælatis occupanda non eſſe.

ECcleſiarum Prælati bona decedentium religioſorum, quibus permiſſum eſt ſecundùm ſtatuta vel laudabiles conſuetudines de bonis à Deo collatis ſibi diſponere, nullatenus audeant occupare; ſi per eoſdem religioſos juxta ſtatuta ſeu conſuetudines prælibatas, de bonis prædictis fuerit ordinatum: dum tamen in eorum diſpoſitionibus ſuis relinquant Prælatis, quæ debentur eiſdem ſecundùm ſtatuta vel conſuetudines memoratas. Idem eſſe cenſemus de bonis clericorum ſæcularium decedentium, qui juxta juris formam, & provincialium, vel ſynodalium conſtitutionum, ſua ordinaverint teſtamenta, vel ultimas voluntates.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VII.

Decernitur, in quaque curia auditionis teſtamentorum, aut officialatûs, aut vicariatûs librum deſtinandum, in quo deſcribantur teſtamenta, omnia nomina teſtantium, & legata ad pios uſus relicta, & nomen notarii, à quo fuerint recepta.

QUoniam non ſolùm utroque Jure, verùm etiam per conſtitutiones provinciales per prædeceſſores noſtros editas rectè reperitur diſpoſitum, ad officium Prælati pertinere, voluntates defunctorum in relictis ad pias cauſſas debitæ exſecutioni demandari; & hactenus, experientia docente, incuriâ auditorum dictarum piarum cauſſarum compertum eſt, non ſolùm in officio ſuo negligentiâ adhibitâ, intra tempus à jure præfixum per exſecutores & hæredes non adimpleri; verùm etiam (quod eſt deterius) per dictos auditores, antequam adimpleantur, recipi debitum à jure ſtipendium, eoque recepto, dictis manumiſſoribus & hæredibus definitiones fieri, & ita voluntates defunctorum imperfectas relinqui:

ideo

ideo huic morbo de congruo volentes remedio providere, cùm nil magis congruat pietati & religioni, quàm relicta defunctorum, & pias potissimùm causas adimpleri; sacro approbante Concilio statuimus & providemus, quòd de cætero in qualibet curia auditionis testamentorum, ubi propria illa reperitur, aliàs in curia officialatus vel vicariatus, proprius deputetur liber, in quo per notarium, & dictæ curiæ scribam continuetur principium testamenti, puta nomen testantis in diœcesis, legata ad pios usus relicta, dies, & anni, & in posse cujus notarii testamentum, codicillus, vel quælibet ultima voluntas & dispositio recepta; & quod de exsecutionibus eorum in dicto, seu alia libro appareat: & antequam dictæ piæ causæ fuerint debitè adimpletæ, nullatenus valeat per auditorem aliqua definitio fieri debentibus adimplere: decernentes, si secus per quemquam auditorem factum fuerit, irritum & inane; ipsumque nihilominus ad exercendum præfatum officium perpetuò inhabilem, & nunc pro tunc vinculo excommunicationis subjacere.

Tit. XV. De successionibus ab intestato.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiscopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Decedentis Prælati ornamenta Ecclesiis obveniunt.

QUoniam ea quæ semel Deo sacrata sunt, ampliùs in profanos usus converti non debent; decernimus, ut ornamenta Pontificalia, quæ quilibet Præsulum hujus provinciæ in proprios destinata usus habuerit, ea omnia & singula, eis decedentibus, Ecclesiis quibus præerant applicentur.

Tit. XVI. De sepulturis.

Joannes Cardinalis, Episcopus Sabinensis, Apostolicæ sedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Prohibentur religiosi, ac clerici sæculares in præjudicium parochialium Ecclesiarum pactum facere.

DIstrictiùs inhibemus, ne aliqui regulares, seu religiosi, vel clerici sæculares, in præjudicium parochialium Ecclesiarum aliquod pactum faciant, ita quòd alieni parochiani ipsis solvant decimas, vel apud ipsos eligant sepulturas: statuentes, quòd quicquid ratione hujus pacti recipient, Ecclesiæ parochiali restituere compellantur.

Ferdinandus Loazes Archiepiscopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT II.

In unaquaque Cathedrali anniversarium pro summo Pontifice defuncto, & ab unoquoque sacerdote Missam privatam, aut saltem collectam, fieri præcipitur: & preces publicas & privatas pro electione futuri Pontificis.

PIetatis opera, cùm ab omnibus, quoad fieri potest, præstanda sunt, tum ab iis præsertim debentur, quos in primis pietatem decere, vel ipsa nominis ratio, quæ sæpè admonet officii, præsefert. Quemadmodum ergo jure ac meritò in Ecclesia Catholica, jam inde usque ab ejus ferè primordiis, observatum est, ut summum Romanum Pontificem, communem omnium patrem, totiusque Ecclesiæ caput, & publicis in Ecclesia comprecationibus, & privatis cujusque precibus omnes, ut pii filii, & religiosa membra, in communi illa omnium cura & solicitudine piè ac religiosè, quoad licet, juvarent; ita etiam sanctum ac pium est, pro illo defuncto omnes itidem officiosissimè orare, ut eum à reatu peccatorum divina indulgentia absolvat. Quamobrem inhærentes constitutioni Generalis Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. quæ incipit: *Ubi periculum*; sacro approbante Cancilio statuimus, ut quotiescumque contigerit, sanctissimum Papam Romanum Antistitem ex hac vita migrare, cùm primùm ejus obitum Prelati hujus provinciæ resciverint, & opportunum fuerit; debeat statim unaquæque Cathedralium & collegiatarum Ecclesiarum publicè unum anniversarium, & quilibet sacerdos privatim unam Missam pro anima defuncti Romani Pontificis celebrare; aut saltem in Missa pro anima illius collectam facere: quorum exemplo admoneatur simul, & commoneatur universus populus, ut suarum erit partium, ad debitum pietatis officium defuncto Papæ exsolvendum. Quo pio opere absoluto, alterum, quod non minus pium ac justum est, instaurandum illicò videtur; ut scilicet supplicationes & preces publicè privatimque habeantur: atque ab Ordinariis per civitates & diœceses indicantur, quibus clerus populusque bonum à Deo universalem pastorem, & Christi vicarium, valeant impetrare. Idque cùm à sacro Oecumenico Concilio Tridentino optimè præceptum sit, cujusque particulari Ecclesiæ in propriæ sedis vacatione faciendum; multò magis in vacatione sedis Apo-

stoli-

ſtolicæ, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, obſervandum jure cenſemus.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Quando quis in aliena parochia moritur, quid rectori illius parochiæ ſolvendum ſit; & quo pacto diſtribuendum, quidq; pro tranſitu cujuſque corporis defuncti per alienam parochiam ſolvi debeat Rectori.

ETſi ab omni ſpecie mali abſtinere operæ pretium eſſe Apoſtolus nos doceat; aliqua verò potiſſimùm quàm longiſſimè à viris Eccleſiaſticis, præcipuè verò à parochis, eſſe, & quæ illis oppoſita ſunt, in ipſis quàm maximè elucere debent: primùm ſcilicet, ut abſtineant ab omni avaritia, & non ſint turpis lucri cupidi, & quia quantum humana fragilitas patitur, irreprehenſibiles eſſe debent; ea omnia, quæ ſuſpicionem avaritiæ inducere poſſunt, ab ipſis parochis aliena eſſe convenit; ut is qui exadverſo eſt, vereatur nihil habens malum dicere de eis. Sacro igitur approbante concilio ſtatuimus & ordinamus, ut de cætero nullus rector aut vicarius, ſeu quivis alius parochus, prætextu cujuſvis conſuetudinis, etiam immemorabilis, aut alio quovis quæſito colore, audeat ſub nomine ſpolii, aut quocumque alio nomine, ſibi vindicare unam ex veſtibus, jocalibus, vel aliis bonis mobilibus vel ſemoventibus illorum, quos mori contigerit infra limites ſuæ parochiæ, qui ſit ab ipſa parochia alienigena, aut peregrinus; ſed ſolùm & dumtaxat ea bona mobilia aut ſemoventia, quæ penes defunctum alienigenam aut peregrinum, per rectorem, vicarium, aut alium parochum loci, in quo deceſſerit, ſeu unum ex illis, quod ipſe parochus elegerit, capiantur ad effectum, ut expenſæ funeralium, quæ in Eccleſia parochiali loci, in quo ipſe alienigena aut peregrinus deceſſerit, celebrabuntur, ſolvi poſſint. Et ne ſuper exceſſivitate ipſarum expenſarum poſſit quæſtio fieri, eodem approbante Concilio ſancimus, ut expenſæ funeralium cujuſcumque nobilis, aut militis, ſive de militari genere procreati, alienigenæ ſeu peregrini, decem libras Barcinonenſes; mercatoris verò, aut notarii, aut ſimilis conditionis, ſex libras; aliorum verò inferioris ſtatus, quatuor libras Barcinonenſes excedere non poſſint. Licitumq́ue ſit Epiſcopo, vel alii loci Ordinario, juxta qualitatem & facultates defuncti taxam prædictam minuere; liceat etiam hæredibus, ſeu marmeſſoribus, aut aliis conſanguineis defuncti, ad quos id onus de jure ſpectat, ſi eis videbitur, majorem eleemoſynam pro ſuffragiis ipſius defuncti eidem parocho liberè & gratis dare. Non enim intentionis noſtræ eſt, pias fidelium largitiones prohibere, ſed cupiditatem, quæ radix omnium malorum eſt, ab univerſis Eccleſiaſticis perſonis, maximè verò à curam animarum habentibus, amovere. Et quia etiam intelleximus, quòd quando aliquod corpus, ſeu cadaver defuncti, quod in alio loco, quàm ubi deceſſit, eſt ſepeliendum; pro tranſitu per alias parochias, per rectores, vicarios, ſeu alios curam animarum habentes, ſeu forſan alias perſonas in locis, per quos fit tranſitus, quandoq́ue fiunt vexationes, ita quòd niſi ſecum de aliqua pecunia ſolvenda conveniant, cadaver aliquando detinetur: nos, ſacro approbante Concilio, prædicta de cætero fieri prohibentes, ſtatuimus & ordinamus, ut ſalva quarta, ſeu alia parte, de jure vel conſuetudine Eccleſiæ, in cujus parochia quis deceſſit, debita exſolvi conſueta, nullus rector, vicarius, aut alius curam animarum obtinens, ſeu quævis alia perſona, poſſit à deferentibus per tranſitum cadaver alicujus defuncti exigere in qualibet parochia ultra duo regalia argenti: teneanturq́ue requiſiti per eos, qui corpus, ſeu cadaver deferant, in Eccleſia illud tenere. Qui verò contra aliquod ex præmiſſis fecerit, aut aliquod exegerit, ad reſtitutionem dupli ipſi parti, à qua exactum fuerit, & ad omnium damnorum & expenſarum emendam teneatur, & arbitrio Ordinarii puniatur.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Qui nomine alienigenæ & peregrini comprehendendi ſint in ſuperiori conſtitutione: Etſi ab omni ſpecie mali. Et ex pecunia taxata poſſe rectorem medietatem in propriam utilitatem convertere, cùm reliquam medietatem in Miſſas, & alia divina ſuffragia erogare teneatur.

ÆQuitati maximè convenit, utſi in his, quæ prudenter ac ſalubriter conſtituta ſunt, contentionis materia oriatur; opportunũ declarationis remedium quamprimum adhibeatur. Conſtitutionem itaque à bonę memoriæ Ferdinando de Loazes, prædeceſſore noſtro, in Concilio Barcinone celebrato editam, quæ incipit: *Etſi ab omni ſpecie mali*, declarantes; ſacro approbante Concilio ſancimus, ut appellatione alienigenæ & peregrini, de quibus in ea fit mentio, non comprehendantur homines ejuſdem diœceſis, neque conſanguinei, & affines alienæ diœceſis uſque ad tertium gradum excluſivè, de Jure canonico computandũ, neque etiam famuli, ſive ancillæ eorum, in quorum domibus illos decedere contigerit, neque qui in eiſdem parochiis ultra annum commorati fuerint, etiam ſi alienæ nationis fuerint, & in eis domicilium non conſtituerint. Verùm quia, ut accepimus, rectores, vicarii perpetui, & alii curam animarum exercentes, in quorum parochiis alienigenæ & peregrini prædicti decedunt, ſolent pecunias exactas ex bonis ipſorum decedentiũ, juxta dictæ conſtitutionis diſpo-

poſitionem penes ſe retinere, & in ſuos proprios uſus & utilitatem convertere, nullis Miſſarum ſacrificiis, eleemoſynis, aut ſuffragiis, eorum, qui obierunt, animas juvantes; iccircò conſtitutionem prædictam apertiùs declarantes, ſtatuimus & ordinamus, ut ipſi rectores, vicarii, & alii ſupradicti, pecuniarum, ut præfertur, exactarũ medietate penes ſe liberè & licitè retẽtâ, reliquam medietatẽ in Miſſas & alia divina ſuffragia pro defunctis perſonis erogare omnino teneantur; advocatiſque ad id ſuarum, aut vicinarum, ſi in ſuis non reperiantur, Eccleſiarum presbyteris, exequias ejus qui ita obierit, juxta illius conditionem & ſtatum, perinde ac ſi eorum proprius parochianus eſſet, honorificè peragant, atque in Miſſarum, & aliorum ſuffragiorum celebrationem, & eleemoſynarum largitionem, pro refrigerio animæ ipſius defuncti, integrè diſtribuant atque elargiantur, quacumque conſuetudine non obſtante.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT V.

Nomine alienigenæ & peregrini illi omnes comprehenduntur, qui non ſunt parochiani, aut per annum continuum immediatè ante obitum in parochia commorati.

IN tanta rerum & negotiorum mole, qua Provinciale Concilium dum celebratur, ex omnibus totius provinciæ partibus premitur, vix vitari poteſt, ne aliqua interdum decernantur in eo, quibus poſtea recognitis neceſſe ſit remedium adhibere. Bonæ itaque memoriæ Antonius Auguſtinus, prædeceſſor noſter, auditis querelis hæredum eorum, quos in aliena parochia decedere contingit, contra rectores Eccleſiarum parochialium, conſtitutionem Ferdinandi de Loazes, etiam prædeceſſoris noſtri: *Etſi ab omni ſpecie mali*, declarans; appellatione alienigenæ & peregrini non eſſe comprehendendos ſtatuit homines ejuſdem diœceſis, nec conſanguineos & affines alienæ diœceſis, uſque ad tertium gradum excluſivè, neque famulos, ſeu ancillas eorum, in quorum domibus illos decedere contigiſſet. Cæterùm cùm hæc declaratio poſtea nimium gravare viſa ſit rectores Eccleſiarum parochialium, quos expoſitos eſſe oportet, & peſtis, & aliorum infortuniorum periculo; & æquitati conveniat eos, quum ſacramenta illis, qui non ſunt ſui parochiani conferunt, & alia præſtant Eccleſiaſtica munia, quibus ex officio & proprio munere non tenebantur, aliquod commodum reportare; ſacro approbante Concilio, præfatam conſtitutionem ea ex parte revocantes decernimus & ſtatuimus, appellatione alienigenæ & peregrini eos omnes comprehendendos eſſe, qui non fuerint parochiani illius Eccleſiæ, in qua eos decedere contigerit, aut in ea per annum continuum immediatè ante eorum obitum commorati non fuerint. In reliquis omnibus dictam conſtitutionem: *Æquitati*, maximè ſervari jubemus.

Tit. XVII. De parochiis, & alienis parochianis.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Quam pœnam incurrat qui alieno parochiano ſine facultate rectoris vel diœceſani ſacramenta adminiſtrat.

CUM Eccleſiaſtica ſacramenta ſint miniſtranda per proprium ſacerdotem, juxta canonica ſtatuta; ſacri approbatione Concilii duximus providendum, quòd nullus clericus præſumat quodcumque ſacramentum Eccleſiaſticum alteri parochiano aliquatenus miniſtrare abſque licentia proprii rectoris ſeu diœceſani, vel officialis ejuſdem. Qui verò contrarium temeritate propria, quæ lege damnatur, præſumpſerit attentare, pœnam decem morapetinorum diœceſano, vel Ordinario, cui ſubeſſe dignoſcitur, ſolvere compellatur. Volumus tamen, quòd ſacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ morientibus, tempore neceſſitatis cogente, extremè poſſit conferri & diſpenſari à quolibet ſacerdote, memorata pœna in aliquo non obſtante.

Tit. XVIII. De decimis & primitiis.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Decimas & oblationes à Judæis & Sarracenis debitas pro domibus & poſſeſſionibus, quæ fuerunt Chriſtianorum, ſolvi debere.

PRæcipimus, ut tam Judæi, quàm Sarraceni, ad ſolvendum Eccleſiis decimas & oblationes debitas pro terris & domibus, & aliis poſſeſſionibus, quæ ad ipſos à Chriſtianis quomodocumque devenerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellantur.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Declaratur à Sarracenis ſolvendas decimas fructuum novalium, quæ in poſſeſſionibus colunt Chriſtianorum.

LIcèt in dubium verti non debeat quod ſacris Canonibus eſt ſtatutum; quidam tamen captantes ignorantiam affectatam, vertunt in dubium, utrum de fructibus novalium, quæ Sarraceni in manſionibus aut terris dominorum Chriſtianorum faciunt, decimas Eccleſiis ſolvere teneantur. Unde nos Rodericus permiſſione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, dubitationis hujuſmodi materiam amputantes, ſacro approbante Concilio, declarando decernimus, Sarracenos quoſcumque de prædictis novalibus decimas & primitias debere Eccleſiæ integrè ſolvere; ſicut de fructibus aliarum poſſeſſionum quæ fuerunt Chriſtianorum, & ad culturam eorundem Sarracenorum poſtmodùm pervenerint, præſertim cùm de gregibus, qui in montibus & terris hujuſmodi paſcebantur; antequam ad culturam novalium redigerentur, ab ipſis decimæ & primitiæ Eccleſiis ſolverentur: cùm res eadem propter diverſitatem fructuum non debeat, quoad præſtationem decimæ, diverſo jure cenſeri.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Decimæ ac primitiæ pecorum, & aliorum animalium, ac fructuum nomine integrè ſunt perſolvendæ, ſine expenſarum deductione pro eo, ac ſolvi in quoque loco ſunt ſolitæ.

CUM ad præſtationem decimarum & primitiarum, tam jure divino quàm humano, quilibet teneatur; cùm decimæ & primitiæ cibus ſint egentium animarum; & quidam decimas & primitias Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis perverſis machinationibus ſubtrahere moliantur; quidam ex eis ſemen deducentes, & ſumptus, qui fiunt in agricultura, & fructibus colligendis; alii verò decimas perſolventes non ad decimam partem, ſeu menſuram, ſed ad undecimam, duodecimam, aut ad aliam partem ulteriorem, in grave præjudicium Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum & ipſorum ſubtrahentium magnum periculum animarum; propterea nos Frater Sanctius miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, nolentes pati, ut jura Eccleſiarum & clericorum præſumptione aliqua minuantur, ac volentes talium ſubtrahentium animarum providere ſaluti; approbante ſacro Concilio ſtatuimus & ordinamus, quòd quicumque ratione prædictorum, pecorum, aut pecudum, vel aliorum animalium, aut quorumlibet fructuum, vel aliarum rerum decimas Eccleſiis & clericis exhibere tenentur, eas, prout tenentur, cum integritate perſolvant, abſque deductione aliqua ſumptuum vel expenſarum: ſtatuentes etiam, ſacro Concilio approbante, quòd primitiæ in locis, in quibus eſt eas aſſuetum ſolvi, ſolvantur integrè & completè, nulla expenſarum aut ſumptuum ſubtractione deducta ad partem illam, ſeu menſuram, aut quotam, ad quam ſolitæ ſunt perſolvi, omni fraude ceſſante. Aliàs qui ſcienter vel malitiosè contrarium fecerint, excommunicationis ſententiæ ipſo facto volumus ſubjacere: quorum abſolutionem nobis, & diœceſanis Epiſcopis, & noſtris, eorumque vicariis, & officialibus noſtris, & ſuis principalibus, & eorum cuilibet ſpecialiter reſervamus. Volentes, & mandantes omnibus & ſingulis Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, & eorum vicariis, & officialibus principalibus, quòd per rectores Eccleſiarum, & alios curam animarum tenentes, quater in anno, videlicet in feſtis Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & ſanctæ Mariæ menſis Auguſti, præſentem conſtitutionem faciant publicari, quando major populi multitudo in Eccleſias ſuas convenerit ad divina. Dat. in ſacro Concilio Tarracone, anno Domini MCCCLIV. quinto Idus Decembris.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Excommunicantur, qui perſonis Eccleſiaſticis decimas, ſeu fructus provenientes ex Beneficiis Eccleſiaſticis, & locis eorum juriſdictioni ſubjectis extrahi non permittunt.

EX eo, quia nonnulli temporale dominium obtinentes, quamquam conſtitutione provinciali, quæ incipit: *Licèt iniquum &c.* excommunicationem incurrant, qui perſonis Eccleſiaſticis decimas, ſeu fructus provenientes ex Beneficiis Eccleſiaſticis, & locis eorum juriſdictioni ſubjectis extrahi non permittunt, nec liberè uti eis, vendere, vel alienare prohibentes; nec pro eorum utilitatibus, ſeu neceſſitatibus, & ſuorum Beneficiorum permittentes de dictis decimis ſeu aliis fructibus facere liberam alienationem, in quos volunt; obſtinatione tamen, & aliquali contemptu excommunicationem vilipendentes, prædicta facere non omittunt. Ideo volentes, ut ex dicta conſtitutione fructus aliquis habeatur; ſacro

Concilio approbante, confirmantes dictam conſtitutionem, ut metu gravioris pœnæ ſimilia facere pertimeſcant, adjicimus prædictæ conſtitutioni, & ſtatuimus, quòd quicumque temporale dominium obtinens, per quinque dies animo indurato præfatã excommunicationem ſuſtinuerit; & requiſitus, infra ſpatium decẽ dierum à dicta requiſitione in antea computandorum à prædictis impedimentis non ceſſaverit, & deſtiterit cum effectu; loca ſeu caſtra, & terra ipſius eo ipſo ſint ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto: à qua ſententia excommunicationis nullatenus abſolvatur, nec interdictum relaxetur, donec de injuria & damnis propterea irrogatis ſatisfecerit competenter.

Idem in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Conſtitutio à Sancio Archiepiſcopo ſuper publicatione eorum, qui detinent decimas aut primitias, jubetur obſervari.

LIcèt in conſtitutione per bonæ memoriæ dominum fratrem Sanctium Archiepiſcopum Tarraconenſem prædeceſſorem noſtrum, edita ſuper ſolutione decimarum & primitiarum, incipiente: *Cùm ad præſtationem decimarum & primitiarum*, ſalubriter ſit proviſum, quòd ſuffraganei noſtri, & eorum vicarii & officiales, in quatuor feſtis, videlicet Natalis, Paſchæ Domini, Pentecoſtes, & beatæ Mariæ menſis Auguſti, dictam conſtitutionem faciant quolibet anno publicari, dum in eorum Eccleſiis major fuerit populi multitudo: quia tamen dicti ſuffraganei noſtri & eorum vicarii generales, & officiales in his fuerunt negligentes, ex quo tenor prædictæ conſtitutionis ferè evanuit à mentibus ſubditorum, in Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum præjudicium atque damnum; propterea querela ad nos ſuper his deducta, approbatione ſacri Concilii ſtatuimus, quòd rectores & curati Eccleſiarum provinciæ Tarraconenſis dictam conſtitutionem in dictis quatuor feſtivitatibus publicè, & alta, & intelligibili voce in eorum Eccleſiis, dum in ipſis major populi multitudo ad divina convenerit, publicent, ſeu faciant publicari. Negligentes, ſeu remiſſos in prædictis pœnam decem ſolidorum, quorum dimidium acquiratur procuratori fiſcali ſui Prælati, dimidium fabricæ ſedis ejuſdem, pro quolibet defectu incurrere volumus ipſo facto: injungentes in virtute ſanctæ obedientiæ vicariis in ſpiritualibus generalibus, & officialibus principalibus, ac foraneis, ſeu decanis noſtris, & dictorum Prælatorum, quatenus occupatores, detentores, & ſubtractores hujuſmodi decimarum, & primitiarum, quum eis conſtiterit, & inde fuerint requiſiti, debeant, & teneatur per eorum rectores diſtrictiùs facere nunciari, & vitari publicè excommunicatos tamdiu, donec ſatisfactione præmiſſa, abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

Petrus de Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

Si ſummaria habita informatione, Ordinarius cognoverit, à laïco quopiam, aut clerico decimas, aut primitias retentas, aut defraudatas, quo pacto procedendum ſit præſcribitur: & confeſſores, qui eos abſolverint, excepto mortis articulo, excommunicantur.

QUamvis cunctis Chriſti fidelibus de univerſis frugibus decimas atque primitias in ſignum veri imperii & univerſalis dominii ab ipſa Moſaïcæ legis traditione à Domino, cujus eſt plenitudo orbis terrarum, conſecratas, & deſtinatas integrè ſolvi debere, ſit de neceſſitate ſalutis injunctum, idque pater Abraham fecit, Jacob autẽ vovit, Dominica etiam vox per Malachiam, ac Euangelium ſuum præceptis fieri oportere jubeat atque oſtendat; nihilominus tamen quorundam perverſorum hominum in tantum damnata proceſſit ambitio; ut eas, ſuæ ſalutis immemores, prætenſæ conſuetudinis, quæ corruptela potiùs cenſenda eſt in hoc caſu, nefario quodam ſacrilegoque auſu ſacris ſacerdotibus, quorum cibus eſſe debent, denegare, occupare, & uſurpare, ac penes ſe pertinaciter detinere, & res Domini violenter rapere, atque invadere, ipſumque Dominum & creatorem in ſuis miniſtris impudenter offendere minimè vereantur, in grave animarum ſuarum, evidenſque diſcrimen, ac plurimorum ſcandalum manifeſtum: quod aliàs felicis piæque memoriæ Leo Papa X. in ſuo ſacroſancto moderniori Lateranenſi Concilio, quàm ſit grave conſiderans, & divini dignum animadverſione judicii attendens, animarumque ſaluti, piiſſimi patris more, conſulere volens, ſanctorum Patrum, & prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærendo, & conſtitutiones canonicas ab eiſdem editas innovando, dictas decimas & primitias ſolvi ſtatuit, decrevit, & ordinavit: & noviſſimis temporibus ſereniſſimus atque invictiſſimus Carolus divina favente clementia, Romanorum, & Hiſpaniarum Rex Catholicus, & Imperator electus, Chriſtiani nominis cultor, & illius imperii propagator feliciſſimus, & defenſor acerrimus, per ſuam quandam aliam pragmaticam ſanctionem, nuper per eum editam, motu proprio, & ex ejus certa ſcientia, dicti Leonis conſtitutionem hujuſmodi approbavit, illamque ſub magnis pœnis diſtrictiſſimè & inviolabiliter obſervari voluit, decrevit, atque mandavit, prout in ſingulis conſtitutionibus deſuper emanatis pleniùs continetur. Cùm igitur dicti iniquitatis filii decimas

mas & primitias hujuſmodi ſolvere recuſantes, divo teſtante Ambroſio, Deum & dominum noſtrum abnegare credantur, & veram propterea ſecundùm eum confeſſionem facere non poſſint, cùm ſacrilegii crimen committant, æternæ damnationis incurrant judicium; & conveniat hujuſmodi peſtifero morbo de opportuno providere remedio, cùm docente experientia, juſtè pro peccatis noſtris affligamur, dicente Domino: *Quia mihi non reddidiſtis decimas atque primitias, iccircò in fame atque penuria maledicti eſtis*; & majores noſtri ideo copiis abundabant, quòd integrè eas Domino perſolvebant: modò autem quia earum abſceſſit uſus, fiſci ſucceſſit apprehenſio, & Domini indignatio, qui propter malè parta juſtè quæſita nobis auferri præcepit. Quare nos Petrus de Cardona, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopus Tarraconenſis, ſacro noſtro approbante Concilio, cupientes hujuſmodi obviare peccatis, & Eccleſiarum & ſubditorum noſtrorum, ut tenemur, indemnitati ac commoditati conſulere, cùm ii, qui dictas decimas atque primitias de omni fructu pertinaciter ſolvere recuſant, aut eas quomodolibet defraudant, in peccato mortali, & mora notoria exiſtant; ſtatuimus propterea, & hoc perpetuo valituro ſancimus edicto, quòd ſi quando alicui provinciæ noſtræ Ordinario, per ſummariam quamcumque informationem, etiam ex ejus officio extrajudicialiter, & parte etiam minimè vocata, habitam conſtiterit, aliquem laïcum, vel etiam clericum, aut alterius cujuſvis ordinis, ſtatus, aut conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ, dictas decimas, atque primitias Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, ad quas earum perceptio & exactio pertinebit, & ſpectabit, ſolvere recuſare; eos omnes, & ſingulos, & eorum quemlibet, quotiens id conſtiterit, ut præfertur, ſtatim moneat atque requirat; quatenus infra tres dies immediatè ſequentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna (quam nos in eos & illorum quemlibet defraudantes, ex nunc prout ex tunc, & è contrà, in non ſolutionis eventum ferimus & promulgamus) dictas decimas & primitias ſolvi debitas, ac defraudatas, rejecta quacumque contraria conſuetudine, juxta dicti Lateranenſis ſtatuta Concilii, integraliter ſolvant, & de eis, prout tenentur, ſatisfaciant: aliis verò dicta tertia die ad videndum ſe in cenſuras & pœnas ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium de invaſoribus, occupatoribus, & detentoribus rerum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum declarari incidiſſe compareant: qui ſi diſtulerint, contra eos, & eorum fautores, conſultores, auxiliatores, & conſenſum præſtantes quoſcumque, uti veros & notorios bonorum Eccleſiaſticorum occupatores, detentores, & raptores, ac ſacrorum Canonum violatores, ad declarationem, & alia neceſſaria illicò tribus diebus elapſis procedant; & in eorum præſentia excommunicatorum à divinis ubique omnino ceſſetur officiis juxta aliorum ſacrorum noſtræ provinciæ Conciliorum contra invaſores celebratorum tenorem & formam: inhibentes univerſis & ſingulis dictæ provinciæ confeſſoribus, eiſque diſtrictiùs in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſimilis excommunicationis, etiam latæ ſententiæ, pœna mandantes (cùm non dimittatur peccatum, niſi priùs reſtituatur ablatum) ne dictos excommunicatos in confeſſionibus privatim aut publicè audiant; neque eis, præterquam in mortis articulo, ſatisfactione præmiſſa, ſi eam impendere potuerint, abſolutionis beneficium impartiantur. Nos etiam, ſublata aliter faciendi & judicandi facultate quacumque, irritum, prout eſt, & inane quicquid in contrarium fieri contigerit, decernimus & declaramus: hujuſmodi præſentem conſtitutionem in Domini noſtri Jeſu Chriſti Nativitate, & ejus Reſurrectionis, & Sancti Joannis, & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis feſtivitatibus aliàs ſtatutis, annis ſingulis ſub eadem pœna, per Ordinarios & Eccleſiarum rectores in ſingulis diœceſibus & Eccleſiis publicari mandamus.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT VII.

Nullum poſſe excuſari ſine ſpeciali privilegio à ſolutione decimarum & primitiarum ſtatuitur: & eum qui majori parte territorii recipit decimam, etiam toto territorio habere intentionem fundatam: & in defraudatione decimarum juramentum deferendum eſſe perſonæ Eccleſiaſticæ, cui fraus commiſſa eſt: & confeſſores abſolventes eos, qui decimas & primitias defrandârunt, in ſententiam excommunicationis incidere; hancq; conſtitutionem quater in anno publicandam eſſe.

COnqueritur Dominus per Prophetam Malachiam, homines Deum affligere, quòd decimas & primitias non ſolvant; & ob id ita iraſci, ut cataractas cœli non aperiat, & maledictionem pro benedictione, ſterilitatem pro abundantia tribuat; fructuſque propterea corrumpantur, & terra ſterilis redigatur. Unde cognoſcimus, teſte beato Hieronymo, quòd ſi quando fames, & penuria, & rerum omnium egeſtas mundum opprimit, hoc ex ira Dei deſcendit, qui ſe ob non ſolutionem decimarum fraudari aſſerit. Quòd ſi fraudantes decimas ita Dominus abhorret, & ejus maledictio eos, & eorum bona perſtringit; quantò magis ii deteſtandi ſunt, qui omnino ſe à decimarum ſolutione eximunt, quaſi divinæ potentiæ minimè ſubjiciantur; cùm à ſolutione tributi, quod in ſignum univerſalis dominii ſibi reſervavit, ſe liberos eſſe aſſeverent. Quapropter, ne ſerpens ille antiquus gregem nobis commiſſum hoc avaritiæ genere decipiat, providere volentes, ſacro approbante Concilio, ſanctorum Patrum, & præſertim ſacroſancti Concilii Tridentini decretis inhærendo decernimus & de-

claramus; nemini ſæcularium licere, ſine divinæ maledictionis incurſu, ſe cujuſvis poſſeſſionis, præſcriptionis, ſeu conſuetudinis, etiam immemorabilis, prætextu, à decimarum ſolutione liberum aut exemptum aſſeverare. Qui verò exemptionem à ſolutione decimarum prætenderit; privilegium, ſeu alium legitimum titulum verum, & non præſumptum, ac per ſcripturam authenticam oſtendere debeat; non autem prætextu poſſeſſionis, aut cujuſvis præſcriptionis, ſeu conſuetudinis, etiam immemorabilis. Cùm ea omnia ex negligentia decimas ipſas percipientium, & uſurpatione, ac fraude, & delicto illas ſolvere recuſantium provenire dignoſcantur. Et ut omnis ambiguitas in ſolutione decimarum prorſus tollatur, ſacras canonicas ſanctiones inſequendo, decernimus & declaramus, ut ſi in aliquo diſtrictu, territorio, ſeu parochia aliqua Eccleſia, vel Eccleſiaſtica perſona exiſtat, quæ, vel omnes decimas, vel majorem partem earum in ipſo diſtrictu, termino, vel parochia percipiat, ex hoc intentionem ſuam fundatam habere dicatur: ut ei omnes decimæ, in quarum poſſeſſione percipiendi alius non reperiretur, de jure competere cenſeantur: ſolaque majoris partis decimarum perceptio ſeu poſſeſſio probata: quoad omnia prædicta, & terras, in quibus alii decimas non percipiunt, acquiſita & probata exiſtimetur. Quòd ſi in aliquo diſtrictu, territorio, ſeu parochia nullus ſit, qui generaliter, vel pro majori parte decimas percipiat; tunc rector, ſeu quivis alius curam animarum habens in dicta parochia, diſtrictu, ſeu termino, & eo deficiente Epiſcopus, ſeu Eccleſia matrix & Cathedralis, habeat intentionem ſuam de jure fundatam; nedum quoad petitorium, ſed etiam quoad poſſeſſorium judicium, & ad ejus inſtantiam contra non ſolventes, & ſine deminutione aliqua ſolvere recuſantes, vel quoquo modo defraudantes procedi poſſit, quovis abuſu circa præmiſſa prorſus ſemoto. Eaque omnia tam in antiquis prædiis, quàm in novalibus locum ſibi vindicent.

Inſuper, cùm decimas jure divino, naturali, & humano debitas eſſe nullus Chriſtianorum dubitare debeat, idque in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. celebrato cap. 54. incip. *Cùm non ſit in homine*, declaratum fuerit, Dominum Deum in ſignum univerſalis dominii, quaſi quodam titulo ſpeciali, ſibi decimas reſervâſſe, & in prærogativam dominii generalis ipſi Deo ante quæcumque tributa, & cenſus ſolvi debere, & ad id per cenſuras Eccleſiaſticas omnes compelli poſſe; quo fit, ut quicumque decimas diminuat, aut defraudet, aut illas ſolvere recuſet, ſeque à ſolutione decimarum taliter exemptum prætendat, ut illas nulli ſolvere ſe obligatum eſſe aſſerat; ex hoc ſolo graviter delinquere, & dolum committere cenſeatur: multoque fortiùs ii, qui prædia, ſeu alias poſſeſſiones, ex quibus decimas percipi ſolitum erat, acquiſiverunt, & dum ad eorum manus prædia & poſſeſſiones hujuſmodi devenerunt, ſe à ſolutione decimarum ſubtrahunt; ſicque Eccleſias, ſive Eccleſiaſticas perſonas ab ipſarum decimarum perceptione ſpoliant, in grave animarum ſuarum periculum, Eccleſiaſticarumque perſonarum præjudicium & jacturam. Sacro approbante Concilio, conſtitutionem bonæ memoriæ Petri primi, quæ incipit: *Olim*, & aliam Petri de Cardona incipientem: *Quamvis cunctis Chriſti fidelibus*; & quaſcumque alias conſtitutiones, tam contra fraudantes decimas & primitias, quàm contra invaſores perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum, à quibuſvis aliis prædeceſſoribus noſtris editas declarantes, & quatenus opus ſit innovantes & ampliantes, ſtatuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quòd ex hoc ſolo, quòd quis non ſolvit decimas, & ab illarum ſolutione in totum vel in partem ſe eximere nititur, aut prætendit, vel hujuſmodi decimas fraudat, & illas integrè, ut tenetur, non ſolvit, aut ſolvere recuſat; cenſeatur graviter delinquere, & in dolo eſſe, ita ut ex hoc tantùm contra talem in vim dictarum conſtitutionum provincialium Tarracone contra invaſores rerum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum editas procedi poſſit, nulla modicitate ipſarum decimarum conſiderata: cùm non levis præſumptio ſit, quòd qui in modico fraudem committit, multò magis in re majoris æſtimationis fraudem committeret; & quia ſemper intereſt Eccleſiæ, ne in decimarum ſolutione, quæ perpetua eſt, aliquid minuatur, nec modicum dici, quod perpetuum damnum eſt, debeat. Adjicientes, quòd cùm una & eadem res, juxta ſanctorum Patrum traditiones, præcipuè circa ſolutionem decimarum, diverſo jure cenſeri non debeat, ſi aliquod prædium decimale ad quamcumque culturam redactum fuerit, vel in futurum redigatur, & quivis fructus ibidem colligantur, ex omnibus generaliter decima abſque deminutione aliqua ſolvi debeat; & ex hoc dumtaxat, quòd ex fructibus ibidem noviter collectis decimas ſolvere aliquis recuſaverit, Eccleſiam ipſam, ſive Eccleſiaſticam perſonam, ad quam, ut præmittitur, pertinet, ſpoliare, & ſpolium doloſum committere cenſeatur; ita ut juxta formam dictarum conſtitutionum abſque alia doli, ſeu alterius qualitatis probatione contra hujuſmodi decimas ſolvere recuſantem procedi poſſit. Idque non ſolùm in antiquis prædiis, ſed etiam in novalibus obſervetur. Et ad reprimendam audaciam dictas decimas fraudantium, ſeu illas quovis modo ſolvere recuſantium, juris, tam canonici quàm civilis, diſpoſitioni inhærentes, ſtatuimus & ordinamus, quòd judex, coram quo ſuper præmiſſis agi contigerit, juramentum in litem rectoris, ſeu cujuſvis alius Eccleſiaſticæ perſonæ, cui decimæ hujuſmodi erant ſolvendæ, deferre poſſit; & eo delato, juxta dicti jurantis religioſam aſſertionem, per dictas cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia, ad decimarum integram ſolutionem taliter recuſantes, ſeu defraudantes compellere poſſit. Omnia verò quæ de decimis hac noſtra conſtitutione ſtatuimus, eadem etiam in primitiis locum habeant; quæ multis in locis hujus provinciæ ſuſtentatio-

tioni rectorum, aut aliorum ſacerdotum ſpecialiter dedicatæ ſunt: in aliis verò, aut fabricæ Eccleſiæ, aut aliis piis ſumptibus ſerviunt. Decimas autem intelligimus quum decima pars fructuum percipitur, niſi legitimo titulo alia quantitas ſtatuta doceatur. Et quoniam peccatum non dimittitur, niſi reſtituantur ablata; caveant omnes presbyteri, tam ſæculares quàm regulares, ne alicui ex ſuprascriptis fraudatoribus decimarum aut primitiarum abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo, aut ſatisfactione præmiſſa, impendant; ne peccatis alienis communicantes, excommunicationis quoque pœnam ſimilem ſubeant. Hanc verò conſtitutionem in omnibus Eccleſiis noſtræ provinciæ vulgari lingua quater quotannis, ut alienæ conſtitutiones ſolent, publicari mandamus.

Gaſpar Cervantes Cardinalis & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VIII.

Decimam & primitiam ſine ſeminis & expenſarum deminutione, de omnibus fructibus, quocumque nomine cenſeantur, quos agri arbores cum cultura, aut ſine cultura producunt, de animalibus omnibus, & quæ ex illis producuntur, de piſcatione, venatione, de nemoribus, melle, & fructibus omnibus perſolvi oportere decernitur. Conſtitutiones prædeceſſorum de hac re innovantur. Duos tempore Reſurrectionis Domini deputandos eſſe ad manipulos ſuo tempore decimandos in garba, *ut dicunt, præcipitur, expenſis eorum, qui decimam perſolvunt. Confeſſores abſolventes eos, qui in his fraudem committunt, præterquam in mortis articulo, excommunicantur.*

QUoniam divino humanoque Jure præſtatio decimarum primitiarumque ſancita eſt; & hæ Eccleſiæ miniſtris ſine aliqua tergiverſatione & deminutione debentur: multorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſecuti, ſacri approbatione Concilii decernimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut in provincia Tarraconenſi, Helnenſique Epiſcopatu decimæ & primitiæ ſine aliqua ſeminis deminutione, aut deportationis, expenſarumve, quas in colendis agris, colligendiſque fructibus fieri contigerit; arearumve purgationum, quæ vulgò *balexes* appellant, aut alterius cujuſvis rei, quocumque id nomine cenſeatur, integrè perſolvantur: nulla eos temporis, etiam immemorabilis, ſuffragante conſuetudine, quæ potiùs dicenda eſt corruptela, cùm ſæpiùs fuerit à prædeceſſoribes noſtris improbata. Solutionem verò omnium fructuum, quos agri tam ſponte, quàm cum cultura producunt, intelligimus; quamvis aliqua, eorum qui decimas perceperunt negligentiâ, aut colonorum fraude, aut quia modica fuerunt, aut aliàs, hactenus perſoluta non ſint. Nec de frugibus dumtaxat, frumento, hordeo, avena, ſpelta, milio, Indico tritico, *mahiz* dicto, & cæteris, necnon vino & oleo ſed de arborum etiam, plantarumque, & ſtirpium omnium, ac virgultorum fructibus, ſolvi præcipimus; ut de pyris, pomis, prunis, ficis, avellanis, amygdalis, nucibus, pineis, glandibus, cannis melliis, & quocumque mororum genere, ſiliquis, ſive garroſis, caſtaneis, reliquiſque arborum fructibus, & earum foliis, ramis, ac lignis, quocumque illę arbores nomine appellentur; necnon de legumibus, & oleribus omnibus, lino, canape, croco, eorumque ſeminibus, & oryzo, & pratis, & his quæ in herba, ſive fœno ad equorum, & aliorum animalium cibum meti, & depaſci, ſępiùs in anno ſolent, etiam quę vulgò *farragia*, alfalfes, daxas, & alia id genus appellantur. Eâdem quoque ratione ex molendinis quibuſcumque, piſcatione, venatione, & ex calcis & cretę fodinis, & aliis ſimilibus, & ex nemoribus, tam ad ligna & carbones, quàm ad materiam trabium, & aliorum lignorum, decimæ & primitiæ perſolvantur. Item ex quorumcumque animalium, equorum, pecorum, jumentorum, ſive armentorum fœtu, lana, butyro, lacte, & caſeis, atque ex melle, cera, ſaccaro, & aliis hujuſmodi. Et quoniam certa gravique multorum querela compertum nobis eſt, fraudem maximam in decimarum & primitiarum ſolutione committi, eo quòd in area, excuſſis ſpicis, ſpecies ſingulæ ſolvantur, preſertim cùm paleæ fructus terræ ſint, & de illis non ſecus, quàm de reliquis decimæ & primitiæ debeantur; ſtatuimus & ordinamus, ut deinceps quoties id Eccleſiaſtica perſona, cui illæ debebunt, non inutile eſſe judicaverit, & popoſcerit; decimæ & primitiæ in manipulis, quas *garbas* vocant, ſolvantur; nullique qui ad decimarum & primitiarum ſolutionem tenetur, liceat faſciculos illos movere ex campis, aut ad aream deducere, niſi priùs faſciculis notatis & ſeparatis, qui pro decimis & primitiis debebunt. Quod quò faciliùs commodiuſque fieri poſſit, ſtatuimus & ordinamus, ut ſingulis annis ad petitionem cujuſcumque Eccleſiaſticæ perſonę, intra octavam feſti Reſurrectionis Domini duo probi, & bonæ famæ viri, alter à rectore, ſeu vicario, aut alia perſona Eccleſiaſtica, cujus interſit, alter à populo eligantur, qui præſtito ad Dei ſancta Evangelia juramento, ſe juſtè & legitimè munus ſibi injunctum adimpleturos, manipulos frumenti, hordei, avenæ, canapis, lini, & ſimilium in campis dividant, ſignentque, qui ad decimas, & qui ad primitias pertineant, certo aliquo ſigno; & in libro quem ſingulos ad hunc uſum habere præcipimus, deſcribant jugera quæ decimas ſolverint, nec non poſſeſſionum & agrorum, faſciculorumque omnium numerum, ut ex his poſt collectos fructus intelligi poſſit, an legitimè decimę & primitiæ perſolutæ ſint. Judicent etiam iſti, quę pars ex ſingulis vineis, & aliis fructibus pro decimis & primitiis debeatur, eorumque judicio ſtandum ſit. Arbores

etiam

etiam, tam quibus vites coherent, quàm alias quaſcumque ſupradictas, legitimè dividant, & ſignent eas quæ pro decimis & primitiis debebunt, omniaque in eundem librum referant. Et quoniam oriri inter iſtos duos deſignatores quæſtio ſuper præmiſſis poſſet; eligant ſimul rector, ſive alia perſona Eccleſiaſtica, cujus interſit, & populus tertium virum, qui juratus, diſſidium, ſi quod fortè inter eos ortum fuerit, ſuâ ſententiâ breviter dirimat, cujus judicio ſtetur, neque provocare ab ejus ſententia alicui liceat. Et cùm juſtum ſit, mercedem laborantibus perſolvi; præcipimus in ſingulos dies, quibus huic muneri intenderint, ſingulis quinque ſolidos Barcinonenſes perſolvi, niſi aliter cum illis convenerit; quorum ſolutio per eos qui decimas & primitias colligunt, pro eos contingente portione fiat. Quòd ſi qui, vel aliquid ex decimis & primitiis detraxerint, vel non ex ſingulis fructibus, & aliis rebus ſuperiùs enumeratis, decimas & primitias integrè ſolverint, aut in eis fraudem aliquam fecerint, aut impedimento fuerint, quominus omnia & ſingula ſu præſcripta fiant; tamquam contra doloſos, & fraudatores bonorum Eccleſiæ, quibus ſacerdotes & pauperes vivere debent, & ipſo jure excommunicatos, juxta formam ſacrarum Tarraconenſem conſtitutionum contra ſimiles invaſores, & raptores editarum, ac præſertim conſtitutionis bonæ memoriæ Ferdinandi de Loazes, quæ incipit: *Conqueritur Dominus per Malachiam Prophetam*; in omnibus & per omnia procedatur: & ſimul cum eadem, aliiſque ſimilibus conſtitutionibus, quotannis quater vulgari lingua publicetur. Interdicentes omnibus & ſingulis curatis, & vicariis, aliiſque quibus audiendi confeſſiones facultas permiſſa eſt, ne dictos decimarum & primitiarum fraudatores abſolvere poſſint, niſi ſatisfactione præmiſſa, præterquam in mortis articulo; & tunc cum idonea fideijuſſione data, & ita declarata quantitate, ut poſt mortem eorum ſatisfieri poſſit: præterquam niſi adeò egeni fuerint, ut nec ſolvere, nec fideijuſſores dare poſſint: quo caſu juratoria cautione de ſolvendo, ſi ſupervixerint, quum primùm potuerint, contenti ſint. Eos autem, qui contra traditam à nobis formam aliquos abſolverint, in Canonem latæ ſententiæ incidere, juxta conſtitutionem Petri III. quæ incipit: *Quamvis cunctis*, decernimus; à qua, niſi reſtitutione facta ejus, quod ablatum fuerit, abſolvi non poſſint. Quòd ſi presbyteri hujuſmodi, tam ſæculares quàm etiam regulares, ſæpiùs ſcienter, inconſulto Epiſcopo, defraudatores prædictos abſolverint, conſtitutionibus hujuſmodi contemptis; tamquam contra ſuſpectos de fide, procedi poſſe declaramus.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IX.

In eos, qui oblationes rectoribus auferri curant, agendum eſſe juxta vim conſtitutionum provincialium De invaſoribus.

QUIA nonnulli vitiorum laqueis innodati, adeò rectorum, & aliorum curatorum monitionibus exaſperantur, ut oblationes illis offerri ſolitas denegent; & quod deteſtabilius eſt, cum aliis diabolica conjuratione, directè vel indirectè conſpirant; ne in poſterum parocho ſimiles oblationes offerant; hac noſtra conſtitutione tanto morbo medelam adhibere deſiderantes; ſacro approbante Concilio ſancimus, & ſub excommunicatinnis pœna præcipimus & mandamus omnibus noſtræ provinciæ fidelibus, ut ab hujuſmodi diabolicis conjurationibus ſe abſtineant. Omnes verò Prælatos & Superiores in Domino hortamur, ut in hac re animadvertenda & repellenda ſeverè ſe habeant; ne populus à tam pia, veteri, & debita Chriſtianorum conſuetudine ſenſim & paullatim retrahatur; & conſtito de tanto exceſſu, ut contra invaſores & uſurpatores rerum Eccleſiaſticarum, juxta formam conſtitutionum noſtrorum præd eceſſorum Apoſtolica auctoritate confirmatarum procedat.

Tit. XIX. De regularibus, & tranſeuntibus ad religionem, & eremitis.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Monachi & canonici regulares, qui habitu relicto ad ſæculum redierint, excommunicantur.

ITem ſtatuimus, quòd monachi, vel canonici regulares, qui relicto habitu ad ſeculum redierint, & voto rationabiliter ſunt aſtricti, niſi infra menſem ad clauſtrum redierint, & votum ſuum curaverint adimplere; ſuis Beneficiis ſint privati, & ut apoſtatæ, & tamquam excommunicati, ab omnibus evitentur, & excommunicati nuncientur diebus Dominicis, & feſtivis, & moneantur & excommunicentur tam ipſi, quàm converſantes cum eis, & dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem.

Anto-

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Nullum eremitam ſine licentia Ordinarii poſſe aut habitum recipere, aut eremiticam cellulam eligere ad habitandum.

VItam ſolitariam in eo, in quo non præceſſerint magna & præclara perfectionis argumenta, periculoſam eſſe, ſancti Patres apertiſſimè tradiderunt: nihilominus tamen ad noſtrum auditum pervenit, multos ignaros eremitici inſtituti, perverſæ, atque reprobatæ, & obſcuræ vitæ in hac noſtra provincia laborem fugientes, & otio torpentes, ad victum dumtaxat quærendu m, hoc vitæ genus elegiſſe, unde multa mala & ſcandala oriri poſſe credendum eſt. Quamobrem, ſacro approbante Cõcilio præcipimus, & ſub pœna excommunicationis mandamus, ut poſthac nullus habitum hujuſmodi, aut locum eligat ſine decreto & licentia Ordinarii in ſcriptis: Ordinarios verò monemus & hortamur, ut in hujuſmodi hominibus admittendis cautè ſe habeant, ne aliqui pelle ovina populum incautum decipiant: parochum verò, ſeu curatum, in cujus parochia ſacellum eremiticum conſtructum fuerit, ſi abſque Ordinarii licentia eremitam admiſerit, decem librarum pœnâ puniendum eſſe ſancimus & ordinamus. Maximè autem tollantur ab eorum commercio & frequentatione mulierum colloquia, & puerorum educatio, atque adoleſcentium nocturni cœtus; ſolet enim his initiis multis ſceleribus janua aperiri.

Tit. XX. De ſtatu monachorum, & canonicorum regularium.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Prohibentur monachi, & canonici regulares, in Eccleſia ſæculari curam animarum exercere.

INhibemus diſtrictiùs, ne quis monachus in Eccleſia ſæculari curam animarum exercere præſumat. Hoc ipſum pari diſtrictione canonicis regularibus inhibemus, niſi ex indulgentia ſedis Apoſtolicæ demonſtrare valeant hoc ſibi fuiſſe conceſſum.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Religioſi, qui habitum mutaverint, non poſſe animarum curam gerere.

UT penitùs vagandi, apoſtatandique religioſis omnis tollatur occaſio, quos, experientia docente, ſub ſpe curatis Beneficiis deſerviendi, de facili in ampliorem regulam habitum mutare, vagarique inde, & apoſtatare contingit; ſacro approbante Concilio decernimus, dictis religioſis ſic habitu mutatis per Prælatos, & locorum Ordinarios hujus provinciæ nullatenus licentia curam animarum regendi concedatur: decernimus irritum, & inane, ſi ſecus fuerit factum.

Tit. XXI. De religioſis domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT I.

In hoſpitalibus curam habendam eſſe, num qui eò convenerint, peccata confeſſi fuerint. Sine Epiſcopi licentia, aut ejus vicarii eleemoſynam petendam non eſſe: curandum etiam ut Ægyptiaci, ſive Bohemiani coërceantur, & paſtores inſtruantur, & peccata ſua ſemel in anno confiteantur.

SIcut peregrinos, & advenas recipere, ac pauperibus ſubvenire, omnes Chriſtianos oportet, ac præſertim eos, qui bona pauperum & peregrinorum adminiſtranda ſuſcepimus; ita etiam, ne ſub colore ac prætextu peregrinationis, vel mendicitatis multi otioſè vagentur, furtis, & rapinis, necnon comeſsationibus, & ebrietatibus, ac libidinibus inſervientes, danda opera eſt. Quibus igitur locis peregrini recipiuntur, aut pauperes ægri, aut ſani diverſantur, non minor animarum, quàm corporum cura adhibeatur; nec ultra duos dies illic manere permittantur, qui non confeſſionem peccatorum ſuorum fecerint, aut ſtatutis à jure temporibus feciſſe oſtenderint. Nemo quoque eleemoſynam, aut ſtipem quacumque occaſione vel prætextu petat, ſine Epiſcopi, aut ejus vicarii licentia gratis præſtanda. Quorum cura erit teſtimonio parochorum, vel aliarum honeſtarum perſonarum, providere, ne ea pecunia in malos vel inutiles uſus convertatur. Curandum etiam

eſt,

est, ut publici magistratus eos coërceant, qui se Ægyptiacos, vel Bohemianos vocant, quos vix constat esse Christianos, nisi ex eorum relatione: cùm tamen sint mendaces, fures, & deceptores, & aliis sceleribus multi eorum assueti. Pastores quoque plerique in multis locis tamquam sylvestres & inculti in montibus & sylvis degunt, qui vix semel atque iterum singulis annis Ecclesias ingrediuntur, & se Christianos esse cognoscunt. Sacri itaque approbatione Concilii, omnibus Episcopis, ac cæteris pastoribus populorum injungimus, ut quanta maxima fieri poterit diligentia, dent operam, ut hi omnes in Fide ac religione instruantur, & diebus Dominicis Missarum solennis interfint, ac saltem semel in anno peccata sua confiteantur, & alia sacramenta eis administrentur.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Vigiliæ, quæ in quibusdam Ecclesiis fiunt, prohibentur.

COmperimus occasione sacrarum vigiliarum, in locis plerumque solitariis, multos nocturno tempore convenire, qui non multùm sacris rebus afficiantur, sed magis profanis collocutionibus & canticis studeant, ac sæpè propter virorum ac mulierum conventum, & nocturnas tenebras, quas qui malè agunt, ne manifestentur opera eorum, libenter quærunt, multorum scelerum occasio præbeatur. Quamobrem, sacri approbatione Concilii decernimus, ut dent operam, tam diœcesani Episcopi, quàm alii Superiores quicumque, tam regulares quàm sæculares, ut in quibuscumque nocturnis conventibus, sive vigiliarum causâ, sive concionum, sive divinorum officiorum, omnis cura & solicitudo adhibeatur, ne ullius delicti occasio relinquatur. Quod si quis contradicere, vel inobediens esse, aut petulans præsumpserit, si laïcus fuerit, excommunicetur, si clericus, vel regularis, juxta delicti qualitatem coërceatur.

Joannes Teres Archiepiscopus, in secundo Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Vigiliæ laïcis sub pœna excommunicationis interdicantur, regulares coërcentur, curati eas permittentes decem libris puniuntur.

LIcèt sæculo illo aureo fideles similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur à nuptiis, Sanctorum vigilias in Ecclesiis pernoctando, & orationibus insistando, piè & sanctè observaverint: videns tamen sancta mater Ecclesia tam laudabilẽ usum in pernicioſum abusum, & ignitas illas orationes, cæteraque pietatis opera, in comessationes & impudicitias mutata, nec ad primam suæ institutionis perfectionem reduci posse, sed in dies pejora fieri, in opprobrium Jesu Christi, & Sanctorum ejus; illas noctis vigilias à Spiritu sancto edocta in jejunia commutavit. Quoniam autem hujusmodi vigilias per totam nostram provinciam in aliquorum Sanctorum festivitatibus adhuc inhonestè observari novimus, non sine magno animarum periculo; huic malo remedium adhibere cupientes, sanctæ matris Ecclesiæ vestigiis inhærentes, sacro approbante Concilio, hujusmodi vigilias in tota nostra provincia omnino fieri prohibemus. Qui verò huic constitutioni contraierit, si laïcus fuerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, si regularis, justâ pœnâ coërceatur. Curatus autem, qui hujusmodi vigilias in sua Ecclesia quoquomodo fieri permiserit, decem librarum pœnam incurrat.

Tit. XXII. De jure patronatus.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiscopus, in secundo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Qui solius auctoritate patroni Episcopo præsentatus, curam exercere animarum præsumpserit, excommunicetur.

ITem statuimus, ut clerici sæculares, vel regulares, qui per potentiam, vel impressionem cujuscumque sæcularis personæ, se per patronos ad Ecclesiastica Beneficia procuraverint præsentari, aut sibi conferri, provideri, vel eligi ad eadem, aut ad hoc literas, nuncium, vel mandatum impetraverint, aut fecerint impetrari, seu tali præsentationi, collationi, provisioni, vel electioni consenserint, aut ratam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso se noverint incurrisse, & inhabiles fiant ad obtinendum dicta Beneficia ea vice.

Dalmatius de Mur Archiepiscopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Superior constitutio sanctè jubetur observari: cui additur eum excommunicationis pœnam incurrere, qui Beneficium Ecclesiasticum ab alio acceperit, quàm ab eo, qui jus habet conferendi.

ITem constitutionem domini Joannis Patriarchæ prædecessoris nostri bonæ memoriæ, incipientem: *Item statuimus, ut clerici sæculares, vel regulares*, noviter recensentes, ut

ut juri consonam inviolabiliter præcipimus observari. Et ut quorundam, tam religiosorum quàm sæcularium clericorum ambitio, quæ quò semper plus ambit, eò magis insatiabilis redditur, compescatur; eidem salubriter adjungentes statuimus, & hoc sacro approbante Concilio ordinamus, quòd si aliquis amodò clericus, cujuscumque religionis, præeminentiæ, vel status existat, aliquod sæculare vel regulare Ecclesiasticum accipiat Beneficium, quocumque nomine censeatur, per viam arrendamenti, vel in titulum, seu in commendam, aut aliàs quocumque quæsito colore, nisi per manum illius, cujus est Beneficium, vel illius, ad quem collatio à jure, privilegio, vel de approbata consuetudine pertinere noscatur, seu illius, qui aliàs in possessione conferendi, vel præsentandi existat; eum excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto: à qua, nisi priùs dictum Beneficium sic de facto obtentum in manibus sui Ordinarii resignaverit, vel dimiserit cum effectu, & fructus etiam ex eo qualitercumque receptos, illi, ad quem pertineant de jure, restituerit, realiter sine fraude, absolvi nequeat quoquo modo: & ad dicta Beneficia, vel quæcumque alia obtinenda prorsus inhabilis & insufficiens censeatur: & aliis quibuscumque Beneficiis jam obtentis privatus existat sine admonitione aliquali totaliter pari modo. Ad illos autem, qui Beneficia Ecclesiastica, vel eorum fructus receperint temporibus retrò actis, aliter quàm superiùs est expressum, nisi infra quatuor menses in manibus illius Ordinarii, in cujus diœcesi erunt dicta Beneficia constituta, resignaverint, & fructus restituerint, ut superiùs est expressum, præsentis constitutionis edictum omnimodè extendatur, & pœnis eisdem sine dubio sint ligati. Verùm quia ea, quæ in sacro Concilio ordinantur, leguntur, & publicantur, satis in tota videntur provincia esse nota, prædicti quatuor menses in hac salubri constitutione contenti; à die, qua dicta constitutio in præsenti fuerit Concilio publicata, currere volumus ista vice.

Tit. XXIII. De censibus.

CAPUT I.

Archiepiscopus & Episcopi provinciæ Tarraconensis monentur visitare, ac reformare monasteria monachorum, monialium, & canonicorum, & sæcularia loca clericorum, tam in capite, quàm in membris.

GREGORIUS PAPA IX.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Tarraconensi, & suffraganeis ejus salutem & Apostolicam benedictionem. Egressus à facie Dei Sathan ad fortia mittens, de sua calliditate confisus, vitiorum vinculis illaqueare molitur electos in sortem Dominicam evocatos; majores ibi parans ille tortuosus insidiator insidias, ubi graviores prospexit corruptelas. Sanè cùm frequenter ad nostram audientiam perveniisset, quòd monasteria Tarraconensis provinciæ in spiritualibus enormiter, & in temporalibus gravitèr per malitiam & injuriam in eisdem habitantium sunt collapsa; nos culpas eorum nolentes ulteriùs sub dissimulatione transire, ne si eas dimiserimus incorrectas, ipsas nostras efficere videamur monasteriis illiis, quæ ad Romanam Ecclesiam nullo noscuntur medio pertinere, in provincia constitutis prædicta, visitatores, reformatores, & correctores, tam in capite quàm in membris, deputavimus speciales: plenaria sibi potestate concessa, ut visitatores eadem monasteria vice nostra corrigant & reforment; quæ in ipsis correctionis & reformationis officio noverint indigere: correctionibus aliis in provinciali capitulo ritè factis in suo robore nihilominus duraturis. Licèt autem nobis in plenitudinem potestatis assumptis cura cunctorum immineat generalis; quia tamen vos, qui vocati estis in partem solicitudinis, super grege vobis commisso specialiter decet esse solicitos & attentos; ne ovis morbida pereat à pastore neglecta, fraternitatem vestram monemus & hortamur, & attentè in virtute obedientiæ vobis districtè præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrûm tam in civitatibus, quàm in diœcesibus vestris, per vos ipsos, aut per viros religiosos, qui experimento rerum in hujusmodi visitationibus sint instructi, loca monasteriorum, & monialium, & canonicorum regularia, necnon & sæcularia clericorum vobis subjecta visitare curetis, tam auctoritate nostra, quàm vestra generaliter, universa reformantes & corrigentes in capite ac in membris, omni gratia & timore postpositis, in eisdem quæcumque reformanda noveritis, & etiam corrigenda: salvis his, quæ circa religiosos in provinciali Capitulo providè sunt statuta, juxta constitutionem Concilii Generalis. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: præceptum nostrum taliter impleturi, quòd Dominus ultionum in illo tremendo judicio, qui unicuique secundùm opera sua reddet, de vestris manibus non requirat sanguinem eorundem: & nos ad id limam correctionis Apostolicæ apponere non cogamur. Datum Reate 9. Kalend. Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Epiſcopis, atque his, quorum viſitare intereſt, evigilandum in emendandis clericorum moribus.

ITem mandetur Epiſcopis, & aliis, ad quos pertineat, quòd circa reformationem morum, & correctionem vitiorum, præſertim in clero, tam in viſitationibus, quas nullatenus facere omittant, quàm in aliis vigilanter intendant. In quibus quidem viſitationibus ſtatuta Canonum diligenter obſervent: caventes attentè, ne in recipiendis procurationibus gravent ſubditos, ne videantur quærere quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Qui pro negotiis provinciæ omnibus expenſas factas ſolvere recuſaverit, conſtitutionum provincialium præſidium amittat.

JUris alloquio non eſt ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat. Et cùm nonnulli viri Eccleſiaſtici exempti hujus provinciæ Tarraconenſis, qui præſidio conſtitutionum provincialium defenduntur, & in taliis & contributionibus, quæ fiunt in Conciliis Tarraconenſibus pro negotiis communibus provinciæ, partem ſuam ſolvere contradicant; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd quicumque, exempti & non exempti, ſolvere in dictis talliis de cætero contradixerint, præſidio dictarum conſtitutionum nullatenus juventur; nec officiales noſtri, vel ſuffraganeorum noſtrorum ad eorum inſtantiam proceſſus aliquos dictarum conſtitutionum facere teneantur: donec partem per illos contradicentes ſolvere in ipſis talliis contingentem unà cum expenſis integraliter ſolverint & completè.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

In exactione ſalarii notarii & aliorum officialium, decreta ſacri Concilii Tridentini, quæ ſubſequuntur, obſervanda eſſe.

NON minus oportet crimina cavere, antequam fiant; quàm ea punire & deteſtari, poſtquam fuerint perpetrata. Iccircò hac noſtra conſtitutione collegimus quædam ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi capita quibus cavetur, ut gratis accepta munera, gratis etiam conferantur.

Seſſionis V. cap. II. *De reformatione fragmentum.*

REgulares verò cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint: ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

Seſſione XXI. cap. I. *De reformatione.*

QUoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu accipiant. Notarii verò in his tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantùm unius aurei partem accipere poſſint, dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo, nec Epiſcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus directè vel indirectè provenire poſſit. tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines, etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potiùs abuſus, & corruptelæ ſimoniacæ provitati faventes nuncupari poſſunt, penitùs caſſando & interdicendo: & qui ſecus fecerint, tam dantes quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à Jure inflictas, ipſo facto incurrant.

Seſſione XXIII. cap. I. *De reformatione.*

CUM præcepto divino mandatum ſit omnibus. *Et infra*: Eadem omnino, etiam quoad culpam, & amiſſionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent,

nent, ſacroſancta Synodus declarat & decernit, ita tamen, ut quandocumque eos, cauſâ priùs per Epiſcopum cognitâ & probatâ, abeſſe contigerit, vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſſa non obtineant. Quòd ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere, nec exſecutionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque Beneficii, pactione, ſtatuto; etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremò, tam decretum illud ſub Paullo III. quàm hoc ipſum in Conciliis Provincialibus & Epiſcopalibus publicari, ſancta Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeò ex Paſtorali munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

Et CAP. XV. Quamvis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs, idoneus judicetur; & approbationem, quę gratis detur, obtineat: privilegiis, conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

Seſſione XXIV. cap. V. *De reformatione matrimonii.*

SI quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolennitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit: Si verò ſolennitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſſam.

Et cap. VI. *De reformatione ſimpliciter.*

LIceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum vicariis ſit permiſſum.

Seſſione XXV. cap. XVIII. *De reformatione.*

SIcuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat: ſic frequentiùs legem ſolvere, exemploque potiùs, quàm certo perſonarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quàm unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indiſtinctè obſervandos. Quòd ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit cum aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſsâ cognitâ, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum: aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.

Quæ omnia decreta ab omnibus hujus noſtræ provinciæ Ordinariis, etiam ſi Epiſcopalis dignitatis fuerint, ſacra approbante Synodo Provinciali, diſtrictè præcipimus, atque mandamus in omnibus & per omnia obſervari. Ordinarius verò, qui quicquam contrarium his decretis fieri permiſerit, præter divinam ultionem, & pœnas in dictis decretis impoſitas, in proxima Synodo Provinciali celebranda, tamquam fautor avaritiæ, de his omnibus ſtrictam cogetur reddere rationem.

Tit. XXIV. De celebratione Miſſarum, & ſacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Sacerdotes prohibentur uno & eodem die plures Miſſas celebrare, niſi in die Natalis Domini: qui ſtatutum hoc tranſilierint, excommunicantur, & Beneficiis privantur.

ITem quia aliqui ſacerdotes plures celebrant Miſſas contra canonicas ſanctiones, inhibemus, quòd niſi in die Natalis Domini, tres Miſſas nullus audeat celebrare: quòd ſi fecerit, in excommunicationem incidat ipſo facto; & officio Beneficioque privetur. Duas verò toleramus, ſive tolerando permittimus unâ & eâdem die, ſcilicet quando urgens neceſſitas fuerit, celebrari: quouſque dominum Papam ſuper eodem negotio conſulamus. Neceſſitatem ſiquidem declaramus, quando unicus ſacerdos habet duas Eccleſias, quarum una dependet ab alia, & altera illarum non poteſt habere proprium ſacerdotem, vel ſunt tenues: nec parochiani propter diſtantiam locorum, vel aliam rationabilem cauſſam poſſunt commodè ad alteram convenire; & in aliis caſibus à Jure conceſſis. Quandocumque verò duas Miſſas celebrare contigerit, ſacerdos caveat, ne poſt ſumptionem ſanguinis in prima Miſſa vinum perfuſionis accipiat: quòd ſi fecerit, eâdem die non poterit Miſſam aliam celebrare.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT II.

Nemini licere, niſi in caſibus à Jure permiſſis, eodem die duas Miſſas celebrare; nec licere in domibus privatis, in plateis, aut vicis publicis, aut in agris, Miſſæ ſacrificium peragere.

COnſtitutionem Petri Albalatii prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Item quia*, in eos, qui duas, aut plures eodem die celebrant Miſſas, exceptâ ſacrâ Natalis Domini die, & aliis quibuſdam caſibus Jure communi conceſſis renovantes & ampliantes; omnibus presbyteris, tam ſæcularibus quàm regularibus, ſacro approbante Concilio, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda ab ordine ſacerdotali, & ab officii & Beneficii adminiſtratione id facere interdicimus. Quòd ſi id iterum ſemel puniti agere deprehendantur, perpetuò ab altaris miniſterio arceantur, ac Beneficiis quibuſcumque priventur, & ad alia obtinenda inhabiles cenſeantur. Ad hæc, cùm in ſacro Oecumenico Tridentino Concilio prohibitum ſit, ne alibi, quàm in Eccleſiis, & ad divinum tantùm cultum dedicatis oratoriis ab Ordinariis Epiſcopis deſignandis & viſitandis ſanctum Miſſæ ſacrificium peragatur: in domibus, aut in plateis, aut vicis publicis, aut in agris, vel campis celebrari, hujus ſacri approbatione Concilii Provincialis interdicimus.

Guillermus Rocabertinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Rectores ad ſacerdotium promoti Miſſam celebrare jubentur; & omnes monentur, quàm frequentiſſimè fieri poterit, Miſſam celebrare.

PLerique parochialium Eccleſiarum rectores provinciæ Tarraconenſis, quamvis metu pœnæ, cùm aliàs eſſent privati eiſdem Eccleſiis ipſo jure, diu eſt, quòd ad ſacerdotium promoti fuerunt infra tempus à Canonibus inſtitutum, numquam tamen Miſſam in ipſis Eccleſiis, vel alibi celebrârunt; nec quod celebrare non poſſent, impedimentum aliquod allegârunt, fraudem prædictis Canonibus facientes: qui pro celebranda Miſſa ſtatuerunt principaliter eos debere ad ſacerdotium promoveri: nec attendentes naturæ & rationi eſſe congruum illos non recuſare onera, qui rerum commoda amplectuntur: iccircò nos Guillermus miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Tarracone Provinciale Concilium celebrantes, ſtatuimus, eodem Concilio approbante, quod omnes prædicti rectores ad ſacerdotium jam promoti, Miſſam celebrent infra tres menſes proximè ſubſequentes: & qui de cætero ad ſacerdotium promovebuntur, infra alios tres menſes à tempore quo promoti fuerint, computandos: alioquin à receptione fructuum dictarum Eccleſiarum, qui per Ordinarios in Eccleſiarum ipſarum neceſſaria convertantur, auctoritate præſentis ſtatuti noverint ſe ſuſpenſos; niſi juſto impedimento detenti, quod ex culpa non provenerit eorundem, de quo infra dictos tres menſes proprio diœceſano fidem facere teneantur, & de conſilio ejuſdem diœceſani duxerint abſtinendum. Et quia Generale Concilium graviter reprehendit minores etiam clericos & Prælatos, qui vix

ce-

celebrant quater in anno; ſtatuimus, quòd ipſi rectores, & omnes alii prædicti, Miſſas celebrent, quàm frequentiſſimè poterint, commodè & honeſtè; ita quòd circa Miſſarum celebrationem, quæ eis incumbit ex officio, non poſſint notari negligentes, ſeu nimiùm delicati.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Miſſa conſtituitur pro eorum animabus, qui in die ſacroſancti corporis Chriſti illud fuerint comitati.

NON incongruum reputamus, ut nos, qui jam naturali inſtinctu ad laudem & honorem divini numinis obligamur, per quem omnes vivimus, movemur, & ſumus, ac frui ſua cœleſti ſempiterna gloria ſperamus, ad id donis ſpiritualibus propenſiùs inducamur. Propter reverentiam & honorem igitur ſacratiſſimi corporis Jeſu Chriſti, quod in pleriſque locis minus reverenter portatur, cujus laudes propter bona, tam ſpiritualia quàm temporalia, quæ humano contulit generi, nec mens cujuſquam poſſet concipere, nec lingua proferre; approbante ſacro Concilio ſtatuimus; ut in noſtra Eccleſia Tarraconenſi, & in aliis Eccleſiis Cathedralibus noſtræ provinciæ, & in omnibus aliis Eccleſiis diœceſium prædictarum, ſexta die poſt feſtum ſacratiſſimi corporis Chriſti Miſſa ſolenniter ac honorificè celebretur pro animabus illorum, qui dictum ſacratiſſimum corpus Chriſti, quum ad infirmos portatur, ſociaverint cum cereis, vel aliàs, impendendo eidem reverentiam, devotionem pariter, & honorem. Omnes inſuper rectores Eccleſiarum, & presbyteri ejuſdem provinciæ anno quolibet, incipiendo à dicto feſto, uſque ad ſequens proximum, pro ſalute animarum dictorum aſſociantium corpus Chriſti, juſto tamen impedimento ceſſante, unam Miſſam quilibet per ſe habeat celebrare, vel per alium faciat celebrari: adjicimuſque, quòd ſi dictum feſtum corporis Chriſti in vigilia ſancti Joannis occurrerit celebrandum, præcedenti die jejunium ſancti Joannis mutetur, & obſervetur, prout de die ſacro Natalis Domini à ſacris eſt Canonibus obſervatum & definitum: & die corporis Chriſti poſſint impunè comedi carnes.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Quadraginta dies indulgentiæ ſacroſanctam Euchariſtiam comitantibus, & in elevatione corporis Dominici, quando campana pulſatur, & quum ſacerdos dicit: Gratias agamus, &c. *genuflectentibus conceduntur.*

AD divinum explendum obſequium, reverentiam tam debitam, quàm devotam ſacratiſſimo Jeſu Chriſti corpori impendendam, cœleſtemque iram placandam, ac Dei miſericordiam faciliùs obtinendam, cupientes clerum & populum donis ſpiritualibus propenſiùs animare, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus in Tarraconenſi provincia conſtitutis, qui Euchariſtiam, quæ ad infirmos pro communicando defertur, aſſociaverint eundo, & ad Eccleſiam redeundo, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis pro qualibet vice, ſeu actu hujuſmodi prædictorum, & ſubſcriptorum miſericorditer in Domino relaxamus. Quam quidem remiſſionem & indulgentiam ad illos etiã extendi volumus, qui cùm pulſatur in Eccleſiis ſquilla pro ſacratiſſimi corporis Chriſti elevatione, flexis humiliter genibus devotè oraverint, ac magnificaverint nomen Dei: necnon ad illos, qui prolatis per presbyterum in Canone Miſſæ verbis: *Gratias agamus, &c.* flexis genibus verba protulerint humiliter infraſcripta: *Domine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, meritis tuæ ſacratiſſimæ Paſſionis miſerere mihi peccatori*: ad præmiſſas remiſſiones & indulgentias concedendas in ſuis diœceſibus, venerabiles fratres noſtros Epiſcopos in Domino exhortantes. Et ut ad prædicta clerus & populus faciliùs inclinentur, & ne ignorantia ſuper ipſis prætendi valeat, præſentem conſtitutionem bis in anno, ſcilicet, in feſto Nativitatis, & ſanctæ Reſurrectionis Domini, in Eccleſiis Cathedralibus, & aliis curatis totius provinciæ per rectores, & perpetuus vicarios, ſeu loca-tenentes eorumdẽ in virtute ſanctę obedientiæ perpetuò præcipimus, cùm major multitudo populi ad divina cõvenerit, publicari.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

Cùm canticum: Te Deum laudamus, *accinitur, & verſiculus ille*: Te ergo quæſumus, *dicitur, flectentibus genua, & lumen accenſum in elevatione corporis Chriſti tenentibus, quadraginta dies indulgentiæ conceduntur.*

REdemptionis noſtræ memoriam recenſentes, in qua mortem noſtram recolimus mortuam, noſtrumque interitum interimẽ, ut redemptionis miſericordiam ſentiamus

mus propitiam, & in tot adverſitatibus clero ſubveniat penè lapſo, ſacro approbante Concilio ordinamus, quòd dum dicitur canticum: *Te Deum laudamus*, in verſu: *Te ergo quæſumus*, humili corde genuflexio ſemper fiat in tota noſtra provincia; ut Dei auxilium devotiùs poſtuletur. Et cuilibet genua tunc flectenti, & etiam iis, qui lumen in manu tenuerint, dum ſacratiſſimum corpus Chriſti in Miſſa, & calix ſanguinis Domini per presbyterum elevantur, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis in prædictorum quolibet trium actuum in Domino relaxamus: ad præmiſſas remiſſiones & indulgentias concedendas in ſuis diœceſibus, venerabiles fratres noſtros Epiſcopos in Domino exhortantes.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT VII.

Euchariſtia ſacramentum ſanis extra Eccleſiam non conferendum, nec ſacramentum Baptiſmi in privatis domibus tradendum, nec Miſſam pro nuptiis celebrandam.

SIcut omnibus unum eſt, & æqualiter efficax ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum, ſic eſſe debet modus miniſtrandi unus omnibus, & conformis cum debita cæremonia, & reverentia ſingulari. Ea propter, ne ipſum ſociare & venerari volentibus lucrandi meritum, & conceſſæ indulgentiæ ſubtrahantur, ſtatuimus, quòd nemini ſano per domos privatas, vel cappellas ſacramentum Euchariſtiæ miniſtretur, ſed ipſum ſanis in Eccleſiis, & certis locis ad hoc deputatis, vel etiam ſpecialiter deputandis: ad infirmos verò ab ipſis Eccleſiis deferatur accenſis luminibus honorificè & decenter. Cæterùm præſenti ſalubri ſanctione prohibemus, ne in domibus privatis ſacrum baptiſma alicui conferatur, ſed Clementina ſuper hoc diſponens obſervetur efficaciter, neque etiam Miſſa pro nuptiis vel ſepulturis, vel novis nuptis in privatis domibus celebretur.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus & Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VIII.

Clericis munditia ornamentorum divino cultui deſervientium injungitur.

UT per corporalem munditiem ſpiritualis mundities deſignetur, præcipimus, quòd clerici, quibus hoc ex officio competit, Eccleſias, altaria, veſtimenta, & alia Eccleſiaſtica ornamenta munda teneant, lavent corporalia, & hoſtias faciant per ſe ipſos, vel per clericos hæc fieri faciant. Contrarium verò facientes, pœnam viginti ſolidorum uſualis monetæ, convertendam in ornamenta ipſius Eccleſiæ, ſine remiſſione aliqua, ſe noverint incurriſſe.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT IX.

Non poſſe laïcos calices & patenas attingere: linteamina, & reliqua ad peragendum Miſſæ ſacrificium munda eſſe oportere, ſtatuitur.

ANtiquorum Patrum decreta ſequentes, qui ſacra vaſa, ab aliis, quàm à ſacratis Dominoque dicatis hominibus contrectari vetuerunt: ne, ut aliquando evenit, Dominus iratus plagas inferat populo ſuo, & pereat juſtus cum impio; ſacro approbante Concilio, calices, & patenas ab Epiſcopis conſecratas, ab aliis quàm ab iis, qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, tangi prohibemus, neque à laïcis, quantumvis religioſis, tam maſculis quàm fœminis, aut à clericis, ſive ſæcularibus ſive regularibus, offertorii, vel pacis tempore in ſacro Miſſæ ſacrificio, aut poſt communionem laïcam, aliove quocumque tempore attingi. Cùm enim ea ſacra vaſa tantùm in adminiſtrationem Euchariſtiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti inungantur, ſanctificentur, & conſecrentur; ut ejuſdem corporis & ſanguinis quaſi novum ſepulchrum ſancti Spiritûs gratiâ efficiantur; nefas eſt alios eis uti, quàm miniſtros ejuſdem ſacroſancti myſterii. Contrarias igitur conſuetudines, ut irreligioſas denunciantes & declarantes, omnibus ab eiſdem abſtinere præcipimus; contumaces verò & rebelles cenſuris & pœnis arbitrio Ordinariorum imponendis coërceantur. Cumque omnis munditia deceat eos, qui ea vaſa atque myſteria contingunt, dicente Domino per Prophetam: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*; omnibus ſacerdotibus, tam ſæcularibus quàm regularibus, ejuſdem ſacri approbatione Concilii interdicimus, ne aliter ad ſacrificium Miſſæ peragendum accedant, quàm ſi priùs & mundi ipſi ſint, tam ſpiritali conſcientiæ, quam corporali manuum ablutione mundati, & mundis veſtibus induantur, & corporalibus, aliiſque lineis mappis, & linteaminibus mundis utantur. Ipſa verò vaſa ſacra, tum munda, ac nitida ad altare afferantur, tum etiam in ipſa ſumptione corporis, & ſanguinis Dominici ita abſtergantur, atque tergantur, ut nihil omnino in terram cadat, aut in ipſa mantilia, vel corporalia effundantur. Quotquot verò ablutiones poſt ſacram communionem fient, omnes ab ipſo ſacerdote ſumantur, ne fortè aliquid ex corpore, aut ſanguine Domini re-

relictum ſit, quod ita irreligiosè atque impiè tractetur. Quamobrem omnes ſacerdotes in Miſſa mundum habere linteamen quoddam jubemus, quod Purificatorium dicitur, quo, poſt communionem ſuſceptam, & poſt lotionem digitorum, atque poſt ablutiones peractas, digitos & os mundare, & calicem ſiccare poſſit. Idque linteamen intra calicem relinqui debere monemus. Calicem verò ipſum cum patena, aut ab ipſo ſacerdote, aut à diacono, vel ſubdiacono, non verò ab aliis inferioris ordinis clericis ſiccari, tegi, ac velari; poſtquam verò velata fuerint, ab aliis tangi aut cuſtodiri non prohibemus. In omnibus autem Eccleſiis, tam cathedralibus, quàm collegiatis, atque aliis quibuſcumque, hæc linteamina, quæ Purificatoria dicuntur, ubi non ſint, fieri, & ita lavari à ſubdiaconis, ut corporales pallę lavari debent, aquâ in piſcinam Eccleſiæ effundi. ea verò nitidè cuſtodiri præcipimus, & à viſitatoribus ea etiam viſitari; & quaſcumque ſordes in iis, quæ retulimus, vaſis, aut veſtibus ſacris, aut in celebratione Miſſæ, tam ab ipſis viſitantibus, quàm ab aliis Superioribus puniri.

Idem in eodem.

CAPUT X.

Symbolum fidei in Miſſarum ſolenniis dicendum eſſe diſtinctè in choro, abſque alicujus organi commiſtione, per clericos.

NON ſine maxima ratione ex antiquorum Patrum traditionibus accepimus, ut in diebus ſolennibus in ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, poſt Euangelium decantetur magna voce Symbolum fidei Catholicæ, ut agnoſcat populus Chriſtianus ei non ſufficere, ut corde credat ad juſtitiam; ſed opus eſſe, ut ore confiteatur ad ſalutem. Et quamvis organorum uſus, utpote in ſancta Romana Eccleſia permiſſus, nullo modo ſit ab Eccleſia excludendus, quinimmo ſervatis debitis circumſtantiis meritò ſit obſervandus: tamen ea, quæ ad neceſſitatem ſalutis omnino credenda & confitenda ſunt, ore proprio clericorum, qui in choro decantantes vice totius populi profiteantur, depromi convenit. Quapropter ſacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, ut Symbolum fidei Catholicæ, quod majus nuncupamus, omnibus diebus, quibus in Miſſarum ſolenniis eſt dicendum, diſtinctè in choro, abſque alicujus organi commiſtione, per clericos promatur, & decantetur, ut per vivam eorum vocem populus omnes Fidei articulos in memoriam reducat; & intelligat non ſufficere, ut aliquot illorum credat; ſed opus eſſe, ut omnes per veram fidem confiteatur: cùm certum ſit, quòd in uno deficiens factus eſt omnium reus.

Idem in eodem.

CAPUT XI.

Orationem: Et famulos tuos, in omnibus Miſſis in fine poſtremæ orationis dicendam eſſe.

CUM Paullus Apoſtolus, vas electionis, jubeat fieri obſecrationes & orationes pro omnibus hominibus, ac præſertim pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt; idque bonum & acceptum eſſe teſtetur coram ſalvatore noſtro Deo, ſacro approbante concilio ſtatuimus, ut in ſingulis conventibus Miſſis in fine poſtremæ orationis, aut ſi unica tantùm dicatur, in ejus orationis fine, hæc verba addantur: *Et famulos tuos, ſummum Pontificem, & Antiſtitem noſtrum, cum Eccleſiaſtico ordine: nocnon Regem & Reginam, ac Principem noſtrum cum prole regia, & exercitu ſuo, & cuncto populo Chriſtiano ab omni adverſitate cuſtodi; pacem & ſalutem noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam.* Quod ſi aliquis ex ſupradictis deerit, ejus mẽtio omittatur. Hæc in omnibus, tam Cathedralibus, quàm collegiatis Eccleſiis, atque aliis, tam ſæcularibus quàm regularibus, fieri præcipimus,

Idem in eodem.

CAPUT XII.

Non licere diacono, ſed ſoli presbytero patenam cum hoſtia, & calicem cum vino in offertorio tenere.

SAcri approbatione Concilii prohibemus, ne juxta aliquarum Eccleſiarum, tam regularium quàm ſæcularium, conſuetudinem, diaconi ſoli calicem cum vino, vel patenam cum hoſtia tenentes offerant in ſacro Miſſæ ſacrificio: ſed id ſemper presbyter faciat; niſi propter ſenectutem, aut manuum infirmitatem, aut debilitatem, adjutore diacono indigeat: tunc enim poterit à diacono ita adjuvari, ut presbyter quoque manus admoveat. ſacerdotum enim miniſtri diaconi ſunt in his divinis myſteriis.

Gaſpar Cervantes Cardinalis & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XIII.

Officia & ſacrificium Miſſæ juxta Romanæ Eccleſiæ uſum dicenda eſſe.

UNam eſſe ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam, ſæpiùs in omnibus Eccleſiis profitemur; extra quam nulla ſalus eſt, neque remiſſio peccatorum; unus

eſt

eſt Deus, una fides, & unum baptiſma; unus Chriſtus, & unus paſtor Petrus, Chriſti vicarius, Romanæ Eccleſiæ primus Epiſcopus, quę una eſt mater omnium Eccleſiarum, atque magiſtra. Cùm igitur omnes ejuſdem ovilis ſimus, & eundem habeamus paſtorem; quò magis magiſque Eccleſiæ Romanæ inſtitutiones & conſuetudinem Eccleſiaſticam obſervabimus; eò magis capiti noſtro adhærebimus, & illi petræ, in qua Eccleſia fundatur. Sanè nuper felicis recordationis Pius Papa V. ex decreto Oecumenici Concilii Tridentini unum in Eccleſia Dei orandi modum, unam ſacrificii peragendi formam Breviario, & Miſſali Romano editis omnes edocuit. Quos libros nos cum primùm potuimus, in Eccleſia Metropolitana noſtra, de conſilio fratrum noſtrorum canonicorum ejuſdem Eccleſiæ libenter recepimus, & omnibus ſubditis noſtris in ſingulis Eccleſiis noſtræ diœceſis, juxta eorumdem librorum formam, & Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem orandum eſſe, & ſacra peragenda, hortati ſumus atque præcipimus. Hoc ipſum ut in omnibus noſtræ provinciæ Tarraconenſis & Helnenſis diœceſis Eccleſiis, exceptis tantùm regularibus exemptis, fiat, ſacri approbatione Concilii in Domino hortamur atque præcipimus: ut de nobis dici poſſit hac in re, quod de primis illis Chriſti diſcipulis, unum cor fuiſſe, & animam unam; nullaque ſchiſmata, quæ tunicam illam Chriſti inconſutilem ſcindere poſſint. Sed quoniam ſine librorum copia non poſſunt hæc exſecutioni mandari; curabunt in ſingulis diœceſibus Epiſcopi, aliive Ordinarii præpoſiti, ut terminus præfigatur competens & cura adhibeatur libris vel emendis, vel conſcribendis, vel mutandis, & cęremoniis ediſcendis; adhibitis his, quos ex ſuis capitulis aliiſve Eccleſiis viderint huic rei aptiores fore. Hæc ultra annum diferri nullo modo patiemur, ſed omnibus legitimis modis adversùs negligentes procedemus. Hanc verò conſtitutionem etiam ad ea porrigimus, quæ extra dictos duos libros ſacroſancta Romana Eccleſia obſervat in quibuſcumque divinis officiis, & Pontificalibus cæremoniis; illis tantùm exceptis, quæ vel ſummi Pontificis, vel Romanæ Eccleſiæ ſingularia ſunt, & nulli alii competunt Antiſtiti, vel Eccleſiæ inferiori.

Idem in eodem.

CAPUT XIV.

Duos ſolidos Barcinonenſes conferendos eſſe ſacerdoti pro ſingulis Miſſis, quas celebraverit: & anniverſaria relicta juxta ſacri Concilii Tridentini decreta, habitâ temporum ratione reducenda eſſe.

Cum æquum ſit os bovis triturantis, ut ait Apoſtolus, non alligari: temporum mutationem, & omnium rerum charitatem conſiderantes, quippè cùm hodie duplo majores ſumptus pro congrua ſacerdotum ſuſtentatione, quàm patrum noſtrorum memoriâ fiant: ſancta ſynodo approbante ſtatuimus, ut deinceps nullæ vivorum aut mortuorum fundationes Beneficiorum, aut anniverſariorum, aut aliarum piarum voluntatum inſtitutiones, quibus onera Miſsarum injunguntur, confirmentur; niſi deductis oneribus ſacerdotibus tales proventus conſtituantur, ut in ſingulas Miſſas ſaltem bini ſolidi Barcinonenſes ſolvantur. Laudabilem autem aliquorum locorum conſuetudinem approbantes, & eam ad totius provinciæ loca extendi cupientes, ut fidelis populus eleemoſynæ, ſive cibarii diurni vice, totidem ſolidos pro ſingulis Miſſis largiatur, magnopere commendamus, neque ultra eam ſummam avaros ſacerdotes ab invitis extorquere, aut Ordinarios æſtimare debere cenſemus, niſi aut itineris laboris, aut cantûs adhibiti ratio eſſet habenda, aut alia juſta cauſa urgeat. Sordidum quoque eorum quæſtum improbamus, qui mercedes duplices, aut triplices nedum his majores lucrantur, ſeſe pauperes fingentes, & uno eodemque ſacrificio, cùm à ſingulis mercedis loco pecuniam acceperint, ut ſacrificarent, ſatisfacere ſe ſine Superioris auctoritate exiſtiment. Quod verò ad Miſsas & anniverſaria olim relicta attinet, quorum numerus valde excrevit, Ordinarii locorum juxta ſacri Concilii Tridentini decreta, habitâ temporum & locorum ratione ſtatuent.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XV.

Sacerdotes Miſſæ ſacrificium facturi, quæ in Miſſa legenda ſunt, præveniant; conſcientiam diligenter diſcutiant, nec quoſcumque ad audiendas confeſſiones ſacerdotum admittant.

Cum omnia, quæ in Eccleſia peraguntur divina officia, ſumma cum reverentia agi & tractari debeant, tum verò vel maximè divinum Miſsæ ſacrificium, cum quo nullum aliud conferri & comparari poteſt: quare ut illud à ſacerdotibus ritè peragatur, atque à populo religiosè colatur, & reliqua divina officia cum reverentia celebrentur, & omnes abuſus, qui in his peragendis accidere ſolent, auferantur, ſacrorum Conciliorum, & prædeceſſorum noſtrorum veſtigia perſecuti, hæc, quæ ſequuntur, in tota noſtra provincia ſacri approbatione Concilii ſervanda ſancimus.

Sacerdotes Miſſæ ſacrificium facturi, ne accedendo ad altare manibus pollutis, oculis impudicis, ore inverecundo, corde impuro, Chriſtum, quantum in ſe eſt, iterum crucifigant, tam alti myſterii meditationem antea ponderent, & quæ in Miſsa legenda ſunt, maturè præveniant, propriam conſcientiam diligenter diſcutiant, nec priùs ad tantum ſacramentum accedant, quàm ſa-

ſacramentali confeſſione conſcientiæ labem, ſi quam habent gravem, diluerint, & eum ſemper confeſſorem eligant, qui non ſolùm doctrinæ; ſed multò etiam magis vitæ morumque dotibus præditus ſit. Hortamur autem omnes Epiſcopos noſtræ provinciæ, & alios quoſcumque Ordinarios, ut ad ſacerdotum confeſſiones audiendas, eos dumtaxat eligant in unaquaque Eccleſia, quorum magis ſit probata vita: hinc enim tota ferè pendent ſacerdotum diſciplina.

Idem in eodem.

CAPUT XVI.

Sanctum Miſſæ ſacrificium ſine duabus candelis cereis incenſis non eſſe peragendum, purificatoria octavo quoque die, corporalia, & reliqua ornamenta ſingulis menſibus mundanda.

CONſtitutionem provincialem: *Antiquorum Patrum*, ſacro approbante Concilio renovantes, omnibus noſtræ provinciæ ſacerdotibus, cujuſcumque ſtatus & conditionis fuerint, præcipimus atque mandamus, ut ſanctum Miſsæ ſacrificium ſine duabus candelis cereis incenſis, & in utraque altaris parte poſitis, non peragant, purificatoria octavo quoque die, corporalia, & reliqua altaris ornamenta ſemel ad minus ſingulis menſibus mundanda curent: negligentes verò pœnâ quinque librarum, aut alia, arbitrio Superioris, puniantur.

Idem in eodem.

CAPUT XVII.

Facultatem celebrandi in domibus privatis non eſſe concedendam ubi non fuerit cappella deſtinata, idq; matura conſideratione.

PRohibet etiam ſacrum Concilium Tridentinum, in domibus privatis, & aliis locis indecentibus ſanctum Miſsæ ſacrificium celebrari. Nihilominus aliquorum relatione intelleximus, nonnullos Ordinarios importunitate laïcorum facilè hujuſmodi facultatem celebrandi ſine viſitatione cappellarũ in domibus privatis concedere: quod ſine irreverentia tanti ſacrificii fieri non poteſt. Quamobrem ſacro approbante Concilio ſancimus & ordinamus, ut poſthac in domibus privatis, ubi cappellæ conſtructæ non fuerint, facultas celebrandi nullo modo concedatur: in ſacellis verò eremiticis, & aliis Eccleſiis, ac in cappellis domorum privatarum matura conſideratione, ſi decenter ornatæ & clauſæ fuerint, & ſeparatæ à cubiculis, talis facultas celebrandi poſt viſitationem earum concedi poterit. Sacerdos autem, qui ante dictam viſitationem & approbationem, ſine licentia Ordinarii in domibus privatis, aut in cappellis indecenter ornatis celebrare præſumpſerit, graviter puniatur.

Idem in eodem.

CAPUT XVIII.

Miſſam conventualem ſemper inter octavam & nonam inchoandam: intra Eccleſiam larvatos homines, tormenta manuaria, ſulfuratæ machinæ, tubæ, tympana, inſtrumenta bellica, & id genus alia non eſſe admittenda; nec Sibyllæ carmina, & alias cantilenas, nec aquam roſaceam cum aqua benedicta eſſe miſcendam.

SOlent in quibuſdam Eccleſiis noſtræ provinciæ, aut quum feſtum patroni Eccleſiæ celebratur, aut in ſolennitatibus quarundam Confraternitatum, ac Miſſis novis, horâ undecimâ, aut circa duodecimam, Miſſam conventualem inchoare, unde & officium breviùs, aut longiùs, quàm par eſt, protrahitur, & populus, qui orationibus & devotioni eo potiſſimùm tempore vacare debebat, officio & concioni attendere nullo pacto poteſt. Quare, ſacra approbante Synodo, hunc abuſum reprimere cupientes, ſancimus & ordinamus, ut in qualibet Eccleſia & parochia noſtræ provinciæ, & tempore hyemis, & tempore æſtatis, Miſſa conventualis inter octavam & nonam inchoëtur; niſi ob juſtum impedimentum aliter fieri expedierit, Eccleſiis Cathedralibus exceptis: qui verò contrarium fecerit, pœnâ quinque librarum pro qualibet vice multetur. Intra Eccleſiam aut monaſteria larvatos homines, aut quoſcumque alios, qui officia ſacra perturbant, quales ſunt tormenta manuaria portantes, ſulfuratis machinis, tubis, tympanis, & aliis inſtrumentis bellicis aut ludicris utentes, quibus maximè officium perturbatur, juxta conſtitutionem provincialem: *Cùm ſcriptum ſit*, renovantes, omnino fieri prohibemus: dum verò Miſſę ſacrificium, & Veſperarum officium peraguntur, præter organum, eos dumtaxat muſicos admittendos volumus, qui vulgò meneſtriles appellantur; ita tamen, ut ſolùm offertorii tempore, aut in proceſſionibus, ſacras cantiones pſallant & decantent. Aquam verò benedictam cum aqua roſacea, aut alia odorifera permiſceri, omnino prohibemus. Sibyllæ carmina, & paſtorum nugas, aliaſque vulgares cantilenas nullo tempore in Eccleſiis cani permittantur, ſed lætitia ſpirituali exultans clerus, populum doceat riſum, levitatis ſignum, eſſe fugiendum omnibus Chriſtianis.

Tit. XXV. De baptiſmo, & ejus effectu.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in ſexto Concilio Tarraconc celebrato.

CAPUT I.

Excutiendus & probandus animus Sarracenorum poſtulantium baptiſmum.

QUia intelleximus, quòd aliqui Sarraceni captivi fictè veniunt ad baptiſmũ, ut poſſint jugum evadere ſervitutis; ſtatuimus, ut cùm Sarraceni hujuſmodi ad Eccleſiam cauſsâ baptizandi confugerint; diebus aliquibus per rectorem Eccleſiæ conſerventur, ut cognoſcat, utrum in tenebris ambulent, vel in luce. Et ſi perſeveraverint in propoſito baptizandi, eiſdem ulteriùs baptiſmus non negetur.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Infantes, quum baptizantur, tenendos à ſuſceptoribus, dum verba ſacramenti proferuntur.

EVitantes quæ, docente experientia, ſolent in ſubmergendis infantibus in ſacro fonte baptiſmatis ſæpiùs evenire; jubemus, infantes hujuſmodi per patrinos ſeu ſuſcipientes eoſdem teneri; & baptizandos cum aqua, proferendo verba decentia, per curatos, ſeu eorum loca-tenentes tantummodo tingi.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in quinto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Curatis conficiendi duo libri, quorum in altero baptizandorum, parentum, ſuſceptorumq; nomina ſcribantur, in altero morientium.

CUm negligentiâ curatorum libris baptiſmorum & defunctorum carentium in ſua parochia gravia damna, ſimul & ſcandala fuerint ſecuta; ſacro Concilio approbante ſtatuimus de cætero, quòd quilibet rector, vicarius, & curam animarum in provincia habens, & regens in ſua parochia, duos teneat libros, in quorum altero nomina & cognomina baptizandorum, parentumque eorum, ac patrinorum & patrinarum, diemque & annum quo fuerint baptizati, in altero verò obitus annum, & alia neceſſaria integrè & cum effectu ſcribat. Pœna contrà facienti excommunicationis, & pecuniaria quinquaginta ſolidorum pro qualibet vice conſtituitur.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT IV.

Curatis quinque libri conficiendi, in quibus baptizatorum, confirmatorum, matrimonia contrahentium, defunctorum, & eorum qui peccata ſua ſingulis annis confitentur, nomina deſcribantur.

DIci non poteſt quantum referat nomina baptizatorum, confirmatorum, & illorum parentum, ac eorum qui eos in baptiſmo & confirmatione tenuerunt, contrahentium matrimonia, defunctorum, & eorum qui peccata ſua ſingulis annis confitentur, certo & definito loco ſcripta habere, ad evitanda incommoda, quæ aut ex reiteratione ſacramenti, aut ex negligentia parochorum, & eorum, quorum cura illis commiſſa eſt, ſatis frequenter accidere conſueverunt. Quamobrem, ut communi fidelium utilitati proſpiciatur, & incommodis obvietur, conſtitutionem bonæ memoriæ Hieronymi de Auria, prædeceſſoris noſtri, *Cùm negligentia*, ſacro approbante Concilio, renovantes & ampliantes, ſancimus & ordinamus, ut in ſingulis Eccleſiis hujus noſtrę provinciæ curati, ſeu quivis alius animarum curam gerens, ſub pœna decem librarum quinque libros habeat: in quorum primo nomina baptizatorum, eorumque parentum, & ſuſceptorum deſcribantur: ſecundus nomina confirmatorum & ſuſcipientium complectatur; in tertio nomina ſcribantur contrahentium matrimonium, ac teſtium: quartus verò nomina eorum contineat, qui peccata ſua eo anno confeſſi fuerint: in quinto nomina morientium ac defunctorum collocentur.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Non licere in ſacris ordinibus conſtitutis, nec Beneficiatis, puerum vel puellam in baptiſmo, vel in Confirmatione tenere.

QUoniam in noſtra provincia multæ malæ ſuſpiciones & ſcandala ex compaternitate clericorum & mulierum oriri intelleximus; ſacro approbante Concilio ſancimus & ordinamus, & ſub pœna excommunicationis mandamus, ut poſthac, tam regulares quicumque quàm ſæculares presbyteri, & alii in ſacris ordinibus conſtituti, & Beneficiati, in ſacramento baptiſmi, vel Confirmationis

nis puerum vel puellam non teneant. Item ſub pœna decam librarum omnibus novitiis ſacerdotibus præcipimus, ne cùm primam Miſſam celebrent, nec aliquo alio tempore, choreas ducant, ac ſaltent, cùm debeat illo die ſacerdos de tanto ſibi collato beneficio Deo gratias agere: quos etiam ſub eadem pœna, & alia arbitrio Ordinarii multari ſancimus, ſi ad primam Miſſam celebrandam patrinos laïcos viros, aut fœminas vocaverint. Quod etiam ad regulares extendimus ſub pœna irregularitatis duraturæ arbitrio Ordinarii, quoad ſacerdotes, & excommunicationis quoad laïcos.

Tit. XXVI. De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum ſacramentorum, vaſorum, & indumentorum Eccleſiaſticorum.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Epiſcopis, & aliis, ad quos de jure ſpectat, præcipitur, curent diligenter, ut quæ divino cultui deſerviunt, munda ſerventur: chriſma, oleum, Euchariſtia, & altare conſecratum cautè cuſtodiantur, & ſacramentum Euchariſtiæ honorificè deferatur.

PRæcipimus, ut Eccleſiæ, & omnia oratoria, vaſa divini myſterii, pallæ altaris, & corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſerventur: chriſma, oleum, & Euchariſtia cautè ſerventur, clavibus adhibitis: necnon & altare conſecratum diligenti ſervetur cautela, ne in aliquod prædictorum manus temeraria ſe extendat pro aliquibus nefariis exercendis. Sacra quoque Euchariſtia ad infirmos cum campana & lucerna honorificè deportetur, & ſingulis octo diebus renovetur. Ut autem ea omnia, quæ pro exſtirpanda clericorum incontinentia, & pro ipſorum vita & honeſtate reformanda, necnon ea quæ pro munditiis Eccleſiarum, & eorum, quæ ad divinum cultum pertinent, ea quoque, quæ pro fideli cuſtodia chriſmatis, olei, Euchariſtiæ, & altarium, piè & providè ſtatuta ſunt, irrefragabiliter obſerventur; præcipimus, ut Epiſcopi, decani, archidiaconi, & archipresbyteri circa eorundem obſervantiam curam adhibeant diligentem. Nam pro tranſgreſſionibus ſubditorum ab ipſis de cætero culpa requiretur, & pœna, nec ſe poterunt excuſare, dicentes, nos monuimus, nos corripuimus, niſi ſubditorum ſuorum correctionem poſſint oſtendere, aut pœnam eiſdem impoſitam. Horum autem, ſcilicet decani, archidiaconi, vel archipresbyteri negligentia ſi in præmiſſis inveniatur, ſive defectus, ab Epiſcopo puniatur, ipſius autem Epiſcopi negligentia vel defectus, à Metropolitano, vel Provinciali Concilio ſic diſtrictè puniatur, quòd pœnam correctio ſubſequatur.

Tit. XXVII. De reliquiis & veneratione Sanctorum.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Statuitur, ne ſignum ſanctiſſimæ crucis, & reliquiæ Sanctorum in aquam immergantur, aut madefiant, & ne ſacramentum Euchariſtiæ ad inundationem aquarum, incendia, rixas, & aërum tempeſtates deferantur; neve pueri mortui ad aliquam Eccleſiam ut reviviſcant, aſportentur, & ut orationes, quæ curandis mortuis adhibentur, approbentur ab Ordinario.

CUm nemini dubium ſit, ſacroſanctam matrem Eccleſiam omni ſtudio & vigilantia in expellendis variis ac diverſis ſuperſtitionibus, quas tam Chriſtifideles, quàm alii in reliquiis Sanctorum venerandis, & in malis curandis adhibere ſolent, uſam fuiſſe: ideo ejus veſtigiis in re præſertim tam ſancta adhærentes, ſacro approbante Concilio, præſenti conſtitutione præcipimus, ut reliquias Sanctorum & crucis ſanctiſſimæ ſignum piis obſequiis & proceſſionibus omnes Chriſtifideles Dominum orantes venerentur, eas verò in aquâ immergi, aut madefieri & ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ad inundationem aquarum, aut ad incendia, & rixas, & aërum tempeſtates deferri prohibemus: quin potiùs caſu aliquo hujuſmodi occurrente, pulſatis campanis, dictam ſanctam Euchariſtiam reverentia & veneratione debitis à ſacrario extrahant, & ſuper altare illius Eccleſiæ ponant. Ibi unà cum clero, & populo Deum, qui ſolo verbo omnia ſanare & curare poteſt, fide ſincera, puroque animo, ut hæc mala avertat, piè, & ſanctè precentur: ad oſſa pia & reliquias Sanctorum jurare, vel pueros ſine baptiſmate mortuos ad aliquam Eccleſiam deferre, eo prætextu, ut reviviſcant, & poſtea baptizentur, expetendo miraculum ſine ulla divina revelatione præcedente, peccatum cum ſit, & ſuperſtitionem ſapiat, ſub pœna excommunicationis prohibemus. Orationes verò in malis curandis & expellendis, quæ non fuerint ab Ordinario auditæ & approbatæ, ſub excommunicationis pœna rejiciendas ſancimus & ordinamus.

Tit. XXVIII. De obſervatione jejuniorum.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT I.

In jejuniis ab Eccleſia inſtitutis non eſſe edendas carnes, niſi neceſſitate cogente, & tunc in abſcondito.

HUic morbo congruam cupientes adhibere medelam, ſacro approbante Concilio, prohibemus diſtrictiùs ſub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ, ne aliquis, cujuſcumque ſtatus ſeu conditionis exiſtat, in jejeuniis per Eccleſiam inſtitutis, & præcipuè in Quadrageſima, carnes comedat: niſi neceſſitate cogente, & tunc etiam in abſcondito. Confeſſores autem religioſi, vel ſæculares, qui præterquam in caſu neceſſitatis urgentis, licentiam alicui dederint carnes in dictis jejuniis comedendi, graviori ſubjaceant diſciplinæ.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Interdicitur ſub pœna excommunicationis eſus carnium diebus jeiuniorum Veneris, & ſabbathi, & ne, niſi neceſſitate cogente, hiſce diebus carnes comedantur, ſtatuitur.

NOn ſine magno conſilio ſancta mater Eccleſia divinitus inſpirata, tempore Quadrageſimæ, quatuor Temporum, feriâ ſextâ, ſabbato, & aliis certis & definitis per anni circulum diebus, eſum carnium prohibitum eſſe voluit. Nihilominus multi in noſtra provincia propriæ conſcientiæ obliti, ex quavis levi cauſſa, non ſine aliquo puſillorum ſcandalo, hiſce diebus publicè carnibus veſcuntur. Quem abuſum tollere cupientes, conſtitutionem bonæ memoriæ Joannis ab Aragonia, prædeceſſoris noſtri: *Huic morbo*, renovantes & ampliantes, ſacro approbante Concilio, præcipimus & ordinamus, ut poſthac nullus, cujuſcumque ſtatus & conditionis fuerit, in jejuniis ab Eccleſia inſtitutis, diebuſque Veneris, & ſabbathi, aliiſque, quibus eſus carnium prohibitus eſt, ſub excommunicationis pœna, & maledictionis æternæ, niſi de conſilio medici, neceſſitate cogente, & cum licentia Prælati, aut ejus vicarii generalis, vel parochi, ſi illi abſentes fuerint, & talem facultatem à porocho non obtinuerint, & tunc in abſcondito carnes comedat. Hortamur autem omnes noſtros Coëpiſcopos, curent diligenter medicos admoneri, ut in neceſſitatibus edendi carnes diebus prohibitis explicandis cautiores ſint, ne dum ſaluti corporis, divitum præſertim, nimium indulgent, damnationem ſibi pariant æternam.

Tit. XXIX. De Eccleſiis ædificandis, & domibus earum reparandis.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Eccleſiarum hoſpitia habitationi commorantium inſtauranda & adaptanda.

HOſpitia, dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum, quæ reparatione indigent, faciant Epiſcopi reparari & congruè teneri: & in Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis hoſpitia non reſidentium, reſidentibus commodari.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Hoſpitia & domus Archiepiſcopi, Epiſcoporum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum reparanda eſſe, & dum Beneficiatus eſt in poſſeſſione Epiſcopatus, Beneficii, aut rectoriæ, diligenter videndum eſſe ſtatum præfatarum domorum.

REprehendenda meritò eſt eorum Beneficiatorum avaritia, vel negligentia, qui domos ſuorum Beneficiorum, vel in totum, vel aliqua ex parte dirui permittunt, neque reficiendas curant, in grave prædictorum Beneficiorum damnum. Cui nos occurere cupientes; præcipimus omnibus Beneficiatis, ſive curam animarum habeant, ſive non, ut ſi quas habuerint domos ad eorũ Beneficia pertinentes, eas ſaltem in eo ſtatu conſervent, in quo erant quando Beneficia adierunt. Quòd ſi prędeceſſoris negligentia in deteriorem ſtatum domus redacta fuerit, omnem adhibeat diligentiam ſucceſſor in Beneficia, ut ex prædeceſſoris bonis reficiatur, ſoluturus ex ſuis, ſi negligens fuerit: cujus rei in viſitatione viſitator rationem habeat. Ut verò prædicta meliùs exſecutioni mandari poſſint, teneatur Beneficiatus, cum Beneficii poſſeſſionem acceperit, peritorum judicio, quos ad id Epiſcopus vel capitulum, ubi ad illud ſpectat, deputaverit, adhibitis teſtibus, in Acta publica redigere ſtatum & conditionem domũs, vel domorum, ſi plures fuerint, ad Beneficium

cium pertinentium, qua conſtitutione canonicos, & dignitates obtinentes, & Epiſcopos, ac nos comprehendi volumus.

Tit. XXX. De quæſtoribus.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Quæſtores, vt recipiantur, Epiſcoporum literas, ſine quibus non recipiendi, explicare debere, prædicare non item.

DE quæſtoribus autem Eccleſiarum, hoſpitalium, vel pontium, ſeu aliis duximus ſtatuendum, quòd ſine noſtris, vel Epiſcoporum literis non recipiantur: & tunc ad prædicationem non admittantur; ſed ad expoſitionem ipſorum tantùm, quę in Epiſcoporum literis continentur. Et ſi prędicare præſumpſerint, capiantur.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT II.

Quæſtores excommunicantur, qui ſine literis diœceſani quicquam exigere, vel prædicare aggreſſi fuerint:

QUæſtores Eccleſiarum, hoſpitalium, vel aliorum quomodolibet piorum operum, ſine literis proprii diœceſani, in cujus diœceſi quæſtum faciunt, non recipi, nec ad prædicandum admitti, jam pluries repetita fuit conſtitutione prohibitum; ſed nondum potuit ipſorum audax præſumptio efficaciter coërceri. Propterea dignum arbitrari compellimur, audaciam ipſorum pœnarum adjectionibus refrænare. Si quis igitur ſine literis proprii diœceſani, cujus eſt diœceſis, quæſtum exerceat, aut prędicationis officium, quod nonniſi viros approbatos decet agere, auſus fuerit attentare; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & à Beneficiis Eccleſiaſticis, ſi quæ obtinet, per triennium ſit ſuſpenſus; & per idem tempus ſit inhabilis ad quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum obtinendum: pœnis aliis quibuſcumque & ſtatutis remediis ſemper ſalvis.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in ſexto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Prohibentur Ordinarii concedere licentias quærendi pro piis operibus, calicibus, ornamentis, aut aliis neceſſitatibus Eccleſiarum, aut piorum locorum: niſi conſtiterit de neceſſitate, pro qua talis facultas petendi conceditur, & redditis computis reddituum pii loci, aut Eccleſiæ.

QUoniam indignum eſt in Eccleſia Dei quoſdam ſub pietatis & paupertatis clypeo inebriari, & nimia ſatietate cibos faſtidire, quoſdam verò fame perire, & eleemoſynarum largitionibus non poſſe ſublevari; quod propter multitudinem quæſtorum evenire compertum eſt, dum ſub clypeo paupertatis ſublevandæ annales quærendi licentias à noſtris vicariis obtinuerunt, & ſublevata paupertate, ac neceſſitate ceſſante, nihilominus ſubſequentibus annis ſimiles licentias obtinent, & pecunias, quæ pro neceſſitatibus urgentibus Eccleſiarum & perſonarum eiſdem inſervientium à fidelibus zelo pietatis elargitæ ſunt, epulis, ac lautis conviviis, ac aliis inhoneſtis uſibus, tam quærentium nunciorum, quàm perſonarum, à quibus miſſi ſunt, expendunt, vel de ipſis theſaurizant, & nihil utilitatis piis locis, pro quibus elargitæ ſunt, obvenit; ſed in alios uſus etiam pios convertunt, præter, ſeu contra largientium intentionem: & cæteri miſerabiles prædictis eleemoſynis, quæ eiſdem elargirentur, ſi prædictis quæſtoribus non fuiſſent elargitæ, veriſimiliter defraudantur, & intentio largientium ad effectum non deducitur; matura deliberatione prohibemus licentias quærendi concedi pro piis operibus, calicibus, ornamentis, aut aliis neceſſitatibus Eccleſiarum, cappellarum, aut aliorum piorum locorum, niſi priùs ſummariè conſtiterit noſtris vicariis de neceſſitate, pro qua conceduntur: & quòd neceſſitas tempore conceſſionis duret, & toto anno durare veriſimiliter præſumatur, ſi per conceſſionem licentiæ non ſublevaretur: & quòd ante conceſſionem detur fidele computum de pecuniis ac eleemoſynis quæſtuatis, & habitis anno proximè effluxo; & reliquis datis adminiſtratoribus locorum, & quòd jurent bene & legaliter ſe habere, dolo, & fraude ceſſantibus, quòd eleemoſynas habendas expendent pro dictis neceſſitatibus, & in profanos, aut pios uſus, præter eos, pro quibus habitæ ſunt, non convertent; ſalvâ ſedis Apoſtolicæ licentiâ, aut diœceſani loci; in caſu quo licentiam convertendi in alium pium locum concedere poteſt. Ordinamus inſuper, ut in prædicta conceſſione narrentur nomen & agnomen quæſtoris; & non ſimpliciter dicatur, lator præſentium; &

qua-

qualiter computum veridicum reddidit coram loci diœceſano, ſeu vicario ipſius, & juravit firmiter tam dictus lator de benè & legaliter ſe habendo, & reliqua ſolvendo adminiſtratori loci pii, quàm dictus adminiſtrator de expendendo in neceſſitates, pro quibus conceſſa eſt licentia, prout per certificatorias factas per loci diœceſanum apparuit.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT IV.

Modus præſcribitur, quo eleemoſynæ pro illis domibus, in quibus vera hoſpitalitas exercetur, peti debeant.

ETſi Concilium Tridentinum propter pravos eleemoſynarum quæſtorum abuſus, eorum nomen atque uſus penitùs aboleverit, nec ad officium hujuſmodi exercendum ullo modo admitti eos voluerit; attamen in hac provincia Tarraconenſi propter importunam nonnullorum collectorum ſuggeſtionem, ſub diverſis prætextibus à locorum Ordinariis, ſeu eorum vicariis licentiam ad petendum eleemoſynas pro diverſis Eccleſiis, & eremitis, etiam cum facultate concionandi, nonnumquam contra verba & mentem dicti ſacri Concilii concedi intelleximus. Quocirca huic morbo de ſalutari remedio providere cupientes, verbiſque ſacri Concilii Tridentini inhærere, & abuſum per falſas ſuggeſtiones hujuſmodi licentias obtinendi funditùs & radicitùs tollere deſiderantes; ſacro approbante Concilio ſancimus & ordinamus, quòd poſthac nulli conſimilis licentia petendi eleemoſynas quocumque prætextu concedatur. Nolumus tamen quòd hac conſtitutione comprehendantur domus illæ, vel Eccleſiæ, in quibus hoſpitalitas vera cum pietate & charitate tractatur, & in quibus veriſimile eſt omnes eleemoſynas in uſum hoſpitalitatis converti; quibus licentiâ impartiri poterunt Epiſcopi, vel locorum Ordinarii, ſi ipſis de hoſpitalitate conſtiterit; idque ſine facultate prædicandi, cùm facultas hujuſmodi licentiam concedendi ſit per dictum ſacrum Concilium Tridentinum prohibita, & interdicta, coërcitioque, & animadverſio contra dictum decretum facientium, Epiſcoporum, & locorum Ordinariorum arbitrio relicta. Adjicientes & declarantes, quòd quotieſcumque, ſicut præmittitur, licentia colligendi & petendi eleemoſynas dictis Eccleſiis, ſive hoſpitalibus concedatur; qui mittentur non quæſtorum nomen gerant, ſed collectores eleemoſynarum ſimpliciter vocentur & nominentur; & tales proponantur, de quibus dubitandum non ſit eſſe honeſtæ vitæ, ſpectatæ religionis, nec de rapina ſuſpectos, vel participes ipſarum eleemoſynarum, judicio Ordinariorum approbandos: quique non publicent indulgentias, neque circumferant ſua privilegia, non campanas, aliave ſimilia inſtrumenta, quæ olim erant quæſtorum inſignia, deferant, non reliquias, non imagines, nec id genus alia ad homines excitandos: nec fideles Chriſti minis inducant, vel eiſdem imprecationibus perſuadeant ad eleemoſynas elargiendas: non petant tamquam debitum, aut uſitatum, nec ulla arte, etiã prætextu dicendi quamcumque orationem, aut aliàs, extorqueant pecunias; ſed ſimpliciter, piè, & modeſtè accipiant quod ſibi liberaliter & ſpontè offeretur: nec ſuper his eleemoſynis ullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in utilitatem hoſpitalis: quas omnes qualitates in licentiis, quæ in poſterum concedi contigerit, inſeri, & ab omnibus ſuffraganeis, & Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ vicariis ſupradicta omnia præcisè & inconcuſsè obſervari volumus & mandamus.

Tit. XXXI. De immunitate Eccleſiarum.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Qui per Mauros ab Eccleſia Chriſtianos abſtraxerint, excommunicati denunciandi.

IN figuram Eccleſiaſticæ libertatis Dominus in veteri Teſtamento civitates refugii dignoſcitur ordinâſſe. Et quoniam Eccleſiarum immunitatem quidam auſu temerario infringere non verentur, confugientes ad Eccleſias compedibus, aut vinculis in ipſis Eccleſiis aſtringentes, per ſubtractionem victus illos ad exeundum compellentes, ſeu per Mauros, aut per excommunicatos Chriſtianos ab Eccleſiis extrahentes; præſentis auctoritate Concilii ducimus ſtatuendum, ut omnes, qui talia commiſerint, excommunicati denuncientur, uſque ad ſatisfactionem condignam. Qui verò per Mauros ab Eccleſia Chriſtianos abſtraxerint; & condignè ſatisfaciant, & ſacrilegii pœnam exſolvant: & Mauros illos, per quos Eccleſiæ Dei prædictum dederint dedecus, & injuriam intulerint, Eccleſiæ violatæ ſervituti ſubjiciant, vel ipſi reddant Eccleſiæ pretium eorundem, ſi abſolutionis beneficium voluerint obtinere.

Joan-

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Nulli ab Eccleſia vi abſtrahendi, nec in ea libertate privandi.

LIbertatem Eccleſiaſticam inviolatam eſſe oportere, & in veteri Teſtamento ſub figura civitatum refugii apertum eſt, & ſanctiones Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum decreta apertè teſtantur. At noſtro infelici tempore jam eò res redacta eſt, ut multi diabolica fraude decepti, ita libertatem Eccleſiaſticam invideant, eos, qui ad Eccleſiam refugiunt, aut vi inde extrahentes, aut ibi cibo & potu privantes, vel compedibus vinculiſque alligantes; ut inde magnum lucrum (quod dolendum eſt) reportare videantur. Cui malo de opportuno remedio providere cupientes; conſtitutionem Cardinalis Sabinenſis, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legati: *In figuram*, renovantes, ſacri approbatione Concilii ſancimus & ordinamus, ut quicumque eos qui ad Eccleſiam confugerint, ſine auctoritate Ordinarii vi abſtraxerint, aut in ea compedibus & vinculis conſtrinxerint, alimenta ſubtraxerint, aliave commiſerint, quibus libertatem ad Eccleſiam confugientibus abſtulerint, ſint ipſo facto excommunicati; & tales quidem denuncientur, quouſque injuriæ Eccleſiæ factæ ſatisfecerint, & talia dederint pœnitentiæ ſigna, ut veniam mereantur obtinere.

CAPUT III.

In caſibus hîc expreſſis delinquentibus immunitatem Eccleſiaſticam non ſuffragari; in quibus etiam licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, ad extrahendum illos ab Eccleſia requiratur.

GREGORIUS PAPA XIV.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorũ Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cùm aliàs nonnulli prædeceſſores noſtri, & præſertim felicis recordationis Xyſtus Papa V. necnon Pius etiam V. ſancto zelo ducti, diverſas facultates & indulta extrahendi, etiam in caſibus quibuſdam à Jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos & delinquentes compluribus ſæcularibus Principibus, eorumque curiis, & magiſtratibus ſub variis modis & formis conceſſerint, prout in illis pleniùs continetur. Experientia poſtmodùm docuit, tum ob diverſitatem & differentiam hujuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum miniſtri, ex hoc ipſo illa diverſimodè, etiam latiùs quàm par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperunt, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem & confuſionem: alibi verò ne ipſos quidem laïcos indultis hujuſmodi uti voluiſſe aut potuiſſe, quòd populis inveteratâ erga Eccleſias reverentiâ devotis & aſſuetis, ſcandali potiùs quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumerò ſecutum eſt, ut infimæ interdum conditionis laïci non modò Juris, ſed etiam literarum penitùs ignari & imperiti, dum quaſi poteſtates, aut miniſtri curiæ ſæcularis in aliquo caſtro, aut oppidulo juriſdictionem exercebant, facultatum & indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorſerint, & illorum prætextu, quicquid ſibi in mentem venit attentare præſumpſerint; in grave juriſdictionis & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium, locorum, & perſonarum divino cultui dicatarum contemptum, ipſius divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis officii munere, prædicti abſurdis & ſcandalis obviare, ac differentias hujuſmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem dilucida declaratione ſubmovere, abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica jura planè conculcentur & negligantur; opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Xyſtus prædeceſſor noſter iiſdem de cauſſis motus ſtatuere decreverat, licèt morte præventus hoc adimplere nequiverit: ita tamen, ut quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit perverſorum hominum malitia id expoſcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda illorum facinora, ultra id, quod priſca illa majorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum Canonum norma præſcripſerat in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita permittamus. Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnia & quæcumque privilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Xyſtum, ac Pium V. quàm alios quoſcumque noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos, ſedemque Apoſtolicam, ejuſve Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, monaſteriis, ſacellis, domibus regularibus, & ſæcularibus, lociſve ſacris, aut religioſis, aliaſque in caſibus à Jure permiſſis hominibus certorum tunc expreſſorum vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis, decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bona pace, & quiete publica, & ex cauſſis urgentiſſimis, ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in Jure expreſſis, atque ex paritate, identitate aut majoritate rationis extenſis, perpetuò, vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicujus Principis, aut beneplacitum, ſeu alias quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata & innovata, ac uſu recepta, literaſque Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma Brevis, ſeu aliàs quomodocumque

que deſuper confectas, quarum tenores hîc haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitùs omni differentia, ita ad unam tantùm formam reducimus & moderamur, ut laïcis ad Eccleſias, locaque ſacra & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve cemeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſini, vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum & monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus & præcipimus, ut laïcos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, monaſteria, domos, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu religioſa reſpectivè confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod, judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, miniſtris & officialibus curiæ ſæcularis abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu, tradi & conſignari curent & faciant. Ne autem curia ſæcularis prædicta miniſtri facultate illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi & abducendi ſibi olim, ut præfertur, attributa, & per præſentes revocata, abutantur; volumus, dictaque auctoritate decernimus & declaramus, ut curia ſæcularis, ejuſque judices, & officiales, ab Eccleſiis, monaſteriis, lociſque ſacris prædictis laïcum aliquem, ut prafertur, delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis, ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſtitę, ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos, & non alios Epiſcopis inferiores, etiamſi aliàs Ordinarii ſint, aut nullius diœceſis, aut conſervatores, ab hac ſede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat; occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ſuperiùs expenſis culpabiles tradere, aut capturę & carcerationi intervenire & aſſiſtere recuſaverint; tuncque reverentię Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit cum ſcandalo & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laïci prędicti, poſtquam, ut præfertur, ab Eccleſiis lociſve ſacris extracti & capti fuerint, ad carceres curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto & firmo carcere ac opportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit, per curiam ſæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque ſæculari prædictæ conſignari nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per judicem Eccleſiaſticum curiæ ſæculari, quacumque appellatione poſtpoſita, conſignentur. De crimine verò hæreſis, cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea curia ſæcularis ſe quoquomodo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas perſonas, ſæculares, aut cujuſvis Ordinis, vel militiæ, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani regulares, quoquo modo, etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut conceſſionum, quæ omnia ad terminos Juris per præſentes reducimus, procedant, aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis, monaſteriiis, domibus, lociſque ſacris, aut religioſis, etiam in caſibus in hac conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs quam de jure, & per privilegia eiſdem ordinibus aut militiis conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant. Quòd ſi quis, quacumque dignitate & auctoritate præditus, præmiſſorum, aut alio quovis prætextu, quicquam præter auc contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit; declaramus cum ipſo facto, cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Eccleſiaſticę violatores per ſacros Canones, & Conciliorum Generalium, noſtrorumque, prædeceſſorumque conſtitutiones ſunt promulgatæ. Sicque per quoſcumque judices, ordinarios & delegatos, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſſa & inſtantia, judicari & definiri debere: necnon irritum decernimus & inane ſi ſecus ſuper his, per quoſcumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, tam Xyſti, & Pii V. quàm aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum literis Apoſtolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibuſvis perſonis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebus-publicis, dominiis, regnis, provinciis, civitatibus, terris, & locis, eorumve curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Loca-tenentibus, Vicariis, Poteſtatibus, aliiſque magiſtratibus, officialibus, miniſtris, aut conſiliariis, ex prędictis, vel aliis etiam gravioribus & urgentioribus cauſſis; tam illorum intuitu & contemplatione, ſive ad eorum preces & inſtantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & fratrum noſtrorum conſilio, ſub quibuſcumque

tenoribus & formis, & cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque validiſſimis, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus; & aliis decretis, etiamſi inibi caveatur expreſsè, quòd illis, niſi ſub certis modis & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu ad quorum favorem conceſſę fuerint, derogari poſſint: & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpiùs approbatis & innovatis. Quæ omnia & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut plures, quàm ſuperiùs expreſſos caſus contineant, auctoritate & tenore præmiſſis omnino, ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præſentis conſtitutionis, quoad ſuperiùs deſcripta dumtaxat, reducimus: & nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præſentes literę ad omnium notitiam faciliùs deducantur; mandamus illas in valvis S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Baſilicarum de Urbe, necnon Cancellarię Apoſtolicę, de more affigi & publicari; earum exemplis inibi affixis & dimiſſis. Ac poſt publicationem hujuſmodi volumus & decernimus, ut omnes & ſingulos quos concernunt & concernent in futurum, perinde arctent & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatę fuiſſent. Earundem verò præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, notarii publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in judicio & extra illud ubique gentium & locorum haberi volumus, quę eiſdem originalibus literis haberetur, ſi eſſent exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę moderationis, prącepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę in monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicę MDXCI. 9. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno primo.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Qui inflammaverint Principes, vel ſæculares poteſtates, conſilium, vel patrocinium, inſtrumenta, vel alia documenta dederint contra Eccleſias, excommunicantur, & Beneficiis privantur.

QUorundam oculos ita excæcat ambitio, ut temporalibus commodis inhiantes, plus temporali majeſtati, quàm æternæ ſaluti placere ſtudentes, libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam, quam ipſi tenentur defendere, lædere ac minuere moliantur, inflammando principes & poteſtates ſæculares, ac univerſitates locorum, ſeu rectores eorum, eiſdemque impendendo conſilium & patrocinium: necnon Eccleſiarum, à quibus Beneficia recipiunt, exhibendo & tradendo inſtrumenta & alia documenta contra ipſas, & perſonas Eccleſiaſticas, ac ipſarum homines, & bona, ac privilegia, & etiam libertates: & iccircò cupientes, ut Eccleſiæ in plenitudine juris ſui & libertatis integritate lætentur, ac deteſtabilis malignorum audacia, & inſolentium temeritas nefaria propulſetur; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut quicumque Prælati Eccleſiaſtici, vel perſonæ religioſæ, vel ſæculares quorumcumque ordinum, conditionis, ſeu ſtatus exiſtant, palam vel occultè, principes vel ſæculares poteſtates, vel univerſitates locorum, aut rectores eorum inflammaverint, vel eis conſilium, vel patrocinium ſcienter dederint, vel Eccleſiarum, in quibus Beneficia obtinent, abſque expreſſo conſenſu ſui Prælati & Capituli, vel Conventûs exhibuerint, vel aliàs tradiderint inſtrumenta, vel alia documenta contra ipſas Eccleſias, monaſteria, vel loca religioſa, aut jura, vel bona, aut privilegia, immunitates eorum, vel libertates; in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto: & nihilominus Beneficiis, quæ habuerint in Eccleſiis, vel locis, quæ ſic ſcienter vel fraudulenter læſerint, perpetuò ſint privati.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Domini temporales, qui ulla ratione prohibuerint, quominus fructus, qui Eccleſiaſticis debentur, liberè educantur è ſua ditione, excommunicantur.

LIcèt iniquum ſit, diſpoſitionem bonorum ſuorum liberam ingenuos homines non habere, ut teſtantur expreſsè legitimæ ſanctiones; quorundam tamen temporale dominium obtinentium præſumptuoſa temeritas ſic excrevit, quòd fructus, qui ex Beneficiis Eccleſiaſticis proveniunt, ſeu habentur, de locis ſuo dominio ſeu juriſdictioni ſubjectis extrahi non permittunt: nec clerici, ſeu perſonæ Eccleſiaſticę eiſdem fructibus liberè uti poſſunt: nec pro eorum utilitatibus, ſeu neceſſitatibus liberam alienationem facere de eiſdem; immo ipſos quandoque in certis locis, & certo pretio prædicti, ſeu qui ex cauſſa emptionis, ſeu aliàs ipſos fructus percipiunt, nomine eorundem habent inviti vendere, nec eoſdem poſſunt de loco ad locum transferre liberè; quod cedit in ipſorum clericorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, & Eccleſiarum etiam maximum detrimentum. Nonnulli etiam eorundem retrodecimam, ſeu aliam certam partem de fructibus quos homines Eccleſiarum, & locorum Eccleſiaſticorum colligunt, cum maximis laboribus & expenſis, ab ipſis hominibus invitis indebitè exigunt & extorquent, in ſuarum grave periculum animarum. Unde cùm noſtro incumbat officio, prædicta, quæ exemplo pernicioſa ſunt ac periculoſa, etiam animabus, & contraria libertati Eccleſiaſticæ, de Tarraconenſi provincia penitùs exſtirpare; ſacro approbante Concilio ea fieri de cætero prohibemus: quoſcumque, qui aliquid fecerint de præmiſſis, etiam ſi clerici fuerint, ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ exiſtant, & dantes ad ea conſilium, auxilium, vel favorem, excommunicationis ſententiâ innodamus. Ordinariis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, ut cùm eis conſtiterit aliquos in excommunicationis ſententiam incidiſſe, eoſdem excommunicatos faciant publicè nunciari: nec eiſdem abſolutionis beneficium impendant donec à prædictis deſtiterint, & de damnis per eoſdem prædictorum occaſione illatis ſatisfecerint competenter, præcipientes etiam, quòd hoc ſtatutum faciant in Eccleſiis ſuarum diœceſium in quibus eis utile videbitur ſolenniter publicari.

Idem in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

Domini temporales, qui prohibuerint, quominus Eccleſiaſticis, domus, horrea, ac vaſa locentur, ut ipſi minimo ab Eccleſiaſticis poſſint fructus emere, excommunicantur.

IN nonnullis partibus provinciæ Tarraconenſis locorum domini Eccleſiaſticis utilitatibus invidentes, non permittunt quòd perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ inibi decimas percipiunt, emant, ſeu alio titulo acquirant, & habeant domos, ſeu horrea, vel cellaria, in quibus decimales redditus congregentur, aut etiam conſerventur. Prohibent etiam ſubditis ſuis, & diverſis modis eos retrahunt, ne dictis perſonis Eccleſiaſticis, aut ementibus ab eiſdem domos, horrea, aut vaſa ad hæc locent, commodent, vel concedant. Quod quidem facere moliuntur, ut perſonæ prædictæ dictos redditus eiſdem dominis vendere minimo compellantur. Nos igitur indemnitati Eccleſiarum providere volentes, & abuſum hujuſmodi in divinæ legis offenſam præſumptum penitùs de ipſa provincia exſtirpare; ſacro approbante Concilio, locorum Ordinariis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſi locorum domini & rectores, poſtquam pro parte perſonarum Eccleſiaſticarum inde requiſiti fuerint, in prædictis deliquerint, in aliquo prædictorum, ſententiam excommunicationis, quam obſequia hujuſmodi ſubtrahentes incurrere dignoſcantur, contra ipſos dominos, vel rectores ſtudeant publicare, ac eorum exigente contumacia, cenſuram Eccleſiaſticam aggravare.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VII.

Declaratur, præcedentem conſtitutionem ad bajulos, officiales, vaſſallos etiam porrigi.

DUdum in conſtitutione Provinciali edita per bonæ memoriæ dominum Patriarcham Alexandrinum, & adminiſtratorem Eccleſiæ Tarraconenſis, quæ incipit: *In nonnullis partibis provinciæ Tarraconenſis*, fuit ſalubriter ſtatutum, quòd ſi domini temporales & rectores aliquorum locorum prohiberent perſonis Eccleſiaſticis, quo minus emerent domos, horrea, aut vaſa conducant pro redditibus Eccleſiaſticis conſervandis in locis ſuis, ſententiam excommunicationis incurrerent: & vaſalli, ſeu homines dictorum dominorum prædi-

dicta etiam prohibeant interdum de facto perſonis Eccleſiaſticis memoratis; quod cedit in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis: iccircò prædictam conſtitutionem: *In nonnullis*, & pœnã in eadem contentam ad bajulos & officiales & vaſallos, & homines prædictorum dominorum, & alios quoſcumque impedientes prædicta fieri, ſacro approbante Concilio, duximus extendendam.

Idem in tertio Concilio Tarraconæ celebrato.

CAPUT VIII.

Excommunicantur quicumque compellunt Eccleſiaſticos tributa ſolvere, etiamſi illa debeant, cùm per Eccleſiaſticum judicem debeant compelli.

ITem cùm nonnulli domini temporales, & univerſitates civitatum, villarum, caſtrorum, & locorum, & judices, & aliæ perſonæ ſæculares compellant clericos per emparam, & pignorationes, & venditiones cenſualium, bonorum, & jurium Beneficiorum, & aliorum bonorum ſuorum, & aliàs, ad contribuendum & ſolvendum in peytis, quæſtiis, talliis, & aliis exactionibus impoſitis, ſeu indictis per eoſdem; & in caſu, quo in illis, vel aliquibus eorum ſolvere & contribuere teneantur, non tamen ſint de jure per eos compellendi, ſed per eorum judicem Eccleſiaſticum competentem; ideo, ſacro Concilio approbante, ſtatuimus, quòd ſi prædicti domini, & alii ſuperiùs nominati compulerint, ſeu coëgerint, directè vel indirectè, clericos Beneficiatos, vel in ſacris ordinibus conſtitutos, aut quoſcumque religioſos, ad contribuendum & ſolvendum in peytis, quæſtiis, talliis, aut aliis exactionibus ſupradictis, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Si autem dictæ univerſitates dictam compulſionem fecerint, eo ipſo ſubjaceant interdicto Eccleſiaſtico: à qua excommunicationis ſententia non abſolvantur, nec dictum interdictum relaxetur, donec dictam compulſionem amoverint, & de damnis ſatisfecerint plenariè, & expenſis.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT IX.

Qui quovis prætextu aut colore Eccleſiaſticos pertrahunt in judicium ſæculare, excommunicantur.

LIcèt contra eos, qui clericos, vel Eccleſiaſticas perſonas in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis trahere nituntur ad judicium ſæculare, manifeſta ſint ſacrorum Canonum ſtatuta; quorundam tamen aſtuta fraudulentia ſub miſerabilitatis, aut oppreſſionis colore ad vetitia peragendum judicia, excogitatas nituntur ſemitas invenire. Talium ergo abuſibus pro libertate ac immunitate Eccleſiaſticæ conſervationis per ſtatuta jam Juris remedia diſtrictè præcipimus obviari: univerſis Eccleſiarum Prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, quatenus ſtatutum felicis memoriæ Bonifacii VIII. incipiens: *Quoniam intelleximus*, in ſuis Synodis, & in ſuarum diœceſium Eccleſiis faciant publicari: & contra ipſum venientes excommunicatos declarent, & faciant publicè nunciari, ſacris Canonibus, ſtatutis provincialibus ac ſynodalibus ſalvis remanentibus, & illæſis.

Idem in eodem.

Quicumque Eccleſiaſticus dominum ſæcularem contra Eccleſiaſticum, Eccleſiamve inſtigaverit, & adjuverit, excommunicatur, & ad triennium fructibus Beneficii ſuſpenditur.

AVaritiæ facibus ſuccenſi quorundam animi adeò inardeſcunt, ut propriæ ſalutis obliti, omni divinæ majeſtatis ſpreto timore, adversùs Eccleſiaſticam libertatem, Eccleſiaſticaſque perſonas, temporalium dominorum, conſiliariorum, ac officialium eorundem, univerſitatumve regimini præſidium inflammare animos & accendere moliantur. Ut igitur tam deteſtabilis malignorum audacia compeſcatur, præſentis noſtræ conſtitutionis tenore ſancimus, ut quæcumque perſona religioſa, ſive Eccleſiaſtica, cujuſvis gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat, palam vel occultè principem, dominum temporalem, officialem: ſæcularem judicem, vel univerſitatis rectorem, aut ipſam univerſitatem contra jura Eccleſiæ, vel ipſius Eccleſiaſticam libertatem inflammaverit vel conſilium, aut patrocinium dederit, vel Eccleſiaſtica inſtrumenta in præjudicium Eccleſiæ ſcienter occultaverit, vel contra ipſam Eccleſiam doloſè ſeu voluntariè exhibuerit, excommunicationis ſententiâ, abſque ſpe veniæ, innodetur: & Beneficiorum ſuorum fructibus, ſi Beneficiatus fuerit, per triennium ſit ſuſpenſus. Si verò non fuerit Beneficiatus, per idem tempus ſit inhabilis ad quodcumque Eccleſiaſticum Beneficium obtinendum. Univerſis Prælatis ſub obteſtatione divini judicii præcipimus & mandamus, ut à prædictis ſe abſtineant: aliis pœnis à Jure communi, conſtitutionibus provincialibus, & ſynodalibus conſtitutis in ſuo robore duraturis.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT XI.

Deambulationes per Eccleſiam, quibus divinum officium impeditur, ſpectacula fabularum, cantus vulgares, ludicra, quibus riſus excitari ſolent, vani puerorum ludi, compotationes, prandia in Eccleſia prohibentur: & extra illam perſonati & larvati, qui eremitas, monachos, Epiſcopos, aut Cardinales imitantur.

CUM ſcriptum ſit: *Domus mea domus orationis vocabitur*, & deceat domum Dei ſanctitudo; ſacri approbatione Concilii ſtatuimus, ne quis audeat in Eccleſia dum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium aut publicè aut privatim celebratur, aut dum divina quæcumque officia peraguntur, aut ſacra Euchariſtia, vel baptiſma, vel alia ſacramenta adminiſtrantur, aut verbum Dei prędicatur, deambulationes vagas, aut confabulationes otioſas, per quas divinum officium, aut aliud ex ſupradictis impediatur; aut ſæcularium, vel Eccleſiaſticorum negotiorum jurgiis obſtrepere. Qui verò à quocumque clerico moniti non deſtiterint, tamquam inobediente per Eccleſiaſticam cenſuram coërceantur. Eâdem quoque ratione omne genus ſpectaculorum & fabularum, necnon vulgarium verborum cantus, exceptis cantibus approbatis ab Ordinariis, ac recitationes, atque alias quaſcumque ſimiles actiones, vel, ut vocant, repræſentationes, in Eccleſia fieri prohibemus; neve inter divina profana, etiamſi ad pietatem dicantur conducere, miſceantur. Ludicra quoque quæcumque ex quibus riſus excitari ſolent, tam in Eccleſiis, quàm in proceſſionibus, necnon ignitorum tormentorum ſtrepitus, aut, ut vocant, radios, aut jaculationes, atque etiam laſcivas aut turpes ſaltationes, aut choreas ad cantus tibiarum, aut tympanorum, vel cymbalorum, ne in atriis quidem Eccleſiarum, aut cœmeteriis, aliiſve locis ſacris, aut religioſis fieri permittimus. Vanos quoque puerorum, vel adoleſcentium ludos, dum aut Epiſcopum fingunt, aut Regem, aut alium magiſtratum Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, coërcendos eſſe cenſemus. Multoque magis, quod in multis Eccleſiis adversùs Apoſtolica præcepta fieri accepimus, ut non ſolùm à ſæcularibus perſonis, ſed etiam ab ipſis presbyteris compotationes in Eccleſiis, aut in continentibus locis ſacris fiant. Ea igitur omnia, ſacro approbante Concilio, ſub excommunicationis pœna, monitione præcedente, infligenda; tam in noſtra Metropolitana, quàm in cæteris Cathedralibus, necnon in collegiatis, ac parochialibus Eccleſiis, & aliis quibuſcumque, tam ſæcularibus quàm regularibus, fieri prohibemus. Eoſque ſumptus, qui vel in fine Adventûs Domini, vel in ipſis diebus feſtis Natalis Domini, & aliorum Sanctorum, aut feriâ quintâ in cœnâ Domini, & ut vocant, tempore mandati, aut in Paſchate Reſurrectionis Dominicæ, aut alio quocumque tempore in has compotationes, vel jam dicta ludrica ſpectacula, aut ſimilia ſupradictis conſumuntur, in Eccleſiis Cathedralibus ab Epiſcopis, cum conſenſu Capituli, in aliis in alia pia opera ab Ordinariis convertantur. Similiter prandia quæcumque & compotationes Confraternitatum prohibemus; nec ſumptus in his conſumpti in rationes referri poſſint, ſed de ſuo ipſi adminiſtratores feciſſe cenſeantur: nec non exactiones, ſive conſuetudines prandiorum, ſeu compotationum, quas à clericis invitis laïci exigunt, quacumque occaſione, vetamus. Atque etiam, quæ in primo ſacerdotis cujuslibet ſacrificio, quas *novas Miſſas* vocant, ebrietates, vel ludicra in Eccleſia agunt; ſaltationes quoque, & alia quæcumque levitatis & vanitatis ſigna, longè ab ipſa Eccleſia, vel aliis locis ſacris exulare præcipimus: contrarium verò agentes condignis pœnis à Superioribus coërcebuntur. Nec minus illam deteſtamur multarum ſæcularium perſonarum intemperantiam, quæ eleemoſynas petentes cymbalorum, aut tympanorum ſtrepitu choreas virorum atque mulierum per totam urbem ducunt, ita ut plerumque eveniat major peccatorum occaſio, quàm charitatis Chriſtianæ. Perſonatos quoque vel larvatos quoſcumque, aut baſilicas Dei ingredi, aut monaſteria quæcumque, tam virorum quàm mulierum, ſub anathematis pœna inhibemus; nec non eis, qui quoſcumque clericos, vel monachos, aut ſanctimoniales, aut etiam eremitas imitantur; multoque magis ſi Epiſcopos, aut Cardinales, vel ſi ſacris, aut Eccleſiaſticis quibuſcũque veſtibus, vel ornamentis, aut vaſis abutantur; ſimilique ſententiæ ſubjaceat clericus, aut alius earum veſtium vel vaſorum cuſtos, vel dominus, qui ea ad eum uſum accommodaverit, & graviter à Superiore coërceatur. Clericos quoque in ſacris conſtitutos, aut Beneficiatos ſæculares, aut quoſcumque regulares, qui deprehenſi fuerint perſonati, carceri triduo includi, ibidemque in pane & aqua jejunare præcipimus, aut alia ſimili, vel majori pœna, juxta delicti, & perſonæ qualitatem, coërceri. Hæc, quæ nos ſacri approbatione Concilii ſtatuimus, quamprimùm, tam in noſtra Metropolitana, quàm in cæteris Cathedralibus Eccleſiis obſervari & publicari præcipimus, ut ad omnium notitiam perducantur.

Tit. XXXII. Ne clerici, vel monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Clerici prohibentur ſententiam ſanguinis vel dictare, vel proferre, vel exſecutioni intereſſe: qui contrà fecerint, ſi fuerint Beneficiati, tamdiu Beneficiis ſuſpenduntur, quamdiu in contumacia permanſerint: qui non fuerint, Eccleſiæ ingreſſu interdicuntur. Et eſt pars cap. incip. A crapula.

SEntentiam ſanguinis nullus clericus dictet aut proferat; nec literas dictet vel ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas; nec vindictam ſanguinis exerceat, vel ubi exerceatur interſit, & infrà. Si quis autem contra hanc conſtitutionem venire præſumpſerit, ſi Beneficiatus ſit, ſuſpendatur ab omnibus Beneficiis: & cùm ad emendationem venerit, tanto tempore poſtmodùm eorum perceptio ne Beneficiorum careat, quanto in ſua contumacia permanere præſumpſerit. Si verò Beneficiatus non fuerit, ab introitu Eccleſiæ ſuſpendatur.

Petrus Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Eccleſiaſtici, qui curam habent animarum, dignitatemve aliquam, à laïcis officiis arcentur. monenturq; perpetuò ſuis Beneficiis aſſidere.

STatuimus etiam & mandamus, quòd clerici curam animarum habentes, & qui ſunt in perſonatibus vel dignitatibus conſtituti, publica officia ſæcularia non aſſumant; nec vicarias, nec bajulias teneant laïcorum; ſed in ſuis Eccleſiis perſonalem & continuam faciant reſidentiam, ſicut decet.

Petrus ſecundus Archiepiſcopus; in Concilio tertio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Eccleſiaſtici vetantur plus vini vel tritici emere, quàm ut ex ſuſtentatione familiæ de rem onera vel vini, vel tritici ſuperſint. Si ſuperfuerint, partim Ordinario, partim Eccleſiarum fabricæ applicantur.

AVaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas ita animos quorundam excæcat, ut quæ ſibi ſunt prohibita, aliis exquiſitis coloribus uſurpent. Hinc eſt, quòd nonnulli clerici Beneficiati, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, ſub colore faciendi ſibi & ſuæ familiæ proviſionem, granum, & vindemiam, vel vinum in tantam quantitatem emunt, ut retenta proviſione, de hoc, quod ſupereſt, mercimonium publicè faciant, ac ſi eſſent laïci publici mercatores. Nos attendentes, quòd ſecundùm eloquium ſacræ Scripturæ, clericos negotiatores ut peſtẽ fugere debemus, eodem approbante Concilio ſtatuimus, ut ne quis Beneficiatus, ſeu in ſacris ordinibus conſtitutus, ſit auſus emere bladum, vindemiam, vel vinum, cùm in his magis, quàm in aliis communiter inducatur charitas, niſi ad ſuam, & ſuæ propriæ familiæ dumtaxat proviſionem. At ſi fortè deducta præfata proviſione aliquid ſibi ſuperfuerit, & ad decem ſaumatas bladi, & ad decem ſaumatas vini non aſcenderit, licentiam vendendi concedimus & facultatem: cùm ita limitate proviſio fieri non poſſit. Aliàs de his, quę plus præfati clerici emerint ſcienter in fraudem, ut veriſimile ſit quòd cauſsâ negotiationis emerint, Epiſcopis, ſub quorum juriſdictione fuerint dicti clerici, & aliis Prælatis juriſdictionem habentibus medietas acquiratur: alia verò medietas fabricæ, vel in ornamenta Eccleſiæ, ubi domiciliati fuerint, ipſo jure applicetur. Hanc autem conſtitutionem ad illos, qui ratione conventus, collegii, vel alterius adminiſtrationis habent facere proviſiones, vel ad illos, qui redditus, aut proventus Eccleſiarum, ſeu locorum clericorum emerint, quoad ipſos redditus & proviſiones prædictas extendi nolumus ullo modo.

Petrus de Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT IV.

Clerici, ſi mercaturam exercuerint, mercibus multantur Ordinario applicandis.

CLerici in ſacris ordinibus conſtituti, & religioſi mercaturam exercentes, vel illicitè pecunias mutuantes, præterquam in caſibus à Jure permiſſis, mercimoniam,

niam, & negotiation em, ac pecunias ſic mutuatas amittant, & eorum Ordinariis applicentur.

CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM LIBER QUARTUS

Tit. I. De ſponſalibus & matrimoniis.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Curandum Epiſcopis, ut per peritos ſacrorum Canonum matrimoniales cauſſæ, & in civitatibus inſignibus, audiantur.

UT animarum periculum evitetur, ſtatuendo præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ univerſis Epiſcopis noſtræ provinciæ, ne cauſſas matrimoniales ad eorum forum ſpectantes, ſub generali vel ſpeciali commiſſione audiri vel decidi permittant; niſi per illos, qui ſtatuta Canonum non ignorant, & peritiam habent judicandi; & in civitatibus vel locis inſignibus ubi haberi poſſit copia peritorum: aliàs proceſſus ſit irritus & inanis. Per hoc tamen receptionem teſtium extra dicta loca, ubi oportuerit, non intendimus prohibere.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Quomodo puniendi ſint, qui ante matrimonium contractum per verba de præſenti ad ſponſas acceſſerint: & monendos eſſe contrahentes, ac parentes eorum ne cohabitent, aut cohabitare eos ſinant.

MAtrimonium verè & propriè unum ex ſeptem legis Euangelicæ ſacramentum, à Chriſto Domino ad ſanctificandos conjuges inſtitutum; cùm non antea contrahatur, quàm præcedentibus monitionibus, & præſente parocho mutuus contrahentium conſenſus per verba de præſenti fuerit expreſſus; ſummopere curandum eſt, ut piè, ſanctè, & quâ decet reverentiâ, contrahentes ipſi ad ſuſcipiendum hoc ſanctum ſacramentum accedant, ut gratiam, quam confert, ad naturalem amorem perficiendum, & indiſſolubilem unitatem confirmandam, conſequantur. At verò cùm in hac provincia plerique, ut experientia docet, nondum ita contracto matrimonio, ſed ſtatim atque ſponſalia per verba de futuro præmiſſa, cui ut capitula, ut vocant matrimonialia jurata, & firmata ab utraque parte ſunt, in animarum ſuarum perniciem, & tanti ſacramenti injuriam, ac ſi interim impedimentum aliquod fuerit repertum, in magnum nominis ipſorum dedecus & ſcandalum ad hujuſmodi ſponſas petulanter accedere, cum illis turpiter ludere, & habitare procaciter non verentur. Quamobrem his incommodis opportunè occurrere cupientes; hac noſtra conſtitutione perpetuò duratura, approbante ſancta Synodo, hujuſmodi ſponſis diſtrictè præcipimus, ne antequam matrimonium per verba de præſenti ſit contractum, ad ſponſas accedant, aut cum illis cohabitent, vel commercium aliquod habere præſumant. Quòd ſi ſecus fecerint, præter labem peccati, in quam incurrunt, certa pecuniæ quantitate, pro perſonarum qualitate, arbitrio Ordinari piis locis applicanda, irremiſſibiliter multabuntur. Parochis autem, & curatis omnibus in virtute ſanctę obedientiæ mandamus, ne priùs contrahentium nomina in Eccleſia publicè denuncient, quàm eos diligenter admonuerint, ut peccata confiteantur, & ea accuratè ſervent, quæ hac conſtitutione præcipimus. Si verò intellexerint illos contrà, quàm præcipimus feciſſe, ad Ordinarios, vel eorum vicarios rem totam deferant, & interim ad celebrationem matrimonii non procedant. Epiſcopos denique in Domino hortamur, ut quique in ſuis diœceſibus, per ſe vel concionatores, gravibus & apertis verbis Chriſti fideles moneant, ut magnum hoc ſacramentum quâ decet reverentiâ ſuſcipiant, & ſanctè tractent; & quę hac conſtitutione ſancta fient, apertè exponant, ac ſeverè denuncient: quòd ſi contrafecerint, pœnis in ea contentis omnino ſubjacebunt. Præterea conjuges hortamur, ut ante benedictionem nuptialem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent.

Tit. II. De conſanguinitate & affinitate.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Qui in gradu prohibito contrahunt matrimonium, excommunicantur & ſeparantur.

DIſtrictè præcipimus, per omnes Eccleſias in præcipuis ſolennitatibus excommunicatos publicè denunciari omnes illos, qui in gradu prohibito matrimonia con-

contrahere præſumpſerint. Illi autem, qui in gradu prohibito non matrimonia, ſed contubernia contraxerint, niſi infra annum diſpenſationem obtinuerint, ex tunc excommunicationis ſententiâ ſe noverint innodatos. Interim autem è carnali copula eiſdem præcipimus abſtinere: & donec de legitimitate perſonarum Eccleſiæ conſtiterit, adinvicem ſeparentur.

CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM LIBER QUINTUS

Tit. I. De accuſationibus.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Capitula, quæ à procuratore fiſcali contra clericum proponuntur, non admittenda, niſi juraverit, ſe credere vera eſſe.

CUM nonnulli procuratores fiſcales ſuo officio potiùs ad calumniam clericorum, quàm ut corrigantur clericorum facinora abutentes, capitula contra clericos offerant, quæ probari non poſſunt, ſuper quibus ſe clerici defendentes pluries moleſtantur; jubemus, talia capitula contra clericos per officiales Eccleſiaſticos noſtræ provinciæ nullatenus admitti; niſi in principio ſui officii juraverit offerens procurator, capitula quæ producet, ſe credere vera eſſe, & ea poſſe probare.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT II.

Monentur Prælati, in caſtigandis ſubditorum flagitiis, evigilare: alioqui futurum, ut à ſede Apoſtolica puniantur.

QUoniam ſi gubernaculum diſciplinæ contemnitur, inſtat ut religio naufragetur, & non in modicum religionis ſcandalum effrænata irreligioſitas evehatur, ſi delinquentium inſolentia debitæ correctionis verbere non fuerit caſtigata; religionum ordinum gubernationi vel regimini præſidentes ſub obteſtatione divini judicii commonemus, ut circa ſuorum corrigendos exceſſus tantò magis vigilanter attendant, & conſtanter aſſurgant; quantò eorum infamia, quorum per ſtatus ſublimitatem, & regularis vitæ, ac ſanctimoniæ puritatem mores & vita eſſe debent cæteris in ſpeculum & exemplum, per actus contrarios cedit in grave ſcandalum aliorum. Quòd ſi talium delinquentium notorios exceſſus Prælati eorum debita caſtigatione punire neglexerint, ultra divinam vindictam, à ſede Apoſtolica abſque ſpe veniæ ſperent duriſſimam ultionem.

Tit. II. De ſimonia: & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur vel promittatur.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Clerici officiis ſuis ſuſpenduntur, qui pro conceſſione ſpiritualium quippiam pecuniæ exegerint: laïci quoque jubentur hoc ſtatutum obſervare.

SIcut eſt in Generali ſtatutum Concilio, præcipimus, ne pro conſecratione Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, vel eorum inſtallationibus, ſive pro ordinationibus, clericorum quiſquam, quocumque prætextu, ſive ſcripturæ, ſive rei alterius aliquid exigere vel extorquere præſumat. Clerici quoque pro exequiis triennalibus, vel annualibus mortuorum, benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam non exigant vel extorqueant: nec dilationes, aut impedimenta fraudulenter opponant; ſed ſicut ſtatutum eſt in Concilio, liberè conferant Eccleſiaſtica ſacramenta: alioquin ab officio ſuſpendantur. Laïci quoque per Epiſcopum loci compellantur obtentam in talibus piam & laudabilem conſuetudinem obſervare.

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Sacramenta adminiſtranda eſſe gratis, nec pro eorum adminiſtratione quicquam verbis vel ſignis, directè vel indirectè petendum.

CUM ſacramenta Eccleſiæ non ſolùm ſine ſimoniæ labe, verùm etiam ſine ſuſpicione prębenda ſint; caveant omnes, ne in eorum adminiſtratione quicquam exigant, aut etiam verbis vel ſignis, directè

vel

vel indirectè petant. Qui ſecus fecerint, & pœnis Jure communi ſtatutis, & aliis arbitrio Epiſcopi plectantur; ſublata etiam pro jure ſepulturæ ea exactione, quæ ratione pacti vel ſtatuti, aut aſſertæ conſuetudinis cujuſcumque Eccleſiæ, ſimoniæ labem ſapiat. Quod eorundem Epiſcoporum conſcientiæ & arbitio; ut animarum ſaluti expedire intellexerint, emendandum relinquimus.

Tit. III. Ne Prælati vices ſuas ſub annuo cenſu concedant.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Emolumenta ſigilli Prælatorum non poſſe vendi, aut arrendari.

QUia ſecundùm Apoſtolum, non ſolùm à malo, ſed ab omni ſpecie mali eſt abſtinendum, & non ſolùm fraudes ſunt vitandæ, ſed etiam via eiſdem eſt pro poſſe præcludenda; ordinamus & ſtatuimus, eodem approbante Concilio, quòd emolumenta proprii ſigilli Epiſcoporum, ſeu Prælatorum infra provinciã conſiſtentiũ, non poſſint per quoſcumque ſpecialiter vendi, ſeu etiam arrendari. Et ſi contrarium factum fuerit, arrendatio ſeu venditio ipſo facto nulla exiſtat: & arrendatores ſeu emptores excommunicationis ſententiam incurrant.

Tit. IV. De magiſtris: & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Præcipitur, ſcholas Grammatices in ſingulis archidiaconatibus ſtatui: magiſtris verò ab Eccleſia, in qua docebunt, & à vicinis mercedem ſuppeditari.

CUM in Generali Concilio pia fuerit conſtitutione proviſum, ut non ſolùm in Cathedralibus Eccleſiis, ſed etiam in aliis, in quibus ſuppetunt facultates, magiſtris, qui ibidem laborant in doctrina, provideatur in Beneficio competenti; nos attendentes, quòd in partibus Hiſpaniæ ex defectu ſtudiorum, & literaturæ multa & intolerabilia detrimenta animarum proveniunt; non ſolùm in locis ſtatutis prædictam conſtitutionem præcipimus obſervari, verùm etiam ad multiplicem ignorantiam exſtirpandam, eatenus ſcholas multiplicari ſtatuimus, ut per ſingulas diœceſes in quolibet archidiaconatu in certis locis, ſi ad hæc loca idonea inventa fuerint, per proviſionem Epiſcopi ſcholæ de Grammatica ſtatuantur, & magiſtri collocentur. Quibus de ipſius Epiſcopi proviſione vel ordinatione, ſi ipſius loci, in quo ſcholæ fuerint, non ſufficiat Eccleſia, de aliis Eccleſiis circà poſitis, ſecundùm ſingularum facultates, competenter præcipimus provideri: ne ex defectu magiſtrorum illiterati ſuam poſſint ignorantiam excuſare.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Sine licentia Ordinarii neminem poſſe docere facultatem aliquam, nec rationem legendi & ſcribendi, decernitur.

NE ſub ſpecie pietatis impietas diſſeminetur, ſtatuit ſancta Synodus Tridentina, neminem ad lectionis officium, tã publicè quàm privatim, admittendum eſſe, qui priùs ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus & approbatus non fuerit. Cujus decreti obſervatio cùm maximè in hac provincia neceſſaria ſit, hac præſenti conſtitutione dictum Tridentinum decretum diſtrictè obſervari præcipimus, etiam cum illis, qui pueros in Grammatica, vel in modo legendi & ſcribendi inſtituunt. Rectoribus & aliis curam animarum habentibus, ſeu eorum vicariis ſub pœnis arbitrio Ordinarii imponendis mandantes, ne in ſuis parochiis aliquem ad id munus obeundũ admittant, niſi de licentia ab Ordinario in ſcriptis obtenta, legitimum exhibeat teſtimonium.

Tit. V. De Judæis, Sarracenis, & eorum ſervis.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Conciſio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Excommunicantur qui commercium cum Mauris habuerint.

CONſtitutionem domini Alexandri, & Innocentii III. ad memoriam reducentes, & cauſſam neceſſariam habentes, eidem conſtitutioni adjiciendo præcipimus;

ut

ut ſingulis diebus Dominicis ſacerdotes excommunicatos denuncient omnes illos, qui mittunt, deferunt, aut deducunt, aut vendunt per ſe, vel per alios Mauris, vel aliis ex parte Maurorum arma, ferrum, lignamina, navium inſtrumenta, panem, vinum, equos, beſtias, vel animalia ad comedendum, vel ad terras colendum, vel ad equitandum. Et hanc ſententiam ſacerdotes diſtrictiùs obſervent uſque ad ſatisfactionem condignam. Omnes quoque Chriſtiani, tam milites quàm alii, qui ſe ad Mauros tranſtulerint ad faciendum guerram Chriſtianis, excommunicati denuncientur, nec ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ aliquatenus abſolvantur.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Qui Sarracenis Chriſtianum vendiderit, ſit excommunicatus.

STatuimus de cætero, ut quicumque Chriſtianum vel Chriſtianam vendiderit Sarracenis, ipſo facto ſit excommunicatus: nec poſſit abſolutionis beneficium obtinere, ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ.

Tit. VI. De hæreticis.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Qui conſultò negârit eſſe reſurrectionem mortuorum, aut vitam æternam, capi jubetur, & ſi perſtiterit, tamquam hæreticus damnari.

NOnnulli à via veritatis averſi, euntes per devia falſitatis, linguis ſuis latrare non verentur, ut dicere audeant, quòd non ſit reſurrectio mortuorum, nec vita ſit alia futura. Quod quidem eſt hęreſis, immo plurimum hæreſis fundamentum. Statuimus quòd quicumque ſcienter talia dixerit ex propoſito, capiatur: & ſi perſtiterit in eiſdem, tamquam hæreticus condemnetur. Quòd ſi jocosè dixerit, vel quacumque animi levitate, nihilominus ſecundùm qualitatem culpæ, & perſonæ conditionem, pœnis legitimis puniatur per Epiſcopum & Inquiſitores hæreticorum à ſede Apoſtolica deputatos. Omnes inſuper Catholicæ Fidei detractores pœnam ſubeant quam merentur: ut ſciant loqui de Fide Catholica cum reverentia & timore. Volumus etiam & mandamus, quòd clerici, fratres prædicatores, Inquiſitores hæreticorum à ſede Apoſtolica deputati, qui laborant ad exſtirpandam hæreticam pravitatem, à rectoribus Eccleſiarum, vel eorum vicariis benignè recipiantur; & in caſu neceſſario, & coram Deo accepto Fidei negotio juventur efficaciter per eoſdem.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Qui in Fide deliquerit, juxta ſanctiones canonicas puniendus.

NIhil magis eſt Epiſcopis, & his, quibus animarum cura eſt commiſſa, curandum, quàm ne aperta fictave ſimulatione hæreſes in perniciem gregis ſibi commiſſi diſſeminentur. Quamobrem, ſacri approbatione Concilii conſtitutionem bonæ memoriæ Roderici prædeceſſoris noſtri: *Cùm quidam*, corrigentes, Epiſcopos noſtræ provinciæ, & reliquos locorum Ordinarios in Domino hortamur, ut totis viribus ſuper gregem ſibi commiſſum invigilent, & hac in re ſolertem adhibeant diligentiam: & ſi quos perfidos hæreſum diſſeminatores repererint, eos juxta ſanctiones canonicas ſeverè curent puniendos.

Tit. VII. De adulteriis.

Petrus de Luna Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legatus, in Concilio Gerundæ celebrato.

CAPUT I.

Si conjugati, viri quidem cum concubinis, fœminæ autem cum adulteris, commercium habuerint, aut etiam ſoluti, ſi cum infideli, excommunicantur: & niſi per duos menſes ante obitum concubinam dimiſerint, Eccleſiaſticâ privantur ſepulturâ.

IN paradiſo voluptatis, ubi primos parentes plaſmaverat creator omnium glorioſus, matrimonium hac lege inſtituit, ut ſic vir per conſenſum legitimum fœminæ jungeretur, quòd duobus exiſtentibus in carne una, aliam perſonam, quæ unitatem divideret, ſuperaddere non liceret. Hanc unitatem nonnulli conjugati Dei timore poſtpoſito deturpantes, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, concubinis ſe commiſcere in ſuarum animarum damnationem publicè non verentur. Contra quos præfatus Joannes Epiſcopus Sabinenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ſtatuit & ordinavit, ut quicumque conjugatus, qui concubinam tenere publicè præſumpſerit, & inſuper non conjugatus, qui concubinam infidelem præſumeret detinere; tam ipſi, quàm ipſæ eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrerent. Nos verò dictam conſtitutionem inno-

vantes, tam prædictos, quàm conjugatas, quę cum adulteris publicè commiſcentur, & ipſos adulteros prædictos, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere: volentes inſuper quòd niſi adulteri, & alii præfati ſupradictas concubinas, vel conjugatæ dictos adulteros per duos menſes ante eorum vel earum obitum dimiſerint, & ſe ab eiſdem ſine fraude ſeparaverint, etiam ſi tempore obitus ſui, vel antè fuerint à dicta excommunicationis ſententia abſoluti, nihilominus tam ipſi, quàm ipſæ careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Datum Gerundæ nono Kal. Novembris, Pontificatus domini noſtri Clementis Papæ VII. anno 12.

Tit. VIII. De raptoribus, incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in primo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Incendiarii & raptores vitandi tamquam excommunicati.

ITem ſtatuimus, quòd incendiarii & raptores publici tamquam excommunicati vitentur, & Eccleſiaſticâ ſepulturâ careant: niſi per ſe vel hæredes ſatisfactionem fecerint, vel emendam,

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT II.

Qui vi dignitatis rectoriæ, Beneficii, perſonatuſve ſine auctoritate Ordinarii poſſeſſionem receperit, præter pœnas in conſtitutionibus Cathaloniæ inſtitas, in pœnam conſtitutionum De Invaſoribus incidiſſe decernitur,

LIcèt variæ pœnæ, tam per alias conſtitutiones Provinciales Tarraconenſes, præſertim autem per conſtitutionem bonæ memoriæ Petri de Cardona Archiepiſcopi, prædeceſſoris noſtri, in Concilio per eum Barcinone celebrato anno Domini MDXVII. quæ incipit: *Quamvis à prædeceſſoribus noſtris*, quàm per conſtituriones regias in curiis generalibus hujus principatus editas; noviſſimè autem per capitulum curiæ quartum in curiis generalibus per invictiſſimum & Catholicum Regem noſtrum Philippum in eadem civitate ultimò celebratis editum contra capientes manu armata poſſeſſionem parochialium Eccleſiarum & aliorum Beneficiorum, & hujuſmodi poſſeſſionem ita occupatam tenentes, vel conſilium; auxilium, vel favorem ſcienter dantes impoſitæ fuerint, atque etiam Jure communi per conſtitutionem felicis recordationis Boniſacii Papæ VIII. quæ incipit: *Eum qui*, diſpoſitum ſit, ut violenti, qui auctoritate, vel veriùs temeritate propria occupare dignitates, perſonatus, aut alia quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica non verentur; eo ipſo jus, ſi quod in dignitatibus, perſonatibus, & Beneficiis taliter occupatis, vel ad ea ipſis forſan competebat, amittant, & per ſacroſanctam Synodum Tridentinam in ſeſſione 22. in decreto *De reformatione*, cap. 14. incip. *Si quem clericorum*, decernatur anathemati ſubjacere omnes occupantes alicujus Eccleſiæ, ſeu ſæcularis, vel regularis Beneficii bona, fructus, & emolumenta, reſervata abſolutione Romano Pontifici. Verùm, ut magis, etſi non virtutis amore, pœnæ ſaltem formidine, omnes dicto capitulo curiæ per præfatam regiam majeſtatem approbantibus & laudantibus, Eccleſiaſtico & aliis brachiis præſentis principatus edito refræenentur; omneſque prædictas conſtitutiones & capitula curiæ & omnia & ſingula in eis contenta recipientes, laudantes, approbantes, & innovantes, ſtatuimus, ordinamus, & declaramus, ultra pœnas ibidem inflictas, quas hîc pro expreſſis & de novo inflictis habere volumus, omnes & ſingulos ibidem expreſſos in pœnas conſtitutionum, ſacrorum Conciliorum De invaſoribus loquentium eo ipſo in eiſdem, & incidiſſe, & incidere, & contra eos tamquam contra invaſores, ſervata procedendi forma in dictis conſtitutionibus ſuper notorio tradita procedi poſſe; nullamque aliam ſolennitatem, vel formam obſervari debere; cùm ſatis notorium cenſeatur, ſi quis capit, vel aliàs occupatam tenet manu armata poſſeſſionem parochialis Eccleſiæ vel alterius cujuſvis Beneficii; mandantes omnibus & ſingulis Ordinariis, ut in eorum Synodis diœceſanis, ac etiam in quatuor anni ſolennitatibus per conſtitutionem bonæ memoriæ Sancti Archiepiſcopi in tertio Concilio per eum celebrato poſitam in tit. *De decimis*, quæ incipit: *Cùm ad præſtationem decimarum*, pro ſimilium conſtitutionum publicatione deputatis dictum capitulum curiæ, & hanc noſtram conſtitutionem verbis vulgaribus interpretatam in ſingulis Cathedralibus, collegiatis, & parochialibus Eccleſiis publicari mandent, & faciant inviolabiliter obſervari.

Tit. IX. De furtis.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Qui inſtrumenta Tarraconenſis Eccleſiæ malitiæ ſuppreſſerint, ac non infra quindecim dies reddiderint, excommunicantur.

QUoniam Pontificalem decet ſolertiam rerum Eccleſiarum ita curam gerere, & ſubjectorum commoda inveſtigare, ut Eccleſiaſtica libertas incorrupta perſiſtat, ac ſingulorum ſtatus jugiter ſervetur illæſus; iccircò nos Rodericus miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in præfata Eccleſia ſacrum Concilium Provinciale celebrantes, & callidis quorundam machinationibus obviantes, qui privilegia, inſtrumenta, & alia Eccleſiaſtica munimenta ad nos, & noſtram Eccleſiam Tarraconenſem pertinentia reddere & reſtituere contradicunt; ſacri approbatione Concilii ſtatuimus, quòd quæcumque perſona religioſa, vel ſæcularis, cujuſcumque gradus vel conditionis exiſtat, de cætero fraudulenter celare vel ſupprimere præſumpſerit hujuſmodi privilegia, inſtrumenta, vel alia Eccleſiaſtica munimenta; & infra ſpatium quindecim dierum, poſtquam ſciverit ea ad nos & noſtram Tarraconenſem Eccleſiam pertinere, ea nobis reddere, ſeu reſtituere malitioſè contempſerit; excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto: à qua abſolvi non poſſit, niſi priùs ſatisfecerit de præmiſſis.

Tit. X. De uſuris.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus & Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Injungitur Epiſcopis, ut eos Officiales excommunicatos denuncient, qui vel uſuras ſolvi vel non reſtitui debere pronunciârint.

PRO animarum ſalute proviſum exſtitit in Concilio Generali, reprobando uſurariam pravitatem, quòd officiales quicumque, ſeu judices, qui ut ſolverentur uſuræ, vel ut ſolutæ cùm repeterentur, non reſtituerentur, plenè ac liberè ſcienter præſumpſerint judicare, excommunicationis ſententiam incurrerent ipſo facto. Cùm autem aliqui ex eiſdem dictam excommunicationis ſententiam minimè metuentes, immo prædicta in ipſo ſtatuto Concilio contemnentes, in ſuarum grave periculum animarum contra ea facere non formident; & licèt ob hoc contra tales ad denunciandum eoſdem eſſet per Ordinarios procedendum; tamen plures ex eis circa hoc ſe exhibent negligentes: iccircò nos hujuſmodi ſubmovere negligentiam cupientes; ſacro approbante Concilio, omnibus Ordinariis Tarraconenſis provinciæ in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub divini obteſtatione judicii duximus injungendum, ut cùm eis conſtiterit aliquos officiales, vel judices infra eorum juriſdictionem contra prædicta feciſſe, quæ in dicto Concilio ſalubriter ſunt ſtatuta; eoſdem ut excommunicatos faciant publicari: ut ſic prædicti & à judicandi officio excludantur, & ad reconciliationis gratiam faciliùs inducantur.

Tit. XI. De maledicis.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Decretalis contra blaſphemos jubetur obſervari ac publicari, moneriq; dominos temporales, ut eam curent obſervari, ac exſtirpari blaſphemandi & jurandi conſuetudinem.

AD deteſtandum deteſtabile blaſphemiæ vitium contra Deum & Sanctos ejus, Decretalem ſuper hoc editam, quæ incipit: *Statuimus*; Extra v. *De maledicis*, diſtrictè præcipimus obſervari. Et ne ad excuſandas excuſationes in peccatis, ignorantiam allegari contingat; mandamus rectoribus Eccleſiarum, & eorum loca-tenentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, quòd Decretalem prædictam in feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis beatæ Mariæ, & principalium aliarum Eccleſiarum ſuarum annuatim populo publicent & exponant. Hortamur etiam quoſcumque dominos temporales, & per dictos rectores, & eorum loca-tenentes in parochiis ſuis hortari mandamus, quatenus tamquam honoris Dei, & Sanctorum ſuorum fervidi zelatores, & ut proinde æternæ beatitudinis præmia conſequantur, eandem Decretalem in locis ſuis faciant obſervari. Et inſuper contra blaſphemos hujuſmodi, necnon jurantes per caput, ventrem, & alia membra Dei, vel beatæ Virginis Mariæ matris ejus, aut aliorum Sanctorum per ſtatuta pœnalia, citra tamen vindictam ſanguinis, ſic ſtudeant providere, quòd de locis ſuis dicta vi-

tia exſtirpentur. Decet namque, ut qui volunt gloriari in nomine Chriſtiano, non debeant talia patienter, ſeu ſub diſſimulatione audire: ſed ea ne dicantur, penitùs cohibere. Clerici namque, qui culpabiles reperti fuerint in præmiſſis, ſic per ſuos Ordinarios puniantur, quòd eorum pœna ſit aliis in exemplum.

Tit. XII. De exceſſibus Prælatorum.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in primo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Monentur Epiſcopi animadvertere in clericos delinquentes. Pars cap. Fuit.

ITem ſic curent Epiſcopi punire clericos pro eorum exceſſibus vel delictis, quòd nullatenus propter impunitatem criminum allegent privilegium clericale.

Idem in ſecundo Concilio.

CAPUT II.

Eccleſiaſtici juriſdictionem temporalem habentes prohibentur malefactores aut exſules in ſua ditione ſuſtinere in caſu in ea expreſſo.

CUM ſummum bonum ſit in terris juſtitiam colere, cujus cultus ex ſuſtentatione malefactorum & bannitorum multipliciter impeditur, & datur multis audacia delinquendi, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, quòd nulla perſona Eccleſiaſtica ſuſtineat malefactores vel bannitos in locis ſuis, in quibus juriſdictionem obtinet temporalem: niſi forſan ille, qui tales ſibi remitti peteret, in locis ſuis malefactores ſeu bannitos ejuſdem perſonæ Eccleſiaſticæ ſuſtineret.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Superioris conſtitutionis violatoribus pœna irrogatur.

QUia ex conſtitutione incipienti: *Cùm ſummum bonum, &c.* contra perſonas Eccleſiaſticas, quæ juriſdictionem exercent temporalem in locis ſuis, bannitos per Prelatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas ſuſtinentes, fructus, qui ſequi ſperabatur, non fuit ſubſecutus, eo quòd pœna contrarium facienti non eſt impoſita in eadem: iccircò de conſenſu ſacri Concilii ſtatuimus, quòd nullus Prelatus, ſeu alia perſona Eccleſiaſtica, in locis ſuis ſuſtineat malefactores Eccleſiæ, ſeu bannitos, ſub pœna quinquaginta librarum: in quam incidat ipſo facto, ſi infra triduum, poſtquam fuerit requiſitus, non remiſerit dictos malefactores ſeu bannitos, vel à ſua juriſdictione expulerit. Cujus pœnæ medietas perſonæ Eccleſiaſticæ requirenti, & alia medietas Superiori immediatè ſuſtinentis dictos bannitos, ſi habuerit in regno, aliàs cameræ Apoſtolicæ applicetur.

Tit. XIII. De injuriis & damno dato.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in quinto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Excommunicationis pœnâ plectuntur, qui clerum infamant infamatoriis libellis, aut infamari permittunt. Pars cap. Conſpiratorum.

SImili ſententia excommunicationis innodamus omnes illos, qui contra conſtitutos in clero libellos famoſos compoſuerint, & qui componi fecerint, & qui compoſitos inventos non ruperint ſine mora.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT II.

Eccleſiaſtici monentur detractionibus Eccleſiaſticorum, ac infamationibus abſtinere. Qui cuipiam Prælato detraxerint, excommunicantur.

CUM in Eccleſiæ corpore omnes qui ſunt veluti membra locati, debeant ſe invicem confovere; deviat ab ordine rationis, quòd quidam propriis commodis nimis avidè intendentes, dum quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, ſtudent aſtutiſſimè procurare, aliorum juribus; & quod magis eſt, famæ detrahere moliuntur. Sanè querulofa inſinuatione noſtras pervenit ad aures, quòd nonnulli clerici, ſeu religioſi ſtatuta ſacrorum Canonum ſuper his edita contemnentes, Prælatorum Eccleſiæ famam detractionum morſibus lacerare, Eccleſiarumque juribus detrahere, & præjudicare conantur. Nos igitur inſaniam hanc cupientes ab Eccleſiæ corpore totaliter exſtirpare, quatenus membrorum debita invicem conjunctione

ſer-

ſervata, ſub unionis & charitatis vinculo acceptabilis exhibeatur altiſſimo famulatus, hoc perpetuo jubemus edicto, ut clerici, ſeu religioſi ab hujuſmodi detractionibus linguas ſuas ſtudeant refrænare, nec Eccleſiaſticis detrahant; aut ſibi ad invicem prædicando, ne populos detrahant ab Eccleſiarum parochialium frequentia, vel acceſſu; ſed ſuper ſepulturis, decimis, primitiis, & aliis Eccleſiarum juribus ſacros ſtudeant Canones inviolabiliter obſervare. Quòd ſi quiſquam prædictorum deinceps Prælati alicujus famæ publicè & injuriosè detrahere, aut diffamatorios libellos dictare, ſcribere, vel in publico loco legere, vel affigere attentaverit, vel procuraverit, excommunicationis ſententiâ ipſo facto ſentiat ſe ligatum: à qua nullatenus poſſit abſolvi, niſi priùs coæquali publicatione laceratam famam ſtuduerit reparare. Et ſi ab offenſo veniam humiliter poſtulaverit, diſtrictiùs injungimus inviolabiliter obſervari conſtitutionem domini Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit: *Animarum ſaluti, &c.* & illam domini Clementis, quæ incipit: *Religioſi*: diœceſanis, aliiſque locorum Ordinariis eſſe licitum decernentes, quod poſtquam eis conſtiterit aliquem, ſeu aliquos de prædictis excommunicationis ſententiam occaſione præmiſſorum incurriſſe, ipſos excommunicatos faciant publicè nunciari; donec de abſolutione eis facta fuerit fides: nec non circa prædicationis exercitium, vel audiendi confeſſiones, vel ſuper juribus ſepulturarum Clementinam, quæ incipit: *Super cathedram*, ſub obteſtatione divini judicii præcipimus tenaciter obſervari.

Tit. XIV. De purgatione canonica.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Delatis clamoſa inſinuatione indicenda purgatio canonica, ſi in eos inquiri difficile fuerit.

COnſtitutio de correctione ſubditorum edita firmiùs obſervetur, & circa ſubditorum correctionem Prælati diligenter vigilent & intendat; ne ſanguis ſubditorum de ipſorum manibus à Domino requiratur. Et cùm ad ipſos clamoſa inſinuatio pervenerit, ſi ad inquiſitionem commodè deſcendere non valent, pro eo quod proceſſus ille plerumque plurimum habet laboris & diſpendii, multaque diffugia, ſaltem purgationem indicant canonicam ſolenniter faciendam: in qua qui defecerit, canonicè puniatur.

Tit. XV. De pœnis.

PETRUS de Luna Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legatus, in Concilio Gerundæ celebrato.

CAPUT I.

Judices Eccleſiaſtici monentur in clericos ſeverè animadvertere, qui facinora capitali punitione digna admiſerint.

IN vinea Domini Sabbaoth cultores immeritò poſiti, & cuſtodes, ſic in culturæ ac cuſtodiæ nos debemus miniſteriis exercere, ut ad eandem aliàs in partes ſolicitudinis evocatos ſedulo ſtudio excitemus. Exſtirpandis igitur vitiorum ſpinis & peccatorum tribulis, quæ ſuperficiem ejus obumbrare videntur, ac plantandis virtutum germinibus, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendentes, monemus & hortamur omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos, & alios quoſcumque juriſdictionem Eccleſiaſticam habentes & exercentes, eorumque vicarios, proviſores, officiales, & alios ipſorum loca-tenentes, quocumque nomine cenſeantur; ut circa correctionem clericorum conjugatorum, & non conjugatorum, in quibuſcumque ordinibus conſtitutorum, cujuſcumque dignitatis, gradus, vel conditionis exiſtant, qui crimina vel maleficia commiſerint, diligenter obſervent canonica ſtatuta. Et ſi crimina commiſſa fuerint capitalia, vel talia, pro quibus ea perpetrans ſit capitaliter puniendus; officialis, vicarius, proviſor, aut quivis alius vices gerens Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel Prælati, aut etiam is, ad quem ratione ſui Beneficii vel officii hoc exſpectet, vel ejus locum-tenens, clericum conjugatum, vel non conjugatum, ordinis, dignitatis, gradus vel conditionis cujuſcumque, talia committentem, abſque correctione & caſtigatione debita non relaxent, abſolvant, vel abire permittant, aut in caſtigando, corrigendo, vel puniendo remiſſi aut negligentes exiſtant: alioquin malitioſè deficientes in præmiſſis, ſi Beneficiati fuerint, à perceptione fructuum & reddituum Beneficiorum quæ obtinent, ſint ſuſpenſi per annum: & per idem tempus efficiantur inhabiles ad quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Si verò Beneficiati non fuerint, per idem tempus ad obtinendum Eccleſiaſticum Beneficium reddantur inhabiles ipſo facto.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Vetantur officiales graves & enormes noxas pecuniâ remittere, & cum iis, qui eas admiſerint, diſpenſare: præſertim ſi non fuerit parti læſæ ſatisfactum, & ſpiritualis pœnitentia peracta.

COnſiderantes laudabiliter prohibitum fuiſſe per bonæ memoriæ Petrum de Luna, officialibus clericos delatos de maleficiis, propter quæ pœna capitalis eſſet infligenda, relaxare, aut abire permittere; vel in caſtigando, corrigendo, vel puniendo remiſſos & negligentes exiſtere, pernicioſam, & mali exempli, & nutritivam ſcandali & rumoris in populis fore in ſimilibus diſpenſationem: præſertim ſi pecunia mediante eam fieri intelligatur, & in cæteris delictis non paſſim, ſed in omnibus regulam tenendam: ſacro igitur approbante Concilio prohibemus, remiſſiones & diſpenſationes pro ſimilibus delictis enormibus, præſertim parte non ſatisfacta, & ſpirituali pœnitentia non peracta, de pœna infligenda fieri: ne ubi exaggeranda eſt, ibi fallaci miſericordia aboleatur. In levibus verò criminibus, & extraordinariis, in quibus pœna judicis arbitrio infligenda eſt, & in quibus à Jure determinata non ſit, multæ pecuniariæ locus ſit. Si veriſimiliter præſumatur de correctione & emendatione delati, liceat Prælatis cum delatis ſpontè id ſupplicantibus ſommotis dolis & fraudibus, & aliis incitativis, ad compoſitionem venire, & diſpenſare. Verùm ſi facta compoſitione cum delinquente, ex eo quòd qualitas gravior in accuſatione ſeu inquiſitione fuit forſan omiſſa; ſi propter qualitatem debeat corporaliter puniri, poſſit iterum contra ipſum delatum inquiri, reſtituta quantitate percepta. Inſuper cùm cauſſa moverit ad compoſitionem deveniri, id attendatur, ut non fiat ante quam de crimine per teſtes, vel per confeſſionem apparuerit: ne forſan ii, qui innocentes fuerint, metu carceris ſe componere cogantur, ut tunc qui ſe compoſuerint cum Prælatis, pro confeſſis habeantur. Quando verò delati ſe compoſuerint de crimine, ſuper quo plenè non conſtiterit, nec confeſſi fuerint, ſed taliter quòd quæſtionibus aut purgationi canonicæ locus ſit, & cauſſa moverit ad compoſitionem voluntariam faciendam, tam judicem, quàm ipſos delatos, ſive culpabiles fuerint ſive non: ex tali compoſitione & quantitatis ſolutione pro confeſſis non habeantur. Idque ſemper in animo & opere geratur à Prælatis, ut peccator, de quo ſpes correctionis habetur, vitam præteritam emendet; & antequam cum eo diſpenſetur, aliquam ſpiritualem pœnitentiam publicam vel ſecretam, arbitrio diſpenſantium indicendam, videlicet in caſu, quando diſpenſatus vel compoſitus habetur pro confeſſo, in loco deſignando peragat; & pecunias in piis operibus erogare teneantur, ut potiùs ſalutem animarum ſubditorum, quàm pecuniarum incrementum quærere videantur.

Tit. XVI. De pœnitentiis, & remiſſionibus.

CAPUT I.

Incendiarii & alii, qui pro abſolutione conſequenda Romanam Eccleſiam adire tenentur, ad Archiepiſcopum tranſmittendi.

CLEMENS PAPA V.

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus ſuffraganeis Tarraconenſis Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Diſcretio veſtra, ſicut credimus, non ignorat à ſanctis fuiſſe Patribus inſtitutum, quòd incendiarii, & qui manus injiciunt in clericos violentas, non ab alio, quàm à Romano Pontifice merentur abſolvi; ut ex hoc laïcorum malitia, qui clericos & Eccleſiaſticos viros graviter perſequuntur, conſideratione laboris & expenſarum, quas ad Apoſtolicam Sedem ſuſtinent venientes, faciliùs reprimatur. Pervenit ad nos, quòd civitas Tarraconenſis cum territorio ſuo à Sarracenis graviter infeſtatur, & in æſtivo tempore cum tanta multitudine galearum & aliarum navium ad civitatẽ ipſam, & villas maritimas armata manu deſcendunt, ut tam homines, quàm aliam prædam, poſt deſtructionem terrarum, ſecum in miſeram captivitatem inducant. Volentes igitur in hac parte memoratæ civitati, ſicut poſſumus, affectione paterna cavere; fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſupradictos incendiarios, & alios, qui pro exceſſibus ſuis Romanam Eccleſiam adire tenentur, ad venerabilem fratrem noſtrum memoratæ civitatis Archiepiſcopum tranſmittatis: ipſis firmiter injungentes, ut quod idem Archiepiſcopus pro ſatisfactione illis injunxerit, ſuſcipiant firmiter & obſervent. Nos enim ipſi Archiepiſcopo dedimus in mandatis, ut ipſos pœnitentes pro defenſione civitatis apud ſe faciat ſub ea temporis diuturnitate manere, quantam facturi eſſent, ſi Hieroſolymam, vel ad alia pia loca ad obtinendam delictorum, veniam mitterentur. Datum Laterani, decimo calendas Maji, Pontificatus noſtri anno primo.

Joan-

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Jubentur Rectores publicè monere eos, qui ætatem rationis capacem attigerint, obligari ſemel ſaltem in anno peccata confiteri, & Euchariſtiæ ſacramentum recipere.

NE circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, periculoſa ignorantia allegetur; præcipimus Eccleſiarum rectoribus, & eorum loca-tenentibus, ut ad minus quater in anno exponant parochianis ſuis, quatenus juxta ſtatutum Concilii Generalis quilibet, ex quo ad annos diſcretionis pervenerit, maſculus ſcilicet ad quatuordecim, fœmina verò ad duodecim pervenerit, tenetur ſemel ſaltem in anno omnia ſua peccata fideliter confiteri, & recipere ad minus in feſto Paſchæ Reſurrectionis Euchariſtiæ ſacramentum: niſi de licentia confeſſoris ad tempus duxerit abſtinendum. Aliter vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens careat Eccleſiaſtica ſepultura.

Joannes Teres Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Monentur parochi ut diligenter curent, quum nomina eorum deſcribunt, qui peccata debent confiteri, ſint ne aliqui ante tempus à jure præſcriptum doli capaces, & eos peccata confiteri procurent.

MUlti in noſtra provincia, in locis præſertim montoſis, tam hebetes ſunt, adeoque propriæ conſcientiæ obliti, ut etiamſi ætatem rationis capacem attigerint, peccata ſua non confiteantur: alii etſi ante tempus à Jure definitum doli capaces fuerint, & ad rationis judicium pervenerint, putantes ſe ab Eccleſiæ præcepto de confeſſione tempore Quadrageſimæ facienda immunes, ſacramenta Eccleſiæ non recipiunt. Cui morbo de opportuno remedio providere cupientes, ſacro approbante Concilio præcipimus omnibus animarum curam habentibus, ut initio Quadrageſimæ, quando per ſingulas domos nomina eorum deſcribunt, qui peccata ſua confiteri debent, diligenter curent, eorum omnium nomina ſcribere, qui ætatem rationis capacem attigerunt; & parentes moneant, videant accuratè an filios habeant, aut alios domeſticos, qui ad judicium rationis ante tempus à Jure definitum pervenerint, & eos peccata confiteri, & ſacramentum Euchariſtiæ recipere compellant. Quòd ſi hac re negligentes fuerint parochi, ſeverè ab Ordinario puniantur.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT IV.

Super caſibus Epiſcopalibus non eſſe quemquam ſæcularem clericum admittendum ad audiendas confeſſiones ſine literis Ordinarii, quæ gratis dari debent idoneis, & caſus exprimi, & populo publicari.

CÆterùm, quoniam ubi periculum majus eſt, ſolertior debet adhiberi cautela, ne animarum ſaluti per quemquam confeſſoris officio abutentem illudi valeat, aut ipſum officium debitè peragentium fama iniquorum morſibus maculetur; ſtatui hujus tenore ſancimus, quòd nullus clericus ſæcularis ſine diœceſani, vel Ordinarii Eccleſiaſtici, ad quem hoc pertineat, vel ipſorum vicariorum, vel officialium ad hoc habentium poteſtatem, aut proprii curati licentia, in Eccleſiis parochialibus ad audiendum confeſſiones, & ſuper caſibus Epiſcopalibus ſine diœceſani literis admittatur: quas literas ipſi diœceſani, aut ipſorum vicarii generales clericis, quos ad hoc conſtabit eſſe ſufficientes & idoneos, quoſque, ut præfertur, duxerint admittendos, eiſdem gratis & ſpontanea voluntate concedere, & tradere teneantur; in quibus quidem literis caſus Epiſcopales, quos eis concedere voluerint, exprimantur: quos caſus cautè in genere, aut diſtinctè, per curatum Eccleſiæ populo, ante quàm ad audiendum confeſſiones admittantur, præcipimus intimari: ut pateſiat in nullis aliis caſibus quàm expreſſis in ſua litera, de caſibus Epiſcopalibus abſolvendi poteſtatem aliquam habere.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Religioſi ſacramentum confeſſionis & pœnitentiæ non miniſtrent, niſi priùs Ordinario præſententur.

UT religioſi in ſacramento Pœnitentiæ & confeſſionis reddantur attenti, hoc ſtatuto ſalubri in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus ac prohibemus, ne religioſi, priùs quàm juxta conſtitutionem Clementinam: *Super cathedram*, per eorum Superiores electi, præſentati, & per Ordinarios ad confeſſiones admiſſi fuerint, confeſſiones ſæcularium audire præſumant: nec locorum Ordinarii aliquos ex eis, niſi ut præfertur, per eorum Superiores ad hoc priùs electos, admittant: ſicque electi, præſentati, & admiſſi de caſibus ab Epiſcopis reſervatis nullatenus ſe intromittant, nec ſuper eiſ-

dem

dem casibus reservatis quemquam absolvere audeant, nisi literas super absolutione hujusmodi priùs à locorum Ordinariis obtinuerint: in quibus quidem literis casus Episcopales, quos eis concedere voluerint, exprimantur: easque literas curatis Ecclesiarum exhibeant, ut Ecclesiæ populo patefieri valeant, ut est dictum. Idemque Ordinarii gratis, sine solutione aliqua, tales literas eisdem religiosis, quos ad hoc reputabunt idoneos, tradere teneantur: in Domino exhortantes Prælatos, & Ordinarios Ecclesiasticos, ut circa religiosos præfatos charitativè se habeant, ut tenentur. Per prædicta tamen præjudicare nolumus, quibus de Jure communi, vel indulto Sedis Apostolicæ aliud competit in præmissis.

Idem in eodem.

CAPUT VI.

Jubentur medici statutum Generalis Concilii de ægris admonendis, ut salutare pœnitentiæ sacramentum recipiant, sub excommunicationis pœna observare; neque ægrum posse plusquam ter invisere, nisi sacramentum pœnitentiæ receperit.

DIlectionis debitus ordo pervertitur, si medicinæ corporis priùs & diligentiùs, quàm sanandis animæ vulneribus intendatur. Sanè licèt in sacro Concilio Generali fuerit districtè præceptum, quòd medici corporum, cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum; ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur: ipsum tamen salubre ac utile statutum, aut oblivione aut contemptu frustrari cernitur debitæ observationis effectu. Propterea cupientes, quòd pro animarum salute tam utiliter dignoscitur statutum, debita executione potiri; universis corporum medicis districtè præcipimus & mandamus, ut ipsum studeant fideliter observare: & ipsis nihilominus sub excommunicationis pœna, quam incurrere volumus ipso facto; mandantes, ut nullum infirmum ultra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciant, quòd in illa ægritudine salutare pœnitentiæ receperit sacramentum. Adjicientes, ut cunctis nota sit præsens constitutio, quòd locorum Ordinarii, saltem quater in anno, videlicet in festo Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Mariæ, teneantur in principalioribus Ecclesiis suæ diœcesis vel territorii constitutionem hanc publicari facere.

CAPUT VII.

Medici quæ teneantur observare in curatione infirmorum.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUpra gregem Dominicum nostræ vigilantiæ divinitùs creditum, vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea per quæ animarum saluti cum divini nominis gloria consuli valeat, libenter intendimus; ut Christi fideles post baptismum in peccata lapsi, per sacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sanè cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat: *Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat*; ac propterea providè felicis recordationis Innocentius III. prædecessor noster, medicis præceperit, ut cùm eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, ut animarum medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptū nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper observari; constitutionem præfatam auctoritate Apostolica tenore præsentium innovamus: & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus & decernimus, quòd omnes medici, cùm ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo confessori omnia peccata sua, juxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die ulteriùs eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quòd infirmi ut præmittitur peccata sua confessi fuerint. Conjunctos verò, ac omnes familiares & domesticos infirmi in Domino rogamus & monemus, ut de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quàm conjuncti & familiares præfati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant & inducant. Quòd si qui medicorum præmissa non observaverint, ultra pœnas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò sint infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant, omnino priventur, & à collegio, seu universitate medicorum ejiciantur, ac pœnâ etiam pecuniariâ arbitrio Ordinariorum ubi deliquerint, multentur. Et ut hæc omnia inviolabiliter observentur, volumus, & eadem auctoritate præcipimus & mandamus, ut nullus posthac ubique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quovis collegio & Universitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione contenta

me-

medio eorum juramento coram notario publico, & teſtibus obſervare in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint, & de hujuſmodi juramento in privilegio ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quòd ſi collegia, & Univerſitates præfatæ non recepto à promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis alios ulteriùs doctorandi incurrant. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in civitatibus, & diœceſibus propriis præſentes noſtras literas publicari faciant, ac juramentum prædictum à medicis jam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus juris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in civitatibus & diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem juramentum hujuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & jurare, ac juramentum hujuſmodi jam præſtitum exhibere recuſantes, gradu medicinæ, & omnibus privilegiis eiſdem medicis, tam conjunctim quam diviſim, eis & eorum cuilibet conceſſis, per quoſvis etiam Romanos Pontifices, privent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint. Non obſtantibus præmiſſis, privilegiis, indultis, literis Apoſtolicis; quibuſvis perſonis, collegio, & univerſitati, ſub quibuſvis verborum formis & tenoribus conceſſis, quæ omnia, quoad effectum validitatis conſtitutionis noſtrę tantùm, revocamus, caſſamus & annullamus, & omnes Principes ſæculares ac alios dominos & magiſtratus temporales rogamus, requirimus & obſecramus per viſcera miſericordię Jeſu Chriſti eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominus injungentes, quòd in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum favorem & auxilium præſtent, ac contrà facientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Volumus autem quòd præſentes literæ in Cancellaria, & acie campi Floræ publicantur, & inter conſtitutiones extravagantes perpetuò valituras conſcribantur. Et quia difficilè foret præſentes ad ſingula quęque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorſus fides ubicumque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8. Martii MDLXVI. Pontificatus noſtri anno primo.

Hieronymus in Concilio ſexto Tarraconenſi.

CAPUT VIII.

Exigendæ prætextu eleemoſynarum per Eccleſias pecuniæ ad calices emendos, ornamenta, aliaq; quibus Eccleſiæ egent, comparanda, facultatem vicarii vetantur dare, niſi his inopia Eccleſiarum conſtiterit, ut neceſſariò exigi eleemoſynam oporteat toto eo tempore, quo ejuſmodi facultatem conceſſerint. Sin credibile fuerit unius anni conceſſione non ſatis ſublevatam iri Eccleſiam, prius quàm denuò facultatem concedant, pecuniæ collectæ ſuperiore anno rationes jubentur exigere, & jurejurando eos aſtringere, qui ſunt exacturi, in eum uſum conſumptum iri pecuniam, in quem collecta fuerit: ſalva ſedis Apoſtolicæ licentia, & diœceſani; quo caſu in alium uſum ei commutare licet. Jubetur præterea in conceſſionis literis nomen apponi quæſtoris & agnomen cæteraq; diſertè explicari, quæ ſuprà fieri oportere hac in re præceptum eſt.

QUoniam indignum eſt in Eccleſia Dei quoſdam ſub pietatis & paupertatis clypeo inebriari, & nimia ſatietate cibos faſtidire, quoſdam verò fame perire, & eleemoſynarum largitionibus non poſſe ſublevari; quod propter multitudinem quæſtorum evenire compertum eſt, dum ſub clypeo paupertatis ſublevandæ annales quærendi licentias à noſtris vicariis obtinuerunt, & ſublevata paupertate, ac neceſſitate ceſſante, nihilominus ſubſequentibus annis ſimiles licentias obtinent, & pecunias, quæ pro neceſſitatibus urgentibus Eccleſiarum & perſonarum eiſdem inſervientium à fidelibus zelo pietatis elargitæ ſunt, epulis, ac lautis conviviis, ac aliis inhoneſtis uſibus, tam quærentium nunciorum, quàm perſonarum, à quibus miſſi ſunt, expendunt, vel de ipſis theſaurizant, & nihil utilitatis piis locis, pro quibus elargitæ ſunt, obvenit; ſed in alios uſus etiam pios convertunt, præter, ſeu contra largientium intentionem: & cæteri miſerabiles prædictis eleemoſynis, quæ eiſdem elargirentur, ſi prædictis quæſtoribus non fuiſſent elargitæ, veriſimiliter defraudantur, & intentio largientium ad effectum non deducitur; matura deliberatione prohibemus, licentias quærendi concedi pro piis operibus, calicibus, ornamentis, aut aliis neceſſitatibus Eccleſiarum, cappellarum, aut aliorum piorum locorum, niſi priùs ſummariè conſtiterit noſtris vicariis de neceſſitate, pro qua concedentur: & quod neceſſitas tempore conceſſionis duret, & toto anno durare veriſimiliter præſumatur, ſi per conceſſionem licentiæ non ſublevaretur: & quòd ante conceſſionem detur fidele computum de pecuniis ac eleemoſynis quæſtuatis & habitis anno proximè effluxo; & reliquis datis adminiſtratoribus locorum, & quòd jurent bene, & le-

galiter ſe habere, dolo & fraude ceſſantibus, quod eleemoſynas habendas expendent pro dictis neceſſitatibus, & in profanos, aut pios uſus, præter eos, pro quibus habitæ ſunt, non convertent; ſalvâ ſedis Apoſtolicæ licentiâ, aut diœceſani loci; in caſu quo licentiam convertendi in alium pium locum concedere poteſt. Ordinamus inſuper, ut in prædicta conceſſione narrentur nomen & agnomen quæſtoris; & non ſimpliciter dicatur, lator præſentium; & qualiter computum veridicum reddidit coram loci diœceſano, ſeu vicario ipſius, & juravit firmiter tam dictus lator de bene & legaliter ſe habendo, & reliqua; ſolvendo adminiſtratori loci pii, quàm dictus adminiſtrator de expendendo in neceſſitates: pro quibus conceſſa eſt licentia, prout per certificatorias factas per loci diœceſanum apparuit.

Tit. XVII. De ſententia excommunicationis.

CAPUT I.

Confirmatio Apoſtolica conſtitutionum ſequentium, quarũ initia ſunt: Item cùm quidã. Olim excommunicâſſe. Item ſacro. Verùm. Item cùm clerici. Itẽ quia facientes. Declarando. Statuimus ſacro. Quoniam exempla. Solicitat. Officii noſtri. Item cùm in quibuſdam. Prædeceſſorum. Eccleſiaſtica juriſdictio. Cùm affectata. Cùm in conſtitutione. Decernimus. Ad reprimendam. Pia conſideratione. *ac dubiorum, quæ in eas cadunt, & reſponſionum.*

CLENENS PAPA VI.

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetam rei memoriam. Honeſtis petitionibus ſupplicum gratum nos decet præbere conſenſum; & eis maximè, quæ Eccleſiarum perſonarum honorem & ſtatum, ac favorem libertatis Eccleſiaſticæ reſpicere dignoſcuntur. Sanè petitio venerabilium fratrum noſtrorum Sanctii Archiepiſcopi Tarraconenſis, & ejus ſuffraganeorum nobis nuper exhibita continebat, quòd olim bonæ memoriæ Petrus, & Benedictus, ac Bernardus, ac Rodericus, nec non Eximinus, & Arnaldus Archiepiſcopi Tarraconenſes, ac Joannes Patriarcha Alexandrinus, tunc adminiſtrator Eccleſiæ Tarraconenſis in ſpiritualibus & temporalibus auctoritate Apoſtolica deputatus, quaſdam inter alias conſtitutiones diverſis ſucceſſivè temporibus ediderunt; idemque Joannes Patriarcha adminiſtrator, & Arnaldus Archiepiſcopus nonnulla quibuſdam ex conſtitutionibus ipſis addiderunt, & aliquas ex ipſis etiam declarârunt pro bono & tranquillo ſtatu cleri provinciæ Tarraconenſis, ac favore Eccleſiaſticæ libertatis ipſius. Quarum conſtitutionum, & ordinationum, additionum, & declarationum tenores de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari. Quare idem Sanctius Archiepiſcopus, & ſuffraganei nobis humiliter ſupplicârunt, ut conſtitutionibus & additionibus, ac declarationibus ipſis, ex quibus, ut aſſerunt, eis non modicum utilitatis, ſtatus, & honoris accrevit, Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur ſtatui, & quieti ſubditorum, & præſertim perſonarum ipſarum, quæ velut Dei miniſtri potiori auxilio dignæ ſunt, libenter intendimus, & utilitatem publicam favore proſequimur opportuno, dictorum Sanctii Archiepiſcopi, & ſuffraganeorum ſupplicationibus inclinati, conſtitutiones, additiones, & declarationes ipſas ratas & gratas habentes, illas auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenores verò prædictarum conſtitutionum ejuſdem Petri Archiepiſcopi tales ſunt.

Petrus Archiepiſcopus, in ſexto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Excommunicantur raptores, depræ datores Eccleſiaſticorum, ac rerum Eccleſiaſticarum, & locorum religioſorum, quæ violenter rapuerint, vel invaſerint. Fautores item, & receptatores memoratorum malefactorum; in eorumq; præſentia à divinis ceſſandum, nec abſolvendi culpæ obnoxii, niſi ſatisfecerint damnum & injuriam perpeſſo. Et ſi principales malefactores mortui fuerint, eorum cadavera ſepulturâ Eccleſiaſticâ privanda, quouſque eorum hæredes ſatisfecerint. Pari ratione excommunicantur, qui prædas ſcienter & voluntariè in caſtris ſuis receptârint: ceſſandumq; in eis à divinis & eorum præſentia. Cùm autem per rei evidentiam, vel confeſſionem reorum conſtiterit de invaſoribus, vel quando in ſpecie denunciati fuerint, ceſſandum à divinis. Abſolutio autem committitur Epiſcopo, à quo publicandi & ii, quos ipſe & ii quos alii Epiſcopi denunciârint.

ITem cùm quidam in aliorum prædiis propria commoda ſtudeant invenire, ſacro approbante Concilio, excommunicamus invaſores, raptores, & deprædatores hominum Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum rerum, & locorum religioſorum; qui bona prædicta rapuerint, vel invaſerint violenter: dummodo perſonæ, de quibus querelam habuerint, paratæ fuerint ſtare juri, prout debuerint. Eâdem etiam excommunicatione ligamus fautores & receptores prædictorum malefactorum: ſtatuentes, ut quamdiu principales malefactores in aliqua villa vel civitate fuerint, Eccleſiæ ceſſent

pe-

penitùs à divinis: & ſi fortè principales malefactores mortui fuerint abſque ſatisfactione condigna, licèt in mortis articulo abſoluti fuerint, eorum corpora non tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quouſque hæredes morientium ſatisfecerint injuriam paſſis, & damnum datum fuerit penitùs emendatum: nec prædicti in ſanitate aliquatenus abſolvantur, niſi cùm de præmiſſis omnibus ſatisfecerint competenter. Simili excommunicationis ſententia innodamus omnes illos, qui prædam clericorum, & locorum religioſorum, & hominum eorundem receperint ſcienter & voluntariè in caſtris ſuis, vel emerint; & caſtra illa, vel villæ, in quibus retenta fuerit præda, ceſſent penitùs à divinis, quouſque damnum datum pro poſſe ſtuduerint emendare. Et licèt invaſores & raptores Eccleſiæ in genere ſint excommunicati, non tamen evitentur, niſi facti evidentia, vel confeſſione propria hoc conſtaret, quouſque in ſpecie denunciati fuerint. Et poſtquam in ſpecie denunciati fuerint, abſolutio talium cuilibet Epiſcopo in ſua diœceſi, auctoritate ſacri Concilii eſt commiſſa. Item ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi denunciet ſententias per alium Epiſcopum latas ad ſignificationem ipſius, & vitet excommunicatos ab eo, & faciat tamquam excommunicatos arctiùs per ſuam diœceſim evitari.

Petrus Archiepiſcopus in ſexto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Declaratur ſuperior conſtitutio, docetuŕq; tantùm ad eos pertinere, qui ſcienter & ſponte cum armis, vel ſine armis vim Eccleſiaſticis attulerint, aut in res eorundem invaſerint. Fautores autem, & emptores prædæ, poſt monitionem legitimam, arbitratu diœceſani excommunicari debere.

OLim excommunicâſſe recolimus invaſores, raptores, & deprædatores hominum Eccleſiarum, rerum Eccleſiaſticarum, & locorum religioſorum, qui bona prædicta rapuerint, vel invaſerint violenter: dummodo perſonæ, de quibus querelam habuerint, paratę fuerint, prout debuerint, juri ſtare. Eâdem etiam excommunicatione ligavimus fautores & receptatores prædictorum malefactorum: ſtatuentes, ut quamdiu principales malefactores eſſent in aliqua villa, vel civitate, ceſſarent Eccleſiæ penitùs à divinis. Et ſi fortè principales malefactores abſque ſatisfactione condigna ab hoc ſæculo tranſmigrarent, licèt eſſent in mortis articulo abſoluti, eorum corpora non traderentur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quouſque hæredes morientium ſatisfeciſſent paſſis injuriam, & damnum datum penitùs emendâſſent: nec prædicti abſolvi poſſent in ſanitate, niſi de præmiſſis omnibus priùs ſatisfeciſſent paſſis injuriam competenter. Simili excommunicatione innodavimus omnes illos, qui prædam clericorum, & locorum religioſorum, & hominum eorundem ſcienter receperint, & voluntariè in caſtris ſuis, & emptores ab eis: & quòd caſtra, & villæ, in quibus præda eſſet retenta, ceſſarent penitùs à divinis, quouſque damnum datum ſtuduiſſent pro poſſe ſuo penitùs emendare. Verùm quidam prædictam conſtitutionem perversè intelligentes, eam trahunt ad res modicas, & ad ea, quę non ex propoſito nocendi, ſed ex neceſſitate aliqua, à non credentibus offendere capiuntur. Nos autem perverſum intellectum, & dubitationem hujuſmodi penitùs declarantes, in omnibus ſupradictis caſibus ſic duximus declarandam: quòd illi tantùm intelligantur excommunicati, qui ex propoſito, cum armis vel ſine armis violenter invaſerint, & deſtruxerint loca prædicta, & cœperint homines ipſorum, & res eorundem in hoc graviter delinquentes: loca autem in hoc ſolo caſu ceſſare volumus penitùs à divinis, quamdiu ibi prędа fuerit violenter receptata. Fautores autem & emptores prędę, poſt admonitionem legitimam, juxta diœceſani arbitrium excommunicentur. Et ſi aliquem excommunicatorum prędictorum abſque ſatisfactione condigna mori contigerit, tamdiu careat Eccleſiaſtica ſepultura, quoad uſque per hæredes ipſius damnum datum per eum ſit plenariè paſſis injuriam, vel eorum hæredibus reſtitutum.

Benedictus, in Concilio primo Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Epiſcopis facultas permittitur ſubditos ſuos abſolvendi, qui excommunicati fuerint, vel denunciari per conſtitutionem De invaſoribus & raptoribus, &c. *Archiepiſcopo etiam ſubditos ſuffraganeorum, poſtquam ſatisfecerint his, quos violârint.*

ITem, ſacro approbante Concilio, plenam concedimus univerſis noſtris ſuffraganeis poteſtatem abſolvendi ſubditos ſuos, qui excommunicati per ipſos fuerint, vel etiam auctoritate conſtitutionis ſacri Concilii Tarraconenſis contra malefactores & invaſores hominum, & rerum Eccleſiæ promulgatæ: licèt dicti excommunicati denunciati fuerint in Concilio Tarraconenſi. Item fuit ordinatũ, ſacro Concilio approbante, quod dominus Archiepiſcopus abſolvat ſubditos ſuffraganeorum ſuorum, qui ad ipſum venerint, excommunicatos ratione conſtitutionis ſacri Concilii Tarraconenſis contra invaſores & raptores, ac malefactores hominum, & rerum Eccleſiæ promulgatæ, præmiſſa ſatisfactione, & ſecundùm formam Eccleſiæ: & quòd dominus Archiepiſcopus conſenſum diœceſani illius, vel illorum excommunicatorum requirat, ſi ſibi viſum fuerit expedire.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Presbyteris mutuò ſe abſolvere à minore excommunicatione licere.

ITem, ſacro approbante Concilio, damus univerſis noſtrę provincię presbyteris poteſtatem, quòd ad invicem unus alteri poſſit ſuper minoris excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium impartiri.

Idem in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

In locis, in quibus prœda vendita, aut alienata fuerit, aut conſumpta, ceſſandum à divinis, quouſque paſſis injuriam ſatisfactum fuerit.

VErùm cùm in conſtitutione bonæ memorię domini Petri prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Olim excommunicâſſe recolimus*, caveatur, quòd loca, ad quę pręda clericorum, Eccleſiarum, vel perſonarum religioſarum, ſeu hominum eorundem accepta pervenerit, quamdiu ibi fuerit, ceſſent penitùs à divinis: volentes invaſorum, & raptorum excogitatis malitiis & machinationibus, quantum cum juſtitia poſſumus, obviare; declaramus & conſtituimus, quòd loca, in quibus hujuſmodi pręda vendita, vel alio modo alienata, ſeu etiam conſumpta fuerit, tamdiu ceſſent penitùs à divinis, quouſque condigna ſatisfactio damna paſſis facta fuerit per eoſdem.

Idem in eodem.

CAPUT VII.

In locis, ad quæ occiſores & mutilatores clericorum profugerint, & in quibus violenter detinebuntur Eccleſiaſtici, ceſſandum à divinis, quoad ſatisfecerint Eccleſiæ arbitratu.

ITem cùm clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ majori, quàm res eorundem, debeant privilegio, & immunitate, ſeu libertate gaudere; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd loca, ad quę occiſores & mutilatores clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, & capientes eoſdem pervenerint, ceſſent penitùs à divinis, quouſque ad judicium Eccleſiæ ſatisfecerint de commiſſis. Loca etiam, in quibus clerici, & perſonę Eacleſiaſticæ captæ detinebuntur, quamdiu violenter, ſeu invitè detinebuntur ibidem, ceſſent ſimiliter à divinis.

Idem in eodem.

CAPUT VIII.

Excommunicantur, qui occiſores & mutilatores clericorum receptant.

ITem, quia facientes & conſentientes pœna pari debent damnari; eodem Concilio approbante, receptatores eorum, qui occidunt vel mutilant, vel capiunt clericos, vel perſonas Eccleſiaſticas, excommunicationis ſententiâ innodamus.

Bernardus Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IX.

Quibus in locis erunt, qui manus violentas injecerint in Prælatos, ibi ceſſandum penitùs à divinis, & malefactores nunciandi, & vitandi.

DEclarando conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum, videlicet dominorum Petri & Benedicti bonæ memoriæ; quarum prima incipit: *Olim excommunicâſſe recolimus.* & ſecunda: *Cùm nos Benedictus*, ſtatuimus; quod quamdiu perſonę invaſorum & raptorum rerum Eccleſiæ, & perſonæ etiam illorum, qui in Prælatos Eccleſiarum Cathedralium, & aliorum locorum religioſorum Tarraconenſis provincię manus injecerint violentas fuerint in aliqua civitate, villa, vel caſtro provinciæ ſupradictæ, aut infra terminos dictorum locorum ejuſdem provinciæ, quod ipſę civitates, caſtra, villæ, & alia loca ceſſent, ipſis invaſoribus, raptoribus, ſeu percuſſoribus præſentibus, penitùs à divinis: & dicti malefactores, percuſſores, ſeu raptores, per rectorem, ſeu cappellanum loci illius excommunicati nihilominus nuncientur; & tamquam excommunicati ubique ab omnibus evitentur.

Idem in eodem.

CAPUT X.

Monentur Epiſcopi, pariter & rectores, editas conſtitutiones obſervare: hi ſui diœceſani, illi Concilii Tarraconenſis arbitrio, ſi ſecus fecerint, de negligentia puniendi.

STatuimus, ſacro approbante Concilio, quòd quilibet Epiſcopus provinciæ Tarraconenſis circa obſervationem præſentis conſtitutionis, & omnium conſtitutionum à noſtris prædeceſſoribus editarum ſit ſolicitus & attentus. Rectores autem Eccleſiarum, & vicarii, ſeu loca-tenentes eorum, conſtitutiones eaſdem ad mandatum ſui diœceſani, vel ejus offi-

officialis inviolabiliter teneant & obſervent. Si quis verò de prędictis rectoribus, vicariis, cappellanis, vel eorum loca-tenentibus recepto mandato ſui diœceſani, vel ejus officialis, præſentem, & aliorum prędeceſſorum noſtrorum noſtrorum conſtitutiones neglexerit obſervare, ad ſui Epiſcopi, vel ejus officialis arbitrium puniatur: & nihilominus teneatur reſtituere illi qui petit juſtitiam, omnes expenſas quas eundo & redeundo propter hoc ad diœceſanum, per juramentum præmiſſa taxatione diœceſani, probaverit ſe feciſſe; & ad hoc per diœceſanum Epiſcopum compellatur. Diœceſanus verò, qui circa correctionem ſubditorum ſuorum, qui ſuper prædictis ejus mandatum, vel officialis ſui neglexerint adimplere; vel circa obſervationem prędictarum conſtitutionum negligens repertus fuerit vel remiſſus; iram & indignationem omnipotentis Dei, & Beatæ Theclæ incurrat: puniendus nihilominus ad arbitrium Provincialis Concilii, quod in Eccleſia Tarraconenſi contigerit in poſterum celebrari.

Idem in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XI.

Qui Epiſcopum quovis modo necârit, aut violârit, feudis omnibus ac Beneficiis Tarraconenſis provinciæ privatur. Ejus verò poſteri uſque ad quartam progeniem ad clericatûs ordinem promoveri, aut Eccleſiaſticum Beneficium adipiſci non poſſint: quam etiam pœnam Prælatorum inferiorum, officialium, & canonicorum violatores incurrent.

QUoniam exempla prędterita cavere nos admonent in futurum; iccircò nos Bernardus miſeratione divina Archiepiſcopus Tarraconenſis, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus Arnaldo Barcinonenſi, Roderico Vicenſi, Petro Urgellenſi, Jacobo Oſcenſi, Jaſperto Valentino, Garcia Tyraſonenſi, Roderico Gerundenſi, Guillermo Ilerdenſi Epiſcopis, ac procuratoribus aliorum Epiſcoporum abſentium; necnon & capitulorum Cathedralium Eccleſiarum, & collegiatarum, & quamplurimis aliis præſentibus, ſacroſancto Tarraconenſi approbante Cõcilio ſtatuimus, ut quicumque inſtigante diabolo, per ſe, vel per alium interfecerit, ſeu vulneraverit, vel cœperit, aut percuſſerit aliquem Epiſcopum; omnibus feudis, ac rebus, & Beneficiis, quæ ab Eccleſiis quibuſcumque Tarraconenſis provinciæ tempore ſceleris obtinebit, ipſo facto perpetuò ſit privatus; & pleno jure Eccleſiis, à quibus prædicta obtinuerit, applicentur: nec deſcendentes ab eodem malefactore uſque ad quartam generationem ad gradum aliquem clericatûs promoveantur, nec Beneficium aliquod Eccleſiaſticum feudale, vel aliud quodlibet in Tarraconenſi provincia aſſequantur. Et ne minus vindictæ, quàm exceſſus memoria tanti facinoris prorogetur, adjicimus, quòd ſi quis Epiſcopus, vel alius quicumque Prælatus aliquem de prædictis deſcendentibus ad aliquem ordinem promovere, vel aliquod Eccleſiaſticum Beneficium, ſeu quodlibet aliud eidem conferre præſumpſerit; à collatione illius ordinis, quem ſcienter contulerit, per biennium ſit ſuſpenſus: & collatio ejuſdem Beneficii ſit irrita ipſo jure, & ea vice per proximũ Superiorem de illo Beneficio ordinetur. Si verò aliquem de Prælatis inferioribus Epiſcopis, vel principalem officialem Epiſcopi, vel canonicum Eccleſię Cathedralis auſu temerario quiſquam interficere, mutilare, vel capere præſumpſerit; ipſe, & filii ſui incurrant pœnam ſuperiùs expreſſam ipſo facto. Proviſo tamen, quòd ipſis feudis, & poſſeſſionibus quibuſcumque tantummodo ſint privati, quæ ab Eccleſiis, quarum perſonas ſic læſerint, modo quolibet obtinebunt: hoc ſalvo, quod aliàs ſuper hoc in Canonibus continetur. Et Prælatus, qui tales malefactores, vel filios eorum ad aliquem ordinem promovere, vel cuiquam tale Beneficium Eccleſiaſticum conferre præſumpſerit; à collatione illius ordinis, quem ſcienter contulerit, per annum noverit ſe ſuſpenſum: & collatio hujuſmodi ſit irrita ipſo jure; & ea vice de Beneficio ipſo per Superiorem proximum ordinetur. Quicumque autem ex prædictis malefactoribus, vel filiis ſuis à quoquam Epiſcopo ſcienter vel ignoranter ordinem receperit; exſecutionem non habeat ſuſcepti ordinis, nec Beneficii collatio valeat, ut eſt dictum: ſalvis tamen omnibus pœnis canonicis, quibus per hanc conſtitutionem non intendimus in aliquo derogari. Hæc autem ſtatuta ſalubriter per diœceſanos Epiſcopos Tarraconenſis provinciæ ſingulis annis in ſuis Synodis & diœceſibus præcipimus publicari: & nihilominus hi, qui prædictas pœnas incurrerint, in Synodis nuncientur.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XII.

Epiſcopus, aut officialis per Ordinarios requiſitus ad quempiam excommunicatum denunciandum, ſtatim, aut infra triduum id facere ſub pœna prohibitionis ingreſsûs Eccleſiæ teneatur.

SOlicitat cura ſuſcepti regiminis, ut utilitatibus ſubjectorum nunc novarum conſtitutionum editione, nunc antiquarum innovatione providere curemus. Sanè conſtitutiones ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium editæ contra raptores perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum, religioſorum, & hominum eorundem, ex quibus impiorum audacia coërcetur, ac bona Eccleſiaſtica conſervantur propter quorundam abuſum & negligentiam de-

debitum non ſortiuntor effectum. Cùm nonnulli trepidantes ubi trepidandum non eſt, cùm requiruntur per locorum Ordinarios, in quorum diœceſi rapina vel violentia eſt commiſſa, ut prædictas conſtitutiones debeant obſervare; ſubtiliter cauſsâ diffugii nituntur indagare & inquirere, an præfatæ conſtitutiones vendicent ſibi locum, in his partes judicis, cùm potiùs ut meri exſecutores deberent procedere, aſſumentes. Et iccircò, quia parum eſt condere jura, niſi ſint qui ea tuentur, prædictas conſtitutiones approbantes & confirmantes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, quòd quandocumque aliquis Epiſcopus, vel ejus officialis, vel vicem-gerens, per nos, vel officialem noſtrum, vel per alium Epiſcopum, vel ejus officialem, ſeu etiam vices ejus gerentem noſtræ provinciæ, qui per ſuas literas ſignificaverit, ſe ſervare conſtitutiones prædictas contra illum, contra quem petitur ipſas conſtitutiones ſervari, fuerit requiſitus, ut denunciet eum excommunicatum juxta memoratas conſtitutiones, & eas ſervet, & faciat obſervari; & talem in Eccleſia mandet denunciari excommunicatum: ipſas conſtitutiones ſine aliqua cognitione & inquiſitione ſtatim, vel infra triduum, die qua talis requiſitio facta fuerit, minimè computata, ſi in ſua diœceſi requiſitus præſens fuerit, vel in loco: ut infra dictum tempus hoc valeat adimplere. Aliàs quàm citò commodè fieri poterit, conſideratâ locorum diſtantiâ, obſervet, & mandet obſervari, omni appellatione & exceptione ceſſantibus. Quòd ſi prædicta contempſerit, ut prædicitur, adimplere, tamdiu ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverit interdictum, donec ipſas conſtitutiones obſervet, & mandet obſervari. Ex quo autem dictas conſtitutiones fecerit, vel mandaverit obſervari, ex tunc ipſo facto interdictum abſque relaxatione aliqua penitùs ſit ablatum. Hoc autem proviſo, quod propter juris ordinem non ſervatum proceſſus per Ordinarium, vel ejus officialem habitus, ſeu facta denunciatio nullatenus revocetur: cùm multis graſſantibus opus ſit exemplo, juxta canonicas & legitimas ſanctiones. Item, quia non eſt ferendus qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, omnes perſonas, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtant, quæ ex præfatis conſtitutionibus commodum recipiunt, ſubjacere, & eſſe ſubjectas ipſis conſtitutionibus ſi deliquerint in his, quæ in ipſis conſtitutionibus continentur, & contra tales perſonas juxta tenorem ipſarum conſtitutionum eſſe rigidè procedendum: ſalvis conſtitutionibus ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium in favorem Epiſcoporum factis: quibus cautum eſt, quòd Epiſcopi hujuſmodi conſtitutionibus contra raptores & invaſores rerum Eccleſiaſticarum editis non ligentur.

Idem in eodem.

CAPUT XIII.

Ceſſandum à divinis in illorum præſentia, qui in Cathedralis Eccleſiæ canonicum, aut collegiatæ Prælatum, aut vocem in capitulo habentem, aut ordinis militiæ commendatorem, vel hoſpitalium ſancti Joannis Hieroſolymitani manus violentas injecerint, aut alio modo læſerint.

OFficii noſtri debitum circa diſpendia, quæ per nonnullos Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, & eorum hominibus, & rebus indebitè afferuntur, deliberatione provida exigentes ſalubris remedii appoſitione, talium temeritatem duximus præſcindendam. Et iccircò ſacri approbatione Concilii confirmantes omnes conſtitutiones per prædeceſſores noſtros editas, & ſpecialiter contra raptores & invaſores perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum, addendo eiſdem ſtatuimus, quòd quicumque de cætero in canonicum Eccleſiæ Cathedralis, vel Prælatum Eccleſiæ Collegiatæ, vel clericum, qui vocem habeat in communibus tractatibus capituli Eccleſiæ Cathedralis, vel in commendatorem ordinis militiæ templi, vel hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani manus iniecerit temerè violentas, vel terras, vel loca Prælatorum Eccleſiarum, vel templariorum, aut hoſpitalariorum, vel aliorum locorum religioſorum cum exercitu invaſerit, arbores ſcindendo vel talando, aut ignem immittendo, aut grave damnum aliàs irrogando, præter ſententiam excommunicationis, quam ex tali delicto ſe noverit incurriſſe, & ultra alias pœnas contra tales ſtatutas, ubicumque ipſe fuerit, ceſſetur penitùs à divinis. Et quicumque cum exercitu terras Prælatorum, vel Eccleſiarum, vel locorum religioſorum invaſerint, ut eſt dictum, & moniti infra menſem non ſatisfecerint, omnibus feudis, quæ ab Eccleſiis, vel perſonis, aut locis religioſis tenebunt, quæ ſic læſerint, perpetuò ſint privati: ſalvis omnibus aliis pœnis contra tales ſtatutis, quibus per hanc conſtitutionem non intendimus in aliquo derogare.

Idem in eodem.

CAPUT XIV.

Ceſſatio à divinis juxta decretalem: Alma mater, *moderanda.*

ITem cùm in quibuſdam conſtitutionibus ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium ſit cautum, quòd in certis caſibus debeat ceſſari penitùs à divinis, ſacro approbante Concilio declaramus prædictam ceſſationem debere fieri, prout tempore generalis interdicti per conſtitutionem ſanctiſſimi patris domini Bonifacii

facii Papæ VIII. quæ incipit: *Alma mater*, & per alias conſtitutiones canonicas eſt ſtatutum.

Eximinus de Luna Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XV.

Qui perſonam Eccleſiaſticam quovis modo in vitæ, fortunarumve dimicationem auſus fuerit provocare, ipſo facto ſit excommunicatus, & ſi clericus exſtiterit, Beneficiis ſit privatus, aut perpetuò inhabilis, ſi careat Beneficio.

PRædeceſſorum noſtrorum, qui condemnaverunt abuſum exſecrabilẽ diffidandi Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas, veſtigiis inhærentes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut ſi quis deinceps, cujuſcumque ſtatus, conditionisve exiſtens, diffidaverit, ſeu acuidaverit diffidari, ſeu acuidari fecerit, vel procuraverit publicè, vel occultè Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, vel eorum officiales, vel Prælatum, aut religioſum, vel alium clericum Beneficiatum, vel alium in ſacris ordinibus conſtitutum, ſeu prædictorum occaſione homines & loca eòrum adminiſtrationi commiſſa acuidaverit, ſive in hoc ſcienter dederit conſilium, auxilium, vel favorem; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & denuncietur excommunicatus quotidie, dum in excommunicatione præſtiterit, pulſatis campanis, & candelis extinctis. Et nihilominus terra, ſeu loca, aut caſtra ipſius, ſi qua habuerit, eo ipſo ſubjaceant Eccleſiaſtico interdicto, à qua ſententia nullatenus abſolvatur, nec interdictum ipſum relaxetur, donec de injuria, & damnis propterea irrogatis ſatisfecerit competenter. Quòd ſi clericus, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtens, aut religioſus in his deliquerit, ſi Beneficium Eccleſiaſticum, vel adminiſtrationem obtineat, præter pœnas prædictas, à Beneficiis omnibus, & adminiſtratione ſit eo ipſo privatus: ſi verò Beneficiatus non fuerit, perpetuò ſit inhabilis ad Eccleſiaſticum Beneficium obtinendum, donec ſecum ſuper hoc per ſedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatum.

Idem in eodem.

CAPUT XVI.

Judices ſæculares injuriosè compellentes Eccleſiaſticos coram ſe litigare publicè excommunicandi.

ECcleſiaſtica juriſdictio à ſæculari diſtincta eſſe dignoſcitur, & una per alteram impediri non debet, ſed potiùs adjuvari. Quia verò nonnulli ſæculares judices ſtatuta Canonum circa hæc edita contemnentes, clericos, & alias perſonas Eccleſiaſticas ſuper rebus ſuis, & cauſſis injuriosè coram ſe compellunt in judicio litigare, & alias perſonas recurrentes ad Eccleſiaſticum forum ſuper cauſſis, quæ ad idem forum Eccleſiaſticum de jure, vel de antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellunt; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, & univerſis & ſingulis Prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus ſtatutum felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. quod incipit: *Quoniam ut intelleximus*, in ſuis Epiſcopalibus Synodis, ac in Eccleſiis etiam ſuarum diœceſium, ubi expedire viderint, faciant publicari, prædictoſque judices excommunicatos publicè nunciari.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XVII.

Qui interdictum, vel ceſſationem à divinis obſervari in Cathedrali Eccleſia, vel circumvicinis intellexerit, idipſum in ſua Eccleſia Epiſcopi mandato non exſpectato, quamprimum faciat.

CUM affectata ignorantia, maximè in viris Eccleſiaſticis, reprobetur; præſenti conſtitutione ſancimus, quòd ſi rector aliquis, vel vicarius provinciæ Tarraconenſis in Cathedrali, vel convicinis ſibi Eccleſiis ad mandatum ſui Epiſcopi, vel officialis ejuſdem, ſciverit contra perſonas aliquas conſtitutiones ſacri Concilii Tarraconenſis, per quas à divinis ceſſatio indicitur, obſervari, ita quòd ipſis perſonis præſentibus ceſſetur ibidem à divinis, in ſua Eccleſia, & parochia eas ſervet, & ipſis perſonis præſentibus non exſpectato mandato alio, ceſſet ſimiliter à divinis. Et, ſi contrarium fecerit, ipſum in illas pœnas incidere declaramus, in quas incideret, ſi mandatum hujuſmodi habuiſſet.

Idem in eodem.

CAPUT XVIII.

Excommunicantur qui invaſorum, & raptorum Eccleſiarum corpora, damnis per eorum hæredes non reſtitutis, ſepelierint.

CUM in conſtitutione domini Petri, quæ incipit: *Item cùm quidam*, caveatur expreſsè, quòd ſi principales malefactores abſque ſatisfactione in mortis articulo fuerint abſoluti, eorum tamen corpora non tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec per hæredes morientium damnum paſſis ſatisfactum fuerit competenter: ideo attendentes, quòd verba intelligenda ſunt cum effectu, ſacro approbante Concilio excommunicamus omnes, qui de cætero talia corpora, donec ſatisfactum fuerit, ut præ-

prædicitur, ſcienter tradiderint Eccleſiaſticæ ſepulturæ; & qui in hoc dederint conſilium, auxilium, & favorem. Et quia ridiculum quodammodo reputatur, non vitari per Prælatos & clericos eos, qui ob rerum, & Eccleſiarum tutelam per alios vitari mandantur; præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ Prælatis, & clericis quibuſcumque ne illos, contra quos conſtitutio obſervabitur, ad menſam ſuam recipere audeant, vel etiam invitare.

Idem in eodem.

CAPUT XIX.

Qui clericis ſua jura tribui quoquomodo impediunt, publicè excommunicandi.

DEcernimus, temporale dominium, vel juriſdictionem aliquam obtinentes, vel etiam exercentes, qui voce præconis, vel aliter prohibuerint, ne clericis, vel perſonis Eccleſiaſticis redditus, vel aliqua, quæ debentur eis debita exſolvantur, aut juſtitiam eiſdem clericis, & perſonis de ſuis debitoribus, ſeu malefactoribus facere denegaverint, vel mandaverint denegari, vel eoſdem clericos, ſeu perſonas Eccleſiaſticas banniverint, ſeu banniri mandaverint; & dantes ſuper his conſilium, auxilium, vel favorem, excommunicationis ſententiæ ſubjacere præcipientes, tales per locorum Epiſcopos, vel eorum officiales ordinarios, quouſque de injuria & damnis ſatisfecerint competenter, excommunicatos publicè nunciari.

Idem in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XX.

Hoſtiliter contra clericos ſe gerentes, & Eccleſiaſticorum hoſtibus faventes, in conſtitutionem contra eos editam, qui clericos in dimicationem vitæ & fortunæ provocant, etiam incurrant.

AD reprimendam audaciam perverſorum clericos, ſeu perſonas Eccleſiaſticas diffidantium, ſeu procurantium diffidari, aut eorum occaſione homines, vel loca eorum; fuit dudum in Provinciali Concilio Tarraconenſi conſtitutum, quòd facientes talia incurrerent excommunicationis ſententiam ipſo facto, & terra eorum eſſet ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto. Verùm quidam non attendentes mentem ipſius conſtitutionis, ſed verba, ac pœnas ejuſdem aſtuta calliditate vitare volentes, contra illos, quos dicta conſtitutio diffidari prohibet, guerram abſque diffidamento faciunt; ſeu eos, & homines, loca, vel bona eorum per modum guerræ ſeu hoſtiliter, aut aliter cum turba ſeu hominibus coadunatis ex propoſito damnificant & invadunt: quamquam contra perſonas Eccleſiaſticas, ſeu homines, aut bona, aut loca eorum guerra fieri non poſſit. Nos igitur Joannes miſeratione divina ſanctæ Alexandrinæ ſedis Patriarcha, & adminiſtrator in ſpiritualibus & temporalibus Eccleſiæ Tarraconenſis à ſede Apoſtolica deputatus, ſacri approbante Concilii, attendentes eos, qui talia agunt, non minus, ſed plus delinquere, quàm ſimpliciter diffidantes, eam conſtitutionem, quæ ad hoc facta exſtitit, ne damna Eccleſiis, clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis inferrentur, locum habere decernimus, quantum ad omnia ejus capitula, ut etiam contra illos, qui abſque diffidamento prædicta faciunt, vel aliquid prædictorum, & qui in hoc dederint auxilium, conſilium, vel favorem: adjicientes dictam conſtitutionem locum habere etiam contra eos, qui prædictos diffidantes, guerrificantes, ſeu malefactores in locis ſuis receptaverint, ſive defenſaverint publicè vel occultè. Quam quidem pœnam etiam locum habere decernimus contra omnes, qui in dictis criminibus, ſeu delictis perſiſtunt: niſi infra duos menſes à tempore hujus conſtitutionis continuè computandos ſatisfecerint de eiſdem. Statuimus etiam, eodem Concilio approbante, quòd præſentem conſtitutionem, & alias contra raptores & invaſores perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum, & bonorum, & hominum eorundem diffidatores, malefactores, damnificantes, receptatores, ac fautores, & defenſores prædictos editas, nos Patriarcha adminiſtrator prædictus, & Archiepiſcopi Tarraconenſes, qui pro tempore fuerint, per quemcumque fuerimus requiſiti, & etiam ſine requiſitione, ex officio pro nobis & Eccleſia Tarraconenſi, ac canonicis ejuſdem, ac familiaribus noſtris poſſimus liberè per totam Tarraconenſem provinciam obſervare, & facere obſervari, & ſecundùm earum formam procedere, ac procedi facere ſuper eis: & ſuper his ſubditi ſuffraganeorum noſtrorum teneantur nobis, & dictis Archiepiſcopis obedire: non ſolùm pro comittendis in futurum contra conſtitutiones prædictas; immo pro his, quæ contra eas ſunt etiam jam commiſſa.

Idem in eodem.

CAPUT XXI.

Excommunicatorum receptatores tribus Dominicis, vel feſtivis diebus denunciatorum excommunicandi. Quos Prælati, & eorum officiales, licèt abſque pecunia, diligenter perſequi curabunt.

PIa conſideratione prædeceſſores noſtri excommunicantes invaſores, raptores, & deprædatores hominum Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum rerum, & locorum religioſorum, ac fautores, & receptatores eorum, providè ſtatuerunt, quamdiu malefactores principales hujuſmodi in aliqua villa, vel civitate exiſterent, Eccleſias ceſſare penitùs à divinis: prohibendo tales ab excommunicatione abſolvi, donec

nec de præmiſſis ſatisfecerint competenter. Conſideraverunt namque, quòd malefactores principales hujuſmodi expulſi à civitatibus & villis, ad quas eos venire contingeret, rubore ſuffuſi, ad humilitatis, & debitæ ſatisfactionis, ac reconciliationis faciliùs inclinarentur effectum. Sed, proh dolor! quia interdum conſtitutiones ſuper his editæ debitè non ſervantur, hujuſmodi excommunicatio, quæ contra formam dictarum conſtitutionum faciliter relaxatur, in animarum periculum deducitur in contemptum. Nam vix aliquis participationem talium excommunicatorum evitat, nullus etiam de ſuis civitatibus vel villis eos expellit, & ex hoc ſequitur, quòd ipſis excommunicatis in civitatibus & villis remanentibus cùm ceſſent Eccleſiæ à divinis, participatio divinorum multis inſontibus ſubtrahitur, divinum officium intermittitur, ac juri Eccleſiarum in proventibus & obventionibus debitis detrahitur, & honori & quòd horrendum eſt dicere, dictis excommunicatis interdum, propter munera eis oblata de civitatibus vel villis ad horam, & tempus modicum exeuntibus, quod in eorum pœnam ſpiritualem ſtatutum eſt, in præmium, ſeu lucrum eorum vertitur temporale, & ſic quòd ad defenſionis præſidium eſt inventum, ad iniquitatis diſpendium retorquetur. Cupientes igitur conſtitutiones prædictas debitum ſortiri effectum, & prædictam excommunicationem deduci nullatenus in contemptum; hoc ſtatuto perpetuò, ſacro approbante Concilio, excommunicamus omnes, qui ſcienter hujuſmodi malefactores excommunicatos, poſtquam in Eccleſia parochiali per tres dies Dominicos vel feſtivos denunciati fuerint, publicè excommunicati in ipſa parochia, in ſuis locis ad hoſpitandum vel habitandum receperint, vel receptos ſuſtinuerint in domibus vel hoſpitiis, aut eos per alios recipi mandaverint vel fecerint: quos ſtatim ex ſuo officio, etiam abſque requiſitione cujuſcumque Epiſcopi, & eorum officiales principales, & alii pro Epiſcopis juriſdictione utentes, excommunicatos denuncient uſque ad ſatisfactionem condignam. Præcipimus inſuper omnibus Epiſcopis provinciæ Tarraconenſis, ac vicariis, & officialibus eorundem, quòd circa obſervationem illius, & aliarum conſtitutionum ſe exhibeant promptos, favorabiles, & benignos. Et ut libentiùs ad obſervationem conſtitutionum hujuſmodi procedatur, prohibemus officialibus & vicariis Epiſcoporum principalibus, & aliis pro Epiſcopis juriſdictione utentibus, ne pro cauſſæ cognitione, vel proceſſu faciendo contra malefactores hujuſmodi aliquam pecuniam prætextu ſalarii vel laboris exigant, vel etiam recipiant: nec prætextu hujuſmodi habendæ pecuniæ, vel eo quia ſalarium non habebunt, differant ſcienter procedere, cùm fuerit procedendum: alioquin eo ipſo ſuſpenſi ſint ab officio, & divinis. Prohibemus etiam Epiſcopis, & vicariis, & officialibus eorundem, ne ad cognitionem, vel proceſſum hujuſmodi faciendum, aliquem, vel aliquos debeant delegare: cùm onus hujuſmodi eis incumbere dignoſcatur. Poſtquam autem contra aliquem, vel aliquos ipſas conſtitutiones duxerint publicandas, eoſque ut excommunicatos fecerint evitari, contra eos exigente contumacia requiſiti procedant, quilibet videlicet contra ſuos ſubditos, ex ſuo puro & mero officio; cenſuram Eccleſiaſticam aggravando: nec tales malefactores, aut fautores, vel receptores eorum abſolvant, donec de damnis & injuriis propterea irrogatis ſatisfactum fuerit competenter. Imponant inſuper abſolutis, ſub debito præſtiti juramenti, talem pœnitentiam pro commiſſis, quòd pœna docente cognoſcant, quantum exceſſerint ceſſationi hujuſmodi cauſſam dando, ſeu aliter excommunicatis hujuſmodi obſequia exhibendo. Quam pœnitentiam ſi fortè agere contempſerint, in priſtinam excommunicationem, in quam eos in hoc caſu reincidere decernimus, ipſos denuncient recidiſſe. Qui verò eos aliter duxerint abſolvendos, ad intereſſe illis, qui taliter damnificati fuerint, teneantur: & divinæ ſubjaceant ultioni, ac judicio Concilii ſubſequentis. Nos autem Patriarcha, adminiſtrator Eccleſiæ Tarraconenſis prædictus, & ſucceſſores noſtri, qui pro tempore fuerint Archiepiſcopi Tarraconenſes, in nobis, & officialibus noſtris hanc conſtitutionem, & alias ſupradictas per omnia obſervabimus, & obſervari etiam faciemus.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXII.

Dubia, & ipſorum reſponſiones, ſeu determinationes circa ſacri Concilii Tarraconenſis conſtitutiones de invaſoribus ordinata in quinto Concilio per dominum Arnaldum Archiepiſcopum Tarracone celebrato: quæ pro conſtitutionibus habentur, ſeu ſervari mandantur.

PRIMUM DUBIUM.

IN conſtitutione: *Item cum quidam*, dicitur, quòd invaſores & raptores rerum Eccleſiaſticarum ſunt excommunicati, & quòd ipſis præſentibus ceſſetur à divinis: & in conſtitutione: *Olim*, declaratoria ipſius, dicitur, quòd illi tantùm ſunt excommunicati, qui ex propoſito cum armis & ſine armis violenter invaſerint, vel deſtruxerint loca Eccleſiarum, & cœperint homines ipſorum locorum, & res eorundem, in hoc graviter delinquentes. Nunc verò dubitatur, utrum ſolùm tales ſint excommunicati propter verbum excluſivum? & utrum prædicta omnia requirantur, cùm copulativè ponantur, vel generaliter ſint excommunicati omnes malefactores.

Determinatio primi dubii.

VIdetur, quòd ita interpretata eſt conſuetudo, quòd invaſores, raptores, & deprædatores clericorum, hominum Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum rerum, & locorum religioſorum ſunt excommunicati, & quòd verba in conſtitutione: *Olim*, poſita, intelligi debeat disjunctivè.

SECUNDUM DUBIUM.

ITem, ſin dicta conſtitutione: *Item cùm quidam*, dicitur, quòd receptatores & fautores talium ſint excommunicati, & in dicta conſtitutione: *Olim*, dicitur, quòd excommunicentur.

Determinatio ſecundi dubii.

VIdetur, quòd fautores & receptatores ſint excommunicati per conſtitutionem *Item cùm quidam*, & per conſtitutionem *Olim*, quæ dicit excommunicentur, debeant denunciari, ac publicari excommunicati.

TERTIUM DUBIUM.

ITem in dicta conſtitutione: *Item cùm quidam*, dicitur, quòd præſentibus prædictis principalibus invaſoribus in aliqua civitate, &c. ceſſetur penitùs à divinis, & in dicta conſtitutione: *Olim*, quòd ſolùm loca, in quibus præda violenter accepta fuerit, ceſſent à divinis: & ſi per conſtitutionem, quæ incipit: *Declarando*, debet ceſſari præſentibus invaſoribus, &c. remanet primum dubium, videlicet, qui in hoc caſu dicantur eſſe invaſores, & eſſe excommunicati; cùm in dicta conſtitutione: *Declarando*, non ſint excommunicati.

Determinatio tertii dubii.

VIdetur idem reſpondendum, quod ad primum dubium: quòd ceſſetur ubicumque fuerint principales malefactores, ſed in locis, in quibus præda recepta fuerit, ceſſetur, quamdiu ibi præda fuerit, vel ubi fuerit vendita, aut aliàs alienata, ſeu etiam conſumpta.

QUARTUM DUBIUM.

ITem, cùm in dicta conſtitutione: *Declarando*, dicatur, quòd ceſſetur à divinis quamdiu prædicti fuerint in locis, vel infra terminos locorum; dubitatur, quomodo intelliguntur termini locorum. Et, ſi dicatur, quòd ponuntur ibi pro terminis parochiarum; quid erit, cùm in una civitate vel loco ſint multæ parochiæ?

Determinatio quarti dubii.

VIdetur, quòd in Eccleſia, vel in Eccleſiis civitatis, villæ, caſtri, vel loci, ubi malefactores præſentes fuerint, vel præda detenta, aut vendita, vel alienata, vel conſumpta fuerit, ceſſetur à divinis, & in ſuburbiis, & continentibus ædificiis eorundem, æſtimandis, ad arbitrium diœceſani Epiſcopi, vel ejus officialis, taliter quòd nervus non contemnatur Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Sed ſi Eccleſia parochialis extra caſtrum, villam, vel populationem fuerit, ceſſetur ibi, quamdiu malefactor in parochia fuerit; & quod aliter ex nunc non curetur de terminis locorum, vel parochiarum.

QUINTUM DUBIUM.

ITem, cùm in dictis conſtitutionibus: *Item cùm quidam*, &: *Olim*, dicatur, quòd loca, in quibus præda recepta fuerit, ceſſent à divinis; utrum intelligatur, ſcienter, vel ignoranter, & quorum ſcientia requiratur.

Determinatio quinti dubii.

VIdetur, quòd ſcientia hominum loci requiratur, & quòd pro ſcientia habeatur, ſi publica ſit fama in loco, quòd præda eſt ibi.

SEXTUM DUBIUM.

ITem, cùm in conſtitutione: *Item cùm quidam*, dicatur, quòd tales non evitentur, niſi facti evidentiâ vel confeſſione propria hoc conſtaret, dubitatur; ſi etiam tunc rector Eccleſiæ poſſit eos vitare, & ipſis præſentibus ceſsare: & facit ad hoc conſtitutio: *Item ſtatuimus*, ubi dicitur, quòd rectores ad mandatum Epiſcopi, vel ejus officialis dictas conſtitutiones ſervent.

Determinatio ſexti dubii.

VIdetur, quòd nullus aſtringatur ad obſervationem ceſsationis, donec ceſsatio per Epiſcopum, vel ejus officialem, vel vices-gerentem Epiſcopi ſit indicta.

SEPTIMUM DUBIUM.

ITem, cùm ibi dicatur officialis, & in conſtitutione: *Sollicitat*, dicatur, cum per Epiſcopum, vel ejus officialem, ſeu ejus vices-gerentes, videtur intelligendum de principali officiali, præſertim cùm in ceſsationibus requiratur magna ſolennitas, nec judex delegatus poſſit terram interdicere, niſi ſibi ſpecialiter ſit commiſsum.

Determinatio ſeptimi dubii.

VIdetur, quòd nedum Epiſcopi, & eorum officiales principales, ſed etiam foranei, ſeu decani, qui habent cognitionem univerſitatis cauſsarum criminalium, poſſint proceſsum facere, quem fieri deſiderant conſtitutiones prædictæ, citra tamen indictionem, quam faciunt Epiſcopi, vel vicarii generales, aut officiales principales eorum. Pro liberatione verò perſonarum Eccleſiaſticarum decani ceſsationem, cùm ei locus fuerit, indicere non vetantur.

OCTA-

OCTAVUM DUBIUM.

ITem, an conſtitutio habeat locum ubi homines Eccleſiæ inter ſe damnum ſibi inferunt.

Determinatio octavi dubii.

VIdetur, quòd ſi homines alicujus loci Eccleſiæ inter ſe guerrificando, vel aliàs damnum dederint, non ſit locus conſtitutioni. Si verò homines unius loci Eccleſiæ ex propoſito invaſerint, rapuerint, vel deprædati fuerint homines alterius loci Eccleſiæ, locus eſt conſtitutioni.

NONUM DUBIUM.

ITem, ſi conſtat, quòd dicta conſtitutio habet locum, an poſſit Epiſcopus, vel officialis eam non ſervare, & de jure communi procedere, cùm pœna legis non ſit in arbitrio judicantis.

Declaratio noni dubii.

VIdetur, quòd ſi Epiſcopus; vel officialis ejus requiratur ſervare conſtitutionem, cùm locus conſtitutioni fuerit, teneatur eam ſervare, & indicere ceſſationem auctoritate ejuſdem, niſi aliud pars requirens duxerit tolerandum. Ubi verò Prælatus ex ſuo tantùm procedat officio, in ſua remaneat libera poteſtate, utrum in totum, vel in partem ſervet eandem.

DECIMUM DUBIUM.

ITem, ſi facta reſtitutione debet ceſsari, donec excommunicatus fuerit abſolutus.

Determinatio decimi dubii.

VIdetur, quòd facta reſtitutione rapinæ, vel liberatione perſonæ detentæ, debeat tolli ceſsatio.

UNDECIMUM DUBIUM.

ITem, an propter invaſorem ſeu raptorem captum ſit ceſsandum, cùm recedere non poſſit.

Determinatio undecimi dubii.

VIdetur, quòd propter illum, qui captus ſine fraude tenetur, non debet ceſsari.

DUODECIMUM DUBIUM.

ITem, cùm in conſtitutione: *Pia*, dicatur, quòd Epiſcopi, & eorum officiales, non per delegatos, ſed per ſeipſos faciant conſtitutionis proceſsum, dubitatur, utrum poſſint delegare aliis teſtium receptionem producendorum ad inſtructionem negotii, & utrum talibus delegatis liceat abſque pœna dictæ conſtitutionis: *Pia*, recipere ſalarium pro labore.

Determinatio duodecimi dubii.

VIdetur, quòd abſque dubio hujuſmodi delegationes fieri poſſint. Sed caveant vbi officiales, quòd non participent in ſalario delegatorum: quia aliàs prædictam pœnam non evitabunt.

CAPUT XXIII.

Finis Bullæ præinſertæ domini Clementis Papæ VI, confirmatoriæ præcedentium conſtitutionum, & dubiorum, ac declarationum eorum.

NUlli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ratificationis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem contra hanc paginam attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni, nono Kalendas Julii, pontificatus noſtri anno decimo.

CAPUT XIV.

Vetantur Abbatiſſa, & conventus monaſterii Valliſdonzellæ, divina per ſacerdotes curare celebrari, cùm in diœceſi Barcinonenſi ceſſatur à divinis.

CLEMENS PAPA VII.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Juſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favore proſequimur opportuno. Sanè petitio venerabilis fratris noſtri Raymundi Epiſcopi, & dilectorum filiorum capituli Barcinonenſis nobis exhibita continebat, quòd olim bonæ memoriæ Petrus, Benedictus, ac Bernardus, & Rodericus, necnon Eximinus, & Arnaldus Archiepiſcopi Tarraconenſes, ac Joannes Patriarcha Alexandrinus, tunc adminiſtrator Eccleſiæ Tarraconenſis in ſpiritualibus & temporalibus, auctoritate Apoſtolica deputatus, in ſuis provincialibus Conciliis, eiſdem approbantibus Conciliis, quaſdam conſtitutiones pro bono & tranquillo ſtatu cleri provinciæ Tarraconenſis, ac favore Eccleſiaſticæ libertatis ipſius, diverſis temporibus ediderunt: idemque Joannes Patriarcha adminiſtrator, & Arnaldus Archiepiſcopus, nonnulla quibuſdam ex conſtitutionibus ipſis addiderunt, & aliquas ex ipſis etiam declarârunt: quodque per eas Eccleſiæ civitatum, villarum, & locorum dictæ provinciæ debent in certis caſibus expreſſis in ipſis contra invaſores, raptores, deprædatores hominum Eccleſiarum, rerum, & locorum religioſorum, ac nonnullas alias perſonas in conſtitutionibus ex-

preſſas eiſdem, à divinis ceſſare, & quòd poſtmodum felicis recordationis Clemens Papa VI. prædeceſſor noſter, illas ex certa ſcientia confirmavit: quodque dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & conventus monaſterii Valliſ-donzellæ extra muros Barcinonenſes, Ciſtercienſis Ordinis, quibus nuper, ut quotieſcumque contingeret Eccleſias, vel monaſteria civitatis, vel diœceſis Barcinonenſis, vel ipſam civitatem quovis modo & caſu interdici, liceret eis in dicto earum monaſterio Miſſam, & alia divina officia januis apertis & campanis pulſatis, excommunicatis, & interdictis excluſis, per presbyteros idoneos alta voce facere celebrare, auctoritate Apoſtolica per noſtras literas duximus indulgendum, prætextu literarum ipſarum, in quibus de dictis conſtitutionibus, additionibus, & declarationibus nulla fit mentio, tempore, quo contra invaſores, raptores, & deprædatores hujuſmodi, vel aliàs vigore prædictarum conſtiſtitutionum in Eccleſiis, & monaſteriis civitatis ipſius, quæ de provincia prædicta exiſtit, generaliter à divinis ceſſatur, hujuſmodi divina alta voce, apertis januis, & pulſatis campanis in dicto ipſarum monaſterio, quod etiam in provincia ipſa exiſtet, faciunt celebrari: quodque propterea plurima inconvenientia ſecuta fuerunt, & majora ſequi veriſimiliter dubitatur; cùm invaſores, raptores, & deprædatores præfati in civitate prædicta ſtare ex eo liberiùs permittantur, quòd populus civitatis ipſius, tempore ceſſationis hujuſmodi ad eadem divina ad idem monaſterium admittitur, ſicque ſatisfactio retardatur, & nervus Eccleſiaſticæ contemnitur diſciplinæ. Nos igitur attendentes, quòd indultum hujuſmodi, dum in Eccleſiis, vel monaſteriis, aut civitate prædictis vigore conſtitutionum ipſarum à divinis ceſſatur, locum habere non poteſt, cùm interdictum Eccleſiaſticum, & hujuſmodi ceſſatio à divinis non modicum differre noſcantur, dictorum Epiſcopi, & capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, eiſdem Abbatiſſæ & conventui tenore præſentium diſtrictiùs inhibemus, ne prætextu hujuſmodi indulti, tempore quo in civitate prædicta, vel ejus Eccleſiis vigore dictarum conſtitutionum ab hujuſmodi divinis ceſſari debebit, ipſa in dicto monaſterio celebrent, aut celebrari faciant, ſeu permittant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione quarto nonas Junii, Pontificatus noſtri anno decimo.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXV.

Qui publicè denunciatus clericus abſolvi neglexerit, pecuniâ multandus, & ſi ultra annum perſtiterit, officio & Beneficio ſuſpendendus.

CUM medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis; diſciplinans, non eradicans; dummodo is, in quem lata fuerit, non contemnat; hoc conſultiſſimo ſtatuimus edicto, quòd ſi clericus in quocumque ordine conſtitutus canonicè fuerit excommunicationis vinculo innodatus, & publicè nunciatus, & negligens in abſolutione petenda per ſex menſes continuè in excommunicatione ipſa contumaciter ex certa ſcientia perſtiterit; quia nihil obedientia prodeſſe videtur humilibus, ſi ejuſdem contemptus contumacibus non obeſſet; ſi Beneficium Eccleſiaſticum habuerit, pœnam viginti morapetinorum incurrat: quòd ſi Beneficiatus non fuerit, pœnam decem morapetinorum præſtare cogatur ærario ſui Ordinarii applicandam. Si verò propriæ ſalutis oblitus, per annum continuum in prædicta excommunicationis ſententia perduraverit, Pharaonico animo damnabiliter obſtinatus; quia creſcente contumacia creſcere debet & pœna, ſtatuimus, ut 40. aureos ſuo Ordinario applicandos ſolvere teneatur. Si verò ultra annum in excommunicatione perſtiterit, tamdiu ab officio, & omnibus Beneficiis, quæ obtinet ſi eo ipſo ſuſpenſus, donec ſe abſolvi fecerit; & poſtea nihilominus tanto tempore, quanto poſt annum, ut præmittitur, in excommunicatione permanſerit: nec per Ordinarium aliter poſſit abſolvi, nec pœna prædicta remitti: aliter autem abſolutio impenſa nullius penitùs ſit momenti.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXVI.

Religioſi, & non exempti, ſicut pro ſe conſtitutiones Tarraconenſes admittunt, ſi in eas alii commiſerint, ita contra ſe admittere tenentur.

FRequens plurimorum clamor noſtrum propulſavit auditum, quòd nonnulli religioſi, exempti & non exempti, etiam de ordine militari, potiùs propriis, quàm reipublicæ noſtræ provinciæ commodis inhiantes, cùm eis in perſonis propriis, locis, hominibus, vel aliis bonis ſuis injuriæ, damna aliqua, ſeu violentiæ per quempiam irrogantur, nos, ſeu

cu-

curiam noſtram, & venerabilium fratrum noſtrorum ſuffraganeorum adeunt, ut ſibi per conſtitutiones in ſacris Conciliis Tarraconenſibus contra invaſores, raptores, & deprædatores hominum Eccleſiarum, rerum Eccleſiaſticarum, & locorum religioſorum factas, & ſalubriter emendatas ſuccurratur de remedio competenti in dictis conſtitutionibus expreſſo: quod quidem remedium, cùm contra ipſos in dictas conſtitutiones committentes ad inſtantiam aliquorum, vel aliàs ex officio proceditur, non curant admittere, nec eiſdem volunt ſubjici, ſed potiùs liberari; obliti conſilii Sapientis, quo cavetur, patere legem, quam tu ipſe tuleris; & canonicarum, & imperialium legum, quæ publicè confitetur, quòd quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debet eo uti: fruſtra legis auxilium implorat qui committit in legem. Nos igitur præfatus Archiepiſcopus, approbatione ejuſdem ſacri Concilii ſtatuimus, quòd dicti religioſi, etiam ſi fuerint de ordine militari, ſicut pro ſe dictas conſtitutiones admittunt; contra ſe, ſi in eas commiſerint, admittere teneantur. Quod niſi fecerint, dictarum conſtitutionum commodo & auxilio, præſentis ſanctionis auctoritate, ipſo facto decernimus eſſe privatos: præcipientes dictis noſtris ſuffraganeis, vicariis, & officialibus eorundem, ne in eo caſu ad inſtantiam ipſorum, nec ex officio dictas conſtitutiones obſervent.

Idem in eodem.

CAPUT XXVII.

Ceſſandum eſſe à divinis in eorum præſentia, qui exſecutores, ſeu nuncios curiarum Eccleſiaſticarum, quoquomodo per ſe, vel per alium læſerint.

PRocedit à rationis & juris tramite, quòd ubi majus eſt periculum, ibi proculdubio eſt pleniùs & ſalubriùs providendum. Quàm autem grave ſit, & onuſtum diſpendiis, & quot, & quantis ſit plenum periculis, Eccleſiaſticæ juriſdictionis exercitium noſtræ provinciæ, his præſertim temporibus exercere; non ſolùm exacti conſideratio temporis docuit, ſed conſiderata etiam prudenter præſentis temporis diſcrimina indicant; quia nonnulli temporale dominium obtinentes, ſuis terminis non contenti, falcem ſuam in alienam ſegetem imponere non verentur, ſatagentes juriſdictioni Eccleſiaſticæ, quantum poſſunt, illudere, ac eam etiam exquiſitis coloribus uſurpare. Exſecutores namque ſeu nuncios noſtros & venerabilium fratrum noſtrorum, vicariorum, aut officialium literas eis, & ſubditis ſuis, ſeu in dominio ipſorum conſiſtentibus, juſtitiæ differentes non ſolùm capiunt, ſed etiam interimunt, vulnerant, & atrociter verberant, ac præcepta ſuis ſubditis faciunt de interimendis eiſdem, in Dei offenſam notoriam, & ipſorum grande periculum animarum. Quapropter nos Archiepiſcopus ſupradictus, prout decet & expedit, talia attentantes, qui ipſo jure tamquam impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam, excommunicati exiſtunt, congruis remediis ab hujuſmodi auſibus retrahere, & ad Dei ſemitam reducere cupientes; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd ſi talia, & tam nefanda crimina, quod abſit, per aliquem Ducem, Marchionem, Comitem, Vice-comitem, nobilem, Baronem, militem, civem, burgenſem, generoſum, vel non generoſum, & officiales eorum, conſules, paciarios, conſiliarios civitatum, vel villarum, caſtrorum, & locorum temporale dominium obtinentes, vel aliquem ejus loco in noſtra provincia Tarraconenſi commiſſa de cætero fuerint, omnia loca, caſtra, ſeu villæ committentis hujuſmodi facinus, in diœceſi, in qua commiſſum fuerit, conſtituta, ipſo facto ſint ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto. Quod quidem interdictum in Eccleſiis Cathedralibus, & propinquioribus circumvicinis Eccleſiis, ſi commodè alibi denunciari non poterit, ſufficiat publicari, & proceſſus neceſſarius fieri in eiſdem.

Idem in eodem.

CAPUT XXVIII.

Abſolutio ad cautelam prohibetur concedi invaſoribus excommunicatis, & de facto conceſſa non valere declaratur.

NAturalis dictat ratio, ac experientia manifeſtat, quod novis morbis nova convenit antidota præparari. Cùm autem ab aliquibus citrà temporibus nonnulli excommunicati auctoritate conſtitutionum ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium contra invaſores, raptores, & deprædatores hujuſmodi Eccleſiarum, rerum Eccleſiaſticarum, & locorum religioſorum ſalubriter promulgatarum munus abſolutionis ad cautelam obtinere nitantur, quod numquam, vel rarò fieri conſuevit: approbatione ejuſdem ſacri Concilii, hoc fieri prohibemus: ſtatuentes, quòd ſi de facto fuerint abſoluti, non valeat abſolutio ſic obtenta.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXIX.

Procedendum in dominos temporales, qui clericos privilegium clericale allegantes, è ditione ſua expellunt.

CÆterùm, quia fide dignorum relatu percepimus, quòd nonnulli dominium temporale obtinentes in civitatibus, locis, caſtris, & villis infra provinciam Tarraco-

co-

conenſem, illudentes Eccleſiaſticæ libertati, presbyteros, & clericos ſimpliciter tonſuratos, vel etiam conjugatos, & perſonas alias Eccleſiaſticas, ſi coram eiſdem dominis vel officialibus allegant tonſuram, vel cùm caſus occurrerit, quòd gaudere volunt privilegio clericali; vel ſi pecunia eis data, vel mutuata non fuerit, quam nituntur à dictis presbyteris vel clericis exigere, vel exquiſitis coloribus, & figmentis, vel quod dicunt eos habere ſuſpectos, ſeu aliàs pro libito voluntatis de dictis civitatibus, caſtris, villis, & locis, & ipſorum dominio de facto expellunt, vel expelli faciunt, bannium, vel banniri faciunt; de voluntate, & aſſenſu ſacri Concilii ordinamus, ut contra dominos, vicarios, officiales, ſeu bajulos dictorum dominorum, & alios talia facientes, qui in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerint, vel ratum habuerint, procedatur per conſtitutiones ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium editas contra invaſores, raptores, & deprædatores hominum Eccleſiarum, rerum Eccleſiaſticarum, & locorum religioſorum per nos & ſuffraganeos noſtros, vicarios, & officiales noſtros, & ipſorum, prout in aliis caſibus fuit hactenus in Tarraconenſi provincia fieri aſſuetum: præfatas conſtitutiones contra talia impiè attentantes, & dantes eis in hoc auxilium, conſilium, vel fauorem, quos volumus pœnis & cenſuris dictarum conſtitutionum ipſo facto ligari, penitùs extendentes.

Idem in eodem.

CAPUT XXX.

Domini temporales, bajuli, officiales, qui ſuas Eccleſias vacantes per vim ſtabiliunt, & novos rectores ingredi non permittunt, excommunicantur, Eccleſiis etiam interdicto ſubjectis.

AD tollendum, & penitùs evitandum abuſum, qui in quibuſdam locis diœceſſis, ac provinciæ Tarraconenſis pullulavit, videlicet quòd rectoribus, ſeu vicariis perpetuis Eccleſiarum parochialium, rebus exemptis humanis, nonnulli domini temporales, bajuli, ſeu officiales ipſorum Eccleſias ſic vacantes cum armis ſtabiliunt, vel ſtabilire permittunt, ponẽtes inibi armatos homines, qui ſine licentia dominorum temporalium novos rectores ingredi in Eccleſias eis debitas non permittunt; immo, quod eſt perniciosum exemplum, eos redimi faciunt, recipiendo pecuniam ab eiſdem; & bona ipſorum occupant & diſtrahunt, ante quàm poſſeſſionem Eccleſiarum valeant adipiſci: hoc fieri de cætero prohibemus omnino. Quod ſi ſecus actum fuerit, dominos temporales, bajulos eorum, vel quoſcumque alios, auctoritate preſentis ſanctionis ipſo facto excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere: & Eccleſias ſic ſtabilitas, & per aliquos occupatas, propter delictum dominorum, ſeu officialium ſuorum, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto: donec de injuria facta nobis, vel diœceſano, in cujus diœceſi hoc delictum commiſſum fuerit, & rectori taliter impedito, ac de expenſis, & damnis inde illatis fuerit integrè ſatisfactum.

Idem in eodem.

CAPUT XXXI.

Ubi potentibus præſentari nequeunt literæ ſine periculo, pro præſentatis debere haberi, ſi in duabus vicinis parochiis à rectoribus fuerint publicatæ.

QUIA malitia delinquentium ſuccreſcente, cùm per Prælatos, vicarios, vel officiales eorum ex officio, vel ad partis inſtantiam per conſtitutiones ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium contra eos proceditur, talis proceſſus per delinquentes, ſeu invaſores hujuſmodi, præſertim potentes pluries impeditur: qui exquiſitis fraudibus nuncios ad eos portantes literas, ut coram ipſis Prælatis, vicariis, & officialibus compareant, vel procedant, interimunt, capiunt, vel alias faciunt & procurant, quod hujuſmodi literæ ad eorum notitiam nequeant pervenire: ſtatuimus, quòd in dictis caſibus, & etiam ſi ſine periculo vel ſcandalo veriſimili nunciorum eaſdem deferentium, commodè præmiſſæ literæ illis, contra quos emanaverint, præſentari non poſſent, literas, quæ talibus delinquentibus ſeu invaſoribus diriguntur, in duabus parochiis circumvicinis ipſarum Eccleſiarum rectoribus ſufficiat præſentari. Quibus per dictos rectores in ſuis Eccleſiis publicè lectis, perinde illi, quibus literæ diriguntur, parere contentis in dictis literis teneantur, ac ſi eædem literæ eſſent eiſdem delinquentibus vel invaſoribus præſentatæ: & ſic conſequenter in negotio ſeu cauſſa procedatur.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXXII.

Ordinarios ante ſatisfactionem reos abſolventes, ad ſatisfactionem pro illis teneri.

QUerelis percepimus plurimorum, quòd Ordinarii, & eorum officiales ad partis inſtantiam excommunicationis ſententia ex facto proprio innodatos abſolvere non formidant; ſatisfactione parti, ad cujus inſtantiam ſunt ligati, & eorum aſſenſu minimè exſpectatis. Quod fieri prohibemus: ſtatuentes, Ordinarios, vel officiales talia attentantes, parti ad intereſſe omnimodo obligari.

Idem.

Idem in eodem.

CAPUT XXXIII.

Licere Archiepiſcopo contra ſubditos ſuffraganeorum rerum Eccleſiaſticarum violatorum, juxta conſtitutiones: De invaſoribus, &c. *procedere, atque id impedientes excommunicari.*

QUoniam aliqui curioſi diſceptantes de his, quæ non multum expediunt; & plura ſapere, quàm oporteat, contra doctrinam Apoſtoli temerè appetentes, in dubitationem ſolicitam vertere dignoſcuntur, quod à noſtris prædeceſſoribus providè noſcitur ſtatutum in conſtitutione incipiente: *Ad reprimendam*, verſiculo: *Statuentes*, & à ſummis Pontificibus confirmatum, an nos, & officialis noſter Tarracone requiſiti per totam provinciam obſervare & obſervari facere valeamus conſtitutiones per prædeceſſores noſtros editas contra raptores, invaſores perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum, ac bonorum, & hominum eorundem diffidatores, damnificatores perſonarum, ac bonorum Eccleſiæ, fautores & defenſores raptorum, & damnificantium prædictorum: nos, ſacro Concilio requirente, & unanimiter approbante, cupientes hæſitationis materiam amputare, declaramus, quaſcumque conſtitutiones à prædeceſſoribus noſtris editas contra dictos raptores, invaſores perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum, ac bonorum omnium & hominum eorundem diffidatores, damnificatores, receptatores raptorum, & damnificantium prædictorum, nos, & officialis noſter, qui Tarracone nunc ſumus, & qui pro tempore fuerint, per quemcumque de provincia, & quotieſcumque fuerimus requiſiti contra quoslibet de provincia, & qui infra eandem dicta crimina commiſerint, ſeu quomodolibet deliquerint, & etiam abſque requiſitione, & ex officio pro nobis, & Eccleſia Tarraconenſi, ac canonicis ejuſdem, noſtris & ipſorum familiaribus quibuſcumque, poſſimus liberè per totam Tarraconenſem provinciam obſervare, & facere obſervari: & ſecundùm earum formam contra prædictos in qualibet diœceſi ſuffraganeorum noſtrorum, & contra ipſorum ſubditos, & ad eorum requiſitionem, & pro dictis delictis ibidem perpetratis procedere, & procedi facere ſuper eis. Et ſuper his noſtri ſuffraganei, & eorum officiales, ac ipſorum ſubditi teneantur nobis, ſeu officiali noſtro, noſtriſque ſucceſſoribus, & eorum officialibus obedire: non ſolùm pro committendis in futurum contra conſtitutiones prædictas, ſed etiam pro his, quæ contra eas ſunt jam commiſſa: officiales & ſubditos dictorum ſuffraganeorum, ſacro approbante Concilio, ſi in præmiſſis impedimentum præſtiterint, excommunicationis ſententiâ innodantes: à qua niſi per nos & officialem noſtrum abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Nulli ergo liceat, declarationem hujuſmodi interpretari, reſtringere, vel arctare, ſi excommunicationis ſententiam, approbante Concilio, per nos latam contra hujus antiqui ſtatuti declarationem hæſitantes, in dubium vertentes, ſeu etiam reſtringentes, cupiant evitare.

Idem in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXXIV.

Clericos aut ejus miniſtros atrociter percutientes excommunicandi; & in eorum præſentia ceſſandum à divinis.

PRovidè attendêtes, quòd raptores, deprædatores hominũ Eccleſiarum Eccleſiaſticarũ rerũ, locorum religioſorum, excommunicationis ſententiâ, ſacro approbante Concilio, innodantur, & in pœnæ aggravationem, in eorum præſentia ceſſatur etiam à divinis: animadvertentes, perſonas majori, quàm res debere privilegio & immunitate gaudere; de communi totius Concilii ſacri conſilio & aſſenſu, ſtatuendo declaramus, vulnerantes, vel atrociter percutientes Prælatos, vel vicarios eorum, ſeu officiales, vel decanos, vel canonicos, religioſos, vel alios clericos in ſacris ordinibus, vel Beneficiatos, aut procuratores fiſcales dictorum Prælatorum, ſeu eorum officialium, dum tamen clerici ſoluti exiſtant, ſubjacere pœnis & ſententiis ſupradictis: & in eorum præſentia ceſſari debere penitùs à divinis, juxta modum & formam, quæ in conſtitutionibus: *Item cùm quidam*, &: *Olim*, contra invaſores editis continentur: aliis pœnis in Jure, & conſtitutionibus appoſitis nullatenus derogantes.

Idem in eodem.

CAPUT XXXV.

In præſentia diffidantium, ſeu acuidantium Eccleſiaſticos ceſſandum à divinis.

QUoniam ex pœnis in conſtitutione incipienti: *Prædeceſſorum noſtrorum, &c.* impoſitis contra diffidantes, ſeu acuidantes Prælatos, vel alias perſonas Eccleſiaſticas in dicta conſtitutione contentas, propter temporis malitiam, & multorum (proh dolor!) pravitatem, præfato morbo, ut decet, non eſt uſquequaque proviſum, quominus Dei timore, & pœnis præfatis poſtpoſitis & ſpretis nonnulli diffidare, ſeu acuidare perſonas Eccleſiaſticas in præfata conſtitutione contentas, & dictis diffidantibus dare conſilium, auxilium, vel favorem nullatenus vereantur; iccircò, quia creſcente malitia, debet creſcere ipſa pœna, adjiciendo ſtatuimus, quòd ſi poſt monitionem factam perſonaliter vel publicè in Eccleſia, ubi domicilium habuerint diffidantes, ſeu acuidantes

tes præfati, per rectorem, ſeu ejus locum-tenentem, vel per alium loci ſui de mandato Prælati ipſius rectoris, vel officialis ejuſdem infra decem dierum ſpatium præfata acuidamenta, ſeu diffidamenta non revocaverint cum effectu, ex tunc in Eccleſiis civitatum, villarum, vel locorum, quamdiu præfati diffidantes ſeu acuidantes præſentes fuerint, ceſſetur penitùs à divinis; ut ceſſatur, ſeu ceſſari debet in præſentia invaſorum, raptorum, deprædatorum hominum Eccleſiarum, Eccleſiaſticarũ rerum, & locorum religioſorum: aliis pœnis in præfata conſtitutione contentis in ſuo robore duraturis.

Idem in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XXXVI.

Qui captum clericum, vel monachum, habitum geſtantem regularem, requiſitus non reſtituerit, pœnas contra invaſores, &c. conſtitutas incurrat.

JUſtum quidem decernimus, & neceſſitate compellimur, nos Ennecus miſeratione divina ſanctę Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Provinciale Concilium celebrantes, quòd in his quæ ſunt ſalubriter proviſa, ſi declaratione vel additione indigeant, prout experientia docuerit, debitum proviſionis remedium apponamus. Cùm itaque in modo procedendi vigore conſtitutionum Provincialium De invaſoribus contra delinquentes, in eis per nos, approbatione ſacri Concilii edito, ſit proviſum, quod contra detinentem notoriè clericum, vel monachum, fratrem Minorem, vel hujuſmodi ſimilem habitum geſtantem regularem, ſi requiſitus eum reſtituere noluerit, ſine aliqua informatione, pœnæ dictarum conſtitutionum contra eum declarentur: & de capto non notoriè clerico recipiatur informatio ſummaria, ſi eſt clericus gaudens privilegio clericali; & contra detinentem procedatur juxta tenorem decretalis: *Si judex laïcus*, *De ſententia excommunicationis*, libro ſexto. Adjicimus ſacri approbatione Concilii, & declaramus, quòd ſi per dictam informationem conſtiterit, dictum talem captum eſſe clericum gaudentem privilegio clericali, contra detentorem ejuſdem procedatur ad declarationem dictarum conſtitutionum, uti de notorio clerico eſt proviſum.

Idem in eodem.

CAPUT XXXVII.

Domini temporales malefactores infra certum tempus ejicere teneantur, ſub pœna excommunicationis, & ceſſationis à divinis in eorum præſentia.

ITem, cùm in conſtitutione per bonæ memoriæ Petrum Archiepiſcopum Tarraconenſem prædeceſſorem noſtrum edita, incipiente: *Olim excommunicâſſe recolimus*, caveatur, quòd quamdiu principales malefactores, invaſores, & raptores bonorum, & rerum Eccleſiarum, & hominum, ac locorum eorum fuerint in aliqua civitate, vel villa; in eorum præſentia ceſſetur penitùs à divinis: & ſæpè accidat, quòd quidam domini civitatum, & villarum hujuſmodi, & eorum officiales, eorum, qui deprædati ſunt, damna non ſentientes, & ipſorum, & Eccleſiæ injurias pro nihilo habentes, malefactores prædictos multo tempore ſuſtinentes, quandoque in odium Eccleſiarum, & damna paſſorum prędictorum; ex quo delictorum eorundem eſſe videntur participes & conſortes: dignumque reputemus, quòd tales etiam pœnas ſenciant eorum, ſacri Concilii approbatione adjicimus & ſancimus, quòd ſi dominis civitatis, villæ, caſtri, aut loci, in quibus malefactores fuerint receptati; vel eorum officialibus conſtiterit, tales malefactores fuiſſe per octo dies receptatos, niſi eoſdem à ſuis civitatibus, caſtris, villis, vel locis infra dies decem poſt dictos octo dies immediatè ſequentes requiſiti ejecerint cum effectu, ita quòd ampliùs ad ipſas, vel ipſa, vel juriſdictiones eorum non redeant, tales domini, & eorum officiales ſimili ſint excommunicatione ligati: & in eorum præſentia; ut in fautoribus & receptatoribus ceſſetur penitùs à divinis. Ab hac tamen pœna tantùm excludimus dominum Regem & dominam Reginam, & eorum primogenitum, & ejus uxorem.

Idem in eodem.

CAPUT XXXVIII.

In officiales dominorum temporalium, clericorum conjugatorum reorum bona capientes, & Eccleſiaſtico judici non permittentes per excommunicationem, & tamquam in invaſores procedendum.

QUidam officiales ſæculares provinciæ Tarraconenſis privilegium clericis conjugatis à ſacris Canonibus indultum, quo pro exceſſibus, ſeu delictis per eos commiſſis, ſeu de quibus delati fuerint, in perſonis, & bonis de Eccleſiaſtici judi-

judicis foro exiſtunt, eis auferre, & Eccleſiaſticam juriſdictionem ſibi uſurpare callida fraude ut percepimus, cupientes, privilegium prædictum', quoad perſonas dictorum clericorum reſtringunt, bona verò eorundem eſſe aſſerunt, licet fictè, de foro ſæculari: & his non contenti, multotiens dictos clericos in odium juriſdictionis Eccleſiaſticæ capiunt, & eorum bona occupant, etiam de facto: & quum ex his per Eccleſiaſticum jdicem proceditur contra eos pro dictorum bonorum reſtitutione, reſpondent, & excipiunt contra veritatem, quòd dicta bona non capiunt ratione delicti, ſed eo quòd eſſe aſſerunt domini temporalis; & quòd dominus temporalis vult, quòd ipſa bona capiantur & occupentur per eoſdem. Nos autem huic pernicioſo abuſui obviare, & Eccleſiaſticæ juriſdictioni, ut illibata perſiſtat, providere debito remedio cupientes, approbante ſacro Concilio, excommunicamus quoſcumque officiales, & perſonas quacumque auctoritate, vel poteſtate fungantur, talia attentantes: & contra ipſos & ipſas, ut invaſores & occupatores rerum, & bonorum, ac jurium Eccleſiæ, prout revera exiſtunt, procedi volumus; & pœnas conſtitutionum *De invaſoribus* in eis decernimus locum habere, & eſſe ſervandas.

Idem in eodem.

CAPUT XXXIX.

Tempore generalis interdicti, & ceſſationis à divinis, in ſingulis elevationibus, & corporis, & ſanguinis Chriſti majus cymbalum ter pulſandum: & continuanda oratio pro Eccleſiæ unitate.

REdemptoris noſtri mortem recenſemus, & ipſius miſericordiam imploramus, quotiens Euchariſtiæ ſacramentum veneramur, eique devotam & humilem reverentiam exhibemus. Ut igitur ipſius gratiam aſſequatur devotiùs populus Chriſtianus, ſtatuimus, ſacro Concilio ſuadente, quòd temporibus generalis interdicti, & ceſſationis divinorum, quando corpus Chriſti elevatur in qualibet, Eccleſiarum provinciæ noſtræ majus cymbalum in corporis Chriſti tribus vicibus, & aliis tribus vicibus in ſanguinis ejuſdem elevationibus pulſetur; ut ſic populus hujuſmodi ſigno admonitus, oret genu flexo, & indulgentias acquirere valeat conceſſas. Quodque oratio, quę pro unitate Eccleſiæ fiebat in qualibet diœceſi, continuetur & obſervetur. Si qui verò prædicta facere omiſerint, ſuorum Prælatorum arbitrio puniantur.

CAPUT XL.

Tarraconenſi & Cæſarauguſtano Archiepiſcopis, tum eorum ſuffraganeis, diſpenſandi conceditur facultas, tantùm ſuper irregularitate ex quibuſdam cenſuris, ſecum illis divinorum celebrationi immiſcendo, contracta.

MARTINUS PAPA V.

MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Tarraconenſi, & Cæſarauguſtano Archiepiſcopis, ac eorum ſuffraganeis; necnon Elnenſi, ac Majoricenſi Epiſcopis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex Apoſtolicæ ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ ſaluti animarum Chriſti fidelium conſulatur. Cùm itaque, ſicut ex parte veſtra nobis fuit expoſitum, multotiens contingat, clericos & ſacerdotes veſtrarum civitatū, & diœceſium, tam propter humanam fragilitatem, quàm juris ignorantiam, diverſis Eccleſiaſticis cenſuris, tam ab homine, quàm jure promulgatis illigatos, ex ignorantia, ſeu inadvertentia, vel oblivione ſe divinis officiis immiſcere, unde irregularitatis laqueo innodantur: nos ipſorum clericorum & presbyterorum ſaluti, commoditatibuſque conſulere volentes; veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, cuilibet veſtrum, cum omnibus & ſingulis clericis & ſacerdotibus ſuæ civitatis & diœceſis, tantùm ſuper irregularitate, quàm cenſuris hujuſmodi innodati divina, non tamen in contemptum clavium celebrando, aut ſe illis immiſcendo, contraxerunt, aut contrahent in futurum, diſpenſandi; omnemque irregularitatis & infamiæ maculam, ſive notam, per eos præmiſſorum occaſione contractā, abolendi, plenam & liberam concedimus tenore præſentium auctoritate Apoſtolica facultatem. Dat. apud Sanctos Apoſtolos, quarto idus Januarii, Pontificatus noſtri anno quartodecimo.

Petrus de Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebtato.

CAPUT XLI.

Sine ulla admonitione, aut citatione ad declarationem pœnarum de invaſoribus, & raptoribus conſtitutarum in delinquentes procedendum, ultra quas, ſi tales fuerint Eccleſiaſtici, ipſo facto exſecutione ordinum, & perceptione fructuum erunt privati.

LIcèt per multas laudabiles conſtitutiones fuerit ſtatutum & proviſum ſub certis pœnis, & cenſuris adversùs diffidantes, ſeu acuidantes; ſeu acuidari, ſeu diffidari facientes, vel procurantes; aut in hoc conſilium, auxilium, vel favorem dantes, & etiam guerram

abſque diffidamento facientes contra Archiepiſcopos, vel eorum officiales, ſeu Prælatum, aut religioſum, vel alium clericum Beneficiatum, aut in ſacris ordinibus conſtitutum, vel contra homines, & loca eorundem: & ſignanter circa hæc inveniatur, latiùs proviſum per conſtitutionem incipientem: *Prædeceſſorum noſtrorum, qui condemnaverunt*; & per aliam incipientem: *Ad reprimendam perverſorũ*; & aliam incipiẽ: *Quoniam ex pœnis*; veruntamen attendentes, hominum excreſcente malitia, id experientia edocente, præmiſſa parum attendi; neque pœnas, & cenſuras formidari, ſed potiùs negligi & parvi pendi. Ut igitur audacia perverſorum reprimi valeat, & ſimilia committendi omnis occaſio auferatur, præmiſſas, & alias conſtitutiones ſuper hujuſmodi diſponentes præſentis auctoritate Concilii approbantes & ampliantes, ſtatuimus etiam & ordinamus, ut qui in dictas commiſerint conſtitutiones, ultra dictas pœnas, & cenſuras in ipſis contentas, & in eos inflictas, ipſo facto ceſſent Eccleſiæ penitùs à divinis: & interdictum, ubicumque dicti malefactores moram traxerint, obſervetur juxta mentem, ſeriem, & tenorem conſtitutionum contra invaſores, raptores, & malefactores Eccleſiarum, & clericorum editarum: & conſtito ſummariè de eorum maleficio, ſtatim abſque aliqua monitione & citatione procedatur, ac procedi poſſit ad declarationem dictarum pœnarum excommunicationis & interdicti, & ad obſervationem earundem, non obſtante monitione decem dierum, vel aliis per alias conſtitutiones requiſitis, & contra tales ſecundùm formam & modum procedendi contra invaſores & malefactores Eccleſiarum & clericorum, tamquam contra potentes, vel à notorio procedi poſſit ad libitum Ordinariorum ex officio, vel ad inſtantiam partis. Et ſi tales malefactores clerici ſæculares fuerint in ſacris ordinibus conſtituti, vel Beneficiati, ſeu religioſi, ultra incurſionem pœnarum: & cenſurarum prædictarum, ab exſecutione ſacrorum ordinum, & perceptione fructuum ſuorum Beneficiorum exiſtant eo ipſo privati: donec abſolutionem à ſuo Superiore meruerint obtinere.

Idem in eodem.

CAPUT XLII.

Vi conſtitutionum contra eos procedendum, qui in clericos, ac religioſos ſacris initiatos quoquo modo violentas manus injecerint.

CUM jure diſponente omnes illi, qui violentas manus injecerint contra clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, Beneficiatos, ſeu religioſos, ligentur cenſuris ipſo facto: nec non de jure divino ſit diſpoſitum quòd prædicti non ſunt tangendi præter ipſorum voluntatem; approbantes conſtitutiones circa ea diſponentes, de novo ſacro Concilio approbante decernimus, ut removeatur omne dubium, quod hucuſque per aliquos ſuſcitabatur ſuper injuria ſeu vulneratione atrociter facta in perſonis clericorum, & Beneficiatorum, ac clericorum religioſorum. Declaramus, quòd omnes illi, qui ex propoſito violentas manus injecerint quoquo modo in perſonas ipſorum clericorum, ac religioſorum in ſacris ordinibus conſtitutorum, ſeu Beneficiatorum, ſeu religioſorum, ſint excommunicati: & procedi valeat & poſſit contra ipſos per querelam conſtitutionum ſacri Concilii Tarraconenſis editarum, tamquam contra invaſores, raptores, juxta mentem, ſeriem & tenorem ipſarum: & in ipſorum præſentia ceſſandum à divinis, prout dictæ conſtitutiones decernunt, & modus procedendi ſe habet.

Idem in eodem.

CAPUT XLIII.

Eccleſias contra Ordinariorum voluntatem detinentes iis pœnis afficiendi, quæ invaſoribus & raptoribus, & notoriis clericorum violatoribus ſunt conſtitutæ.

QUamvis à prædeceſſoribus noſtris fuerit proviſum per conſtitutiones editas contra laïcos, Eccleſias ſub colore juris patronatus, quod in eis habent, & habere ſe aſſerunt, vel aliàs, occupantes: & etiam contra clericos ſæculares & regulares, qui per potentiam laïcorum Eccleſias & Beneficia detinent, præter, & contra voluntatem Ordinariorum, ſub pœnis & cenſuris: verumtamen, ut experientia docet, quę magiſtra omnium rerum exiſtit, dicti laïci, non obſtantibus dictis cenſuris & conſtitutionibus faciunt, quod pejus eſt, dictas Eccleſias, & Beneficia detineri per Sarracenos, ſeu quaſcumque alias perſonas, tam Eccleſiaſticas quàm ſæculares, fructuſque ipſarum Eccleſiarum, & Beneficiorum aſportari faciunt per prædictos. Et cùm non ſit dubium, quin tam prædicti, quàm mandantes, conſentientes, facientes, & fieri facientes, & in his dantes conſilium, auxilium, vel favorem, ſint excommunicati; ad reprimendam audaciam, & temeritatem omnium prędictorum adjicimus, & de novo, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus contra talia facientes, cujuſcumque gradus, præeminentiæ, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, etiam ſi ſint domini temporales, & potentes, mandantes, dantes conſilium, auxilium, vel favorem tacitè, vel occultè facientes, poſſit & valeat procedi per viam conſtitutionum ſacrorum Conciliorum de invaſoribus, & incidant in pœnas contra invaſores editas: & in ipſorum præſentia ceſſari debeat à divinis, ſervata procedendi forma in dictis conſtitutionibus tradita ſuper notorio: & etiam in loco, civitate, vel villa, ubi ipſi infideles, & Sarraceni, aut alii prędicti fuerint, ſeu præda, ceſſetur penitùs à divinis, prout dictæ conſtitutiones de invaſoribus diſponunt: &

etiam

etiam quòd Chriſtiani non poſſint communicari cum ipſis Sarracenis, neque aliquod commercium exercere. Contrarium facientes, ipſo jure & facto, trina canonica monitione præmiſſa, ſunt excommunicati. In quam excommunicationem declaramus ipſos incidiſſe: mandantes eodem ſacro Concilio approbante, quòd locorum Ordinarii, ſeu eorum officiales publicent ſupradictos Chriſtianos talia facientes, aggravando ipſos, prout juſtum fuerit, uſque ad invocationem brachii ſæcularis; & etiam ponere interdictum generale, ſeu ſpeciale in loco, & territorio illius dominii, in quo delictum fuerit commiſſum; ſi dictis Ordinariis, ſeu ſuis officialibus viſum fuerit, donec debitam ſatisfactionem fecerint de præmiſſis. Quod interdictum non poſſit relaxari ſimpliciter, vel ad cautelam, niſi de conſenſu Ordinariorum, & parte ſatisfacta & contenta, cujus intereſt, & Prælati Eccleſiarum, presbyteri, ſeu clerici in his dantes conſilium, auxilium, vel favorem, ſeu fieri mandantes, occaſione quorum prædicta fuerint perpetrata, ſeu prædicta rata habentes, ipſo jure & facto, ſint privati Jure, ſi quod in ipſis Eccleſiis vel Beneficiis eis competat, ultrà cenſuras deſuper fulminatas, quas ipſo facto & jure incurrant, & in ipſis locum volumus vindicare.

Hieronymus ab Auria Cardinalis & Archiepiſcopus, in quinto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT XLIV.

Maturè, neque pro levibus delictis excommunicationis aut interdicti generalis ſententiam proferendam; ſed particularem interdum irrogandam excommunicationem, aut interdictum, aut etiam ſi res tulerit, cenſuram proferendam.

CUM in Eccleſia Dei non ſit major pœna excommunicationis ſententiâ, caveant Ordinarii, & alii, quibus competit, ne illam paſſim proferant, nec ſint proclives ad interdicti ſententiam proferendam: cùm per eam infontes, ut culpabiles puniantur, & maturiùs ſit intendendum, ubi majus animarum imminet periculum. Et pro delictis levibus, aut aliis, pro quibus ad capturam, & capti detentionem procedi non poteſt ſecundum jura, non eſt ad interdicti ſententiam, & ceſſationis generalis à divinis procedendum: ne tam gravis ſententia, pro levibus delictis prolata, in dies vileſcat; & ne quæ prodeſſe debent, noceant omnibus. In quibus tamen ſi videbitur, ad particularem delinquentis excommunicationem, ſeu excommunicationis declarationem, & ultimò ad interdictum particulare procedi poſſit. In aliis verò criminibus, & carcere, & detentione dignis, ſi fieri poſſit, ad capturam, & capti detentionem procedant, vel ad cenſuram proferendam: & nihilominus, quamprimùm poterunt, delinquentes capiant, & ab aliis officialibus aſſiſtentiam petant. Quibus captis pandantur Eccleſiæ, & cymbala & organa pulſentur, ac ſi capti abſoluti forent: qui tamen non relaxentur, donec parti læſæ ſatisfecerint competenter, & abſolutionis Beneficium meruerint obtinere.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT XLV.

Sententias etiam ipſo Jure impoſitas in ſuperioribus conſtitutionibus ferendas, non latas interpretari oportere, præterquam in majoribus criminibus, aut aliàs de jure communi, Pontificumve decretis irrogatis.

UT animarum conſcientiis conſulatur, ne propter multitudinem conſtitutionum, quæ tam à nobis, quàm à prædeceſſoribus noſtris editæ ſunt, quas nos, ſacro approbante Concilio, in unum volumen colligere & publicare intendimus, multorum conſcientiæ excommunicationis laqueis innodentur: cùm in multis caſibus ipſo jure imponantur, præter eos, qui jure communi, aut aliis cõſtitutionibus Romanorum Pontificum comprehenduntur; ejuſdem ſacri approbatione Concilii mucronem earundem cenſurarum ita temperandum eſſe cenſuimus, ut in majoribus tantùm criminibus eadem pœna intacta relinquatur: in cæteris verò, ſub quibuſcumque verborum formulis concepta ſint, etiam ſi ipſo facto, vel ipſo Jure in cenſuras incurriſſe violatores earundem conſtitutionum expreſſe dicatur: omnes ferendæ ſententiæ, & non latæ interpretari oportere de cætero declaramus. Conſtitutiones autem, quas intactas relinquimus propter criminum qualitatem, hæ ſunt:

Libro I. titulo XV. conſtitutio ſecunda Petri primi, quæ incipit: *Conſpiratorum.* (nunc tit XIV.)

Lib. II. tit. V. conſtitutio tertia ejuſdem Petri, incipit: *Quia nonnulli.* (nunc incipit: *Item quia nonnulli.*)

Lib. III. tit. VI. conſtitutio prima Joannis Patriarchæ, incipit: *Ut hi, quibus.* (nunc *Inter inutiles.*)

Et tit. VII. conſtitutio nona Petri de Luna, incipit: *Exſecrandæ.* (nunc: *In ſuperfluis.* tit. VIII.)

Et conſtitutio decima Enneci incipit: *Exactiones.* (nunc tit. IX.)

Et tit. XII. conſtitutio quinta Petri ſecundi, incipit: *Cùm nil ſit.* (nunc tit. XIV.)

Et tit. XVI. conſtitutio tertia Sanctii, incipit: *Cùm ad præſtationem.* (nunc tit. XVIII.

Et conſtitutio quinta Petri, incipit: *Quamvis cunctis.*

Et tit. XXI. conſtitutio quarta Joannis Patriar-

triarchæ, incipit: *Quia in aliquibus.* (nunc: *Inter inutiles.* tit. XXII.)

Et conſtitutio quinta ejuſdem, incipit: *Statuimus.* (nunc: *Item ſtatuimus* tit. XXII.)

Et conſtitutio ſexta Dalmatii, incipit: *Conſtitutionem.* (nunc: *Item conſtitutionem.*)

Et tit. XXIII. conſtitutio prima Petri primi, incipit: *Quia aliqui.* (nunc tit. XXIV. *Item quia aliqui.*)

Et tit. XXVIII. conſtitutio ſecunda Roderici, incipit: *Quorundam.* (nunc tit. XXIX.)

Et conſtitutio tertia Joannis Patriarchæ, incipit: *Licèt iniquum.*

Et conſtitutio quarta ejuſdem, incipit: *In nonnullis.*

Et conſtitutio quinta Petri ſecundi, incipit: *Dudum.*

Et conſtitutio octava Petri de Fuxo, incipit: *Avaritiæ.*

Lib. V. tit. V. conſtitutio ſecunda Joannis Sabinenſis, incipit: *Conſtitutionem.*

Et conſtitutio tertia ejuſdem, incipit: *Statuimus de cætero.*

Et conſtitutio quinta Bernardi, incipit: *Statuimus etiam.*

Et conſtitutio ſexta Joannis Patriarchæ, incipit: *Quamvis circa.*

Et conſtitutio ſeptima ejuſdem, incipit: *Abuſus.*

Et tit. IX. conſtitutio prima Roderici, incipit, *Quoniam.*

Et tit. X. conſtitutio prima Joannis Patriarchæ, incipit: *Pro animarum.*

Et tit. XIV. conſtitutio prima Petri primi, incipit: *Simili.*

Et tit. XVII. conſtitutio decima Petri de Fuxo, incipit: *Quæſtores.*

Et conſtitutio undecima ejuſdem, incipit: *Cùm in Eccleſiæ.*

Et omnes conſtitutiones poſitæ ſub titulo XVIII. *De ſententia excommunicationis.*

Et conſtitutiones in hac ſancta Synodo publicatæ.

QUATUOR MODI

Procedendi judicialiter contra invaſores, in vim ſacrorum Conciliorum Provincialium Tarraconenſium, editi in diverſis Provincialibus Conciliis.

Primus modus editus per Arnaldum in tentio Provinciali Concilio Tarraconæ celebrato.

DUbitatur autem, quomodo fiat proceſſus contra invaſores, & raptores, & alios ſupradictos; & contra quoſcumque, contra quos debet procedi per conſtitutionem ſacri Concilii Tarraconenſis. Et de uſu & conſuetudine, & obſervantia debet, & ſolet procedi contra ipſos per hunc modum. Venit ad judicium damnum paſſus, & proponit in articulis in ſcriptis coram Ordinario, vel ejus vices-gerente; quòd talis miles, vel alius fecit tale fore factum: ut puta, raubaverit, talem clericum, vel invaſerit talem rem Eccleſiaſticam, vel violenter fecerit hoc contra libertatem Eccleſiaſticam, & ſic de aliis, ſecundùm quòd continetur in conſtitutionibus ſacri Concilii Tarraconenſis. Et dictus judex receptis articulis à dicto conquerente, qui paratus eſt ſtare juri cuicumque de illa re, de qua agitur, debet, ſi inveniri poteſt, commodè, & citò citare dictum malefactorem, & dicere illi, quòd reducat talem in ſuam poſſeſſionem pacificam cum omnibus damnis & expenſis, quas, & quæ fecit, & ſuſtinuit pars conquerens: aliàs quòd dictus judex procedet contra ipſum per conſtitutionem ſacri Concilii Tarraconenſis. Et, ſi ipſe malefactor nolit interponere rationes juſtas, quòd hoc ſibi licuerit attentare: vel non invenitur, quia fortè receſſit cum præda; vel commodè, & citò citari non poteſt, & damnum paſſus, qui ſpoliatus eſt, fraudaretur, cùm de jure, afflicto non ſit danda afflictio, ſi talis malefactor exſpectaretur; tunc in eo caſu dictus judex recipere debet ſummariam informationem ſuper dictis articulis, non datâ, nec conceſsâ copiâ dicto malefactori: & ſi invenerit ita eſſe, debet dictus judex facere literas rectori, vel ejus locum-tenenti illius parochiæ, in qua degit dictus malefactor, & omnibus aliis clericis, ad quos præſentes pervenerint; quod denuncient talem publicè excommunicatum, & quamdiu ſit præſens ipſe malefactor, ſeu ejus præda, in eorum parochiis ceſſent penitùs à divinis: & inferatur cauſſa, quare hoc fiat, in literis ſupradictis. Et nunquam abſolvatur talis malefactor, donec injuriam & damnum paſſo plenariè ſatisfecerit in prædictis: nec ejus appellatio modo aliquo recipiatur: Et talis proceſſus debet remanere penes Ordinarium, qui aggravare poterit participantes cum eodem malefactore, trina monitione facta in diebus Dominicis, vel feſtivis, proximè, vel continuè ſubſecutis. Et de tali proceſſu faciendo nihil debet habere, nec recipere dictus judex, niſi ſolùm expenſas, ſi contingat ipſum extra civitatem, vel villam, ubi habitat, exire, & intendere in prædictis. Sed notarius de ſcripturis debet habere ſalarium temperatum, prout hæc, & alia latiùs in dictis conſtitutionibus continentur.

Secun-

Secundus modus procedendi fuit editus per R.P.D. Petrum Claſqueri Archiepiſcopum, tradituſque domino Guillelmo de Turrillis Epiſcopo Barcinonenſi in primo Concilio Provinciali Tarraconе celebrato, ordinatus per venerabilem Bartholomæum Ceſcaravaces Decretorum doctorem.

Ordo procedendi uſitatus per conſtitutiones ſacri Concilii Tarraconenſis contra invaſores, raptores, & deprædatoros hominum, bonorum, & rerum Eccleſiaſticarum in curia Tarraconenſi.

PRoponit quis querimoniam cum articulis, ſeu capitulis contra aliquem, qui dicitur raptor; in qua querimonia proponens ſtare ſe juri offert paratum: & ipſa querimonia cum articulis ſeu capitulis oblata coram officiali principali, idem officialis, ſi perſona contra quam petitur procedi, non ſit potens, vel de univerſitate loci alicujus, quæ partem faciat cum eadem; in continenti debet mandare citari malefactorem illum, antequam recipiatur informatio ſuper contentis in querimonia: & in literis citatoriis conſuevit querimonia cum capitulis inſeri. Et ſi malefactor citatus in termino aſſignato venit, & copiam quærit de querimonia, articulis, & capitulis, ſi non habuit, quia literæ citationis non habuit copiam, datur ſibi copia, & recipitur informatio ſuper querimonia & articulis: & audiuntur defenſiones citati ſummariè. Et ſi defenſiones non habet, vel minus juſtas habet, recepta informatione, nulla tradita copia de atteſtationibus adverſario, qui dicitur malefactor, ſi conſtat de aſſertis in querimonia, declarantur pœnæ conſtitutionum contra illum &c. Si autem citatus non venit in termino aſſignato peremptoriè, reputatur contumax, & recipitur informatio, & declarantur pœnæ conſtitutionum in illius contumaciam. Si verò perſona illa, quæ dicitur raptor, ſit potens, ut puta, nobilis, miles, vel civis; ſeu burgenſis potens, vel tenens officium procurationis pro aliquo domino potenti, vicariæ, vel bajuliæ, vel cum eo faciat partem univerſitas alicujus loci, in quo forſitan informatio habebit recipi, & illius loci habitatores teſtificari, ne per talium perſonarum potentiam, vel factum veritas poſſet occultari, vel probatio impediri: ſi ſcirent per citationem, vel aliàs, proceſſum conſtitutionum fieri & inchoari; ante aliquam citationem recipitur informatio: qua recepta, ſi per illam conſtet de contentis & aſſertis in querimonia oblata, citatur invaſor ſub tali forma, quia inſeritur in literis citationis querimonia cum capitulis: & in concluſione dicit officialis: Cùm conſtet nobis de prædictis per ſummariam informationem, &c. requirimus, & monemus, quatenus infra talem terminum 6. vel 10. dierum, quem peremptoriè aſſignamus, reſtituatis rapta, &c. vel conveniatis amicabiliter, &c. vel dicta decima die coram nobis Tarracone, vel Barcinone compareatis in curia, juſtas cauſſas, ſi quas habetis, legitimè propoſiturus, & oſtenſurus; alioqui in lapſo dicto termino procedemus ad declarationem pœnarum dictarum conſtitutionum, & alias &c. Et ſi dictus raptor, & malefactor ſic monitus & citatus venit in termino aſſignato, & petit copiam de querimonia prædicta, & articulis, ſi jam non habebat, ut dixi, in caſu præmiſſo, datur ſibi copia ſolùm de querimonia prædicta, & articulis, non autem de atteſtationibus receptis, & audiuntur defenſiones ſuæ ſummariè, quas ſi non habuerit, vel minus juſtas habuerit, fiet declaratio pœnarum conſtitutionum prædictarum, ſive prætactarũ. Si autem malefactor in termino aſſignato venire contempſerit, vel aliàs complere contenta in literis prætactis, reputabitur contumax, & in ejus contumacia proceditur ad declarationem pœnarum dictarum conſtitutionum. Si autem petatur procedi ad liberetionem perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ capta detinetur, diſtinguitur: quia aut eſt notorium, quòd ille, qui captus detinetur, eſt clericus gaudens privilegio clericali, ut canonicus, vel archidiaconus, vel notoriè presbyter, vel in ſacris ordinibus conſtitutus: tunc in præmiſſo caſu, ex quo de captione conſtat, ſine aliqua citatione declarantur pœnæ dictarum conſtitutionum: & idem ſi eſt perſona Eccleſiaſtica notoriè, ut quia eſt monachus, frater Minor, vel Prædicator, vel hujuſmodj ſimilis habitum regularem publicè deferens. Si autem non ſit notorium, captum fore clericum gaudentem privilegio clericali, in hoc caſu recipitur informatio ſummaria: ſi eſt clericus gaudens privilegio clericali, poteſt procedi attentis ſerie & tenore decretalis: *Si judex laïcus*, de ſententia excommunicationis, libro ſexto.

Tertius modus procedendi contra invaſores, &c. editus per dictum dominum Petrum Claſqueri, in tertio Provinciali Concilio Tarracone celebrato.

PAſtoralis officii ſolicitudo nos admonet & inducit, ut de unitate & concordia, ac etiam utilitate ſubjectorum providere curemus. Hinc eſt, quòd, prout de certo didicimus, forma & modus procedendi vigore conſtitutionis ſacri Concilii Tarraconenſis editæ contra invaſores, hucuſque in noſtra provincia obſervatus, diſpar ſit penitùs & difformis. Et quidam nimium rigoroſi circa ejus obſervantiam fuerunt, quidam etiam nimis lenti; propter quod in ſubditos noſtros ſæpiſſimè vidimus ſcandala generari, & quæſtionum materiam ſuboriri. Volentes igitur, & ſcandali materiam præſcindere, & procedendi modum trahere uniformem, qui aliàs per plures, & meliores noſtrę provinciæ exſtitit obſervatus; hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus, & perpetuò ordina-

mus,

mus, quòd proceſſus, qui fiet de cætero contra invaſores, raptores, & deprædatores, & alios, de quibus habetur in dicta conſtitutione ſacri Concilii Tarraconenſis, & aliis conſtitutionibus ad declarationem illius diverſis temporibus emanatis, fiat uniformiter, per formam, ſive modum infraſcriptum. Quia aut ad partis inſtantiam, pars quæ affirmaverit ſe invaſam, vel aliquid ſibi fuiſſe factum, propter quod dictæ conſtitutioni ſit locus; ſeu procurator ejuſdem, cautione priùs data, quòd ſtabit juri, prout deberit, offerat articulos, ſive poſitiones in ſcriptis judici ſuper prædictis invaſione, rapina, vel deprædatione illatis, vel aliis in dicta conſtitutione contentis: & poteſt procedi contra talem ſummariè, breviter, & de plano; prout ſolitum eſt procedi juxta conſtitutionem ſacri Concilii Tarraconenſis. Quibus articulis per judicem receptis, mox abſque vocatione, vel requiſitione partis recipiatur per ipſum judicem ſummaria informatione in ſcriptis, non obſtantibus exceptione, vel oppoſitione cujuſquam. Qua recepta, ſi per eam apparuerit, vel judici viſum fuerit, quòd conſtitutioni ſit locus, mandet judex per ſuas literas vicario, vel rectori, ſeu illi, qui curam animarum gerit in parochia, in qua ille degit, contra quem conſtitutio petitur obſervari, quòd moneat invaſores, ſi inveniri poterunt: alias in domo convocatis duobus vel tribus teſtibus: vel, ubi de ſcandalo non timeatur, publicet in Eccleſia parochiæ ſuæ, quòd infra certos dies ipſius judicis arbitrio moderando, computandos à die monitionis, ſatisfaciant damnum paſſo: aliàs nunc ut ex tunc, declaret judex in ſuis literis, illum ſic monitum incidiſſe in conſtitutionem ſacri Concilii Tarraconenſis. Et ſi infra dictos dies in literis jam præfixos invaſor non reſtituerit, vel emendaverit, vel ſatisfecerit damnum paſſo, vel coram judice non allegaverit, talem cauſſam, quæ probata conſtaret conſtitutioni locum non eſſe; obſervetur conſtitutio contra eum. Si dictus invaſor dictam cauſſam allegaverit; tunc judex det terminum alleganti dictam cauſſam octo dierum, computandorũ à die, quo cauſſa fuerit allegata, ad probandum & verificandum cauſſam per ipſum allegatam. Et ſi infra illud tempus illam probaverit & verificaverit; ſuperſedeat judex à proceſſu conſtitutionis, donec receptis omnibus probationibus, & diſcuſſis, dictæ conſtitutioni apparuerit eſſe locum. Si verò infra prædictum terminum aſſignatum cauſſam per eum allegatam non probaverit; non obſtante allegatione alicujus impedimenti, facti, vel juris, vel alia allegatione quacumque, faciat judex contra eum conſtitutionem obſervari. Si verò judicis officio procedatur, modus omnino ſervetur prædictus: excepto quòd judex cum articulis, vel etiam ſine articulis per ejus fiſcalem loco partis oblatis, procedere poſſit. Si autem caſus notorius & ſcandaloſus occurrerit, quòd prædictus procedendi modus ſervari non debeat; vel nun poſſit: quæ omnia judicis officio relinquantur; quia diverſitas factorum exigit certam formam non per omnia obſervari: procedat judex omiſsâ, vel ſervatâ formâ prædictâ; prout ſibi juxta qualitatem negotii viſum fuerit, quod ejus arbitrio relinquatur. Prædeceſſorum autem noſtrorum veſtigiis inhærendo ſtatuimus, quòd propter omiſſiones iſtius formæ, vel alterius obſervantiæ ordinis judiciarii, proceſſus non ſit irritus, nec etiam irritus faciendus.

Quartus modus, ſive ordo uſitatus, & copioſus; factus per dominum Ennecum Archiepiſcopum in Concilio celebrato Tarracone.

VEniet ad judicium damnum paſſus, & ſcriptis coram officiali principali, vel in ejus abſentia corã vicem-gerente ſuam querelam proponet: in qua continebitur, quòd talis, vel tales rapuerunt, vel invaſerunt rem Eccleſiæ violenter, vel contra Eccleſiaſticam libertatem fecerunt, & ſic de aliis, ſecundùm quòd continetur in conſtitutionibus ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium *De invaſoribus* dicentibus contra invaſorem ſummariè, breviter, & de plano, & abſque litis conteſtatione procedi. Et in fine ipſius querelæ proponat, ſeu offerat ſtare juri cuicumque obligandoque bona ſui principalis, ſi intervenerit in ipſa cauſſa procurator. Neque erit neceſſe dare firmancias, ſeu facere alias obligationes. Judex autem receptâ, & retentâ querelâ, citet illicò, vel ſaltem quando poterit, ipſum malefactorem, & fautores, juxta propoſita in querela, ſi ſciat ubi moram faciant, ſeu perſonaliter exiſtant, ac ſi citare commodè poſſint: & illis ipſam querelam per fagionem, ſeu nuncium juratum curiæ tranſmittat abſque copia ipſius querelæ, ſed cauſſa expreſſa: tamen ſi veniat, & copiam ipſius querelæ petat, eſt illi danda: nec eſt neceſſe, quòd citatio eundem malefactorem perſonaliter apprehendat, poſtquam ſic fuerit citatus: addendoque in fine querelæ, ac in eiſdem literis illi dicat expreſsè, quòd reſtituat talem rem, ſi quam recepit, vel de facto occupavit, vel emendet tali, quod in ejus præjudicium fecit, vel reſtituat talem in ſuam poſſeſſionem, vel libertatem Eccleſiaſticam, vel hominem talem Eccleſiæ, ſi captum detineat, vel talia bona, ſi ſunt mobilia, quæ dicitur violenter recepiſſe, ſeu occupâſſe, vnà cum omnibus damnis, intereſſe, ac expenſis, quas, & quæ fecit, ac ſuſtinuit pars ipſa conquerens: vel tali die compareat coram eodem: juſtas cauſſas, ſi quas habet, propoſiturus, & oſtenſurus: aliàs quòd dictus judex procedet contra dictum malefactorem, ſeu invaſorem per conſtitutionem ſacri Concilii Tarraconenſis, juxta, & ſecundùm petita in præfata querela. Et ſi dictus malefactor veniat, & dicat, ac coram ipſo judice proponat, quòd jure facere potuit, vel quòd impunè poterat hoc aliàs fieri, audiendus eſt: & in ſuis probationibus, tam per teſtes, quàm per alias probationes, admittendus eſt, quas ſummatim ipſe judex recipere debeat, & teneatur. Et ſi infra tempus per ipſum judicem

aſſignatum non probaverit ſe juſtè feciſſe, præſumitur quòd illicitè. Quare judex procedat abſque alia juris ſolennitate, tamquam contra malefactorem, ad declarandum ipſum incidiſſe in excommunicationis ſententiam, aliaſque conſtitutionum pœnas, juxta etiam petita in querela. Si autem ſimpliciter neget contenta in dicta querela, tunc judex recipiat ſuam ex officio informationem abſque alia partis vocatione. Et ſi ſibi conſtiterit de contentis in ipſa querela, judex ipſe habet declarare ſine difficultate quacumque ipſum malefactorem incidiſſe in excommunicationis ſententiam, & in alias pœnas conſtitutionum ſacri Concilii Tarraconenſis, juxta, & ſecundùm in prædicta querela petita. Si autem non vult coram eo in judicio comparere, vel juſtas cauſſas, ſi quas habeat, ad ſui defenſionem proponere, vel non invenitur, quia fortè cum præda receſſit, vel eſt extra terram, vel commodè etiam citari non poteſt, & damnum paſſus, qui ſpoliatus eſt, fraudaretur; cum afflicto non ſit danda afflictio, quod eſſet, ſi talis malefactor exſpectaretur; tunc dictus judex habeat in continenti, vel ſaltem quando commodè poterit, ſummariam informationem ſuper dicta querela oblata recipere, etiam parte contraria non vocata. Tamen faciat judex ipſe hoc caſu, ut merus exſecutor, & ſic non requiritur judiciarium ordinem obſervari etiam de Jure communi. Et ſi invenerit ita fore, debet judex citare ipſum malefactorem ad ſuam audiendam declarationem dumtaxat, qui ſi non veniat, in ejus contumaciam declarationem faciat, declarando eundem excommunicatum, ac incidiſſe in excommunicationis ſententiam, & in alias pœnas, juxta, & ſecundùm formam & tenorem conſtitutionum ſacri Concilii Tarraconenſis, & illicò mandare literas fieri rectoribus Eccleſiarum, &c. ſpecialiter illi rectori illius parochiæ, in qua malefactor audire conſuevit divina, ac de cujus eſt parochia: ut quamdiu ſit præſens ipſe malefactor, vel ejus præda in illa parochia, ceſſetur penitùs à divinis, & deinde per totam provinciam Tarraconenſem, & in literis prædictis inſeratur cauſſa, quare hoc facit ipſe judex. Et numquam eſt abſolvendus ab excommunitionis ſententia dictus malefactor, donec plenariè ſatisfecerit damnum paſſis de omnibus damnis, injuriis, & intereſſe, ac expenſis. Nec eſt admittenda ejus appellatio, ſi talis de facto appellet: immò judex apoſtolos negativos tradere teneatur, neque abſolvatur etiam ad cautelam: cum in facto dictarum conſtitutionum non habeat locum abſolutio ad cautelam, & hoc contra minores perſonas. Si autem perſona illa, quæ dicitur raptor, ſit potens, ut puta nobilis, vel baro, vel dominus illius loci, vel tenens officium procuratoris pro aliquo domino temporali potenti, vel vicariæ, ſeu bajuliæ, vel cum eo faciat partem univerſitas alicujus civitatis, villæ, vel loci, in quo informatio habebit recipi, & illius loci habitatores teſtificari, ne per talium perſonarum potentiam facti veritas valeat occultari, vel probatio debita impediri, ſi ſcirent per citationem talem proceſſum conſtitutionum prædictarum fieri: ante aliquam citationem recipiatur informatio ſuper querela oblata; qua informatione recepta, ſi per illam conſtet de contentis, & aſſertis in eadem, citetur invaſor, ſeu malefactor ſub tali forma: Cum conſtet nobis de prædictis per ſummariam informationem, &c. requirimus & monemus, quatenus infra talem terminum, ſex, vel decem dierum, ſecundùm locorum diſtantiam, quem peremptoriè aſſignamus, reſtituatis rapta, &c. vel conveniatis amicabiliter, &c. vel dicta die coram nobis in judicio compareatis, cauſſas juſtas, ſi quas habetis, propoſiturus & oſtenſurus: alioquin lapſo dicto termino, procedemus ad declarationem excommunicationis ſententiæ, ac pœnarum in dictis conſtitutionibus ſacri Concilii Tarraconenſis contentarum, juxta petita in querela. Verumtamen ſi ſine periculo vel damno veriſimili nunciorum eaſdem literas deferentium commodè prædictæ literæ illis perſonis præſentari non poſſent, ſeu potuerint, quæ talibus delinquentibus ſeu invaſoribus dirigùntur, in duabus parochiis circumvicinis ipſarum Eccleſiarum rectoribus ſufficiat præſentari. Et ſi dictus malefactor ſic citatus & monitus venerit in termino aſſignato, & petit copiam de contentis in querela, datur ſibi copia de querela, non autem de atteſtationibus jam receptis: & audiuntur defenſiones, ut ſuprà, in caſu præmiſſo: quas ſi non habuerit, vel minus juſtas, faciat declarationem, ut ſuprà. Si verò malefactor venire in termino aſſignato contempſerit, vel aliàs adimplere contenta in literis prædictis ipſius judicis, reputabitur contumax, & in ejus contumacia procedetur ad declarationem, &c. Si autem requiratur procedi ad liberationem perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ capta detinetur, diſtinguitur: quia aut eſt notorium, quòd ille, qui captus detinetur, eſt clericus gaudens privilegio clericali, ut quia notoriè canonicus, vel presbyter, vel in ſacris ordinibus conſtitutus, tunc in præmiſſo caſu, ex quo de captione conſtat, & requiſitus reſtituere noluerit, ſine aliqua citatione declarantur pœnæ dictarum conſtitutionum, &c. Et idem ſi eſt perſona Eccleſiaſtica notorie, ut quia eſt monachus, frater Minor, vel hujuſmodi ſimiles habitum regularem publicè deferentes. Si autem non ſit notorium captum fore clericum gaudentem privilegio clericali, in hoc caſu recipitur informatio ſummaria, ſi eſt clericus gaudens privilegio clericali, & proceditur attentis ſerie & tenore decretalis, ſi judex laïcus, de ſententia excommunicationis, libro ſexto. Et dictus proceſſus debet remanere penes Ordinarium, qui aggravare poterit participantes cum eodem malefactore, trina monitione in ipſa parochia per tres dies Dominicos vel feſtivos publicè facta: poſt quas denunciationes, ſi qui tales denunciatos excommunicatos in ſuis domibus vel hoſpitiis ad habitandum receperint, vel receptos ſuſtinuerint, tales receptatores vel ſuſtinentes judex ipſe etiam denunciet, ſeu denunciari faciat publicè in Eccleſiis excommunicatos, cùm ipſo

facto

facto inciderint in excommunicationem contra præmiſſa faciendo: quos excommunicatos denunciare tenetur judex etiam ex officio, abſque cujuſquam requiſitione, uſque ad ſatisfactionem congruam, ut hæc, & alia in præfatis conſtitutionibus latiùs continẽtur. Et de tali proceſſu faciendo nihil debet recipere vel habere judex; niſi ſolùm expenſas, ſi contingat ipſum judicem extra civitatem, villam, vel locum, ubi habitat exire, & circa præmiſſa intendere vel vacare. Sed notarius de ſcripturis debet, ſeu poteſt ſalarium temperatum habere, ut in dictis conſtitutionibus pleniùs habetur.

CONFIRMATIO APOSTOLICA.

MARTINUS PAPA V.

MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam. His, quæ pro defenſione, ac conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis, ſtatuq; cleri pacifico, providè ſtatuta & ordinata ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter adjicimus, ut à nobis petitur, Apoſtolici muniminis firmitatem. Sanè ex parte venerabilium fratrum noſtrorum Archiepiſcopi, & Epiſcoporum, ac dilectorum filiorum cleri provinciæ Tarraconenſis nobis exhibita petitio continebat, quòd cùm quidam, non obſtante tam ſacrorum Canonum provida diſpenſatione, quàm etiam variis ſtatutis ſuper hoc per Provincialia Concilia editis, Eccleſiaſticam libertatem perturbare & enervare diverſimodè conarentur; ipſi ſuorum prædeceſſorum imitando veſtigia, ad obviandum variis cavillationibus & interpretationibus malignantium, nonnulla, tam ſtatutorum aliorum declarationes, quàm additiones, ordinationes, & ſtatuta pro bono ſtatu cleri ipſius provinciæ, & Eccleſiaſticæ libertatis defenſione variis temporibus prout ipſorum, & negotiorum emergentium qualitas poſtulabat, de novo in ipſis Conciliis provincialibus Tarraconenſium ſtatuerunt, condiderunt, & etiam ordinaverunt. Quare pro parte Archiepiſcopi, Epiſcoporum, & cleri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut declarationibus, additionibus, ordinationibus, & ſtatutis hujuſmodi, pro ipſorum ſubſiſtentia firmiore, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, declarationes, additiones, ordinationes, & ſtatuta ipſa, quæ diligenter examinari fecimus, cùm ſint in juri conſona, & debeant meritò obſervari, quæque inferius deſcribuntur, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: adjicientes præterea, ac eâdem auctoritate decernentes, quòd indulta de audiendo Miſſam, & alia divina officia tempore interdicti laïcis conceſſa ſeu in poſterum concedenda, ad ea loca, in quibus per dictas conſtitutiones contra invaſores editas ceſſationẽ à divinis obſervari contigerit, nullatenus ſe extendant. Tenor verò declarationum, additionum, ordinationum, & ſtatutorum prædictorum ſequitur, & eſt talis: FREQUENS plurimorum clamor noſtrum propulſavit auditum, quòd nonnulli religioſi exempti & non exempti, etiam de ordine militari, potiùs propriis, quàm reipublicæ noſtræ provinciæ commodis inhiantes, quum eis in perſonis propriis, locis, hominibus, vel aliis bonis ſuis injuriæ, damna aliqua, ſeu violentię per quempiam irrogantur, nos, ſeu curiam noſtram, & venerabilium fratrum noſtrorum ſuffraganeorum adeunt, ut eis per conſtitutiones in ſacris Conciliis Tarraconenſibus contra invaſores, raptores, & deprædatores hominum Eccleſiarum, rerum Eccleſiaſticarum, & locorum religioſorum ſanctè, & ſalubriter emanatas, ſuccarratur de remedio competenti in dictis conſtitutionibus expreſſato: quod quidem remedium cùm contra ipſos in dictas conſtitutiones committentes, ad inſtantiam aliquorum, vel aliàs ex officio procedituꝛ, non curant admittere, nec eiſdem volunt ſubjici, ſed potiùs liberari, obliti conſilii ſapientis, quo cavetur, patere legem, quam ipſe tuleris, & canonicis ac imperialibus legibus, quæ publicè profitentur, quòd quiſquis juris in alterum ſtatuit, ipſe debet uti eo, & fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in eam. Nos igitur præfatus Archiepiſcopus, approbatione ejuſdem ſacri Concilii ſtatuimus, quòd dicti religioſi, etiam ſi fuerint de ordine militari, ſicut pro ſe conſtitutiones admittunt, contra ſe, ſi in eas commiſerint, admittere teneantur, quod niſi fecerint, dictarum conſtitutionum commodo & auxilio, præſentis ſanctionis auctoritate, ipſo facto decernimus eſſe privatos. Præcipientes dictis noſtris ſuffraganis, vicariis, & officialibus eorundem, ne eo caſu ad inſtantiam ipſorum, nec ex officio dictas conſtitutiones obſervent. Procedit à rationis & juris tramite, quòd ubi majus eſt periculum, ibi proculdubio eſt pleniùs & ſalubrius providendum. Quod quàm grave ſit, & onuſtum diſpendiis, & quot, & quantis ſit plenum periculis, Eccleſiaſticæ juriſdictionis exercitium noſtræ provinciæ, his præſertim temporibus exercere, non ſolùm exacti conſideratio temporis docuit, ſed conſiderata prudenter præſentis temporis diſcrimina indicant, quod nonnulli temporale dominium obtinentes, ſuis terminis non contenti, falcem ſuam in alienam ſegetem imponere non verentur, ſatagentes juriſdictioni Eccleſiaſticæ, quantum poſſunt, illudere, ac eam etiam exquiſitis coloribus uſurpare. Exſecutores namque, nuncios noſtros, ſeu venerabilium fratrum noſtrorum vicariorum, aut officialium literas eis, & ſubditis ſuis, ſeu in dominio ipſorum conſiſtentibus juſtitiæ deferentes nedum capiunt, immo interimunt, & atrociter verberant, ac præcepta ſuis ſubditis faciunt de interficiendis eiſdem, in Dei offenſam notoriam, & ipſorum grande periculum animarum. Quapropter nos Archiepiſcopus ſupradictus, prout decet & expedit, talia attentantes, qui ipſo jure tamquam impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam, excommunicati exiſtunt, congruis remediis ab hujuſmodi auſibus retrahere, & ad Dei ſervi tam reducere cupientes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quòd ſi talia, & tam nefanda crimina, quod abſit, per aliquem judicem, marchionem, comitem, vicecomitem, nobilem, baronem, militem, civem,

bar-

burgenſem, generoſum, vel non generoſum, & officiales eorum, conſules, paciarios, conſiliarios civitatum, vel villarum, caſtrorum, & locorum temporale dominium obtinentes, vel aliquem eius loco in noſtra provincia Tarraconenſe commiſſa de cætero fuerint, omnia loca, caſtra, ſeu villæ committentis huiuſmodi facinus, in diœceſi, in qua commiſſum fuerit, conſtituta, ipſo facto ſint ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto. Quod quidem interdictum in Eccleſiis Cathedralibus, & propinquioribus circumvicinis Eccleſiis, ſi commode alibi denunciari non poteſt, ſufficiat publicari, & proceſſus neceſſarius in eiſdem fieri. Naturalis dictat ratio, & experientia manifeſtat, quod novis morbis nova conveniunt antidota præparari. Cumq; ab aliquibus citra temporalibus nonnulli excommunicati auctoritate conſtitutionum ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium contra invaſores, raptores, & depræ datores hominum Eccleſiaſticorum, & locorum religioſorum ſalubriter promulgatarum, munus abſolutionis ad cautelam obtinere nituntur, quod numquam, vel rarò fieri conſuevit, approbatione ejuſdem ſacri Concilii, hoc fieri prohibemus: ſtatuentes, quòd ſi de facto fieret, non valeat abſolutio ſic obtenta. Cæterùm, quia fide dignorum relatu percepimus, quòd nonnulli dominium temporale obtinentes in civitatibus, locis, caſtris, & villis infra provinciam Tarraconenſem, illudentes Eccleſiaſticæ libertati, presbyteros, & clericos ſimpliciter tonſuratos, vel etiam conjugatos, & perſonas alias Eccleſiaſticas, ſi coram eiſdem dominis, vel officialibus allegant tonſuram, vel quòd gaudere, cùm caſus occurrerit, volant privilegio clericali, vel ſi pecunia eis data, vel mutuata non fuerit, quam nituntur à dictis presbyteris, vel clericis exigere, vel exquiſitis coloribus & figmentis, vel quia dicunt eos habere ſuſpectos, ſeu alias pro libito voluntatis, de dictis civitatibus, caſtris, locis, & villis, & ipſorum dominio de facto expellunt, vel expelli faciunt, bannirunt, ſeu bannire faciunt: de voluntate, & aſſenſu ſacri Concilii ordinamus, ut contra dominos, vicarios, & officiales, ſeu bajulos dictorum dominorum, & aliorum talia facientes, qui in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerint, vel ratum habuerint, procedatur per conſtitutiones ſacrorum Conciliorum Tarracone editas contra invaſores, raptores, & depræ datores hominum Eccleſiarum, rerum, & locorum religioſorum, per nos, ſuffraganeos noſtros, vicarios, & officiales noſtros, & ipſorum, prout fuit hactenus in Tarraconenſi provincia fieri aſſuetum, præfatas conſtitutiones contra talia impiè attentantes, & dantes eis in hoc conſilium, auxilium, vel favorem, quos volumus pœnis & cenſuris dictarum conſtitutionum ipſo facto ligari, penitùs extendentes. Quia malitia delinquentium ſuccreſcente, cùm per Prælatos, vicarios, vel officiales eorum, ex officio, vel ad partis inſtantiam per conſtitutiones ſacrorum Conciliorum Tarraconenſium contra eos proceditur, talis proceſſus per delinquentes, ſeu invaſores huiuſmodi, preſertim potentes, pluries impeditur, qui exquiſitis fraudibus nuncios ad eos portantes literas, ut coram ipſis Prælatis, vicariis, & officialibus compareant, vel procedant, interimunt, capiunt, vel alias faciunt, & procurant, quod huiuſmodi literæ ad eorum notitiam nequeant pervenire: ſtatuimus, quòd in prædictis caſibus, & etiam ſi ſine periculo vel ſcandalo verisimili nunciorum eaſdem deferentium, commode præmiſſæ literæ illis, contra quos emanaverint, præſentari non poſſent, literas, quæ talibus delinquentibus, ſeu invaſoribus diriguntur, in duabus parochiis circumvicinis ipſarum Eccleſiarum rectoribus ſufficiat præſentari, quibus per dictos rectores in ſuis Eccleſiis publicè lectis, perinde illi, quibus literæ diriguntur, parere contentis in literis teneantur, ac ſi eædem literæ eſſent eiſdem delinquentibus vel invaſoribus præſentatæ, & ſic conſequenter in negotio ſeu cauſſa procedatur. Quoniam aliqui curioſi diſceptantes de his, quæ non multùm expediunt, & plura ſapiunt, quàm oporteat, contra doctrinam Apoſtoli temerè attentantes, in dubitationem ſollicitam vertere dignoſcuntur, quod à noſtris prædeceſſoribus provide noſcitur ſtatutum in conſtitutione incipiente: Ad reprimendam, verſ. Statuentes, & à ſummis Pontificibus confirmatum, an nos & officiales noſtri Tarracone requiſiti per totam provinciam obſervare, & obſervari facere valeamus conſtitutiones per prædeceſſores noſtros editas contra raptores, invaſores perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum, ac bonorum, & hominum eorundem diffidatores, damnificatores perſonarum, ac bonorum Eccleſiæ, fautores raptorum, & damnificantium prædictorum: nos, ſacro Concilio requirente, & unaniniter approbante, cupientes hæſitationis materiam amputare, declaramus, quòd quaſcumque conſtitutiones à prædeceſſoribus noſtris editas contra dictos raptores, invaſores perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum, ac bonorum, & hominum eorundem diffidatores, damnificatores, receptatores raptorum, & damnificantium prædictorum, nos, & officialis noſter, qui Tarracone nunc ſumus, & pro tempore fuerint, per quemcumque de provincia, & quotieſcumque fuerimus requiſiti contra quoslibet de provincia, & qui infra eandem dicta crimina commiſerunt, ſeu quomodolibet deliquerunt, & etiam abſque requiſitione, & ex officio pro nobis, & Eccleſia Tarraconenſis ac canonicis ejuſdem, noſtris, & ipſorum familiaribus quibuſcumque poſſimus liberè per totam Tarraconenſem provinciam obſervare, & facere obſervari, & ſecundùm earum formam contra prædictos in qualibet diœceſi ſuffraganeorum noſtrorum, & contra ipſorum ſubditos, & ad eorum requiſitionem, & pro prædictis delictis ibidem perpetratis procedere, & procedi facere ſuper eis. Et ſuper his noſtri ſuffraganei, & eorum officiales, ac ipſorum ſubditi teneantur nobis, ſeu officiali noſtro, noſtriſq; ſucceſſoribus, & eorum officialibus obedire, nedum pro committendis in futurum contra conſtitutiones prædictas, immo pro his, quæ contra eas ſunt etiam jam commiſſa: officiales, & ſubditos dictorum ſuffraganeorum, ſacro approbante Concilio, ſi in præmiſſis impedimentum preſtiterint, excommunicationis ſententiâ innodantes, à qua niſi per nos, & officialem noſtrum abſolutionis debitum nequeant obtinere. Nulli ergo liceat declarationem huiuſmodi interpretari, reſtringere, vel arctare, ſi excommunicationis ſententiam, approbante Concilio, per nos latam contra hujus antiqui ſtatuti declarationem hæſitantes, in dubium vertentes, ſeu etiam reſtringentes, cupiant evitare. Providè attendentes, quòd raptores, & depræ datores hominum Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum rerum, locorum religioſorum, excommunicationis ſententiâ ſacro approbante Concilio, innodantur, & in pœnæ aggravationem in eorum præſentia ceſſatur etiam à divinis: ani-

nimadvertentes, perſonas maiori, quàm res deberet privilegio & immunitate gaudere, de communi totius ſacri Concilii conſilio & aſſenſu ſtatuendo, declaramus; vulnerantes, vel atrociter percutientes Prælatos, vel vicarios, ſeu officiales, vel decanos, canonicos, vel religioſos, vel alios clericos in ſacris ordinibus, ſeu Beneficiatos, aut procuratores fiſcales dictorum Prælatorum, ſeu eorum officialium, dum tamen clerici ſoluti exiſtant, ſubiacere pœnis, & ſententiis ſupradictis, & in eorum præſentia ceſſari debere penitùs à divinis, juxta modum & formam, qui in conſtitutionibus. Item cùm quidam, & olim, contra invaſores editis expreſſantur: aliis pœnis in jure, & conſtitutionibus appoſitis nullatenus derogantes. Quoniam ex pœnis in conſtitutione incipienti: Prædeceſſorum noſtrorum &c. impoſitis contra diffidantes, ſeu acuidantes Prælatos, vel alias perſonas Eccleſiaſticas in dicta conſtitutione contentas, propter temporis malitiam, & multorum (prob dolor!) pravitatem, præfato morbo, ut deceret, non eſt uſquequaque proviſum, quo minus Dei timore, & pœnis præfatis poſtpoſitis, & ſpretis, nonnulli diffidare, ſeu acuidare perſonas Eccleſiaſticas in præfata conſtitutione contentas, & diffidantibus dare conſilium, auxilium, vel favorem nullatenus vereantur: iccircò, quia creſcente contumacia, debet creſcere ipſa pœna, adiiciendo ſtatuimus, quòd ſi poſt monitionem factam perſonaliter vel publicè in Eccleſia, ubi domicilium habuerint diffidantes præfati, per rectorem, ſeu eius locum-tenentem, vel alium loco ſui, de mandato Prælati ipſius rectoris, vel officialis eiuſdem, infra decem dierum ſpatium præfata acuidamenta, ſeu diffidamenta non revocaverint cum effectu, ex tunc in Eccleſiis civitatum, villarum, vel locorum quamdiu præfati diffidantes, ſeu acuidantes præſentes fuerint, ceſſetur penitùs à divinis, ut ceſſatur, ſeu ceſſari debet in præſentia invaſorum, raptorum, & deprædatorum hominum Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum rerum, & locorum religioſorum, aliis pœnis in præfata conſtitutione contentis in ſuo robore duraturis. Juſtum quidem decernimus, & neceſſitate compellimur, nos Ennecus miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Provinciale Concilium celebrantes, quòd in his, quæ ſunt ſalubriter proviſa, ſi declaratione, vel additione indigeant, prout experientia docuerit, debitæ proviſionis remedium apponamus. Cùm itaq; in modo procedendi vigore conſtitutionum provincialium De invaſoribus contra delinquentes, in eis per nos approbatione ſacri Concilii edito, ſit proviſum, quòd contra detinentem notoriè clericum, vel monachum, fratrem Minorem, vel hujuſmodi ſimilem habitum regularem geſtantem, ſi requiſitus eum reſiſtere noluerit, ſine aliqua informatione pœnæ dictarum conſtitutionum contra eum declarentur, & de capto non notoriè clerico recipiatur informatio ſummaria, ſi eſt clericus gaudens privilegio clericali, & contra detinentem procedatur juxta tenorem Decretalis: Si judex. De ſenten. excomm. libr. 6. Adjicimus, ſacri Concilii approbatione, & declaramus, quòd ſi per dictam informationem conſtiterit, talem captum eſſe clericum gaudentem privilegio clericali, contra detentorem ejuſdem procedatur ad declarationem dictarum conſtitutionum, uti de notorio clerico eſt proviſum. Item cùm in conſtitutione per bonæ memoriæ Petrum Archiepiſcopum Tarraconenſem prædeceſſorem noſtrum edita, incipiente: Olim excommunicâſſe recolimus, caveatur, quòd quamdiu principales malefactores, invaſores, & raptores rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum, & hominum, ac locorum eorum fuerint in aliqua civitate, vel villa, in eorum præſentia ceſſetur penitùs à divinis: & ſæpè acciderit, quòd quidam domini civitatum, vel villarum hujuſmodi, & eorum officiales, eorum, qui deprædati ſunt damna non ſentientes, & ipſorum, & Eccleſiæ injurias pro nihilo habentes, malefactores prædictos multo tempore ſuſtinuerunt, quandoq; in odium Eccleſiarum, & damna paſſorum prædictorum, ex quo delictorum eorundem eſſe videntur participes & conſortes: dignumq; reputemus, quòd tales etiam pœnam ſentiant eorum, ſacri Concilii approbatione adjicimus & ſtatuimus, quòd ſi dominis civitatis, villæ, caſtri, aut loci, in quibus malefactores fuerint receptati, vel eorum officialibus conſtiterit, tales malefactores in eis fuiſſe per octo dies receptatos, niſi eoſdem à ſuis civitatibus, caſtris, villis, vel locis infra decem dies poſt dictos octo dies immediatè ſecuturos requiſiti ejecerint cum effectu, ita quòd ampliùs ad ipſos, vel ipſa, vel juriſdictiones eorum non redeant, tales domini, & eorum officiales ſimili ſint excommunicatione ligati: & in eorum præſentia ut in fautoribus, & receptatoribus, ceſſetur penitùs à divinis. Ab hac autem pœna tantùm excludimus dominum Regem, & dominam Reginam, & eorum primogenitum, & uxorem ſuam. Quidam officiales ſæculares provinciæ Tarraconenſis privilegium clericis conjugatis à ſacris Canonibus indultum, quo pro exceſſibus, ſeu delictis per eos commiſſis, ſeu de quibus delati fuerint, in perſonis, & bonis de Eccleſiaſtici judicis foro exiſtunt, eis auferre, & Eccleſiaſticam juriſdictionem ſibi uſurpare callida fraude, ut percepimus, cupientes, privilegium prædictum quoad perſonas dictorum clericorum reſtringunt, bona verò eorundem eſſe aſſerunt, licèt fictè, & de foro ſæculari: & his non contenti, multotiens dictos clericos in odiũ Eccleſiaſticæ juriſdictionis capiunt, & eorum bona occupant, etiam de facto: & cùm ex his per Eccleſiaſticum judicem proceditur contra eos pro dictorum bonorum reſtitutione, reſpondent, & excipiunt contra veritatem, quòd dicta bona non capiunt ratione delicti, ſed eò, quia aſſerunt eſſe domini temporalis, & quòd dominus temporalis vult, quòd ipſa bona capiantur & occupentur per eoſdem. Nos autem huic pernicioſo abuſui obviare, & Eccleſiaſticæ juriſdictioni, ut illibata perſiſtat, providere debito remedio cupientes, approbante ſacro Concilio, excommunicamus quoſcumque officiales, & perſonas quacumque auctoritate, vel poteſtate fungantur, talia attentantes: & contra ipſos, & ipſas, ut invaſores, & occupatores rerum, & bonorum, ac jurium Eccleſiæ, prout re vera exiſtunt, procedi volumus: & pœnas conſtitutionum De invaſoribus in eis decernimus locum habere, & eſſe ſervandas. Veniet ad judicium damnum paſſus, & in ſcriptis coram officiali principali, vel in ejus abſentia coram vices-gerente, ſuam querelam proponet, in qua continebitur, quòd talis, vel tales raubârunt, vel invaſerunt rem Eccleſiæ violenter, vel contra Eccleſiaſticam libertatem fecerunt; & ſic de aliis, ſecundùm quod continetur in conſtitutionibus ſacrorum Conciliorum Tarraco-

raconenſium De invaſoribus, *dicentibus contra malefactorem ſummariè, breviter, & de plano abſque liis conteſtatione procedi. Et in fine ipſius querelæ proponat, ſeu offerat ſtare juri cuicumque, obligando ℔ bona ſua, vel ſui principalis, ſi intervenerit in ipſa cauſſa procurator, neque erit dare firmancias neceſſe, ſeu facere alias obligationes. Judex autem receptâ & retentâ querelâ, citèt illicò, vel ſtatim quo modo poterit, ipſum malefactorem, & fautores, juxta propoſita in querela, ſi ſciant ubi moram faciant, vel perſonaliter exiſtant, ſi citari commodè poſſint: & ſibi ipſam querelam per ſagionem ſeu nuncium juratum curiæ tranſmittat; vel abſque copia ipſius querelæ, ſed cauſſâ expreſſâ; tamen ſi veniet, & copiam ipſius querelæ petet, eſt ſibi danda: neque eſt neceſſe, quòd citatio eundem malefactorem perſonaliter apprehendat, poſtquam fuerit citatus: addendo ℔ in fine querelæ, ac in eadem litera ſibi dicat expreſsè, quòd reſtituat talem rem, ſi quam cœpit, ſeu de facto occupavit; vel reſtituat talem in ſua poſſeſſione, vel libertate Eccleſiaſtica; vel hominem Eccleſiæ, ſi captum detineat; vel talia bona, ſi ſunt mobilia, quæ dicitur violenter recepiſſe, ſeu occupâſſe; unà cum omnibus damnis, intereſſe, ac expenſis, quas, & quæ fecit, vel ſuſtinuit pars ipſa conquerens: vel tali die compareat coram eodem, juſtas cauſſas, ſi quas habet, propoſiturus, vel oſtenſurus: aliàs quòd dictus judex procedat contra dictum malefactorem, ſeu invaſorem per conſtitutionem ſacri Concilii Tarraconenſis, juxta, & ſecundùm petita in præfata querela. Et ſi dictus malefactor veniat, & dicat, ac coram ipſo judice proponat, quòd jure facere potuit, vel quòd impune poterat aliàs hoc fieri; audiendus eſt: & in ſuis probationibus, tam per teſtes, quàm per alias probationes admittendus; quas ſummariè ipſe judex recipere debet, ac teneatur. Et ſi infra tempus per ipſum judicem aſſignatum non probaverit ſe juſtè feciſſe, ergo præſumitur quod injuſtè. Quare judex procedat abſque alia juris ſolennitate, tamquam contra malefactorem ad declarandum ipſum incidiſſe in excommunicationis ſententiam, & in alias pœnas in ipſis conſtitutionibus contentas, juxta petita in querela. Si autem ſimpliciter neget contenta in dicta querela; tunc judex recipiat ſuam ex officio informationem abſque alia partis vocatione. Et ſi ſibi conſtiterit de contentis in ipſa querela; judex ipſe habeat declarare ſine difficultate quacumque ipſum malefactorem incidiſſe in excommunicationis ſententiam, & in alias pœnas conſtitutionum ſacri Concilii Tarraconenſis, juxta, & ſecundùm in prædicta querela petita. Si autem non vult coram eo in judicio comparere, vel juſtas rationes, ſi quas habet, ad ſui defenſionem proponere; vel non invenitur, quia fortè cùm præda receſſit, vel eſt extra terram, vel commodè etiam citari non poteſt; & damnum paſſus, qui ſpoliatus eſt, fraudaretur, cum afflicto non eſt danda afflictio, ſi talis malefactor exſpectaretur, tunc ſi dictus judex habeat in continenti, vel ſtatim quando commodè poterit, ſummariam informationem ſuper dicta querela oblata recipere, etiam parte contraria non vocata. Tamen faciat judex ipſe hoc caſu ut merus exſecutor, & ſic non requiritur judiciarium ordinem obſervari, etiam de Jure communi. Et ſi invenerit ita fore, debet judex citare ipſum malefactorem ad ſuam audiendam declarationem dumtaxat: qui ſi non veniat, in ejus contumaciam declarationem faciat; declarando eundem excommunicatum, ac incidiſſe in excommunicationis ſententiam, & in alias pœnas, juxta, & ſecundùm formam ac tenorem conſtitutionis ſacri Concilii Tarraconenſis, & illicò mandet literas fieri rectoribus Eccleſiarum, &c. & ſpecialiter illi rectori illius parochiæ, in qua dictus malefactor audire conſuevit divina, ac de cujus eſt parochia: ut quamdiu ſit præſens ipſe malefactor, vel ejus præda in illa parochia, ceſſetur penitùs à divinis, & deinde per totam provinciam Tarraconenſem, & inferatur cauſſa, quare hoc facit ipſe judex, in literas, ſeu literis prædictis. Et numquam eſt abſolvendus ex excommunicationis ſententia dictus malefactor, donec plena ièt ſatisfecerit damnum paſſis de omnibus damnis, injuriis, intereſſe, ac expenſis. Nec eſt admittenda ejus appellatio, ſi talis de facto appellet: immo judex apoſtolos negativos tradere tencatur, neque abſolvatur etiam ad cautelam: cùm in facto conſtitutionum non habeat locum abſolutio ad cautelam, & contra minores perſonas. Si autem perſona illa, quæ dicitur raptor, ſit potens, ut puta nobilis, vel baro, vel dominus illius loci, vel dominus locis-tenens officium procurationis pro aliquo domino temporali potenti, vel vicariæ, ſive bajuliæ; vel cum eo faciat partem univerſitas alicujus civitatis, villæ, vel loci, in quo informatio habebit recipi, & illius loci habitatores teſtificari, ne per talium perſonarum potentiam facti veritas valeat occultari, vel probatio debita impediri, ſi ſcirent per rationes talem proceſſum conſtitutionum prædictarum fieri: ante aliquam citationem recipiatur informatio ſuper querela oblata, qua informatione recepta, ſi per illam conſtet de contentis & aſſertis in eadem, citetur invaſor, ſeu malefactor ſub tali forma:* Cùm conſtet nobis de prædictis per ſummariam infurmationem, &c. *requirimus & monemus, quatenus infra talem terminum 6. vel* 10. *dierum, ſecundùm locorum diſtantiam, quem peremptoriè aſſignamus, reſtituatis rapta, &c. vel conveniatis amicabiliter, &c. vel dicta tali die coram nobis in judicio compareatis, juſtas cauſſas, ſi quas habetis, propoſiturus, & oſtenſurus: alioquin, lapſo termino, procedemus ad declarationem excommunicationis ſententiæ, ac pœnarum in dictis conſtitutionibus ſacri Concilii Tarraconenſis contentarum, juxta in querela petita. Verumtamen ſi ſine periculo, vel damno veriſimili nunciorum eaſdem literas deferentium commodè prædictæ literæ illis perſonis præſentari non poſſent, ſeu potuerint, quæ talibus delinquentibus, ſeu invaſoribus diriguntur, in duabus parochiis circumvicinis ipſarum Eccleſiarum ſufficiat præſentari. Et ſi dictus malefactor citatus vel monitus venerit in termino aſſignato, & petit copiam de contentis in querela, datur ſibi copia de querela, non autem de atteſtationibus jam receptis: & audiantur defenſiones; ut ſuprà, in caſu præmiſſo: quas ſi non habuit, vel minus juſtas,*

fiat declaratio, ut ſuprà. Si verò malefactor venire in termino aſſignato contempſerit, vel alias adimplere contenta in literis prædictis ipſius judicis, reputabitur contumax, & in eius contumacia procederetur ad declarationem, &c. Si autem requiratur procedi ad deliberationem perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ capta detinetur, diſtinguitur: quia aut eſt notorium, quòd ille, qui captus detinetur, eſt clericus gaudens privilegio clericali, ut quia notoriè canonicus, vel presbyter, vel in ſacris ordinibus conſtitutus; tunc in præmiſſo caſu, ex quo de captione conſtat, & requiſitus reſtituere noluerit; ſine aliqua citatione declarantur pœnæ dictarum conſtitutionum, &c. Et idem ſi eſt perſona Eccleſiaſtica notoriè, ut quia eſt monachus, frater Minor, vel hujuſmodi ſimiles habitum regularem publicè deferentes. Si autem non ſit notorium, captum fore clericum gaudentem privilegio clericali, in hoc caſu recipitur informatio ſummaria, ſi eſt clericus gaudens privilegio clericali; & proceditur attentis ſeriè, & tenore Decretalis Si judex. De ſent. excom. *lib. ſexto. Et dictus proceſſus debet remanere penes Ordinarium, qui aggravare poterit participantes cum eodem malefactore, trina monitione in ipſa parochia per tres dies Dominicos, vel feſtivos publicè facta: poſt quas denunciationes, ſi qui tales denunciatos excommunicatos in ſuis domibus, vel hoſpitiis ad habitandum receperint, vel receptos ſuſtinuerint, tales receptores, vel ſuſtinentes judex ipſe etiam denunciet, ſeu denunciari faciat publicè in Eccleſiis excommunicatos, cùm ipſo facto inciderint in excommunicationem contra præmiſſa faciendo: quos excommunicatos denunciare tenetur judex etiam ex officio, abſque cujuſcumque requiſitione, uſque ad ſatisfactionem condignam, prout hæc, & alia in præfatis conſtitutionibus latiùs continentur. Et de tali proceſſu faciendo nihil debet recipere, vel habere judex, niſi ſolùm expenſas, ſi contingat ipſum judicem extra civitatem, locum, vel villam, ubi habitat, exire, & circa præmiſſa intendere, ſeu vacare. Sed notarius de ſcripturis poteſt ſeu debet ſalarium temperatum habere; ut in dictis conſtitutionibus pleniùs habetur, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, communitionis, additionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos, quarto idus Januarii, Pontificatus noſtri anno quartodecimo.*

Nomina eorum, qui huic Provinciali Concilio, in quo antiquarum conſtitutionum ſelectio, & recentiorum adjectio fuit facta, aut Tarracone ubi inchoatum, aut Barcinone ubi finitum fuit, aut utrobique, interfuerunt.

Joannes Teres miſeratione divina Archiepiſcopus Tarraconenſis.

Joannes Dimas Loris Epiſcopus Barcinonenſis.

Jacobus Caſſador Epiſcopus Gerundenſis.

Petrus Jayme Epiſcopus Vicentinus.

Andreas Capella Epiſcopus Urgellenſis.

Gaſpar Punter Epiſcopus Dertuſenſis.

Franciſcus Robuſter & Sala Epiſcopus Elenenſis.

Michaël Aymerich Abbas monaſterii Beatæ Mariæ de la Vaix, Ordinis Ciſtercienſis, Ilerdenſis diœceſis.

Franciſcus Oliver & de Boteller Abbas monaſterii B. Mariæ Populeti, Ordinis Ciſtercienſis, Tarraconenſis diœceſis.

Petrus Fontanella Abbas B. Mariæ Pulchri-podii Avellanarum, Urgellenſis diœceſis.

Petrus Aguilo Prior monaſterii Scalæ-Dei, Ordinis Carthuſienſis, Tarraconenſis diœceſis.

Bernardus Torres Prior S. Jacobi de Calaf, Ordinis S. Auguſtini Canonicorum regularium, Vicentinæ diœceſis.

Jacobus Caſtellar Prior Eccleſiæ, & monaſterii S. Annæ civitatis Barcinonenſis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Sepulchri.

Raphaël Caſa-noves Præpoſitus Minoriſſæ, Ordinis Canonicorum regularium S. Auguſtini, Vicen. diœceſis.

Paullus Coſta prior S. Joannis de Fontibus, Ordinis S. Benedicti, Gerundenſis diœceſis.

Michaël Torrell vicarius generalis, & procurator Reverendiſſimi Epiſcopi Barcinonenſis in eius abſentia Tarracone.

Antonius Teres D. D. Vicarius generalis, & procurator Reverendiſſimi Epiſcopi Dertuſenſis Barcinone, in eorum abſentia.

Bartholomæus Roca S.T.D. canonicus, & ſyndicus reverendi Capituli Eccleſiæ Tarraconenſis.

Raphaël de Rovirola D. D. Canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Barcinonenſis.

Joannes Margalef D.D. cononicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Ilerdenſis.

Franciſcus Roca S.T.D. canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Urgellenſis, & in eius locum poſtea Jacobus Bartholomeus D. D. canonicus, & ſyndicus ejuſdem capituli.

Petrus Ciſterer D. D. Hoſpitalarius, canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Dertuſenſis, poſtea in ejus locum Matthæus Boteller camerarius, canonicus, & ſyndicus ejuſdem capituli.

Monſerratus Guillo canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Gerundenſis.

Joannes Boſca S. T. D. ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Elenenſis.

Jacobus Bergadà, canonicus, cappellanus major, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Vicenſis.

Blaſius Torrens monachus, & procurator reverendi admodum Hieronymi Contijoch Abbatis monaſterii ſanctarum Crucum, Ordinis Ciſtercienſis, Tarraconenſis diœceſis.

Gaſpar Joannes de Valpedroſa S.T.D. monachus, & procurator reverendi admodum Abbatis B. Mariæ Populeti in eius abſentia Tarracone.

Joannes Matos Prior, & eleemoſynarius, & procurator reverendi admodum Didaci Suarez Abbatis domus, & monaſterii Beatæ Mariæ de la O, Ordinis S. Benedicti, Ilerdenſis diœceſis.

Pe-

Petrus Barberà S. T. profeſſor, Prior monaſterii, & conventus B. Mariæ de Benifaçà, ordinis Ciſtercienſis, procurator admodum reverendi Michaëlis Joannis Giſpert Abbatis dicti monaſterii, Dertuſenſis diœceſis.

Auguſtinus Grau D. D. Canonicus, & ſyndicus monaſterii S. Petri Ageren. canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini Abbate carentis.

Franciſcus Polujes præcentor, vicarius generalis, & officialis, canonicus, & procurator monaſterii B. Mariæ Celſonæ, canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini Urgellenſis diœceſis, Abbate carentis.

Laurentius Iſalguer canonicus, & Seneſcallus, vicarius generalis, & procurator monaſterii Sancti Joannis de Abbatiſſis canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini, Vicenſis diœceſis, Abbate carentis.

Michaël de Peguera procurator, & œconomus monaſterii S. Cucufatis Vallenſis, Ordinis S. Benedicti, Barcinonenſis diœceſis, Abbate carentis.

Franciſcus Caraps D. D. monachus eleemoſynarius, & procurator monaſterii B. Mariæ de Rivo-pullo, Ordinis S. Benedicti, Vicenſis diœceſis, Abbate carentis.

Antonius Molner Prior clauſtralis, Sacriſta major, vicarius generalis, & procurator monaſterii S. Michaëlis de Cuxa, Ordinis S. Benedicti, Abbate carentis.

Raphaël Sapte monachus, cellerarius, procurator, & œconomus monaſterii S. Petri Rodenſis Ordinis S. Benedicti, Gerundenſis diœceſis, Abbate carentis.

Bartholomæus Cornella diſpenſarius, monachus, & procurator monaſterii S. Saturnini de Tabernolis, Ordinis S. Benedicti Urgellenſis diœceſis, Abbate carentis.

Petrus Lebot monachus, ſacriſta, & ſyndicus monaſterii B. Mariæ Gerrenſis, Ordinis S. Benedicti, diœceſis Urgellenſis, Abbate carentis.

Simon Gras canonicus, œconomus, & ſyndicus monaſterii S. Mariu de Villabertrae, canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini, Gerundenſis diœceſis, Abbate carentis.

Michaël Cella monachus camerarius, & Prior monaſterii S. Stephani Ordinis S. Benedicti villæ Banneolarum, Gerundenſis diœceſis, Abbate carentis.

Jacobus Roure monachus, procurator, & œconomus monaſterii S. Salvatoris de Breta, Ordinis Sancti Benedicti, Gerundenſis diœceſis, Abbate carentis.

Antonius Maſſet canonicus, & ſacriſta, ac procurator monaſterii B. Mariæ de Stagno, canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini, diœceſis Vrcenſis, Abbate carentis.

Et ego ✠ Alexander Cendra-Regia, ac pro Illuſtriſſ. ac Reverendiſſimo D. D. Tarraconenſi Archiepiſcopo, ejuſq; auctoritatibus notarius publicus, ſcribaniam publicam & communem civitatis Tarraconenſis regens, ac ſacri Concilii Provincialis ſcriba, & ſecretarius, quia dictarum conſtitutionum ſelectioni & novæ ordinationi mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis interfui: ideo hic me ſubſcribo, & ſolitum dictæ provinciæ appono ſignum.

CONSTITUTIONES

Quæ ex variis titulis exceptæ, inutiles ac ſuperfluæ viſæ ſunt ex decreto Concilii Provincialis celebrati anno MDXCII. in quo antiquarum conſtitutionum ſelectio fuit facta.

EX LIBRO PRIMO.

Tit. De conſtitutionibus.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Præcipitur obſervantia conſtitutionum Concilii Generalis.

ANimarum languoribus, qui ex ſacrarum conſtitutionum trangreſſione vel omiſſione trahunt originem, præſentium Patrum approbatione ſubvenire curantes, ſtatuta ſacri Generalis Concilii, quę pro magna parte non ſine gravi periculo ſunt neglecta, pleniore diligentia de cætero præcipimus obſervari, & ſtudiosè corrigi ea, quæ contra ipſum Concilium temerè ſunt pręſumpta.

Idem in eodem.

CAPUT II.

Celebratio Conciliorum Provincialium, & Synodalium non prætermittenda.

IMprimis præcipimus, ut conſtitutio de Conciliis Provincialibus, & Epiſcopalibus Synodis celebrandis pro correctione & reformatione morum ſalubriter edita, juxta ſuum tenorem firmiter obſervetur: & ut nulla negligentia vel occaſio impediat ipſius obſervationem.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Concilia Provincialia & Synodalia quotannis celebranda.

STatuimus, ut in provincia Tarraconenſi Provinciale Concilium ſingulis annis, Dominica, quâ cantatur *Jubilate*, celebretur; & Epiſcopalis Synodus ad minus celebretur

tur ſemel in anno, die feſto S. Lucæ. Si verò ex cauſſa neceſſitatis abſens fuerit Epiſcopus, aut aliàs rationabiliter fuerit impeditus, provideat per quem, vel per quos Synodus celebretur. Quòd ſi vacaverit ſedes, per Archidiaconos in ſuis Archidiaconatibus celebrentur particulares Synodi terminis ſupradictis. Si verò, vacante ſede, penes priorem, vel capitulum, vel aliam perſonam Eccleſiæ reciderit juriſdictio, procuret, ut prædicto modo Synodus celebretur. Et hæc omnia ſerventur ſub pœna in Generali Concilio ſtatuta.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato,

CAPUT IV.

Quales procuratores mittendi ad Concilium Provinciale quando Epiſcopi & alii titulares legitimè fuerint impediti.

PRæſenti quoque adjicimus ſanctioni, ut nullus ad Provincialia Concilia de cætero admittatur, miſſus à venerabilibus fratriſtus noſtris Epiſcopis, cùm juſto fuerint impedimento detenti; vel à capitulis Eccleſiarum Cathedralium, niſi ſit vicarius, vel principalis officialis, vel de capitulo; aut talis perſona, quæ ad tractatus capituli eorundem admitti debeat; vel doctor, aut Baccalaureus fuerit in jure canonico, vel civili, qui Beneficia obtineat in eiſdem: cùm meliùs libertas Eccleſiaſtica per illos qui Beneficia & vitam recipiunt in dictis Eccleſiis defendi veriſimiliter præſumatur; & periculum non modicum immineat ad ſacra Concilia admitti perſonas extraneæ nationis. Qui quidem procurator die ad Concilium celebrandum præfixa, ſufficiens procuratorium deferre habeat, & nobis de eo fidem facere teneatur; in quo ſit inſerta etiam fides facta per notarium publicum de impedimento, quo perſona citata ad Concilium venire non poteſt. Quod impedimentum ille qui ad Concilius citatus fuerit, notario exprimere habeat, & de ipſo in poſſe ipſius notarii fidem juramento proprio facere teneatur. Cognitio autem & deciſio, an juſtum fuerit impedimentum, necne, cognitioni ſacri Concilii reſervetur; ſtatuimuſque, ut procurator conſtitutus per quempiam Epiſcopum, Abbatem, capitulum, Priorem, vel quemcumque alium ſingularem, qui ad Concilia Provincialia conſueverunt admitti, Epiſcopi, capituli, conventus, vel collegii, nec alterius valeat eſſe procurator.

Petrus Sagarriga Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT V.

Venientes ad Concilium, ornamenta ſuæ dignitatis deferant.

ORdinamus, ſacro approbante Concilio, ut de cætero Epiſcopi venientes ad Concilium portent pontificalia ſua; & procuratores cappas, vel ſuperpellicea, ut decentiùs intereſſe poſſint. Et ponatur in literis convocationis.

Tit. De conſuetudine.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Statuitur, ne aliqui prandia, vel cibum à parocho, vel ab aliquo alio exigant prætextu cujuſcumque conſuetudinis.

IN nonnullis Tarraconenſis provinciæ diœceſibus & Eccleſiis ſic avida guloſitas quorundam laïcorum animos excæcavit, ut certis anni temporibus parochiani dictarum Eccleſiarum ab abbatibus, vicariis, ſeu rectoribus earundem certa prandia, comeſtiones, paſtus, potationes, ſeu beuragia exigere, quaſi ex debito, non formident; & ipſos rectores, vicarios, ſeu abbates ad ea juxta abuſum hujuſmodi exhibenda, per ſubtractionem, & retentionem decimarum, & aliorum jurium Eccleſiaſticorum, irreverenter, vel alias inverecundè compellere non vereantur. Aliqui etiam ex laïcis ſupradictis una die cujuslibet ſeptimanę quaſi ex debito volunt comedere rectore, vicario, ſeu abbate; & ultra comeſtionem habere, & exigere aliquam pecuniam ex eiſdem; ita per totum anni circulum continuè facientes, quouſque omnes parochiani cum eis comederint, & certum quid habuerint ab eiſdem: poſteaque inchoant & repetunt illud idem. Suntque alii laïci ex prædictis, qui ſolennibus diebus Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, immediatè poſt communionem, & receptionem ſacrati corporis Jeſu Chriſti, quod cum humilitate & devotione recipere tenentur, & aliquibus aliis anni temporibus, quaſi ex debito exigunt improbè ab Eccleſiis, abbatibus, vicariis, ſeu rectoribus vinum certum ex abuſu hujuſmodi, vel etiam juxta votum; adeò ut interdum decem, vel quindecim onera in potationibus hujuſmodi expendantur: propter quæ ingurgitationes, ebrietates

tes, & comeſſationes indebitæ committuntur, & multoties mortes & vulnera ſunt hactenus ſubſequuta. Quamplurimi inſuper ex laïcis etiam antedictis tempore, quo decimarum, & primitiarum granaria dividuntur, non permittunt per illos, ad quos dictæ decimæ & primitiæ bladi pertinent, portari liberè dictum bladum ſuis propriis animalibus, vel etiam alienis; ut pro apportaturis præfeti bladi in duplo, vel triplo plus, quàm alii portarent, neceſſariò eis detur. Nonnulli etiam, qui juxta laïcorum conſuetudinem, ad horrea Eccleſiarum bladum decimarum & primitiarum deferunt; & die, qua portant, cibantur ab Eccleſiis, vicariis, ſeu rectoribus earundem, per multas vices, multoſque dies excogitatâ malitiâ deferunt minutatim, quas portare poterant uno die; ut ſingulis diebus & vicibus reficiantur ab ipſis Eccleſiis, & earum rectoribus, ac cibentur; conſtitutione noſtra, quæ incipit: *Scriptura ſacra*, hoc prohibente. Alii verò laïci, cùm ſubſidia ex certis cauſſis portionariis, vicariis, ſeu clericis Beneficiatis in Eccleſiis, ipſorum laïcorum conſanguineis, affinibus, ſeu amicis, per locorum Ordinarios, vel Nuncios, ſeu Legatos ſedis Apoſtolicæ imponuntur; vel cum ipſis portionariis, vel vicariis, ſeu clericis Beneficiatis in Eccleſiis prælibatis per ipſos Rectores, ſeu Abbates, vel eorum gerentes vices, ex eo quòd ſervitium Eccleſiæ non faciunt, ut tenentur; vel alia cauſſa licita, juſta, & honeſta interdum ad tempus ſuorum Beneficiorum fructus forſitan ſubtrahuntur, ad requiſitionem, ſuaſionem, ſeu nutum hujuſmodi clericorum occultè retinent ſibi decimas, & alia jura Eccleſiaſtica; & portionariis, ſeu clericis memoratis tribuunt: propter quod negligentia dictorum portionariorũ, clericorum, & aliorum circa divinum officium remanet impunita; cùm de alieno ſolvant, quod de ſuo proprio ſolvere tenebantur, & dicti laïci nihilominus participes ſunt furti, allegantes omnes prædicti, & ſinguli ad excuſandas excuſationes in peccatis, quòd conſuetudines obſervant atque uſus. Nos igitur volentes ex debito noſtri officii Eccleſiarum indemnitatibus providere, ac malitiis, uſurpationibus, & morbis hujuſmodi obviare, ſacro approbante Concilio, conſuetudines, obſervationes, atque uſus, corruptelas, & abuſus penitùs reputantes, ac etiam judicantes; prædicta omnia & ſingula deinceps omnino fieri prohibemus: cùm non ſit dubium, ea eſſe contra bonos mores, & canonicas ſanctiones, & in gravamen jurium Eccleſiarum & Eccleſiaſticæ libertatis. Et nihilominus quia parum prodeſt jura condere, niſi pœna tranſgreſſoribus imponatur, in omnes, & ſingulos laïcos, qui prædicta prandia, comeſtiones, ſeu paſtus, potationes, ſeu alia beuragia & alia prędicta, ſeu aliqua de eiſdem exegerint cũ effectu; & qui occaſionibus memoratis, vel aliqua earundem de decimis & primitiis & aliis juribus Eccleſiaſticis aliquid ſibi retinuerint ſcienter, vel per alios procuraverint, ſeu mandaverint, aut conſenſerint retineri, excommunicationis ſententiam promulgamus. In locis verò, in quibus univerſitates in his culpabiles exſtiterint, ceſſetur penitùs à divinis, ſub pœna excommunicationis: Abbatibus, rectoribus, vicariis, & aliis Eccleſiaſticis perſonis interdicendo & prohibendo expreſsè, quòd dictis laïcis, vel eorum alicui, comeſtiones, & paſtus, potationes, & beuragia, vel aliquid aliud ex cauſſis ſeu occaſionibus ſupradictis non dent, nec dari faciant, vel permittant; ſi alias pœnas canonicas voluerint evitare.

Dalmatius Murius Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT II.

Ratio officiorum deſcribenda in unaquaque Eccleſia, & in choro apponenda.

PER conſtitutionem bonæ memoriæ domini Enneci prædeceſſoris noſtri, incipientem: *Quia per cæremonias*, fuit ſalubriter ſtatutum, ut in qualibet Eccleſiarum Cathedralium, collegiatarum, & aliarum ubi eſt ultra numerum duodecim officiantium, fieret unus liber, qui ſtaret in choro Eccleſiæ cum catena, ubi omnia pertinentia ad divinum officium, ſecundùm uſum Eccleſiæ, infra annum; & quis illa facere deberet, exactiùs ſcriberentur. Sed quia nulla fuit pœna addita, exſecutione caruit uſquequaque. Ut itaque qui deſides fuerint in eadem exſequenda, pœnæ formidine arctentur; ſacro approbante Concilio, illam innovantes, mandamus Epiſcopis, capitulis, & aliis, qui Eccleſiis præſident memoratis, in virtute ſanctę obedientiæ, & pœna etiam infraſcripta, ut infra tres annos proximè venturos dictę conſtitutionis ſeriem exſequentes, dictum librum ultra librum vocatum *Conſueta*, fieri facere teneantur. Epiſcopi autem, qui negligentes in hoc reperti fuerint, & capitula Eccleſiarum Cathedralium 25. librarum, & alii inferiores 10. librarum pœnam ipſo facto incurrant, Eccleſiarum fabricis infallibiliter acquirendam.

Tit. De renunciatione.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Statuitur, renunciationes, & collationes Beneficiorum publicari debere.

ITem cum occulta donatio ſuſpicione non careat juxta canonicas ſanctiones, ſacro approbante Concilio donationes occultas de dignitatibus, perſonatibus, rectoriis, prębendis, ſeu portionibus, & aliis omnibus adminiſtrationibus, miniſteriis, officiis, & beneficiis Eccleſia-

ſiaſticis, quocumque nomine cenſeantur, fieri prohibemus: ſtatuentes, ut tam donator, quàm donatarius donationem recipiens factam intra tempus de conferendis Beneficiis à Canonibus definitum, & à vacationis tempore computandum, taliter ſtudeant publicare, ut appareat, cui donaverit, & quo tempore ſit donatum. Aliter quidem facta donatio ipſo jure non valeat, nec alicui competat actio, vel defenſio ex eadem. Sanè donator, qui contra hoc ſtatutum venerit, conferendi poteſtate careat ea vice, & ad alios ſecundùm Lateranenſis ſtatuta Concilii hujuſmodi collatio devolvatur.

Tit. De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Beneficiati inepti ad perdiſcendas literas, fructibus Beneficiorum priventur: nec ad ſacrum ordinem admittendi, qui Latinè loqui neſciant.

STatuimus quoque, ut omnes Beneficiati, & promovendi in Eccleſiis parochialibus, qui Latinis verbis loqui neſciunt, exceptis illis, de quorum profectu propter ætatem non eſt ſperandum, in ſtudio ab Epiſcopo, & Archidiacono loci, ubi tale jus conſuevit habere Archidiaconus, per ſubtractionem Beneficiorum quoad uſque Latinis verbis loqui ſciant, addiſcere compellantur. Illis autem, qui ſtudere in Grammatica, & proficere voluerint, miſericorditer indulgemus, ut Beneficia ſua integrè in ſcholis habeant à proximo feſto S. Joannis, uſque ad triennium, ac ſi in ſuis Eccleſiis deſervirent: proviſo tamen ne Eccleſia eorum remaneat debito ſervitio deſolata. Qui verò infra hunc terminum non tantùm proficere curaverit, ut Latinis verbis loqui ſciat, quia ſuam juvare, vel vincere neglexerit ignorantiam, donec talem negligentiam per ſubſequens ſtudium correxerit, Beneficio ſuſpendatur eodem. Et quoniam multi affectant clericalem characterem, ut libertatem Eccleſiaſticam, vel Beneficium aſſequantur, & tamen addiſcere negligunt; præcipimus, ut à talibus tonſurandis caveatur attentè: præſertim in illis locis, in quibus obtentâ primâ tonſurâ, ratione natalis ſoli ſibi in Eccleſia vindicant portionem. Ad ſacrum autem gradum nullus clericus ſæcularis promoveatur, qui Latinis verbis loqui neſciat.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Qui latinè loqui neſciunt, ad ordines non admittendi.

QUoniam illi ſunt ad honores Eccleſiaſticos promovendi, qui moribus, ætate, ſcientia pollere noſcuntur; ſtatuimus ac prohibemus, ne ad ſacros ordines promoveantur, niſi perſonæ, quæ Grammaticam ſciant, ſeu Latinis verbis loqui valeant competenter. Illi verò, ad quos ratione dignitatum, vel perſonatuum, quos obtinent, competit examinare clericos, & ad omnes ordines præſentare, propenſius caveant, ſi hujuſmodi cupiunt honore gaudere, ne defectum ſuper hoc patiẽtes, ſcienter ad ordines audeant præſentare. Poteſtatẽ autem diſpenſandi ſuper his, ex cauſſa, & quatenus à jure permittitur; per hoc non intendimus Epiſcopis interdictum.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus, in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Canonici Eccleſiarum Cathedralium infra annum à die adeptæ pacificæ poſſeſſionis, ad ſubdiaconatus ordinem promoveantur.

GRandia damna, & pericula, quæ Eccleſiis, & monaſteriis, ac aliis piis locis, Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis obvenerunt hactenus, ac in præſentiarum obveniunt in provincia Tarraconenſi diabolica inſtigatione quorundam, qui de Chriſti patrimonio ſublimati, deteſtantes adſcribi militiæ clericali, ponentes ad aratrum manum, reſpicientes retrò vitam elegerunt ducere laïcalem, tollere affectantes; ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut quicumque de cætero in canonicum Cathedralis Eccleſiæ aſſumptus fuerit, ne à ſtatu retrocedere valeat clericali, infra annum à die pacificæ poſſeſſionis adeptæ computandum, poſtquam ad legitimam ætatem pervenerit, ad ordinem ſubdiaconatus ſaltem, legitimo impedimento ceſſante, ſe faciat promoveri: aliàs extunc canonia, quam adeptus fuerit, ſit ipſo facto privatus: alii per illos, ad quos collatio pertinuerit, liberè conferenda.

Dal-

Dalmatius Murius Archiepiſcopus, Concilio Provinciali.

CAPUT IV.

Canonici Cathedralium excommunicantur, qui conſtitutiones violaverint de promovendis infra annum canonicis à die adepte poſſeſſionis, ad ſubdiaconatus ordinem.

CUm per conſtitutiones bonæ memoriæ domini Petri prædeceſſoris noſtri incipientes: *Grandia*, & *Cum nuper*, ſalubriter ſit proviſum, ut canonici, & presbyteri de capitulo Eccleſiarum Cathedralium noſtræ provinciæ Tarraconenſis, ne à ſtatu retrocedere valeant clericali, infra annum à die pacificæ poſſeſſionis adeptæ computandum, poſtquam ad legitimam ætatem pervenerint, ad ordinem ſubdiaconatus ſaltem, legitimo impedimento ceſſante, ſe faciant promoveri: aliàs ex tunc canonicatibus & Beneficiis, quos, vel quæ in eiſdem Eccleſiis obtinent, & quæ obtinere non poſſent, niſi eſſent canonici præbendati, ſint ipſo facto privati: & cùm lapſo hujuſmodi anno iidem canonici, & presbyteri de capitulo ſic privati, in ſuis canonicatibus & præbendis, ac Beneficiis tolerentur, fructuſque ſuarum præbendarum & Beneficiorum eiſdem integraliter miniſtrentur, in eorum grave periculum animarum; iccircò ſuper his providere volentes, præfatas conſtitutiones renovando & exſequendo, eiſdem ſacri approbatione Concilii, adjicimus; quatenus lapſo hujuſmodi anno, eiſdem canonicis & presbyteris de capitulo, ut præmittitur, non promotis, & ſic vigore dictarum conſtitutionum ipſo jure privatis, diſpenſatione ſufficienti per eoſdem ſuper hoc non oſtenſa, de fructibus, redditibus, & proventibus ſuarum præbendarum & Beneficiorum prædictorum, per illos, ad quos pertinet & ſpectat, nullatenus reſpondeatur, declaratione alia minimè exſpectata: alioqui contrarium facientes ſententiam excommunicationis incurrere volumus ipſo facto.

Tit. De ſacra unctione.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Sacramentum extremæ-unctionis gratis conferendum: à Cathedralibus Eccleſiis quotannis olea petenda.

ITem ſacramentum extremæ-unctionis petentibus liberè & ſine pecunia à ſacerdotibus miniſtretur: & ſingulis annis clerici ampullam deferant, in qua oleum recipiant infirmorum, quando eis chriſma, & catechumenorum oleum tribuetur: conſuetudine quavis non obſtante.

Tit. De filiis presbyterorum.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Soboles clericorum in bonis paternis prohibetur ſuccedere, & ad primam tonſuram admitti.

SOboles quoque clericorum, poſt hoc Concilium, de concubina ſuſcepta, in bonis paternis jure hæreditario, ſecundùm Decretalem domini Honorii, non ſuccedat, & ad primam tonſuram velut ſpuria nullatenus admittatur, quæ omnis Beneficii, & privilegii clericalis expers exiſtit.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

PResbyter cum ſuo proprio filio ſpurio Miſſam non audeat celebrare.

Tit. De ſervis non ordinandis, & eorum manumiſſione.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Monentur Epiſcopi ante promotionem edicere ſibi in animo, non eſſe eos promovere, qui ſunt de redemptione.

CUm juri ſit conſonum, ut quilibet in ſuis juribus foveatur, & factum unius alteri nocere non debeat, eodem approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, ut quilibet Epiſcopus, cum clericales tonſuras, vel alios ordines in aliqua civitate, villa, vel caſtro duxerit conferendas & conferendos, habeat in principio proponere edictum per ſe, vel per alium loco ſui; quod ipſe Epiſcopus non intendit promovere ad dictam clericalem tonſuram, vel alios ordines; nec admittere aliquem de redemptione, exiſtentem alicujus domini Eccleſiaſtici, vel laïci temporalis. Et ſi aliquis

de redemptione apparuerit, qui velit dicta clericali tonſura, vel aliis ordinibus inſigniri, ſi ſui juris fuerit, vel ejus pater, tutor, vel curator, vel alius pro eo, ante habeat præſtare cautionem idoneam, & cum juramento in poſſe dicti domini Epiſcopi, quòd conveniet cum domino ſuo de jure competenti eidem domino ratione redemptionis; ſi & quando ipſi domino placuerit. De qua prote ſtatione & cautione habeat fieri ſcriptura in libro vel regiſtro ordinum ipſius Epiſcopi, in memoriam rei geſtæ.

Tit. De officio Archipresbyteri.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

CUM Archipresbyteratus ſpiritualem juriſdictionem habeat, diſtrictè prohibemus, ne Archipresbyteratus ſub aliqua penſione ad terminum alicui concedatur.

Tit. De officio vicarii, & ſalariis officialis, & jure ſigilli.

Sanctius ab Ayerbe Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Statuitur pro jure ſigilli, decretis, & ſcripturis non plus poſſe exigi, quàm fuerat ſuperioribus temporibus ſolutum.

LOqui veremur, & tacere non expedit ea, quę noſtris auribus nunciârũt fide digni relatus. A tempore enim peſtilentiæ & mortalitatis præteritæ, quo Eccleſiæ plurimæ Cathedrales noſtræ provinciæ fuere paſtor. Solatio deſtitutæ, licèt ad eas Prælati præfecti fuerint, in quibuſdam tamen ejuſdem provinciæ Eccleſiis, de quo dolendum eſt, Prælati minimè reſiderunt, nec hodie reſident; propter quod Eccleſiarum detrahitur commodis & honori: quæ carentes defenſorum auxilio in juribus ſuis & libertatibus multipliciter opprimuntur, animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculosè præbetur. Vicarii enim, officiales, procuratores, & theſaurarii eorundem emolumenta provenientia ex jure ſigilli curiæ eorundem ultra morem ſolitum diverſis exquiſitis coloribus augmentârunt: quod in gregum eis creditorum præjudicium & jacturam, ad ambitionis & avaritiæ improperium, dictis Prælatis hæc forſitan ignorantibus, noſcitur redundare. Nos igitur prædictus Archiepiſcopus, approbatione ſacri Concilii, ſtatuimus, quòd nos, ſeu venerabiles fratres noſtri Epiſcopi, vicarii, officiales, procuratores, theſaurarii, aut alii quocumque nomine nuncupentur, pro jure ſigilli noſtræ curiæ, ſeu curiæ Epiſcopalis, vicariorum ſeu officialatus ejuſdem, plus non exigant pro jure ſigilli, & collationibus Beneficiorum, quàm reverendus dominus bonæ memoriæ Arnaldus Tarraconenſis Archiepiſcopus, ultimus prædeceſſor noſter, venerabiles bonæ memoriæ fratres noſtri Hugo Valentinus, Jacobus Dertuſenſis, & Ilerdenſis, Ferrarius Barcinonenſis, Arnaldus Gerundenſis, Nicolaus Urgellenſis, & Hugo Vicenſis Epiſcopi conſueverunt recipere. Quòd ſi ſecus actum fuerit, nos & Epiſcopi illis, à quibus ultra exactum fuerit, reſtituere teneamur, remiſſione quacumque nobis, nec ipſis facta ullatenus profutura. Et eundem modum habeant obſervare officiales, qui nunc ſunt, quem officiales prædictorum obſervârunt in recipienda pecunia pro decretis & notarii pro ſcripturis. Et niſi fecerint, reſtitutioni prædictæ ſe noverint ſubjacere.

Petrus Claſquerinus Archiepiſcopus in Concilio ſecundo Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Decanos foraneos & procuratores fiſcales debere eſſe in ordine ſacro conſtitutos.

QUia non decet cauſſas Eccleſiaſticas per perſonas laïcas pertractari, ſtatuimus, ut in curiis noſtris & ſuffraganeorum noſtrorum non conſtituantur ſeu ponantur, vel ſint de cetero decani officiales foranei, procuratores fiſcales, niſi presbyteri, vel ſaltem ſimpliciter tonſurati: de quibus veriſimiliter præſumatur, quòd debeant ad ſacros ordines promoveri. Quòd ſi ſecus actum, ſeu ordinatum exſtiterit, proceſſus, qui cum prædictis fient, ipſo facto, abſque exceptionis ope, careant viribus & effectu.

Petrus Sagarriga Archiepiſcopus in Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Vicarios & officiales principales in ſacris ordinibus debere eſſe conſtitutos.

HOc conſultiſſimo prohibemus edicto, ſacri approbatione Concilii, præteritis moniti exemplis, quòd neque nos, neque ſuffraganei noſtri, vicarios, vel officiales prin-

principales, niſi in ſacris fuerint ordinibus conſtituti, in noſtris diœceſibus, & ſuis ullatenus teneamus. Et ſi contrarium fiat, omnes actus, qui perſdictos vicarios, & officiales in ſacris, ut prædicitur, non promotos, inde fient, ſint ipſo jure nulli.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT IV.

PErpetuo ordinamus edicto, vicarios generales, aut principales officiales diœceſanorum, ſeu Ordinariorum Eccleſiaſticorum eſſe debere in ſacris ordinibus conſtitutos: decernentes, omnes actus vicarii, aut principalis Officialis non conſtituti in ſacris ordinibus, ſi quos contigerit de cætero actitari, nullius eſſe roboris ac valoris.

Tit. De officio Ordinarii.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Ordo præſcribitur in ordinandis illis, qui alienæ ſunt diœceſis.

ITem cùm nonnulli Abbates, & Prælati provinciæ Tarraconenſis uſurpando juriſdictionem Epiſcoporum, provinciæ Tarraconenſis clericos ordinandos præſentent per ſuas literas aliis Epiſcopis, ipſorum Epiſcoporum, ad quos pertinet dictorum clericorum ordinatio, licentia minimè requiſita, cognoſcant etiam, vel cognoſci faciant de cauſſis matrimonialibus in civitatibus & diœceſibus prædictorum Epiſcoporum, & aliàs uſurpent ipſorum Epiſcoporum juriſdictionem, aliaque faciant, quæ ad ordinem pontificalem pertinere noſcuntur; mandamus univerſis Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, quòd ad præſentationem dictorum abbatum, vel inferiorum Prælatorum nullum clericum ordinent, donec fidem fecerint, quòd ex privilegio ſedis Apoſtolicæ hoc ſibi ſpecialiter ſit indultum: & quòd ſententias excommunicationis per ipſos Epiſcopos, vel eorum officiales latas & ferendas contra impedientes, & uſurpantes juriſdictionem Epiſcoporum ipſorum obſervent, & faciant inviolabiliter obſervari.

Tit. De majoritate & obedientia.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Quæ ornamenta Prælati & canonici in choro deferre debeant.

STatuimus, ut Archiepiſcopus, & Epiſcopi, & alii Prælati, & canonici Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, ſæcularium vel regularium, intra Eccleſias ſuas, vel clauſtra, ad divina officia, & proceſſiones à feſto omnium Sanctorum uſque ad ſabbathum Paſchæ deferant cappas nigras: exceptis diebus, quibus cappis ſericis ſolent uti. Alioquin in ſuperiori choro, ſeu majori, non ſedeant, nec in proceſſionibus inter cappatos incedant, ſed eos præcedere teneantur.

Dalmatius Murius Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Canonici, & presbyteri cappis, ſive almuciis ornati divinis interſint officiis.

UT decentiùs, devotiùs, & honeſtiùs canonici, ad celebrationem divini cultus accedant, conſtitutionem per bonæ memoriæ dominum Joannem Patriarcham prædeceſſorem noſtrum editam de cappis portandis à feſto omnium Sanctorum uſque ad Paſcha, incipientem: *Statuimus*, renovantes, & ad presbyteros de capitulo extendentes, eidem conſtitutioni ſacri approbatione Concilii adjicimus, quòd canonici & presbyteri de capitulo Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum noſtræ provinciæ Tarraconenſis, in choro ad horas divinas almucias extenſas ſuper ſpatulas, à feſto Paſchæ Domini uſque ad feſtum omnium Sanctorum portare omnimodè teneantur. Quòd ſi ſecus fecerint, cappas, ſeu almucias ſuis temporibus, ut præmittitur, non portando amittant diſtributiones illa hora, qua contrarium fecerint, ipſo jure.

Petrus de Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT III.

Quæ, quibuſque temporibus cappæ, & almuciæ pro cujuſque dignitate & gradu in Eccleſiis geſtari debeant.

STatuimus, ſacro approbante Concilio, quòd perſonæ in dignitate conſtitutæ, & canonici Cathedralium Eccleſiarum deferant almucias foltatas ex ſetino carmeſino, niſi ſint religioſi, qui eas deferant ex ſetino nigro, vel colorum à jure permiſſorum. Canonici verò Collegiatarum Eccleſiarum, tam ſecularium, quàm regularium, etiam deferant ex ſetino nigro. Præpoſiti verò in Eccleſiis, in quibus habent certum locum in choro, & in proceſſionibus poſt canonicos, eas deferant de ſetino morato. Beneficiati autem, ſi ſint canonici Eccleſiarum Cathedralium, aut nobiles, ſeu doctores, magiſtri, vel licentiati, de ſetino nigro: commenſales, portionarii, baccalaurei in Jure, vel ſacra Theologia, ex tafatano nigro, & Beneficiati. Contrarium verò facientes perdant eas ipſo facto, & applicatæ cenſeantur fabricæ Eccleſiæ, cui deſerviunt. Verùm ſi tranſgreſſor recuſaverit infra tres dies tradere dictæ fabricæ almuciam; ſit privatus diſtributionibus dictæ Eccleſiæ, donec almuciam fabricæ tradiderit cum effectu. *Prælati*, vel Superiores, qui negligentes fuerint in exſecutione prædictorum, teneantur æſtimationem dictarum almuciarum tradere fabricæ dictæ Eccleſiæ. Quod verò ad cappas chori portandas tempore hyemis pertinet, ſervetur conſuetudo uniuſcujuſque Eccleſiæ.

Tit. De pactis, & collegiis illicitis.

Aſpardus Barca Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Beneficiis privantur, qui illicitam ſocietatem cum aliquibus coïerint.

CUm aliqui quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, quum Beneficia Eccleſiaſtica in Eccleſia Dei vacant, ſocios ſibi attrahunt, & pactionibus illicitis eos ſibi alligant, ut propter majorem numerum pravitatis, obtinere valeant quod intendunt, ad offenſam Dei, & ſcandalum populi Chriſtiani, ut propriæ ambitioni damnabiliter ſatisfaciant; ideoque ſtatuimus, Generali Concilio approbante, quòd quicumque de cætero talia præſumpſerit attentare, omnino Beneficio careat ſic obtento, ita quòd numquam in eadem Eccleſia Beneficia valeat adipiſci.

EX LIBRO SECUNDO CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM.

Tit. De feriis.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Qui per anni circulum feſti dies habendi.

ITem cùm otium & deſidia fomentum pariant vitiorum, feſtivitatum multitudinem ducimus temperandam: cùm in illis, eo quòd non laborant pauperes, aggraventur, & otioſi & deſidioſi ad illicita provocentur. Quare feſtivitates colendas neceſſariò ſubnotavimus: quas, qui contempſerint colere, per ſuum presbyterum compellantur: feſtum ſcilicet Circumciſionis Domini, Epiphaniç, Sancti Vincentii, Purificationis ſanctæ Mariæ, Mathiç Apoſtoli, Annunciationis beatæ Mariç, duorum dierum octavarum Paſchç, Sancti Marci Euangeliſtç, Philippi & Jacobi, Inventionis ſanctæ Crucis, Aſcenſionis Domini, feriç ſecundç octavarum Pentecoſtes, Joannis Baptiſtç, Petri & Paulli, & Sanctæ Mariç Magdalenç, Jacobi Apoſtoli, & Sancti Laurentii, Aſſumptionis beatæ Mariç, Sancti Bartholomei, Nativitatis virginis Mariç, Matthei Apoſtoli, S. Michaëlis, Lucç Euangeliſtæ, Simonis & Judç, omnium Sanctorum, Sancti Martini, Sancti Andreæ, Sancti Nicolai, Sancti Thomç, Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Apoſtoli & Euangeliſtç. Et quelibet parochia obſervet feſtivitatem illius Sancti, in cujus honore conſtituta eſt major ejus Eccleſia. Officia verò harum ſolennitatum, & omnium aliarum, ſive ſint novem, ſive trium lectionum, prout hactenus conſuevit fieri à clericis, & in Eccleſiis, & in portionibus obſerventur: & ad audiendum officia laïci nihilominus moneantur.

Tit. De jurejurando.

Rodericus Tellius Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

De perjurio confeſſus, aut certè convictus, viginti morapetinis multatur: qui Ordinario addicuntur. Si ſolvendo non fuerit, in eum graviter animadverti jubetur: nihilq; hac conſtitutione derogatur pœnis contra perjuros conſtitutis.

ITem quamvis pia ſit conſideratione ſtatutum, quòd non merentur Eccleſias regere qui ſunt perjurii crimine irretiti; nec vivere debent de patrimonio Crucifixi, quem ſic irreverenter & enormiter contempſerint: attendentes, quòd nonnulli, antiqui hoſtis invidia procurante, in contumeliam redemptoris, & non modicum animarum ſuarum diſpendium temerè violant præſtita à ſe juramenta: nos huic morbo damnabili & peſtifero, quantum poſſumus, competentibus remediis obviare volentes, hac edictali conſtitutione ſancimus, ut ſi quis clericus famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, juramenti religionem ſpreverit, nulla cogente neceſſitate, ſed libero arbitrio & voluntate, contra jusjurandum à ſe præſtitum putaverit eſſe veniendum, & de hoc coram ſuo judice ſit confeſſus, vel legitima probatione convictus, vel aliàs de præmiſſis conſtiterit evidenter, pœnam viginti morapetinorum ipſo facto ſe noverit incurriſſe; ejus Ordinario, abſque remiſſione aliqua, confiſcandam. Dignum eſt enim, ut quos Dei timor à malo non revocat, temporalis ſaltem coërceat ſeveritas diſciplinæ. Quòd ſi ſolvendo non fuerint, ſic aliàs reatus talium caſtigentur, quòd pœna ipſorum cæteris auferat audaciam ſimilia præſumendi: ſalvis tamen omnibus aliis pœnis canonicis contra tales editis, quibus per conſtitutionem præſentem non intendimus in aliquo derogari.

EX LIBRO TERTIO CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM.

Tit. De vita & honeſtate clericorum.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Veſtitus clericorum, quo in templo, & extra templum utantur, præſcribitur.

NUllus clericus veſtes rubeas aut virides publicè deferat, quovis abuſu contrario non obſtante, Nec aliquis clericus ſeipſum, nec nos etiam Archiepiſcopus, aut alii Prælati, & perſonæ Eccleſiaſticæ ſocios noſtros induamus de panno, cujus commune pretium ultra viginti quinque libras; nec alios clericos, vel ſcutiferos, & officiales inferiores, vel ſcholares de panno, cujus commune pretium ultra duodecin libras: nec alios ſervitores pedites de panno, cujus commune pretium ultra octo libras monetæ Barcinonenſis conſtet. Nec aliquis clericus in ſacris ordinibus conſtitutus portet pelles varias in mantello. Canonici inſuper, & clerici de capitulo Cathedralis, vel Collegiatarum Eccleſiarum, & alii in ſacris ordinibus conſtituti, manicas ſupertunicalium rotundas & largas habeant competenter, nec in circumferentia manicarum, vel gramaſiarum, & aliarum veſtium portent circumferentias pellium additarum: nec portent ſotulares albos, vel cum chorda patenti: nec in galero forraturam alicujus coloris, de quo eos indui non liceret. nec canonici, nec alii clerici de capitulo Cathedralis Eccleſiæ portent in caputiis capparum de choro, quæ nigræ eſſe ſolent & debent, forraturam niſi de variis griſis, vel de pellibus nigris, vel de aliquo panno nigro; nec eaſdem cappas faciant ita longas, quòd ultra palmum trahant per terram. pretium verò dictarum capparum, quæ cauſsâ honeſtatis & humilitatis fiunt, & portantur, ſic temperent, quòd non poſſit in eis aliquis denotari exceſſus. Alii verò clerici in caputiis dictarum capparum non portent aliquam forraturam; nec eas ita longas, quòd trahant per terram, ſed ſufficiat, quòd cooperiant pedes ſuos. Nec aliquis clericus in ſacris ordinibus conſtitutus induat ſe de nigro, ſeu de veſtibus lugubribus per mortem alicujus, niſi fuerit pater, vel mater, frater, aut ſoror, aut dominus: quas etiam ultra duos menſes portare non

poſ-

poſſit, Sella verò cujuſcumque clerici ſit honeſta; nec cum fræno & pectorali ultra tres libras conſtare poſſit. Quicumque in prædictis, ſeu aliquo prædictorum exceſſerit, veſtes, ſeu ſellas, in quibus exceſſerit, teneatur dare pauperibus infra menſem. Alioquin ad hoc per ſuum Epiſcopum compellatur; veſtibus tamen & ſellis jam factis, quæ aliàs ſunt honeſtè, quilibet uti poſſit.

Petrus Sagarriga Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali;

CAPUT II.

Pœna ſtatuitur clericis Beneficiatis, qui indecentes veſtes detulerint.

SAcrorum Canonum imitantes ſtatuta, ſacro Concilio approbante ſtatuimus, quod nullus canonicus, religioſus, vel ſæcularis, in quacumque dignitate, vel officio conſtitutus, aut clericus Beneficiatus, vel in ſacris ordinibus conſtitutus, audeat portare veſtes ſuperiores retrò, aut in lateribus fiſſas. Contrarium verò facientes perdant veſtes, fabricæ Eccleſiarum, in quibus reſederint, vel pauperum uſibus ipſo facto per Ordinarium applicandas.

Dalmatius Murius Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Multæ conſtitutiones ad habitum clericorum ſpectantes renovantur.

POmpoſis & variis ornatibus veſtium Eccleſiaſticæ vitæ & honeſtati contrariis; quibus nonnulli clerici noſtræ provinciæ magis ad faſtum, & etiam oſtentationem, quàm neceſſitatis & utilitatis gratiâ, à paucis citra temporibus aſſueſcunt, ſatagentes ſe in his laïcis conformare, obviare, quantum cum Deo poſſumus, cupientes; quamquam circa hæc per bonæ memoriæ domini Sabinenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati conſtitutionem incipientem: *A crapula*, & aliam domini Arnaldi Archiepiſcopi prædeceſſoris noſtri incipientem: *Nullus clericus*; ultimò per decretum Conſtantienſe incipiens: *Inter cæteros Prælatorum exceſſus*, aliqualiter ſit proviſum; tamen quia in foraturis, & aliis ſubſcriptis etiam inolevit abuſus, & novis morbis nova ſint antidota præparanda, ut dictorum clericorum mores & actus in melius reformentur, ſacro approbante Concilio eiſdem conſtitutionibus infraſcripta addimus, & hac novella conſtitutione ſancimus, quòd de cætero nulli canonici vel clerici, regulares vel ſeculares, in ſacris conſtituti ordinibus, ſeu Beneficiati noſtræ provinciæ Tarraconenſis, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, veſtes rubeas, vel virides, nec foraturas pellium de martis, de faginis, neque de vebres, aut vulpium in veſtibus, neque rivetos duplices in collaribus, in fimbriis, nec in manicis, nec etiam veſtes fiſſas retrò, niſi in itinere conſtituti: neque in lateribus quoquo modo, vel etiam antè ultra tres palmos; neque etiam longas retrò ultra quatuor digitos ex tranſverſo, ne caudati more incedant muliebri, manicaſque cum foraturis duplicatas, neque etiam diploïdes, ſive *jubons* de ſerico; neque etiam in caputiis cocullas longas ultra duos palmos, niſi in itinere conſtituti, quoad ipſas cucullas, neque etiam cooperturas ſellarum in equitaturis longas ultra unum palmum propè *lo ſtrep*, deferre aliquatenus, ſeu portare præſumant: ſed ſe omnes honeſtos Deo & hominibus exhibeant vita, moribus, & exemplis, ac in omni decentia habitus & inceſſus. Nam & habitus clericorum ab habitu laïcali penitùs eſſe debet diſtinctus. Qui verò contrarium egerit, veſtes illas ipſo facto amittat, fabricæ Eccleſiæ civitatis, villæ, vel loci ubi tranſgreſſor hujus ſtatuti repertus fuerit, ipſo jure irremiſſibiliter acquirendas. Adjicimus, quòd ſi deferens ab inde veſtes rubeas vel virides, aut foraturas pellium de martis, de faginis, de vebres, aut vulpium, veſteſque fiſſas retrò, niſi ut ſuprà præmittitur; vel in lateribus; diploïdeſque de ſerico: veſtes, & diploïdes illas requiſitus realiter, & de facto intra tres dies tradere fabricæ jam dictæ recuſaverit, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat. Statuimus nihilominus dicti approbatione Concilii, quòd Epiſcopus, in cujus diœceſi proximè dictorum tranſgreſſor fuerit adinventus, aut ipſo extra locum agente, ejus vicarii, vel officiales, infra tres dies, poſtquam eis prædicta per ſummariam informationem, in qua non oporteat partem vocare, innotuerint; illum requirere faciant, & ſi requiſitus parere noluerit, excommunicatum publicent, ſeu publicari faciant ſine mora. Quòd ſi in his Epiſcopus remiſſus fuerit, ab ingreſſu Eccleſiæ, donec illum publicaverit, ſentiat ſe ſuſpenſum. Vicarii autem & officiales in his modo prædicto remiſſi, excommunicationis ſententiâ ſint ligati. Illi verò, qui rivetos duplices in collaribus, in fimbriis, vel manicis; aut veſtes ante fiſſas ultra tres palmos, vel longas retrò ultra quatuor digitos, manicaſque duplicatas, cum foraturis, aut cocullas in caputiis ultra duos palmos, ſive cooperturas ſellarum longas ultra unum palmum portaverint, ut prætangitur, quæ omnia perdere debent, juxta præſentis conſtitutionis tenorem, ad illas tradendas per Epiſcopos, vel eorum vicarios, ſeu officiales æqualiter, & ſine perſonarum acceptatione ſeu exceptione, per illa juris remedia, quæ elegerint, omnimodè compellantur. Conſtitutionem autem hujuſmodi poſt quatuor menſes à tempore publicationis in præſenti Concilio faciendæ ligare volumus, & non antè.

Pe-

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT IV.

Hac conſtitutione pleraque adjunguntur ſuperioribus de habitu & veſtitu clericorum.

DEcet vitæ Eccleſiaſticæ profeſſores tantum præ cæteris honeſtate pollere, quàtum à vulgari populo ſegregati, Dei ſunt in ſortem aſſumpti: ut in domo Domini familiaribus obſequiis inſiſtentes, morum compoſitionis & honeſtatis cæteris de ſe præbeant ſpeculum & exemplum. Hinc eſt, quòd circa clericorum vitam moribus adornandam, & honeſtatem geſtu, actu, & habitu exhibendam, & ab indecentibus ſæcularium rerum negotiis clericos ſequeſtrandos tam à jure communi, quàm per conſtitutiones Legatorum Apoſtolicæ ſedis, quamque per provinciales, & ſynodales plura fuerunt laudabiliter inſtituta, quorum multa præſumptuoſa tranſgreſſorum audacia ſaucia-vit. Univerſos igitur Eccleſiarum Prælatos propenſiùs exhortamur, ut circa prædicta per actuales exſecutiones rigidas & diſtinctas conſtitutiones, & jura prædicta ſolerter ſtudeant inſtaurare; & clericos Beneficiatos, aut in ſacris ordinibus conſtitutos, à procurandis, & adminiſtrandis bonis, vel negotiis laïcarum perſonarum penitùs arceant. Huic inſuper addimus ſanctioni, quòd nullus in ſacro ordine conſtitutus, aut religioſus, vel clericus, Eccleſiaſticum Beneficium obtinens, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtat, publicè veſtiri audeat veſtibus alterius panni, quàm de lana vel ſtameno; nec rubei vel viridis coloris, & brevitate ac longitudine nimia non notandis: & ad ultimum ultra tres digitos veſtium inferiorum longitudo non ſuperet veſtimentum ſuperius, neque forraturas deferat pellium de martis, de ſaginis, de vebres, de ludries, de ſquirols, aut vulpium: neque etiam retrò, præterquam in itinere, itinerandi cauſsâ conſtitutus: neque manicas de panno ſerico. Et quòd Prælatis, doctoribus, & magiſtris, licentiatis, & nobilibus, & Cathedralium Eccleſiarum canonicis, dignitatemque, vel perſonatum obtinentibus dumtaxat exceptis, nullus audeat in veſtibus ſeu caputiis forraturam portare de vaïs albis, vel de griſis, uſu rivetorum quarumcumque pellium in manicis, & collaribus ab omnibus & ſingulis ſupradictis penitùs rejecto. Qui verò contra aliquod ſuperiùs expreſſorum præſumpſerit facere, vel venire; veſtem, quam contra noſtram prohibitionem hujuſmodi auſu temerario publicè portare præſumpſerit, fabricæ, vel ornamentis Cathedralis, vel Collegiatæ, aut parochialis Eccleſiæ, vel monaſterii, ubi talis fuerit tranſgreſſio attentata, erogare, & tradere teneatur. Ad hæc inſuper adjungimus, quòd ſi quiſquam preſentis conſtitutionis tranſgreſſor fuerit, & ad ſui Prælati mandatum veſtem contra hanc conſtitutionem delatum, infra ſex dies fabricæ, vel ornamentis, ut prædicitur, recuſaverit erogare; per tres annos ipſo jure à Beneficiis, quæ obtinet, ſit ſuſpenſus. Et non Beneficiatus, per idem tempus efficiatur inhabilis ad Eccleſiaſticum Beneficium obtinendum: locorum Ordinarios ſub obteſtatione divini judicii commonentes, quatenus circa hujuſmodi obſervantiam ſtatuti, ſic ſe vigiles exhibeant & ſolertes, ne in diſtricto judicio Dei ſanguis ſubditorum de Prælatorum negligentium manibus requiratur. Quòd ſi negligentes exſtiterint in præmiſſis, ad valorem veſtis propter eorum negligentiam non traditæ ipſi fabricæ, vel ornamentis, in foro conſcientiæ teneantur: aliis juris communis, Legatorum, & provincialibus, & ſynodalibus ſtatutis circa ea, quæ præſens non complectitur conſtitutio, in ſuo robore permanentibus & valore. Per hoc tamen non intendimus præjudicare illis, qui ſuper præmiſſis Apoſtolicæ ſedis privilegiis, de quibus legitimè conſtare poterit, fuerint muniti.

Petrus à Cardona Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT V.

Veſtitus clericorum parum honeſtus tollitur.

PRohibemus etiam, ne clerici in ſacris ordinibus conſtituti, neve Beneficiati, cujuſcumque dignitatis, gradus, ſeu conditionis exiſtant, deferant camiſias vulgo dictas, *Ab lletugueta*, neque fronſitas in pugno, nec in eis deferant aliquem colorem, præter album: nec manicas diploïdum, niſi ſtrictas in pugno: neque caligas crocei, rubei, viridiſque colorum, ſeu albas: neque braguetas ex aliquo ſerico, vel panno, nec cum diverſis rivetis, ſeu fiſſuris, neque ſayones ſcotatos, neque manicas fractas, nec ſotulares, ſive cothurnos coloris à Jure vel conſtitutione prohibiti; neque ſotulares apertos ſive ſcotatos, nec cum ſciſſuris: nec veſtes ſuperiores coloris à Jure vel conſuetudine prohibiti, nec nimia longitudine, vel brevitate notandas, ſed talares antè & retrò clauſas: neque botonos ex auro, ſive ex argento, vel ſmalto. Prohibemus etiam, quòd exceptis canonicis Cathedralium Eccleſiarum, & dignitates obtinentibus, nobilibus, & doctoribus, nullus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel Beneficiatus deferat ſericum cujuſcumque qualitatis; neque veſtes ſuperiores de camelloto, neque xias de taſatano. Contrarium verò facientes, ut ſuprà. Per hoc autem non intendimus derogare juri, conſtitutionibus provincialibus, vel Legatorum ſuper his editis, præmiſſis non contrariis: ſed eas eſſe volumus in ſuo robore permanſuras.

Idem

Idem in eodem.

CAPUT VI.

Pœna ſtatuitur in ſacris ordinibus conſtitutis balliſtam, vel ſclopetam ferentibus.

APprobando conſtitutiones provinciales mandantes clericis, ne arma deferant, ſtatuimus, quòd quicumque clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel Beneficiatus, repertus fuerit cum balliſta, vel ſclopeta, puniatur pœnâ decem ducatorum: ſi autem cum enſe, gladio, ſive punyal, ſeu daga, pœna duorum ducatorum: ſi verò cum lancea, vel aliis armis offenſivis, præter enſem, & gladium, puniatur pœnâ quinque ducatorum, & aliis pœnis arbitrio ſuorum Superiorũ Ordinariorum: ſuper quibus eorum conſcientias oneramus. Et nihilominus arma amittat, niſi licentiam habuerit à ſuis Ordinariis: quam ex juſta cauſſa poſſunt concedere: hortamur tamen eos, ut cautè in dando dictam licentiam ſe habeant, Permittimus tamen clericis itinerantibus deferre enſem.

Tit. De cohabitatione clericorum & mulierum.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Denunciandos eſſe ſuſpenſos & excommunicatos ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos, & Beneficiatos, qui domi ſuæ, vel alienæ concubinas habuerint.

AD exſtirpandam clericorum incontinentiam ſtatuimus, ut quilibet Epiſcopus in prima Synodo, quam ipſum celebrare contigerit, ſuſpenſos denunciet omnes Beneficiatos, qui ex tunc in ſuis vel alienis domibus detinere præſumpſerint publicè concubinas: & illas, quæ de cætero talium fuerint concubinæ, denuncient excommunicationi ſubjectas, & ſepeliendas, ſi deceſſerint, aſinorum ſepultura. Et has ſententias Epiſcopi, & alii ſacerdotes in publicis prædicationibus denuncient. Si quis verò hac de cauſſa ſuſpenſus, præſumpſerit celebrare divina; non ſolùm Eccleſiaſticis Beneficiis ſpolietur, verùm etiam pro hac duplici culpa perpetuò deponatur. Et ut ſtatutum hoc melius exſecutioni mandetur; præcipimus, ut decani Eccleſiarum in ſuis capitulis, Archidiaconi, & archipresbyteri, ubi fuerint in ſuis officiis, diligenter inquirant, ſi quos invenerint poſt dictam denunciationem in prædicta Synodo factam, incontinentiæ vitio laborantes: & eoſdem ſtatim ab officio & Beneficio nominatim ſuſpenſos denuncient: & eorum incontinentiam Epiſcopo ſignificent: & Epiſcopus percepta veritate, à Beneficiis ipſos perpetuò ſpoliare non omittat, ſicut cautum eſt in Concilio Generali.

CAPUT II.

Archiepiſcopo Tarraconenſi, & ejus ſuffraganeis conceditur facultas abſolvendi concubinarios, & diſpenſandi eâ formâ, quæ in reſcripto continetur.

INNOCENTIUS PAPA IV.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Tarraconenſi, & ſuffraganeis ejuſdem ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ex parte veſtra nobis exſtitit humiliter ſupplicatum, ut cùm nonnulli clerici veſtrarum civitatum, & diœceſium pro manifeſta concubinarum cohabitatione; quidam verò pro detentione illicita plurium dignitatum, vel Beneficiorum curam habentium animarum annexam, contra inhibitionem bonæ memoriæ Sabinenſis Epiſcopi, in Hiſpaniæ partibus Apoſtolicæ ſedis Legati, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias incurrerint; & tam illorum, quàm iſtorum aliqui ſacros ſuſceperunt ordines, & divina celebrârunt officia ſic ligati: ſaluti eorum conſulere cùm difficile ſit, eis pro abſolutionis obtinendo beneficio ad ſedem Apoſtolicam perſonaliter laborare paterna ſolicitudine curaremus. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, facientes perſonis veſtris ſpecialem gratiam; fraternitati veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut tam prædictos clericos, quàm alios etiam, qui deinceps ſententias eaſdem incurrerint, abſolvere valeatis juxta formam Eccleſiæ, vice noſtra: proviſo, quòd concubinarii, concubinis à ſe procul abjectis, ſufficientem cautionem exhibeant, quòd illas, vel alias non reſument; & contra hujuſmodi detentores procedatis, prout de jure fuerit procedendum. Diſpenſandi præterea cum illis, qui facti immemores, vel juris ignari ſacros ſuſceperunt ordines, vel miniſtrârunt in ipſis, aut ſuſcipienti, vel miniſtrabunt in poſterum, poſt injunctam eis pœnitentiam competentem, prout eorum ſaluti expedire videritis, tribuimus vobis liberam facultatem. Si qui verò ſcienter talia, non tamen in contemptum clavium, præſumpſerunt, vel præſumpſerint etiam in futurum, eos per biennium ab exſecutione ordinum ſuſpendatis, injuncta eis pœnitentia ſalutari. Qua peracta, ſi fuerint bonæ converſationis & vitæ, liceat vobis diſpenſare cum eis, ſicut videritis expedire. Ad hæc ſi aliquis ſuffraganeorum tuorum, frater Archiepiſcopo,

ſen-

ſententias & irregularitates hujuſmodi incurrerit, cum ipſis beneficio eiſdem abſolutionis impenſo juxta formam Eccleſiæ, & ſicut tibi videbitur, auctoritate noſtra diſpenſare. Datum Lugduni 12. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

Ægidius Cardinalis Legatus.

CAPUT III.

Prælatis Hiſpaniæ committitur pœnæ concubinariis à Cardinali Sabinenſi inflictæ in aliam commutatio.

VEnerabilibus in Chriſto Patribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & aliis Prælatis Eccleſiarum per Hiſpaniam conſtitutis, Ægidius divinâ providentiâ Sanctorum Coſmæ & Damiani diaconus Cardinalis ſalutem in vero ſalutari. Ad regimen animarum, & curam ſedes Apoſtolica inſtituta, pericula, per quæ commiſſæ ſibi animæ cadunt graviter in commiſſa, cura debet ſolicita removere, ſalubrem animabus ipſis adjiciendo medelam. Sanè cùm recolendæ memoriæ venerabilis in Chriſto pater dominus Joannes Sabinenſis Epiſcopus in partibus Hiſpaniæ legationis officio fungeretur pro reformandis moribus, & præcipuè clericotum, qui pro vitæ munditia & converſatione laudabilem formam in moribus dare debent cæteris pura conſcientia, fecit & ſtatuit omnes ſacerdotes, diaconos, & ſubdiaconos, & omnes Beneficiatos, qui in domibus ſuis, vel alienis detinere publicè præſumerent concubinas, denunciari ſuſpenſos, & concubinas talium excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Verùm quia ſæpè, quod providetur ad bonum, antiqui hoſtis procurante invidia, tendit ad noxam, prædictæ ſententiæ, quæ pro animarum procuranda ſalute fuerant promulgatæ, tamen propter irregularitates, quas clerici ſententiis eiſdem legati multotiens contrahebant, cùm propter contagioſæ pœnæ contagium, qua excommunicati per excommunicationem affecti ſibi communicantes inficiunt excommunicationis labe, animabus ipſis laqueos æternæ mortis parabant; & quamplurimi ſæpiſſimè unius laqueo ligabantur. Huic autem morbo dominus Papa ſalutiferam intendens adhibere medelam, nobis viva voce mandavit, ut contra morbum eundem tam peſtiferum, tam damnoſum, tam in clerum Hiſpaniæ infamiam inducentem, conveniens adhibere remedium curaremus; ut animarum vitaretur periculum, & nihilominus delinquentes canonicam non effugerent ultionem. Nos igitur cum Prælatis, & aliis viris Hiſpaniæ diſcretis apud ſedem Apoſtolicam conſtitutis, ſuper his deliberatione præhabita, & diu de commutatione pœnæ prædictæ tractatu habito, cum eiſdem proſpeximus, quòd cùm per varietatem perſonarum, & etiam regionum, pœnæ ſint proinde variandæ, ne ad inſtar imperiti medici omnium curare oculos uno collyrio videremur; vobis, qui conditionem perſonarum, & locorum veſtræ provinciæ melius ſcire poteſtis, eâdem auctoritate committimus diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus habentes præ oculis ſolum Deum, cui de animabus vobis commiſſis reddituri eſtis in die judicii rationem, pœnas clericis & concubinis prædictis per ſententias memoratas impoſitas, in pœnas alias, quas perſonarum, locorum, & temporum circunſtantiis provida circumſpectione penſatis, earundem animarum ſaluti magis expedire videritis, commutetis; eis Legati ſententias auctoritate Apoſtolica poſtmodùm relaxantes. Singuli autem veſtrum nihilominus circa ſuos ſubditos, qui ex dictis ſententiis in excommunicationis, vel irregularitatis laqueos hactenus inciderunt, per abſolutionis, & diſpenſationis gratiam, prout merita perſonarum exegerint, eadem auctoritate, diſcretione prævia, providere curetis: proviſo, ut quod pro correctione morum duxeritis ordinandum, ad iniquum compendium nullatenus convertatis. Dat. Genuæ Kal. Junii, Pontificatus domini Innocentii Papæ IV. anno octavo, Domini MCCLI.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT IV.

Prælati, religioſi, ſæcularis vel regularis, vitæ, vel etiam ordinis militaris, monentur in exſtirpanda incontinentiæ macula evigilare.

AD exſtirpandam incontinentiæ maculam, quæ inter cætera vitia, & divinam provocat majeſtatem, & Eccleſiaſtici ſtatus honorem deducit in vilipendium & contemptum, plura, tam à ſacris Canonibus, quàm à conſtitutionibus Legatorum Apoſtolicæ ſedis, provincialiumque, & ſynodalium medicaminum ſunt præparata fomenta. Attamen (proh dolor!) penitùs eliminari nequivit: propter quod eſt jugiter inſiſtendum, ne multiplicata invaleſcat, & Chriſti militiam valeat devaſtare. Hinc cogimur vetera pariter, & nova commemorare remedia, & ſolicita meditatione penſare, quomodo peſtem hanc exterminare radicitùs valeamus. His omnibus ſedula cogitatione digeſtis, tandem duximus, ut ſequitur, providendum, univerſos & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Magiſtros, Miniſtros, & alios Ordinarios, cujuſcumque ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ſive ſecularis vitæ ſive regularis, vel etiam ordinis militaris, eorumque vicarios, & officiales, teſtes ſynodales, procuratores fiſcales ſub obteſtatione divini judicii ſtrictiſſimè commonemus, ut circa exſtirpandum à clero, Eccleſiaſticiſque perſonis incontinentiæ vitium, prout inferiùs continetur, ſolicitè ac vigilanter in-

tendant, quatenus omni libidinis fœditate repulſa, puritas fulgeat pulcherrimè honeſtatis; quodque ſi quiſquam clericus, Eccleſiaſticave perſona reperta fuerit in concubinatu notorio permanere, ab officio & Beneficio denuncietur ſuſpenſus, & inhabilis ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum, gradum, vel honoris aſcenſum; & pro tali in Eccleſia, in qua eſt Beneficiatus, & in Eccleſia, ſub qua degit, necnon in Cathedrali Eccleſia publicetur: nec ad ea, à quibus ſic ſuſpenſus, & inhabilis fuerit nunciatus, umquam reſtituatur, quouſque abjecta & ſeparata à ſe penitùs concubina, ſaltem per duos menſes in caſtitate permanſerit, & pœnitentiam egerit ſui corporis Superioris arbitrio indicendam. Et ſi poſtea repertus fuerit eandem admittere, vel aliam concubinam, & notoriè in concubinatus crimen relabatur; iterum pro ſuſpenſo & inhabili conſimiliter publicetur; nec tunc reſtitui valeat à quocumque, niſi abjecta penitùs concubina, ſaltem per quatuor menſes vitam in caſtitate perduxerit, acta gravi pœnitentia: quam in corpore ſuo judicis ſui arbitrio decernimus indicendam. Et ſi deinceps tertiò relapſus fuerit in concubinatum notorium, privetur omnibus Beneficiis, & aliàs carceribus affligatur, ut ſic ferro exuſta vulnera, & ſecata ſanentur, quæ fomentis nequiverunt medicinæ ſanari: taliumque gravis caſtigatio exemplo mentes terreat, & incenſiva comprimat aliorum. Sanè ſi quiſquam Ordinariorum, vel officialium prædictorum circa hæc corrigenda notabili negligentia fuerit culpabilis repertus, per Superiorem ipſius negligentia ſuppleatur, & digna punitione multetur. Prohibemus inſuper, ne ab aliquo fornicario notorio in ſuo damnato concubinatu permanente aliquam pecuniam in munus, vel donum quiſquam Ordinariorum vel officialium prædictorum publicè vel occultè recipiat. Quòd ſi ſecus à quoquam fuerit attentatum, ad erogandum in pios uſus id quod receperit, & duplum valoris ejuſdem ipſo facto, etiam ſine Superioris mandato, pœnæ nomine teneatur: conſtitutionibus omnibus ſuper hac materia editis, & illa domini Sabinenſis, niſi in eo, quòd excommunicationis ſententiam adjicit, remanentibus illibatis.

Idem in eodem.

CAPUT V.

Religioſos ordinis militaris concubinarios excommunicationis pœnam incurrere declaratur; & tamdiu denunciari publicè debere, quoad meruerint abſolvi.

INter ſolicitudines noſtræ legationis officio incumbentes, illa præcipua eſt, virtutes inſerere, & vitia eradicare. Licèt enim ſacris Canonibus ſtrictiſſimè ſit injunctum, religioſos caſtitatem ſervare, concubinas vitare, ut debitum altiſſimo valeant reddere famulatum; quorundam tamen relatione fidelium noſtris auribus eſt intimatum, quòd aliqui militarium ordinum religioſi non ſolùm Creatoris ſui offenſores, verùm etiam famæ ſuæ prodigi, & proprii perſecutores honoris, mulieres ita in ſuas domos paſſim admittunt, cum eiſque cohabitant & morantur; quod niſi celeriter adhibeatur remedium, præceptoriæ, Eccleſiæ, & conventus, ac eorum membra, & bona ipſorum ad irreparabilis deſolationis opprobrium deducentur, prout jam docente experientia, grandem patiuntur ruinam. Attendentes autem pervulgatam infamiam, grave ſcandalum, & vehementem ſuſpicionem contra ipſos exortam eſſe, cùm inter alia ſubſtantialia regulæ, oſſibus religioſorum annexa ſit cuſtodia caſtitatis, porta & principium aliarum virtutum, ſitque jam noſtro ſalubri ſtatuto proviſum ſuper continentia perſonarum Eccleſiaſticarum, quod præcipimus tenaciter obſervari: peculiariùs tamen, prout decet, circa religioſos in fœditate luxuriæ involutos rigorem dulcedine miſericordiæ temperantes, irrefragabili conſtitutione ſancimus, ut quiſque religioſus ita ſtudiosè votum caſtitatis obſervet, & concubinatum evitet, ut Deo animam cum fiducia valeat præſentare. Si verò religioſus militaris, exemptus vel non exemptus, cujuſcumque dignitatis, ordinis, militiæ, vel ſtatus exiſtat, de præſenti, vel in poſterum concubinarius notoriè fuerit, excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto: diſtrictè præcipientes Ordinariis locorum, quòd religioſum ordinis militaris ſic excommunicatum tamdiu faciant publicè nunciari, donec ab hujuſmodi ſententia meruerit abſolutionis beneficium obtinere: à qua abſolvi non poſſit, niſi priùs ſine fraude penitùs abjecerit concubinam; & per menſes quatuor in caſtitate vixerit, ut tenetur. Quòd ſi ad vomitum redierit ipſius, vel alterius concubinæ, abſque ſpe veniæ dignitate, officio, & Beneficiis Eccleſiaſticis quibuſcumque perpetuò ſit privatus, & effectus inhabilis ad dignitatem, officium, vel Beneficium Eccleſiaſticum obtinendum: in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna eiſdem religioſis militaribus injungentes, quòd honeſtis veſtibus in panno, colore, forma, & habitu utantur; prout in fundatione ipſorum ordinum, & ſecundùm ſtatuta regulæ portare & incedere tenentur, & obligati exiſtunt.

Tit. De præbendis & dignitatibus.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Unus unam obtineat parochialem Eccleſiam.

QUoniam quælibet Eccleſia parochialis proprium & perpetuum debet habere Prælatum, ut oves gregis Dominici non mercenario ſubjaceant, ſed à paſtore regantur; diſtrictè præcipimus, ut quælibet Eccleſia parochialis proprium Prælatum habeat, qui ad curam animarum jure perpetuo ſit canonicè inſtitutus; & nullus in duabus Eccleſiis parochialibus obtineat prælaturam. Hanc autem conſtitutionem non referimus ad illas Eccleſias, quæ ita ſunt tenues, quòd nulla earum competenter ſufficiat ſuſtentare proprium ſacerdotem. In quo caſu præcipimus, ut tot, & non plures habeat, quàm quæ ſufficere debeant, cum moderamine debito ad ſuſtentationem Prælati.

Idem in eodem.

CAPUT II.

In unaquaque Eccleſia parochiali unus ſacerdos tamquam caput præficiatur.

QUoniam ſcortum videtur Eccleſia, & quaſi pluribus viris expoſita, in qua plures clerici pro indiviſo curam ſibi vindicant animarum, & hoc vitium non ſine gravi periculo in partibus Hiſpaniæ plurimum inolevit, præſentis approbatione Concilii ſtatuimus, ut in illis Eccleſiis, in quibus ſunt plures clerici, unus principaliter curam habeat animarum; & alii ipſi in divinis ſervitiis; & in aliis neceſſariis coadjutores exiſtant. Et qui curam habuerint, oblationes confeſſionum ſuas habeant; quatenus majora ſtipendia percipiant, qui plus noſcuntur laborare.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Ab ordinandis ut nihil omnino recipiatur ſtatuitur.

NUllus Epiſcopus, vel Archidiaconus, vel archipresbyter, vel quæcumque perſona clericum ad ordinem repræſentet, ut per ſe, vel per alium ab ordinandis aliquid exigat, vel recipiat cautionem, vel quamcumque aliam promiſſionem, quod ab ordinatore, vel repræſentatore non petet ordinatus, & repræſentatus ſibi de Eccleſiaſtico Beneficio provideri.

Petrus Archiepiſcopus in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Nullus ſimùl duos obtineat canonicatus.

ITem ſtatuimus & mandamus, quòd aliquis in eodem Epiſcopatu, vel in diverſis duas canonias non obtineat, aut habeat; quæ ex ſpeciali ſtatuto reſidentiam perſonalem requirant, ſed alterâ tantùm debeat eſſe contentus.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus & Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Provinciali.

CAPUT V.

Archiepiſcopus, & Epiſcopi veſtes ſacras in Eccleſia, cui præerunt conficere teneantur.

CUM ad honorem Dei, & cultus divini Eccleſiæ, maximè Cathedrales, pulchris pollere debeant ornamentis; iccircò, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, quòd ſemper Tarraconenſis Archieoiſcopus, & quilibet Epiſcopus provinciæ Tarraconenſis, in morte ſua unam cappellam integram de pulchris pannis, & nobilibus Eccleſiæ, cui præfuerit, vel centum florenos auri pro ea emenda relinquere teneatur: & ad hoc ſint ejus bona, quæcumque habuerit, dicto tempore obligata.

Ennecus Valterra Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT VI.

Capitula nullo modo remittant cappellam ſacram valoris tercentorum florenorum Archiepiſcopo & Epiſcopis.

DEcet nos, & noſtros ſuffraganeos, & infrà. Injungimus ſuffraganeis noſtris Epiſcopis, quatenus infra ſequens triennium à die hujuſmodi in antea computandum, & eorum ſucceſſoribus infra triennium, ex quo in Epiſcopos ſint aſſumpti, eorum quilibet cappellam prædictam de panno ſerico, vel de auro ſaltem valentem trecentos florenos, in Cathedrali Eccleſia facere teneatur, vel tre-

centos florenos deponat: nec per capitulum ei, niſi pro jocali æquivalenti & oblato, plus Eccleſiæ neceſſario, remitti valeat quoquo modo. Si quis verò in his negligens fuerit ſeu remiſſus, ex quo per capitulum Eccleſiæ, cui cappellam facere eſt aſtrictus, verbo, vel ſcriptis per menſem antea fuerit requiſitus, & cappellam, ſaltem dicti pretii, Eccleſiæ infra dictum triennium, vel trecentos florenos non aſſignaverit, vel modo quo ſupra jocale æquivalens cum effectu non tradiderit; ſit ei ingreſſus Eccleſiæ interdictus. Qui ſi per menſem ſuſtinuerit, excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto. Præpoſitis vel adminiſtratoribus bonorum menſæ Eccleſiæ capituli nihilominus injungentes, quòd de prebendis, vel aliis juribus ſibi ex conſuetudine Eccleſiæ debitis non reſpondeant; donec cappellam fieri fecerint, ſeu jocale, vel dictos trecentos florenos depoſuerint, & aſſignaverint cum effectu. Alioquin excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Et ad obſervationem conſtitutionis hujuſmodi nos, & ſucceſſores noſtros, ordinante ſacro Concilio, volumus obligari.

Tit. de inſtitutionibus.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in quarto Concilio Tarraconę celebrato.

CAPUT I.

Laïcis non attribuantur Eccleſiæ parochiales.

ITem cùm Eccleſiæ parochiales per laïcos adminiſtrari non debeant, ſtatuimus, quòd laïcis nullo modo de cætero attribuantur, ſed per clericos, & viros Eccleſiaſticos Eccleſiæ gubernentur, ſecundùm canonicas ſanctiones.

Bernardus Olivella Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarraconę celebrato.

CAPUT II.

Canonici cappellanias, quas ab Epiſcopo acceperunt, aliis non conferant.

INtelleximus in quibuſdam aliis partibus dictę provinciæ Tarraconenſe abuſum pravæ conſuetudinis ſubintrâſſe, quòd cùm canonici ex collationibus ſuorum Epiſcoporum cappellanias canonicè ſunt adepti, ipſi canonici eaſdem cappellanias aliis pro voluntate ſua conferunt & aſſignant. Cùm autem hoc impoſſibile ſit de jure; ſtatuimus, ut prædictarum cappellaniarum collationes per dictos canonicos, qui eas à ſuis Epiſcopis canonicè habuerint, nullatenus de cætero attententur. Quod ſi contrà factum fuerit, id decernimus irritum & inane.

Tit. Ne ſede vacante aliquid innovetur: & qualiter fructus annui valoris dividantur.

Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Tarraconę celebrato.

CAPUT I.

Quo pacto adminiſtrandi ſint fructus Archiepiſcopatus vel Epiſcopatus ſede vacante: & quod nulla ſcriptura extrahi poſſit ab archivo menſæ Archiepiſcopalis, ſive Epiſcopalis.

UT hi, quibus adminiſtratio bonorum Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis dignitatis competit ſede vacante ex conſuetudine, vel ſtatuto, vel qui ad hoc per capitulum eliguntur, ſciant ſe ſolam adminiſtrationem & cuſtodiam dictorum bonorum habere; ſtatuimus ultra remedia jam proviſa, quòd ille, qui adminiſtrationem hujuſmodi exercebit, ad palatium, ſeu hoſpitium dignitatis prædictæ, niſi de expreſſo conſenſu totius capituli, ſe non conferat ad morandum; nec de chartulario, ſeu archivo, vel alio loco, ubi teneantur privilegia, inſtrumenta, ſeu regiſtra, libros, ſeu alias ſcripturas abſtrahat: niſi ipſis pro dicta adminiſtratione indiguerit, & tunc de conſenſu capituli, & præſentibus duobus vel tribus canonicis per ipſum capitulum deputatis: & ſtatim cum ipſis non indiguerit, in loco, unde abſtracta fuerint, reſtituat, ſeu reponat; nec pro ſuis expenſis aliquid de dictis bonis recipiat vel expendat; niſi ipſum pro negotiis ipſius dignitatis oporteat de conſenſu capituli extra ſuum domicilium proficiſci. In quo caſu dumtaxat, quamdiu circa expeditionem dictorum negotiorum inſtiterit, poſſit moderatas expenſas recipere & habere: & teneatur futuro ipſius Eccleſiæ Prælato de tota dicta adminiſtratione, quã citiùs commodè poterit, fidelem reddere rationem. Et quicquid apud ipſum ratione reddita repertum fuerit ſupereſſe, necnon privilegia, inſtrumenta, regiſtra, libros, & ſcripturas alias, quæ, ſeu quas de chartulario, ſeu archivo, vel alio loco abſtraxerit, vel penes ſe ſcienter retinet, aut nun habet, infra duos menſes dicto Prælato reſtituat. Alioquin niſi reſtitutionem hujuſmodi fecerit de prædictis, excommunicationis ſententiæ ſe noverit ſubjacere: ſtatutis & conſuetudinibus contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Tit.

Tit. De rebus Eccleſię alienandis, vel non.

Eximinus de Luna Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarraconę celebrato.

CAPUT I.

Beneficia non poſſe obligari ſub ſigillo Regio;

VOlentes Eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus, quòd aliquis Prælatus, vel clericus, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtat, bona, dignitates, vel Beneficia ſua obligare ſub ſigillo regio non præſumat: & qui contrà fecerit, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ipſum decernimus ſubjacere.

PETRUS de Luna Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legatus, in Concilio Gerundæ celebrato.

CAPUT II.

Commendæ ceſſionum, reddituum, & rerum Eccleſiaſticarum, quæ in Regnis Aragonum & Navarræ fieri ſæcularibus ſolebant, tolluntur.

EXſecrandæ alienationis abuſum, quo Prælati, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, maximè in regnis, & terris ditioni Regum Aragonum & Navarræ ſubjectis exiſtentes, adminiſtrationem Eccleſiarum & rerum Eccleſiaſticarum habentes, loca, vaſſallos, & grangias, & alias poſſeſſiones, decimas, primitias, redditus, proventus, & jura, & bona alia ad Eccleſias, ordines, & monaſteria, ſeu alia pia loca, quibus præſunt, ſpectantia, perſonis ſæcularibus ſub colore & titulo commendæ, ut per eoſdem ab aliorum oppreſſionibus defendantur, & aliis confictis cauſſis, propria auctoritate ſubjiciuntur, & tributaria reddunt in perpetuum, vel ad tempus, cùm ſit ad Dei offenſam, & Eccleſiarum, ordinum, monaſteriorum, & locorum prædictorum grave damnum introductus, ac ſacris Canonibus prohibitum & interdictum, abhorrentes meritò & reprobantes, univerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos, electos, Abbates, Priores, Magiſtros ordinum militarium, præceptores, commendatarios, & quoſcumque Eccleſiarum & rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratores, maximè in terris & regnis prædictis exiſtentes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis pœna monemus & hortamur, ut conſtitutiones in Legdunenſi & Viennenſi Conciliis ſuper hoc editas, in commendis jam factis de rebus ſuprà dictis, proſpicuè attendant, & diligenter obſervent: quas commendas ſub interminatione anathematis de cætero fieri prohibemus. Nos enim ſi ſecus actum, ſeu attentatum fuerit, id decernimus irritum & inane.

Dalmatius Murius Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT III.

Monetur Prælati Tarraconenſis provinciæ, ut ſecundùm conſtitutiones Provinciales bona Eccleſiaſtica conſervanda curent.

RErum experientia edocente, plura cenſualia, ac redditus Eccleſiaſticorum Beneficiorum in toto, vel in parte fuerunt deperdita & alienata, redditus deminuti, & jura alia defraudata propter præſidentium ſuis Beneficiis incuriam, ſeu per mortem: multaque incommoda, lites, & contentiones accidunt frequenter inter dominos & feudatarios, cùm ipſorum feudorum recognitiones, poteſtates, ſive *poteſtats*, & alia ſervitia, & onera, quibus feuda ſubjacent, per longa tempora non petuntur. Pereunt ſimiliter de facili jura dignitatum, & Beneficiorum, ſi inſtrumenta & capibrevia illorum conſervari negligantur. Hæc animadvertens primò bonæ memoriæ dominus Petrus prædeceſſor noſter in ſecundo Concilio per eum celebrato, in conſtitutione incipienti: *Quia rei evidentia*, ſtatuit & ordinavit, quòd omnes Prælati, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ tempore adipiſcendæ poſſeſſionis ſuorum Beneficiorum facerent inventarium de omnibus inventis ſeu repertis in hoſpitiis, caſtris, ſeu aliis locis ſuarum dignitatum, officiorum, ſeu ſuorum Beneficiorum, ſive eſſent inſtrumenta, libri, capibrevia, aut alia eorum dignitati, officio, ſeu Beneficio pertinentia, & etiam nova capibrevia infra ſex menſes à die pacificæ poſſeſſionis adeptæ facere tenerentur. Conſequenter etiam dominus Ennecus bonæ memoriæ prædeceſſor noſter in primo Concilio per eum celebrato duas edidit conſtitutiones, quarum una incipit: *Feuda vel poteſtates*, per quam providet, quòd Prælati, & Beneficiati quicumque ratione ſuarum dignitatum, vel Beneficiorum feuda habentes, ea recognoſci facerent, quotiens feudatarii innovarentur, & de quinquennio in quinquennium recipi poteſtates: altera incipit: *Cupientes Eccleſiarum*, per quam ſalubriter ordinavit, quòd fieret in Eccleſia qualibet Cathedrali, collegiata, parochiali, aut ſimplici hujus provincię unus liber, in quo inſtrumenta jurium, tam dignitatis principalis, quàm aliorum Beneficiorum, & eorum onera conſcriberentur: quę quidem conſtitutiones ita laudabiles, utiles, & accomode Eccleſiis, perſonis, & Beneficiis omni exſecutione. & practica uſque nunc vacuę (quod dolentes referimus) remanſerunt, non

ſine

ſine illas exſequi omittentium culpa gravi, qui utilitatem Eccleſiarum, & Beneficiorum ſuorum indagare & procurare multifariè ſunt aſtricti. Quamobrem deſiderantes tantæ culpæ & deſidiæ providere, hujus ſtatuti vigore ſacro approbante Concilio monemus & hortamur venerabiles fratres noſtros Epiſcopos, & Prælatos noſtræ provinciæ, eiſdem diſtrictiùs injungentes, quatenus dictas conſtitutiones ſtudeant totis viribus, quàm citiſſimè poterunt, exſequi, obſervare, & obſervari facere inconcuſsè, ut de talento eis tradito fidelem, cùm requiſiti fuerint, in omnibus reddere valeant rationem.

Tit. De pignoribus, & aliis cautionibus.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

NEc ipſe presbyter, vel alius, calices, veſtimenta, vel apparamenta alia divino cultui deputata Judæo vendere, vel impignorare, vel aptanda, ſeu reficienda tradere quacumque ratione præſumat.

Tit. De teſtamentis.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Non licere Prælato, canonico, aut clerico de bonis Eccleſiaſticis hæredem inſtituere: aut ſi fecerint, bona relicta pauperibus acquiri.

STatuta, per quæ in Tarraconenſi, & aliis diœceſibus noſtræ provinciæ conceditur clericis, ut de bonis ſuis Eccleſiaſticis, ſeu intuitu Eccleſiæ acquiſitis poſſint condere teſtamentum qualitercumque, & ſub quibuſcumque verbis ipſa ſtatuta fuerint, declarantes, diſtrictiùs inhibemus, ne alicui Prælato, canonico, vel alii clerico, de rebus vel bonis Eccleſiaſticis, aut Eccleſiarum, vel Beneficiorum ſuorum intuitu acquiſitis liceat de cætero hæredem facere aliquem clericum, vel laïcum extraneum, vel conjunctum. Si verò ſecus per quemquam præſumptum fuerit, ejus teſtamentum, quoad hæredis inſtitutionem, eo ipſo ſit irritum & inane. Cætera verò relicta, diſpoſita, vel legata per hujuſmodi clericos ſæculares firma permaneant: dum tamen relicta non fuerint perſonis aliàs prohibitis vel indignis. Bona autem, quæ ad inſtitutum hæredem potuiſſent ex hæreditate hujuſmodi, ſi non eſſet reprobata inſtitutio, pervenire, ipſo facto applicata & acquiſita eſſe volumus pauperibus Jeſu Chriſti.

Tit. De ſucceſſionibus ab inteſtato.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in octavo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

Prælato mortuo, aut Beneficiato, bona ejus Eccleſiaſtica viris bonis committenda, juxta Eccleſiæ morem.

CUm non ſine gravi peccato, quod ſuum non eſt, poſſit aliquis retinere, antiquum Canonem hac conſtitutione ad memoriam reducentes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut poſt mortem Archiepiſcopi, cujuslibet Epiſcopi, vel alterius Prælati, ſeu Beneficiati Tarraconenſis provinciæ, bona ejus Eccleſiaſtica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, ſecundùm quòd in Eccleſia defuncti de conſuetudine eſt obtentum; vel ſi conſuetudo ceſſat, duo eligantur fide digni, ſi defunctus conventui præerat, aut ab Epiſcopo diœceſano, vel ejus locum-tenente, ſi defunctus conventui non præerat, deputentur: qui bona recipiant ſupradicta, & infra decem dies tales adminiſtratores, ſeu procuratores, adhibito tabellione publico, & teſtibus ad hoc ſpecialiter convocatis, conficiant de omnibus rebus defuncti mobilibus & immobilibus, & ſe moventibus inventarium. Et ſi per negligentiam hoc fuerit omiſſum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si verò prædicti adminiſtratores, vel aliquis alius de bonis prædictis aliquid invaſerit, vel rapuerit, vel retinuerit fraudulenter, & legitimè monitus, bona ſic retenta ſine diminutione non reſtituerit ſucceſſori, auctoritate Concilii ſe noverit excommunicationis ſententiâ innodatum. Admonemus autem Epiſcopos, & alios Prælatos Tarraconenſis provinciæ, ut in vita ſua, ſi commodè fieri poterit, de rebus prædictis confici faciant inventarium. Hanc autem ſententiam, vel illam de invaſoribus Eccleſiarum, vel rerum earum per conſtitutionem, quæ incipit: *Olim*, ad perſonas Archiepiſcopi, vel Epiſcoporum extendi nolumus ullo modo.

Tit. De ſtatu monachorum, & canonicorum regularium.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Religioſi monentur honeſtis ephipiis, & ſibi decoris uti.

QUoniam viri religioſi, ſive monachi ad ſæcularia, quę dimiſerunt, converti non debent, diſtrictiùs prohibemus, ne in ſellis, frænis, & pectoralibus, aut calcaribus ſæcularia deferant ornamenta, ſed frænis, & pectoralibus, aut calcaribus utantur ſimplicibus, non habentibus ornamenta in corio: ſellas autem nigras habeant, & ſimplices, & abſque colore.

Idem in eodem.

CAPUT II.

VEſtimenta non habeant ſciſſa antè, vel retrò: & cuniculorum pellibus non utantur, & de uno veſtiario veſtes, non denarios, ſecundùm ordinem accipiant: feriâ quartâ carnes non comedant, niſi feſtivitas ſolennis occurrerit.

Idem in eodem.

CAPUT III.

Monachis nihil ut proprium habendum.

CUm omnino ſit illicitum regularibus, ſeu religioſis habere proprium, diſtrictiùs inhibemus, ne quis religioſus quicquam proprium retineat, nec Eccleſiam, nec hæreditatem, nec præſtimonium habeat: nec ſub annuo cenſu quomodolibet arrendationis, vel pignoris genere ad tempus, vel in perpetuum prioratus, vel Eccleſias, domos, terras, aut vineas, ſeu quaſcumque poſſeſſiones ab Eccleſia ſua, vel aliunde de cætero recipiat, vel jam receptas detinere præſumat. Regulares quoque, qui perſonatus habent in Eccleſiis Cathedralibus, ſic in ſuis adminiſtrent officiis, quod votum religionis, & ordinis ſtatuta non negligant obſervare. Et ſi fortè in civitatibus, vel villis, pro neceſſitatibus officii ſui, domos habeant, & in eis nequaquam relicto conventu comedant, aut cubent de nocte: ſed expletis adminiſtrationibus, ſeu neceſſitatibus officii, ad fraternam ſocietatem, & ordinis obſervantiam revertantur.

Tit. De religioſis domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in ſecundo Concilio Valentiæ celebrato.

CAPUT I.

Interdicitur clericis alterius provinciæ altarium ædificatio, & juriſdictione uti.

ITem ſtatuimus, quòd ſi aliquis clericus de provincia aliena in noſtra diœceſi, ſive provincia, & ſpecialiter in regno Valentiæ, altaria de novo ædificaverit, vel juriſdictionem ſibi aliquam uſurpaverit, in noſtri præjudicium vel gravamen, ipſum auctoritate noſtra, & ſacri Concilii ex tunc, quaſi ex nunc excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Reddenda ratio coram Epiſcopo & capitulo iis, qui in Eccleſiis regularibus adminiſtrationem habuerint.

STatuimus quoque, quòd omnes, qui in Eccleſiis regularium noſtræ provinciæ adminiſtrationis exercent officium, ſive ratione dignitatis, ſive alio nomine, de receptis & expenſis ex adminiſtratione ſua bis in anno rationem reddant in capitulo, præſente Epiſcopo & capitulo, ut fidelitas eorum, qui benè adminiſtraverint, meritò commendetur, & omnis tollatur ſuſpicio, & malæ diſpoſitionis occaſio præſcindatur. Et, ſi quid ſuperfuerit de proventibus dignitatis, ſive adminiſtrationis, de conſenſu & voluntate Epiſcopi & capituli, in bonos uſus & neceſſorios expendatur.

Tit. De cappellis monachorum.

Petrus Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

ITem præcipimus & mandamus omnibus judicibus, & advocatis literatis, ne conveniant, vel interſint alicui viſtæ, quæ fit, vel fiet in monaſteriis, vel grangiis religioſorum:

& hoc ſub pœna excommunicationis præcipimus & mandamus.

Tit. De jure patronatus.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Qui à patrono laïco non præſentatus Epiſcopo curam animarum exercuerit, excommunicatur.

DE Eccleſiis quoque, in quibus clericos patronus laïcus præſentare contemnit Epiſcopo ad curam animarum, ſtatuimus, quòd ſi quis clericus ſine auctoritate Epiſcopi diœceſani, vel Archidiaconi loci, ubi in talibus jus habet archidiaconus, in prædictis Eccleſiis curam exercere animarum, & ipſas Eccleſias auctoritate patroni officiare præſumat, monitione præmiſſa, excommunicetur. Et ſi præſtiterit, à miniſterio Eccleſiaſtico, & ordine deponatur, ſicut ex conſtitutionibus tam Lateranenſis Concilii, quàm domini Alexandri, noſcitur inſtitutum.

Idem in eodem.

CAPUT II.

DIſtrictè præcipimus, quatenus in omnibus Eccleſiis parochialibus, in quibus infra terminum à jure præfixum, ab illis, ad quos pertinet, diœceſano non fuerit clericus præſentatus ad curam animarum, ipſe diœceſanus in eadem Eccleſia clericum perpetuum inſtituat, nec ulterius ipſam parochialem Eccleſiam viduam permanere permittat.

Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in ſexto Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Quantumvis quis in Eccleſia parochiali præſentatus fuerit, non licere ei adminiſtrare, niſi ab Epiſcopo adminiſtrationem acceperit.

STatuimus, quòd nullus clericus inſtitutus, vel præſentatus in parochiali Eccleſia à clerico, vel laïco, in eadem adminiſtrare præſumat, quouſque à diœceſano Epiſcopo curam in eadem Eccleſia receperit animarum, cõſuetudine contraria non obſtante, quæ potiùs dicitur corruptela. Quicumque autem contrà fecerit, ipſo facto jure, quod habet, vel habere credit in Eccleſia, ſit privatus ea vice: data poteſtate diœceſano removendi inſtitutum, ſeu etiam præſentatum. Nihilominus ſtatuimus, quòd inſtitutus & confirmatus per Epiſcopum nullo caſu valeat ab alio, quàm à ſuo Epiſcopo removeri.

Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio Provinciali.

CAPUT IV.

Monentur laïci, qui Eccleſias parochiales occupant, ut eas diſponendas Prælatis relinquant.

QUia in aliquibus locis noſtræ provinciæ laïci parochiales Eccleſias occaſione juris patronatus, quod in eis ſe habere aſſerunt, vel aliàs, detinent occupatas; monemus hujuſmodi laïcos, ut infra duos menſes dictas Eccleſias omnino dimittant per locorum Ordinarios, ſeu alios, ad quos pertinet, liberè diſponendas. Alioquin tam illi qui nunc dictas Eccleſias detinent, quàm qui poſtea præſumpſerint detinere, noverint ſe excommunicationis ſententiæ ſubjacere, non obſtante conſuetudine aliqua, quæ dicenda eſt potiùs corruptela. Per hoc autem nolumus, habentibus jus patronatus in jure præſentandi in aliquo derogare.

Tit. De Cenſibus.

Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio provinciali.

CAPUT I.

Modus ſervandus in viſitatione, tam à Prælato, quàm ab Archidiacono, in receptione cenſûs.

PRælatis, quibus competit ex ſuo officio viſitare, diſtricte præcipimus, ut viſitationis officium exercentes, ſtatuta canonica ſuper hoc edita diligenter obſervent, & ab Eccleſiis, quarum omnes redditus & proventus ſunt neceſſarii pro ſervitio earundem, procurationem non exigant, ſed gratis teneantur viſitare eaſdem. Ille inſuper, qui pro nobis, vel aliquo Epiſcopo viſitabit, numerum evectionum taxatum Archidiaconis non excedat: & tam ipſe, quàm Archidiaconus quicumque, cui ex officio competit viſitare, ſi pecuniam pro procuratione ſua in caſu conceſſo à jure recipere voluerit, recipiat quatuor ſolidos Barcinonenſes, vel tres ſolidos Jaccenſes pro qualibet evectionum, quas duxerint, & non ultrà: & ſi evectiones ultra prædictum numerum ad expenſas Eccleſiarum, quas viſitabunt, duxerint, vel ultra prædictam quantitatem pro unaquaque evectionum, & pecuniam receperint, præter alias pœnas à jure ſtatutas, ab officio viſitationis, donec duplum ejus, quod contra præſens ſtatu-

ſtatutum expenderint, vel receperint, Eccleſiis ſic gravatis reſtituerint cum effectu, noverint ſe ſuſpenſos: nulla eis dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia profutura. Præcipimus etiam Archidiaconis, & aliis viſitantibus, ne venentur, nec aves, aut canes venaticos præſumant ducere contra Canonum inſtituta.

Sanctius de Ayerbe Archiepiſcopus, in tertio Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Archidiaconus in viſitatione ſervare debet conſtitutionem Papæ Benedicti XII. quæ incipit: Vas electionis.

ITem quia in noſtro ſacro Concilio Provinciali in dubium vertebatur, an Archidiaconi noſtræ provinciæ, quibus competit ex conſuetudine, privilegio, vel aliàs quomodolibet viſitare, ſervare habeant conſtitutionem domini Papæ Benedicti XII. quæ incipit: *Vas electionis*: vel conſtitutionem editam per dominum Joannem bonæ memoriæ Patriarcham Alexandrinum, & adminiſtratorem ſanctæ Eccleſiæ Tarraconenſis, quæ incipit: *Prælatis*: ideò de conſilio & aſſenſu dicti ſacri Concilii declarando conſtituimus & ordinamus, quòd præfati Archidiaconi conſtitutionem prædicti domini Papæ Benedicti ſervare teneantur. Quod etſi dicti Archidiaconi tres evectiones, vel minus ducerent, quinque ſolidos pro qualibet evectione tantùm à volentibus pecuniam ſolvere: ſi autem quatuor, vel ultrà evectiones uſque ad ſeptem ducerent, viginti quinque ſolidos pro omnibus ſeptem, juxta tenorem conſtitutionis domini Benedicti, ſimiliter à volentibus valeant recipere. Datum ut ſuprà.

Tit. De celebratione Miſſarum, & ſacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis.

Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio Provinciali.

CAPUT I.

Decies ſaltem in anno rectoribus, dignitates, vel Beneficia obtinentibus celebrandum eſſe.

QUia nonnulli minus providè attendentes, quòd propter officium ſunt Beneficia Eccleſiaſtica inſtituta: vix, vel nunquam Miſſas celebrant in Eccleſiis, quas obtinent, ſeu in quibus inſtitutæ ſunt dignitates & Beneficia, quorum ratione celebrare tenentur: iccircò, ſacro approbante Concilio ſtatuentes præcipimus, ut omnes & ſinguli parochialium Eccleſiarum rectores, & & quivis alii dignitates, vel Beneficia, quocumque cenſeantur nomine, nunc, vel in poſterum obtinentes, quorum ratione Miſſas celebrare tenentur, in ipſis Eccleſiis & altaribus, in quibus ſunt hujuſmodi dignitates, vel Beneficia, decies ſaltem in anno Miſſas celebrent: niſi abſentia, vel alia juſta cauſſa ad arbitrium diœceſani, proprii, eos reddat probabiliter excuſatos. Quiſquis autem hujus ſalutaris ſtatuti temerarius exſtiterit violator, à perceptione fructuum & proventuum Eccleſiæ, vel dignitatis, vel Beneficii hujuſmodi, donec decies, ut prædicitur, celebrando moram purgaverit, noverit ſe ſuſpenſum: qui per diœceſanum ipſum in utilitatem ipſius Eccleſiæ, dignitatis, vel Beneficii penitùs convertantur.

Arnaldus Ceſcomes Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Decernitur, literas ab Archiepiſcopo mitti Epiſcopis oportere, quibus moneantur, ut conſtitutiones de libertate Eccleſiæ obſervent.

FUit in præſenti Concilio ordinatum, quòd mandetur literis per dominum Archiepiſcopum omnibus Epiſcopis provinciæ Tarraconenſis, quòd conſtitutiones olim editas in Concilio Tarraconenſi, & ſpecialiter de libertate Eccleſiæ conſervanda, obſervent, & faciant obſervari: & quòd faciant, & fieri faciant divinum officium in Cathedralibus, regularibus, & collegiatis Eccleſiis per canonicos, & alios quoſcumque Beneficiatos in dictis Eccleſiis, horis debitis, ſine murmure, & aliis confabulationibus, ſolenniter & devotè; in aliis verò convenienter ac debitè celebrari: compellentes ad hoc dictos canonicos & Beneficiatos, prout ad eorum ſpectat officium.

Petrus Sagarriga Archiepiſcopus in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Conſtitutio: Non incongruum, *jubetur obſervari, poſt feſtum corporis Chriſti indicitur memorata die Miſſa celebranda: qui interfuerint quadraginta dies indulgentiæ conſequuntur.*

QUia in conſtitutione provinciali per bonæ memoriæ dominum fratrem Sanctium prædeceſſorem noſtrum incipiente: *Non incongruum reputamus*, fuit ſanctè & devotè ſtatutum, ut in noſtra Eccleſia Tarraconenſi, & in aliis Eccleſiis Cathedralibus noſtræ provinciæ, & in omnibus Eccleſiis diœceſium prædictarum, ſexta die poſt feſtum

ſtum ſacratiſſimi corporis Chriſti Miſſa ſolenniter & honorificè celebraretur pro animabus illorum, qui dictum ſacratiſſimum corpus Chriſti, cùm ad infirmos portatur, ſociaverint cum cereis, vel aliàs, impendendo eidem reverentiam, devotionem pariter, & honorem, &c. & dicta conſtitutio non ſervetur, ut percepimus, ut decet, parumque proſit ſtatuta promulgari, & mandata fieri, niſi ad eorum obſervationem arctentur debitè tranſgreſſores; iccircò, ſacro approbante Concilio, mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis ſuffraganeis noſtris, rectoribus, & curatis quarumcumque Eccleſiarum provinciæ noſtræ, quatenus dictam conſtitutionem omnimodè ſervent, & faciant obſervari. Adjicientes eidem, quòd rectores, & curati in die feſti memorati hujuſmodi faciendam ſolennitatem denuncient plebibus ſuis. Et ut eò devotiùs ad intereſſendum in dicta Miſſa Chriſtifideles inclinentur, quò uberiori dono gratiæ conſpexerint ſe refectos, ob reverentiam dicti ſacritiſſimi corporis Chriſti omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui dictum Miſſæ officium celebrabunt, & in eo intererunt, quadraginta dies de injunctis ſibi legitimè pœnitentiis in Domino miſericorditer relaxamus: ad ſimiles indulgentias concedendas dictos ſuffraganeos noſtros in eorum diœceſibus etiam exhortantes. Et quia ſexta dies in conſtitutione præfixa frequenter pleriſque de cauſſis recipit impedimentum; ſtatuimus, approbatione dicti ſacri Concilii, quòd hujuſmodi fiat officium prima die poſt Octavas feſti ipſius: quæ ſi impedita fuerit, ad ſequentem non impeditam infallibiliter transferatur.

Dalmatius Murius Archiepiſcopus, in Concilio Provinciali.

CAPUT IV.

Quoties in anno Prælati, canonici, & reliqui Beneficiati celebrare teneantur, & quòd Breviarium omnes habeant ab Ordinario ordinatum.

QUia inter divina officia Miſſarum celebrationis propter excellentiam & reverentiam ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, non decet Prælatos, nec alios presbyteros diutiùs obliviſci, in cujus ſacramento vitæ ſuffragium conſequimur & ſalutis; conſtitutionibus bonæ memoriæ prædeceſſorum noſtrorum ſuper his editis inhærentes, ſacro approbante Concilio, monemus & hortamur venerabiles fratres noſtros Epiſcopos, Abbates, Priores, & alios Prælatos, quatenus ſaltem ſemel in qualibet hebdomada; canonicos verò, & alios presbyteros, qui ad majus ſervitium non tenentur, nec celebrare ratione ſuorum Beneficiorum obligantur, vel ſi obligantur, faciunt per alium deſerviri; ad minus ſemel quolibet menſe Miſſas celebrent, quantum poterint honeſtè pariter & devotè: cæteros verò Canonicos, & Beneficiatos non presbyteros, quater in anno ſaltem, videlicet in Nativitate Domini, in feſto Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptione beatæ Mariæ communicent infallibiliter & devotè, legitimo impedimento ceſſante: quod ad eorundem diœceſanorum arbitrium penitùs remittatur.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT V.

NE divinæ ſervitutis penſum, quod de fructu labiorum ſuorum offerre tenetur quilibet clericus, Eccleſiaſticum Beneficium poſſidens, vel in ſacris ordinibus conſtitutus, dum per occupationes alias conventui Eccleſiæ intereſſe non valeat, ex defectu Breviarii omittatur; providè duximus ſtatuendum, ut per locorum Ordinarios Beneficiati prædicti, & in ſacris ordinibus conſtituti ad habendum propria Breviaria infra tempus ipſorum Ordinariorum arbitrio moderandum coërcitione diſtricta cogantur: nulluſque de cetero in ſubdiaconum ordinetur, qui non habeat breviarium, & in practica & peritia divinum officium faciendi per examen reperiatur idoneus.

Tit. De baptiſmo, & ejus effectu.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT I.

A Judaïſmo converſi cenſuris cogendi, ut filios ſuos curent baptizari.

INaudita crudelitas noſtrum pulſavit auditum, quòd nonnulli à Judaïſmo, vel paganica cæcitate converſi, infantes ſuos, quos per ſacrum baptiſmi lavacrum eripere poſſent, damnabili negligentia vel incuria ſubeſſe permittunt jugo diabolicæ ſervitutis. Iccircò locorum Ordinariis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus parentes hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam, aliaque juris remedia, diſtrictè compellant, quatenus infra octo dies ab ipſorum infantium nativitate numerandos, ſacrum eos percipere faciant baptiſmatis ſacramentum, omni prorſus excuſatione & dilatione ſemotis: in his diſtrictè & rigidè procedendo per aggravationem cenſuræ Eccleſiaſticæ, & etiam, ſi opus fuerit, invocationem brachii ſæcularis. Monemus inſuper, & ſub interminatione divini judicii obteſtamur omnes dominos temporales, quatenus Eccleſiaſticis judicibus in præmiſſis aſſiſtentes adjutores & cooperatores exiſtant auxiliis & remediis opportunis.

EX

EX LIBRO QUARTO CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM.

Tit. De clandeſtina deſponſatione.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Qui clandeſtina matrimonia contraxerint, excommunicantur: & donec de legitimitate perſonarum conſtiterit, ſeparari iubentur. Et eſt pars cap. incip. Diſtrictè præcipimus.

QUI verò clandeſtina contraxerint matrimonia, tamquam excommunicati ab omnibus evitentur: & donec de legitimitate perſonarum Eccleſiç cõſtiterit, adinvicem ſeparentur.

EX LIBRO QUINTO CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM.

Tit. De magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Joannes Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Epiſcopi prædicent in ſuis diœceſibus, vel hoc officium aliis committant.

QUAM ſalubre ſit, quàm utile, prædicatores per ſingulas diœceſes ordinari, apparet ex diſpendio, quod ſequitur ex prædicationis defectu. Quare Prælatis omnibus ſub animadverſione divinæ ultionis diſtrictè præcipimus, quòd per ſe, vel per alios viros ad prædicationis officium idoneos, per ſuas diœceſes prædicent verbum ſalutis æternæ. Et quia providè ſtatutum eſt in Concilio Generali, ut tam in Cathedralibus, quàm in aliis conventualibus Eccleſiis, viri aſſumantur idonei, quos Epiſcopi poſſint habere coadjutores, & cooperatores in faciendis prædicacionibus, & in confeſſionibus audiendis, & in aliis, quæ ad ſalutem pertinent animarum; ut tam ſacra conſtitutio debitum ſortiatur effectum, præcipimus, ut in quacumque Eccleſia Cathedrali, ubi tales duo non fuerint, aſſumantur de novo, & in aliis conventualibus Eccleſiis tales aſſumantur. In aliis autem Eccleſiis, in quibus de capituli conſenſu canoniæ conferũtur, ſi capitulũ, vel aliquis de capitulo talium vocationi noluerit conſentire; diœceſanus nihilominus hoc faciat præſentis auctoritate Concilii: ne per talem contradictionem communis impediatur utilitas, & ſacræ conſtitutionis providentia eludatur. In illis verò Cathedralibus Eccleſiis, in quibus ſunt canonici regulares, à diœceſano Priore, & majore Archidiacono ſucceſſivè duo eligantur de conventu, qui magis ſint dociles; ut in Theologia ſtudeant, & præbendas ſuas integrè in ſcholis habeant. Et quia ſtudent, ut Epiſcopo deſerviant, uſque ad mediocres expenſas, ſi neceſſe fuerit, Epiſcopus ſuperaddat.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Duos de quoque capitulo ad Theologiæ, & Juris Canonici ſtudia mitti ab Epiſcopo & capitulo debere.

QUIA viris literatis Eccleſia in ſuis actibus noſcitur indigere; prædeceſſorum noſtrorum ſequentes veſtigia, providè duximus ſtatuendum, quòd de qualibet Eccleſia Cathedrali per Epiſcopum & capitulum duæ perſonæ docibiles ad Theologiæ, vel Juris Canonici ſtudium tranſmittantur. Et cùm per tempus ſufficiens ad mittentium arbitrium ſtuduerint in altera de dictis ſcientiis, ad Eccleſiam propriam revocentur: & duæ aliæ ad dictum ſtudium deſtinentur, non obſtante contraria conſuetudine vel ſtatuto. Qui ſi mittere perſonas prædictas ceſſaverint per ſex menſes, ex tunc ea vice poteſtas eligendi, & mittendi eaſdem ad nos, & ſucceſſores noſtros Tarraconenſes Archiepiſcopos devolvatur. Et idem in aliis conventualibus Eccleſiis noſtræ provinciæ, ubi ad minus ſint decem perſonæ tamquam collegium, & habeant Prælatum, præcipimus obſervari ſalvis conſtitutionibus ſeu conſuetudinibus Eccleſiarum, in quibus hæc miſſio ad Epiſcopum tantùm dignoſcitur pertinere. Ita tamen, quòd ſi dictus Epiſcopus infra dictum tempus negligens fuerit,

rit, ad nos miſſio hujuſmodi, ut prædicitur, devolvatur: perſonæ verò prædictæ in dicto ſtudio exiſtentes, omnia ea, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, percipiant, quæ perciperent, ſi in eiſdem Eccleſiis perſonaliter reſiderent.

Tit. De Judæis, Sarracenis, & eorum ſervis.

Joannes Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, Legatus Apoſtolicus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Judæis cappis clauſis indui non licere.

CUM Judei ſigno notabili à Chriſtianis diſcerni debeant; abſurdum eſt nimis, quòd perſonis Eccleſiaſticis in habitu, clauſas cappas deferendo, ſe conformari præſumant. Quocirca diſtrictè præcipimus, ipſos à tali præſumptione per diſtrictionem Eccleſiaſticam coërceri.

INNOCENTIUS PAPA IV.

CAPUT II.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Tarraconenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ea, quæ ad regis æterni gloriam, & Chriſtianæ religionis augmentum terreni reges, ſeu principes ordinant, ſtatuunt, vel diſponunt; tantò ferventiùs & libentiùs à quibuslibet ſunt fidelibus cujuſcumque dignitatis, conditionis, vel ordinis irrefragabiliter obſervanda, quantò potiùs divinæ creduntur placita majeſtati, & ex eis Chriſtum collaudantiũ agmina potiora noſcuntur ſuſpicere incrementa. Tua ſanè jucunda nobis ferẽs petitio cõtinebat, quòd chariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Aragonũ à Domino benedictus, toto mentis affectu illi placere deſiderans, in cujus manu ſunt omniũ poteſtates, & omniũ jura regnorum; & ab illo dignitatem regiam recognoſcens, illiſque totum quod eſt, attribuens, & quod habet; qui fecit omnia ſolo verbo, illiuſque menti ſuæ timorem pariter & amorem à pueritiæ ſuæ flore vehementer infigens, ad augmentandum Domino populum, per quem perampliùs, & perfectiùs nomen glorificari valeat Crucifixi; deliberatione ſancta duxit, & provida ſtatuendum, ut in omni terra ſuæ à Domino juriſdictioni ſubjecta, Sarracenus quilibet, & Judæus de ignorantiæ tenebris ad viam veritatis, quæ Chriſtus eſt, per ſanctę regenerationis lavacrum ſe convertens, omnia bona ſua, mobilia & immobilia, quæ ante ſuam ad Chriſtum converſionem habebat, integrè ac liberè, ſine impedimento & contradictione cujuſquam retinere poſſit, auctoritate regia, & perpetuo poſſidere, ſtatuto, prohibitione, vel pacto prædeceſſorum Regis ejuſdem, ſeu cujuslibet alterius, aut obtenta ſuper hoc conſuetudine non obſtante; prout in ejuſdem Regis literis confectis exinde perſpeximus pleniùs contineri. Nos igitur ſtatutum hujuſmodi tam ſanctum atque laudabile, ratum & gratum habentes, illud auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem literarum ipſarum fecimus præſentibus inſeri, qui talis eſt:

Noverint univerſi, quòd nos Jacobus Dei gratiâ Rex Aragonum, Majoricarum, & Valentię, Comes Barcinonis & Urgelli, & dominus Montis-Peſſulani, per nos, & omnes ſucceſſores noſtros, tam in Aragonia & Cathalonia, Majoricis, Minoricis, Monte-Peſſulano, quàm in regno Valentiæ, ac univerſo dominio ac juriſdictione noſtra, quam alicubi nunc habemus, vel in poſterum nos, & ſucceſſores noſtri, auxiliante Domino, habituri ſumus; pro amore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſæ Virginis matris ſuæ, & remedio animę noſtræ in perpetuum ſtatuimus, quòd quicumque Judęus vel Sarracenus Spiritus ſancti gratiâ fidem voluerit orthodoxam recipere, ac baptiſmi lavacrum ſalutaris; liberè, & abſque contradictione ullius poſſit hoc facere, nun obſtante prædeceſſorum noſtrorum, vel alicujus ſtatuto, prohibitione, vel pacto, vel etiam ſuper hoc obtenta conſuetudine: ita quòd propter hoc nihil de bonis ſuis, mobilibus & immobilibus, ac ſe moventibus, quæ priùs habebat, amittat: immo univerſa ſecurè ac liberè habeat, teneat, & poſſideat auctoritate noſtra, ſalva legitima filiorum, & jure proximorum converſi: ita videlicet quòd de bonis converſi dicti filii, ſeu proximi nihil ipſo vivente, ſed poſt mortem ejus illud ſolùm, & nihil ampliùs petere valeant, quàm quod, ſi decediſſet in Judaïſmo, vel paganiſmo, petere rationabiliter potuiſſent. Ut ſicut tales divinam ex hoc gratiam promerentur; ſic & noſtram, qui Dei voluntatem, & beneplacitum imitari debemus, obtinere noſcantur. Statuimus inſuper in perpetuum, & firmiter ſub pœna pecuniaria arbitrio judicis infligenda prohibemus, ne alicui de judaïſmo vel paganiſmo ad fidem noſtram Catholicam converſo præſumat aliquis, cujuſcumque conditionis, improperare conditionem ſuam, dicendo, vel vocando eum *Renegat*, vel *Tornadiz*, vel conſimile verbum. Volumus etiam & ſtatuimus, quòd quandocumque Archiepiſcopus, Epiſcopi, vel fratres Prædicatores, aut Minores, acceſſerint ad villas, vel loca, ubi Sarraceni, vel Judæi moram fecerint, & verbum Dei dictis Judęis, vel Sarracenis proponere voluerint; ipſi ad vocationem ipſorum conveniant, & patienter audant prædicationem eorum: & officiales noſtri, ſi gratis venire noluerint, eos ad hoc omni

omni excuſatione poſtpoſita compellant. Mandamus itaque vicariis, bajulis, curiis, & noſtris ſubditis, & officialibus univerſis preſentibus & futuris; quatenus omnia ſupradicta ubique teneri & obſervari inviolabiliter faciant: ſi de noſtri confidunt gratia & amore. Datum Ilerdæ anno à nativitate Domini MCCXLII. quarto idus Martii. Signum Jacobi Dei gratiâ Regis Aragonum, Majoricarum, & Valentiæ, Comitis Barcinonis & Urgelli, & domini Montis-Peſſulani. Teſtes ſunt G. de Monte-catheno, R. de Lizana, P. Comes Urgelli, P. de Monte-catheno, Aſſalitus de Gudal. Signum Guillelmi ſcribæ, qui de mandato domini Regis hoc ſcribi fecit, loco, die, & anno præfixis. Signum R. Ilerdenſis Epiſcopi: qui hoc translatum ſumptum de originali cum ſigillo majori domini Regis nobis legi fecimus de verbo ad verbum, & ſigillo noſtro corroboravimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit; indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni 13. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

Bernardus Olivella Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato;

CAPUT III.

Mulieres prohibentur Judæis cohabitare, & eorum filios alere.

STatuimus etiam, ſacro approbante Concilio, quòd nulla mulier Chriſtiana alîcujus loci provinciæ Tarraconenſis audeat habitare cum Judeis, aut filias, vel filios eorum nutrire, ſeu lactare: & quæcumque contra hujuſmodi inhibitionem noſtram, poſtquam monita fuerit ſuper hoc, præſumpſerit facere ſupradicta, decernimus eam, vel eas ex tunc excommunicationis ſententię ſubjacere: ita videlicet quòd cùm illud diœceſano, vel rectori illius loci, ubi mulieres culpabiles ſuper hoc repertæ fuerint, exſtiterit nunciatum; per jam dictum diœceſanum, aut rectorem ipſæ mulieres excommunicatæ nuncientur, & tamquam excommunicatas faciant ab omnibus evitari. Et ne ipſæ mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant ipſo facto; volumus & mandamus, quòd præſens conſtitutio per diœceſanos, aut rectores locorum, in quibus Judæi morantur, ſemel annis ſingulis publicetur.

Joannes ab Aragonia Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Dominis temporalibus injungitur, ut in locis ditionis ſuæ prohibeant à Sarracenis Machometi nomen publicè invocari.

QUamvis circa multa invigilare habeat, & debeat ſolicitudo officii paſtoralis; ferventiori tamen zelo ipſam ad ea convenit propenſiùs excitari, quæ in divini nominis opprobrium vergere dignoſcuntur. Hinc eſt, quòd cùm in Viennenſi Generali Concilio providè fuerit ordinatum, & principibus Chriſtianis ſub obteſtatione divini judicii injunctum, ut à terris ſuis abominabilem auferrent abuſum, quo Sarraceni eiſdem ſubjecti alta voce invocabant perfidi nomen Machometi: cui ſanctæ conſtitutioni licèt dominus Rex paruerit, ſicut princeps Catholicus & fidelis: tamen quidam in noſtra provincia Tarraconenſi, quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, prædictam prohibitionem minimè ſervaverunt: quinimmo adhuc in eorum locis audita fuit ſacrilega invocatio, ſicut priùs, in divinæ majeſtatis offenſam, & animarum ſuarum grave periculum & jacturam. Quapropter non valentes tantam Dei offenſam, & Eccleſiæ tolerare, cùm juxta canonicas ſanctiones peccatum paganitatis incurrat, qui ſe Chriſtianum aſſerens, ſedi Apoſtolicæ obedire contemnit; ſacro approbante Concilio, prædictos omnes dominos temporales Sarracenorum dominium obtinentes, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, monemus, & eiſdem injungimus, ut infra duos menſes à publicatione præſentis conſtitutionis continuè numerandos prohibeant, & prohiberi faciant; ne talis nefanda profeſſio & proclamatio in locis eorum fiat: alioquin, quia facientis culpam habent, qui dum poſſunt, manifeſto facinori deſinunt obviare; excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere; & eorum terram, ſeu loca, quæ in illa habent diœceſi, in qua fit proclamatio, ſuppoſita ſint Eccleſiaſtico interdicto: à qua ſententia nequaquam abſolvantur, nec interdictum relaxetur, donec prædicta fieri prohibuerint cum effectu. Monemus inſuper & hortamur in Domino præfatum dominum Regem, & quoſcumque alios dominos temporales noſtræ provinciæ, ut ob divinam reverentiam, & ut ex hoc æternæ beatitudinis premia conſequantur, prohibeant Judæis, & Sarracenis ſub eorum dominio ſimul cum Chriſtianis degentibus, ne diebus Dominicis & feſtivis, quibus à ſervilibus operibus abſtinent Chriſtiani, in plateis, vicis, aut aliis locis publicis ſervilia, ſeu mechanica opera coram Chriſtianis publicè operẽtur.

Idem

Idem in eodem.

CAPUT V.

Prohibentur Chriſtiani nuptiis infidelium & conviviis eorum intereſſe.

ABuſus quidam abominabilis nomini Chriſtiano in locis aliquibus Tarraconenſis provinciæ inolevit, quòd Chriſtiani aliqui Judæorum, & Sarracenorum nuptiis, circumciſionibus, & ſepulturis intereſſe præſumunt cauſsâ honorandi eoſdem, & in ipſorum, ex cauſſis præmiſſis, cæremoniis cum eiſdem comedere non verentur, ac in dictis circumciſionibus compaternitatis vinculum, quòd nefas eſt dicere, contrahere cum eiſdem. Nos igitur volentes abuſum hujuſmodi de noſtra provincia exſtirpare, prædicta, & quælibet prædictorum fieri de cætero prohibemus. Si quis verò contra hanc inhibitionem fecerit, excommunicationis ſententiæ ſe noverit ſubjacere.

Petrus de Luna Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legatus, in Concilio Gerundæ celebrato.

CAPUT VI.

Chriſtiani jubentur domicilia ſeparata à Judæis & Sarracenis habere.

ETſi Chriſtiana religio Judeos, & Sarracenos ex eo non debeat abjicere, quia noſtri conditoris imaginem conſtat eos habere; quia tamen ex eorum frequenti communione, experientia docente, noverimus damna corporibus & animabus fidelium, pericula, & ſcandala plurima proveniſſe; deliberatione provida ſtatuimus, ut Judæi, & Sarraceni inter Chriſtianos, vel Chriſtiani inter Judæos, & Sarracenos, domos, hoſpitia, ſeu alia receptacula, in quibus habitent, nullatenus permittantur habere: ſed in civitatibus, & locis, ubi certæ limitationes ſunt eiſdem Judeis, & Sarracenis deputatæ, reducantur ad eas, & infra ipſas conſtituant habitationes ſuas. Ubi verò Judæi & Sarraceni prædicti ad habitandum non habuerint hujuſmodi habitationes, ſeu limitationes, vel terminos deputatos, limitentur, & aſſignentur eiſdem partes aliquæ in civitatibus, & locis prædictis à Chriſtianorum habitationibus ſeparatæ: infra quas ſe reducant, nec extra dictam limitationem permittantur quomodolibet commorari: niſi fortè ſint aliqui Judæi, & Sarraceni mercatores, vel alia quæcumque officia, aut opera mechanica exercentes, ſeu merces vendentes, quos pro hujuſmodi operibus exercendis, & mercibus vendendis, in plateis, vel aliis locis publicis civitatum, & locorum ubi exiſtunt, permittimus habere operatoria, tentoria, tabulas, ſeu boticas: dum tamen intra loca eis deputata, vel in poſterum eis deputanda, domos, ſeu habitationes principales cum filiis & uxoribus teneant, ad quas ſe de nocte reducant. Chriſtiani autem, qui intra limitationem Judæis, vel Sarracenis aſſignatam, vel aſſignandam habitare preſumpſerint, & infra duos menſes à die publicationis præſentium factæ in Eccleſia Cathedrali civitatis, vel diœceſis, ubi moram trahunt, ſe ad commorandum inter Chriſtianos reducere non curaverint, ad id per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur. Judæis verò, & Sarracenis, ſi infra dictum terminum duorum menſium, ubi limitatio eſt facta, vel poſtquam dictæ limitationes de ordinatione & voluntate Regis, vel cujuſcumque alterius domini Eccleſiaſtici, vel temporalis civitatis, vel loci factę fuerint, ſe ad eaſdem reducere noluerint, vel neglexerint; Chriſtianorum communio ſubtrahatur.

Idem in eodem.

CAPUT VII.

Infideles prohibentur merces vendere diebus, qui feſti à Chriſtianis coluntur.

CEdit in opprobrium religionis Chriſtianæ, quòd Judæi, & Sarraceni inter Chriſticolas habitantes, diebus dominicis & feſtivis mercimonia vendere, & artificia, ac mechanica opera exercere publicè non verentur. Cùm autem hoc in divinæ majeſtatis offenſam non ſit à Chriſti fidelibus aliquatenus tolerandum, ipſis Judæis, & Sarracenis, ne mercimonia vendere, aut qualiacumqne artificia, ſeu opera mechanica publicè exercere præſumant diebus Dominicis & feſtivis, qui per Chriſtianos coluntur, diſtrictiùs inhibemus: & ad id compelli per locorum Ordinarios, aut judices ſæculares, ſub quorum juriſdictione Judæi, & Sarraceni vivere dignoſcuntur, per ſubtractionem communionis fidelium, & alias pœnas temporales, auctoritate noſtra, qua fungimur, præcipimus & mandamus. Quòd ſi ſæculares judices negligentes fuerint in præmiſſis, ad hoc per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, in Concilio Dertuſæ celebrato.

CAPUT VIII.

Monentur domini temporales dare operam, ut Clementina De Judæis & Sarracenis *obſervetur.*

ZElus divini honoris nos commovet, ut quod tam patenter in offenſam divini nominis cedit, & quod eſt opprobrium fidei Chriſtianæ, diſperdere & evellere pro viribus enitamur. Zelatorem igitur principem

veræ

veræ fidei, vigilemque cultorem dominum Aragonum Regem, omnesque ipsius ditionis Prælatos, barones, nobiles, & milites, ac universitates monemus, & per viscera divinæ misericordiæ obsecramus; quatenus ad observantiam Clementinæ *De Judæis & Sarracenis* sic, & prout ad unumquemque pertinet, opem & operam adhibeant efficacem: eisdem nihilominus injungentes, quòd sacrorum Canonum, Conciliorum Provincialium, & Synodalium statuta ad Dei honorem, & exaltationem fidei Christianæ contra Judæos, & Sarracenos, & in opprobrium ipsorum edita, inviolabiliter observentur, & ab eorum subditis tenaciter faciant observari: ut plenariæ observationis exsecutione clarescant, & pro tanto servitutis obsequio divinæ propitiationis munere potiantur: si divinam, & sedis Apostolicæ effugere voluerint ultionem.

Tit. De hæreticis.

Rodericus Tellius Archiepiscopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT I.

CUM quidam, qui se dicunt Apostolos, & religiosos se fingunt, sint, suis exigentibus meritis, per sedem Apostolicam excommunicationis vinculo innodati, & postmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa fidem; volumus, & etiam ordinamus, ut ubicumque inventi fuerint, capiantur, & de tota provincia expellantur.

Tit. De privilegiis, & excessibus privilegiatorum.

Petrus de Fuxo Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, in Concilio Dertusæ celebrato.

CAPUT I.

Beneficiis privantur, qui regias literas falsò impetrant, quibus de Regis familia se esse testantur.

QUoniam, ut inquit Gregorius, uniuscujusque præsidentis mentem curarum diversitas vastat, cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula; tantoque ei in una qualibet re subripitur, quantò latiùs occupatur: mirandum non est, si quandoque contra concedentis intentum quicquam extorquet improbitas importuna. Sanè licèt jamdudum serenissimus Aragonum Rex suæ justificatæ mentis intentum insinuaverit, provisione regali decernens, quòd familiaritatis suæ privilegiis ii tantummodo gaudere deberent, qui, omni fictione cessante, veri familiares existerent: nonnulli tamen, ut excessuum suorum queant debitam correctionem evadere, familiaritatis regiæ impetrare literas, & ad elusionem suorum Superiorum eis uti conantur. Volentes igitur morbo huic Ecclesiasticam disciplinam enervanti salubri providere medela, statuimus in omnes & singulos, qui cùm non sint veri familiares, familiaritatis literas, ut prædicitur, impetrare, ipsisque uti de cætero attentaverint; Beneficiis, quæ obtinent, sint privati ipso facto: & non Beneficiati per triennium ut sint inhabiles ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum; juribus ac constitutionibus Provincialibus, & Synodalibus circa prædicta salvis remanentibus & illæsis.

Tit. De pœnis.

Joannes Cardinalis, Episcopus Sabinensis, Apostolicæ sedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Clerici, qui commiserint abominanda facinora hic expressa, sacris ordinibus spoliandi.

NE clerici in opprobrium & odium Ecclesiæ ea crimina impunè committant, pro quibus laïci pœnam incurrerent capitalem; præcipimus, ut clericus, qui in furto, vel crimine falsi, rapina, homicidio, raptu mulierum, incendio, falsa moneta, vel in aliis criminibus, quæ pœnam capitalem merentur, publicè fuerit deprehensus, à suis ordinibus perpetuò degradetur; si subdiaconus, & infra, ab uno Episcopo; si diaconus à tribus Episcopis; si sacerdos, in Concilio Provinciali, vel antè habito numero canonico Episcoporum: quatenus qui Ecclesiastica libertate tam flagitiosè abutitur, clericali privilegio sit privatus.

Tit. De pœnitentiis & remissionibus.

Joannes Cardinalis, Episcopus Sabinensis, Apostolicæ sedis Legatus, in Concilio Ilerdæ celebrato.

CAPUT I.

Jubentur sacerdotes populum ad confessionem & communionem hortari.

SAcerdotes frequenter moneant populum ad confessionem faciendam; exponentes eis, & districtè servantes constitutionem Concilii Generalis, videlicet quòd si quis confiteri ad minus semel in anno, & communionem neglexerit recipere, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiasticâ careat sepulturâ.

Eximinus de Luna Archiepiscopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT II.

Canonici, & clerici Beneficiati non sacerdotes bis in anno jubentur communicare.

ITem cùm clerici exemplum & forma esse debeant laïcorum; statuimus, & sub virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnes canonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, & alii clerici Beneficiati, qui sacerdotes non fuerint, saltem communicent in anno bis, nisi ex causa de licentia proprii confessoris ea vice duxerint abstinendum. Rectores verò Ecclesiarum, & alii sacerdotes ad minus ter celebrent in anno.

Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiscopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT III.

Posse sacerdotes peccata sua cuivis sacerdoti confiteri.

UT Missæ cum puritate conscientiæ celebrentur, & ne propter defectum confessoris eas omitti contingat; indulgemus, quòd quilibet presbyter volens Missam celebrare, si non habet copiam proprii confessoris, possit cuilibet presbytero idoneo sua peccata confiteri, & absolutionis beneficium recipere ab eodem.

Ennecus Valterra Archiepiscopus, in primo Concilio Tarracone celebrato.

CAPUT IV.

Licere sacerdotibus de casibus non reservatis confiteri invicem.

INdultum presbyteris Missam volentibus cum puritate conscientiæ celebrare, de confitendo invicem, dum non suppetit proprii facultas sacerdotis, suadente sacro Concilio ampliantes, etiam ubi sacerdos proprius adfuetit, quoties presbyter Missam celebrandi propositum habuerit, de casibus minimè reservatis confitendi, & de confessis invicem absolvendi plenariam concedimus facultatem.

Idem in tertio Concilio Provinciali.

CAPUT V.

Præcipitur rectoribus, ne religiosos mendicantes ad audiendas confessiones admittant sine literis diœcesanorum consignatis.

UT saluti animarum subditorum provideatur, & religiosi mendicantes sibi potestatem traditam absolvendi in foro pœnitentiali extendere non possint, ultra quàm eis concessum existat, sacro approbante Concilio statuimus, quòd de cætero rectores, vel curati diœcesis, vel provinciæ Tarraconensis, nullum religiosum mendicantem ad audiendum confessiones admittant in Ecclesiis, vel parochiis ad audiendum confessiones de casibus Pontificali dignitate reservatis: nisi dictus religiosus de illis fidem fecerit per patentes literas diœcesani, illius sigillo sigillatas, de potestate, quam habeat audiendi & absolvendi hujusmodi confitentes de casibus supradictis, quos exprimi volumus in literis ipsorum. Quæ literæ religiosis sufficientibus per ipsorum Superiores præsentatis Prælato, vel ejus generali vicario, & non aliis concedantur secundùm Clementinam: *Dudum. De sepulturis.* Quodque dicti rectores, vel curati potestatem dicti religiosi populo sibi commisso intiment in Ecclesiis suis priusquam admittatur ad confitendum: subjungentes dicto populo, quòd de aliis casibus in ejus literis non expressis, videlicet de oppressoribus liberorum, sortilegiis, decimas non solventibus, de restitutione malè ablatorum, & aliis casibus, nisi de expressis in ejus literis, nullam habeat potestatem. Si verò rectores, vel curati dictos religiosos admiserint aliter, quàm est præmissum, & hanc constitutionem non servaverint; arbitrio suorum Prælatorum degernimus puniendos.

Dal-

Dalmatius Murius Archiepiſcopus in Concilio Provinciali.

CAPUT VI.

Rectoribus ſuperiorem conſtitutionem negligentibus pœna centum ſolidorum conſtituitur.

CONſtitutioni per bonæ memoriæ dominum Ennecum prædeceſſorem noſtrum editę, incipienti: *Ut ſaluti animarum, &c.* prohibenti rectoribus & curatis, quod nullum religioſum mendicantem ad audiendum confeſſiones admittant, niſi ſecundùm formam ibi expreſſam, in qua voluit non obſervantes arbitrio ſuorum Prælatorum puniri: ſacro approbante Concilio adjicimus, quòd curatus dictam conſtitutionem non ſervans, & præter formam ibi expreſſam dictos religioſos admittens, quotiens contrà egerit, pœnam centum ſolidorum ipſo facto incurrat: cujus medietas fabricæ illius Eccleſiæ, cujus erit ille rector; & reliqua medietas Ordinario exſequenti applicetur. Quam quidem conſtitutionem quolibet anno in ſynodis, ſeu in Eccleſia Cathedrali volumus infallibiliter publicari.

Ferdinandus Loazes Archiepiſcopus, in Concilio Barcinone celebrato.

CAPUT VII.

Epiſcopus Elnenſis elegit poſt Concilium Metropolim Tarraconenſem, ut ejus Concilio Provinciali intereſſet: poſtea tamen à Gregorio XIII. ſuffraganea facta fuit.

CUM in ſacro Oecumenico Tridentino Concilio ſeſſione 24. cap. 2. ſtatutum ſit, ut Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intereſſe debeant: & quę ibi ordinata fuerint, obſervent, atque obſervari faciant: in reliquis omnibus eorum exemptio & privilegia ſalva atque integra maneant, & cùm poſtea Elnenſis Epiſcopus huic ſacræ Synodo interfuerit, & Eccleſia Elnenſis ſyndicum ſuum in eadem habuerit; ſacro approbante Concilio, declaramus, omnes noſtras conſtitutiones, atque decreta, cæteraque in hac Synodo ſtatuta, & in poſterum quandocumque ſtatuenda, ab omnibus in eadem diœceſi Elnenſi obſervari debere; exemptionibus & privilegiis ejuſdem Epiſcopi, & Eccleſiæ in cæteris ſemper ſalvis.

DE PROOEMIIS ET CONCLUSIONIBUS CONCILIORUM.

Procœmium conſtitutionum Joannis Sabinenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati.

NOS Joannes, Dei gratiâ Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, Provinciale Concilium in præſenti Ilerdenſi civitate celebrantes, præſentibus & aſſiſtentibus nobis venerabilibus in Chriſto patribus S. Tarraconenſi Archiepiſcopo, B. Barcinonenſi, G. Gerundenſi, G. Vicenſi, P. Urgellenſi, B. Ilerdenſi, P. Dertuſenſi, & G. Oſcenſi Epiſcopis, necnon & multis Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis provinciæ Tarraconenſis, anno Domini MCCXIX. quarto Kalendas Aprilis, conſtitutiones quaſdam, ſive ordinationes edidimus ſequentes: *Animarum &c.*

Factiſque & publicatis conſtitutionibus prędictis in Concilio Ilerdenſi de conſilio Archiepiſcopi Tarraconenſis, & ſuffraganeorum ejuſdem, dominus Legatus exſecutionem earum commiſit S. Archiepiſcopo Tarraconenſi, in hunc modum.

Literæ ejuſdem Legati ad Sparagum Archiepiſcopum Tarraconenſem.

VEnerabili in Chriſto patri S. Dei gratiâ Tarraconenſi Archiepiſcopo, I. ejuſdem permiſſione Sabinenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, ſalutem in Dom.no. Parum eſt in civitate jus eſſe, niſi qui illud tueatur exiſtat: nec prodeſſet jura inſurgĕre contra malos, ſi deeſſet jurium exſecutor. Quia ergo compluret in veſtra provincia, divino timore, & Eccleſiaſtica diſciplina à ſe penitùs abdicatis, contra conſtitutiones à nobis ſalubriter promulgatas in Concilio Ilerdenſi, fraudulentis occaſionibus ſuper obtinendis pluribus Beneficiis curam animarum habentibus: & alii etiam fraudes quamplurimas excogitando venire præſumunt, volentes per ſolicitudinem à vobis Eccleſiaſticæ proviſionis ſuſceptam, hujuſmodi fraudibus obviari, ac prædictas conſtitutiones noſtras provida exſecutioni mandari; vobis, qua fungimur auctoritate, mandamus in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis, præcipientes firmiter & diſtrictè, quatenus conſtitutiones per vos ipſos humiliter obſervantes, eaſdem in omnibus, & per omnia, qua convenit diſtrictione, ab aliis faciatis inviolabiliter obſervari, nulli in hac parte aliquatenus deferendo; ut zelum Domini vos demonſtretis habere, nec homini deferre videamini contra Deum. Alioquin ſi in præmiſſis notabiliter exſequendis exſtiteritis, quod

non credimus, negligentes, pœnam ſuſpenſionis expreſſam ſuperiùs meritò poteritis formidare. Speramus autem in Domino, quòd ſuper obſervantia conſtitutionum taliter veſtræ circumſpectionis providentia ſe habebit, quod non de negligentia reprehendi, ſed potiùs de diligentia meritò debebitis commendari. Datum Tute I. Kal. Maji.

Procemium conſtitutionum ejuſdem Sparagi Archiepiſcopi.

PAteat univerſis, quòd nos Sparagus, miſeratione divina Tarracanenſis Archiepiſcopus, de mandato & auctoritate reverendi Patris, & domini Joannis Dei gratiâ Sabinenſis Epiſcopi, quondam Apoſtolicæ ſedis Legati, in Tarraconenſi Eccleſia Generale Concilium celebrantes, anno Dominicæ incarnationis MCCXXX. Kalendis Maji, intervenientibus venerabilibus fratribus, G. Vicenſi, P. Dertuſenſi, G. Oſcenſi, B. Barcinonenſi Epiſcopis, ac procuratoribus aliorum Epiſcoporum Tarraconenſis provinciæ, &c. ſtatuta hujuſmodi facimus in hunc modum: *Cùm diverſæ, &c. Quoniam nonnulli,* & infra.

Procemium conſtitutionum Petri Albalatii Archiepiſcopi in primo Concilio.

NOS Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, congregato Provinciali Concilio Tarracone, anno Domini MCCXXXIX. decimo quarto Kalendas Maji, præſentibus venerabilibus fratribus Barcinonenſi, Dertuſenſi, Gerundenſi, Urgellenſi, Vicenſi, Oſcenſi, Ilerdenſi Epiſcopis, conſtitutiones venerabilis patris Joannis Sabinenſis Epiſcopi bonæ memoriæ, Apoſtolicæ ſedis Legati, ad memoriam reducentes, eaſdem poſt earum publicationem præcipimus obſervari: alias de novo edimus in forma ſequenti: *Excommunicantes, &c.* & infra: *Statuimus.*

Ego Joannes de Guardia notarius domini Archiepiſcopi memorati, mandato ipſius, & ſuffraganeorum ſupradictorum hoc ſcribi feci die, & anno præfixis.

Procemium conſtitutionum ejuſdem Petri in ſecundo Concilio.

NOS Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, præſidentes in Concilio in civitate Valentiæ congregato, anno Domini MCCXL. octavo idus Maji, & eòdem convenientibus in unum venerabilibus fratribus B. Barcinonenſi, R. Ilerdenſi, P. Dertuſenſi Epiſcopis, & V. Cæſarauguſtano, & F. Valentino electis, aliiſque Epiſcopis ſuffraganeis noſtris ſe per ſuas literas, & nuncios excuſantibus, conſtitutiones edidimus ſequentes.

Ego Joannes de Guardia notarius domini Archiepiſcopi memorati, mandato ipſius, & ſuffraganeorum ſupradictorum hoc ſcribi feci die & anno præfixis.

Procemium conſtitutionum ejuſdem Petri in tertio Concilio.

ANNO Domini MCCXLII. tertio idus Maji, nos Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, unà cum venerabilibus fratribus, P. Dertuſenſi, P. Urgellenſi, & V. Oſcenſi Epiſcopis, & procuratoribus Epiſcoporum abſentium apud Tarraconem in Provinciali Concilio congregati, deliberatione habita, & tractatu, ſaluti animarum, & ſtatui univerſalis provinciæ proſpicere cupientes, quaſdam ordinationes, ſive conſtitutiones edidimus, prout in ſubjectis capitulis exprimuntur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſubſcribo.
Ego Petrus Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Signum Pontii Urgellenſis Epiſcopi.
Ego Vitalis Oſcenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego R. de Albutiano Gerundenſis Archidiaconus ſubſcribo.
B. Barcinonenſis Archidiaconus firmo.
Ego Michaël Belchitenſis Archidiaconus ſubſcribo.
Ego Sanctius Petri Epiſcopi Tyraſonenſis procurator ſubſcribo.
Ego Bernardus Anajanus Ilerdenſis Canonicus, procurator Epiſcopi Ilerdenſis.
Ego R. de Spelunca Canonicus Ilerdenſis ſubſcribo.
Ego Michaël de Alcheario ſubdiaconus hoc ſcripſi de mandato prædictorum die & anno quo ſuprà.

Procemium conſtitutionum ejuſdem Petri, in quarto Concilio.

ANNO Domini MCCXLIII. tertio nonas Maji, Nos Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, in civitate Tarraconenſi Concilium celebrantes, præſentibus venerabilibus fratribus, P. Dertuſenſi, B. Vicenſi, V. Oſcenſi, R. Ilerdenſi, & U. Cæſarauguſtano Epiſcopis, & præſentibus procuratoribus quorundam aliorum ſuffraganeorum noſtrorum, videlicet, B. de Villa-granata Archidiacono, pro Eccleſia Barcinonenſi paſtore vacante; A. de Miniana, & R. de Avinione canonicis, pro Epiſcopo Gerundenſi; M. Petri Archidiacono Tyraſonenſi, pro ſuo Epiſcopo: Magiſtro Roberto cappellano domini Ricardi Cardinalis, pro Epiſcopo Pampilonenſi; & R. Ilerdenſi Epiſcopo ſupradicto pro Calagurritano Epiſcopo: præſentibus, inquam, omnibus ſupradictis ſuffraganeis Eccleſiæ Tarracunenſis, & aliis quamplurimis viris religioſis, & clericis: Velentino Epiſcopo abſente, qui dum accederet ad Concilium, è Sarracenis, ut dicebatur, peccatis exigentibus, fuit captus, habita deliberatione, & tractatu ad reformationem ſta-

tus

tus totius provinciæ noſtræ, communi voto, & conſenſu quædam jura, quæ in deſuetudinem abierant, ad memoriam reducentes, quædam etiam de novo addentes, quæ neceſſaria & utilia videbantur, conſtitutiones, ſacro approbante Concilio edidimus in hunc modum: *Statuimus in primis, &c.* & infrà.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcribo.
Ego Pontius Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego B. Auſonenſis: ſive Vicenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Vitalis Oſcenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater R. Ilerdenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater Vincentius Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſubſcribo.
B. Barcinonenſis Archidiaconus tenens locum Epiſcopi vacante ſede, firmo.
Signum A. de Miniana Gerundenſis Canonici, & procuratoris Epiſcopi Gerundenſis.
Signum R. de Avinione Gerundenſis Canonici, & procuratoris Epiſcopi Gerundenſis.
Ego M. Petri Tyraſonenſis Archidiaconus, procurator Epiſcopi Tyraſonenſis ſubſcribo.
Ego Robertus curiæ Romanæ ſcriptor, procurator domini Pampilonenſis Epiſcopi ſubſcribo.
Signum Ricardi Archidiaconi Urgellenſis, procuratoris domini Epiſcopi Urgellenſis.
Signum Fratris Hugonis de Fulcalquerio magiſtri Hoſpitalis.
Signum Fratris R. de Serra magiſtri militiæ Templi, qui hæc firmamus.
Ego Joannes de Rubione notarius domini Archiepiſcopi ſupradicti, mandato ejuſdem hoc ſcribi feci die & anno præfixis.
Ego Michaël de Alchoario ſubdiaconus, hoc ſcripſi mandato Joannis de Rubione notarii ſupradicti, die & anno quo ſuprà.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Petri, in quinto Concilio.

ANNO Dominicæ incarnationis MCCXLIV. pridie idus Januarii. Cùm parum proſit in civitate jus eſſe, ſi deſit jurium exſecutor; nos Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, attendentes, quòd conſtitutiones editæ in Concilio Lateranenſi, & conſtitutiones domini Sabinenſis, per negligentiam Prælatorum in deſuetudinem abierunt, ſacro approbante Concilio mandamus venerabilibus fratribus noſtris præſentibus in Provinciali Concilio Tarraconenſi, P. Dertuſenſi, G. Gerundenſi, V. Oſcenſi, R. Ilerdenſi, V. Cæſarauguſtano, P. Pampilonenſi, & P. Barcinonenſi Epiſcopis, & aliis Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, ut diligentem habeant cum ſuis capitulis ſuper obſervatione præmiſſorum tractatuum, & ea faciant tam in Eccleſiis Cathedralibus, quàm in ſuis diœceſibus inviolabiliter obſervari, ſi debitam voluerint effugere ultionem. Quoniam in ſequenti Concilio ſuper hoc inquiſitione habita diligenti, tranſgreſſores, & negligentes animadverſione debita punientur: Nos etiam cum viſitationis cauſsâ ad diœceſes deſcendemus, ſuper his officii noſtri debitum exſequemur; *Et quia, &c.*

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcribo.
Ego Pontius Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego A. Ilerdenſi Epiſcopus ſubſcribo pro me, & pro A. Calagurritano Epiſcopo, cujus ſum procurator,
Ego Frater Vincentius Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Petrus Pampilonenſis Epiſcopus pro me, & pro Tyraſonenſi Epiſcopo, cujus ſum procurator, ſubſcribo.
Ego Frater Petrus Barcinonenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Geraldus Celſonenſis præpoſitus, Urgellenſis Epiſcopi procurator, ſubſcribo.
Signum fratris Guillelmi de Cardona magiſtri militiæ Templi in Aragonia & Catalonia, qui hoc laudo & firmo.
Ego Michaël de Alchoario ſubdiaconus hoc ſcripſi mandato omnium prædictorum, die & anno quo ſuprà.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Petri, in ſexto Concilio.

ANNO Domini MCCXLVI. Kal. Maji, convenientibus in unum venerabilibus Patribus, P. Dei gratiâ Tarraconenſi Archiepiſcopo, P. Dertuſenſi, R. Ilerdenſi, F. Calagurritano, R. Cæſarauguſtano, A. Valentino, P. Barcinonenſi, & B. Gerundenſi Epiſcopis, & procuratoribus Oſcenſis, Tyraſonenſis, Vicenſis Epiſcoporum apud Tarraconem in Concilio Provinciali, habita deliberatione & conſilio, ad honorem Dei, ejuſque genitricis, & totius provinciæ ſtatus ſalubriter ſtatuerunt ea, quæ inferiùs annotantur: *Cùm Epiſcopi,* & infrà.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcribo.
Ego Pontius Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego R. Ilerdenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater Petrus Barcinonenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Arnaldus Valentinus Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Rodericus Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater B. Gerundenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Joannes de Guardia notarius domini Archiepiſcopi memorati, mandato ipſius, & ſupradictorum ſuffraganeorum hoc ſcribi feci die & anno præfixis.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Petri, in ſeptimo Concilio.

ANNO Domini MCCXLVII. decimo Kalend. Maji, convenientibus in unum venerabilibus Patribus nobis Petro Dei gratiâ Tarraconenſi Archiepiſcopo, P. Dertuſenſi, Raymundo Cæſarauguſtano, & B. Vicenſi Epiſcopis, magiſtro Berengario, & P. de Meſarata procuratoribus Barcinonenſis Epiſcopi, magiſtro Matthæo Ilerden. procuratore Urgellen. Epiſcopi, G. Vitali Ilerden. capituli, M. Archidiacono Valentino pro Epiſcopo Valentino, R. Archidiacono pro Epiſcopo Calagurritano, & ejus procuratore, M. Petri Archidiacono pro Tyraſonenſi Epiſcopo, apud Tarraconem in Provinciali Concilio, cum Petri navicula, variis tribulationum procellis undique irruentibus, in mari hujus ſæculi tumultuoſiùs agitetur, & adversùs Dei Eccleſiam, in ſubverſionem Fidei, & conculcationem libertatis Eccleſiaſticæ, perſecutionis ollam ſuccendat humani generis inimicus, nec ſit de qualitate meritorum hominum confidendum: ſed devotiùs ſolito divinum auxilium in tanto neceſſitatis articulo implorandum, ſacro approbante Concilio duximus ſtatuendum, &c. *Quod in ſingulis, &c.* & infrà.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcribo.
Ego Pontius Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Raymundus Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſubſcribo.
Signum B. *Dei gratiâ Vicenſis Epiſcopi.*
Signum magiſtri Berengarii de Curti procuratoris Epiſcopi Barcinonenſis.
Signum magiſtri Matthæi de Ilerda procuratoris domini Epiſcopi Urgellenſis.
Signum magiſtri M. Archidiaconi Valentini, procuratoris domini Epiſcopi Valentini.
Ego Guil. Vitalis ſubſcribo ratione procurationis Eccleſiæ Ilerdenſis.
Ego R. Semeni Archidiaconus Calaguritanus, & procurator ejuſdem Eccleſiæ ſubſcribo.
Ego M. Petri Archidiaconus, procurator domini Tyraſonenſis Epiſcopi ſubſcribo.
Signum Petri de Meſarata procuratoris Epiſcopi Barcinonenſis.
Ego Joannes de Guardia notarius domini Archiepiſcopi ſupradicti, mandato ejuſdem, & ſupradictorum ſuffraganeorum die & anno præfixis hæc ſcribi feci.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Petri in octavo Concilio.

ANno domini MCCXLIX. idibus Martii, nos Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, in civitate Tarraconenſi Concilium celebrantes, præſentibus venerabilibus fratribus Pontio Dertuſenſi, V. Oſcenſi, P. Barcinonenſi. G. Ilerdenſi, & A. Valentino Epiſcopis. P. Alberti capituli Barcinonenſis ac Gerundenſi Epiſcopi, B. Burdi, B. Vicenſis, B. de Pratis Priore Urgellenſi. G. Cæſarauguſt. ſacriſta Cæſarauguſtani, & S. Petri Tyraſonenſis Epiſcoporum, & P. de Lerato cantore Ilerdenſis, S. de Boleia Oſcenſis capitulorũ procuratoribus, fratre T. Rivi-pollenſi, & fratre P. Sancti Cucufatis Abbatibus communi approbatione Concilii ordinavimus inferiùs annotata, & imprimis, *Quòd domino Jacobo Regi &c.* & infrà: *Item cùm non ſine gravi, &c.*

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcribo.
Ego Pontius Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Vitalis Oſcenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater Petrus Barcinonenſis Epiſcopus.
Ego Frater G. Ilerdenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater Andreas Valentinus Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Petrus Albertus Barcinonenſis canonicus, procurator domini Gerundenſis Epiſcopi ſubſcribo.
Ego Sanctius Petri Canonicus Tyraſonenſis, procurator domini Tyraſonenſis Epiſcopi ſubſcribo.
Ego Ricardus Archidiaconus Urgellenſis, procurator domini Epiſcopi Vicenſis ſubſcribo.
Ego Benedictus Urgellenſis ſedis Prior, procurator Domini Urgellenſis Epiſcopi ſubſcribo.
Ego Guillelmus de Alarico notarius domini Archiepiſcopi ſupradicti, mandato ejuſdem, & prædictorum omnium ſcribi feci die & anno præfixis.

Proœmium conſtitutionum Benedicti Archiepiſcopi, in primo Concilio.

ANno domini MCCLIII. ſexto idus Aprilis nos Benedictus divinâ providentiâ Tarraconenſis Archiepiſcopus, in civitate Tarraconenſi ſacroſanctum Concilium celebrantes, preſentibus venerabilibus fratribus A. Cæſerauguſtano, B. Gerundenſi, G. Ilerdenſi, & D. Oſcenſi Epiſcopis, & præſentibus aliorum ſuffraganeorum noſtrorum, & eorundem capitulorum procuratoribus, ac venerabilibus, & diſcretis viris P. de Granyana Caſtellano Empoſtæ, & Jacobo de Timor tenente locum magiſtri domûs militiæ Templi, conſideratione habita diligenti.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Benedictus divinâ providentiâ Tarraconenſis Archiepiſcopus hoc firmo.
Ego Arnaldus Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater B. Gerundenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego magiſter V. Oſcenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego Frater G. Ilerdenſis Epiſcopus ſubſcribo.
Ego P. Petri Prior Oſcenſis procurator capituli ſubſcribo.
Ego B. Anajarii Ilerdenſis Archidiaconus procurator

tor capituli ſubſcribo.

Ego P. Guillelmi Tyraſonenſis canonicus, procurator unà cum Sacriſta Tyraſonenſi, Epiſcopi, & capituli Tyraſonenſis ſubſcribo.

Ego Berengarius de Spiellis Præcentor Barcinonenſis, & procurator Epiſcopi, & capituli ejuſdem firmo.

Ego Petrus Marſagalli ſcriptor dicti domini Archiepiſcopi, hoc ſcripſi mandato omnium prædictorum, die & anno præfixis.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Benedicti, in ſecundo Concilio.

ANno domini MCCLVI. decimo ſeptimo Kalendas Junii, nos Benedictus, Dei gratiâ Tarraconenſis Archiepiſcopus, in civitate Tarraconenſi ſacroſanctum Concilium celebrantes, præſentibus venerabilibus fratribus B. Vicenſi, A. Barcinonenſi, V. Oſcenſi, & P. Cerundenſi Epiſcopis, & Epiſcoporum, & capitulorum Tyraſonenſis, & Cæſarauguſtani, ac capitulorum Pampilonenſis, Oſcenſis, Ilerdenſis, Barcinonenſis, Gerundenſis, & Calagurritani Eccleſiarum Procuratoribus & Abbatibus de Bello-podio, & de Cardona, & præpoſito Celſonenſis, & procuratore Abbatis Iraxenſis & diſcretis viris fratre Geraldo Amici hoſpitalis Hieroſolymitani, & fratre Hugone de Sohi militiæ Templi magiſtris, conſiderantes, quòd conſtitutiones de novo editæ periculum animarum plerumque inducunt, dū à ſubditis non ſervantur; de novo conſtitutiones aliquas edere noluimus: ſed firmiter, ac diſtrictè mandamus, quòd conſtitutiones, quæ per dominum Papam Innocentium III. & IV. & per dominum Joannem Sabinenſem Epiſcopū, in Hiſpaniæ partibus olim legationis officio fungentem, & per prædeceſſores noſtros in Conciliis Provincialibus editæ ſunt, quas in præſenti Concilio confirmamus & approbamus, ab omnibus noſtræ provinciæ inviolabiliter obſerventur.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Benedictus Dei gratiâ Tarraconenſis Archiepiſcopus hoc firmo.

Signum B. Dei gratiâ Vicenſis Epiſcopi.

Ego V. Oſcenſis Epiſcopus ſubſcribo, & hoc ſignū facio.

Ego P. Dei gratiâ Gerundenſis Epiſcopus ſubſcribo.

Signum Fratris Joannis Abbatis Belli-podii.

Ego B. Cardonenſis Abbas.

Ego B. Celſonenſis præpoſitus ſubſcribo.

Ego Petrus Guillelmi procurator Cæſarauguſtani, & Tyraſonenſis Epiſcoporum, & capituli Tyraſonenſis hoc firmo.

Ego E. Lupi de Luna Archidiaconus Valliſ-Oſſellæ, procurator Prioris & capituli Pampilonenſis, pro me, & comprocuratore meo G. Lupo de Lombieri ſubſcribo.

Ego Petrus Marſagalli notarius domini Archiepiſcopi ſupradicti, hoc ſcripſi mandato omnium prædictorum die & anno præfixis.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Benedicti in tertio Concilio.

ANno domini MCCLXVI. Kalendis Septembris dominus Benedictus, Dei gratiâ Tarraconenſis Archiepiſcopus de Romana curia rediens, in civitate Gerundenſi, ubi dominus Rex Aragonum erat perſonaliter conſtitutus, convocavit Concilium provinciale, ſcribens omnibus ſuffraganeis ſuis propter hoc ſuas literas ſub hac forma: Benedictus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus, venerabili & chariſſimo in Chriſto fratri A. per eandem Cæſarauguſtano Epiſcopo ſalutem, & ſinceram in Domino charitatē. Dei virtus, & Dei ſapientia Dominus Jeſus Chriſtus, cujus ineffabili ſubjecta ſunt omnia majeſtati, à fundationis initio ſplendore virtutum ſuam illuſtravit Eccleſiam, & ſic inſignem reddidit ſingularis privilegio poteſtatis, ut per ejus miniſterium ſuum juſtitia conſequatur effectum, & ſedato bellorum turbine, mundo poſſit tranquillitas provenire. Hujus autem præeminentiam dignitatis, dum nos, qui regimini Tarraconenſis Eccleſiæ, licèt immeriti, divinâ patientiâ præſidemus, reverſi de Romana curia reverenter attendimus, reddimur corde ſoliciti, quòd tempeſtatis horror, quo Tarraconenſis Eccleſia, & provincia conturbantur, & libertas Eccleſiaſtica læditur, & religio Chriſtiana concutitur, per noſtræ, ac veſtræ, & aliorum Prælatorum proviſionis auxilium cœleſti pietate propitia propulſetur. Hinc eſt, quòd nos, & eædem Eccleſia & provincia per fidelium ſalubre conſilium, & auxilium fructuoſum ſtatus debiti poſſint habere decorem, Eccleſiarum Prælatos, & capitula noſtræ provinciæ apud Tarraconem pro celebrando ibidem Concilio duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem veſtram, & hortamur attentè, præſentium vobis tenore præcipiendo mandantes, quatenus die Sancti Lucæ Euangeliſtæ proximè ventura, quam pro dicto celebrando Concilio aſſignavimus, Tarracone perſonaliter intereſſe, omni prorſus occaſione poſt poſita, procuretis, ut nos, qui abſentes diutiùs ab Eccleſia & provincia noſtra, vos deſideramus videre plurimum, & Eccleſia Tarraconenſis mater veſtra ex veſtræ viſitationis honore ſpirituale gaudium, & ex veſtra induſtria percipiamus conſilium profuturum. Cæterùm volumus & mandamus, ut Abbatibus & Prioribus monaſteriorum veſtræ diœceſis, quòd eodem termino Tarracone interſint pro dicto celebrando Concilio, & capitulo veſtro, & quòd mittant procuratores ſuos provi-dos & fideles, qui vice ipſorum utile nobis conſilium largiantur, auctoritate noſtra, & veſtra præcipere ſtudeatis. Datum Gerundæ, tertio nonas Septembris anno Domini MCCLXVI.

Sub eadem forma ſcripſit P. Gerundenſi, R. Vicenſi, A. Barcinonenſi, G. Ilerdenſi, B. Oſcenſi, V. Calagurritano, F. Tyraſonenſi, P. Pampilonen-

lonenſi, A. Valentino, B. Dertuſenſi, & A. Urgellenſi Epiſcopis.

Item fuit ſcriptum per literas, & ſub alia forma fratri Guidoni de la Gueſpa Caſtellano Empoſtæ, & Fratri P. de Queralto tenenti-locum magiſtri domûs militiæ templi in Aragonia, & Catalonia.

Initium ejuſdem Concilii.

ANno Domini MCCLXVI. duodecimo Kalendas Novembris, cùm nos Benedictus miſeratione divina Tarraconenſis Archiepiſcopus eſſemus in civitate Tarraconenſi perſonaliter conſtituti, præſentibus venerabilibus fratribus A. Cæſarauguſano, A. Valentino, A. Barcinonenſi, P. Gerundenſi, B. Dertuſenſi, G. Ilerdenſi, F. Tyraſonenſi, & R. Vicenſi Epiſcopis, aliorum etiam ſuffraganeorum noſtrorum, & capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, & aliorum Prælatorum Tarraconenſis provinciç procuratoribus, ac venerabilibus, & diſcretis viris fratre Guidone de la Gueſpa Caſtellano Empoſtæ, & fratre P. de Queralto tenente locum magiſtri domûs militiæ Templi in Aragonia, & Catalonia, præſentibus ad honorem ſanctę & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſacroſanctum Concilium celebrantes ſuper tuitione, & conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis, & corrigendis clericorum exceſſibus, & moribus in melius reformandis, ac ſuper ſalubri & tranquillo ſtatu totius provnciæ Tarraconenſis, cum prædictis tractavimus diligenter, & de aſſenſu prędictorum, &c.

Proœmium conſtitutionum Bernardi Archiepiſcopi in primo Concilio.

ANno Domini MCCLXXIII. nono Kalendas Februarii, cùm nos Bernardus divina miſeratione Tarraconenſis Archiepiſcopus eſſemus in civitate Tarraconenſi perſonaliter conſtituti, prędentibus venerabilibus fratribus A. Barcinonenſi, G. Ilerdenſi, F. Tyraſonenſi, R. Vicenſi, A. Dertuſenſi, Jacobo Oſcenſi Epiſcopis, & aliis ſuffraganeis noſtris, S. V. Calagurritano, A. Pampilonenſi, P. Cęſarauguſtano, A. Valentino, P. Gerundenſi, & P. Urgellenſi abſentibus, & ſe per procuratores, & literas excuſantibus, & capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, & aliorum Prędatorum Tarraconenſis provincię procuratoribus, ac venerabilibus & diſcretis Fratre A. de Caſtro-nono magiſtro militiæ Templi in partibus Aragoviæ, & Cataloniæ, & fratre Berengario de Almenaria tenente locum magiſtri ultramarini Sancti Joannis Hieroſolymitani, & Caſtellaniæ Empoſtæ, ſimiliter præſentibus ad honorem individuæ ſanctæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſacroſanctum Concilium celebrantes, de aſſenſu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes conſtitutiones factas per prædeceſſores noſtros ad utilitatem, libertatem, & defenſionem Eccleſiarum, clericorum, religioſorum, monaſteriorum, & rerum omnium prædictarum, ſacroque approbante Concilio ſtatuimus, & infrà.

Ego Bernardus Dominicus notarius domini Archiepiſcopi, hoc ſcripſi mandato omnium prædictorum loco, die, & anno prænotatis.

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Bernardi, in ſecundo Concilio.

ANNO Domini MCCLXXVII. quinto nonas Maji, cùm nos Bernardus divina miſeratione Tarraconenſis Archiepiſcopus, eſſemus in Civitate Tarraconenſi perſonaliter conſtituti, præſentibus capitulo noſtro Tarraconenſi ac venerabilibus fratribus A. Barcinonenſi, P. Gerundenſi, G. Ilerdenſi, R. Vicenſi, F. Tyraſonenſi, Jonne Oſcenſi Epiſcopis, ac Jacobo Petro de Botonago Valentino electo, aliis Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, ſcilicet A. Pampilonenſi, P. Urgellenſi, P. Cæſarauguſtano, A. Dertuſenſi, & G. Calagurritano Epiſcopis abſentibus, & ſe per procuratores, & literas excuſantibus, & capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, & aliorum Prælatorum Tarraconenſis provinciæ procuratoribus, ac venerabilibus, & diſcretis Fratre R. de Ripellis Caſtellano Empoſtæ, Fratre Dalmatio de Serone venerabili, & Fratre G. de Abellars de Barberano prędceptoribus, procuratoribus Fratris Simonis de Turre, generalis domorum militiæ Templi in Hiſpania viſitatoris, ſimiliter præſentibus ad honorem ſanctæ individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſacroſanctum Concilium celebrantes, de aſſenſu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes conſtitutiones factas per prædeceſſores noſtros, & per nos ad utilitatem, libertatem, & defenſionem Eccleſiarum, clericorum, & religioſarum perſonarum, monaſteriorum, & hominum, ac rerum omnium prædictorum: *Quia verò ex pluribus, &c.*

Proœmium conſtitutionum ejuſdem Bernardi, in tertio Concilio.

ANNO Domini MCCLXXXII. undecimo Kalend. Aprilis. Quoniam exempla prætérita cavere nos admonent in futurum; iccircò nos Bernardus divina permiſſione Tarraconenſis Archiepiſcopus, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus A. Barcinonenſi, R. Vicenſi, P. Urgellenſi, Jacobo Oſcenſi, Jacobo Petro Valentino, Garcia Tyraſonenſi, B. Gerundenſi, Guillelmo Ilerdenſi Epiſcopis, ac procuratoribus aliorum Epiſcoporum abſentium; nec non & capitulorum Cathedralium Eccleſiarum, & collegiatarum, & quamplurimis aliis præſentibus ſacroſancto Tarra-

co-

conenſi approbante Concilio, ſtatuimus, & infrà.

Prœmium conſtitutionum Roderici Archiepiſcopi in primo Concilio,

ANNO Domini MCCXCI. die Sabbathi, quæ fuit idus Martii, nos Rodericus permiſſione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in civitate Tarraconenſe perſonaliter conſtituti, de mandato ſpeciali literis nobis facto, & auctoritate ſanctiſſimi Patris, & domini, meritiſque Beati domini Nicolai divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummi Pontificis, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus R. Vicenſi, P. Urgellenſi, A. Dertuſenſi Fratre Bened. Barcinonenſi, Hugone Cæſarauguſtano, Fratre Adamario Oſcenſi, & Geraldo Ilerdenſi Epiſcopis: abſentibus Michaële Pampilonenſi, Almoravio Calagurritano, & Calciaten. P. Tyraſonenſi, R. Valentino, & Ben. Gerundenſi, ſe per procuratores, & per literas excuſantibus; necnon & nobili ac religioſo viro Fratre Berengario de Cardona domorum militiæ Templi in partibus Aragonum, & Cataloniæ Magiſtro, & procuratore Magiſtri Sancti Joannis Hieroſolymitani, procuratoribus capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, ac Collegiatarum, monaſteriorum, aliorumque Prælatorum Tarraconenſis provinciæ præſentialiter conſtitutis: præſentibus etiam diſcretis & religioſis viris Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, archidiaconis, & decanis, necnon & pluribus aliis Eccleaſirum Prælatis præfatæ provinciæ, tam exemptis, quàm non exemptis, ad hoc ſpecialiter evocatis; ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & filii, & Spiritus ſancti, apud civitatem, & Eccleſiam Tarraconenſem, ſponſam noſtram, cui, licèt immeriti, divinâ clementiâ Paſtoralis officii debito præſidemus, ſanctum Provinciale Concilium celebrantes, præfato ſacro Concilio approbante, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inherentes, laudamus, concedimus, approbamus, & irrefragabiliter per omnia confirmamus conſtitutiones factas per prædeceſſores noſtros ad utilitatem, libertatem, & defenſionem Eccleſiarum, clericorum, & religioſarum perſonarum, monaſteriorum, hominum, rerum, ac bonorum omnium prædictorum. *Et quoniam pium eſſe, &c.*

Prœmium conſtitutionum eiuſdem Roderici, in tertio Concilio.

ANNO Domini MCCXCIV. die Mercurii, quæ fuit tertio idus Auguſti, nos Rodericus permiſſione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in civitate Ilerdenſi perſonaliter conſtituti, aſſiſtentibus nobis venerabilibus fratribus Raymundo Vicenſi, A. Dertuſenſi, Fratre Ben. Barcinonenſe, P. Tyraſonenſi, Hugone Cæſarauguſtano, Fratre Adamario Oſcenſi, Geraldo Ilerdenſi, & Benedicto Gerundenſi Epiſcopis: necnon & Galcerando de Vegis Archidiacono Eccleſiæ Urgellenſis, ac gerenti vices capituli ejuſdem Eccleſiæ ſede vacante, & magiſtro Berengario archidiacono Eccleſiæ Valentinæ, gerentique vices venerabilis fratris noſtri R. Epiſcopi ejuſdem Eccleſiæ Valentinæ, abſentibus M. Pampilonenſi, Almoravio Calagurritano, & Calciatenſi, ſe per procuratores, & literatoriè excuſantibus, procuratoribus capitulorum Eccleſiarum Cathedralium ac Collegiatarum, monaſteriorum, & aliorum Prælatorum Tarraconenſis provinciæ præſentialiter conſtitutis: præſentibus etiam diſcretis ac religioſis viris Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, archidiaconis, & decanis; necnon & pluribus aliis Eccleſiarum Prælatis præfatæ provinciæ, ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, apud civitatem Ilerdenſem prædictum ſanctum Provinciale Concilium celebrantes, præfato ſacro Concilio approbante conſtitutiones edidimus, quarum ſeries ſic ſe habet, &c.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Martinus Petrus procurator domini Calagurritani, & Calciatenſis Epiſcopi ſubſcribo.

Ego M. de Sclava Theſaurarius Pampilonenſis procurator R. domini Pampilonenſis Epiſcopi ſubſcribo.

Ego Galcerandus de Vegis Archidiaconus Urgellenſis procurator Epiſcopi Urgellenſis ſubſcribo.

Prœmium conſtitutionum Joannis Patriarchæ Alexandrini in primo Concilio.

ANNO Domini MCCCXXIX. quarto Kalend. Martii, Joannes Patriarcha Alexandrinus, ac adminiſtrator Eccleſiæ Tarraconenſis in ſpiritualibus & temporalibus à ſede Apoſtolica deputatus, in primo Concilio Tarraconenſi. Ad officium pertinet præſidentis, conſtitutiones à ſe, vel à prædeceſſoribus ſuis editas, quas obeſſe conſpicit potiùs, quàm prodeſſe, reſecare ſimpliciter, vel in melius reformare; & ſubditos ſuos certos reddere, quas habeant obſervare. Recognitis igitur diligenter canſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum Archiepiſcoporum ſanctæ Eccleſiæ Tarraconenſis editis in diverſis Provincialibus Conciliis, per eos diverſis temporibus celebratis; ac quibuſdam ex ipſis tamquam periculoſis, quibuſdam verò tamquam ſuperfluis reſecatis, illas, quas utiles, ſeu neceſſarias invenimus, ſimul cum quibuſdam, quas de novo edidimus, ſacro Concilio approbante, in præſens volumen providimus redigendas: decernentes eaſdem, & non alias haberi pro conſtitutionibus Conciliorum Provincialium provinciæ Tarraconenſis, ac mandantes eaſdem inviolabiliter obſervari.

Concluſio ejuſdem Concilii.

PRæſentes autem conſtitutiones à prædeceſſoribus noſtris bonæ memoriæ editæ, ut ſuperiùs continentur, in præſens volumen redactæ fuerunt, & illæ, quas nos de novo edidimus, publicatæ ſacro Concilio approbante, in capitulo Eccleſiæ Tarraconenſis præſentibus & aſſiſtentibus venerabilibus fratribus noſtris Raymundo Valentino, Berengario Dertuſenſi, Arnaldo Urgellenſi, Arnaldo Ilerdenſi, & Galcerando Vicenſi Epiſcopis, ſuffraganeis noſtris; & venerabilibus ac religioſis Fratre Sancio de Aragonia gerente vices magiſtri Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani in Caſtellania Empoſtæ, Fratre Pontio Populeti, Fratre Joanne Vallis dignæ, & Geraldo de Bello-podio, & Fratre Raymundo Sancti Felicis Guixellen. Abbatibus, ac aliorum ſuffraganeorum noſtrorum, videlicet Pontii Barcinonenſis, & Gaſtonis Gerundenſis Epiſcoporum, necnon Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum provinciæ Tarraconenſis procuratoribus, & quamplurimis aliis: die Lunæ intitulata quarto Kal. Martii, anno Domini MCCCXXIX. præſentibus teſtibus Bernardo de Ulzinellis legum doctore, Raymundo Januarii procuratore † Valentiæ, Guillelmo de Oculo molendinorum, & Laurentio Martini canonico Ilerdenſi, Franciſco de Oliveriis de Caſtilione, & Petro Marza de Gandeſia Eccleſiarum rectoribus Dertuſenſium, & Berengario Ferrarii de Arcubus Tarraconenſis diœceſis: *Ut Miſſæ, &c.*

SUBSCRIPTIONES.

Nos Joannes Patriarcha Alexandrinus, & adminiſtrator Eccleſiæ Tarraconenſis ſubſcribimus, & ſigillum noſtrum appendi fecimus.

Ego Raymundus Valentiæ Epiſcopus ſubſcribo.

Ego Berengarius Dertuſenſis Epiſcopus ſubſcribo

Ego Gaſto Gerundenſis Epiſcopus ſubſcribo.

Ego Arnaldus Urgellenſis Epiſcopus ſubſcribo.

Ego Arnaldus Ilerdenſis Epiſcopus ſubſcribo.

Signum Raymundi Ferrarii notarii publici, & jurati reverendi in Chriſto patris, & domini Raymundi, divinâ providentiâ Valentini Epiſcopi; qui prædictis correctioni, additioni, examinationi, & publicationi conſtitutionum prædictarum, tam antiquarum, quàm novarum præſens fui, & de mandato reverendiſſimi domini Patriarchæ prædicti ſubſcripſi die & anno præfixis.

Signum mei Petri Toſt reverendiſſimi patris, & D. D. Patriarchæ, & adminiſtratoris præfati notarii publici & jurati: qui correctioni, additioni, examinationi, & publicationi, ac ſubſcriptionibus prædictarum provincialium conſtitutionum in præſenti volumine contentarum, redactarum, ac omnibus & ſingulis ſupradictis, unà cum dictis teſtibus, ut prædicitur, præſens fui; & de mandato ipſius domini Patriarchæ, & ſacri Concilii ipſas conſtitutiones, quæ in ſexdecim chartis hujus voluminis continentur ex utraque parte ſcriptis, quarum quælibet eſt ſolito ſigno meo ſignata ſub hac forma publica, propria manu ſcripſi, cum literis tamen raſis & emendatis, &c.

In fine conſtitutionum Sancii in quarto Concilio Tarraconenſi.

QUÆ quidem conſtitutiones per ipſum dominum Archiepiſcopum Tarraconenſem, præſentibus, & aſſiſtentibus ſibi venerabilibus fratribus ſuis Hugone Urgellenſi, & Vitali Valentino Epiſcopis, ac venerabilium Berengarii Gerundenſis, Michaëlis Barcinonenſis, Stephani Ilerdenſis, ac R. Vicenſis Epiſcoporum ſuffraganeorum dictæ Eccleſiæ Tarraconenſis abſentium, & capitulorum Cathedralium procuratoribus, ac venerabilium & religioſorum Fratrum A. Populeti, Fratris G. ſanctarum Crucum, Fratris R. Sancti Joannis de Abbatiſſis, Fratris Franciſci Aggeren. Fratris Petri de Scorpio, monaſteriorum Abbatum, necnon Ademari Prioris monaſterii S. Sebaſtiani, Romæi præpoſiti Minoriſſæ, Pontii S. Mariæ de Muro præpoſiti abſentium procuratoribus, aliiſque Prælatis, & procuratoribus collegiatarum Eccleſiarum provinciæ, editæ exſtiterunt, ſacro Concilio approbante, ac lectæ etiam & publicatæ ſolenniter. Quæ ſunt acta in capitulo dictæ Eccleſiæ Tarraconenſe viceſima die menſis Martii, anno à nativitate Domini MCCCLVII. præſentibus teſtibus venerabile viro D. Arnaldo de Caſtelletto Decretorum doctore, Andrea de Ferio cappellano commenſali in dicta Eccleſia Tarraconenſi, Arnaldo Tarrage Porterio dicti domini Archiepiſcopi, Arnaldo de Villabetzi diœceſis Urgellenſis, & pluribus aliis ad hæc vocatis & rogatis.

Proœmium ſecundi Concilii Tarraconenſis Petri ſecundi idibus Februarii, anno MCCCLXVII.

AD muneris Metropolitani nobis deſuper injuncti officium, diſponente Domino, licèt immeriti, evocati; circa curam Eccleſiarum, monaſteriorum, ac piorum locorum ſolertia reddimur indefeſſa ſoliciti, ut juxta debitum ejuſdem paſtoralis officii ipſorum occurramus diſpendiis; & divina cooperante clementia, animarum profectibus ſalubriter intendamus. Circa igitur ſanctorum Patrum, ac ſacra præcepta Apoſtolica ſpecialiter nobis facta de præſenti Concilio celebrando, devotè ac humiliter exſequentes, ad laudem divini numinis, cleri, populiſque profectum, conſtitutiones ac ordinationes ſubſcriptas nos Petrus miſeratione divina Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacro approbante Concilio ordinamus imprimis: *Ad divinum, &c.*

Pro-

Prologus conſtitutionum Enneci in primo Concilio Tarraconenſi anno MCDXI. nonâ Aprilis.

CNimarum nobis ab alto commiſſarum regimini, divina favente clementia, licèt immeriti, præſidentes, curis ſolicitamur continuis, vacamus inſtantiùs, & ſtudium ſolicitudinis impertimur, ut tranquillo ſtatui ſubditorum occurrere, & eorum animas lucri Domino facere valeamus, ad correctionem morum, proficuumque fidelium, & ſalutem, in hoc ſacro Concilio, quod præſentialiter celebramus: nos Ennecus miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ad futuram rei memoriam infraſcriptas conſtitutiones edidimus ſalubria continentes, fructus uberes, Deo propitio in domo Domini allaturas; quas prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus adjungi præcipimus, & ipſo approbante Concilio, à cunctis noſtræ provinciæ inviolabiliter obſervari, quarum tenores tales deſcribuntur: *Redemptionis, &c.*

In fine tertii Concilii Tarraconenſis ejuſdem Enneci.

LEctæ & publicatæ fuerunt dictæ conſtitutiones in ſacro Provinciali Concilio celebrato in caſtro Archiepiſcopali civitatis Tarraconenſis per reverendiſſimum in Chriſto patrem, & D. D. Ennecum miſeratione divina Archiepiſcopum ſanctæ Eccleſiæ Tarraconenſis, præſente toto ſacro Concilio, & præſentibus pro teſtibus venerabilibus viris Ludovico de Valterra, legum doctore, vicario in ſpiritualibus & temporalibus generali, ac officiali dicti domini Archiepiſcopi, Arnaldo de Manſione licentiato, Guillelmo Antolini Baccalaureo in Decretis canonicis Tarraconen. Fratre Joanne Alanya, monacho ſanctarum Crucum, Petro Ferrarii presbytero diœceſis Urgellenſis, Franciſco Banaſtull cive Tarraconenſi, & Eximino Daiturni ſcutifero dicti domini Archiepiſcopi, die Lunæ in tertiis, intitulata decima quinta menſis Martii, anno à nativitate Domini MCDVI. & me Jacobo Roca clerico Valentinæ diœceſis ejuſdem domini Archiepiſcopi Secretario, & notario publico, ac ſcriba Concilii memorati.

In fine Concilii primi Tarraconenſis Petri Sagarrigæ Archiepiſcopi.

LEctæ & publicatæ fuerunt dictę conſtitutiones in ſacro Provinciali Concilio celebrato in ſede Tarraconenſi per reverendiſſimum in Chriſto patrem, & D. D. Petrum miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, præſente toto ſacro Concilio, die Mercurii viceſima prima menſis Martii, anno à Nativitate Domini MCD. per me P. Sabaterii notarium, & ſecretarium dicti reverendiſſimi domini Archiepiſcopi. Teſtes venerabiles Berengarius de Caſtell-galles, Antonius Artau porterius.

Proœmium conſtitutionum Dalmatii Alchiepiſcopi.

NOS Dalmatius miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, conſiderantes, quòd inefabilis divinæ potentiæ celſitudo, cujus viæ ſunt inveſtigabiles, cujuſque ſapientię magnitudinem humani non capiunt intellectus, ad regimen ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ ſuæ miſerationis arbitrio nos erexit, tanto arctiùs ad ſuſceptæ ſolicitudinis exſecutionem nos aſtringens, quantò nos altiùs ſupra modum de ſuæ gratiæ largitate diſcretis gradibus ſublimavit, in corde noſtro continua pulſamur inſtantia, ut dictę ſolicitudinis debitum, ad quod nos obligat neceſſitas, prout nobis ex alto conceditur, exſolvamus; & ad bonum ſtatum, utilem, & ſalubrem dictæ Tarraconenſis Eccleſiæ, ſponſæ noſtræ, aliarumque Eccleſiarum noſtræ provinciæ, divina favente clementina, inter alias ſolicitudinum curas, quibus animus noſter fluctuantis pelagi more continuè fatigatur, efficaciter intendimus; cleri & populi diſpendiis, & profectibus, Altiſſimo cooperante, ſalubriter occurrentes. Hac itaque conſideratione, & juxta Patrum ſtatuta ſanctorum, & etiam pro neceſſitate urgente, ſtatum Eccleſię, & ejus libertatem, atque clerum noſtræ provinciæ multifariè concernente, Provinciale Concilium duximus in dicta noſtra Eccleſia celebrandum: in quo, ſeptiformi gratia invocata, ſtatu diſcuſſo provincię, & ad Dei laudem, prout negotiorum qualitas exigit, & Dominus duxit inſpirandum, propenſo judicio reformato, nonnullas, ſacri approbatione Concilii, conſtitutiones edidimus: quas volumus aliis conſtitutionibus Provincialibus prædeceſſorum noſtrorum adjungi, quarum tenores ſequuntur.

In fine Concilii Tarraconenſi ejuſdem Dalmatii.

FUerunt publicatæ conſtitutiones prædictæ in ſacro Concilio die Sabbathi nona Decembris, anno à Nativitate Domini MCDXXIV. præſente Petro Ollerii camerario, & Guillelmo Antolini, canonicis Eccleſiæ Tarraconenſi. Licèt primæ, & octavę conſtitutionibus nonnulli contradixerint; tamen eorum contradictiones, nec appellationes non fuerunt admiſſæ per dominum Archiepiſcopum, nec per Concilium; immo appellantibus fuerunt dati apoſtoli negativi.

Proœmium conſtitutionum domini Petri de Luna Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ Legati, in Concilio Provinciali anno Domini MCDII.

PEtrus miſeratione divina S. Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, venerabili in Chriſto patri Archiepiſcopo Tarraconenſi, & dilecto in Chriſto ejus vicario in ſpiritualibus generali, ac officiali Tarraconenſi ſalutem in Domino. Cùm univerſo Hiſpaniarum clero ac populo, quorum ex injuncto nobis legationis officio curam gerimus, in eo maximè obligemur, ut noſtræ ſolicitudinis ſtudio mores eorum dirigantur ſalubriter, & actus devii in melius reformentur; iccircò ad hoc noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, infraſcriptas conſtitutiones, quas & Dei ſervitio congruas & proficuas credimus animabus, in regnis & terris ditioni ſereniſſimorum principum Regum Aragoniæ, & Navarræ ſubjectis, in illis videlicet, ad quæ, & ad quas legationis noſtræ auctoritas ſe extendit, duximus promulgandas: quas die datæ præſentium in Eccleſia Cathedrali Gerundenſi, in præſentia nonnullorum Epiſcoporum, & aliarum notabilium perſonarum fecimus publicari, prout earum ſimiles alias promulgavimus & publicavimus in Caſtella. Et quamvis omnes prædictæ conſtitutiones pro ſubditorum ſalute eſſent proculdubio ſtatim exſecutioni mandandæ; ex certis tamen cauſſis rationabilibus animum noſtrum ad hoc moventibus, ipſarum effectum uſque ad Concilium Provinciale per vos Patrem Archiepiſcopum, cum ſuffraganeis veſtris primò celebrandum, & per duos menſes poſt ipſius celebrationem immediatè ſequentes duximus ſuſpendendum; una de ipſis dumtaxat excepta, cujus tenor inferiùs deſcribitur, quæ eſt contra clericos publicè concubinarios promulgata: ſuper quorum correctione, cùm jura communia & aliorum Legatorum Apoſtolicæ ſedis in eiſdem partibus deputatorum conſtitutiones editę jam procedant, & ex eis effectus correctionis debitus non fuerit hactenus ſubſecutus, dignum reputamus, ut præfata noſtra conſtitutio, per quam etiam aliarum, ut præmittitur antea editarum rigori in quibuſdam detrahitur, ſtatim contra obſtinatos in prælibato crimine debitè exſecutioni mandetur, ne occaſione dilationis cujuſque videantur ulteriùs in jam dannatæ hujus turpitudinis ſordibus celari: iccircò ipſam intra duos menſes poſt receptionem præſentium immediatè ſequentes, per vos in Synodo, quam propterea cogregari jubemus, vel ſaltem in dicta Eccleſia Cathedrali Tarraconenſi publicari volumus & mandamus; & deinde poſt alios duos menſes à tempore publicationis hujuſmodi faciendę numerandos, vos, & omnes perſonas Eccleſiaſticas, ac ſæculares, & religioſas, civitatis & diœceſis Tarraconenſis, prout de vobis, & ipſis in eadem conſtitutione tenetur, auctoritate, qua fungimur, ligare decernimus per præſentes. Tenor verò earundem noſtrarum conſtitutionum ſequitur ſub hac forma: *Injuncti*: & quæ ſequuntur, &c. Datum Gerundæ octavo Kal. Novembris, Pontificatus domini noſtri Clementis Papæ VII. anno duodecimo.

In fine conſtitutionum Petri de Cardona Archiepiſcopi.

LEctæ & publicatæ fuerunt dictæ Provinciales conſtitutiones in ſacro Provinciali Concilio in capitulo ſedis Barcinonenſis celebrato per illuſtrem & Reverendiſſimum dominum Petrum de Cardona, divinâ providentiâ ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, per me Antonium de Ferraria notarium, & ſecretarium dicti reverendiſſimi domini Archiepiſcopi, & præfati ſacri Concilii ſcribam, die triceſima menſis Julii, anno à Nativitate Domini MDXVII. præſentibus dicto Provinciali Concilio, & honorabili Michaële Puigſec notario, Arnaldo de Ulmo clerico, & Ferrario Joannis Portario, ejuſdem domini Archiepiſcopi familiaribus, pro teſtibus in his vocatis ſpecialiter & aſſumptis.

In fine conſtitutionum Hieronymi Cardinalis.

SAcras hactenus editas Provinciales conſtitutiones, incuriâ quaſi incognitas, & ſemiſepultas, quas in unum collectas, mendiſque mundas, ac typis fidelibus magno labore, & expenſis excudendas ſacrum Provinciale Concilium curavit, Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, eiſque maximè, quibus animarum cura imminet, ad vitam, moreſque populi inſtituendum apprimè neceſſarias, ut ab omnibus intelligantur, & in poſterum obſerventur, ſtatuit, mandavit, & decrevit, ut omnes & ſinguli Abbates, Priores, parochi, vicariique perpetui, cæterique alii, quibus cura imminet animarum, quoties monitio commiſſariorum per dictum ſacrum Provinciale Concilium ad id deputandorum eis innotuerit, unuſquiſque eorum volumen accipiat, taxatumque pretium perſolvat: pœna excommunicationis, ac dupli taxati pretii contumacibus imminente, irremiſſibiliter ab eis exigenda: necnon ut eundem in propriis Eccleſiis, earumque ſacrariis, aut penes ſe, id in alios uſus, ſeu aliarum perſonarum non commutando; ut Eccleſiæ ornamentum perpetuò habeant & teneant, mandavit & decrevit ſub pœna arbitrio diœceſanorum, quorum conſcientiam onerari voluit, cùm in viſitatione exſtiterint, vel aliàs de eorum conſtiterit contrafactione, ſeu negligentia, puniendos.

SUBSCRIPTIONES.

Signum domini Thomæ Coſta Abbatis Sancti Saturnini de Tivernolis, diœceſis Urgellenſis, canonicorum

nonici, & hoſpitalarii Dertuſenſis, vicarii generalis illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Tarraconenſis Archiepiſcopi, præſidentis in Provinciali Concilio, qui hæc firmavit & laudavit.

Signum Galcerandi Graveloſa canonici Eccleſiæ Tarraconenſis, procuratoris Reverendiſſimi Barcinonenſis Epiſcopi.

Signum Auguſtini Frexa Commenſalis Eccleſiæ Tarraconenſis, procuratoris Reverendiſſimi Ilerdenſis Epiſcopi.

Signum Bartholomæi Jaques canonici Tarraconenſis, procuratoris Reverendiſſimi Vicenſis Epiſcopi.

Signum Bartholomæi Forama Canonici Tarraconenſis, procuratoris Reverendiſſimi Urgellenſis Epiſcopi.

Signum Benedicti Barnabæ Munoyz canonici Eccleſiæ Tarraconenſis, ſyndici reverendi Capituli Tarraconenſis.

Signum Franciſci Solſona canonici Eccleſiæ Barcinonenſis, ſyndici reverendi Capituli Barcinonenſis.

Signum Michaëlis Maull canonici Ilerdenſis, ſyndici reverendi Capituli Ilerdenſis.

Signum Petri Piquer canonici Urgellenſis, ſyndici reverendi Capituli Urgellenſis.

Signum Jacobi Cerverò canonici Eccleſiæ Dertuſenſis, & Archidiaconi de Corbera, ſyndici reverendi Capituli Dertuſenſis.

Signum Joannis Soler canonici Vicenſis, & ſyndici reverendi capituli Vicenſis.

Signum Fratris Joannis Roiz monachi ſanctárum Crucum, procuratoris reverendi Abbatis monaſterii ſanctarum Crucum.

Signum Fratris Gabrielis Comes monachi monaſterii Populeti, procuratoris reverendi Abbatis ejuſdem monaſterii.

Signum domini Franciſci Zenedo monaſterii Scalæ-Dei, procuratoris reverendi Prioris ejuſdem monaſterii, ordinis Cartuſienſis.

Ego Honofrius Montoliu notarius, & ſacri Provincialis Concilii ſcriba, mandato præfatorum dominorum Præſidentis, & aliorum, ſcripſi, & de prædictis fidem facio, die & anno præfixis.

Procœmium conſtitutionum Ferdinandi Archiepiſcopi, in Concilio Barcinonenſi.

Receptio Oecumenici Generalis Concilii Tridentini in provincia Tarraconenſi.

IN nomine Domini amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis temporibus perpetuò valiturum, pateat univerſis & ſingulis notum, quòd anno à Nativitate Domini MDLXIV. die verò Martis, viceſimâ quartâ menſis Octobris intitulatâ, congregato ſacro Provinciali Concilio Tarraconenſi in cappella ſacratiſſimi corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in clauſtro Eccleſiæ Tarraconenſis conſtructa, loco ad hæc per illuſtriſſimum & Reverendiſſimum in Chriſto patrem, & D. D. Ferdinandum de Loazes, miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum aſſignato & deputato: exiſtentibuſque ibidem ſimul cum prælibato illuſtriſſimo & Reverendiſſimo domino Archiepiſcopo, Reverendiſs. Epiſcopis, & Abbatibus, Prioribus, aliiſque Prælatis, ſyndicis, & procuratoribus infraſcriptis, provincialiter, ut præfertur, congregatis, Conciliumque Provinciale pro infraſcriptis, & aliis negotiis facientibus & celebrantibus, in mei Damiani Gili notarii publici Tarraconenſis, ac dicti ſacri Concilii Provincialis ſcribæ, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum, rogatorum, & aſſumptorum præſentia; prefatus illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus dominus Archiepiſcopus, ac Reverendiſſimi domini Epiſcopi, & Abbates, Priores, ſyndici, & procuratores infraſcripti, inſequendo diſpoſitionem decreti capite ſecundo reformationis ſeſſionis viceſimæ quintæ ſacri Oecumenici Generalis Concilii Tridentini incipientis: *Cogit temporum calamitas, &c.* omnes unanimes & conformes, & nemine diſcrepante, nomine eorum proprio, ac principalium ſuorum infraſcriptorum reſpectivè, & totius Tarraconenſis provinciæ, prout inferiùs latiùs & pleniùs continetur, fecerunt palam & publicè receptionem de omnibus & ſingulis à præfata ſancta Synodo Tridentina definitis & ſtatutis; ac etiam omnes ſimul & unuſquiſque eorum veram obedientiam S.D.N. Papæ Pio IV. ejuſque ſucceſſoribus, & ejus ſanctæ ſedi Apoſtolicæ ſpoponderunt, & profeſſi fuerunt, ac hæreſes omnes deteſtati fuerunt, & anathematizârunt, prout in quadam ſcriptura per ipſos mihi dicto notario & ſcribę tradita, latiùs & pleniùs continetur: mandâruntque, pe tierunt, requiſiverunt, per me dictum notarium & ſcribam de his publicum confici inſtrumentum, & in proceſſu dicti ſacri Provincialis Concilii inſeri, prout in dicta ſcriptura latiùs deducitur, quæ eſt tenoris hujuſmodi:

Deo optimo maximo gratias agimus, qui temporibus noſtris Eccleſiam ſuam ſanctam tot procellis ac fluctibus agitatam, ita defendit ac conſervavit, ut per decreta ſacri Oecumenici Tridentini Concilii, auctoritate ſummi Romani Pontificis felicis recordationis Paulli III. in Spiritu ſancto legitimè congregati, atque ejuſdem, & piæ memoriæ Julii Papæ III. necnon S.D.N. Pii IV. conſenſu, auxilio, & promotione, ſub protectione glorioſiſſimæ memoriæ Caroli V. Imperatoris, & Catholici Regis noſtri Philippi continuati, celebrati, ac concluſi, & ab eodem beatiſſimo Pio confirmati, hæreſes univerſas, quæ non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione, in pluribus partibus viguerunt, damnaverit & improbaverit, ac veram fidem Catholicam Chriſtianis omnibus ita aſſeruerit, & apertiſſimè declaraverit, ut eiſdem ſacri Concilii ſaluberrimis ſanctionibus univerſalis Eccleſia, quam divina Majeſtas ſponſam immaculatam, & ſine ruga ſibi aſſumpſit, in ſuo ſplendore perſeveret; mores ve-

rò corruptos ita ſeveritate diſciplinæ ad veterem Patrum inſtitutionem, quantum hæc tempora ferre poſſunt, correxerit ac reduxerit, ut nihil aliud, quàm ut divino auxilio juvante, eiſdem veſtigiis hærere poſſimus, deſiderare queamus. Quapropter.

Nos Ferdinandus de Loazes, miſeratione divina ſanctæ Tarraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Arias Gallego Gerundenſis.

Antonius Auguſtinus Ilerdenſis,

Guillelmus Cazador Barcinonenſis.

Martinus de Corduba Dertuſenſis.

Petrus de Caſtelleto Urgellenſis . . . . . per eandem miſerationem Epiſcopi.

Joannes de Tormo Abbas monaſterii Sancti Petri Biſuldini, Ordinis Sancti Benedicti, Gerundenſis diœceſis.

Petrus Frigola Abbas monaſterii Sancti Benedicti de Bagiis, ordinis Sancti Benedicti, Vicenſis diœceſis.

Michaël Serrano Abbas monaſterii Sancti Vincentii de Cardona, canonicorum regularium Ordinis Sancti Auguſtini, Urgellenſis diœceſis.

Hieronymus Contilioc Abbas monaſterii ſanctarum Crucum, ordinis Ciſtercienſis, Tarraconenſis diœceſis.

Ludovicus de Cervilione Abbas monaſterii Sancti Cucufatis, Ordinis Sancti Benedicti, Barcinonenſis diœceſis.

Coſmas Damianus Ortolla Abbas monaſterii beatæ Mariæ de Villa-bertrando, Ordinis Sancti Auguſtini, Gerundenſis diœceſis.

Thomas Coſta Abbas, ſeu perpetuus commendatarius monaſterii Sancti Saturnini de Tabernolis, Ordinis Sancti Benedicti, Urgellenſis diœceſis.

Michaël de Agullò Abbas, ſeu perpetuus commendatarius monaſterii prope Bagamum, Ordinis Sancti Benedicti, Urgellenſis diœceſis.

Paullus Plà Abbas, ſeu perpetuus commendatarius Monaſterii Sancti Petri de Galli-cantu, Ordinis Sancti Benedicti, Gerundenſis diœceſis.

Michaël Ferran Prior monaſterii Scalæ-Dei, Ordinis Cartuſienſis, Tarraconenſis diœceſis.

Jacobus Agramunt Prior monaſterii Sancti Jacobi de Calaf, Ordinis Sancti Auguſtini canonicorum regularium, Vicenſis diœceſis.

Geraldus Vilana Prior monaſterii beatæ Mariæ de Campo.

Jannes de Funes Prior monaſterii Sancti Vincentii de Roda.

Raphaël Joannes Gili canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Tarraconenſis.

Petrus Paullus Zaragoçà canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Barcinonenſis.

Franciſcus Caſtelbel canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Ilerdenſis.

Jacobus Cervero Archidiaconus de Corbera, canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Dertuſenſis.

Petrus Traber canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Gerundenſis.

Petrus Spi Archidiaconus major, canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Urgellenſis.

Raphaël Domenec canonicus, & ſyndicus reverendi capituli Eccleſiæ Vicenſis,

Michaël de Homs Abbas, ſeu perpetuus commendatarius monaſterii de Arles, canonicus, & ſacriſta, ac ſyndicus, & eo nomine reverendi capituli Eccleſiæ Elnenſis.

Martinus de Marquina monachus, & procurator reverendi Petri Boques Abbatis monaſterii beatæ Mariæ Populeti, Tarraconenſis diœceſis, Ordinis Ciſtercienſis.

Franciſcus de Tor-delaguna monachus, & procurator reverendi Benedicti de Tocco Abbatis monaſterii Beatæ Mariæ de Monte-ſerrato, Ordinis Sancti Benedicti, Vicenſis diœceſis.

Laurentius Iſalguer canonicus, & procurator reverendi Michaëlis Agullana Abbatis, ſeu perpetui commendatarii monaſterii S. Joannis de Abbatiſſis, canonicorum regularium, Ordinis S. Auguſtini, Vicenſis diœceſis.

Jacobus Moragues canonicus monaſterii S. Annæ Barcinonenſis procurator reverendi domini Caroli de Cardona Abbatis, ſeu perpetui commendatarii monaſterii beatæ Mariæ de ſtagno, & adminiſtratoris dicti monaſterii ſanctæ Annæ Barcinonenſis.

Giſpereus de Malars monachus, & camerarius monaſterii beatæ Mariæ Rivi-pulli, procurator reverendi Bernardi Capellet Abbatis, ſeu perpetui commendatarii monaſterii beatæ Mariæ de Sarrateix, Ordinis Sancti Benedicti . . . . . diœceſis.

Joannes Guzman monachus ſyndicus, & procurator reverendi conventus monaſterii S. Victoriani, Ordinis S. . . . . Ilerdenſis diœceſis, Abbate carentis.

Raymundus Sopena ſyndicus, œconomus, & procurator reverendi conventus monaſterii de la O, Ordinis Sancti Benedicti, Ilerdenſis diœceſis, Abbate carentis.

In cappella ſacratiſſimi corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in clauſtro dictæ noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Tarraconenſis conſtructa, loco ad hæc ſpecialiter per nos dictum Archiepiſcopum deputato, provincialiter congregati, Conciliumque Provinciale facientes, ac celebrantes, inſequentes diſpoſitionem decreti cap. 2. reſor. 25. dicti Concilii Tridentini incipientis: *Cogit temporum calamitas, &c.* omnes unanimes & conformes, nemine diſcrepante, ut veri orthodoxi, ac ſanctæ ſedis Apoſtolicæ filii obedientiſſimi, tam nominibus noſtris propriis, & principalium noſtrorum reſpectivè, & cujuslibet noſtrum, quàm eorum, ac omnium, & ſingulorum ſubditorum noſtrorum, & dictorum principalium reſpectivè, ac totius noſtræ Tarraconenſis provinciæ, omnia & ſingula, quæ à præfata ſancta Synodo Tridentina definita & ſtatuta ſunt, palam & publicè, omni meliori modo & forma, quibus melius poſſumus & debemus, recipimus. Necnon veram obedientiam S. D. N. D. Pio IV. ſummo Romano Pontifice, vero & indubitato Chriſti vicario, beatique Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, ſan-

ſanctæque ejus Apoſtolicę ſedis ſpondemus, & profitemur; ſimulque hæreſes omnes à ſacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præſertimque ab eadem ſancta Synodo Tridentina damnatas, publicè & palam deteſtamur, & anathematizamus, & ut de hac noſtra receptione, veraque obedientia, ſponſione, ſimulque deteſtatione, & anathematizatione, aliiſque prædictis omnibus conſtet, requirimus & mandamus, per vos Damianum Gili notarium, & dicti noſtri ſacri Concilii Provincialis notarium & ſcribam publicum, inſtrumentum fieri, confici, & in proceſſu dicti noſtri ſacri Concilii Provincialis ſcribi & inſeri; ac nobis, & omnibus illud petentibus, & habere volentibus tradi. Quæ fuerunt acta in dicta cappella ſacratiſſimi corporis D. N. Jeſu Chriſti clauſtri dictæ Eccleſiæ Tarraconenſis die & anno prædictis, præſente & interveniente me Damiano Gili notario, publico & ſcriba dicti ſacri Provincialis Concilii præ, & infraſcripto, & præſentibus etiam reverendis dominis Raphaële de Ho ns Archidiacono majori, Joanne Damiano Miret ſuccentore ſecundo, Raphaële Lorens, Antonio Joanne Delgado, Antonio Daroca canonicis dictæ Eccleſiæ Tarraconenſis, Bernardo de Sanct-Clement Rectore Eccleſiæ villæ de Silva, Auguſtino Frexa Jurium doctore commenſale, officiali, & vicario generali dicti Reverendiſſimi domini Archiepiſcopi, Jacobo Giner, etiam commenſale, Jacobo Ros, Joanne Figols in ſacra pagina magiſtris, Joanne Roſel presbyteris, Beneficiatis dictæ Eccleſiæ Tarraconenſis, domino Onofrio de Scrivà in civitate Valentia, & Ludovico Jover domicellis in præſenti civitate Tarraconenſi domiciliatis, Michaële Joanne Zaporta, Ludovico Pons de Icart, Franciſco Oſorio, & Michaële Angelo Comalada, Jurium doctoribus, civibus Tarraconenſibus pro teſtibus ad hæc vocatis ſpecialiter & aſſumptis; & pluribus aliis in multitudine copioſa.

EDICTUM

Contra non reſidentes in parochialibus Eccleſiis aliiſque Beneficiis curatis, editum Barcinone 25. Novembris, anno MDLXV.

NOS Ferdinandus de Loazes utriuſque Juris doctor, divinâ clementiâ Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Tarraconenſis, attendentes & conſiderantes, in decretis ſacri Concilii Tridentini, ac præſertim in 1. & 2. cap. ſeſſ. 6. & in 1. ſeſſ. 23. fuiſſe ſtatutum, decretum, injunctum, atque mandatum omnibus & ſingulis rectoribus, vicariis perpetuis, & aliis quibuſvis Beneficia curata obtinentibus, ut continuam reſidentiam faciant, & perſonaliter reſideant in ſuis rectoriis, & beneficiis curatis, atque in perpetuis vicariis, ſub pœnis in dictis decretis contentis & expreſſis: cumque multæ, & variæ perſonæ ſint in hac noſtra provincia, prædictas rectorias, & Beneficia curata, atque perpetuas vicarias obtinentes, qui parum timentes Deum, & pœnam in dictis decretis ſtatutas, & impoſitas, in grave damnum ſuarum conſcientiarum, & in condemnationem ſuarum animarum non obſervârunt, neque adimpleverunt, quod illis decretis ipſis fuerat injunctum atque præceptum; dum abſunt à dictis ſuis rectoriis, ac Beneficiis curatis, & perpetuis vicariis, neque in eis reſidentiam faciunt. Tenore igitur preſentium, ſacro approbante Concilio, admonemus, dicimus, atque præcipimus omnibus & ſingulis rectoribus, vicariis perpetuis, & Beneficia cum cura obtinentibus in hac noſtra provincia, ut intra triginta dies immediatè ſequentes poſtquam hæ noſtrę literæ fuerint publicatæ, eant, & quilibet eorum eat ad regendum, & gubernandum perſonaliter præfatas rectorias, Beneficia curata, & vicarias perpetuas ſuas, ſub pœnis in dictis decretis ſtatutis, atque ordinatis, etiam privatis dictarum rectoriarum, Beneficiorum curatorum, & vicariarum; ut in eis, & ſingulis eorum unuſquiſque rector, vicarius, aut Beneficiatus perſonaliter inſiſtat, & illic ſuam continuam reſidentiam faciat, & inde non diſcedat, ſine ſui Prelati licentia petita & obtenta. Exhortantes, injungentes, & præcipientes omnibus & ſingulis Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, ut idem diligenter publicari, & efficaciter obſervari, atque adimpleri in ſuis Eccleſiis, atque diœceſibus faciant. Eadem quoque publicari, adimpleri, & obſervari mandamus in noſtra ſancta Eccleſia Metropolitana, ejuſque diœceſi. Datum Barcinone, 20. Novembris anno MDLXV.

Proœmium conſtitutionum Antonii Auguſtini Archiepiſcopi in Concilio Tarraconę celebrato anno MDLXXXIV.

QUÆ nuper in tertio Tarraconenſi Concilio ad ſacri Oecumenici Tridentini exſecutionem, & ad correctionem morum pertinere viſæ ſunt conſtitutiones, edi oportere duximus, quaſi appendicem quandam earum, quas ſub congruis titulis ſuperioribus diebus in vulgus dedimus; in quibus majorum noſtrorum piè & prudenter decreta in variis Conciliis hujus provinciæ, conſcripta collegimus. Hæc igitur omnibus & ſingulis, quacumque dignitates & honore fulgentibus, & innoteſcere, & obſervari mandamus; & in quibuſvis diœceſibus, ac territoriis ſuis omnes Epiſcopi, Abbates, Priores, & cęteri, ad quos ſpectat, Concilii Provincialis conſtitutiones publicare & exſequi ſtudeant. Parum enim prodeſt jura condere, & Concilia celebrare: niſi ea, quæ fuerint ſtatuta & condita, quamprimum & nota ſint, & inviolabiliter obſerventur.

In fine Concilii Tarraconensis ejusdem Antonii Augustini.

INterfuerunt huic Provinciali Concilio Episcopi tres, Abbates sex, Prior unus, Procuratores Episcoporum absentium duo, Dertosani, & Urgellitani; Syndicus Ecclesiæ Metropolitanæ Tarraconensis, & septem capitulorum Ecclesiarum Cathedralium; Syndici, & procuratores Abbatum absentium duo, & monasteriorum pastore carentium tres.

EPISCOPORUM NOMINA SUNT HÆC

Joannes Dimas Loris Episcopus Barcinonensis.
Joannes Teres Episcopus Helenensis.
Jacobus Cassador Episcopus Gerundensis.

OBSERVATIO.

POstquam aliqua præmisimus de magno illo Antonio Augustino, qui Hispaniæ Concilia ex parte colligenda curavit, & exigenda ad codices MSS. visum nonnulla quædam ipsius fragmenta, sive scripta adjicere, quæ ad nos misit eruditissimus & clarissimus vir D. Petrus Valero, summus Justitiæ Præfectus, & jam pridem Consiliarius Regius in supremo Aragoniæ Senatu, præter ea quæ initio ferè primi Tomi præmisimus. In iis verò fit mentio quorundam insignium virorum, qui eodem tempore laborabant in colligendis Conciliis, præsertim Hispaniæ. Quæ omnia instrumenta ne perirent, consultum voluimus hoc loci. CARD. DE AGUIRRE.

CL. VIRI ANT. AUGUSTINI

EPISCOPI ILERDENSIS

EPISTULA

De libris ad emendationem Gratiani necessariis, ac de nova editione Conciliorum, & Juris Pontificii collectione facienda.

AD GREGORIUM XIII.

PONTIF. MAXIMUM.

Beatissime Pater.

CUm ob Concilii Provincialis negotia abessem, redditæ mihi sunt Sanctitatis V. literæ, quibus me de libris ad emendationem Gratiani necessariis interpellabat, quorum indicem mittebat, & præcipuè de Ilerdensi Concilio, & Isidori volumine perantiquo, quod Cæsaraugustæ esse dicebatur: huc reversus, nihil antiquius habui, quàm ut, quo possem jussa Beatitudinis V. explere, omnem curam ac diligentiam meam adhiberem.

Ilerda post vetus illud Concilium, quod fuit scilicet Joannis I. Pontificis temporibus, sexcentos annos à barbaris Sarracenis occupata, nihil præter nomen antiquæ Ilerdæ retinuit; nullos veteres libros habet, nisi quos mecum attuli, aut quos postea emendos curavi. Cæteri quos hic vidi, aut esse audivi, annos CC. non excedunt antiquitatis.

Isidori Cæsaraugustæ volumen esse scio pervetus Etymologiarum; quod credunt Braulioni Cæsaraugustano Antistiti ab eodem Sanctissimo viro Isidoro missum. Ejus libri permulta exempla exstant, quibus non multum juvari potest Gratiani emendatio. Conciliorum, & Epistularum Pontificiarum Collectio ejusdem Isidori magis hanc provinciam adjuvaret, si plura in ea, quàm in editis voluminibus, aut minus mendosa exstarent. Nec despero propediem me aliquid assequuturum.

Cæterùm ex bibliotheca mea aliquot Pontificias Epistulas mitto, quæ ferè omnes Isidori temporibus posteriores sunt, & ejus temporis, cujus non multa exstãt monumenta literarum. Sed tamen his existimo nonnulla Gratiani capita, quasi membra quædam, suo loco avulsa, restitui posse. Ex Græcis voluminibus Jus Pontificum augere possem, & ad fontem, unde permulta manârunt, revocare: sed id quia Gratianus facere non cogitavit, vitio temporum quibus vixit, & his temporibus, quibus omnis doctrina expolita est, vix adhuc Juris Pontificii auditores, hunc sibi laborem addi, Græcæ linguæ addiscendæ patientur, in aliud tempus reservavi.

Concilia tamen, & hæ ipsæ Pontificiæ omnium temporum Epistulæ Decretales, quibus fons & origo continetur; (quia non Juris solùm nostri, sed & vitæ sunt, morum, ac Religionis Christianæ regulæ & constitutiones) ut utrâque linguâ quàm emendatissimè edantur, nunquam desinam omne studium, & cogitationem meam ponere. Cui rei magnam librorum copiam conquisivi; & quod adhuc privatorum studiorum causâ feci, id ut in publicam utilitatem redeat, operam dabo.

Esse tamen hanc provinciam video tanto & tam erudito Pontifice dignam, qui facilè posset curare, non solùm ut hæc omnia diligentissimè emendata edantur; sed ut nova Juris Pontificii collectio fiat, quæ omnibus partibus cæteras collectiones, infelici, ut ita dixerim, sæculo natas, exsuperet. Sed hæc cùm commodum erit Sanctitas V. cogitabit, & Remp. Christianam, ut solet, omni bonorum genere adjuvabit. De Gratiano quod potero, non desinam operam admovere, & mandatis B. V. omnibus in rebus obtemperare. Cura, Beatissime Pater, ut valeas,

ut

ut omnes poſſimus oves tuæ meliori noſtri parte bene valere. Ilerdæ Idibus Aprilis MDLXXIII.

Capitulos de IV. cartas de Don Antonio Aguſtin Obiſpo de Lerida, en el año MDLXXIII. para el Secretario Geronimo Zurita, que eſtava en Madrid: en orden à recoger varios libros de CONCILIOS, y de imprimir los de Toledo.

En carta de 28. de Enero, dixo:

SU Santidad me hà mandado que le haya libros de CONCILIOS de Eſpaña y Francia, que no eſten impreſſos, y de ISIDORO. Querria ſaber de U. M. d'onde ſe podran hallar: y exemplares de los Concilios recogidos por Iſidoro, y particularmente me pide el Concilio Ilerdenſe que anda impreſſo, ſi en libros de mano eſtà mas copioſo, porque Graciano cita algunos capitulos que no ſe hallan: hanme dicho es muerto el Obiſpo de Placencia, el qual tenia muchos libros antiguos, y Eſpecialmente de CONCILIOS, procure U.M. de verlos, ò la liſta, y ſino ſon confiſcados para el Eſcurial, vea ſi me puede haver algunos. Hame peſado mucho, que ſe nos haya perdido tan gran Prælado, y antes que goçaſſemos de ſu govierno. Promete Fulvio * embiar un libro de Dion, que ſe ha hallado poco hà delos poſtreros de ſu Hiſtorico. eſto baſte ahora. Yo me voy à Tarragona, y de alli à Lerida: U.M. no dexe de continuar el eſcrivir, y el negocio de los Concilios del Señor Preſidente, y aſu hermano mande dar ſus beſamanos. Nueſtro Senor guarde à U.M. en Barcelona à 28. de Enero MDLXXIII.

En carta del meſmo Señor D. Antonio Aguſtin para Zurita, eſcrita en Zaragoza à 12. de Octubre del año MDLXXIII.

Aqui he venido ſin penſar al cabo de 38. años de auſencia, y me parto mañana. Recivi una de U.M. del primero de eſte mes con las del Señor Obiſpo de Cuenca, al qual darà mis beſamanos. Huelgome que el Chronico * eſtè tan adelante. U.M. melo mande embiar como ſea acabado, que me ſervirà mucho para una hiſtoria de Concilios, que tengo comenzada.

En carta eſcrita en Lerida à 10. de Setiembre de MDLXXIII.

Antonio Gracian me embia ciertas memorias de libros de S. Iſidoro, que ſon buenos para lo que es aquel Autor: querria que acabaſſen de qualquier manera: y tambien prometen imprimir ciertos Concilios de Eſpaña nunca viſtos: y ojala que lo haga eſto preſto. dicen que va à coſta de la Igleſia de Toledo, y que pone mano en ello el Doctor Garcia Loayſa, Arcediano de Guadalaxara. Creo que ſerà coſa de ver: hallando U.M. ocaſion, no dexe de ayudar à ſolicitarlos, y querria yo paſſar los ojos por ellos antes que ſe impriman.

De mi obra, aunque tengo poca eſperanza, no dexo de proponerla como coſa mas heroïca, y digna de la grandeza de ſu Mageſtad. Embiole la liſta de mis libros de mano Griegos, por moſtrarme mas liberal que pedigueño, como ſiempre lo hè ſido: podrà ſer que aproveche; y ſino, yo harè como Hernando Colombo, que tratarè de valerme de otros Principes ſin deſnaturalizarme; que no me contenta lo que hazian en las hiſtorias de Caſtilla los Cavalleros.

Del miſmo Don Antonio Aguſtin à Geronimo Zurita, ſiendo ya Arçobiſpo de Tarragona, à 14. de Mayo MDLXXVII.

Por cauſa de lo que me embian à conſultar de Roma ſobre el Decreto de Graciano, U.M. melo embie con perſona ſegura à Zaragoza ò Barcelona, que me harà mucha merced.

ANT. AUGUSTINUS
EPISCOPUS ILERDENSIS
LAURENTIO SURIO
CARTUSIANO SALUTEM.

Interpellatus à Gallis & Germanis de Conciliis Græcis & Latinis edendis, reſpondet: cenſuram editionis Surianæ facit, & formam optimæ editionis proponit.

QUamvis nos longo terrarum intervallo abeſſe fecerit natura, charitas tamen Chriſti, & ejuſdem verus amor atque ſtudium, ut multis prodeſſe poſſimus, tenaci nos vinculo adſtringit, quaſi ejuſdem patriæ cœleſtis cives, in quam tendere undique nos oportet, ſi rectè ſapere velimus. Gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ V. Idus Martias datæ, in quibus mihi animi tui deſiderium exponis in edendis à Calenio tuo Græcis & Latinis Conciliis, tam quæ apud me ſunt, quàm quæ, ut arbitraris, apud Toletanum Antiſtitem, ut ad te delatum fuerat: in eoque totus es, ut Latinam editionem amico huic tuo deferamus, Græcam Rovillio. Interpellavit me quidem ante aliquot annos Rovillius, ut ei aliquid, quod aptum eſſet, vel Juris civilis, vel Juris Pontificii, editioni, quam parabat, mitterem. Reſpondi quod viſum eſt, moxque eum majora ut cogitaret admonui, eique narravi totum hoc de edendis Græcis Latiniſque Conciliis, conſilium. Me illi ſubminiſtraturum tot librorum volumina, ut octo facilè fierent, aut fortaſſe plura, auxiliumque pecuniarium adjeci, & ſpem habere, vel Eccleſiam Toletanam, vel Regem noſtrum Catholicum, vel Romanum Pontificem tanto talique auxilio futuros. Reſcripſit ille, valdè placere argumentum Operis; ſed opus eſſe majori ſumptu, quàm quod ipſe præſtare poſſet; præſertim cùm careret Græcis figurarum notis, & miniſtris idoneis, qui Græca ſcirent; tamen cum amicis collaturum rem tantam, & mihi reſponſurum.

Poſt aliquod tempus iterum ſcripſit habere,

qui

* Vrſino * *Sequitur de Chronico illo Græco M. S. quod Surita Meſſanæ reperit: ac poſtea Chronicum Alexandrinum ejt dictum*

qui Concilia edere vellant, præſertim Latina: Græca quoque edituros ſi haberent prædictos apud ſe libros, quos tutò ad eum mittere poſſem. Reſpondi me nolle in periculum certum committere libros ob incertum editionis: quia tamen multi forent, quis eſſet plus minuſve paginarum Græcarum numerus, ex Latinis perſpici poſſet, Quid enim, inquam, opus eſt inſpicere, Quartam, Quintã, Sextam, & Septimam Synodum Græcam, ſi totidem verbis Latinè exſtent, inter quas non erit viginti paginarum differentia. His literis reſcripſit ſibi valdè difficilẽ editionẽ videri, in qua tot eſſent Græcè edenda.

Iterum à Franciſco Turriano, qui Romæ habitat, unus ex Societate nominis Jeſu doctus & pius vir interpellatus ſum, ut Colonienſem iſtam tuam editionem juvaret. Dixi me libenter, & libros daturum, & pecuniam erogaturum, & curaturum ut nobilis quidẽ, & doctus vir Garſias Loaïſa, Archidiaconus, & Canonicus Toletanus, quem multa ex veteribus libris Toletanæ Eccleſiæ habere ſciebam, quibus hæc fierent acutiora, idem faceret. De Rovillio quoque dixi me cogitare futurum editionis ſocium: ita enim poteram ex illius literis mihi polliceri.

Hæc ad te fuerunt, ut video aliqua ex parte delata, aliqua minus verè conſcripta, cujuſmodi ſunt, quæ de Toletano Antiſtite ſcribis pro Canonico Toletano. Sic etiam de Rovillio habe, me cum illo nihil aliud tranſegiſſe, & Calenio poſſe totum negotium committere. Moleſtè autem in literis tuis legi, carere vos etiam iſthic Græcis typis, quibus in ea editione eſſet utendum: quòd ſi ſic indigetis, petatis aliunde, ſive ex Belgio, ſive ex Gallia, ſive Venetiis. Occurrendum eſt in arduis rebus omni difficultati. Quod verò adhortaris me, ut mittam libros inſpiciendos Calenio, idem reſponſum putes quod ſuprà dixi me Rovillio reſpondiſſe, eò etiam magis, cùm vos longiùs abſitis quàm Rovillius, & hinc Lugdunum multis mercatoribus trita ſoleret eſſe via ante hæc Gallorum bella inteſtina ſive civilia nuper Lutheranorum factionibus orta; at Coloniam, quà mittam libros, vel quibus dem non habeo. Venetias tamen cogito, cùm de cæteris inter nos conveniet, eos mittere.

De Garſiæ Toletani libris nihil polliceor, niſi priùs ejus animum tentavero. Audio eum exemplum quoddam Romano Pontifici deſcribendum curare. Id perfecerit ne an miſerit, an imperfectum reliquerit, mihi incertum eſt, ſed ſuſpicor Opus urgere ſuum. Fingamus illum conſentire nobiſcum: nihil ab eo Græcum habebimus, Latina pauca: nunquam edita Concilia Toletana, & Emeritenſe quoddam, cujus exemplum miſit: habebimus etiam verum Iſidori Proœmium, cujus exemplum ad me miſit ante biennium: nihil habet inſumptum ex Epiſtulis Romanorum Pontificum ante Damaſum Pontificem; Damaſi autem habet unam atque alteram Epiſtulam, nihil poſt Gregorium Juniorem, cætera dicit ſe inveniſſe. Emendatiora in veteribus libris, quàm in editis; & quod pace tua, mi Laurenti, dictũ ſit, SURIANAM editionem Conciliorum ſemper ferè magis mendoſam eſſe affirmat, quàm reliquas. Non diſſimilis querela de te Romæ eſt, deque tua Caleniana editione Conciliorum inter eos, qui Gratianum mendis expurgare conantur, ut ab uno atque altero per literas cognovi. Nos quoque invenimus quædam, quæ in aliis editionibus meliùs conſcripta, fuerant mutata, in ea præſertim collectione, quæ poſita eſt poſt Lateranenſe Concilium Alexandri III. quod in Notis ad antiquas Collectiones Decretalium neceſſe mihi fuit ſigillatim enumerare. Hæc tamen me non moverint, quominus te auctore, vel duce, vel comite, Calenio tuo utar.

Sed age, diſpiciamus quid primùm aggrediamur. Tu nihil mutandum ex editis cenſes; ſed addenda alia, quæ nova ſunt. Addis eam rationem, quam non rejicio, ne duplici ſumptui cogantur ſinguli ſe ſubjicere. Erit igitur tua editio priùs emendanda in ſingulis verbis, & in ſingulis literis ſæpiùs morandum, quod ſi ſæpiùs acciderit, lector deterrebitur, & moleſtum eſſe arbitrabitur, noſque pro conſiliis Scholia Conciliorum edemus, quod minimè deſideramus. Quid quod ſæpè eveniet, ut ejuſdem capitis veteribus unam atque aliam editionem novam addere velimus: Si omnes in conſpectu ſimul offerantur, adjuvabunt magis; ſi ſeparentur ut prætermiſſa à meſſoribus, ſive à vinitoribus minus placebunt. Græca autem me auctore in eandem paginam cum Latinis conjuncta doctum lectorem, aut ſtudioſum, mirum in modum juvabunt, rejecta minus utilia erunt, ſed in hoc me vinci patiar, & dabo aliquid librariorum commodo.

De his autem ſingulis, quo in primo volumine, aut edita ſunt, aut edi poſſe mihi videntur, ſic habeto. Principiò Iſidori Prologus videtur eſſe neceſſarius: iſque duplex: omnes enim veteres Conciliorum Collectiones habent eum Prologum, ejuſque mentio fit, atque adeò pars refertur ab Ivone Carnotenſi, & à Gratiano in Decretis. Duplicem eſſe Prologum facilè ex ejus lectione apparebit, qui tam in veteribus Toletanæ Bibliothecæ libris, quàm in aliis Regiæ Bibliothecæ Philippi Regis Catholici legitur, ſi eum contuleris cum edito in aliis Collectionibus Conciliorum. Nam quamvis initio utriuſque ponantur verba Iſidori Hiſpalenſis, ſumpta ex libris Etymologiarũ, mox ſunt apertè contrariæ, ſentẽtiæ, cùm in altero Canones Apoſtolorum laudentur, in altero reprehendantur. Sic etiam de aliis Nycenæ Synodi capitibus, præter Græcos Canones viginti, nihil in veteri Prologo eſt; ſunt quædam in edito extrema adjecta, quæ etiam hanc eandem differentiam conſtituunt. Poſtremò, quòd in veteri nulla mentio eſt veterum Clementis, Anacleti, & aliorum ſanctiſſimorum Patrum Conſtitutionum, quarum mentionem fieri videmus in edito Prologo.

Quamobrem illud quoque deprehendi facilè poteſt, duplicem fuiſſe olim Conciliorum &

Pon-

Pontificiarum Epiſtularum collectionem, in quarum altera Apoſtolorum Canones nulli eſſent. Omneſque ante Damaſum Epiſtulæ Pontificum deſiderarentur, nihilque diceretur de illis Canonibus Nicænis ex Julii Epiſtula ad Orientis Epiſcopos: in altero hęc] omnia eſſent conſcripta. Caruiſſe enim pleroſque veteres ſcriptores illis Epiſtulis, aperta res eſt. Huc accedit quod de corpore Canonum dicitur à Nicolao & Leone IV. apud Gratianum diſtinct. 19. & 20. fuiſſe enim conſtat aliquando apud Latinos eum librum, cujus exemplum Moguntiæ editum eſt ante annos quinquaginta, ſine hoc verò titulo, *Corporis Canonum*.

Et tamen hæc differentia inter Corpus Canonum, & Collectionem Toletanam Conciliorum, quòd in altero ſunt Apoſtolorum Canones L. in altera nulli ſunt. Hæc mihi neceſſaria viſa ſunt, ut oſtenderem neceſſariam eſſe utriuſque Prologi mentionem, & rem hanc lectionibus cognitam efficere, ut ſimul agnoſcant has duplices Collectiones conjunctim proponi.

Sequitur hiſtoria majorum Conciliorum ex Photio, cujus ego habeo Græca verba, quæ cùm edentur, oſtendent Latinum interpretem multa ineptiſſimè convertiſſe. Ego tamen ex aliis libris Conciliorum omnium hiſtoriam ac tempora collegi, quæ cùm edenda putavero, mittam; nec præteribo verſiculos illos qualeſcumque Pſelli de Synodis, alioſque non meliores Latinos ex veteribus libris. Tertio loco de Clementis Apoſtolicis Conſtitutionibus agendum eſt: ſed non diſplicet, ut poſt utrumque Iſidori Prologum collocentur Epiſtulæ duæ Aurelii Carthaginenſis ad Damaſum, & Damaſi ad Aurelium, quibus mentio fieri videtur alicujus antiquæ Collectionis Conciliorum, & Epiſtularum Pontificiarum. Quas Epiſtulas, quando ita reperiantur in Iſidori Mercatoris, ſive Peccatoris Collectione, non eſſe omittendas cenſeo.

Ad Clementis librum illum redeo, unde fons emanat Canonum Apoſtolorum. Edi eum Græcè oportere exiſtimo, ut cætera omnia quorum fontes Græci ſunt. Editus eſt Græcè liber operâ & ſtudio Franciſci Turriani: qui etiam rogatus dabit verſionem Latinam non minùs elegantem, quàm ea quæ edita eſt à Carolo Vevio; multaque notavit plura, quæ ad illuſtrationem ejus operis ſunt accommodata. Sed quia Canones Apoſtolorum illic alia ratione numerantur, quàm in Græcis aliis, Latiniſque libris, poſt Clementis Conſtitutiones iterũ Canones XXCI. Græci Apoſtolorũ collocentur, ut in Joannis.... editione, quam ego cæteris præfero, addantur Canones L. Latini, quorum interpres Dionyſius Exiguus. Ejus verba ſive Præfationem ad Stephanum Epiſcopum initio collocemus, quam ex Vaticano libro deſcripſimus.

Nos etiam Latinum librum Canonum Romæ habuimus annorum plus minus DCCC. ejus libri variam ab editis ſcripturam notavimus: Græcum item:::: editionis codicem cum veteri Veneto libro collatum à docto viro Nicolao Sophiano habemus: ejus etiam varias lectiones mittere poſſumus.

Accedet locorum Juris Pontificii ſignificatio valdè diligens in omnibus Conciliorum voluminibus: ſexcentis enim mendis deprehendimus ſingula volumina eſſe mendoſa, multa deſiderari quæ addemus, multa tollemus malè collocata. Ex Burcardo etiam & Ivone aliqua quæ neque apud Gratianum ſunt, neque in Decretalibus, notabimus.

Redeo ed ea, quæ ordine] collocanda cenſueram poſt Conſtitutiones Apoſtolorum Clementis. Aptè autem ſequentur ejuſdem Clementis Epiſtulę. Solet tamen à quibuſdam addi de variis Apoſtolorum Conciliis: id, quia ex ſacris libris tantùm ſumunt, omittamus cenſeo: noſter enim labor ad ea, quę poſt ſacros libros acta ſunt, refertur.

Addi etiam ſolent de Primatu Romanæ Eccleſiæ loci aliquot communes. Id ſumitur ex illo Moguntino corpore Canonum; non quòd pars ſit ejus corporis, ſed quaſi corollarium à Joanne Veldenbrino adjectum eſt. Joannis autem verba ſeparanda ſunt ab aliis ex veteribus libris accepta: eorum initium eſt: *Sufficerent quidem iſta &c.* Hujus libelli nullam haberem rationem, niſi noſtrorum temporum calamitas cogeret nihil omittere hujus argumenti, in quo cardo ferè noſtrarum controverſiarum vertitur; habeo autem antiquum ejuſdem libelli exemplum ſcriptũ ante annos CC.

Ante Epiſtulas Clementis, Damaſi Pontificalis initium ſcribi placet, & Petri, Lini, Cleti, atque Clementis Vitas lectoribus oſtendi: nihil enim Latinis literis certius habemus in Pontificum Hiſtoria: hujus etiam libri habui aliquando vetus exemplum, & cum eo ſingulas omnium Pontificum Vitas contuli: varias lectiones mittere poſſum.

De Clementis Epiſtulis dicendum eſt, eam deſiderari quæ à Beato Hieronymo laudatur; eas exſtare quę à Ruffino, parum fido interprete, verſæ dicuntur: Eſſe etiam quaſdam partes ſumptas ex libris recognitionum, negare non poſſumus. Has, & cæteras, quæ ſequuntur, inveniri in Collectione Iſidori Peccatoris certum eſt. In his uſque ad Cornelii Epiſtulas pauca notavimus tantùm in Vitis Pontificum à Damaſo conſcriptis. Varias quaſdam lectiones in ipſis Epiſtulis, quæ partes earum referantur à Burch. Ivone, & Gratiano, & aliis ſcriptoribus. Cornelii Epiſtulas veras ac certas, quibus nihil objici poſſit, habemus ex Cypriani libris. Alia quædam ab eodem Cypriano mutuari oportet, & lectoribus proponere: ut ſtatum Romanæ Eccleſiæ partim à gentibus, partim à Novato, & aliis ſchiſmaticis, atque hereticis divexatum agnoſcant.

Illam autem pſeudo-ſynodum Beati Martyris Cypriani, quæ cogit baptizare hęreticos pœnitentes, habeo etiam Græcam: ſed ut verum fatear, neque Græcam, neque Latinam uſquam exſtare maluiſſem. In ea tamen accepi Nova-

tum & alios hæreticos damnatos: quæ pars ſola obtinuit vim ſuam.

Fuerunt aliæ Synodi adversùs Novatum, item de Paſchate, necnon adversùs Paullum & Simonem Coriarium, & alios hæreticos, quas nos in hiſtoria Conciliorum collegimus.

De Antiochena adversùs Paullum, certum eſt quòd ſcriptum invenimus, aliam eſſe atque eam, quorum Canones exſtant: hæc enim poſterior fuitNicæna Synodo,illa multò antiquior, ſub Aureliano, ut opinor, Imp. His adſcribenda eſt Sinuëſsana Synodus adversùs Marcellinũ Papam. Sic paullatim pervenimus ad nobiliores Synodos,quę paullò ante Synodum Nicænam, aut ſtatim poſt eam fuerunt; quas ita Oriens Occidenſque amplectitur, ut pro Jure Pontificio habeantur. Has edi Græcâ & Latinâ linguâ opus eſt.Habeo utriuſque linguæ varias lectiones, & concordiam Juris noſtri Pontificii diligentem: habeo etiam alias editiones quorundam capitum, & totius Concilii Sardicenſis, quod Latinè editum fuiſſe ait Dionyſius. Sic etiam Chalcedonenſis & Carthaginenſis habeo multorum capitum alias editiones.

Sed & Nicænæ Synodi partem Actorum Græcè nunquam editam, in quibus ſunt aliquot cum Philoſophis diſputationes, & conſtituta quædam. Notare etiam poſſum varias horum Canonum Latinas editiones: pleroſque etiam Canones fuiſſe Julius notat, numeroſque addit eorum Canonum. Ego pleraque ſumpta eſſe ex Codicis Theodoſiani interprete inveni, ut dixi in Notis. Adriani Epiſtulam, de qua alibi dicam. Hæc pars Græca Concilii triginta chartas occupabit,totidem poſtea Latina interpretatio, quam nondum ſumus adorti: ſuſpicor vobis non defuturos interpretes cùm edentur. Sed priùs quàm librum mittam, certior à vobis fieri debeo,nihil omiſſuros eorum quæ miſero, quin quamprimùm edantur. Vereor enim, ne vos tan multa Græca deterreant,ut Rovilium Lugdunenſem.

Acta enim octo Synodorum habeo, quæ typis veſtris, aut aliorum edi cupio. In his, quæ ſunt poſt Tertiam Synodum uſque ad Octavam Florentinam. Latina exſtant,exceptâ alterâ octavâ ſub Joanne VIII. Tertia Synodus Latinè editur in Gallia: ut à me ſcriptum eſt:ego habeo Græcam, quod magnum atque præclarum volumen eſt. Si aliena interpretatio placebit, eâ utemur; ſin minus, aliam afferemus, aut quædam tantùm mutabimus. Hæc de Græcis. Latinas polliceor me miſſurum Epiſtulas multorum Pontificum, ex uno codice decem Pontificum, Innocentii, Zoſymi, Leonis, Simplicii, Gelaſii, Simmachi, Hormiſdæ, Joannis, Agapeti, Vigilii: aliorum undecim Pontificum ex altero codice, Honorii,Martini, Eugenii, Agathonis, Nicolai I. Nicolai Junioris, Alexandri II. Gregorii VII.Urbani II.Paſchalis II. Innocentii itẽ II.Canones octavæ Synodi contra Photiũ,ſub Hadriano II. Anaſtaſio Bibliothecario interprete.CanonesConcilii Turonenſis ſub Alexandro II. Acta Lugdunenſis ſub Gregorio X. Regiſtrum Nicolai I. Romæ editum.Regiſtrum Innocentii III. Romæ item editum; in quo anni primi & ſecundi literæ continentur. Hæc omnia mille opinor occupabunt chartas.

Quod ad rem nummariam attinet, polliceor me daturum aureos mille tribus penſibus æquis: primam penſionem mittam cum parte librorum Græcorum,alteram poſt primum volumen editum, tertiam cùm poſtremum volumen edi cœperit.

Mitti tamen ad me volo tantam exemplarium quantitatem, quanta ea ſumma pecuniarum effecerit. Mittentur autem & pecuniæ & libri ad Thomam Zornozam Hiſpanorum Conſulem Venetiis. Eidem libri editi dabuntur à vobis,aut pars librorum,quę dari poterit. Romam verò literas ſcribam per amicos meos,vos adFranciſcũ Turrianũ vel alios ex Societate, eadem mittite. Que de Garſia Toletano habuero, ad vos quamprimùm referam. Cura ut valeas. Ilerdæ, nonis Septembris, anno MDLXXV.

Scriptis ſuperioribus, venit in mentem mihi ita poſſe editionem aptè fieri, ut uno volumine, aut ſummùm duobus, conſcribantur ea omnia quę Græca ſunt,aut eſſe debent in Conciliis: idque, ſi placet, appelletur quintum volumen Conciliorum. At ſexto,vel alio volumine,comprehendantur quæcumque Latina adduntur aliis voluminibus. Cum Græcis autem conjungentur interpretationes præſertim variæ, quod maximè in Canonum interpretatione accidit. Actorum interpretationem omittere poſſumus, ſi ea rectè ſuo loco edita eſt.

Cartas de Don Antonio Auguſtin, Obiſpo de Lerida, y electo Arçobiſpo de Tarragona, para el Maeſtro Juan Bautiſta Perez, Canonigo que fue de Toledo, y Obiſpo de Segorve, eſcritas en Lerida à 13. de Julio MDLXXVI.

LOS libros antiguos de Concilios de Eſpaña que he viſto, ſon en Tarragona algunos Concilios Provinciales hechos alli, y muchas Conſtituciones antiguas y nuevas, y eſtas ſe han impreſſo debaxo de titulos. No ſe ſi tendrà ſu S. R. eſte libro,

Tambien paſsè eſtando alli dos volumenes de un proceſſo que ſe hizo el año MCCXXXIX. en tiempo de Gregorio IX. el que hizo las Decretales, ſobre un pleyto que huvo entre el Arzobiſpo de Toledo, y el de Tarragona, ſobre el Obiſpado de Valencia,que ſe ganò en aquel tiempo, y para fundar ſu intencion cada una de las partes de diverſos Concilios y libros de Eſpaña, y dicen de que libro lo ſacan, y procuran de averiguar ſi era verdad, que en aquellos lugares eſtavan aquellos libros antiguos, y aquellas palabras en ellos, y ſi eran libros antiguos. Pareceme, que ſon algunos de eſtos, que hoy ſe hallan en la libreria Real de San Lorenzo, y otros ſon de otras partes, como ſe verà por el memorial que irà con eſta.

Alli

Alli eſtà una diviſion de Obiſpados de Eſpaña, con ſus mojones, aunque no eſtà tan entera como en la Hiſtoria general del Rey Don Alonſo el Sabio, y me parece, que aunque dice que ſe hizo en el Concilio de Toledo XI. del tiempo del Rey Bamba, no concuerda con los Actos de aquel Concilio impreſſos, ni con lo que dice del el Arzobiſpo Don Rodrigo; antes los que reſponden à eſta diviſion, dizen que es eſcritura ſacada de Moros: y tengo ſoſpecha que ſea de aquel libro que pone un Portugues, dicho Andres de Reſende (en un libro de antiguallas de Ebora) que dice que compuſo Raſis Chroniſta de un Miramamolin de Marruecos un libro de coſas de Eſpaña, y que le traduxo otro Moro dicho Mahamet en Portugues, juntamente con un Portugues dicho Gil Perez, antes del año MCCCL. ſegun ſe ſaca de lo que dize de eſte Gil Perez, y que alli ſe trata de eſta diviſion de Obiſpados del tiempo de Conſtantino: y de la dicha diviſion de Bamba haze mencion el Reſende, como de coſa diferente.

Quanto à la merced que me haze ſu Señ. Reverendiſs. de la copia de los Concilios que ſe embiaron à Roma, yo la recibo por ſeñalada merced. Entiendo que allende de los cinco Toledanos, y un Emeritenſe, ha de haver un Ceſarauguſtano, que no eſtà impreſſo, ſegun que me eſcriviò Ambroſio de Morales, y me embio algunas palabras, ò ſumario del.

U.M. procure cobrandoſe el libro de ſacarle, aunque es coſa poca, y tambien el Tratado que U.M. llama *Excerpta Canonum*, que unos dicen ſer de Iſidoro, y U.M. dize que es de Juliano Toledano; no ſe ſi entiende por el que dizen Juliano Pomerio, y fue deſpues de Iſidoro.

De aquel libro de Raſis Moro, ſi U.M. ſabe por otra parte, ò ſi del miſmo Portugues ſe pudiere haver una copia, U.M. la procure, que por otros Portugueſes, que aì habrà, ſe podrà alcanzar.

Los Concilios, de que ſe pone alguna parte en aquel proceſſo, ſon el Toledano III. y el XI. y el XIV. hay tambien algunas copias de diverſas Bullas, y de otras eſcrituras, ſegun lo que yo ſaquè del.

De los libros de Concilios, cuya liſta embio, querria ſe hizieſſe diligencia particular en el de San Zoïlo de Carrion, quæ aquel ſolo libro le nombra con titulo de Iſidoro Junior.

Eſte proceſſo entre Tarragona y Toledo de raçon ſe havia de hallar en el Archivo de la Igleſia de Toledo, y allà lo podia ver el ſeñor Arcediano Loaïſa, para quien ſe hace eſta diligencia, ſegun yo ſoſpecho.

II. Carta del miſmo Arzobiſpo para el Maeſtro Perez, en Lerida, à 30. de Agoſto MDLXXVI.

CON la de U.M. del poſtrero de Julio holguè mucho, y con los quadernos de los Concilios Toletanos, y Emeritenſe, y con los dos Ceſarauguſtanos. En los dos poſtreros quadernos hay error, que viene el XVII. Toletano partido en dos partes, y la primera donde no hay mas de un Canon, y ſubſcripciones, ſe dize ſer fin del XVI.

Tras el Emeritenſe ſe pone el II. Canon, y otros del XVII. ſin ſuſcripciones: no ſe ſi eſtà aſſi en el original. Falta tambien el XIIX. Toletano, aunque el Arzobiſpo Don Rodrigo dize, que no eſtava in Corpore Canonum: y me parece, quæ en el Regiſtro de Innocencio III. ſe dize, que el Emeritenſe no era authentico, porque no eſtava en ningun libro authentico de Concilios; y por haver en el mala latinidad; y porque era hecho en tiempo que ſe celebrava el Concilio Toletano XI. quæ era General, y hace un Canon contra el General Roderico del Primato. Es verdad, quæ por otra parte ſe reſponde, que es authentico, por que eſtà con otros Concilios en el libro *Corpus Canonum*, al qual libro el Papa Alexandro en una interlocutoria llama authentico. De eſta interlocutoria yo no tengo noticia, aunque de otro libro dicho *Corpus Canonum*, trato [a] en el libro de mis antiguas Decretales, y en aquel no hay Concilios Latinos, ſino en el Africano, y el Sardicenſe.

Faltan todos los de Eſpaña, y Francia, y Italia, y Alemania, y todas las Epiſtolas de Papas ante Siricio, ò Damaſo. En los libros impreſſos vemos tambien que faltan eſtos Eſpañoles, que U.M. me hà embiado, y otros muchos de otras partes, quæ citan Gratiano, Ivon, y Burcardo.

Los del tiempo del Concilio I. Ceſarauguſtano de Severo Sulpicio tengo por buena conſideracion; aunque es mucho mal, que no ſe halle la condenacion de Priſciliano, ni los nombres de la diocеſis de los Obiſpos que eſtuvieron en eſte Concilio: como tambien faltan los nombres de las Igleſias de los del Ilerdenſe: del qual ya tenia notada la Era por otros exemplares; mas no ſabia lo que U.M. eſcrive, que por Theoderico ſe hà de eſcrivir Theudo, como eſtà en el libro Lucenſe.

El Juliano Pomerio, como U.M. dice, diferente es del Arzobiſpo Juliano, ſegun la Hiſtoria de Don Rodrigo; aunque el dize que fue Obiſpo, y eſto no lo dice Iſidoro, no pudo ver mas Concilios, quæ èl: y aſſi eſſa tabla ò libro no puede ſer de Pomerio, ni de Iſidoro: Para que ſea de Juliano Arçobiſpo, no veo que U.M. trayga provanza concluyente, ſino dezir que fue hombre docto en aquellos tiempos.

En eſtas Vidas de Iſidoro, eſtan las de un Idacio, y de otro Itacio. Yen la de Idacio ſolo haze mencion de lo que hizo contra Priſciliano, pero nombra à Urſatio por ſu compañero, lo qual es contra la opinion de U.M.

En lo que toca à la diviſion de Bamba, U.M. da muchas ſeñales de ſer coſa nueva, y fingida, y tanto mas me confirmo, que ſea de Moros. Procure U.M. llegar al Cavo del Raſis, y ſi eſtà en la corte el que eſcriviò ciertos libros de Africa, que creo * ſe dice Marmol, que parece hombre leido en libros Arabigos, el podria ſer

[a] Et quidem honorificè de Hiſpanis Iuris Canonici authorib. pronũcians. Nam ad Gregoriũ XIII. ſic præfatur: In primis laudãdi ſunt Iſidori Hiſpani duo qui & Pontificum Romanorũ Epiſtulas, & omniũ Conciliorum decreta collegerunt; Hos ſequuta eſt brevior Canonum collectio cui titulus fuit: *Corpus Canonum*, cujus Nicolaus & LEO IV. apud Gratianum diſt. 19 & 20. mentionem faciunt, eã nuper Moguntiæ editã vidimus. Hos poſſumus *Fontes Iuris Pontificii apud Latinos* appellare. Hæc ibi diſſerebat in editione Ilerdenſi. At de eodem libro & ejus differentia à *Tolctana collectione Conciliorum* in Epiſtula ad Laur. Surium plenius diſſeruit.

* Ludov. Marmol. patria Granatenſ. deſcriptionẽ Africæ ediderat Granatæ anno 1573. duas deinde partes edidit aliaque opuſcula.

que ſupieſſe donde eſtà eſſe libro, ò quien le tuvieſſe, y no ſeria tan dificil el Maeſtro Ambroſio de Morales, que no reſponda à quien le preguntare eſto ſolamente, ſi Raſis pone la diviſion de Bamba, ò de Conſtantino, de los Obiſpados de Eſpaña.

* Carta de Ambr. Morales à Ant. Auguſtin. Veaſe lo que el miſmo puſo en el lib. 12. cap. 12. de la Cronica que imprimio el año ſiguiente 1577.

Ami me embiò * una copia de un Concilio Toletano ſub Gundemaro Rege, tomado del libro del Eſcurial eſcrito por Vigila, que comienza: *Licèt Regni noſtri cura &c.* que trata del Primado de Toledo, y alli ſe haze mencion de otro Concilio ſub Euſemio Epiſcopo. eſtà firmado del Rey, y de Iſidoro Hiſpalenſe, y de muchos otros Obiſpos: y deſpues hay otro Concilio quæ eſtà tambien en el proceſſo de Tarragona, y comienza: *Convenientibus vobis in unum &c.* y hazeſe mencion de otro Concilio ſub Montano Epiſcopo: pone en la fecha la Era DCCXIX. y dice Morales que eſtà errada en mas de cien años: y en Tarragona dice era DCXLVIII. anno I. Gundemari Regis: hay firmas de muchos Obiſpos: deſpues hay tres libellos, que llaman: *Suggeſtiones &c*

Yo creo que U.M. habrà viſto eſtos Concilios y ſabrà decir ſi ſon falſos ò verdaderos, y de quales Concilios ſon de los que tenemos. Las varias lecciones ſino ſe pueden ver, no las quiero, ni que U.M. reciba dello peſadumbre: bien holgara, que U.M. ſe alargara mas en decir donde eſtan los libros de Concilios del Catalogo, quæ yo embiè, ò de los 14. quæ U.M. dize: y querria tener noticia ſi alguno de ellos tiene las Epiſtolas de Clemente, y de los demas Papas antes de Damaſo. Alo que yo entiendo haſta ahora quatro hay en la libreria Real, y dos en la de Toledo, y en niguno hay las dichas Epiſtolas.

HIERONYMUS SURITA ANTONIO AUGUSTINO

ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI OPTIMO ANTISTITI.

QUantum priſcæ vetuſtati ad magnas res conficiendas, juſtiſſimis de cauſſis in omni artium doctrinarumque ſtudio ſemper detuleris, optime Antiſtes, ſummo hujus ſeculi beneficio, perpetuæ tuæ lucubrationes ſine ulla intermiſſione teſtantur. Hanc te unam venerari & colere, ſupraque oblectationem omnem, & humanarum curarum requiem ſuſpicere novimus: quam ſemper admirari, & in omnium proſpectum, cùm maximas Legationes Reipublicæ cauſsâ obieris, producere merito jure concupiviſti: cùm ejus affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad ea quæ in tantis horum temporum calamitatibus (quibus tot terrores periculaque jam adeſſe, atque imminere videntur) univerſæ CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ maximè conducunt, ſummè profeceris: & adversùs impiam hæreticorum contumaciam, qui Eccleſiam ſanctam Catholicam (quam divina providentia afflictam ſemper excipit, corruere nunquam ſinit) perfidiâ violare, & reliquas piorum gentes ſacrilego ſcelere contaminare nituntur, in eo officio quod præcipuè tuum fuit, enixè ad Dei gloriam provideris atque conſulueris.

Illud certè majorum vigiliarum munus, quod ad ſummam virorum doctrina præſtantium exiſtimationem dimanavit, à te graviſſimi & literatiſſimi viri requirunt, atque efflagitant, quo innumerabilia SANCTORUM PATRUM & SUMMORUM PONTIFICUM ſcita, atque DECRETA, & SACRAS SYNODOS obliteratas, in tot VOLUMINA retuliſti, ut ſingulari tua aſſiduitate & vigilantia, cùm te totũ ad SACRARUM CONSTITUTIONUM SERIEM, & veritatem illuſtrandam traduxeris, quam maximus CANONICIS SANCTIONIBUS atque DECRETIS cumulus acceſſerit.

In eo præterea te vehementer omnes admirantur, quòd in graviſſima & perpetua ſacrarum ſanctionũ commentatione, DOCTRINARUM omnium ſtudia promovere, & aſſidua ac vehementi occupatione omnem conatum in contemplatione rerum, & LIBERALIUM DISCIPLINARUM ſcientia collocare ſoles: & non ludis & feriis, quod ſtudioſiſſimi viri aſſolent, aut quod ajunt, ſubciſivis horis, ſed omne id tempus quo vitam vivimus, & maximè expeti & ſuſtentari conſuevit, & communi ſpiritu fruimur, remiſſioris LITERATURÆ ſtudiis, tanquam allevamento quodam, & laxamento, tribuere nunquam intermittis. Hinc illæ divitię atque ornamenta ingenii: quorum fructus adeò uberes & fœcundos es conſecutus, ut cùm ad hæc noſtra ſtudia, tanquam in leviorem ludum, & popularem lętitiam, ad animi remiſſionem deſcenderis, majores omnis doctrinæ theſauros explices ac propalam colloces, quàm cæteri, qui omne otium ac tempus in COMMUNIUM literarum, aut POLITIORIS HUMANITATIS meditationibus contriverunt.

Sed quoniam neque inſtituti aut judicii mei erat, tuas laudes, quæ graviſſimorum virorum ingeniis omnium mortalium famâ celebrantur, perſtringere: tamen hanc me occaſionem te graviſſimo VETUSTATIS VINDICE, CUSTODE, atque ANTISTITE, non diffitebor arripuiſſe, ut vetuſtiſſimi hi rerum ſcriptores, qui Principũ NORTMANNORUM in Italiam adventum, & res ab eis in Campania, Apulia, Calabris, & Brutiis, & in inſula Sicilia geſtas ante quadringentos annos poſteris tradiderunt, in tui primùm nominis præſidio in lucem exeant, neque inculta eorum, & derelicta oratio, & inops ſeries rerum, & inconditi Gaufredi Monachi verſus, quamvis hebetes ac rudes, aut præpoſteri perverſique numeri, de ſententia dimovebunt, quin res ipſæ à nemine auctorum, quod ego ſciam, ad hanc diem traditæ, in publicum proferrentur. Perſpicuum enim hoc eſt, & in vulgari prudentia ſitum, principem &

pri-

primariam eſſe illam ſapientiam qua majore voluptate afficimur ex rerum ipſarum ſcientia, vel viliſſima compoſitione traditarum; quas in animis inſitas, & quaſi conſignatas notiones inhærere oportet; quàm ex ſupervacanea, & diffluenti oratione; cùm præſertim eam maximè ex rerum ipſarum traditione efflorescere & redundare conveniat.

Quamobrem cùm tibi in univerſa rerum ſacrarum functione, & Pontificalis auctoritatis, & reliquæ juriſdictionis abſolvendæ ptovincia, atque in tanto officio, tantoque munere, incredibilis cura nunquam defuerit, quin doctrinarum ſtudioſis undique proſis; magna ſpe ducor (cùm tua ſumma gravitas cum ſingulari comitate conjuncta ſit, & qua es lenitate munitus) minimum hoc munuſculum, ac ſi inſignitæ cujuſdam notæ eſſet, te non aſpernaturum, aut refutaturum, ſi cujuſvis, vel tenuiſſimæ utilitatis & emolumenti fructum præbere, & vetuſtarum rerum memoriam, quas diligentiſſimi antiquitatis inveſtigatores omni inquiſitione veri indagare nituntur, poſſit pateſacere.

Ut eos tamen ſcriptores indicibus rerum ab Aragoniæ regibus geſtarum adjungerem, ea me ratio & conſilium impulit; quòd ut omittam Aragoniæ Reges ab hinc tercentum annis in Nortmannicam ſtirpem gemina cognatione ſe inſeruiſſe, ditiones omnes, quę à Nortmannis, & mox Suëvis Principibus tot victoriis quæſitæ & partę fuerant, Aragoniis poſtea Regibus, & hæreditario, & belli jure, & ab Eccleſia publicis conſiliis beneficii loco delato munere cœleſti divinaque ſorte obtinuêre. Ad Divæ Encratis ex ſuburbano Cæſarauguſtano A. D. XVI. Kal. Maji MDLXXIIX.

Amplitudinis tuæ obſervantiſſimus,

HIER. SURITA.

ELOGIUM

ILLUSTRISSIMI VIRI D.

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS.

Ex cl. viro D. Nicolao Antonio in Biblioth. Hiſp. Tom. I. pag. 76.

ANTONIUS AUGUSTINUS patriam habuit Cæſarauguſtam, Aragoniæ Regni metropolim, patrem Antonium Auguſtinum, ejuſdem Regni Pro-cancellarium (quo munere qui conſetur, ſupremo rerum Aragonenſium, Catalanarum, Valentinarumq; Senatui præeſt in Regia curia) matrem Hildephonſam Albanellam, fratres verò Petrum, & Joannem, & Iſabellam, quorum primus Oſcenſis Eccleſiæ fuit Præſul; Iſabella autem Ferdinandi Cardonæ Ducis conjux. Præceptore uſus eſt in Grammaticis Joanne Quadrâ Bononienſi, aliquando ad S. Clementem Hiſpanorum ſodali. Complutum miſſus, biennium in hac ſchola, uti Salmanticæ ſeptennium, deinde inſumpſit, Juris ſtudio dans operam. Nec eo contentus, Italiam, Bononienſeq; clariſſimis hujus doctrinæ Præceptoribus eâ tempeſtate plenum gymnaſium cogitans, eò ſe, annuentibus indulgentiſſimis parentibus, contulit. Ibi, & Patavii Andream Alciatum, Paullum Pariſium, Marianum Sozinum, Ludovicum Gozadinum, Auguſtinum Beroïum, Joannem Antonium Alexandrinum ſe adeptum eſſe, audiviſſeq; Juris utriuſque profeſſores, in Epiſtolarum nonnullis, quas penes me habeo manuſcriptas, refert; quædã de ingenio iſtorũ, doctrinaq;, ac docendi methodo lectu adjiciens non injucunda: in quibus Paullum Pariſium cæterorum omnium, qui ſimul cum eo profiterentur, in docendi hac methodo agnoſcit, ac vocat principem. Interea & Joannem Faſolum frequentavit, Græcas in Bononienſi eadem Academia literas docentem; quas ad Jura intimè cognoſcenda omnino eſſe neceſſarias, teſtatum ipſe ſcripto relinquere non dubitavit, animo quaſi præſagiens in ſe ipſo magnum quoddam & fulgentiſſimum Juris utriuſque lumen diſpellendis barbariei tenebris, reſtituendiſq; nitori ſuo, tam ſacræ, quàm profanæ Juriſprudentiæ monumentis per eam ſtudiorum contentionem, atque induſtriam accendi. Quibus, & humanioribus quibuſque literis vacavit, maximè æſtivis mensibus, Lazarum Bonamicum, & Romulum Amaſæum, claros utriuſque linguæ profeſſores, familiariter habens. Interim & ſodalibus adſcriptus Clementini Hiſpanorum Collegii, dedit planè huic literarum domui, quo ante alios omnes, quos per tria jam ſæcula produxit, viros omni ſcientiarum genere ornatiſſimos,

dum

dum fuerit literis honos & pretium ſuum, gloriabitur. Diſcurſo jam Academico ſtadio, Florentiam venit comite Joanne Metello Sequano, homine eruditiſſimo, cujus operâ uſus eſt in percurrendo Pandectarum Florentinarum volumine manu olim ſcripto, ibiq́ ad inſtar theſauri adſervato, cumq́ Norica, & Haloandri editionibus fideliſſimè ac diligentiſſimè conferendo. Unde ei nati ſunt Emendationum & opinionum Juris civilis, *quibus magna ejus pars ex iiſdem Pandectis declaratur & emendatur, libri, judicio ingenioq́ præſtantes: quibuſq́ à juvene vix quinque ſuprà viginti annis nato in publicum emiſſis, Italiam, quanta eſt, ſui nominis implevit famâ, breviq́ libello ingentium quorumcumque monumentorum, etiam à præſtantiſſimis auctoribus venientium, laudes, & meritum adæquavit. In quo exemplum Andreæ Alciati ſequutus, qui à conſueta & injucunda Juris explanandi forma ad variarum, & obſervationum, & lectionum amœnitates, primus diſceſſiſſe videtur, exemplo fuit & ipſe aliis, Gallorum præcipuè, Belgarum, atque Hiſpanorum doctiſſimis, Polymathiam, & Philologiam in Juris commentaria, quorum à limine procul eſſe antea jubebantur, inducendi, veramq́ & germanam veterum multiplicis doctrinæ virorum juriſprudentiam in eum, quem hodie jam tenet, locum, ſive faſtigium reſtituendi. Lælium in eadem urbe Florentia Taurellum, egregium, diſertumq́ ejus ætatis Juris conſultum, cujus & plures ad Auguſtinum datæ Epiſtolæ penes me ſunt, atque item Petrum Victorium, eruditione ſatis ſpectatum, devinxit ſibi ſtudiorum ſimilitudine, uti & cives ſuos Didacum Mendozam, virum clariſſimum, Regium apud Venetos Legatum, & ab ultimis uſque Luſitaniæ finibus Hieronymum Oſorium; qui tantum Auguſtini judicio deferre ſolebat, ut ab eo monitus de nonnullis, quæ in* De nobilitate Chriſtiana *libris minùs ſibi placuiſſent, ſine ulla interpellatione ſe ea mutaturum in editione eorum reſponderit literis ad noſtrum datis, quas cum aliis adſervo. Romam tandem adveniens, ſtatim à Paullo III. Pont. Max. ejus ſæculi anno 44. inter 12. viros litium totius Orbis Chriſtiani judicandarum, ſive ſacri & Apoſtolici Palatii Auditores (in Ludovici Gomezii Pontificio Sarnenſi donati locum, uti Guido Pancirola* De claris legum interpretibus *lib. 2. cap. 188. & Andreas ait Scotus, quod malè convenit cum promotione Gomezii ante annos 10. ex* Italiæ ſacræ *monumentis exploratè cognita, niſi creatus etiam Epiſcopus collegio iſto non deceſſit) poſtulante Cæſare Carolo allectus, implevit omnes numeros integerrimi & prudentiſſimi judicis. Propterea Julius III. intimis eum conſiliis adhibitum, in Britanniam quoque deſtinavit ſumma auctoritate Legatum, quo tempore inter Mariam Reginam, & Philippum Hiſpaniæ Principem conjugium pactum fuit, non eo ſucceſſu, quem Chriſtianorum ſpes conceperat; cujus muneris Auguſtino commiſſi Hieronymus Oſorius meminit adversùs Gualtenum Haddonum Eliſabethæ poſtea Britanniarum Reginæ à ſecretis ſcribens, & Latinus Latinius in Epiſt. ad Andream Maſium 4. idus Februarias MDLV.* Cùm (*inquit*) ut gratias Regi Reginęq́ue Pontificis nomine ageret, quòd eorum operâ regnum illud ad receptum Dei cultum, ſediſq́ue Apoſtolicæ obſervantiam revocatum eſt, tunc præſertim, ut in componendis rebus, quæ ſacerdotibus ſacrorumq́ue miniſtris dicatę erant, tamquam juris conſultus, Legato adeſſet. *Romæ deinde redditus, Paullo IV. in Eccleſia regnante, Præſul ab eo* Allifanus *renunciatus, in Germaniam ire juſſus eſt anno MDLVII. ad Ferdinandum Imperatorem. Cùmq́ in Eccleſiam ſuam ab hac legatione rediiſſet, à Philippo II. bonâ Pontificis veniâ, in Siciliam ablegatur luſtrandæ huic inſulæ: quo munere defuncto, Pius IV. Regiæ nominationi, uti juris eſt, deferens,* Ilerdenſis *urbis Cathedram opportuno illo Eccleſiæ contulit tempore, quo Synodus ſanciendę inter Chriſtianos paci Tridentum ex omnibus illius oris convocabatur. Egregiam ibi noſter operam navavit, utpote talium rerum conſultiſſimus, expediendis utiliter ſacri conventûs negotiis: reverſuſq́ in ſedem ſuam, totos 16. annos paſcendo inſtitutis optimis vitæq́ exemplo gregi, doctiſſimiſq́ adornandis, atque in publicum emittendis lucubrationibus invigilavit. Quouſque tenente jam Petri Cathedram Gregorio XIII. anno ejus ſæculi LXXIV. Præſul* Tarraconenſis, *Cataloniæ Metropolitanus renunciaretur, integro adhuc decennio urbi huic nobiliſſimę, novęq́ ſponſæ venerabili omni memoriâ Eccleſię convicturus. Deceſſit enim ferè ſeptuagenarius, anno MDLXXXVI. vir quem nulla dignè celebrare unquam poterit eloquentię facultas. Dabo tamen aliqua ex innumeris promiſcuè elogia, quibus præſtantiſſimi omnium nationum & profeſſionum homines, judicium de Auguſtino ſuum ad poſteritatis memoriam conſignaverunt. Andreas Scotus agmen ducat, qui nondum Societatis Jeſu adſcriptus ſodalibus, in ejus domo per biennium liberaliter, utpote eruditiſſimus ab eruditiſſimo, habitus vixit. Memoriam itaque ejus penè incredibilem, ſtudiorum contentionem, virtuteſq́ in perfecto viro, & quod plus eſt, Chriſtiano Antiſtite, laudandas, integritatem nempe ac temperantiam, comitatem gravitati conjunctam, animi æquabilitatem, caſtitatis curam, in pauperes beneficentiam, adeò ut & vaſa ſacra pignori dare, & libros etiam quovis ſibi theſauro pretioſiores, in rebus arctis, annonæq́ caritate divendere non gravaretur, multis laudat Scotus, adjungens quæ de ſtudiis maximè ad nos pertinent:* Maxima in illo (*ait*) cognitio antiquitatis, ſumma ſcientia Juris antiqui, Legumq́ue Romanarum, & familiarum; multæ in eo, ut Romæ natus videretur, literæ, & elegantia ſermonis Latini. Ciceronem etiam ſenex legebat aſſiduè, ut eloquentiæ Principem; Juris verò tanta in eo accuratio, ut veterum aliquis, præſtantiſſimorumq́ue prudentum, Paullus, Ulpianus, aut Papinianus ab inferis exſtitiſſe, ac revixiſſe, vel animam ex Pythagoræ ſententia recepiſſe illorum videretur. Quanta porrò hiſtoriarum, antiquarumq́ue rerum Græciæ & Italiæ explicata cognitio! Jus Pontificium & civile ita illuſtravit, hoc adoleſcens, ſenex illud, ut Principem illum Juriſconſultorũ, noſtriq́ue ævi florem delibatum uno ore gentes omnes prædicent. *Hæc ille. Paullus autem Manutius*

in

in Epiſtolis *ad eum ſcriptis, ſecundo libro* Epiſtolarum, *Varronem ab eo emendatum, & ad ſe miſſum, gratulatus*: Quantus (*in prima ait*) quantus es, totus labor, totus induſtria es: *in ſecunda*, Univerſæ arcam antiquitatis *vocat*; *tertiâ*, in ſcriniis ejus conditos rerum antiquarum theſauros aſſervari *ait*; *quartâ demum* acerrimi *eum*, ac ſeveriſſimi judicii, exquiſitéque ac multiplicis omnium penè literarum ſcientię virum *appellat*. *Laurentius Pignorius Epiſtola* 47. Profanę atque Eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſſimum: *Didacus Covarubias* 18. Practicarum *capite*, virum conſenſu omnium inſignis eruditionis & diligentiæ. *Hieronymus Blancas in Aragonenſium rerum commentario*, cui Romanã antiquitatem (*de noſtro Auguſtino ait*) tractanti Italia ipſa cedit, cujus admirabilem quandam, incredibilem, ac penè divinam in antiquis legibus interpretandis ſcientiam, omnium mortalium fama percelebrat; cui incorrupto totius orbis judicio, ipſorumque doctiſſimorum virorum inter ipſos conſenſu tributum eſt ita, ut cùm immenſam illius aciem ingenii tantùm omnes admirentur, eum in omnibus ſcriptis, in omni literarum varietate, non modò ſibi ipſis, ac iis, qui hodie vivunt, ſed iis qui multis antè ſęculis fuerunt, libenter anteponant. Cui denique nullus honos tribui non poteſt. *Hæc ille, & alia poſt mortem Auguſtini, ubi de* Joanne Lanuza 46. Juſtitia, *, ut vocant*, Aragonię *tractat. Janus necnon Gruterus in præfatione inſcriptionum Antonio Auguſtino obiter laudato, his verſibus plaudit*:

Opponit unum quem viris prioribus
Ætas recentis temporis.

Onuphrius Panvinius integerrimum *eundem* atque eruditiſſimum *vocat in Faſtorum proœmio, eiq; primum eorum librum nuncupat, multa exinde ei accepta referens. Hadrianus Turnebus 33. Adverſar.* 17. eruditiſſimum & optimè de literis elegantioribus meritum. *Jacobus Menochius* Recuperandę poſſeſſionis *remedio* 15. *num.* 5590. Juris verum alterum inſtauratorem *Quem imitatus Aubertus Miræus in Bibliotheca Eccleſiaſtica*, Juris civilis & Pontificii inſtauratorem: *uti Stephanus Pighius in* Notis ad Valerii Maximi *lib.* 2. *cap.* 7. virum ſuo ſęculo ſummum *appellant*. *Quemadmodum & Cæſar Baronius tomo XI. anno* 1097. 40. Eruditione rerum ſacrarum ſua ætate in Hiſpania facilè Principem: *& Joannes Leonclavius in prologo* ad Collectionem Eccleſiaſticarum Conſtitutionum, *quas ipſe* Paratitla *vocat*, doctiſſimum omnium Epiſcoporum, qui noſtro vixêre ſęculo. *Legitur Opus hoc, & prologus laudatus vol.* 2. *Biblioth. Juris canon. veteris. Franciſcus Boſquetus Narbonenſis Epiſcopus in Notis ad Epiſt.* 1. *lib.* 1. *Innocentii Papæ III.* virum nunquam ſatis laudatum *vocat*. *Plura alia ſunt* Victorii, Aldorum, Scaligeri, *aliorumq; magno numero nonniſi ampliſſimis concepta verbis præconia. Unde ſibi accidiſſe, quod hominibus etiam doctis & vigilantibus uſuvenire ſolet, humanum ut aliquid per errorem admittant, perſuaderi ſe facilè patietur religioſus juxta atque eruditus, mihiq; ob egregias animi virtutes admodùm charus*, Joannes Bona *Ciſtercienſium Reformatorũ Generalis per Italiam olim Præfectus, cùm in* Notitia Auctorum, *quâ inſtruere voluit in veſtibulo* Harmoniæ *ſuæ* pſallentis Eccleſiæ *lectores*, *Antonio noſtro Auguſtino ſic in omni literarum doctrina, maximeq; antiquitatis, & Canonicarum ſanctionum à ſummis utriuſque Juris profeſſoribus, Philoſophiæ ac rerũ antiquarum omnis eruditionis principibus celebrato*, non multam in expendenda temporum ratione, & Canonum veritate accurationem, *magnâ injuriâ attribuit. Nos jam conceptam ex hac amici noſtri minus æquo judicio mœſtitudinem ſolari, ac depellere conabimur, ſubjicientes amœbea noſtri Auguſtini, ac Latini Latinii carmina hactenus non edita inter Latinii opera, quæ ante paucos annos ſub auſpiciis Eminentiſs. Cardinalis Franciſci Mariæ Brancacii, literarum, literatorumq; Mæcenatis Romæ prodierunt Dominici Macri Canonici Viterbienſis amici noſtri eruditiſſimi atque optimi curâ & ſtudio*.

ANTONIUS AUGUSTINUS

Ad Latinum Latinium.

Lucebant olim ſoles mihi candidiores,
Docte Latine, *tuis*,
* Octaviq́ue *patris dictis cùm pectus onuſtum*
Sæpe foret variis.
Ultima nunc feſſum vaſtis Hiſpania terris
Sole cadente tenet.
O mihi felices (*fruſtra ſuſpiria duco*)
Prætereritoſq; dies!
Viximus, antiquas cùm urbis luſtrare ruinas
Romuleæ licuit;
Et Capitolinas pacatis prendere turres
Aurea templa Jovis.
Innumeros illic varia de gente triumphos
Legimus è tabulis;
Cenſores cum Conſulibus, Populiq; Magiſtris,
Ordine quemque ſuo:
Inde forum, ſacramq; viam, myſteria Pyrrhi.
Dicere dulce fuit.
Quid memorem veteres Janos, atque Amphitheatrum,
Balnea, templa, domos?
Dulce fuit, doctus cùm conviva abdita quæque
Protulit in medium.
Laudamus multos, ſed Fulvius, atque Faërnus
Omnia ferre negant.
At quid ego? Verboſos ætas reddit amicos.
Care Latine *tuos.*
Vive memor noſtri: mihi Flaccus ſtillat in aurem:
Pulvis & umbra ſumus.

* Pantagathi nempe.

ANTONIO AUGUSTINO

ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI.

Latinus Latinius 7. idus Februarii MDLXXVII.

Vix juvat Antoni *ſine te monumenta piorum*
Vel Turiani, *aut Hoſii*,
Montanive *tui, vel* Caſtri *ſcripta* Leonis
Armata dente & unguibus
Volvere; mirariq; ſacris è fontibus hauſta
Documenta, queis Caniſius,
Et veteres ritus, & myſtica ſacra tuetur
Adverſus hæreſes novas.
Olim cana meos mutârunt tempora ſenſus,
Urbiſq; cineres, & virûm
Concelebrata diù magnorum nomina, reſq;
Geſtas inanis otii,
Inſaniq; laboris opus verè eſſe putavi.
Suiſne huſta marmorum
Admiranda, Deus! collapſa theatra, domoſq;
Mandavit? An Patricios,
Plebejoſq; notis cives diſcernere certis?
O varia mens mortalium!
Scilicet hoc tandem Regni cœleſtis ad aulam
Feſſos reducet exſules.
Viderit hæc Pyrrhus, *videat quoque* Fulvius; *at me*
Non Petrus *id* Ciaconius,
Nec mihi jam dudum conjunctos inter Iberos
Thomas Michaël *perdocent*;
Quorum lecta piis ſolers induſtria acriſq;
Ad Gratiani vulnera,
Non ſananda modò, ſed reſtituenda nitori
Fructus perennes parturit.
Hos ego cenſores vitæ, morumq; magiſtros,
Libenter, Antoni, *ſequor*:
Dum tu ſacra Dei peragis myſteria, dum te
Superba Tarraco patrem
Agnoſcit venerans, attentiſq; auribus audit
Chriſti docentem dogmata,
Queis ſine nemo poteſt veram ſperare ſalutem,
O te beatum ſepties,
Qui vanas hominum curas, ſteriliſq; labores,
Quæ cæcus amat amor ſui,
Spreviſti docilis primo ſub flore juventæ
Chriſti ſequens veſtigia!
Te procerûm veneranda cohors poſt funera tandem
Inter ſacratos Præſules
Non procul à Domini ſublimi ſede locandum
Exſpectat avida tui. Vale.

Exſtant quidem inter Latinii Opera Epiſtolæ aliquot ad Auguſtinum volumine altero, quod nuper typis editum fuit.

Librorum ab Auguſtino confectorum, illuſtratorum ſeriem ex Andrea Scoto, nonnullis additis, ſubjungimus.

De Humanitatis ſtudiis hi ſunt, atque Hiſtoria.

IN M. Terrentium Varronem de Lingua Latina emendationes & Notæ. *Romæ MDLVII.*

IN Sext. Pompejum Feſtum Notæ. *Venetiis & Pariſiis.*

Familiæ Romanorum XXX. cum Fulvii Urſini familiis. *Romæ MDLVII. in folio. Lugduni apud Franc. Fabrum MDXCIV. in 4.*

Fragmenta veterum Hiſtoricorum, *ab eo, & Fulvio Urſino collecta. Antuerpiæ MDXCV.* 8.

Epiſtola ad Hieronymum Blancam, De Cæſarauguſtanæ patriæ communis Epiſcopis, atque Conciliis, cum Faſtis Aragonenſium rerum. *à Blanca edita.*

Hiſpano etiam ſermone

Los Dialogos de las medallas, Inſcripciones, y otras antiguedades. *Tarracone apud Philippum Mey, MDLXXXVII. in 4. ſive etiam priùs MDLXXV. in 4. Qui poſtea Italicè ſunt redditi, ac editi, tandemq; Latinè ab Andrea Scoto, qui* undecimum *addidit* decem *Auguſtini* dialogis, De priſca *nempe* Religione, *ac* Diis gentium. *Antuerpiæ typis.*

CONCILIUM II.
PROVINCIALE LIMANUM
BEATI TORIBII
CELEBRATUM ANNO MDXCI.

Beatus Toribius Archiepiſcopus Limenſis Eccleſiæ, accinxit ſe ad ſecundum Provinciale Concilium ſeptimo poſt alterum anno celebrandum, juxta indultum ipſi factum per Apoſtolicum Breve Gregorii XIII. Pontificis. Nos huius ſacri Concilii Provincialis nulla parerga in Actis reperimus, non literas convocatorias, non alloquium Archiepiſcopi præſidentis ad Patres, non decretum inchoationis vel promulgationis, non approbationem Apoſtolicam, non nomina eorum qui interfuerunt, nec alia ſuperiori Concilio adjecta, ſed nuda decreta ſequentibus capitulis diſtincta, & ipſius Archiepiſcopi, atque Fr. Gregorii Cuſquenſis Epiſcopi ſuffraganei, & duorum ipſius Concilii Secretariorum Chirographis, abſque loci vel temporis nota ſubſcripta. Sic reperi, ſic reddo. D. ANT. MONTALVO.

CAPUT I.

De viſitandis Regularibus, qui regunt Doctrinas, ſeu parochias Indorum extra cœnobia.

REligioſi exempti, qui in his partibus & provinciis non habent Prælatos ſui Ordinis, vel aliorum, quibus ſubjecti ſint: itemque religioſi non exempti, qui habuerint Prælatos in his partibus, quibus fuerint ſubjecti, & qui dederint literas obedientiales, ut illi maneant & reſideant in Doctrinis, ſeu parochiis Indorum, ſancta ſacramenta eiſdem adminiſtrando (ſive Doctrinę in quibus reſidebunt, ſint proximæ, ſive ſeparatæ ac diſtantes à cœnobiis, in quibus ſunt ipſorum Prelati & Superiores) ſint ſubjecti viſitationi & correctioni Ordinarii, quoad mores, vitam, & adminiſtrationem ſacramentorum, juxta canonicas ſanctiones; ſive viſitatio fiat per Epiſcopum, vel Archiepiſcopum perſonaliter; ſive ipſis legitimè impeditis, per ipſorum vicarium generalem, aut viſitatorem, juxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. *De reform.* quo ſancitur, quòd Regulares degentes extra monaſteria, tametſi religio habeat privilegium, ſi deliquerint, ſint ſubjecti Ordinario loci, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato, quoad viſitationem, punitionem, & correctionem, juxta dictas canonicas ſanctiones, ac etiam juxta declarationem S. Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium Interpretum dicti ſacri Concilii Tridentini, expeditam ad inſtantiam Metropolitani harum provinciarum, cujus autographum penes ſe habet, in quo dicta Congregatio reſolvit, Regulares, qui dictas Doctrinas tenent, vivere extra monaſteria, ad dictum effectum ut poſſint caſtigari. Et ejuſdem Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 3. *De reform.* ubi decernit, quòd Epiſcopi, & Archiepiſcopi, & alii Superiores viſitent per ſeipſos, aut legitimè impediti, per ſuum vicarium generalem vel viſitatorem: & ut hoc obſervetur & compleatur, non obſtantibus privilegiis quę allegabuntur in contrarium; propterea quòd revocata ſint in quantum ſunt contraria S. Concilio Tridentino, per Sanctitates Pii V. & Gregorii XIII. juxta dictam declarationem prędictorum dominorum Cardinalium.

CAPUT II.

De viſitandis Regularibus, qui viventes & reſidentes in monaſteriis adminiſtrant ſacramenta, exercentes munia parochialia.

REligioſi, qui in ſuis monaſteriis reſidentes, adminiſtrant ſancta ſacramenta, exercendo curam parochialem in Doctrinis vel Beneficiis exiſtentibus intra ipſa monaſteria, & in parochialibus, quæ ſunt Eccleſię ipſorum monaſteriorum, in quibus officia divina & Miſſæ celebrantur per Religioſos ipſorum conventuum, viſitationi, juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi loci ſubſunto in eis quę pertinent ad curam animarum, & adminiſtrationem ſacramentorum, juxta determinationem ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 11. *De regularibus*.

CAPUT III.

Religioſi Doctrinis præfecti non poſſint adminiſtrare ſacramenta ſine licentia & examine Ordinarii.

REligioſi rectores doctrinarum, quamvis conſtituti in Doctrinis & Beneficiis, etiam ad nutum amovibiles, non adminiſtrent ſancta ſacramenta, ſine licentia, conſenſu, & examine Epiſcopi, vel ipſius vicarii; revocatis, ut jam revocata ſunt, ipſorum privilegiis Motus proprii: preſertim illo Pii V. fel. mem. impetratus ad inſtantiam Catholicæ Majeſtatis Regis Philippi, per Motum proprium Gregorii XIII. in quo revocat privilegia Ordinum, & ea non confirmat, in quantum ſunt contraria Concilio Tridentino, ut eſt illud privilegium Pii V. contrarium eidem Concil. ſeſſ. 25. cap. 11. *De Regular.* juxta declarationem Illuſtriſſimorum Cardinalium Interpretum ejuſdem ſacri Concilii, ad petitionem dicti Metropolitani pro deciſione & declaratione præſentis caſus editam, & juxta decretum Concilii Provincialis [a] in his provinciis celebrati in hac civitate Regum, anno MDLXXXIII. & approbati per ſuam Sanctitatem, in quo ſancitur, quòd clerici & Religioſi non poſſint adminiſtrare ſancta ſacramenta abſque licentia & approbatione Ordinarii. Quæ declaratio dictorum DD. Cardinalium eſt penes eundem Metropolitanum.

CAPUT IV.

Judices & Gubernatores ſæculares non ſe intromittant in aſſignando ſalaria ſacerdotibus in Doctrinis & Beneficiis.

MIniſtri ſæculares, aut alii Gubernatores, cujuſcumque qualitatis ſint, non ſe interponant in aſſignando ſalaria rectoribus parochiarum Hiſpanorum, vel Indorum; ſed id relinquant Ordinariis Eccleſiaſticis, quibus reſervatum eſt, & competit, juxta determinationem ſacri Concilii Tridentini [b] & Conciliorum Provincialium [c] hujus provinciæ. In qua re procedetur per judices Eccleſiaſticos contra tranſgreſſores & perturbatores, prout expedierit.

CAPUT V.

Salaria Doctrinarum non reducantur vel diminuantur per Gubernatores, aut miniſtros ſæculares.

EXceſſui & abuſui occurrere cupientes, per quos Pro-reges, Gubernatores, & alii miniſtri ſæculares ſe interponebant, & interponunt in reducendo ſeu diminuendo ſalaria rectorum doctrinalium; cùm hoc ipſis jure ſit prohibitum; Ordinarii [d] nullo modo permittant id fieri; ſed cum omni rigore procedant adversùs eos qui contrà fecerint, vel intentaverint; conenturque hoc ad debitam executionem perducere: id maximè attendentes, quòd in his partibus tam tenuia ſint ſtipendia & ſalaria, & quòd ſub gravibus cenſuris prohibitum ſit clericis omne genus negotiationis [e] & villicationis, & quòd non potens ſe ſuſtentare, oportebit eos deſerere Doctrinas, & ſic Indi carebunt paſtu ſpirituali, & miniſterio ſacramentorum, & Prælati cogentur cum ipſis diſſimulare circa negotiationes, ut poſſint ſe ſuſtentare.

CAPUT VI.

Prætores locales non ſe interponant in examine abſentiæ clericorum, vel æris alieni quo gravantur.

PRætores locales, vulgò *Corregidores*, & alii miniſtri juſtitiæ ſæculares, non ſe interponant in examine vel exploratione, etiam abſque juramento, de abſentiis clericorum à ſuis Doctrinis vel Beneficiis, vel de debitis, quæ debuerint Indis aut aliis ſuis parochianis; nec circa detentionem ſalarii eorum; ſed ea reſervent & relinquant judicibus [f] Eccleſiaſticis, ad quos de jure pertinent, attendentes ad cenſuras impoſitas uſurpatoribus Eccleſiaſticæ juriſdictionis, & ad pœnas arbitrarias quæ opportunè ipſis infligi poſſunt.

CAPUT VII.

Pro-reges, aut alii miniſtri ſæculares, non ſe immiſceant viſitationibus bonorum Eccleſiarum, vel Hoſpitalium: nec nominationi vel depoſitioni œconomorum ejuſmodi Eccleſiarum, vel Hoſpitalium.

PRo-reges, Gubernatores, aut alii miniſtri ſæculares, non ſe intromittant in diſtribuendis, expendendis, vel viſitandis bonis fabricæ Eccleſiarum, aut hoſpitalium, ſive iſta Indorum, ſeu Hiſpanorum fuerint: nec nominent, vel deponant œconomos ejuſmodi Eccleſiarum vel Hoſpitalium; ſed totum relinquant judicibus Eccleſiaſticis, ad quos de jure pertinet, juxta decretum ſacri Concilii Tridentini [g] & ſchedulas ſuæ Majeſtatis, quæ de prædictis loquuntur: & in hoc cum omni rigore Juris procedent Ordinarii contra impedientes, & perturbantes.

CA-

[a] Concil. Provin. I. Act. 4. c. 12. & 14. [b] Trid. ſeſſ. 21. in decret. *De reform.* [c] Concil. Provin. I. Act. 2. c. 40. Act. 4. c. 5. & 16. [d] Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. & 9. *De reform.* & ſeſſ. 24. *De reform.* c. 14. [e] Concil. I. Provinc. Act. 3. c. 4. & 5. Synodus Diœceſ. 1. cap. 4. Synod. 3. c. 19. [f] Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. *De reform.* [g] Trident. ſeſſ. 22. c. 8. *De reform.* & c. 9. ibid.

CAPUT VIII.

Clerici qui interim, dum non habetur ſacerdos proprius, in Doctrinis & Beneficiis degerint, illis inſerviant cum aliquo ſtipendio.

INterea dum Doctrinis & Beneficiis de ſacerdote proprio proviſum non fuerit, ſacerdos qui eiſdem Doctrinis & Beneficiis inſerviet, juvabitur ſtipendio & ſalario ſufficienti. Et Ordinarii peculiarem diligentiam adhibebunt, ut nullo tempore in illis deſit ſacerdos; & ut illi pendatur ejuſmodi ſtipendium & ſalarium pro ipſius ſuſtentatione, interim, ut dictum eſt, donec provideatur dictis Doctrinis, compellendo perſonas, quorum id intererit, ad ſolvendum juxta decreta ſacri Concilii Tridentini & ſchedulas Regias.

CAPUT IX.

Viſitatores ſint ſacerdotes.

IN viſitationibus, quæ in poſterum inſtituendæ ſunt, Prælati nominabunt viſitatores in ſacerdotio conſtitutos, ut ejuſmodi viſitationes eo majori decentia, majoriſque conſcientiæ timore perficiantur; accipiendo vades ab iiſdem viſitatoribus, quòd ſui muneris rationem reddituri ſint, nec ſe abſentabunt, ſed ſtabunt diſpoſitioni juris; & hoc ubi commodè beneque fieri poterit, & Prælato videbitur expedire.

CAPUT X.

Rectores Doctrinarum dent vades reddendi rationem rerum ſuæ curæ commiſſarum, ad dictas Doctrinas & Beneficia, in quibus conſtituti fuerint, pertinentium.

UT in omnibus habeatur juſta rerum ratio, Eccleſiæque pro debito ſatisfactum ſit, & exonerentur conſcientiæ; Ordinarii diligentem curam & rationem habebunt, ut à clericis, quos ad Doctrinas & Beneficia deſtinaverint, accipiant vades reddendi rationem bonorum Eccleſiaſticorum, & aliorum quæ ipſorum curæ committentur: & quòd in viſitationibus quæ de ipſis fient, ſtaturi diſpoſitioni juris: nec ſe abſentabunt, aut fugam capient: & quòd quicquid debuerint, ſolvent, relinquendo totum Prælatis, ut in prædictis provideant, quando commodè fieri poterit, & exſecutioni mandari. Quod ſic ordinatur & præcipitur ob amplitudinem Epiſcopatuum, & tantam libertatem, quod Prælatus non poſſit adhibere remedium abſentiæ clericorum, ac damnis in hoc decreto relatis.

CAPUT XI.

Obſerventur rubricæ novi Miſſalis, & ſpecialiter in oſculo Euangelii.

PRælati, cæteriſque quorum intererit, habebunt peculiarem curam, ut obſerventur rubricæ Miſſalis, & quod per ſuam Sanctitatem ordinatum eſt; & ſpecialiter quoad oſculum Euangelii; quòd non præbeatur Proregi, neque Gubernatori, nec Inquiſitoribus, nec aliis perſonis cujuſcumque qualitatis exſtiterint, ſed ſolis Epiſcopis, qui in ſuis reſidentiis fuerint, juxta rubricas [i] Miſſalis. Rogamuſque in Domino Religioſos Ordinum, ut idipſum in ſuis Eccleſiis faciant.

CAPUT XII.

Non detur ſæcularibus pax per patenam: nec tabella pacis circumferatur per miniſtros altaris.

JUxta rubricas [k] Miſſalis, ac decreta Conciliorum Provincialium [l] anni MDLXVII. & anni MDLXXXIII. circa pacem, quæ datur extra chorum exiſtentibus, Ordinarii jubebunt, & providebunt, quòd nec Pro-regibus, neque Gubernatoribus ſæcularibus, nec aliis perſonis ſæcularibus, cujuſcumque qualitatis ſint, detur per patenam, ſed per tabellam, vulgò, *portapaz*, nec permittatur diacono vel ſubdiacono, qui ad altare miniſtrant, ut ferant eandem tabellam: ſed ad Pro-regem, Gubernatorem, inquiſitores, & auditores, eam ferat unus clericus, cum ſuperpelliceo, & non alia ulla perſona.

CAPUT XIII.

Obſerventur præſcripta novi Miſſalis in diſtributione cinerum, palmarum, & aliarum rerum.

QUoniam cupimus exſecutionem dare ordinationi novi Miſſalis, & ut omnia ſecundùm ordinem fiant, ac debita Eccleſiaſticis ſervetur obſervantia, tollanturque abuſus qui in aliquibus locis irrepſerunt; Ordinarii in hoc ſedulò intendentes, non permittant, quòd feriâ quartâ Cinerum, vel Dominicâ Palmarum, in earum diſtributione laïci præferantur Eccleſiaſticis, nec in aliis rebus in quibus Miſſale ordinaverit ſic fieri, quamquam laïci ſint Pro-reges, Gubernatores, vel aliæ perſonæ, cujuſcumque ſint qualitatis.

CA-

[h] Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. *De refor.* [i] Ritus celebrandi Miſſam cap. 6. num. 5. [k] Rit. celeb. Miſſam cap. 10. num. 9. [l] Concil. Provin. I. Act. 4. & 12.

CAPUT XIV.

De servanda immunitate Ecclesiarum.

UT immunitas Ecclesiarum per omnia servetur, & Indi cum reliquis ædificentur; utque ministri sæculares nec nimium audeant, nec Ecclesiæ mandatis inobedientes evadant, si advertant contra se non exerceri rigorem justitiæ, & quòd causæ maneant indecisæ, ac ipsi delinquentes impuniti. Hinc in posterum Ordinarii contra transgressores ac violatores dictæ immunitatis Ecclesiasticæ vigilanter [m] inquirent, fulminando processus, & eosdem terminando, & sententias proferendo cum omni brevitate, imponendoque debitas pœnas; nec relinquant causas in perpetuo silentio. Et quando illos absolverint à censuris quas incurrerint, observetur ordo novi Manualis [n] jussu Catholicæ Majestatis transmissi, & subscripti per Religiosum Escurialis, cui id incumbit.

CAPUT XV.

Executioni mandentur decreta superioris Concilii Provincialis anni MDLXXXIII.

PRælati omnes executioni mandabunt decreta Concilii Provincialis proximè præteriti, celebrati in hac civitate Regum anno MDLXXXIII. & per suam Sanctitatem approbati, secundùm quod, & eo modo, quo in illo continetur. Et ut cunctis manifesta sint, facient ea publicari in suis Ecclesiis Cathedralibus.

CAPUT XVI.

Notarii non accipiant plus quam decimam partem unius aurei pro titulo ordinum.

QUoniam in aliquibus taxationum, quæ per idem Concilium factæ fuerunt, positum & ordinatum est, quòd notarii pro titulis Ordinum accipiant duos pesos, & in aliis taxationibus nihil circa hoc dispositum existit omnibus ex originali desumptis: & in eodem Concilio Provinciali [o] per suam Sanctitatem approbato, præcipitur, ne accipiatur plus quam decima pars unius aurei, juxta decretum sacri Concilii Tridentini [p] Ordinarii non permittent ejusmodi notariis, ut accipiant dictos duos pesos; sed in omnibus observetur præscriptum dictorum Conciliorum Provincialis, ac Tridentini, juxta quod, & eo modo quo in iisdem Conciliis continetur, ita ut non excedatur dicta decima pars unius aurei, ubi accipiendo locus fuerit, ut in dicto Concilio Tridentino dispositum est; procedentque contra notarios id non observantes. Et sic taxatio illa facta in eo Concilio Provinciali observabitur in quantum fuerit canonica, & ipsius taxæ pariter canonicæ, & non contrariæ Concilio Tridentino.

CAPUT XVII.

Clerici priùs quàm accipiant dimissorialia, reddant rationem eorum, quæ ipsorum curæ commissa fuerunt: & cum solis hujusmodi dimissorialibus possint recipi in aliis Episcopatibus.

EPiscopi, eorumque provisores non dent dimissorialia ullis clericis, non priùs acceptis ab eis rationibus omnium illorum, quorum curam in Doctrinis & Beneficiis gerebant: & donec ipsi Provisores habuerint commissionem, juxta decretum ejusdem Concilii Provincialis [q] anni MDLXXXIII. ab ipsorum Episcopis ad dandum dicta dimissorialia. Clericos autem cum hujusmodi dimissorialibus accedentes, poterunt Archiepiscopus, Episcopi, & reliqui judices Ecclesiastici recipere, quamvis in dictis dimissorialibus non exprimatur quòd ejusmodi clerici rationes reddiderint rerum suæ curæ commissarum; vel quòd Provisores habuerint commissionem dandi talia dimissorialia; & licèt ejusmodi clerici non habeant testimonium sui Prælati, quòd Beneficia vel Doctrinas dimiserint cum licentia suorum Episcoporum, vel Prælatorum, vel quòd suis successoribus consignaverint easdem Doctrinas vel Beneficia, eorumque ornamenta, libros baptismales, & matrimoniales, & matriculas, & reliqua suæ curæ, sine eo quòd dicti Archiepiscopus, vel Episcopus, vel alii judices incurrant censuras, interdictum ab ingressu Ecclesiæ, vel suspensionem impositam per Concilium Provinciale celebratum in hac civitate Regum anno MDLXVII. derogando quoad hæc capitula dicti Concilii, ipsumque, & censuras, interdictum, & suspensionem in eo contenta pro nullis habendo; ita ut non obligent, nec vim habeant ullo modo, vel ullo tempore contra Archiepiscopum, Episcopos, vel reliquos judices Ecclesiasticos, nec ipsorum diœcesanos, productis illis dimissorialibus; cùm in eorum expeditione præsumatur, quòd ipsorum Prælati & Provisores adhibuerint debitas diligentias.

CAPUT XVIII.

Nominantur testes synodales.

JUxta Juris dispositionem, in hac civitate Regum testes synodales nominamus parochos, qui curam animarum habent, vel posthac habebunt in parochiis ejusdem civitatis; & pro aliis partibus Archiepiscopatûs visitatores, qui sunt vel pro tempore fuerint. In Episcopatu

---

m Trident. sess. 25. c. 20. *De reform.* *n* Oratii. Manuale Peruan. pag. 24. & 25. & 174. &c. *o* Concil. Prov. I. Act. 2. c. 32.

p Trid. sess. 22. cap. 1. *De reform.* *q* Conc. I. Provinc. Act. 3. cap. 9. *r* Conc. Later. c. 6. *Sicut olim.* Conc. Tolet. act. 3. c. 28.

patu verò Cuſquenſi parochos Eccleſiæ Cathedralis ejuſdem civitatis, & eos qui pro tempore fuerint viſitatores. Et hoc ipſum obſervari ſtatuitur in reliquis Epiſcopatibus ſuffraganeis, nominando, prout ſacra Synodus nominat, dictos parochos & viſitatores, juxta Juris diſpoſitionem: qui dicti teſtes ſynodales cùm priùs præſtiterint juramentum coram ſuis Prælatis, debeant inquirere res dignas, & ad corrigendum, emendandum, & reformandum utiles & neceſſarias: & hoc ſine abſque juriſdictione ulla, quam ad hoc illis non damus: at totum quod ſic fecerint, & inquiſiverint, ad Synodos diœceſanas & Provinciales ſcriptum deferre, illud Epiſcopis in ſuis Synodis, & Metropolitano in Concilio Provinciali tradendo, nominando parochos Cathedralis, & aliarum Eccleſiarum civitatis, in qua Cathedralis eſt, & viſitatores Epiſcopatûs.

CAPUT XIX.

Religioſi doctrinales cum cura animarum, non minus quàm clerici ſæculares obſervent & adimpleant quod ſpectat ad habendum conſtitutiones ſynodales, & alia contenta in hoc capitulo.

REligioſi, qui in Doctrinis gerent curam animarum, habebunt penes ſe Concilia Provincialia, & Synodos quas fecerint Metropolitani, & ſuffraganei, quiſque in ſuo diſtrictu: itemque Catechiſmum, & Confeſſionale, & Sermonarium, facta idiomate indigenarum per præcedens Concilium *ſ* anni MDLXXXIII. ad hoc ut unuſquiſque ſciat quid facere debeat, & ſibi incumbat, & ad quid ſit obligatus. Circa quòd procedent Ordinarii & viſitatores contra tranſgreſſores, & non obſervantes dicta Concilia, vel eorum decreta non complentes.

CAPUT XX.

Religioſi ſolvant quartam funeralem, & portionem canonicam.

REligioſi, qui ſunt vel fuerint in Doctrinis & Beneficiis, ſervabunt conſtitutiones de ſolutione quartæ funeralis, quartæ canonicæ, & quartæ oblationum, propterea quòd illas debeant, prout de jure debent, Epiſcopis, & ut illas perſolvant reliqui clerici, qui funguntur iiſdem miniſteriis, ſecundùm quod, & quemadmodum etiam conſtitutũ eſt in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. per ſuam Sanctitatem approbato, & quia non poſſunt prætendere exceptionem per viam ullius Brevis, non habendo vel unquam habito ullo Brevi, ſed tantùm pro funeralibus ſepulturarum quæ fuerint in propriis ipſorum monaſteriis.

Placentne vobis Reverendiſſimi Patres hæc decreta?

Omnes reſponderunt: *Placent.*

Ego T. Archiepiſcopus Regum diffiniens ſubſcripſi.
Ego Fr. Gregorius Epiſcopus Cuſquenſis diffiniens ſubſcripſi.

In quorum fidem infraſcripti notarii ſubſcripſimus.

Ego Antonius de Valcazar, Doctor, civitatis Regum Proviſor, ac vicarius generalis, & ſacri Concilii Secret.
Ego Licentiatus Bartholomæus Menacho, ſacri Concilii Provincialis Secretarius.

REGULA CONSUETA

SEU

Inſtitutiones conſuetudinales Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis,

Edita per B. TORIBIUM, ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopum.

POſtquam B. Toribius præcedentis Concilii decreta jam ſecundò pro univerſa provincia conſtituiſſet; quia dilexit decorem domus Domini, cogitavit etiam de diſciplina Eccleſiaſtica, præſertim cultus divini in Eccleſia ſua Metropolitana Limenſi, pro cujus decore, ornatu, & pio devotoq; ſplendore ſacri Concilii Tridentini præſcriptum ubique ſecutus, compoſuit Rituale Eccleſiaſticum, ſeu ut vocat,

Con-

ſ Act. 2. c. 2. & 3. Act. 3. c. 24. Act. 5. c. 3. † Act. 4. c. 20.

Consueta, aut regulas consuetudinales, ad omnes actiones in divinis officiis, templiq; ornatu & obsequio ritè dirigendas. Ex quo procul dubio cupiebat, ut cæteræ Ecclesiæ Cathedrales, si non legem, quæ juxta Tridentinum in Concilio Provinciali statuenda est, saltem exemplum sumerent, quo omnes passim, Ecclesiarum rebus commodiùs postea constitutis, uti possent, quod ordo temporis huc inferere postulat, & est quod sequitur. D. ANTONIUS MONTALVO.

Ego Franciscus Alarcon publicus auctoritate Apostolica notarius, & secretarius decani, & capituli Sanctæ Ecclesiæ civitatis Regum, fidem facio, quòd quarto die mensis Decembris, anno MDXCII. Illustris, & Reverendis, Dominus D. Toribius Alphonsus Mogrovexus Archiepiscopus dictæ civitatis, domini nostri Regis Consiliarius, & decanus, & capitulum dictæ sanctæ Ecclesiæ, congregati fuerunt in capitulo more solito, & coram me dicto secretario tractatum fuit de faciendis Institutionibus consuetudinalibus pro servitio dictæ sanctæ Ecclesiæ. Et cùm id tractâssent, & deliberavissent, ut fierent, ad hunc effectum pro sua dominatione nominatus est Licentiatus Bartholomæus Menacho, canonicus; & pro dicto decano & capitulo nominatus est Doctor Antonius de Molina, canonicus, ut ex Actis ejusdem capituli apparet, ad quos me refero. Et ut de eo constet, dedi præsentes. Datum in civitate Regum tricesima Aprilis anno MDXCIII. & in fidem subscripsi meum nomen.

Franciscus Alarcon
Notarius Secretarius.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrovexus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus civitatis Regum, domini nostri Regis Consiliarius, &c. Cupientes executioni mandare quod provisum & ordinatum est per sacrum Concilium Tridentinum in sess. 24. c. 12. De reform. quod incipit: Cùm dignitates; *in quo disponitur sub finem ejusmodi capitis, quòd quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deq; congrua in his canendi, seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi & permanendi: simulq; de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si qua hujusmodi, Synodus Provincialis, pro cujusque provinciæ utilitate & moribus, certam cuique formulam præscriberet. Interea verò Episcopus non minus, quàm duobus canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter à capitulo eligitur, in iis quæ expedire videbuntur poterit providere. In conformitate dicti sacri Concilii Tridentini, cùm in his ædibus Archiepiscopalibus unitum & congregatum fuerit capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, nominatus est pro parte nostra, ut, quod dictum est, exsequatur, D. Licentiatus Bartholomæus Menachus canonicus hujus sanctæ Ecclesiæ, & pro parte dicti capituli D. Doctor Antonius à Molina canonicus pariter hujus sanctæ Ecclesiæ, præsente in eadem nominatione & electione Francisco de Alarcon, presbytero sæculari, secretario dicti capituli. Et postquam nos, & dicti domini canonici vidimus, & contulimus, quòd ordinare & providere conveniret in jam relatis; & postquam pariter attentè consideravimus bonos & laudabiles mores, & cæremonias, quæ observantur in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus Hispaniæ, & in hac sancta Ecclesia, resolvimus, consensimus, & determinavimus in dicta conformitate sacri Concilii Tridentini, quòd ad gloriam & honorem Dei Domini nostri debeant observari capitula & ordinationes sequentes.*

CAPUT I.

De campanis.

Quomodo pulsari debeant.

MInistri sacrarii specialem curam habebunt, ut campanæ, & earum linguæ, & funes bene habeantur, & ut porta, quâ in turrim ascenditur, sit clausa, nec eò pateat accessus pueris, vel aliis personis, quæ ad illas suo tempore pulsandas necessariæ non sunt.

Ad Primam sonabunt ordinariè per unam horam.

Ad Tertiam, per unum quadrantem.

Ad Sextam, per quadrantem.

Ad Nonam, quando ante prandium dicitur, per quadrantem; sed post prandium, per integram horam.

Ad Vesperas, quando Nona ante prandium dicitur, per horam.

Quando verò Nona post prandium dicitur, pulsabitur ad Vesperas per quadrantem horæ, postquam per horam sonuerit ad Nonam.

Et quando Vesperæ dicentur ante prandium, ad illas pulsabuntur per unum quadrantem, post factam elevationem in Missa majori, & debent tunc Vesperæ inchoari ad minus horâ undecimâ.

Ad Completorium, quando Vesperæ dicuntur ante prandium, pulsabitur per unam horam.

Et quando Vesperæ vesperi dicentur, pulsabitur ad Completorium per unum quadrantem.

Ad Matutinas pulsabitur per horam.

Quando omnes dictæ horæ una post alteram continuò sine temporis interpolatione dicentur, tunc dabunt duodecim tractus campanæ.

Ad Missam majorem pulsabitur uno quadrante horæ.

Et

Et quando erunt festa solennia, pulsabitur replicato tractu per integram horam, & tintinnabulo per quadrantem; ita ut sint quinque quadrantes in tota pulsatione.

II.

Quando, & qua hora pulsandæ campanæ.

MInistri sacrarii, seu sacristani, omni tempore pulsabunt ad Primam per unam horam, ut dictum est, cum una campana mediocri, quam per medium illius horæ pulsabunt tractim distinctis ductibus, uno post alterum, & per tertium quadrantem tractim quoque, sed festinantiùs, & distinctis ductibus, sed duplicibus; & ultimo quadrante pulsabitur campanula, seu tintinnabulum, quod vulgò vocant *Aguijon*; ita quod tota pulsatio fiat per integram horam.

A primo die Maji, usque ad ultimum Octobris pulsabunt ad Primam, à media septima Matutina, ad medium horæ octavæ: & à primo Novembris usque ad ultimum Aprilis, ab hora sexta usque ad septimam.

Ad Tertiam, & Missam majorem, à primo Maji usque ad ultimum Octobris pulsabunt ab hora octava & dimidia, usque ad nonam; & si diei qualitas postulet, ut omnes campanæ pulsentur crepitatim, vulgò à *repique*, pulsabunt uno quadrante priùs: ita ut in media hora edantur tres crepitus solennes cum pausa inter ipsas, & ultimo quadranti qui restat usque ad horam nonam, pulsetur tintinnabulum, ad hoc ut prębendarii & reliqui ministri conveniant ad chorum.

A prima Novembris usque ad ultimum Aprilis, pulsabitur ad Tertiam, & Missam majorem ab hora octava usque ad mediam nonæ, uno quadrante per unam vel duas campanas, juxta qualitatem temporis, & altero quadrante sonabit tintinnabulum.

Si fuerit dies jejunii, pulsabitur semper ab hora nona usque ad medium decimæ: & si fuerit festum duplex, in quo debeat edi crepitus, observabitur quod suprà dictum est.

Ad Nonam, quando dicitur post prandium, pulsabitur semper una hora, à secunda pomeridiana usque ad tertiam, una campana mediocri, prima media hora tractim per simplices ductus, & uno quadrante tractim celeriùs per duplices ductus, & ultimo quadrante trahetur tintinnabulum usque ad horam tertiam pomeridianam.

Ad Vesperas, quando post prandium dicuntur, immediatè post Nonam pulsabitur ad ipsas per unum quadrantem. Sed cùm Nona dicta fuit ante prandium, tunc ad Vesperas post prandium pulsabitur unâ horâ, hoc est à secunda usque ad tertiam, cum una, vel duabus campanis, aut simplici vel crepitante sonitu, prout temporis, & festivitatis ratio requiret, & auditâ tertiâ pulsabitur tintinnabulum per quadrantem horæ.

A primo sabbatho Quadragesimæ usque ad sabbathum sanctum pulsatur ad Vesperas ab elevatione Missæ majoris usque ad finem ejusdem, cum una vel duabus campanis, vel tractu solenni, juxta rationem festivitatis, exceptis Dominicis, in quibus pulsabitur post meridiem modo superiùs præscripto.

Ad Completorium in Quadragesima pulsabitur per unam horam, id est, à quarta Vespertina usque ad quintam, cùm una campana mediocri, quæ pulsabitur primâ mediâ horâ tractim per simplices ductus; & tertio quadrante celeriter per duplices ductus, & quarto quadrante sonabit tintinnabulum. Quando autem alio tempore dicetur Completorium post Vesperas, observabitur quod in aliis horis ordinatum est, quando dicuntur continuè, sine interpolatione temporis.

Sexta dici debet, ut ordinatur in Missali; ut inferiùs ordinabitur de reliquis horis.

Ad Matutinum pulsabitur per unam horam, & in nocte Nativitatis fiet crepitus continuus omnium campanarum, ab hora octava noctis usque ad duodecimam cum multa solennitate, & eodem modo per easdem horas fiet in nocte Resurrectionis.

Ad Matutinas tenebrarum, die Mercurii septimanæ sanctæ, pulsabitur à media hora post quartam vespertinam, usque ad medium sextæ cum una campana magna, ipsam pulsando tractim ictibus binis & binis. Et die Veneris sancto, postquam signum datum fuit ad Completorium ab hora tertia ad quartam, finito Completorio dabunt signum ad Matutinum tenebrarum per quadrantem horæ, ita ut incipiant horâ quartâ cum dimidia, & tali tempore, quod possint illa die exire à Matutinis, cùm jam noctescit, seu illâ horâ qua aliàs pulsatur ad salutationem Angelicam, seu *Ave Maria*.

Postquam die Jovis sancto recluditur sanctissimum sacramentum, non pulsantur campanæ usque ad sabbathum sanctum, cùm cantatur *Gloria*, excepta pulsatione, quæ fit ad Sermonem, qui habetur sub mandatum seu lotionem pedum: quæ pulsatio fit cum una campana ex majoribus, & durat ab hora secunda pomeridiana usque ad tertiam; sed loco campanarum interea pulsatur crepitaculum manuale ad omnes horas.

Sabbatho sancto, & sabbatho Pentecostes, ad *Gloriam*, fiet crepitus omnium campanarum totius civitatis; & præfecti sacrarii curabunt moneri parochos parochialium Ecclesiarum, & Religiones ut exspectent & attendãt, ut Ecclesię Cathedrales eos præcedant in pulsando, ut nuper provisum est in Concilio Provinciali in hac civitate celebrato anno MDLXXXIII. & à sua Sanctitate approbato.

III.

Quando campanarum concrepatione pulsandum.

IN festis Paschalibus anni, & in omnibus festis Domini nostri, & Dominę nostræ, & omnium Apostolorum, & Euangelistarum, & S. Joannis Baptistæ, & S. Laurentii, & omnium Sanctorum, & in omnibus processionibus generalibus, quæ exeunt ex Ecclesia ad alium locum, & quando effertur sanctissimum sacramentum ad infirmos, & quando reportatur, fiet crepitus omnium campanarum; & in his festivitatibus, ortâ aurorâ concrepabunt, cum tribus interpolationibus, antequam pulsetur ad Primam. In reliquis autem festivitatibus, si feriandum sit, fiet concertatio duarum campanarum mediocrium: quia si non sit feriandum non fiet, excepto casu, quo officium Sancti transferatur in diem quo non laboratur: quia in tali casu fiet concertatio companarum.

Una ex magnis campanis ordinariè pulsabitur ad præfationem Missæ majoris dando tres ictus, & in meridie novem, & ad *Ave Maria* alios novem. Et ad convocandum populum, quando sanctissimum sacramentum deferendum est ad infirmos, dabuntur quinque ductus.

Eadem magna campana pulsabitur ad concionem quoties prædicabit aliquis Episcopus. Et quoties parochus ministraturus est sacramentum extremæ-unctionis alicui infirmo, dabuntur tres ictus ejusdem campanæ.

Ad vocandum parochum & sacristam non pulsabitur magna campana, sed una mediocris. Et pro parocho dabuntur ictus quatuor, & pro sacrista tantùm duo.

IV.

Ad interdictum.

TEmpore interdicti pulsabitur pro laudabili consuetudine, quam tenebat, & tenet hęc sancta Ecclesia; ita ut non pulsentur campanæ ad horas canonicas, vel ad aliud quippiam quod sit officium divinum.

V.

Quomodo repetitis ictibus pulsandæ campanæ.

CUM inchoantur Vesperæ defunctorum in die omnium Sanctorum, debet statim incipere duplex sonitus omnium campanarum, quod vulgò vocant *doblar*, & durare usque ad horam octavam noctis, & ab aurora usque dum finiuntur Missa major, & responsoria pro defunctis, quibus officiis capitulum interesse debet. Quando morietur aliquis, cujus exequiis capitulum adstiturum sit, si fuerit sæcularis & vir, fient cum omnibus campanis mediocribus, & simul una magna, tres strepitus; & si fuerit fœmina, duo strepitus tantùm. Sed cùm Prælatus, vel aliquis ex Præbendariis obierit, fiet duplex sonitus omnium campanarum simul cum magna mora: atque idipsum observabitur in Missis & Anniversariis.

Quando defunctus cum solis parochis, atque assistentia capituli sepeliendus est, pulsabuntur tantùm duæ campanę mediocres, edendo tres strepitus, si fuerit vir; si verò fœmina, duos tantùm: & statim pulsabitur de tractu in tractum, cum vicissitudine campanarum.

Octavâ horâ noctis debet ordinariè pulsari pro animabus Purgatorii, sonitu omnium campanarum, juxta consuetudinem hactenus observatam. Et exinde nullâ horâ noctis trahentur, vel pulsabuntur campanæ usque ad auroram, præter tractus qui fiunt pro Prælato, Pro-rege, vel præbendario, vel pro alia persona, pro qua jusserit Prælatus ut fiant tractus; ita quòd pro alia persona præter hîc nominatas, non possint trahi campanæ noctu, sine expressa licentia Illustrissimi Archiepiscopi, vel eo absente, sine licentia capituli.

CAPUT VI.

Quomodo, & quo ordine intrandum, & assistendum ad horas in choro.

TAM Beneficiati, quàm reliqui ministri, à decano usque ad acoluthum, conveniant ad horas antequam terminetur primus sonitus tintinnabuli, quod vocant *aguijon*.

Intrabunt chorum faciendo humiliationem, & flectent genua usque ad terram coram sanctissimo sacramento. Et unusquisque perget inde ad suum locum, faciendo reverentiam, & profundam humilitatem versùs Prælatum, si adsit, capite aperto, ac demissis manicis superpellicei. Et in ipsius absentia versùs præsidentem qui tunc erit, exhibendo ipsi aliquam reverentiam, deinde in loco, in quo debet exsolvere officium, flectet genua, & præparabit animum. Finito pulsu tintinnabuli, præsidens faciet signum, & omnes surgent, & versa facie ad altare dicent in silentio: *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*, ad Matutinum & Primam: ad reliquas autem horas: *Pater noster*, & *Ave Maria* tantùm. His finitis præsidens facit secundum signum, & Hebdomadarius incipit horam, capite discooperto, demissisque manicis superpellicei. Quo modo totus chorus debet tunc se habere, & finito *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, &c. Cooperiunt capita, & elevant manicas, dictoque Invitatorio, & Hymno, dum incipitur primus Psalmus majorum horarum, omnes sub medium versus sedeant, sine sellarum strepitu, illas paullatim demittendo. Juvenes tamen chorales, quamvis subdiaconi vel diaconi sint, non sedebunt, sed toto tempore officii semper ante odeum in pedibus persistent, in

quo

quo loco ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, in choros hinc inde diviſi ſe mutuò reſpiciunt, ita ut ſemper ſtent, præterquam ad Martyrologium, & Epiſtolam, & Lectiones Matutini, & Lectionem Completorii. Finito Pſalmo, ad medium poſtremi verſus, omnes qui ſedent, ſurgent, & ad *Gloria Patri*, detegent capita, & manicas demittent.

In choro magnam membrorum, & ſenſuum diſciplinam obſervabunt, non ad ſedes inclinati, neque cubitis ad ſedilium diviſoria fulti, vel manibus in eadem extenſis: & quando ſedebunt elevabunt ſuperpellicea, ne ſuper illa ſedeant: nec illis abſtergant ſudorem, aut alias res mundent. Nec tempore caloris ventulum ſibi per illa, tanquam flabella, facient. Et nemo manicas collo circumvolvet, ſi non patiatur notabilem infirmitatem. Præſes curabit, ut omnes illæ cæremoniæ inviolabiliter obſerventur, & ſtatim puniat rebelles, ipſos illius horæ diſtributionibus privando, ſuper quo oneratur ipſius conſcientia.

Omnes quotquot non acceſſerint ad *Gloria Patri* primi Pſalmi aliarum horarum, & qui non interſunt principio verſus: *Quadraginta annis &c.* perdent diſtributiones illius horæ, cui ſic deerunt.

Dum celebratur officium in choro, nemo ſæcularium illuc intromittatur, præter Pro-regem, Gubernatorem, vel Auditores Regios, ſupremum judicem Regium, Fiſcales, ſupremos Miniſtros juſtitiæ, ſacrę Inquiſitionis, vel Tribunalis Regii, Dominos titulares, aut horum filios, Prætorem ordinarium hujus urbis, Commendatores Ordinum Militarium, aut Equites principales.

Præbendarii perpetuò manebunt in ſuis ſedilibus, nec ſua cuiquam cedant, præterquam perſonis in ſuperiori regula comprehenſis. Quòd ſi conveniant Prelat Religionum, dabuntur ſedilia tantummodo Vicariis generalibus, Viſitatoribus, Commiſſariis, Provincialibus, & Prioribus, Commendatoribus, & Rectoribus hujus civitatis, & non alteri perſonę conventuum. Et Præbendarii nullo modo relinquant ſedilia ſua eundo ad ſedendum ad ſcamna vel ſubſellia chori. Poterunt tamen in choro eſſe laïci, qui ſunt cantores, vel alioquin miniſteriales.

CAPUT III.

De ſilentio.

ET quia totus decor cultus divini conſiſtit in obſervatione ſilentii, de re nulla loquentur in dicto choro dum dicitur officium, ſed omnes magna attentione cogitabunt & advertent ad illa quæ dicuntur. Et præſes magnam adhibebit curam, ut ſervetur ſilentium; & hoc ſuper omnia zelare debent. Prima vice qua quis locutus fuerit, poſtquam ad horas intraverit in chorum, fiet ei ſignum quo moneatur ut ſileat, & ſecunda vice fiet ſignum punctatori chori, ut illum privet penſo illius horæ, & hoc irremiſſibiliter: ſuper quo ipſius conſcientiam ſtrictè oneramus.

Item dum dicitur officium, nulla perſona legat vel ſubſcribat literis, nec ſcribat in choro, nec in eo fiant computus, nec diſtributiones, nec tractetur calamus, excepto punctatoris ad puncta in libro ſignanda; & ſi aliquis laïcus ſit in choro, nullus Beneficiarius, vel famulus ipſum alloquendum accedat. Et ſi præſes aliquem admonuerit, ut abſtineat à loquela; ſi obedire noluerit, puniatur privatione ſtipendii integræ horæ,

Item non permittet præſes, ut in choro ſint joci, riſus, nutus, vel aliæ res indecentes, nec ut ex uno choro in alterum mittantur nuncia, nec mutent locum, tranſeundo de uno in alterum, nec ullus peculiariter oret, vel cum libro vel abſque illo; ſed omnes cantent, & attendent aliis cantantibus, quando cantandum erit. Curabit etiam præſes, ut omnes ibi debito modo ſe gerant, & inobedientes punientur privatione ſtipendii unius horę, vel ampliùs, juxta rationem demeriti, & qualitatis delicti.

CAPUT IV.

Quando ſtandum in choro.

STabunt recti per totum officium Dominæ noſtræ, etiam ad lectiones ejuſdem officii. Item in principio omnium horarum poſt ſignum à præſide datum, uſque dum abſolvetur *Alleluia*, vel, *Laus tibi Domine*, ut ad Invitatorium & hymnos, & quando dicitur *Gloria Patri*, uſque ad *ſæcula ſæculorum. Amen.* Et ad Capitula, & Reſponſoria brevia, & ad Orationes, & lectionem Euangelii in Matutino. Ad Symbolum: *Quicumque vult.* Ad canticum: *Te Deum laudamus*, & *Magnificat*, & *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, ad preces quotidianas: & quando dicitur *Confiteor Deo*, & *Miſereatur veſtri*, & *Indulgentiam*, & *Miſereatur tui*, debet ſtare Prælatus, dum dicuntur, & ad *Pretiſa*, & Antiphonas, quando cantantur. Et ſic pariter ad primas benedictiones, & ad omnia illa quæ dicenda ſunt per Prælatum, quamvis ipſe ſedeat, & chorus alioquin genuflectat. Ad Pſalmum: *Ecce nunc benedicite Dominum*, & ad *Laudate Dominum omnes*, & ad *Laudate pueri Dominum*, vſque ad verſum *Sit nomen Dominum benedictum*, incluſivè, & univerſaliter quoties cantant cum nota punctata. Quod autem ſpectat ad cæremonias Miſſæ, quando debeant ſtare ſequentur rubricas novi Miſſalis, & laudabiles conſuetudines hujus ſanctæ Eccleſiæ.

CAPUT V.

Quando ſedendum.

SEdebunt ad omnes Pſalmos horarum majorum, exceptis dictis in capitulo præcedenti, ad quos debent ſtare. Debent ſimiliter ſedere, quando leguntur Lectiones in

matutinis, & responsoria, & versus qui dicuntur in tono, & ad versus responsoriorũ quæ cantantur, & ad Martyrologium, & ad Lectionem Completorii: *Fratres sobrii*: & ad absolutionem capituli Primæ, & ad totum ferè officium defunctorum, & ad canticum graduum, & ad Epistolam, & Prophetias. Et quod ad Missam pertinet, debent sedere juxta rubricas novi Missalis, & laudabiles consuetudines, hujus Ecclesiæ.

CAPUT VI.

Quando genuflectendum.

QUando recitantur Psalmi graduales debent flectere utrumque genu ad *Kyrie eleison*, & reliqua quę sequuntur, ut notatur in rubricis ipsorum Psalmorum gradualium: & pariter genuflectere debent ad Psalmos Pœnitentiales, & Litanias in feriis sextis Quadragesimæ, quando fit officium de feria, ut notatur in Breviario: quemadmodum in feriis Adventûs, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum: in laudibus, & aliis horis dicuntur preces flexis genibus, si non sit festum de quo fiat officium; ad quas preces identidem genuflectit hebdomadarius usque ad versum, *Dominus vobiscum* ante orationem, & reliqui chorales persistunt in genibus usque ad versum *Benedicamus Domino*, post orationem, ut in Breviario notatum est; ut etiam genuflectent in officio defunctorum, juxta præscriptum Breviarii. Item genibus flexis dicent antiphonas Dominæ nostræ, quæ dicuntur post horas, nisi tempore Paschali: & ad orationes dictarum antiphonarum surget hebdomadarius ad eas dicendas, ut notatur in Breviario. Debent etiam genuflectere ad *Pater noster*, quod dicitur in fine officii divini.

Item ad confessionem Primæ & Completorii, si Prælatus adest, debet chorus genuflectere: & Prælatus ipse ad confessionem dicendam debet se erigere in pedes, ut similiter ad *Indulgentiam*, & *Misereatur vestri*, & *Misereatur tui*, & *Indulgentiam*. Sed quando Prælatus non fuerit præsens, debent omnes ad illa stare.

Debent etiam genuflectere ad versum, *Te ergo quæsumus*, usque ad versum, *per singulos dies*, exclusivè; & ad integrum hymnum, *Ave maris stella*, & *Veni creator Spiritus*, & *O crux ave spes unica*, & ad benedictionem quam dat Prælatus in *Magnificat* ad versum *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, & in completorio, sub illius finem, cum dicitur, *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*: & non surgent à genuflexione, donec Prælatus fecerit signum.

Dictæ genuflexiones cessent inter Pascha & Pentecosten. Et quod ad Missam attinet, circa genuflexiones, observabunt rubricas Missalis, & laudabiles consuetudines, quæ erunt in usu.

CAPUT VII.

Quando se convertunt ad altare.

STatur versa facie ad altare postquam præses fecit secundum signum, usque dum absolvatur *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, ad omnes orationes, quæ dicuntur in officio & in Missa, & ad Euangelium. Et hebdomadarius vertit se ad altare, quando dicit capitula & benedictiones Matutini, tam diei, quàm Dominę nostrę.

CAPUT VIII.

Quando deponenda bireta, & manicæ demittendæ.

APerient capita, & manicas demittent, quando chorum intrant & exeunt, dum reverentiam faciunt versùs altare majus, & cum dicitur *Pater noster*, & *Gloria Patri*, & ad ultimum versum Hymnorum, & ad orationes officii majoris, & minoris, & ad *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, & ad Symbolum Athanasii: *Quicumque vult salvus*. Et ad initium *Gloria in excelsis*, & quoties unusquisque intonat cantum, vel aliquid solus dicit cum socio. Et dimittent manicas ad *Alleluia* cum suo versu, non tamen inter Pascha & Pentecosten ad primum *Alleluia*, quia tunc dicitur loco Gradualis. Demittuntur manicæ etiam in Missa majori ad *Pax Domini*, donec sacerdos communicet.

Illi chorales qui non sunt sacerdotes, semper assistunt choro sine biretis, nisi sint Beneficiarii. Poterunt tamen illa in hyeme gestare, & qui notoriam infirmitatem patiuntur, poterunt ad omnes horas portare bireta. In omnibus processionibus dimittuntur manicæ.

CAPUT IX.

Quando inclinanda capita.

INclinant capita versùs majus altare, quoties cum licentia transeunt ab uno choro ad alterum, & quoties absolvunt versum, vel aliud quippiam in choro, & quoties pronunciatur sanctum nomen Dominæ nostræ Virginis Mariæ, vel Sancti, de quo fit officium, & quando in Invitatorio dicitur: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*; & *Suscipe deprecationem nostram*. Et quod ad Missam pertinet, servabuntur rubricæ Missalis.

CA-

CAPUT X.

Quando cantandum officium, & quando dicendum tono simplici.

MAtutina & Laudes cantantur tota in solennitatibus Nativitatis, Resurrectionis, & Pentecostes, & Corporis Christi, & in die Ascensionis, & in diebus Nativitatis & Assumptionis Dominæ nostræ, S. Joannis Euangelistæ, & S. Petri, cantabunt solummodo Invitatorium, Hymnos, Lectiones, & *Te Deum laudamus*, & capitulum *Benedictus*, & orationem.

Pariter etiam cantari debent Prima, Tertia, Missa major, Vesperæ, & Completorium. Et simplici tono recitari officium parvum Dominæ nostræ, & defunctorum, & Psalmi Pœnitentiales, & Graduales temporibus suis, cùm juxta regulas Breviarii dicendi fuerint: ita ut in diebus duplicibus & semiduplicibus Prima cantetur manè, & Tertia ante Missam majorem etiam cantetur; & post Missam majorem recitetur Sexta in tono, & Nona pariter in tono, post meridiem ante Vesperas, & Vesperæ & Completorium cum cantu.

In festis simplicibus dicitur Tertia in tono, & Sexta ante Missam cantetur, & ipsa pariter Missa cantetur post Sextam. Et post Missam Nona dicetur in tono, & Vesperæ & Completorium à meridie cantantur omni tempore. In diebus Vigiliarum, Quadragesimæ, Adventus, Prima cantetur, & Tertia, & Sexta recitantur; quod intelligitur in officio feriali: Nona verò tunc cantatur ante Missam majorem. Et in Quadragesima Vesperę cantantur ante meridiem, & Completorium similiter vesperi cantetur. In Dominicis autem & festis dicantur ut suprà præscriptum est.

CAPUT XI.

Quibus horis ministri altaris debent ire ad Missam.

DEbent ad chorum convenire ad horam quæ dicitur immediatè ante Missam majorem, unde exibunt associati à presbytero: ante quem à choro ad sacristiam debent præcedere portionarius diaconus per septimanam designatus, & subdiaconus, & bedellus cum pertica, & duos sacristani, & duo juvenes chorales.

Cum appulerint ad sacristiam, sacerdos, & diaconus, & subdiaconus lavabunt manus in fonte qui ibi parari debet, tergendo manus in linteo, qui ad eundem effectum sit semper paratus, & sacristani cum acoluthis assistent ad induendum sacerdotem, & ministros diaconum & subdiaconum, cum magna cura, ut sint bene vestiti & ornati: & servent altum silentium in sacristia, cujus rei peculiarem curam gerat sacrista, & quòd illuc nullus laïcus intret, sed ut observetur silentium, & magna disciplina.

Cùm omnes ministri altaris majoris fuerint parati, & inchoatus fuerit in choro versus introitûs Missæ, tunc egredientur hoc modo: in anteceſſum ibit bedellus, post hunc sacrista cum thuribulo, & post eum acoluthi cum candelabris, quos sequentur subdiaconus, & post ipsum portionarius diaconus, ac demum presbyter; omnes tres junctis manibus, & capite tecti, etiam subdiaconus. Nullus super altare collocet biretum, aut aliud quippiam. Nec ullus ministrorum ad altare portet librum ad recitandum, nec votivas preces ullatenus ibi recitent, sed omnes attendent ad illa quæ dicuntur, & aguntur, vel dicenda & agenda sunt in officio Missæ.

Quod ad Missæ cæremonias pertinet, Prælato ibi præsente, vel non præsente, vel quando Prælatus ipse celebrat, observentur rubricæ Missalis, & Brevia in eo contenta, & Pontificale. Item quando sedendum, surgendum, genuflectendum, & qua hora dicenda sit Missa major, & post quas horas canonicas, videatur idem Missale.

Circa *Asperges*, & *Vidi aquam*, servabitur regula Missalis, & Motus proprius Gregorii XIII. qui habetur in fine ejusdem Missalis: & quando aspergendus est chorus, fiet forma sequenti. Presbyter cum suis ministris, & bedellus cùm acoluthis ibunt ad chorum ad aspersionem, observando ordinem Missalis. Et quando Prælatus, vel alia persona insignis celebrabit Missam, servabitur in aspersione ordo ejusdem Missalis.

Finitâ Missâ, presbyterum qui celebraverit alii comitabuntur à sacristia ad chorum, eodem ordine & modo, quo ipsum priùs duxerunt à choro ad sacristiam.

Organo nunquam inchoantur *Kyrie eleison*, quæ semper cantari debent: & quando organum adhibetur, debent ipsorum quinque cantari per chorum, & quatuor tantùm organo relinqui. Primus versus *Gloria in excelsis*, debet cantari à choro, & organum, quando exercetur, vicissim respondere: & nunquam incipietur ab organo, sed à choro. Et quando fit cantus organicus, non resumunt organa primũ versum, nec ad ipsum pulsantur ad *Deo gratias*, quod dicitur post *Benedicamus Domino*, & post *Ite Missa est.* & ad inchoandum *Credo* nunquam pulsantur organa.

CAPUT XII.

De Matutinis, & Laudibus.

FInito ultimo sonitu tintinnabuli *agnijon*, cum hebdomadarius recitavit *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*; stans erectus in suo sedili, versa facie ad altare, & dimissis manicis superpellicei, dicat alta voce *Domine labia mea aperies*, signando sibi os signo crucis, ac dato per chorum responso, iterum se signando

à fronte usque ad pectus, eodem tono dicet: *Deus in adjutorium*, & stantibus omnibus respondebit chorus continuò usque ad *Gloria Patri*, & & *Alleluia*, vel, *Laus tibi Domine*, pro ratione temporis.

Invitatorium inchoabunt pluvialibus induti duo, quatuor, vel sex, si tot fuerint: vel quatuor, duo, aut sex præbendarii, pro ratione solennitatis. Si fuerit festum quatuor pluvialium, omnes simul incipient Psalmum, *Venite exultemus*, & continuabunt usque ad *præoccupemus faciem ejus*, & deinceps post hanc partem duo tantùm ex paratis pluviali dicent reliqua usque ad finem illius Psalmi, choro Invitatorium repetente.

Omnibus in pedes erectis, illi pluvialibus induti inchoabunt Hymnum, & chorus uterque alternatis versibus prosequetur. Finito hymno, iidem pluvialibus induti, intonabunt primam antiphonam Nocturni: & si fuerit festum duplex, totam simul cum choro continuabunt, & ipsi intonabunt primum Psalmum usque ad medium versûs. Postea duo ipsorum, qui fuerint ex parte adversa hebdomadario, commendabunt secundam antiphonam duobus præbendariis chori sui: quâ finitâ, ipsimet intonabunt secundum Psalmum. Et hoc ordine commendabunt omnes reliquas antiphonas, & Psalmos trium Nocturnorum. Si autem festum fuerit duorum pluvialium, eundem ordinem observabunt, præterquam quòd tunc unus hinc, & alter inde, in alterutro choro commendet antiphonas ad suam partem pertinentes. Præbendarius autem cui commendabitur, intonabit ipsam; & qui commendavit, intonabit Psalmum usque ad medium versûs; & præcentor inchoabit Hymnum & Psalmos.

Finito tertio Psalmo, & ejus antiphona, parvi cantores duo, vel unus, juxta rationem solennitatis, dicunt versum retrò magnum pluteum. Et hebdomadarius stans in suo sedili statim incipit *Pater noster*, sicut in initio, & versum, & *Nemos*, in tono alto, & absolutionem, & ad quamvis Lectionem, cùm eam lecturus petierit per verba: *Jube Domine benedicere*. Et eundem ordinem servabit in reliquis Nocturnis.

Versum primi responsorii in festis valdè solennibus dicent simul omnes induti pluvialibus, & versum secundi, tertii, quarti, quinti, sexti, & septimi responsorii, duo tantùm; & versum octavi totus chorus, & pluvialibus induti tenendo virgas in manibus; & si fuerint duo parvi cantores, dicent secundum versum.

In festis non adeò solennibus, omnium responsoriorũ versus dicent prębendarii, singuli singulos pro suo choro: & quando nullus erit indutus pluviali, omnia ista dicent præbendarii: & si fuerit aliquis parvus cantor, dicet secundum versum.

In dublicibus valdè solennibus primam Lectionem leget unus portionarius, secundam unus canonicus, & tertiam una Dignitas, quartam unus canonicus, quintam unus canonicus, & sextam una Dignitas, septimam unus canonicus, octavam una Dignitas, & nonam Prælatus, vel hebdomadarius. Et cùm Prælatus lecturus sit nonam, petet benedictionem dicendo: *Jube Domne benedicere*, & nemo respondebit; sed post breve intervallum chorus dicet, *Amen*. Et si non fuerit festum tam solenne, octavam leget unus canonicus, & nonam hebdomadarius.

In diebus ferialibus & vigiliis, & in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & rogationum, primam Lectionem leget portionarius, secundam canonicus, & tertiam Dignitas.

Finitis Lectionibus, illi qui erunt induti pluvialibus incipiunt Hymnum: *Te Deum laudamus*. Et si fuerit festum simplex vel feria incipiet præcentor, & prosequetur chorus, omnes in pedes erecti.

Laudes.

FInito hymno, hebdomadarius stans in suo sedili, solutis manicis, & signando se, incipiet: *Deus in adjutorium meum intende*, & respondebit chorus usque ad finem *Gloria Patri*, & pluvialibus induti, si fuerint, vel si non fuerint, ipsi præbendarii intonabunt, & dicent primam antiphonam; & si fuerit duplex, dicent totam, & intonabitur primus Psalmus ordine consueto in hac sancta Ecclesia.

Dicto quinto Psalmo cum sua antiphona, hebdomadarius, quando Matutinæ cantabuntur, eadem corporis compositione, qua cœperat, dicet capitulum, eoque finito descendet ex choro, solutis manicis superpellicei, & plicatis ad brachium ibit ad sacristiam pro pluviali, cum comitatu in hac sancta Ecclesia solito, deponendo biretum, & faciendo humiliationem Prælato, si adfuerit in choro; & si non, versùs præbendarios: & interim dum revertitur ad chorum, cantores incipient hymnum, & continuabitur à choro & organo: & in ejus fine duo juvenes chorales, vel duo cappellani dicent versum; cui cùm respondebit chorus, tunc illi qui pluvialibus induti fuerint, vel præcentor intonabit antiphonam ad *Benedictus*, & cantores finitâ antiphonâ incipient canticum *Benedictus*, ad quem omnes astabunt: & nunquam inchoabitur per sonitum organi.

Cùm intonatur canticum *Benedictus*, sacerdos cum solita comitiva exit à sacristia, & incensabit altare, ac deinde perget ad chorum, & incensabit Prælatum & chorum, & finita incensatione, & antiphona, dicit orationem, & terminantur Matutinæ & Laudes cum antiphona Dominæ nostræ quæ tempori conveniet, toto choro illam sub missa voce, & presbytero similiter orationem recitante.

Quod ad Matutinas & Laudes in noctæ Nativitatis attinet, præsente Prælato observabitur ordo præscriptus in Pontificali.

Organum nunquam inchoabit *Benedictus*, sed chorus.

CA-

CAPUT XIII.

De Prima.

HEbdomadarius ad horas minores destinatus, observando eundem ordinem, & corporis compositionem, quæ in Matutinis diximus, recitatis *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*, incipiet versum: *Deus in adjutorium meum intende*, & continuabit chorus, ut antè diximus, usque ad hymnum, quem inchoabit præcentor, & chorus alternis versibus prosequetur, & antiphonam intonabit unus parvus cantor ad latus plutei, vel si solennitas exegerit, ut ab uno Beneficiato incipiatur, qui antè præmonebitur ab eo qui habet officium commendandi, ille eam intonabit erectus in pedes, solutis manicis, & facie versa ad altare, cum libro in manu, quem postea dabit illi qui commendavit antiphonam, & hic eum recipiendo faciet profundam humiliationem.

Primum Psalmum inchoabit præcentor, & omnes Psalmi per ambos choros alternis versibus continuabuntur, stantibus singulis in suis locis cum magna disciplina, ac decentia, vel sedentibus, exceptis diebus Dominicis, in quibus dicendum erit: *Quicumque vult*: quod stantibus omnibus dici debet; & finitis psalmis, totus chorus dicet integram antiphonam.

His absolutis, hebdomadarius illicò solutis, ut dictum est, manicis; & versùs ad pluteum, quem cum libro juxta suam sedem habebit, pronunciabit capitulum, & choro respondente *Deo gratias*; duo parvi cantores, vel unus, pro ratione solennitatis diei, dicent responsorium breve cum suo versu, omnibus in pedes erectis. Et si fuerit festum duplex, hebdomadarius dicit orationem eodem loco, eademque compositione corporis, quibus dixit capitulum.

Tempore Adventùs, cùm gestabuntur cappæ, semper quoties hebdomadarius capitulum, orationem, vel aliud ad ipsius officium pertinens solus legerit, debet demittere angulos cappæ: & cùm illa indutus procedit à sacristia ad chorum cum ministris, debet capitium cappæ in suo capite gestare, & sic etiam reliqui Beneficiarii, observando, ut anguli cappæ soluti deorsum pendeant quoties intonant antiphonam, psalmum, vel dicent aliquem versum; & canonicus assistens id ipsum faciet præsente Prælato, quando accedet ipsum. Et quando non sunt cappæ in omnibus his actionibus demittent manicas superpellicei, cum uno gyro circa brachia.

In diebus precum, qui non sunt feriales, ut sunt illæ quæ dicuntur ad Laudes, debent simul cum confessione stando recitari, & capita parumper ad confessionem inclinando: sed quando preces erunt feriales, debent in eis genuflectere usque ad finem orationis, quam recitabit presbyter erectus in pedes, & eâ finitâ, dicetur prima Dominæ nostræ, & finita oratione, cum nihil ampliùs dicendum restat, pronunciabitur Martyrologium, & statim post incipiet *Pretiosa* cum omnibus suis versibus. Et absoluto tertio dicetur oratio *Dirigere*: qua finita aliquis parvorum cantorum petet benedictiunem pro Lectione brevi, eamque elata voce dabit presbyter. Post *Tu autem Domine*, dicto: *Deo gratias*, hebdomadarius absolvet Primam.

CAPUT XIV.

De Tertia, Sexta, & Nona.

IN istis tribus parvis horis observabitur idem ordo qui in Prima, excepto quòd in principio dictis *Pater noster*, & *Ave Maria*, tantummodo hebdomadarius incipiet: *Deus in adjutorium meum intende*, & præcentor intonabit Hymnum, quo per chorum alternatim finito, intonabit antiphonam ille ad quem spectabit. Et cùm fuerint preces, recitabuntur flexis genibus, ut dictum est, pro ratione temporum.

CAPUT XV.

De officio Dominæ nostræ.

OFficium Dominæ nostræ dicetur diebus consuetis in hac sancta Ecclesia, & recitabitur totum tono summisso, excepto hymno *Ave Maris stella*, & versu *Quia respexit*, ad quæ omnes debent genuflectere, ut fert consuetudo hujus sanctæ Ecclesiæ.

Matutinum & Laudes Dominæ nostræ debent dici ante Matutinum officii majoris, ut & Vesperæ ante Vesperas majores; reliquæ verò horæ alternatim, ita quòd post quamlibet majorem dicatur una Dominæ nostræ, hoc modo: Prima post Primam, & sic in Tertia, Sexta, & Nona, idem observabitur ordo.

CAPUT XVI.

De Vesperis præsente Prælato.

QUando Prælatus interfuerit Vesperis, tunc sex, quatuor, vel duo, cappis seu pluvialibus induti, venient ordine in hac sancta Ecclesia usitato, præcedente bedello, & post ipsum tot parvis cantoribus, cum suis virgis, quot fuerint alii cappis induti: & in pavimento inter utrumque chorum facient humiliationem sanctissimo sacramento depositis biretis. & cùm accesserint ad sua loca facient humiliationem versùs Prælatum; & hebdomadarius, qui dicturus est Vesperas, cum ea compositione quam in Matutinis præscripsimus, humiliet se versùs Prælatum, in signum quòd petat ejus licentiam; & versa facie ad altare, dicat: *Pater noster*, & *Ave Maria*: ac deinde incipiat: *Deus in adjutorium*. Et respondet chorus, ut dictum est.

Qui pluvialibus induuntur, commendabunt antiphonas, Beneficiariis, præbendariis, canoni-

nicis, & Dignitatibus; & ipsi sua sceptra in manibus gerentes, stantesque in medio chori intonabunt primum Psalmum usque ad medium versùs. Secundam antiphonam commendabunt duabus Dignitatibus duo cappati alterius chori non hebdomadalis. Tertiam item duo cappati alterius vicissim chori, duobus canonicis antiquioribus; quartam similiter ex altera parte duobus portionariis integræ portionis, & quintam duobus mediæ portionis.

Absolutis Psalmis & antiphonis, presbyter demissis manicis eadem compositione corporis qua incepit, & versa facie ad pluteum, quem ante suam sedem cum libro habebit, leget capitulum, eoque finito descendet de sua sede, & facta humiliatione adversùs Prælatum, procedet ad sacristiam cum solita comitiva, per ordinem suprà ad Laudes dictum.

Chorus interea cantabit hymnum, & duo parvi cantores dicent versum retrò pluteum; & ad ejus latus, cùm fuerit unus solus: & mox, qui pluvialibus induti sunt, cum sceptris in manibus intonant antiphonam ad *Magnificat*, qua finita, si fuerit festum duplex, iidem pluvialigeri cum choro simul incipient *Magnificat*, & ibunt versùs Prælatum, & ponent se in corona circa subsellium pedum ejus, ante ipsum, & omnes Beneficiati stantes in suis ordinibus component se pariter in circulum cum Prælato, versa facie ad ipsum, aliquantum extra sua sedilia, usque dum finiatur totum canticum, ad quod cantandum ipsum juvent pluvialigeri; nec vadant ad sua loca, nec Beneficiati sint planè in sedilibus suis, donec Prælatus det benedictionem.

Non præsente autem Prælato, dicent canticum alternis versibus illi qui gerunt pluvialia.

Quando hebdomadarius exit è choro, incensandum altaria ad Magnificat: *& quinam eum comitentur.*

POst dictum capitulum, presente Prælato, hebdomadarius, facta versùs ipsum humiliatione, exit è choro comitatus à pluvialigeris, sacristanis, bedello, & juvenibus choralibus, & sacellanis, & sacerdotibus, qui per præsidentem ad id fuerint designati, & procedit ad sacristiam; ubi datur ipsi pluviale, quo amictus inde cum eodem comitatu pergit præcedentibus acoluthis cum duobus candelabris, & sacristanis cum duobus thuribulis, & appulsus ad infimum gradum altaris, facta inclinatione & humiliatione, flexis genibus, surget presbyter, & accepto thuribulo ex manu unius pluvialigerorum incensabit, faciendo humiliationes juxta prescriptum Missalis: & postquam incensaverit altare majus, incensabit altaria collateralia. Quo facto intrabit chorum, & ex parte sua chori ascendet primum sedile, ibique cantabit orationem juxta morem hujus sanctæ Ecclesiæ, ac dicto *Benedicamus Domino*, redit ad sacristiam cum eadem comitiva, ibique exuti redeunt ad chorum in suis superpellices, ad dicendum completorium.

Ordo incensandi chorum.

AD accessum presbyteri ad chorum præsidens descendens de suo sedili accipiet thuribulum, & incensabit Prælatum, & facta ex utraque parte reverentia, ascendit ad suum locum, & thuriferarii incensant priùs presbyterum, & post hunc pluvialigeros, & assistentes, & mox Beneficiatos, ac deinde reliquos, qui ad hanc actionem stabunt: & si quis non surrexerit, non incensetur. Deinde finita antiphona presbyter dicat orationem & commemorationes, si fuerint dicendæ, & absolvent, cum *Benedicamus Domino*, cui semper voce, & non organo respondebitur. Post hæc statim presbyter facit suam humiliationem versùs Prælatum, & perget ad sacristiam, cum reliquis pluvialigeris & comitibus, sicut venit, facta ab omnibus humiliatione versùs Prælatum.

Si Prælatus dederit benedictionem, cantetur, & cùm non sit cantanda, non pronunciet illam solenniter.

Cùm non interfuerit Prælatos, servetur idē ferè ordo, exceptis humiliationibus & circulis: quę, si non fuerit presens, non fient. Et canticum *Magnificat* dicetur alternatis versibus inter pluvialigeros stantes in suis locis: & quando non erunt qui gestent pluvialia, unus parvus cātor intonabit antiphonas, & præcentor incipiet psalmos, hymnos, & *Magnificat*. Et quando dicendæ sunt preces ad Laudes & Vesperas, debent flexis genibus dici. Et quoties fit incensatio in Vesperis, debet etiam fieri in Missa, ad minus fit elevatio.

Quando faciet officium pontificaliter, servetur ordo pontificaliter, ut etiam quando intererit vesperis solennibus.

CAPUT XVII.

De Completorio.

ABsolutis Vesperis, ille, cui commendata fuerit lectio brevis, accedet ad pluteum, ac demissis manicis, uti diximus, dicat lectionem Completorii, petita priùs benedictione, cui respondebit hebdomadarius. Finita lectione, & responso per chorum *Deo gratias*, hebdomadarius submisso tono dicet *Adjutorium nostrum*, & *Pater noster* dicatur secretò, & confessio tono submisso, dum non sit presens Prælatus: nam si fuerit, tunc *Adjutorium*, & confessio dicuntur alta voce, & *Pater noster* secretò; ad quæ non præsente Prælato omnes stabunt; & præsente genuflectent, ut dictum est, & Canonicus inchoabit cantu *Converte nos Deus*, & *Deus in adjutorium*, & chorus ad utrumque respondebit prosequendo unum & alterum. In tono reliquo servabitur ordo aliarum horarum, præterquam quòd ad quartum Psalmum, & ad canticum *Nunc dimittis*: præ-

ben-

bendarii debent facere circulum, ut priùs dictum est ad *Magnificat* in Vesperis. Cùm hebdomadarius priùs intonuerit antiphonam *Salva nos*, quam in fine Cantici dicet universus chorus, & si fuerint preces feriales, eas dicent genuflexi, & si Dominicales, erecti in pedes, & hebdomadarius dicet orationem cum *Dominus vobiscum, & Benedicamus Domino*. Et mox genuflexi omnes, vel pro ratione temporis in pedes erecti, dicent unam ex assignatis antiphonis B. Virginis, & hebdomadarius dicet orationem, utramque submisso tono, & absolvit dicendo *Divinum auxilium*; & postea *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo in Deum*.

Salve, quod dicitur diebus sabbathinis, dicitur inferiùs in Ecclesia ante imaginem Dominæ nostræ, juxta priscam consuetudinem hujus sanctæ Ecclesiæ.

Nunc dimittis nunquam inchoatur sono organi, sed viva voce chori, & organum postea alternis versibus respondet.

CAPUT XVIII.

De officio defunctorum.

SI capitulum invitatum fuerit ad celebrandas exequias, poterit ire ad funera principalium personarum. Et qui illos invitatum venerint, prœmoniti & instructi sint, quòd capitulum de jure, & ex fundatione hujus sanctæ Ecclesiæ non teneatur egredi ad funera, vel exequias ullius: & quòd si velint, ut capitulum sumat laborem assistendi ipsorum funeribus, vel celebrandi ipsorum exequias, hoc fit ad ipsos honorandos.

Cæterùm quod ad Prælatum, & prœbendarios hujus sanctæ Ecclesiæ pertinet, servetur & adimpleatur consuetudo quæ exstat, ipsos gratis tumulandi.

Quando morietur Prælatus, vel prœbendarius hujus sanctæ Ecclesiæ, capitulum gratis celebrabit ipsius exequias cum omni possibili solennitate. Et quando morietur talis Prælatus vel prœbendarius, quilibet alius ex prœbendariis debet celebrare, vel ab alio celebrari facere tres Missas pro Prælato, & idipsum faciet Prælatus superstes pro singulis prœbendariis qui morientur: quod intelligi debet de Prælato & prœbendariis qui sunt, vel fuerint actualiter, vel eo tempore possessionem inibunt. Et in funere Prælati & prœbendariorum, & in eorum die anniversario dicentur tres Nocturni, & Missa cantata cum diacono & subdiacono, ac dum dicuntur Nocturni fit solennis crepitus campanarum vulgò *doble*. Et totum fit gratis, nullo jure seu emolumento propter hæc exacto. Quoad sepulturam Prælati, & prœbendariorum, observetur laudabilis consuetudo hujus sanctæ Ecclesiæ, ut nihil omnino accipiatur pro tali sepultura. Et Prælatus poterit eligere quemcumque voluerit locum. Et quando non elegisset sepulturam, eam ipsi assignabit capitulum in loco maximè eminenti sacelli majoris. Prœbendarii autem morituris destinabunt sepulturam, quæ ipsis videbitur illis concedenda, interim dum fiet sepultura concamerata sub summo altari, in qua possint omnes sepeliri.

Aliqua die infra Octavam omnium Sanctorum, capitulum cantabit unam Missam cum suo Nocturno pro animabus Prælatorum, & prœbendariorum, qui mortui sunt in hac sancta Ecclesia, nihil omnino propter hoc exigendo.

Et quando Prælatus, vel prœbendarius defunctus fuerit adeò inops, ut non habeant expensas suorum funeralium in cera, & tumulo, tunc Prælatus & prœbendarii superstites facient illas expensas de suo proprio cujuslibet.

In omnibus pariter Missis, quæ Prælatus, & prœbendarii intra anni decursum celebrabunt, debebunt in utroque *Memento*, recordari tam Prælatorum, quàm prœbendariorum vivorum ac defunctorum hujus sanctæ Ecclesiæ.

CAPUT XIX.

De parochis.

PArochi hujus sanctæ Ecclesiæ ordinariè resideant in ipsa, & erunt primi qui intrabunt, & ultimi qui exibunt ex ea, saltem unus ipsorum, ad hoc, ut si ulli necessarium sit aliquod sacramentum, facilè inveniantur; & quoties non fuerint inventi ad ministrandum sacramenta, punientur ex arbitrio præsidentis. Obstricti sunt etiam iidem parochi, ut hactenus fecerunt, sumere pluvialia ad Vesperas, in choro & processionibus, cùm illis jussum fuerit.

Diebus quoque Dominicis, post Offertorium Missæ majoris, promulgabunt festa intra septimanam observanda. Et si aliqua charta excommunicationis legenda fuerit, eam leget sacrista, postquam parochus promulgaverit festa.

Parochi dum celebratur officium in choro, nullum sepelient, vel facient ullum officium cantando, vel aliud quippiam faciendo, quo turbetur chorus.

Providebunt Ecclesiæ fontibus aquam benedictam, illas singulis diebus Dominicis, & si opus fuerit, sæpiùs purgando: quam aquam benedicent die Dominica summo mane, & jubebunt sacristanis, ut illam statim infundant pilis.

Iidem parochi sabbatho sancto, & in vigilia Pentecostes stromatis & ramis ornatè vestient pariter sacelli baptimalis, spargendo pavimentum herbis refrigerativis, sitque sacellum valdè mundum & bene provisum recenti & munda aqua tantùm, & ita mundum & ornatum servetur sacellum per integras Octavas Paschæ & Pentecostes.

In funeralibus observabunt parochi ordines sibi præscriptos in constitutionibus synodalibus circa jura tunc exigenda.

In

In omnibus funeralibus majoribus parochi & sacristani interesse teneantur: in quibus cum de viro fient, in illis non fient plus quàm tres sonitus campanarum; & si de fœmina, tantùm duo. Et si petierint comitivam, parochus non ducet plures quam sex sacerdotes, nec ferentur thuribula; in hoc observando laudabilem & antiquam consuetudinem quam hæc sancta Ecclesia habet. Sic etiam ad funeralia quæ dicti parochi celebrabunt, non ibit chorus musicus hujus sanctę Ecclesiæ. Teneantur etiam adesse parochi funeralibus, quibus interfuerit capitulum: quandoquidem ab illis habent jura sua consueta.

CAPUT XX.

Quando faciendæ sint processiones cum pluvialibus.

DEbet fieri processio cum pluvialibus in die Nativitatis domini nostri Jesu Christi, in die Regum, in die Paschæ Resurrectionis, in Ascensione, & in die Pentecostos. In die SS. Petri & Paulli, in die Dominæ nostræ in Augusto, in die S. Joannis Euangelistæ, & S. Joannis Baptistæ: in quibus præbendarii tantùm & non alii pluvialibus induentur. Et in die palmarum, & in Visitationis Dominæ nostræ, & corporis Christi, & ad Litanias, & in die Innocentium, & quando fiet festum Dominæ nostræ de Copacabana. Et quoties fient processiones generales, rectores Ecclesiarum parochialium hujus civitatis teneantur venire ad processionem cum suis crucibus & facta processione redeunt ad suas Ecclesias ad dicendas Missas, & si non accesserint, punientur.

CAPUT XXI.

De officio præsidentis.

PResidens debet primus ad horas accedere, venit enim manè antequam absolvatur pulsus ad Primam, & cognoscit, an dictæ sint Missæ, quæ ante Primam dicendæ sunt; & si non sint dictæ, statim punit eos quibus incumbit eas dicere, & prospicit, ut Ecclesia munda sit, præsertim altaria & chorus, qui singulis diebus verri debet, & in æstate rigari: & si sedilia munda sint, quoniam singulis diebus decuti & purgari debent per sacristanos Ecclesiæ.

Præses erit genuflexus in suo sedili, ut reliqui exemplum ab illo sumant; & curabit, ut punctator sit genuflexus usque dum inchoëtur officium, & ut omnes intrent chorum cum silentio, & genuflectent, ac debitas cæremonias observent. Faciet ut nemo sit in choro absque superpelliceo, neque cum pileo: & ut nullus induat, vel exuat se superpelliceo intra chorum: procurabit ut quisque suum officium pro debito exerceat, tam in choro, quàm in tota Ecclesia, & ubidumque capitulum sua munia exercebit.

Super omnia peculiarem zelum habebit in custodia silentii, hinc enim dependet universum bonum vel malum servitii choralis. Quicumque locutus fuerit, primò moneat ipsum ut sileat, & secunda vice qua quis locutus fuerit, faciet signum punctatori, ut ipsum privet fructibus illius horæ, & cùm ducentur rationes, videat an eos privent, ita ut non remittatur ullum punctum ullius delectus quem commiserint.

Et ut observetur silentium, curet ut singuli maneant in suis sedilibus, & ne transeant de uno loco in alterum. Et quantum fieri poterit, dum chorus non erit plenus, sit semper inter duos quosque unus locus vacuus; sic enim silentium melius observabitur, & chorus ipse apparebit magis curtus. Et si alicui dixerit, ut se separet, vel quoniam alteri loquitur, vel ob aliam causam, & non obedierit ei, iste mulctabitur fructu unius horæ. Magno identidem zelo curet, ne quisquam è choro exeat sub *Te Deum laudamus*.

Faciet etiam ut scamna tempestivè collocentur ad audiendum sermones; quæ aptari debent priusquam incipiatur Prima. & ut ad Vesperas, quibus inserviunt pluvialigeri, aptentur scamna cum suis tapetis ante initium Vesperarum. Videat & provideat, ut in pilis non desit aqua benedicta, & ut singulis diebus Dominicis benedicatur; & universim videat & provideat, ut singuli suis muneribus debito tempore fungantur.

Non sine magna necessitate concedat, ut aliquis egrediatur è choro. Videat ut omnes debito habitu, capillis, & corona decenter incedant. Videbit pariter an parochi in Ecclesia resideant cum suis superpelliceis, & si non sint occupati in suis officiis, faciat ipsos puniri; & similiter quemcumque non observantem supradicta. Et curabit, ne quisquam celebret in altari majori, præter Illustrissimum Archiepiscopum & Dignitates, & canonicos hujus sanctæ Ecclesiæ.

CAPUT XXII.

De officio præcentoris.

PRæcentor in choro semper esto antequam inchoëtur officium. Intonant in omnibus horis majoribus & minoribus. In duplicibus majoribus ad Vesperas & Matutinas intonabit simul cum pluvialigeris, quando ipsi non sunt dexteri. Et quando Matutinæ cantantur, ipse post Completorium provideat quod in eis cantandum fuerit: & pariter post Primam provideat quod cantandum fuerit in Missa majori: & finita Nona, provideat cantandum ad Vesperas, faciendo ut juvenes chorales adferant necessarios libros; & hoc ante quam inchoëtur officium, quia multum distrahitur chorus, quando libri inter officiandum adfuerunt: multam curam adhibebit, ut omnes cantent, &

quòd

quòd juvenes chorales cum maximo silentio detectis capitibus semper cantent ante librum: & quòd nemo ingrediatur chorum cum chirothecis, aut galero, quales chirothecas & galeros ipsis auferre poterit, & de illis pro suo arbitrio disponere. Commendabit Antiphonas, & Lectiones, & reliqua, quæ cantari debebant illis personis quibus commendanda judicaverit, videatque ut habiles sint. Si juvenes chorales, vel alius chori minister ipsi non obedierit; illum deferat præsidenti, ut per eum castigetur & puniatur. Nec ullus choralium juvenum in choro castigabitur verbis, vel tractu crinium. In toto cantu numerum, vulgò *compàs*, reget præcentor juxta festa & eorum solennitates: neque quisquam eum mutet, nisi cùm præsidens jusserit, ut velocior tardiorve sit. Quòd si alii cuipiam mutandus videatur, is poterit præcentorem silenter monere. Quicquid intonandum habebit, id iotonabit in medio chori, & neutiquam è suo sedili, nec supra suppeditaneum sedis Illustrissimi. Quando præcentor exit è choro, officium suum commendabit alteri, quem idoneum & majoris zeli esse judicaverit, ut officium bene præstet. Et ipse quanto minus poterit, & ob causas tantùm necessarias, abesse à choro conetur; quia totus concentus & bonitas chori in præcentore consistit: & propterea studebit semper adesse. Præcentor habebit curam omnium librorum chori, & munus illos corrigendi & emendandi, si id facere sciat. Sin minus, per aliam personam à capitulo assignandam præstabitur.

CAPUT XXIII.

De officio correctoris.

SCholasticus, vulgò *Maëstre scuela*, hujus sanctæ Ecclesiæ, curam habebit, ut diaconus & subdiaconus antequam legant Epistolem, vel Euangelium, illa prævideant coram ipso, ante vel post dictam Tertiam. Qui pariter Lectiones ad Matutinum lecturi sunt, eas post Completorium coram ipso prævideant, ut & Martyrologium eodem tempore; & universim omnes lectiones, & prophetiæ, quæ in choro, vel ad majus altare dicendæ sunt, numquam sic dicentur, nisi priùs coram scholastico, vel eo absente, coram alio, cui ipse id commendaverit, prævideantur. Qui maximam curam geret, ut omnia debito modo dicantur, & pronuncientur.

Et quando quispiam in Lectionibus, vel re alia erraverit; à nemine emendabitur, præterquam à scholastico, qui præsens erit, vel eo absente, ab alio cui ipse id commendaverit.

CAPUT XXIV.

De officio cantorum.

CAntores hujus sanctæ Ecclesiæ obstricti sunt assistere, & organico cantu canere omnibus diebus festis, quæ servantur, ad Primas Vesperas, Tertiam, & Missam majorem. Et ad Paschata, & festa, & diebus Dominicis, & sabbathis, & ad principales dies Dominæ nostræ, S. Joannis Baptistæ, SS. Petri & Paulli, S. Joannis Euangelistæ, etiam in secundis Vesperis: & in Matutinis Nativitatis, & Resurrectionis, & in diebus Quadragesimæ, in quibus habetur concio, quemadmodum cum dictis cantoribus ordinatum & pactum est.

Eodemque modo tenentur, quando erunt funeralia, & sepulturæ Prælati, vel cujuslibet prebendariorum, præsentes esse, & canere cantu organico absque eo quòd præterea quicquam acquirant, vel ipsis detur.

In Ecclesia cantare non poterunt, neque cantent cantu organico in ullis exequuis, vel sepulturis, nisi quando tales exequiæ vel sepulturæ celebrabuntur per capitulum hujus sanctæ Ecclesiæ. Nec vadant ad cantandum cantu organico ad ullam aliam Ecclesiam, absque petita priùs, & obtenta licentia à capitulo.

CAPUT XXV.

De officio organistæ.

QUI præest organis, illa pulsabit omnibus diebus duplicibus, & semiduplicibus, observando consuetudinem quam tenet hæc sancta Ecclesia. Et organum nunquam incipit hymnus *Magnificat*, *Nunc dimittis*, *Benedictus Dominus Deus Israël*, *Tantum ergo sacramentum*, nec: *Crux ave spes unica*, nec: *Gloria Patri*, nec: *Kyrie*: quia omnia ista debet incipere chorus, nec pulsetur ad *Deo gratias*, post *Ite Missa est*, nec post *Benedicamus Domino*; sed chorus respondebit cantando *Deo gratias*. *Gloria* & *Credo* non resumet organum; poterunt tamen cantari & pulsari alternis vicibus, choro semper inchoante.

CAPUT XXVI.

De juvenibus chori.

IN hac sancta Ecclesia ordinariè haberi debent duodecim juvenes chorales, quorum sex alet capitulum propriis sumptibus, & alios sex expensis fabricæ Ecclesiæ. Quibus habenda est lectio cantûs, Grammaticę, & aliorum quæ ipsis conveniunt, cum obligatione residendi in Ecclesia toties quoties in ea fient officia, & debent ante omnes adesse, ad hoc ut tempestivè exerceantur in suis muneribus. Toto tempore quo assistunt in choro, debent in suis pedibus persistere ante pluteum, sine bi-

retis, ac demiſſis manicis ſuperpellicei, ſine chirotecis, aut pileis in manibus.

Præſidenti, cæteriſque præbendariis, & officiales obſequentiſſimi ſunto, valdè curiales, & bene morigerati. Præbendarios magna urbanitate, detectiſque capitibus, ac demiſſis manicis alloquentur. Quando præbendariorum quiſquam aliquid ipſis juſſerit, id libenter & promptè facient.

Iidem juvenes cum magna devotione inſervient Miſſis privatis, & ad ſerviendum pariter ſequi debent, quocumque ſe confert capitulum: ac dum celebratur officium, non ibunt ad ullius exequias vel funera ſine ſpeciali licentia capituli; quod ſi iverint, vel negligant officia ſua, puniatur ad arbitrium præſidentis.

Debent ordinibus initiari, ut unuſquiſque poſſit ſervire, & miniſterium ſuum exercere. Grammaticam, & canticum addiſcent, quo poterunt tempore, ante vel poſt horas, & qui ipſos inſtruit, curare debet, ut continuæ ſint Lectiones, alioquin ipſos deferet ad capitulum, à quo punientur, & compellentur ut in eis aſſidui ſint.

CAPUT XXVII.

De officio bedelli, ſeu perticarii.

BEdellus ſummo mane ad Eccleſiam accedet, & curare tenetur, ne in ea ullus faciat quicquam indebitum, nec ſit tumultus, aut inquietudo: & quòd nemo cum onere tranſeat ante altare majus aut chorum. Valdè zelare debet, ne in templo ſint colloquia, nec Eccleſiaſticorum, vel ſæcularium obambulationes, dum celebrantur Horæ. Curam quoque habebit, ne ullus ſæcularis aſcendat in presbyterium, & ne quiſquam ſit inclinatus, vel cubitis innixus altaribus, nec ullus ſedeat verſo ad illa dorſo.

Quoties hebdomadarius ad ſe ornandum pro Veſperis, vel Miſſa majori procedit à choro ad ſacriſtiam, ipſum cum ſceptro præcedet. Itemque cum ſubdiacono ad Epiſtolam, & cum diacono ad Euangelium, & quoties diaconus, vel ſubdiaconus eunt ad chorum præſente Prælato. Præcedet pariter thuriferarios, quoties eunt cum incenſo, & eos qui pacem ad chorum deferunt, & ſemper cum omnibus eodem modo redit. Et poſtquam hebdomadarius, & capparii, ſeu pluvialigeri, erunt exuti, redeat cum ipſis ad chorum, & ponet ſe ante pluteum, ibique exhibeat reverentiam hebdomadario, ſtetque ſemper propè majus altare, ſolicitè curando, ut omnia ſervanda ſerventur.

Bedellus tenetur Eccleſiam accedere omnibus Dominicis, & feſtis obſervandis, ad primas & ſecundas Veſperas, Tertiam, & Miſſam majorem, ad Matutinas item Paſchales, & aliorum dierum infra annum, in quibus fit officium cum ſolennitate, & omnibus diebus concionum, & omnibus reliquis diebus, in quibus fit officium ſolenne.

Debet incedere habitu honeſto, mundo, & authoritativo. Convocet capitulum quoties à præſidente, vel capitulo juſſus fuerit; & dum habetur capitulum, debet aſſiſtere extra portam, ne ullus abſque licentia ingrediatur, curareque ne quiſquam auſcultet quæ in capitulo aguntur, & attendet ibi, ut faciat quicquid capitulum ei juſſerit. Et ſi officium ſuum in aliquo neglexerit, punietur ad arbitrium præſidentis, vel capituli.

CAPUT XXVIII.

De ſacriſtanis Eccleſiæ.

EX fundatione hujus ſanctæ Eccleſiæ, ultra theſaurarium, ad quem ſecundùm eam ſpectat principalis cura ſacrarii & rerum ejus, ſit etiam ſacriſtanus, & erunt ordinariè duo, qui in cuſtodia habet res omnes ſacriſtiæ ipſorum cuſtodiæ commiſſas, & ordine deſcriptas; ut ornamenta, ſupellectilem argenteam, & alias res quas Eccleſia in ſuo libro deſcriptas habet, in quo ipſi ſuis chirographis eas ſe recepiſſe profiteantur, & fidejubeant ſe omnium rationem cum ſatisfactione reddituros.

Sacriſtani curam habebunt omnium ornamentorum, vaſorum, librorum, lampadum, candelabrorum, thuribulorum, ſitulorum, pilarum, & omnium aliarum rerum. Altaria pro feſtorum varietate bene component, eorumque menſas & pictas tabulas mundas conſervent, & ſingulis ſeptimanis excutiant, & Eccleſiæ ſacella, ter ad minus in hebdomada, diebus ſcilicet Martis, Jovis, & Sabbathi, diſcutient etiam tapetes, curabunt expurgari ceram, quæ cadit in ornamenta, petendo omnia ad id neceſſaria ab œconomo.

Singulis ſeptimanis apponent mundas, & pallia, & corporalia, & purificatoria ad omnia altaria, & ad altare majus bis in ſeptimana, eodemque ordine apponent ſtrophiola, ſeu mappas ad manus tergendas.

Singulis diebus ſabbathinis candelabra omnia, & urceolos diligenter mundabunt.

Omnia ornamenta bene congeſta conſervent, & ſingula in ſuis locis digeſta. Quæ eo die ſervire debent, tempeſtivè appoſita ſint in menſa veſtiaria, & illa cum ſervierint, illicò reponant. Pro ſolis præbendariis ordinariè prompta ſint quatuor paramenta pro Miſſis privatis, quibus nemo alius ſe paret, nec ponantur in inferioribus menſis, ne alii ſacerdotes illa ſibi induant: Et advertat quòd nemo omnino, ne quidem decanus, induat ſe caſulâ, quæ exponitur pro Miſſa majori: quia ſolus ille qui eam celebrat, illâ induetur eodem die, nec ullus alius ad Miſſam privatam.

Die Dominica cujuſque ſeptimanæ apponent manutergia munda ad lavatorium, quod in ſacriſtia fieri juſſum eſt, ut laventur manus.

Cu-

Curam habebunt pensendi hostias, & ut sint candidæ, & subtiles.

Singulis diebus imponent urceolis tempestivè bonum vinum, & aquam recentem.

Lavatorium pro lavandis manibus semper mundum, & bene provisum teneant.

Illis diebus, in quibus erit usus thuribulorum, provideant sacristani ardentes prunas, quibus incensum infundi possit ad Vesperas, & Missam majorem, videantque ut ipsa thuribula, & naviculæ semper nitida sint, & bono thure trito & mundo provisa: majores minoresque cereos altaribus apponent, & monebunt œconomum, ut recentes emat.

Templum summo mane aperiant antequam pulsetur ad Primam, nec unquam noctu apertum habeant. Chorum item & sacella suis temporibus aperiant & claudant.

Teneant sacristiam semper mundam, & non incompositam, sed unumquodque in loco suo. Et mane pulverem excutiant, antequam dicantur Missæ in ara majori, vel in aliis altaribus.

Non permittant, ut in sacristiam intrent sæculares, nec ut per eam transeant ad majus altare, nec ut ullus clericus in ea maneat sine necessitate; sed ut finitis Missis exeant è sacristia, ad hoc ut altum silentium in ea servetur.

Diebus Paschalibus, & aliis festis principalibus anni, & pro sepulchro procurabunt peristromata templi, ad quem effectum œconomus dabit ipsis duas personas, quæ eos ad appendenda & deponenda omnia, quæ apposuerint, juvabunt.

Nullus sacristanorum, vel alia persona, ponat, vel deponat aliquid in summo altari, nisi superpelliceo indutus: atque ipsorum munus erit calices & corporalia apponere ac deponere in omnibus altaribus.

Uterque sacristanus dormiet in sacristia, in eaque diu noctuque permaneat, ne unquam sui muneris exercitio desit.

Tenetur in choro residere quoties comitandus sit presbyter ad altare, & ab altari ad chorum, quem ipsi comitari debent: habebunt etiam curam campanarum, ut funes & linguæ sint bene dispositæ, & quòd pueri non ascendant campanile.

Rerum Ecclesiæ ipsorum curæ commissarum nihil omnino poterunt propria auctoritate cuiquam accommodare, ne quidem rogatus, vel mandato ullius, præterquam Illustrissimi Archiepiscopi, sub pœna pro qualibet vice solvendi Ecclesiæ decem pesos, quos exigendi curam habebit præses: & si hæc pœna non sufficiat, præses, ut expedire judicaverit, eam augebit, ut emendetur defectus qui hactenus occurtebat in accommodando ornamenta, & alias res Ecclesiæ.

Altarium antipendia in omnibus festis appendent ante primas Vesperas, juxta colores in novo Missali præscriptos, nec ea deponent ante absolutas secundas Vesperas, & Completorium.

Diligenter curabunt sacristani, ut Ecclesia bis in septimana verratur, & chorus æstivo tempore singulis diebus, & hyemali de tertia in tertiam diem. Et verri debet ante prandium, ut quum ad Vesperas convenitur, sint exhalati pulveres. Sacristia pariter singulis diebus verratur, & petatur ab œconomo stipendium illorum, qui eam rigabunt.

CAPUT XXIX.

De cura quam sacristani habeant in usu cereæ Ecclesiæ.

SAcristarum munus erit curare ut semper adsit bona cera alba, & principalibus anni diebus in altari majori apponent ad Vesperas, Matutinas, & Missam majorem sex candelas, singulas ponderis unius libræ, & diebus Dominicis, ac aliis festivis ad minus quatuor, quamlibet mediæ libræ, & in aris collateralibus duas item mediæ libræ.

Curabunt similiter ceram in altaribus arsuram ad Missas privatas, & ad Matutinum in choro, cùm necessaria fuerit.

Curabunt quoque candelas ad usum trianguli pro Matutinis tenebrarum in septimana sancta, curando ut candelæ bonæ sint & æquales. Habebunt demum curam totius ceræ in Ecclesia consumendæ, eamque tempestivè petent ab œconomo.

Quando sacristani ad officium suscipiuntur, debent competentem cautionem Prælato & capitulo, una cum thesaurario, dare curandi & custodiendi res omnes, ornamanta, aurum, argentum, & quicquid reliquum singulis annis in suam curam susceperint, ut ex libro constabit, & solvendi ac resarciendi quicquid abesse vel deperditum fuisse reperietur: ad quem finem in principio cujuslibet anni debet fieri visitatio, & exigi ratio à thesaurario, & sacristanis de omnibus quæ ipsorum curæ committuntur, ut constet, quam curam & rationem de omnibus gerunt, & ut si quid tritum vel corruptum fuerit, reparetur.

Sacristani debent esse valdè urbani, & curiales, valdè patientes, & erga capitulum, & quamlibet ejus personam reverentes, nihil non necessarium illis loquentes, nisi cum interrogati fuerint. Et ejusmodi sacristanorum officia per suas proprias personas præstare tenebuntur, ac præbendarios ad Missas induere, & exuere debebunt.

Cumque in officio præstando defecerint, vel in aliis rebus contentis in hoc capitulo; sic eos puniet præses, ut cogat ad omnia ipsorum muneris officia servanda.

CAPUT XXX.

De officio thesaurarii.

THesaurarius hujus sanctæ Ecclesiæ ex ejus fundatione tenetur habere rationes paramentorum, & aliarum rerum ejusdem Ecclesiæ: & ideo ipsi injungitur, ut curam habeat monendi, & jubendi sacristanis, ea quæ in sacristia facere debent, apponendo ac deponendo ornamenta, & efficiendo, ut cum diligenti cura & custodia serventur in omni munditia, addendo quicquid necessarium fuerit providere & expendere in servitio Ecclesiæ, sive in paramentis, sive in aliis rebus.

CAPUT XXXI.

De œconomo Ecclesiæ.

OEconomus Ecclesiæ, & ejus fabricæ, habet munus exigẽdi omnes redditus, qui ad eam pertinent, tam de novenis & mediis, quàm de exceptis, vulgò *excusados*, superfluis, & redemptionibus domorum, sensibus, sepulturis, eleemosynis, & aliis rebus.

Quando colliguntur vectigalia superfluorum, debet esse præsens, ut ea rectè reddantur, & ut excipiat vadimonia. Et si quid fiat in præjudicium Ecclesiæ, debet reclamare, & certiorem reddere Prælatum, & capitulum.

Singulis diebus assistit in Ecclesia à mane usque ad Vesperam, ut occurrentes necessitates videat, illisque provideat tam in reparationibus, quàm in expensis, quas fieri oportet ad servitium ejusdem Ecclesiæ.

Optimam comparabit ceram, eamque mercabitur multo priùs quàm fuerit necessaria; sic enim & meliori pretio, & commodiori commutatione eam emere poterit, & cera ipsa, quo melior fuerit, eo tardiùs consumetur; curabit autem, ut nec in sacristia, nec in templo disperdatur cera, nec absque necessitate comparetur.

Ceram sacristanis dabit in pondere & mensura, teneanturque tot ipsi reddere relicta capita majorum minorumque candelarum, quot ejus quantitatis dedit candelas integras, eaque ipse in candelas novas converti curabit.

Bonum & purum incensum, nullaque misturâ corruptum semper emet.

Optimum vinum pro Missis, oprimamque farinam pro hostiis, & bonos carbones pro thuribulorum usu providebit.

Peculiarem solertemque curam geret, ut omnia ornamenta reparentur, ut nihil in eis defectum, lacerum, aut inconcinnum appareat; & si nova quandoque fieri contigerit, ipse pretium numerabit. Ecclesiam ipsam, & res omnes ad eam spectantes, ubi opus viderit, reparabit, emendo omnia materialia ad id necessaria.

Curam geret, ut pro solennitate Palmarum adferantur olivæ & palmæ, & junci virides, & rami, ad ornatum templi in festis principalibus.

Res denique omnes ad Ecclesiæ usum necessarias comparabit.

Quicquid solverit in expensas, id per mandatum seu schedam faciet, exceptis communibus & ordinariis sumptibus, qui dietim & ordinatim fiunt, ut pro vino, oleo, cera, incenso, & pro cementaria, lignariaque fabrica, vel aliis, pro quibus communiter semel in anno solvitur: in quibus omnibus oportet ut sit valdè circumspectus, diligens, & solers circa bona Ecclesiæ, ut nihil deperdatur, aut insumatur malè.

Debet assistere choro diebus festivis ad primas Vesperas, & Missam majorem, & cùm opus fuerit, debet gestare cappam, seu pluviale.

CAPUT XXXII.

De iis, quæ ad diem Jovis sanctum, & sepulchrum pertinent.

SAcrum sepulchrum, & omnia ad ipsum, & reliqua officia septimanæ sanctæ necessaria videbuntur, apparabit œconomus cum sacristanis, idque sumptibus fabricæ.

Et si tapetes quæ exstant, non sufficerint ad ornatum Ecclesiæ, sacristanis incumbet alias mutuò quærere.

Ipsorum quoque curæ erit, easdem in Ecclesia apponere ac deponere, & ad suos deinde dominos reportari facere.

Sepulchrum, & gradus ejus, pannis aureis, & Phrygii operis, aliisque ditissimis quos habent, exornabunt; ita tamen eos apponent & reponent, ut nihil malè tractent aut rumpant.

Die Jovis sancto, si oleum & chrisma consecranda fuerint; Prima inchoëtur horâ septimâ, tono demisso & lento, ut & reliquæ omnes Horæ minores.

Dictis jam Horis, si Prælatus sit consecraturus, observentur omnia præscripta in libro Pontificali. Ad consecrationem autem chrismatis tabulatum in medio Ecclesiæ paratum esto, & scamna in quibus sedebunt ministri, omnia peristromatis strata, ac tota cooperta.

Hac die communicabunt omnes Beneficiati & ministri Ecclesiæ de manu Prælati, si ipse celebraverit, & singuli accepta communione manum ejus osculabuntur. Quòd si non celebraverit Prælatus; omnes pariter communicabunt in Missa majori, sed non osculabuntur manum hebdomadarii porrigentis communionem.

Facta communione, & consecrato chrismate, & in sacrarium, juxta Ordinarii præscriptum, deportato, instituatur processio ad includendum sanctissimum sacramentum: in qua processione incedent omnes præbendarii & Beneficiarii Ecclesiæ, sacerdotes quidem, diaconi, & subdiaconi eodem ornatu quo in consecratione olei & chrismatis induebantur, & ordinata proces-

sio-

sione ascendunt cum Prælato, vel alio celebrante ad capsulam, seu locum in quem includendum est sacramentum, eoque incluso obseratur capsula, & clavis traditur Prælato, si præsens est, sin minùs, decano, & hoc etiam absente, thesaurario, cui alioquin incumbit ejus custodia. Quòd si horum nullus adfuerit, clavem tenebit præses chori, vel eo absente, antiquior Dignitas, vel canonicus, qui aderit, & in toto fervetur ordo Pontificalis, & Ordinarii.

Incluso sacramento, omnes ordinatim, pergunt ad denudanda altaria, & præbendarii ingrediuntur chorum, & incipiunt Vesperas in cantu vel in tono humili; observando in omnibus ritum in Ordinario & Pontificali præscriptum.

Præsidentis cura erit horariam tabulam præscribere, juxta quam præbendarii, sacellani, & reliqui Ecclesiæ ministri, & alii clerici civitatis assistent, comitabuntur, & custodient sanctissimum sacramentum; ita ut sex ad minus simul perpetuò sint in custodia, superpelliceis induti: & poterunt passim submisso tono plano recitare psalmos psalterii, omittendo *Gloria Patri, &c.*

Ab hora secunda pomeridiana usque ad tertiam pulsabitur una ex majoribus campanis ad mandatum. Et si Prælatus mandatum celebraturus sit, tempestivè aderit in Ecclesia, ita ut omnes sint jam induti cùm absolvitur pulsus campanæ, & tunc ministri qui parati fuerint, procedent ad tabulatum, in quo priùs consecratum est chrisma, ubi juxta dispositionem Prælati, sedebunt duodecim pauperes, sex hinc, & sex inde, mundis jam pedibus, quibus Prælatus induet calceos.

Cùm omnes ad tabulatum pervenerint, diaconus petit benedictionem ad Euangelium, & benedicto incenso pergit ad majus sacellum, ubi cantandum est Euangelium, comitatus ministris more solito: observet autem in omnibus supradictis præscripta Ordinarii & Pontificalis.

Lecto Euangelio inchoatur lotio, juxta ordinem Ordinarii & Pontificalis, & eo finito fit concio.

Finito sermone, statim inchoatur Matutinum, & cantatur eodem modo quo nocte præcedenti.

In reliquis autem officiis hebdomadæ sanctæ servabuntur ritus Pontificalis & Missalis novi.

CAPUT XXXIII.

De visitando, & modo visitandi infirmos.

QUIA visitatio infirmorum est pium & sanctissimum opus misericordiæ, præsertim inter fratres; ideo quando aliqua Dignitas, canonicus, vel Beneficiarius Ecclesiæ infirmabitur, & morbus transierit tertium diem, tunc punctator debebit monere præsidentem, qui rem denunciabit in capitulo, ibique per vota eligantur duo ex capitularibus qui visitent infirmum, eumque salutaribus verbis consolentur, & omnes peculiari studio Deum pro ipso rogabunt; & quò commodiùs poterunt, ipsum subinde visitabunt, modò morbus non fuerit contagiosus, & illi duo designati, curabunt ab infirmo rescire, si indigeat pecuniâ, vel alia re ad morbum levandum necessaria, ejusque indigentiam, si quam patitur, denuncient in capitulo, ibique decernatur, ut necessaria illi provideantur, ne ullam patiatur penuriam.

Et si infirmitas fuerit ad mortem, capitulum designabit idoneas personas, qui infirmum juvent ad bene moriendum, & ipsi assistant expiranti, & intersint ejus exequiis, funeri, & sepulturæ, & observentur omnia in his regulis circa hæc ordinata.

CAPUT XXXIV.

De Recle, & Patitur.

PRæbendarii hujus sanctæ Ecclesiæ accipient *recle* & *patitur*, juxta præscriptum Cõcilii Provincialis anno MDLXXXIII. in hac urbe celebrati.

Præbendarius qui petierit, vel acceperit *patitur*, dum infirmus est, & sine licentia domo egressus fuerit ad aliquam aliam partem civitatis, & non ad Ecclesiam, perdet in pœnam *patitur* totuis temporis, per quod non frequentavit Ecclesiam.

Et præbendarius qui sine causa justæ infirmitatis acceperit *patitur*, ac domi erit, ubi de eo constiterit; ultra amissionem sui *patitur*, prima vice punietur privatione totius summæ, quam lucrarerur per quindenam, & si adhuc continuet acceptionem *patitur* sine tali justa causa, aggravetur illi semper pœna.

CAPUT XXXV.

De portionariis.

EX fundatione hujus sanctæ Ecclesiæ portionarii debent se induere ad cantandum Euangelium & Passiones, & facient suũ officium hebdomadatim per vices; & qui hebdomadæ servit, debet presbyterum celebraturum è choro exeuntem comitari, ante ipsum procedendo, eodemque modo ad chorum redeuntem conducere.

Habebunt portionarii sedes in choro post Dignitates & canonicos.

CAPUT XXXVI.

De capitulo hujus sanctæ Ecclesiæ.

EX erectione hujus sanctæ Ecclesiæ debent capitulares bis in septimana ad capitulum convenire, hoc est, diebus Martis ad tractandum de rebus temporalibus ad facultates, & alia negotia Ecclesiæ, & diebus Ve-

ne-

neris tantummodo ad negotia spiritualia, & reformationem cultus divini.

Quoties capitulum tenendum erit, omnes capitulares post Primam simul exibunt ex choro, & inde cum summo silentio rectà simul pergent ad locum capituli, absque eo quòd ullus emaneat negotiando, vel deambulando per Ecclesiam: & si quisquam sic in Ecclesia manserit, vel se ab aliis sejunxerit; irremissibiliter privabitur stipendio horarum unius diei. In quibus etiam plectetur similiter quisquis eorum tunc invenietur in Ecclesia, & quicumque è domo sua veniens, non intrat illicò ad capitulum.

Cùm intrant aulam capitularem, omnes orant coram imagine quæ inibi pendet, sua loca juxta cujusque antiquitatem capientes. Primum quod diebus Veneris tractabunt, sit circa cultum chori & altaris, ut corrigantur & emendentur defectus in eis jam commissi, & ut omnes cogantur ad officia sua ritè præstanda: & qui non præstant, sciant se plectendos esse, & ad plenum, cùm opus fuerit, plectantur, & ut cuncti decenti habitu incedant cum omni decore & honestate, ut constitutum est. Et ut in choro servent silentium, attentionem, & devotionem debitam. Et ut singuli observent quæ debent, & suis obligationibus correspondeant, ut dictum est. Et signanter singulis his diebus absque ullis accepto fastidio reducatur in memoriam observatio silentii; quia, ut dictum jam est, bonum vel malum chori in eo consistit: & si observetur, reliqua rectè fient. Omnes capitulares favebunt præsidenti, illique seriò commendabunt, ut habeat magnum zelum silentii, tam in choro, quàm in capitulo, puniendo eos qui id non observant, studeantque in se ipsis ejus observantiæ, ut Ecclesiæ ministris exemplo sint. Et ad hunc finem, ut videant & cognoscant omnes defectus, qui in choro, sacristia, & Ecclesia committuntur, vel committi possint, ut de remedio decernant, ac tempestivè applicent, illis diebus Veneris cujusque septimanæ: ad quorum capitula vocabuntur omnes ministri & officiales Ecclesiæ, quoties aliquid arguendum vel plectendum commiserint, illos commonendo, ut seriam curam ponant in suis officiis rectè fungendo.

Diebus Martis tractatur de rebus temporalibus & facultatibus Ecclesiæ, in hoc, ut in cæteris omnibus, proponente præside negotia quæ occurrerint. Et si capitularium quispiam aliquid dicendum habuerit, petat veniam à toto capitulo.

Altum silentium servabunt omnes, audientque magna attentione ea quæ proponuntur, nec loquentem interpellare auserint.

Suffragia eo modo ferent, ut primùm audiant quæ proponuntur: & si res ardua fuerit, colloquantur ac deliberent sine clamoribus vel altercatione, ut rei merita meliùs percipiant. Si negotii qualitas exegerit, ut majori consideratione tractetur, vota in alium diem differant ex arbitrio majoris partis capituli. Si verò vota tunc conferenda sint, primum suffragium proferet præses breviter & compendiosè, & ita breviter sua etiã ferent reliqui post præsidem, juxta cujusque antiquitatem. Nec alter alterum interturbent; nec aliorum judicia resumant, vel reprehendant, ut quisque liberè proferat quicquid Dominus inspiraverit, absque ullo impedimento, correptione, vel alterius altercatione. Quando quisque loqui cœperit, deponet biretum, & quando absolvit, faciet reverentiam. Si quis capitularium præsente Prælato dicturus sit, erigat se in pedes, & biretum deponat, & mox sedendo, tegendoque caput, dicat quod videbitur, & absolvens eadem faciet exhibendo reverentiam Prælato, eoque absente, sermonem ad præsidentem diriget, & hoc modo ferent suffragia; & priores eâdem patientiâ posteriores auscultabunt, qua ab istis auditi fuerunt. Quisquis alium dicentem interruperit, moderata pœna plectetur.

Collatis suffragiis præses quantumvis forsan adversæ sententiæ, omnium tamen vota colliget, ac decernet id quod majoris partis consensu visum fuerit, absque ulla molestia vel dolore eorum qui aliter judicârunt; quia hoc est tenere pro majori parte. Et notarius, & secretarii capituli constituant id in quod major pars consenserit.

Post collata suffragia & rem pro majori eorum parte constitutam, si quis gravatum se duxerit, post decretum consignabunt, quod gravato, vel contrarium sentienti occurrerit, si sic ipsi videbitur, cui etiam de jure debetur. Et notarius absque ullo suo emolumento debet rei testimonium ipsi exhibere. Sede vacante, si casus ad justitiam spectare videbitur, antequam suffragia desuper ferantur, debet haberi plenaria informatio à Jurisconsultis, modò adsint, nam si adsint, negotium de jure, & non per vota terminari debet: & poterit etiam informatio fieri per Jurisconsultos extra corpus capituli, eoque melius, quòd isti non movebuntur affectibus, & ideo sic procurari debet, quando ejusmodi res occurrerint.

Quoniam autem in ejusmodi particularibus actis eveniunt non rarò differentiæ, passiones, & dissentiones animorum; studebunt omnes ut urbani sint, & in verbis circumspecti, nihil dicendo quod alium offendere possit. Quòd si quisquam vel inhonestum, vel injuriosum verbum in alium protulerit; integri mensis stipendio suæ præbendæ plectetur, vel graviùs pro qualitate excessus, ut inter capitulares habeatur pacis conservandæ modus: & quoniam cum excessus non castigetur, possint majora damna & scandala ex illis oriri.

Cuncti in capitulo superpelliceis induti sint, nec sine illo quisquam intersit.

Ex capitulo, donec absolvatur, nemo capitularium exibit sine licentia: nec ad colloquendum, vel quicquam dicendum à suis locis exeant, sed quisque in suo semper maxima quiete persistet. Quòd si præter licentiam egressus fuerit, unius horæ stipendio plectetur.

Si

Si ullo casu quisquam arma in Ecclesia tulerit, vel se illis in capitulo accinxerit, punietur.

Quando negotium alicujus momenti agendum fuerit, ad quod conventum est, ut convocentur omnes capitulares, vel de novo successerit, quamvis sit in ordinariis his diebus capituli, præses mittet convocatum omnes capitulares, ut omnes conveniant ad capitulum: & factâ hac diligentiâ, celebrabit capitulum cum illis qui accesserint, & in illo statuet quod convenientibus omnibus faciendum foret. Et Ordinariis diebus capituli illi capitulares qui præsentes fuerint, poterunt terminare negotia occurrentia absque eo quòd opus sit absentes convocare.

Quando tractandum fuerit peculiare negotium alicujus personæ capitularis, vel ejus fratris, aut consanguinei, non erit ipse præsens, dum suffragia desuper excipientur. Nec etiam qui gravandus fuerit, vel de alio conquestus sit.

Si decanus vel præses quempiam gravaverit, vel injustè punierit; tunc neque gravatus, neque qui quippiam petendo monstravit se partem.

Capitulum convocabit decanus, si in Ecclesia præsens fuerit; vel eo absente, Dignitas vel canonicus magis antiquus: tum pariter præsens in Ecclesia: extra Ecclesiam autem solus decanus, si in urbe fuerit; sin minus, Dignitas vel canonicus antiquior.

Si quando acciderit, ut exspectari non possit ordinarius dies capituli, & decanus, vel quicumque fuerit præses, nollet intimare, vel convocare capitulum, requisitus priùs per aliquos capitulares, vel præses capituli id celebrare non vellet; ipsi capitulares, si duo vel tres fuerint, ipsum intimabunt, ne negotia pereant: extra quem casum nemo sub reatu gravis pœnæ id intimare faciat, nisi ut dictum est.

Decanus & præses memoriâ retineant omnia negotia occurrentia, eaque expediri faciant, respondeant, & provideant illis absque dilatione. Et eodem modo non permittant, ut multa negotia misceantur, vel promiscuè tractentur, sed ab eo quod semel propositum est, non transeant ad alia, donec illud diffinitum concluſumque sit.

Quando scribuntur Epistolæ, vel alia, quibus subscribendum est, & non sunt actus judiciales, subscribent duo tantùm capitulares, hoc est, una Dignitas, & unus canonicus, vel duo canonici, singulis mensibus per vices mutandi, incipiendo ab antiquioribus. Et quando Epistolæ quæ recipiunt, fuerint alicuius momenti, semper maneat illorum exemplar in uno libro quem capitulum ad hoc destinatum habebit.

Capitulares teneantur negotia sibi per capitulum commendata complere, & solicitè perficere sine defectu, alioquin puniantur.

Decanus, vel alius qui præsidebit, diligenter advertet, quæcumque ordinata & scripta fuerint, ut ea servari & perfici curet, & ut ipse primus sit qui ea observet; & si non fuerit, in capitulo plectetur eâdem pœnâ qua ipse alios plectere possent, & etiam majori, si majorem meruerit. Nihil auctoritate propria facient sine consensu & auctoritate capituli, præter id quod ordinatum & scriptum fuerit.

Debet decanus erga capitulares & Beneficiarios Ecclesiæ valdè humanus & curialis esse, & universim omnes personas Ecclesiasticas bene tractare, & omnes vicissim ipsum honorare & venerari; ita ut quando in capitulo excessisse visus fuerit, per capitulum redarguatur & moneatur, ne plus uni quam alteri faveat.

CAPUT XXXVII.

De notario & secretario capituli.

NOtarius & secretarius capituli intererit singulis actibus ejusdem. Diebus ordinarii capituli non vocatus accedet, & primus omnium intrabit aulam capitularem. Ibidemque servabit librum rerum capitularium in arca identidem intra capitulum existente, in eoque describet quæcumque in capitulo decreta fuerint, adnotatis nominibus singulorum, qui singulis capitulis intererunt.

Cùm negocii qualitas postulaverit, multo secreto servabit omnes res capitulares; & juramentum secreti, non minus quàm capitulares ipsi, præstabit secretarius tum cùm primùm admissus fuerit, tùm etiam quoties singulare secretum commendabitur.

Ad extraordinaria capitula, ut alius quicumque capitularis, vocari debebit, & si non venerit, quoties capitulum, seu ordinarium, seu extraordinarium, celebrandum fuerit, plectetur pœnâ uniùs diei, pro rata salarii. Omnes actus capitulares, & Epistolas omnes ad quas capitulum consenserit, scribere debet, & conficere omnes scripturas ad capitulum spectantes, absque ullo novo suo emolumento, præter ordinarium salarium ipsi assignatum: debet etiam notare literas missivas, quas capitulum ipsi commendaverit, & ad acceptas respondere:

Assistere debet omnibus ratiociniis, & distributionibus quę per capitulum fient, omnesque scribere, & calculos ducere simul cum ratiocinatoribus ad id deputatis, ut & omnibus redemptionibus reddituum & emolumentorum Ecclesiæ, eaque omnia postmodum exscribere; ad quem finem registrum in ipsius potestate semper erit, servandum in arca capitulari.

Conficiet etiam omnes schedas pecuniarum, quæ ab œconomo, vel aliis personis expedientur, & omnes alias fabricæ & hospitalis, eosque describet in libro, ut earum memoria & ratio exstet.

Quoties ex parte capituli quicpiam alicui intimandum fuerit, hoc ipse faciet, & si non fecerit, punietur ad arbitrium.

CAPUT XXXVIII.

De observantia dierum festorum ex cap. 9. Actionis 4. Concilii Provincialis anni MDLXXXIII.

DIES festi ab Ecclesia statuti omni deinceps devotione serventur, Quos autem in nostra provincia Hispanos omnes oportet servare, sunt hi: Nativitas Domini nostri Jesu Christi, Stephani Protomartyris, Joannis Apostoli & Euangelistæ, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ Domini, Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, Matthiæ Apostoli, Annunciationis B. Mariæ, Resurrectionis Domini, cum duobus sequentibus, Marci Euangelistæ, Philippi & Jacobi Apostolorum, Inventionis sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, Pentecostes cum duobus sequentibus, Trinitatis, Corporis Christi, Barnabæ Apostoli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Petri & Paulli Apostolorum, Mariæ Magdalenæ, Jacobi Apostoli, Transfiguratio Domini, Laurentii Martyris, Assumptionis B. Mariæ Virginis, Bartholomæi Apostoli, Nativitatis B. Mariæ Virginis, Matthæi Apostoli, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Lucæ Euangelistæ, Simonis & Judæ Apostolorum, omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, Conceptionis B. Mariæ, Thomæ Apostoli. Præter hos etiam si qui sunt ex probata consuetudine, aut ex legitimis privilegiis festi dies introducti, & ipsi religiosè in unaquaque regione serventur.

Porrò Neophyti, quos Ecclesia per maternam indulgentiam, præceptorum suorum sarcinâ magna ex parte levandos existimavit, sequentes tantùm dies, juxta superioris Synodi Provincialis statutum observare cogantur. Primùm dies omnes Dominicos, ut Ecclesia universalis semper observat, deinde diem Nativitatis Domini, diem Resurrectionis primum, diem Pentecostes primum: item Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corpotis Christi, B. quoque Virginis Mariæ festa Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis. Demum Apostolorum Petri & Paulli. Si qui tam Indorum plures alios dies festos nostro more servare voluerint, & in iis ab opere servili vacare, integrum sit ipsis id facere ex devotione, neque ullo modo in iis laborare à quoquam penitùs compellantur.

Festi dies observentur, qui per Synodum suæ Illustriss. D. anno MDLXXXIV. celebratum cap. 8. servandi præscribuntur his verbis: Justis rationibus, & multis considerationibus moti mandamus, ut sequentes dies festi serventur. S. Sebastiani, & S. Marcelli in hac urbe, & ejus agro; commemoratio S. Paulli, & dies S. Bernardi, & S. Blasii in hac urbe.

CAPUT XXXIX.

Ex Synodo Diœcesana anno MDXCII. in hac urbe Regum celebrata, quod spectat ad observantiam festorum cum quadam declaratione, ut sequitur.

QUandoquidem in Synodo Diœcesana anno MDLXXXV. in oppido Yungay celebrata, constit. 58. statutum sit, quòd festa in civitatibus, castris, & aliis locis observanda, observentur etiam in agris; & in Concilio Provinciali anno MDLXXXIII. in hac urbe celebrato, & à sua Sanctitate anno MDLXXXVIII. post constitutionem Synodi Yungayanæ approbato, Actione 4. cap. 9. satis provisum sit, quòd observentur festa inibi memorata, & quòd si ultra illa festa fuerint alia, vel approbata consuetudine, vel privilegio legitimo introducta, illa etiam debent in suis locis religiosè coli; nobis ad ea quæ dicta sint attendentibus, visum est revocare, uti omni meliori via, quantum possumus, & jura permittunt, revocamus dictam constitutionem quinquagesimam octavam dictæ Synodi Yungayanæ, anni MDLXXXV. relinquendo, prout relinquimus, in sua vi & vigore id quod provisum & constitutum est in capitulo nono dictæ Act. 4. dicti Concilii Provincialis, ut per omnia compleatur, juxta quod, & eo modo quo ibi continetur & provisum est, ut Domino nostro in toto serviatur. Cum etiam pro parte confratrum confraternitatis S. Josephi hujus urbis à nobis petitum fuerit, ut ejusdem Sancti festum observetur. Nos ea re cum clero & populo, qui aderat, discussa & collata, convenimus in casu provideri, mandando, prout mandamus, observari dictum festum S. Josephi in hac urbe, sine obligatione ipsum observandi in agro.

Festa quæ præter superiùs expressa ex consuetudine in hac urbe servantur, sunt SS. Cosmę & Damiani, visitationis S. Annæ, S. Dominici, S. Augustini, S. Francisci, Exspectationis, & SS. Innocentium.

CAPUT XL.

CUM sacris Canonibus constitutum sit, ut quæ in Provinciali Synodo definita sunt, ea unusquisque Episcoporum in sua Diœcesi denuò publicanda, & ad omniũ notitiam deferenda curet: siquidem ex Episcopi unius propemodum diligentia universi laboris exacti fructus & summa pendet: propterea hęc sancta Synodus cupiens laborem suum in Christo non esse inanem, districtè præcipit, & æterni judicii obtestatione denunciat Episcopis omnibus, atque eorum officialibus, ut tum in Cathedrali, tum in præcipuis parochialibus suarum diœcesium Ecclesiis decreta præsentis Synodi, & superioris Limensis solenniter legi & publicari faciant: ac ne oblivioni per negli-

gen-

gentiam tradantur, jubeant omnino, saltem semel quotannis; in capitulis Cathedralibus, & in frequenti cleri & populi conventu recitari, ita ut unusquisque, quod ad se pertinet, possit facilè intelligere ac recolere. Deinde provisores, vicarios, visitatores, cæterosque judices Ecclesiasticos quoscumque hujus provinciæ admonet sancta Synodus, ut secundùm has constitutiones judicare, & causas Ecclesiasticas definire, pœnasque ac censuras in his appositas, legitimas declarare teneantur. Neque in his quæ ad reformationem spectant, appellatione cujuscumque legitima exsecutio suspendatur.

CAPUT XLI.

De tabula concionum.

Sermones quos declamat Prælatus per se, vel per aliam personam.

IN die Cinerum.	Prælatus.
Dominicâ Palmarum.	Prælat.
Die Jovis sancto ad mandatum.	Prælat.
Purificationis.	Prælat.
Annunciationis.	Prælat.
SS. Petri & Paulli.	Prælat.
Assumptionis.	Prælat.
S. Jacobi Apostoli.	Prælat.
S. Joan. Apostoli & Euangelistæ.	Prælat.
Secunda die Paschæ.	Prælat.
Secunda die Pentecostes.	Prælat.

Sermones declamandi per Religiones.

DOminicâ primâ Adventus. S. Dominici.
Dominicâ secundâ Adventus. S. Franciſci.

Dominicâ tertiâ Adventus.	S. Augustini.
Dominicâ quartâ Adventus.	Societatis.
Dominicâ Septuagesimæ.	S. Dominici.
Dominicâ Sexagesimæ.	S. Franciſci.
Dominicâ Quinquagesimæ.	S. Augustini.
Dominicâ 1. Quadragesimæ.	Societatis.
Dominicâ 2. Quadragesimæ.	S. Dominici.
Dominicâ 3. Quadragesimæ.	S. Franciſci.
Dominicâ 4. Quadragesimæ.	S. Augustini.
Dominicâ Passionis.	Societatis.

Dominicâ Resurrectionis ad primam Missam. S. Dominici.

Dominicâ in Albis.	S. Franciſci.
In Ascensione Domini.	S. Augustini.
Dominicâ Pentecostes.	Societatis.
Dominicâ SS. Trinitatis.	S. Dominici.

Festa Januarii.

In Circuncisione Domini.	S. Dominici.
Epiphaniâ.	S. Franciſci.

Februarii.

S. Mathiæ Apostoli.	S. Augustini.

Aprilis.

Ad processionem S. Marci.	S. Dominici.

Maji.

SS. Philippi & Jacobi.	Societatis.

Junii.

S. Barnabę Apostoli.	S. Dominici.
S. Joannis Baptistæ.	S. Dominici.

Augusti.

Transfigurationis.	S. Augustini.
S. Laurentii.	Societatis.
S. Batholomæi Apostoli.	S. Dominici.

Septembris.

Nativitatis Dominæ nostræ.	S. Franciſci.
S. Matthæi Apostoli.	S. Augustini.

Octobris.

S. Lucæ Euangelistæ.	Societatis.
S. Simonis & Judę.	S. Dominici.

Novembris.

Omnium Sanctorum.	S. Franciſci.
S. Andreæ Apostoli.	S. Augustini.

Decembris.

Conceptionis Dominę nostræ.	Societatis.
S. Thomę Apostoli.	S. Dominici.

Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. S. Franciſci.

Feriæ Adventûs & Quadragesimæ.

IN feriis Adventus & Quadragesimę Prælatus cum consilio, capituli eliget unum concionatorem, vel plures ubi videbitur, ad docendum populos doctrinam salutarem.

Reliquæ Dominicæ & festa per annum.

RElíquis Dominicis & festis per annum prętęr jam relata, Archiepiscopus ex jam nominatis Religionibus, vel aliun, de designabit unum, qui populo prędicet Euangelium. Idemque faciet in Octava Corporis Christi.

In cęteris Ecclesiis parochialibus totius Archiepiscopatus, Archiepiscopus, vel alius, cui id ab eo commissum fuerit, eliget unum concionatorem, qui ipsi maximè videbitur idoneus, ut in eisdem parochiis prædicet Dominicis & festis prędictis.

Parochi prædicent in suis parochiis diebus Dominicis & festivis.

PArochiarum rectores totius hujus Archiepiscopatus debent per se ipsos prędicare. Quòd si impediti, vel ad prędicandù inidonei non fuerint, Archiepiscopus providebit ipsorum rectorum impendio personas doctas, & suf-

sufficientes, juxta constitutum in Concilio Provinciali, anno MDLXVII. sess. 2. cap. 65. & secundùm Synodum Tridentinam sess. 5. c. 2. & sess. 24. cap. 4. *De reformatione.*

De Adventu & Quadragesima.

PArochi in suis parochiis totius Archiepiscopatus, diebus jejuniorum Quadragesimæ & Adventus prædicabunt diebus singulis, vel ad minus ter per hebdomadam in dictis Quadragesima & Adventu juxta decretum Concilii Tridentini sess. 24. cap. 4. *De reform.* & impeditos vel insufficientes juvabit Archiepiscopus, alios idoneos deputando sumptibus, ut suprà dictum est, ipsorum parochorum.

Quod prebendarii, cæteriq; clerici assistant concionibus, quisque in sua parochia.

OMnes præbendarii in sua Ecclesia Cathedrali, cæteriq́ue clerici in suis parochiis vel templis, intersint & assistant concionibus, qui in illis habebuntur, juxta statutum Concilii Provincialis anni MDLXVII. sess. 2. cap. 28. & Concilii Tridentini sess. 24. cap. 4. *De reform.* & Motus proprios, Brevia, & Privilegia suæ Sanctitatis. Ac tempore concionis nemo è choro discedet, & qui secus fecerit, plectetur ab Episcopo privatione distributionum, & aliis pœnis.

Et hanc tabulam concionum fieri jussit sua Illustrissima Dominatio, & facit ad suum beneplacitum, & usque dum aliter dispoſuerit, & sine præjudicio præbendarii, qui futurus est canonicus magistralis, suum jus illi liberum relinquendo, interim dum jam non sit prebenda magistralis. Et quòd totum provisum sit modo magis convenienti, & quantum potuerit, & jura concesserint, ita ut per omnia oxoneretur conscientia, & serviatur Deo.

CAPUT XLII.

De ordine servando quando Prælatus, vel præbendarii ingrediuntur chorum.

SI dum præbendarii divinum officium in choro peragunt, Prælatus advenerit; ex sedibus suis aliquantum exibunt ad ipsum excipiendum.

Cùm in templum ad officium convenerint, si Prælatus venturus sit, non intrent in chorum donec accesserit, & sedem suam acceperit, & illis diebus, in quibus choro interesse solet, curabunt præbendarii, ut sciant, an venturus sit, ut eum exspectent.

Quando ipsorum præbendariorum aliquis ingreditur chorum, dum alii divina persolvunt, nemo illi assurget, vel deponet biretum, nec ullam inclinationem faciet, sed omnes prosequentur officium, ut omnia decenter & cum convenienti devotione peragantur.

CAPUT XLIII.

Portiones ad capitulum spectantes convertantur in distributiones quotidianas.

Ex sess. 2. Concilii Provincialis anni MDLXVII. & cap. 26. act. 3. Concilii Provincialis Limensis anni MDLXXXII. ut sequitur.

QUòd Episcopus distribuat partes decimarum & obventionum, quæ spectant ad capitulum in distributiones quotidianas cum consilio ipsius capituli, & diebus solennioribus distributiones augeantur illis, qui interfuerint primis Vesperis, & Matutinis, & Missæ majori. Ita ut in solennitatibus Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, Ascensionis, Transfigurationis, SS. Petri & Pauli, omnium Sanctorum, sexduplicetur portio; & in festo Assumptionis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, & Nativitatis Dominæ nostræ quadruplicetur; & in festo Sancti Titularis Ecclesiæ Cathedralis. Et duplicetur in festis Apostolorum.

Si quis ab Horis supradictis abfuerit, ipsius portio eodem jure cæteris præsentibus debetur, & sic omni tempore anni servabitur, absque eo quòd præbendarii eam possint sibi mutuò remittere, vel unus alteri ejusmodi portiones condonare.

Officio divino diurno & nocturno, ac Missarum solenniis intersint omnes in Cathedralibus Ecclesiis Dignitates, atque canonici, quemadmodum in Tridentino & Limensi Concilio constitutum est. Qui verò non interfuerint, sine ulla remissione distributiones amittant, quæ cæteris qui interfunt eo ipso debeantur; neque verò remissionem, aut condonationem ullam in iis sibi viciſſim capitulares facere possint: si fecerint, nulla sit, sed distributiones ita perceptas teneatur in conscientia restituere qui fraudem fecit. Præterea designetur qui notet defectus absentium fideliter & secretò, cui etiam tertia pars cedat mulctarum, quavis collusione prorsus exclusa. Portiones verò, tam ex decimis, quàm ex obventionibus debitæ, in quotidianas distributiones convertantur, ac dividantur secundùm erectionem, & superioris Concilii Canonem, quem innovamus, atque omnino servari mandamus.

Et juxta normam horum Conciliorum Illustriss. Archiepiscopus die decimo Aprilis anno MDXCIII. cum consilio capituli hujus sanctæ Ecclesiæ constituit & præcipit, quòd obventiones, tam decimarum, quàm aliarum portionum, dividantur in distributiones quotidianas, & statuta dictorum Conciliorum per omnia compleantur, & exsecutioni mandentur quæ in dictis capitibus continentur. Et ut moneatur œconomus hujus sanctæ Ecclesiæ, ut faciat distributiones, quando faciet solutiones juxta

teno-

tenorem dictorum capitum. Quibus eram præſens, & fidem facio.

Bernardinus de Almanza, Notarius publicus, Secret.

CAPUT XLIV.

Quòd clerici in feſtis concurrant ad Eccleſias.

Ex Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. Act. 3. cap. 25. tenoris ſequentis.

CLerici omnes, etiam primâ tonſurâ initiati, diebus Dominicis & feſtivis ad Cathedralem Eccleſiam, aut aliquam parochialem de aſſenſu Ordinarii, ad Veſperas primas & ſecundas, ad Tertiam, & Miſſam ſolennem ſecundùm Canones (poſtpoſita quavis excuſatione) cum ſuperpelliceis conveniant, etiam ſi præbendam ibi non habeant. Qui neglexerint, arbitrio Ordinarii puniantur.

CAPUT XLV.

De Matutinis: & quod clerici accurrant ad Salve Regina.

Ex Concilio Provinciali Act. 3. 27. tenoris ſequentis.

HOræ Canonicæ Matutinæ ante pulſum ſalutationis Angelicæ nequaquam inchoëntur; ſignum verò campanæ ad ſingulas Canonici officii Horas detur. Omnibus autem ſabbathis *Salve regina* cantetur in Cathedralibus & parochialibus Eccleſiis, cui interſint præbendati, & alii clerici omnes cum ſuperpelliceis, etiam primæ tonſuræ, alioquin arbitrio Ordinarii plectantur.

CAPUT XLVI.

Uti ſtæ ordinationes ſtatim publicentur, & diebus Veneris legantur in Capitulo.

UT ſemper ſit recens memoria conſtitutorum in his ordinationibus, & unuſquiſque reſpondeat ſuæ obligationi, debent ſingulis diebus Veneris, quibus tenebitur capitulum, in eo legi ordinationes, & capita hujus libri. Et ne quiſquam prætendere poſſit ignorantiam, illicò publicentur.

CAPUT XLVII.

Omnes præbendarii interſint proceſſionibus.

Et de exſecutione harum ordinationum.

PRæbendarii omnes magnopere ſtudeant intereſſe tam generalibus quàm particularibus proceſſionibus, in quibus interveniet capitulum, ſive intra, ſive extra Eccleſiam, ſub pœna quatuor peſorum currentis monetæ contravenienti imponenda, applicandorum prout obſequio Dei magis expedire videbitur.

Concluſio, & exſecutio.

HÆ ordinationes & capitula retrò ſcripta cum tanta deliberatione & examine facta, & ſpectantes ad augmentum cultus divini, bonum regimen ſpirituale, & correctionem perfectionemque ſtatus Eccleſiaſtici, declaramus, cupimus, & eſt noſtra voluntas, ut obſerventur, & inviolabiliter obſervari fiant abſque alteratione vel mutatione ullius rei; & ut illis, nec in toto, nec in parte contraveniatur, vel ullo modo excedatur. Et cupientes ut debitam ſortiantur exſecutionem, & ne oblivione jaceant, confiſi de perſona, qui pro tempore fuerit præſes capituli & chori hujus noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis, quòd cum diligentia, rectitudine, & cura convenienti tranſiget officium, quod illi commiſſuri ſumus; in toto tenore ſupradictorum, ſolum Deum præ oculis habentes, omni meliori modo, & quantum poſſumus, juxta normam juris, judicem nominamus præſidentem, qui eſt, & pro tempore fuerit dicti capituli & chori hujus ſanctæ Eccleſiæ, ad hoc, ut nomine noſtro, & ſine præjudicio noſtræ juriſdictionis, poſſit procedere, & procedat contra præbendarios, & reliquas perſonas & miniſtros hujus ſanctæ Eccleſiæ qui erunt, & contravenerint ſtatutis per dictas ordinationes, & capitula concernentia ipſorum officia in Eccleſia. Et contra clericos, quantumvis ſolâ primâ tonſurâ initiatos, qui cum ſuis ſuperpelliceis non accurrerint ad primas & ſecundas Veſperas, Tertiam, & Miſſam majorem diebus Dominicis & feſtis obſervandis; & ſabbathinis ad *Salve Regina*: & ad effectum ſupradictum fulminare proceſſus & ſententias, & omnia jam dicta ad debitam exſecutionem perducere. Et ad omnia ſupradicta, aliaque ad illa neceſſaria, vel inde dependentia, poſſit creare notarium, & fiſcalem, & reliquos miniſtros qui fuerint neceſſarii, vices noſtras illi committimus, reſervando nobis, & noſtro proviſori, prout per præſentes reſervamus, poteſtatem procedendi in dictis cauſſis & negotiis, eaque avocandi, & aliis judicibus committendi, quoties, & quando nobis placuerit, & expedire videbitur, ſalva ſemper & illæſa noſtra juriſdictione; ita ut per omnia fiat quod expediet, ut exoneretur conſcientia, ac Deo ſerviatur. Datum in civitate Regum ſeptima die menſis Maji MCXCIII.

Toribius Archiepiſcopus civitatis Regum.
Doctor Molina,
Licentiatus Menacho.

De mandato ſuæ Illuſtriſs. Dominationis.
Bernardinus de Almanza,
Notarius, Secretarius.

PAULLUS PAPA QUINTUS,

Ad futuram rei memoriam.

DE ſalute Dominici gregis, curæ noſtræ divinitus commiſſi, ſolicitè cogitantes, ad ea ipſis fidelibus, præſertim in remotioribus illis partibus conſtitutis, concedenda, per quæ ipſorum pietas & devotio, per quæ æterna ſalus facilius comparatur, augeri poſſe ſperamus: paterna charitate intendimus. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſiis parochialibus in Indiarum partibus exiſtentibus, Chriſti fideles, tam Indi quàm Hiſpani, ſingulis diebus ſabbathi poſt Completorium ad audiendam Antiphonam Beatæ Mariæ Virginis, Salve Regina, *& Litanias in laudem eiuſdem Beatæ Mariæ, quas ipſarum Eccleſiarum parochi maxima cum eorundem Chriſti fidelium devotione decantant, congregari conſueverint; nos ut ipſorum Chriſti fidelium erga Beatam Virginem devotio in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, ſupplicationibus quoque dilecti filii Ludovici Hieronymi procuratoris Eccleſiæ Cuzquenſis nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam Indis quàm Hiſpanis, qui ſingulis diebus ſabbathi ipſis laudibus in prædictis Eccleſiis, ut præfertur, decantandis in toto vel in parte, genibus flexis devotè interfuerint: & ibi pro Chriſtianorum concordia, hæreſum exſtirpatione, ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, centum quinquaginta dies, iis verò qui ſupra dictis diebus coronam, ſeu unam partem Roſarii ejuſdem Beatæ Mariæ, cum meditatione myſteriorum ſacrorum piè recitaverint, utq; præfertur oraverint, tres annos & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis, pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſuata relaxamus. Præſentibus ad quindecim annos duntaxat valituris. Non obſtantibus noſtra, de non concedendis indulgentiis ad inſtar, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis quibuſcumque. Datis Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die ſecunda Decembris MDCV. Pontificatus noſtri anno primo.*

M. Veſtrius Barbianus.

Porrò Litaniæ prædictæ apud Peruviam cantari ſolitæ, & indicatæ à Paullo V. ſunt ſequentes.

Incipit Litania in laudem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

AVE MARIA,	ora pro nobis.	Fructifera planta,	ora.
Ave filia Dei Patris,	ora.	Virgo ſpecioſa.	ora.
Ave mater Dei Filii,	ora.	Pulchra velut roſa,	ora.
Ave ſponſa Spiritus ſancti,	ora.	Speculum juſtitiæ,	ora.
Ave Templum Trinitatis,	ora.	Cauſſa noſtræ lætitiæ;	ora.
Sancta MARIA,	ora.	Gloria Hieruſalem,	ora.
Sancta Dei genitrix,	ora.	Altare thymiamatis,	ora.
Sancta Virgo virginum,	ora.	Civitas Dei,	ora.
Sancta Mater Chriſti,	ora.	Luminare cœli,	ora.
Quem tu peperiſti,	ora.	Vas ſpirituale,	ora.
Mater puriſſima,	ora.	Vas honorabile,	ora.
Mater caſtiſſima,	ora.	Vas inſigne devotionis,	ora.
Mater inviolata,	ora.	Thronus Salomonis,	ora.
Mater intemerata,	ora.	Favus Samſonis,	ora.
Mater charitatis,	ora.	Vellus Gedeonis,	ora.
Mater veritatis,	ora.	Pulchra ut luna,	ora.
Mater amabilis,	ora.	Inter omnes una,	ora.
Mater admirabilis,	ora.	Ut ſol electa,	ora.
Mater divinæ gratiæ,	ora.	Deo dilecta,	ora.
Mater ſanctæ ſpei,	ora.	Stella matutina,	ora.
Mater dilectionis,	ora.	Ægris medicina,	ora.
Mater pulchritudinis,	ora.	Cœlorum regina,	ora.
Mater viventium,	ora.	Roſa ſine ſpina,	ora.
Filia patris luminum,	ora.	Rutilans aurora,	ora.
Virgo fidelis,	ora.	Valdè decora,	ora.
Dulcior favo mellis,	ora.	Lux meridiana,	ora.
Virgo prudentiſſima,	ora.	Flos virginitatis,	ora.
Virgo clementiſſima,	ora.	Lilium caſtitatis,	ora.
Virgo ſingularis,	ora.	Roſa puritatis,	ora.
Stella maris,	ora.	Vena ſanctitatis,	ora.
Virgo ſancta,	ora.	Cedrus fragrans,	ora.

Mir-

Myrrha conſervans. ora.
Balſamum diſtillans. ora.
Terebinthus gloriæ. ora.
Palma virens gratiæ. ora.
Virga florens. ora.
Gemma refulgens. ora.
Oliva ſpecioſa. ora.
Columba formoſa. ora.
Vitis fructificans. ora.
Navis abundans. ora.
Navis inſtitoris. ora.
Mater Redemptoris. ora.
Hortus concluſus. ora.
Rubus incombuſtus. ora.
Gloria ſeculi. ora.
Nutrix parvuli. ora.
Radix gratiarum. ora.
Levamen moleſtiarum. ora.
Putee viventium aquarum. ora.
Mater orphanorum. ora.
Auxilium Chriſtianorum. ora.
Salus infirmorum. ora.
Refugium peccatorum. ora.
Conſolatrix afflictorum. ora.
Mater pia minorum. ora.
Regina angelorum. ora.
Segina Seraphim. ora.
Regina Cherubim. ora.
Regina Patriarcharum. ora.
Regina Prophetarum. ora.
Regina Apoſtolorum. ora.
Regina Martyrum. ora.
Regina Confeſſorum. ora.

Regina Virginum. ora.
Regina Sanctorum omnium. ora.
Ab omni malo & peccato. Libera nos Dña.
A cunctis periculis. lib.
Nunc & in hora mortis noſtræ. lib.
Per immaculatam Conceptionem tuam. lib.
Per ſanctam Nativitatem tuam. lib.
Per Præſentationem tuam. lib.
Per cœleſtem vitam tuam. lib.
Per admirabilem Annunciationem tuam. lib.
Per viſitationem tuam. lib.
Per felicem partum tuum. lib.
Per Purificationem tuam. lib.
Per dolorem de Chriſti Paſſione. lib.
Per gaudium de illius reſurrectione. lib.
Per glorioſam Aſſumptionem tuam. lib.
Per Coronationem tuam. lib.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut illos tuos miſericordes oculos ad nos convertere digneris. te rog.
Ut veram pœnitentiam nobis impetrare digneris. te rog.
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem & ſalutem impetrare digneris. te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetrare digneris. te rog.
Ut nos exaudire digneris. te rog.
Mater Dei. te rog.
Genitrix Dei. te rog.
Ave de cœlis alma. Succurre nobis Domina.
Ave de cœlis pia. Fer opem nobis Domina.
Ave de cœlis dulcis. Intercede Domina.

Antiphona.

REcordare Virgo, mater, dum ſteteris in conſpectu Filii, ut loquaris pro nobis, & ut avertas indignationem ſuam à nobis. ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.* ℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus.

PReces noſtras quæſumus Domine apud tuam ſanctiſſimam clementiam Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ commendet oratio: quam, iccirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, ut pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat.

COrdibus noſtris, quæſumus Domine, benedictionis tuæ rorem, meritis & interceſſione B. Barbaræ Virginis & Martyris tuæ benignus infunde, ut qui ejus imploramus auxilium tuæ propitiationis ſentiamus effectum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c. Dominus vobiſcum, &c. Benedicamus Domino, Deo gratias.

SYNODUS VII. DIOECESANA

Celebrata in civitate Regum, ultimo die Octobris anno MDXCII.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus &c. *Ut ſuprà initio Synodi quintæ.*

CAPUT I.

Hiſpanorum, Indorumq; parochi mittant exemplaria & monumenta reddituum Eccleſiaſticorum.

QUandoquidem in Conciliо [a] Provinciali anni MDLXXXIII. ordinatum ſit, ut in archivo Eccleſiæ Cathedralis conſerventur omnes ſcripturæ Eccleſiarum hujus Archiepiſcopatus, fundationes ſacellorum, & monumenta, reſque reliquæ ibidem contentæ; ut id exſecutionem accipiat, & ut exſtet liber in quo diſtinctè & per ordinem deſcribantur; omnes parochi, & vicarii hujus Archiepiſcopatus, tam Indorum quàm Hiſpanorum, qua poterunt celeritate mittant ad nos, vel proviſorem noſtrum unum exemplar ſita authenticum ut fidem faciat, omnium ſcripturarum, quas habuerint de cappellaniis, anniverſariis, monumentis, confraternitatibus, domibus, hæreditariis poſſeſſionibus, cenſibus, reliquiſque rebus reddituum Eccleſiaſticorum, & hoſpitalium, ſuorum Beneficiorum, & Doctrinarum: itemque monumentum ſeparatum ipſorum propriis nominibus ſubſcriptum & authenticum, in forma qua fidem faciat, de cunctis fundationibus, cappellaniis, anniverſariis, confraternitatibus, & aliis memoriis, tam vivorum quàm defunctorum, quę vel jam fundata ſunt, vel in poſterum fundabuntur, minutim & particulariter deſignando fundatorem, & patronum, & eum qui in illis inſervit. Et Miſſas ac earum redditus, cęteraque omnia onera & res quæ relinquuntur & fieri jubentur, ac celebrari. Itemque omnium cenſuum, hæreditatum, poſſeſſionum, ac reddituum omnium illarum fundationum & memoriam. Item etiam reddituum, quos habent iidem ipſi parochi & Beneficiarii, tam Indorum, quàm Hiſpanorum, ex propriis ipſorum Beneficiis, & Doctrinis. Et quot habeant cappellanias, & an ſint collativæ vel ſecùs, ut omnia collocentur in archivo hujus ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis, & omnia pariter deſcribantur in uno libro, qui ad effectum habendus ſit. Qualem librum debebunt etiam habere dicti parochi, in quo deſcribent ac deſignabunt quod ad peculiares ipſorum Eccleſias & hoſpitalia pertinebit eadem diſtinctione & claritate; ipſumque tenebunt, & fida cuſtodia ſervabunt.

CAPUT II.

Parochi mittant relationem fidelium Indorum ſuæ curæ paſtoralis.

SAtisfacere cupientes Decretis [b] Concili Provincialis anni MDLXXXIII. in hac civitate Regum celebrati, ac per ſummum Pontificem approbati, quod etiam domini noſtri Regis edicto exſecutioni mandari juſſum eſt: & in quo ſtatuitur, ut præficiatur proprius ſacerdos ſingulis ducentis vel trecentis Indis, tributariis, & opificiis, ac machinis, cæteriſque partibus uti expedierit; omnes Indorum parochi cum omni poſſibili celeritate mittent notitiam omnium Indorum tributariorum qui in ipſorum doctrinis fuerint, & à tributis exemptorum, & eorum qui confeſſionibus idonei ſunt, & omnium animarum quæ in unaquaque Doctrina ſunt, & quale ſalarium habent, & pagorum quos ſibi commiſſos habent, & quot leucis unus ab alio diſtet, & quot numero perſonę in ſingulis Doctrinæ laboritiis verſantur, tam ii qui laborant, quàm qui cibos eis ferunt, & ipſis in loco laboris aſſiſtunt, & ad quem ſpectet laboritium, & quantum inde proveniat. Quam relationem ſeu notitiam mittent ſubſcriptam nominibus ſuis & ſatraparum Indorum, vulgò *Caciques*, & ſcribæ oppidi & correctoris, ſeu prætoris, ipſiuſque ſcribæ, ſi haberi poſſit, ita ut fidem faciat. Eoſque monemus quòd ſi in præmiſſis obſervantes non fuerint, ſeverè contra eos procedetur, & noſtri viſitatores plectent eos qui in hujus rei exſecutione negligentes fuerint: ipſique ferent vel mittent relationem prædictorum valdè diſtinctam & claram, in quo utrorumque conſcientias oneramus.

CA-

[a] Conc. Mediolan. I. tit. *Quæ pertinent ad jurium Eccleſiaſt. conſervationem &c.* Et Conc. Mediol. III. tit. *De iis quæ ad capitulum pertinent.* Et Synod. Limen. IV. cap. 15. [b] Conc. Liman. anni MDLXXXIII. Act. 2. c. 11. & 12.

CAPUT III.

Quòd parochi possint diebus Dominicis & festivis celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis diversis ac dissitis.

JUxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac civitate anno MDLXVII. quantum convenit, & per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum Hispanorumque parochis nostri districtus, ut diebus Dominicis & festivis ex præcepto servandis possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius Ecclesiæ assistunt non possint commodè accedere ad audiendam Missam in altera; cùm autem habuerint alium sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit parochus celebrare in utraque, sed unam Missam tantùm in una, quandoquidem alter sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi. Nec item poterit idem parochus celebrare duas Missas in eodem oppido, quamvis non sit alius sacerdos qui dicat secundam in eodem.

CAPUT IV.

Vicarii singulis annis inspiciant testamenta sui districtus, eaq; adimpleri faciant.

VIcarii hujus Archiepiscopatus, quisque in suo districtu, revideat singulis annis tabulas testamentarias, ut pia mandata adimpleantur, curando, ut ad debitam executionem perducantur; ita ut exonerentur conscientiæ, ac Deo per omnia serviatur: in quo ipsorum conscientias oneramus. Et nostri visitatores, quos negligentes repererint, prement.

CAPUT V.

Observentur Concilia Provincialia annorum MDLXVII. & MDLXXXIII. in hac civitate celebrata.

OMnes parochi, [c] visitatores, judices Ecclesiastici, cæterique nostri Archiepiscopatus, ad quos infrascripta pertinebunt, habeant, servent, & inviolabiliter observent, nihilo dempto vel alterato, quæ constitata sunt per Concilium Provinciale anno MDLXXXIII, in hac civitate celebratum, & à D. N. Rege executioni mandari & observari jussum; peculiariter advertentes ad censuras ipso facto impositas negotiantibus & mercantibus clericis, & rectoribus doctrinarum, greges vel armenta ultra suæ sustentationis necessaria habentibus, vel sementem, aliave prædialia lucra; eisque qui chartis, vel alio prohibiti ludi genere ludant, plus quam aureos quinquaginta. Illis item qui absque Antistitis venia Doctrinas suas deserent, vel non reddita ratione rerum sibi commissarum: parochis qui permiserint suscipi correctores cum cruce: & visitatoribus qui concesserint clericis dimissoriales, cum quibus ex hoc Archiepiscopatu discedant, ultra centum pesos illis impositos, uti apparet & constat ex instructione visitatorum edita in Concilio Provinciali: & visitatoribus pariter qui obliti timorem Domini occultaverint aliquem processum, vel perversa collusione cum visitatis utendo, ipsorum vitia dissimulant, vel causas ad Ordinarium non integrè remittunt: Clericis quoque qui contra Indos ad bellum procedunt, vel alios quoscumque aggressus absque Antistitis licentia: & alios etiam qui contra tenorem dicti Concilii aliquam personam in theatro repræsentârint: & illis qui attentaverint clandestina matrimonia, & eis qui præsentiam suam illis præbuerint. Attendentes etiam decretis Concilii Provincialis, per quæ statuitur, quòd portas Ecclesiæ nemo relinquat apertas sub pœna excommunicationis: & quòd etiam præcipitur, ut contra Hispanorum Indorumque parochos, aliosque judices Ecclesiasticos, qui curare neglexerint describi & haberi Concilia Provincialia anni MDLXVII. & anni MDLXXXIII. quantum ad ipsos ullatenus pertinebit, intra duos menses ab eorum publicatione, vel aliud tempus ab Antistite præfigendum, procedetur ad sententiam excommunicationis majoris, & pœnam centum pesorum currentium: hortando, prout in Domino hortamur, visitatores Archiepiscopatûs, ut singulare studium adhibeant visitandi prædictos excessus tractuum & contractuum, ac lucrorum prædialium clericorum, tam qui Doctrinas, quàm qui alia quævis loca regunt: & inquirendi, an sint factores commendariorum, vel aliorum quorumcumque, eos in his omnibus, & aliis delictis & excessibus inculpando, juxta schedulam suæ Majestatis Madriti expeditam sub 18. Februarii anno MDLXXXVIII. & ad nos missam, in qua nos rogat nobisque injungit, ut provideamus, & jubeamus ne dicti clerici sint factores commendariorum, vel aliarum personarum, aut in ullo genere mercimonii tractent vel contractent, sive per se, sive per interpositas personas, transgressores rigidè castigando: & quòd ad id faciendum ipsius Regia audientia omnem favorem necessarium & auxilium præstabit, de quo ad eandem audientiam scribit, ut pro ipsorum parte multam curam adhibeant eandem schedulam opere adimplendo.

CA-

[c] Conc. Provinc. anni MDLXXXIII. Act. 2. cap 1.

CAPUT VI.

Vicarii & parochi decimarum rationes mittant, & in libro deſcriptas habeant.

UT Eccleſiarum [a] & xenodochiorum proventus aliæque res dignoſci poſſint, & ad cæterorum quemque, quorum intereſt, pertineat, & an diminuantur, aut creſcant, & ut earum conſervationi & augmento provideri poſſit; omnes Hiſpanicorum oppidorum vicarii habebunt librum, in quo per partes diſtribuent locationes & conductiones decimarum, deſignando perſonas quibus per conductores iterum locentur, & in qua parte, partitione, & ſemita ſint, cujuſque quantitatis, & alia quæ pernotanda videbuntur. Et horum teſtimonium ſuis nominibus ſubſcriptum, & ita authenticatum, ut fidem faciat, ſingulis annis, ad nos vel noſtrum proviſorem mittent, ut intelligatur quid exſtet, ac decimarum Eccleſiarum, & Xenodochiorum bono & augmento provideatur, ſimul & indemnitati eorum ad quos pertinebit.

CAPUT VII.

Indorum parochi inſtruant Archiepiſcopum, qualiter adimpleantur proviſa, & providenda in favorem Indorum.

UT, ad ſpirituale & corporale bonum Indorum, Regiæ Majeſtatis voluntas adimpleatur, cupientes, quæ eſt, quòd pauperes indigenæ requie ſua quieteque gaudeant, quo meliùs attendant doctrinæ, & ad Domini noſtri cognitionem perveniant, ac mediante ſua divina gratia, & ſacri Euangelii prædicatione ſalvari poſſint; ſtatuimus, ut omnes Indorum parochi peculiari cura & attentione videant & intelligant, qualiter obſerventur ea quæ ad Indorum beneficia proviſa ſunt, ac deinceps providebuntur; ea de re nos etiam inſtruendo, ut nos D. Pro-regem commonere poſſimus, & cum opus fuerit; ipſam etiam Regiam Majeſtatem, ut remedium integrum apponatur: ſuper quæ noſtra oneratur conſcientia, ut apparet ex ſchedula domini noſtri Regis expedita Ulyſſiponæ die 27. Maji anni MDLXXXII.

CAPUT VIII.

Indorum ſacerdotes pro ſacramentorum adminiſtratione non accipiant ab Indis jura, nec eoſdem ad hæc, vel oblationes, aut alia jura cogant.

INdorum [f] parochi diligenter caveant, in eoque obſervantiſſimi ſint, ut ab eiſdem Indis non accipiant candelas vel pecunias, nec alia ulla jura vel oblationes jurium matrimonii, velationis, aut baptiſmi; ut nec ab eorundem baptiſmatum aut matrimoniorum patrinis, quamvis propria voluntate ea dent, vel offerant; ſub pœna quicquid acceperint in quadruplum reſtituendi. Nec ab illis exigent jura ſepulturæ, prout per provinciales ac diœceſanas hujus Archiepiſcopatus conſtitutiones ſancitum eſt. Nec eoſdem Indos compellent, vel ullam vim aut violentiam eis inferent ad exigenda jura comitivæ defunctorum vel feretri, nec tactus campanarum, aut eundi ad eos eferendos, vel ſonitus campanæ quem edi ſibi volunt à domo defuncti uſque ad Eccleſiam, nec incenſationis. Nec ullam rem Indorum ſibi applicent in teſtamentis quæ iidem parochi in defunctorum nomine conficiunt, quantumvis ſit pro Miſſis, quæ celebrandæ ſint, vel ipſarum eleemoſynis gaudendo, nec ſe miſcebunt vel propria auctoritate intromittent in diſpoſitionem bonorum defuncti, ullam eorum partem ſibi uſurpando, quamvis ſub colore quintam partem pro anima applicandi. Sed Indis relinquant integram libertatem de ſuis bonis diſponendi, prout ipſis videbitur. Et ſi inteſtati moriantur, hæres ipſorum ab inteſtato declarent, & faciant quod pro anima defuncti fieri debeat. Nec vim, aut violentiam illis inferant, ut relinquant dicendas, vel dici faciant Miſſas, nec ut alio tempore diebus Dominicis vel feſtivis, vel aliàs intra annum oblationes faciant; cùm hæc omnia voluntaria eſſe debeant. Dictique parochi cuſtodient & obſervabunt quicquid ad favorem & bonum Indorum per Provinciales, ac Diœceſanas hujus Archiepiſcopatus Synodos conſtitutum eſt; eoſdem parochos, ut monemus, admonentes, ne locum ullum hujuſmodi exceſſibus vel introductionibus concedant, & ut obſervent, & opere compleant ea quæ circa hæc per ſchedulas Regias ordinata & proviſa ſunt, & in poſtremo Concilio Provinciali, juxta quod, eodemque modo, quo in eodem continetur, quod etiam eſt pariter conforme ſchedulæ ſuæ Majeſtatis ad nos directæ in commendationem ſupradictorum, datum in S. Laurentii die decima nona Octobris anni MDXCI. Et noſtris viſitatoribus præcipimus, ut ſolertem curam ac diligentiam adhibeant, ut illos aggravent, quos in prædictis culpabiles repererint, ut ſecundùm culpæ qualitatem ſeverè puniantur.

CAPUT IX.

Servorum, Indorumq; domini, & parochi diligenter curent, ut illi doctrinam doceantur, Miſſas, conciones, & ſacramenta frequentent.

CUpientes, [g] ut exonerentur conſcientiæ, nec Deo Domino noſtro debitum deſit obſequium: hortamur & rogamus in domino omnes mancipiorum dominos, & qui

[a] Conc. Ravennat. I. ſub Honor. Papa IV. Rubric. 7. Conc. Liman. anni 1583. Act. 4. cap. 12. [e] Conc. Limen. anni 1583. Act. 3. cap. 3. [f] Conc. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 13. 38. [g] Synod. Diœc. I. cap. 19.

qui Æthiopes, vel Indos, aliosve in famulitio habuerint, ut familiæ suæ diligenter invigilantes observent, & curent, quòd singulis diebus doctrinam sigillatim doceantur, Missas, & conciones, festivis ac Dominicis diebus audiant, confessionem, sacram communionem, aliaque sacramenta, juxta cujusque obligationem suscipiant. Et parochis præcipimus, ut dictorum Æthiopum, tam servorum, quam manumissorum, & Indorum particulares matriculas habeant, & ex illis eos ad confessionem & communionem vocari faciant. Et in hoc minimè negligentes sint, vel eam curam ipsorum dominis vel heris relinquant; sed parochi ipsi in hanc partem diligenter incumbant, & invigilent, ut illæ personæ adimpleant præcepta Ecclesiæ, & alias suas obligationes, si iidem parochi non malint præceptorum violationem sibi ipsis imputari. Eosque monemus, prout moniti esse debent, quòd si in hoc negligentes fuerint, præter castigationem iræ Dei, debebunt ulteriùs luere pœnas ipsis impositas, in quo ipsorum conscientias oneramus. Atque in visitationibus particulariter inquiretur, qualiter hæc observentur.

CAPUT X.

Diebus Dominicis & festivis præcepti, cuncti Missas & sermones in suis parochiis audient.

NE quisquam prætendat festorum anni dierum, vel jejuniorum ignorantiam, ut unusquisque sciat quid se oporteat facere & observare; sacri Concilii Tridentini decretis inhærentes, exhortamur, & in Domino petimus, ut omnes ad Missas & conciones audiendas, frequentent suas Ecclesias parochiales, easque speciali affectu complectantur, & amore prosequantur: eosdem admonentes, quòd in eodem Concilio [b] Tridentino declaratur teneri quemlibet ad sermones in Ecclesia sua parochiali auscultandos. Ipsosque tam Indorum, quàm Hispanorum parochos, exhortamur, ut populis declarent indulgentias & remissiones, quas per Bullam sanctæ Cruciatæ lucrantur, & qualiter animas ex Purgatorio liberare possint: idque iis diebus facient, quibus indulgentias ipsas, & animarum liberationes consequi possint, ut executioni mandentur, nec oblivioni tradantur. Celebrabunt identidem iidem parochi cum magna devotione solennitatem sanctissimi Sacramenti in die Corporis Christi. Curent, & exhortentur fideles Christianos, ut se in precibus, & jejuniis, aliisque sanctis & bonis operibus exerceant: exponantque indulgentias, quas in ea die, & Octavis lucrentur qui divinis officiis interfunt. Et si ad id opus fuerit, habeant apud se Bullam Cruciatæ ultimæ prædicationis. Populumque hortentur, ut quoties exportatur sanctissimum Sacramentum, ipsum comitentur omnes: & qui equis insederint, illos relinquant, & sanctissimum Sacramentum pedites sequantur.

CAPUT XI.

Vicarii singulis annis in suis Ecclesiis publicent Concilia Provincialia.

SIngulari studio curabunt vicarii, ut Concilia [i] Provincialia anni MDLXVII. & anni MDLXXXIII. absque ulla remissione vel defectu, singulis annis in Ecclesiis ipsorum districtûs publicentur, & observent quod circa hoc in eodem Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. constitutum est. Eosque monemus, quòd in futuris visitationibus hoc non observantes mulctabuntur.

CAPUT XII.

Visitatores exsequantur decreta de clericis non callentibus linguas ad prædicandum, & excipiendas confessiones.

QUoniam per Concilium Provinciale [k] anni MDLXVII. in hac civitate celebratum, & à sua Sanctitate approbatum, ac per constitutiones hujus Archiepiscopatus decretum est, ut sacerdotibus non callentibus linguas, ad confessiones excipiendas, & ad prædicandum verbum Dei, propriis ipsorum sumptibus adjungatur & constituatur alius, qui ministerio fungi possit: & quod si primo anno in addiscendis linguis negligentes fuerint, subtrahatur ipsis tertia pars salarii, & sequenti anno crescat pœna: ac deficiente sacerdote, qui defectum suppleat, mulcta applicetur Ecclesiæ, & pauperibus Indis: itemque dum aliqua doctrina sacerdote vacaverit, ipsius stipendium eisdem Ecclesiæ & Indis pauperibus tribuatur: proinde visitatores, & vicarii diligenter invigilent, ut hęc debitam exsecutionem sortiantur, quorum in hoc conscientias oneramus, ultra quod contra negligentes procedetur.

CAPUT XIII.

De visitatoribus, ipsisque visitatoribus visitandis.

VIsitatores [l] procedant contra visitatores, qui ipsos præcesserunt, & contra officiales & ministros visitationis in locis, in quibus confecerint informationes quæ conveniant, easque ad nos vel nostrum provisorem remittant. Quoniam ad hoc, eique annexa, indeque dependentia, nostras vices illis committimus omni meliori via, & quantum de ju-

b Trid. sess. 24. c. 4. *De reform.* & cap. 13. *De reform. matrim.*
i Conc. Limen. ann. 1583. Act. 4. cap. 24. & Synod. Diœcef. III. c. 44. & Syn. 4. cap. 10.
k Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. *De reformatione.*

jure poſſumus, ut Deo præ omnibus ſerviatur. Eoſdemque viſitatores, præſentes & futuros, hortamur in Domino, ut officium ſuum fideliter exſequantur, nec accipiant jura viſitationum, quæ pilæ vocentur; ſed benè, fideliter, & integrè adimpleant ea, quæ per ſacrum Concilium Tridentinum circa procurationem, quam percipere debeant, & tempus per quod neceſſariò in viſitatione morentur ſancita ſunt, cæteraque in eodem Concilio contenta, attendentes ad rigidas pœnas per jura tranſgreſſoribus impoſitas.

CAPUT XIV.

Viſitatores diligenter inquirant in parochos inhabiles & inſufficientes ad curam paſtoralem.

QUIA [m] contingere poſſit, quòd in aliquibus Doctrinis & Beneficiis quiſpiam abſque ſufficienti literatura conſtituatur; & ad ſacramentorum adminiſtrationem, & curam paſtoralem imperiti ſint, & minus docti; viſitatores illis diligenter invigilent, eoſque in librorum lectione, & ordinanda celebrandaque Miſſa examinent: & eos ad nos deferent, qui minus habiles, vel imperiti reperti fuerint: ut re perſpecta prideamus, quòd obſequio divino magis conveniat, coadjutores illis conſtituendo, quò magis exoneretur conſcientia, juxta decreta ſacri Concilii Tridentini, de illiteratis & imperitis.

CAPUT XV.

Ut viſitatores exigant rationes Eccleſiarum, & xenodochiorum ex eorum libris, œconomis, & bonorum detentoribus, providendo & ordinando, ut in uſus neceſſarios expendantur.

CUM [n] juſto noſtro dolore, propter quaſdam cauſſas nondum potuerint Indorum, vel Hiſpanorum Eccleſiæ, & xenodochia integrè & convenienter viſitari; viſitatores in poſterum ſolicitam curam gerent, viſitando bona Eccleſiarum fabricas concernentia, & hoſpitalia Doctrinarum, tam Indorum, quàm Hiſpanorum, eorumque rationes ab adminiſtratoribus, correctoribus, & œconomis, aliiſque perſonis, in quarum poteſtate fuerint, exigendo, eoſdem obſtringendo, & providendo, ut ea rebus neceſſariis impendant, cum omni rigore juris procedendo, ut ita fiat, & adimpleatur, implorando etiam, & invocando, cùm opus fuerit, auxilium & favorem Proregis, & Regiæ Audientiæ, aliorumque judicum ad eundem effectum, juxta juris & ſacri Concilii Tridentini diſpoſitionem, & plures Majeſtatis Regiæ ſchedulas.

CAPUT XVI.

Vicarii, & parochi procedant contra impedientes Eccleſiæ miniſtros, ubi de muſicis Eccleſiarum inſtrumentis.

SEcundùm decreta Concilii Provincialis [o] anni MDLXVII. & Concilii pariter Provincialis anni MDLXXXIII. in hac civitate celebrati, & à ſua Sanctitate approbati, & per ſchedulam Regiæ Majeſtatis obſervari, & exſecutioni mandari juſſi, quæ in eodem Concilio impreſſo habetur, & juxta ordinationes D. Franciſci à Toleto, horum regnorum quondam Pro-regis, in quibus proviſum eſt ad divini cultus augmentum, & ut Indi ædificentur in rebus Chriſtianæ Religionis, quòd habeatur harmonia tibiarum, fiſtularum, & aliorum inſtrumentorum muſicorum, & miniſtri qui illis ludant, & ſacriſtani qui inſerviant Miſſis, & officiales qui populum ad doctrinam convocent, & qui ſacerdotes de publicis peccatis admoneant, & de parvulis, qui baptizandi ſunt, & alii Indi inſtructi ad baptizandum, abſente ſacerdote, in caſu neceſſitatis, tamquam ad rem tanti momenti, ne quiſquam ſine baptiſmo decedat. Omnes doctrinarum parochi in his omnibus obſervantiſſimi ſint, deſignando & habendo cantores, & perſonas, qui dictis tibiis, aliiſque inſtrumentis ritè utantur, & fiſcales, & ſacriſtanos, & perſonas inſtructas ad baptizandum in dicto caſu neceſſitatis, prout illis præcepto dicti Concilii Provincialis anni MDLXVII. ordinatum eſt, contra tranſgreſſores & miniſtros ſæculares, vel alios, qui præmiſſa impediverint, cum omni omni juris rigore procedentes, etiam, cùm opus fuerit, per cenſuras, quarum abſolutionem nobis reſervamus, committentes, prout committimus, dictis parochis, & vicariis provinciarum, eorumque cuilibet in ſolidum in cunctis præmiſſis, aliiſque eiſdem annexis, & ab eis dependentibus; & ut creent notarios, fiſcales, & reliquos neceſſarios miniſtros, noſtras vices, quantum ex juris diſpoſitione poſſumus, attendentes, prout dictum eſt, ad ſancita dictorum Conciliorum, & præſertim anni MDLXXXIII. in ejuſdem capite finali quinto, Actionis quintæ, de cura cultus divini.

CAPUT XVII.

Quòd nigri, vel alii miſti generis, vel gentis, non vivant inter Indos.

INdorum parochi omni meliori modo ſtudioſè curent, ne nigri, vel ex iis & albis, aut alia miſtura nati, vivant inter Indos, ſed eos ad Hiſpanorum oppida cogant, ut inibi ſuas parochias, & parochos profiteantur, & in-

[m] Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 6. *De reform.* [n] Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. *De reform.* [o] Conc. Limen. ann. 1583. Act. 5. cap. 5. Canon. Apoſt. 15. apud Binium. Conc. Trid. ſeſſ. 22. in dec. *De obſerv. & evitandis in celebr. Miſſæ.*

inſtruantur, & ſacramenta illis miniſtrentur. Eiſdemque parochis noſtras vices in hac parte committimus, quantum de jure poſſumus, juxta ſchedulam regiam ad nos expeditam, quæ incipit: *Yo ſoy informado.* Dat. Valentiæ 27. Januarii MDLXXXVI.

CAPUT XVIII.

Qui ſacerdotes accuſant, deponant eam ſummam pecuniæ, quæ ſufficiat ad proſequendam cauſſam, & ſolvenda jura miniſtrorum.

EX eo quòd qui ſacerdotes aliquorum capitum accuſant, non deponant pecunias ad exſecutionem ſententiæ, vel judicum, & miniſtrorum ſtipendia ſolvenda neceſſarias, vel ad pœnam non probantibus luendum, non rarò ſequitur, quòd cauſſæ maneant indeciſæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ ex accuſatine diffamentur, ac judices, reliquique miniſtri priventur ſtipendiis & expenſis, quæ illis debentur, & pœna impoſita non ſolvatur: ut proviſum ſit, ne delicta maneant impunita, aut quiſquam tam facilè, leviterque audeat perſonas Eccleſiaſticas criminari, vel diffamare ſacerdotes; hinc deinceps noſtri proviſores, cæteriſque judices Eccleſiaſtici, non admittent ejuſmodi accuſationes, niſi priùs, & ante omnia depoſita ſit in manibus æqui, & ſpectatæ fidei viri ea pecuniæ quantitas, ad quam accuſatores ſe de jure per fideijuſſores obligabunt.

CAPUT XIX.

Ne viſitatores, vel eorum officiales, jura ab Indis accipiant, vel eos mulctent pœnis pecuniariis.

QUoniam, per hujus Archiepiſcopatus provinciales diœceſanaſque conſtitutiones ſancitum eſt, quòd judices, & notarii nulla jura titulorum, proviſionum, proceſſuum, vel alia ab Indis percipiant; ac poſtremò per Concilium Provinciale anno MDLXXXIII. in hac civitate celebratum, in inſtructione pro viſitatoribus facta, præſcriptum eſt, quòd iidem viſitatores Indos pecuniis non mulctent, ſed cùm oportuerit pecuniariam pœnam illis imponere, tunc eam ad antiſtitem remittant: ut prædicta plenum effectum, & exſecutionem obtineant, Indorum parochi, & viſitatores ea illis exponant, ac declarent, iis præſertim temporibus, quibus viſitationes ipſæ exercebuntur, ut percipiant quid in ipſorum favorem conſtitutum ſit. Et peculiara ſtudium adhibebunt parochi, ut Indi intelligant & ſciant hæc & alia ad ipſorum commodum ſancita, & quòd iidem non vexentur vel moleſtentur in ulla re. Dictique viſitatores perficient, & adimplebunt, quæ per illas Conſtitutiones proviſa ſunt, attendentes ad aliàs per nos conſtituta in Diœceſana Synodo anno MDLXXXVI. celebrata; quòd, nimirum, qui ulla jura ab Indis perceperit, debeat eadem cum duplo eiſdem Indis reſtituere, à quibus ea perceperit, & alias pœnas arbitrio noſtro ſubire.

CAPUT XX.

Cùm vacaverit doctrina, vicarius provideat de miniſtro ſacramentorum, & interim proximus parochus poterit in ea exercere officium paſtorale.

QUoniam, aliquæ doctrinæ per obitum, ceſſionem, vel deſertionem vacare poſſint, nec ſtatim de idoneo ſacerdote provideri, ob defectum notitiæ, vel monitionis; nos conſcientiam noſtram exonerare cupientes, & remedium opportunum adhibere; facultatem facimus parocho, qui Doctrinæ ſic vacanti proximus fuerit, ut poſſit ſacramenta in ea miniſtrare, & paſtoralem curam per omnia in eadem exercere, interim dum per nos, aut noſtrum proviſorem, vel provinciæ vicarium provideatur de novo ſacerdote, ex ordine juris patronatus Regii, monendo nos intra terminum conſtitutum ad ejuſmodi proviſionem. Qui obſervantiſſimus erit in conſtituendo cum omni poſſibili celeritate parochum non aliàs occupatum, qui poſſit miniſtrare ſacramenta, & curam paſtoralem in omnibus exercere. Ad quem effectum in ſupradictis licentiam concedimus, & quantum de jure poſſumus, ad ea, & eis annexa, ac inde dependentia commiſſionem damus; præcipientes, uti præcipimus, ut parocho interim inſervienti detur ſalarium ad ipſum ſpectans, & quod ad ſuam ſuſtentationem habere debet.

CAPUT XXI.

Concionatores inter prædicandum hortentur populos ad decimas ritè ſolvendas.

VIcarii rectoreſque parochiarum diligenter curabunt, ut in ſermonibus, quos ad populum in ſuis Eccleſiis habituri ſint, eundem hortentur, ut decimas, quas debuerint, integrè ſine fraude perſolvant; obligationem, quam ad hoc habent illis proponentes, ac damna ſpiritualia, corporalia, & temporalia, quæ contrarium facientibus evenire ſolent. Et ad hunc finem illis prælegant exhortationem hîc inſertam, & deſumptam ex libro Pontificali, cum ſuo principio, & fine in forma, quia per nos expedita eſt, & Decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 12. *De reformat.* & legem ſecundam Regni in nova legum collectione lib. 1. tit. 5. *De decimis.* omnia tenoris ſequentis.

Nos

p Synod. IV. ſuprà cap. 20. & locis ibi in margine citatis.

q Synod. IV. ſuprà cap. 10. ad ibid. in margine.

NOS Don Toribio Alfonſo Mogrovejo, por la miſeracion divina, y de la ſanta Igleſia de Roma Arzobiſpo de los Reyes, del conſejo del Rey nueſtro Señor &c. A vos los vicarios, curas, y Beneficiados, y capellanes deſte nueſtro Arzobiſpado, à quien lo de ſuſſo contenido tocare, y atañe tocar, y atañer puede en qualquier manera, ſalud y gracia. Bien ſabeys, y deveys ſaber, la preciſſa obligacion, que los fieles Chriſtianos tienen conforme à derecho de pagar los diezmos enteramente; y los trabajos eſpirituales, corporales, y temporales, que ſe ſiguen de lo contrario; y quan juſto y ſanto es animar à los que lo deven, acudan à ſus obligaciones en eſta parte. Atento à lo qual, nos parecio mandar, ſacar, y traducir en nueſtra lengua Caſtellana la recomendacion, y exhortacion, que eſtà en el libro Pontifical Romano, para que las perſonas à cuyo cargo eſtà la paga de los dichos diezmos, lo entiendan, y no puedan pretender ignorancia: la qual traduccion es del tenor ſiguiente.

Exhortacion del Pontifical.

CAriſſimos hermanos, à todos os exhorto y amoneſto, pagueys los diezmos, que ſon paga y tributo devido à Dios, à los ſacerdotes, y Igleſias: los quales diezmos el Señor en ſeñal del dominio y ſeñorio univerſal, ha guardado para ſi. Oid à San Aguſtin, que eſtà clamando, y dice: los diezmos ſon una deuda y tributo de las animas neceſſitadas. Si pagareys el diezmo, no ſolamente cogereys fruto en abundancia; pero alcanzareys tambien ſalud corporal. No pide Dios de noſotros, por los bienes que nos da, premio, ni paga, ſino honra y reverencia: y eſſe ſumo Señor, que con mano liberal nos dio todos los bienes que poſſeemos; ſe digna, y quiere recibir de noſotros el diezmo; y eſto no para ſi, ſino paraque eſſe dar redunde en mayor abundancia y bien nueſtro: mas ſi la tardança en el pagar el diezmo es peccado, quan gran peccado ſerà el no lo dar de todos los frutos? Has de pagar el diezmo, para que pagandole puedas merecer los bienes celeſtiales y terrenales; ſino es que por ſer avariento y eſcaſſo, pierdas tan copioſas benedicciones: coſtumbre juſtiſſima del Señor, que no pagando el hombre el diezmo, el miſmo hombre ſea la paga. Llevarà el ſoldado perdido y malo lo que no diſtes al ſacerdote, y lo que à Chriſto no dieredes, te llevarà el fiſco. Bolveos à mi, dize el Señor por el Propheta, y yo me bolverè à voſotros: y por no acudir con el diezmo, os alcanza una maldicion, que ſiempre andays neceſſitados y hambrientos: perdereys la fertilidad de vueſtras poſſeſſiones, y el abundancia de los frutos: y para que entendays que enojado eſtà de la falta que teneys en pagar los diezmos; ſe diſminuye vueſtra hazienda, por no dar lo que es de Dios à Dios. Exhorto y amoneſto à todos que con alegre animo pagueys los diezmos, que es teſoro del templo; para que los ſacerdotes y levitas, que ſirven en el altar del Señor tengan el devido ſuſtento; y fiad demi, y vereys como pagando voſotros el diezmo, embia del Cielo un tan abundante rocio, y una benediccion tan copioſa, que os dè cumplida abundancia: però ſi al contrario hizieredes no pagãdo el diezmo, vendrà ſobre voſotros, y vueſtras poſſeſſiones la langoſta, pulgon, peſtilencia, y trabaxos, y mil males. Aſſi que es neceſſario evitar eſta indignacion del Señor, y pagar los diezmos, y tributos devidos: y no es juſto, que por un poco de bien temporal ſe pierdan mil bienes, que ſe pueden ſeguir. Eſto eſtè ſiempre en vueſtra memoria, para que entendido, ſe ponga en execucion, y merezcays por eſtos bienes temporales alcanzar y poſſeer los bienes eternos. Y en conformidad de lo ſuſo dicho mandamos la preſente, por la qual vos damos commiſſion en forma tan baſtante, como de derecho ſe requiere, à cada uno de vos in ſolidum, para que en vueſtros diſtrictos, y Doctrinas hagays à vueſtros feligreſes pagar el diezmo que devieren, como eſtan obligados: de manera que cada uno lleve y haya lo que fuere ſuyo, y juſtamente le perteneciere, y en todo ſe deſcargue la conciencia, e nueſtro Señor ſe ſirva, procediendo contra los traſgreſſores, impedidores, y conturbadores que pretendieren eſtorvar la paga de los dichos diezmos, por todo rigor de derecho; y ſiendo neceſſario, por cenſuras, que para todo ello, y lo dependiente, anejo y concerniente, y para criar notarios, y los demas miniſtros neceſſarios, os cometemos nueſtras veces plenariamente, por la via que mas conviene, y podemos, y hà lugar de derecho. En teſtimonio de lo qual mandamos dar, y dimos la preſente firmada de nueſtra mano, y ſellada con nueſtro ſello, y refrendada de nueſtro ſecretario.

Capitulo doze, ſeſſion veinte y cinco, del Concilio de Trento.

NO ſe han de conſentir los que por diverſos modos haziendo agravio à las igleſias, les procuran quitar los diezmos, ô atrevidamente tomando lo que otros pagan, aprovechandoſe dellos, como quiera que la paga de los diezmos ſe deva à Dios, y aſſi los que no lo quiſieren dar, ô impiden que otros no lo den, ſe alzan con la hazienda agena. Manda pues ſegun eſto, el ſanto Concilio à todos, de qualquier grado y condicion que ſean, à quien tocare la paga de los dichos diezmos, que en adelante enteramente paguen lo que de derecho deven y eſtan obligados à la Igleſia Cathedral, ô à qualquiera otras Igleſias ô perſonas, à quien legitimamente ſe deven, y los que ſe quedan con ellos, ô impiden que no ſe den, ſean excomulgados: ni de ſeſte pecado les abſuelvan, haſta

ſta tanto, que huvieren plenariamente reſtituido. Y exhorta à todos en general, y à cada uno en particular, que por la caridad Chriſtiana, y por la obligacion, que tienen à ſus Prelados, no les ſea moleſto ayudar con los bienes que nueſtro Señor les diere largamente, à los Obiſpos y curas, que aſſiſten en las Igleſias algo pobres à mayor gloria de Dios, y para conſervacion de la dignidad de ſus Paſtores, que dellos tienen cuydado.

Ley ſegunda: que todos paguen diezmos cumplidamente: y como ſe deven pagar, y que diligencias ſobre ello ſehan de hazer.

PORque nueſtro Señor en ſeñal de univerſal ſeñorio retuvo en ſi el diezmo, y no quiſo que ninguno ſe pueda eſcuſar de lo dar: y por que los diezmos ſon para ſuſtentamiento de las Igleſias, y Prelados, y miniſtros dellas, y para ornamentos, y para limoſnas de los pobres en tiempo de hambre, y para ſervicio de los Reyes, y prò de ſu tierra, y de sì, quando meneſter es; y quien bien, y de grado lo paga, acrecientale Dios lo temporal, y dale grande abundancia de todos los frutos, y ſalud al anima. Porende mandamos y eſtablecemos para ſiempre jamas, en todos los hombres de nueſtro reyno, den ſus diezmos cumplida y derechamente à nueſtro Señor Dios, de pan, y vino, y ganados, y de todas las otras coſas, que ſe deven dar derechamente, ſegun lo manda la ſanta madre Igleſia: y eſto mandamos tambien por nos, como por los que reynaren deſpues de nos, como por los ricos hombres, como por los cavalleros, como por los otros pueblos, que todos demos cada uno el diezmo derechamente de los bienes que Dios nos da, ſegun la ley lo manda. Y qualquiera que contra eſtas dichas coſas fuere, pague el diezmo doblado, la mitad para el Rey, y la otra mitad para el Obiſpo, ſalvas las ſentencias de excommunion que dieren los Prelados contra todos aquellos que no dieren derechamente diezmo, ò fueren en alguna coſa contra eſta ley. Y queremos que las tales ſentencias de excommunion ſean bien guardadas por nos, y por ellos, de manera, que el poder temporal y eſpiritual, que viene todo de Dios, ſe guarden, y acudan en uno, y las ſentencias que los Prelados puſieren ſobre eſtas coſas, ſean bien tenidas, haſta que la enmienda ſea hecha.

CAPUT XXII.

Imaginum pallia, & alia Eccleſiarum ornamenta non accommodentur ad alios uſus, quàm ad quos deputata ſunt.

CUM intellexerimus, quòd ſacrarum imaginum pallia commodentur ad induendos infantes, qui ad baptiſmum deferuntur, & quòd illis tecti domum referuntur (rem longè alienam ab uſu ad quem illa deputata ſunt) fideles Chriſtianos in Domino monemus, ut ab hoc deinceps abſtineant, nec res Deo dicatas ad profanos uſus adhibeant, nec ſe hujuſmodi inventionibus immiſceant: œconomi verò Eccleſiarum, confraternitatum, & parochi nullum illis ad ea locum dent, nec Eccleſiarum paramenta ad dictum effectum illis accommodent, ſub pœna viginti peſorum currentium, cuilibet contrarium facienti incurrenda, & applicanda Eccleſiis, in quibus ea culpa committitur. Et noſter proviſor, cæteriſque judices cum omni juris rigore procedent contra tranſgreſſores, ut illiuſmodi ceſſent exceſſus.

CAPUT XXIII.

Nullæ imagines vel reliquiæ Sanctorum [q] in auctionibus publicentur.

AD nos delatum eſt, quòd in publicis auctionibus quæ fiunt, inter alias res emtioni expoſitas, voce præconis, publicentur etiam imagines, reliquiæ, cruces, & Agnus Dei in eadem auctione vendenda, ex quo creata ſunt, & accreſcunt ſcandala, & mala exempla, præſertim inter neophytos Indos. Proinde nemo poſt hac [r] audebit ejuſmodi imagines, reliquias, Agnos Dei, vel cruces in auctionibus, vel alibi venalia exponere; ſed omnes obſervantiſſimi ſint, ejus quod hîc conſtitutum eſt, Deum præ oculis habentes, & eam venerationem, quam ſacris rebus debent. Et circa hoc noſter proviſor, cæteriſque judices cum juris rigore procedent contra præcones, & præconium mandantes, alioſque tranſgreſſores eorum, quæ hac noſtra conſtitutione ſanciuntur.

CAPUT XXIV.

Ut conſtituti ſint notarii, ſeu punctatores cappellaniarum, memoriarum, & fundationum Eccleſiaſticarum.

UT certa & ſufficienti ratione conſtet, qualiter ſatisfiat ultimæ voluntati defunctorum, aliorumque qui cappellanias, memorias, & fundationes Eccleſiis relinquunt, ut ſic exonerentur conſcientiæ, conſtituti ſint [s] in poſterum notarii in Eccleſiis, & locis, in quibus ejuſmodi memoriæ, cappellaniæ, & fundationes fuerint: qui etiam Miſſas in libro ad id ſervando, diligenti cura clarè & diſtinctè per ſingulos dies deſcribent, ut viſitatores ex dicto libro ratione exigant. In eoque eorundem notariorum conſcientias oneramus: & noſter proviſor & vicarii ſtudioſè curabunt, ut omnia hęc exſequantur, & noſtri pariter viſitatores, ut inquirant, qualiter hæc eadem obſer-

---

q Vulgò: *Almonedas*. r Conc. Mediol. III. tit. *Quæ ad ſacramentalia*. & conſtit. Gregor. XIII. ib. Conc. Trident. ſeſſ. 24. *De invocat. & rever. &c.* verſ. *In his autem*. ſ Conc. Mediol. I. par. 2. tit. *De prior. locor. adminiſtrat.* & Conc. III. tit. *De iis quæ ad bona Eccleſiaſtica*.

ſerventur, & adimpleantur, vicarios, & notarios inobſervantes eorum quæ hîc ordinata ſunt inculpando, quatenus exonerentur conſcientiæ, ac Deo per omnia ſerviatur.

CAPUT XXV.

De judicibus Eccleſiaſticis ad cognoſcendum cauſſas ad has partes delegandas.

Juxta decretum ſacri Concilii Tridentini * ſeſſ. 25. cap. 10. *De reformat.* nominamus ac deſignamus in hac Diœceſana Synodo judices, qui cauſſas ſpirituales & Eccleſiaſticas, ad Eccleſiaſticum forum, ſpectantes cognoſcere poſſint, cùm per ſummum Pontificem, aut quævis Legatum, vel Nuncium ad has partes commiſſæ fuerint, Doctorem D. Joannem Velaſquez archidiaconum, Doctorem D. Stephanum Hernandez Vozmedianum cantorem, Doctorem Antonium de Molina, Doctorem Joannem Diaz, & Doctorem Joannem de la Roca, præbendarios ſupradictos hujus ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis civitatis Regum, & Priorem S. Dominici, & Priorem S. Auguſtini, & commendatorem Dominæ noſtræ de Mercede, & Guardianum S. Franciſci, qui nunc ſunt, vel poſthac ſucceſſerint in dictis officiis prælaturæ in monaſteriis hujus civitatis Regum.

CAPUT XXVI.

De examinatoribus Beneficiorum & Doctrinarum.

Sacri Concilii * Tridentini ſanctionibus inhærendo, nominamus examinatores Beneficiorum & Doctrinarum, Doctorem D. Joannem Velaſquez archidiaconum, Doctorem D. Stephanum Hernandez Vozmedianum cantorem, Doctorem Molinam, Doctorem Joannem à Roca, præbendarios omnes ſupradictos hujus ſanctæ Eccleſiæ, & magiſtrum Avila portionarium, & Baccalaureum Chriſtophorum Sanchez Deſtrenedo, & Baccalaureum Hernandum Martinez, parochum hujus ſanctæ Eccleſiæ, & Doctorem Centurion de Eſpendola parochum parochiæ S. Sebaſtiani, & magiſtrum Alphonſum de Horta, & P. Fr. Joannem Martinez Ordinis Sancti Auguſtini Cathedraticum linguæ generalis Indorum, & Baccalaureum Betanzos, & Joannem de Solis, & Joannem Martinum presbyteros. Qui juxta ſacrum Concilium Tridentinum debent præſtare juramentum.

CAPUT XXVII.

De teſtibus ſynodalibus.

Propterea * Sancti Patres juſtè & ſanctè inſtituerunt, quòd Synodi ſingulis annis fierent, ut in eis tractaretur de correctione & emendatione malorum morum, & ut boni reformarentur, & ut in illis fieret, & tractaretur quod conveniret gubernio animarum, & rebus concernentibus Epiſcopatum. Utque quod per eaſdem Synodos fieret, & conſtitueretur, majori efficacia adimpleretur; & conſtituantur in unoquoque Epiſcopatu teſtes ſynodales, viri boni & idonei, qui per totum Archiepiſcopatum, quiſque in diſtrictu ſibi aſſignando, ſtudiosè & ſolerter inquirant, qualiter obſervetur id quod in Synodis conſtitutum & præceptum eſt. Nos igitur tam ſanctum inſtitutum exſequentes, deſignamus eos, qui ſunt, vel fuerint parochiarum hujus civitatis rectores, & viſitatores hujus Archiepiſcopatus, ut per eundem noſtrum Archiepiſcopatum inquirant quod dictum eſt, & quod facere debent ſine ſcriba, vel notario, ſeu ſtrepitu judiciali; ſed ſolùm de plano; quoniam ulteriorem juriſdictionem non habent, nec nos eam illis concedimus. Et quod ſic ſecreto inquiſierint pernotando, & conſignando memoriæ teſtes, qui ſciunt ac deponunt, tam defectus & culpas vicariorum & clericorum, quàm etiam laïcorum, abſque juramento teſtium, ſed tantummodo per viam informationis, id ad Synodos & Concilia Provincialia ferent, & nobis ſecretò tradent, ut nos, re cognita, provideamus remedium, prout meliùs Deo ſerviatur. Præſtabuntque juramentum officio ſuo bene & fideliter fungendi, & quod ſic fecerint, coram nobis ad Synodos & Concilia Provincialia deferendi.

CAPUT XXVIII.

Indorum Parochi uniformem Miſſarum eleemoſynam accipiant.

Quoniam per viſitationem hujus Archiepiſcopatus per nos factam innotuit, pro Miſſis quas Indi celebrari curant, eleemoſynam longè inæqualem accipi, tàm in confraternitatibus, quàm aliàs: nos uniformitatem abſque exceſſu cupientes, & ut omnia ad majus commodum & beneficium Indorum fiant; ſtatuimus, quòd Indorum Parochi in poſterum non accipiant, nec accipere poſſint majorem eleemoſynam, quàm duos peſos (ſingulos novem regalium) pro ſingulis Miſſis cantatis quas celebraverint, ſive ſint confraternitatum ſivè aliæ votivæ, aut memoriarum devotionis, vel defunctorum, quas fideles pro ſua devotione celebrari cupierint: quod ſi cum

* Concil. Trident. * Conc. Limen. anni 1583. Act. 4. c. 17. & Trid. ibi in margine. * Conc. Lim. anni 1583. Act. 4. cap. 25.

ſi cum Miſſa celebrentur vigiliæ, accipient tres peſos, ſingulos novem regalium: & pro ſingulis Miſſis recitatis unum peſum currentem novem regalium. Et ſi in Doctrinis invaluerit conſuetudo, in omnibus ſupradictis obſervetur. In locis autem Hiſpanorum omnibus obſervetur loci cujuſque laudabilis conſuetudo. Super quibus dictorum parochorum conſcientias oneramus. Et viſitatores peculiare ſtudium adhibebunt, ut hæc obſerventur, & plectantur tranſgreſſores, ac tempore ipſius viſitationis hanc conſtitutionem in Indorum oppidis promulgabunt, ut & reliquas omnes conſtitutiones ipſis favorabiles, dum in Doctrina congregati fuerint, tam Cacique & principales Indi, quàm eorum rectores, & populares, eas illis propriâ ipſorum linguâ declarando. Idemque crebriùs facient Indorum parochi, ut Indis ipſis innoteſcat, nec ullus prætendat ignorantiam, in quibus utrorumque conſcientias oneramus, ut hac ratione non ampliùs ipſis tribuatur pro Miſſis, quàm præſcriptum eſt pro ipſorum ſuſtentatione, & ut per omnia Deo ſerviatur.

CAPUT XXIX.

De feſtis quæ ſervari debent.

QUoniam in Synodo Diœceſana anno MDLXXXV. celebrata in oppido Yungay conſtit. 58. decretum eſt, quòd feſta in civitatibus, oppidis, & locis habitatis obſervanda ſerventur etiam in agro; & in Concilio Provinciali anno MDLXXXIII. in hac civitate celebrata, & anno MDLXXXVIII. poſt factam illam Yungayanam conſtitutionem, per ſedem Apoſtolicam approbato, Actione 4. cap. 9. ſatis proviſum eſt, ut ſerventur feſta quæ ibidem peculiariter memorantur: & quòd ſi ultra illa fuerint alia per approbatam conſuetudinem vel privilegium legitimum introducta, in ſingulis locis vel oppidis religioſè obſerventur ipſorum propria. Advertendo ad ea quæ dicta ſunt, nobis viſum eſt dictam conſtitutionem 58. dictæ Synodi Yungayanæ anni MDLXXXV. revocare, prout omni meliori via, & quantum de jure poſſumus, revocamus; relinquendo, prout relinquimus, in ſua virtute & vigore decretum cap. 9. Act. 4. dicti Concilii Provincialis, ut per omnia obſervetur eo modo quo ibi contentũ & ſancitum eſt, & ut ritè ſerviatur Deo. Cùm autẽ in hac præſenti Synodo pro parte confratrũ cõfraternitatis S. Joſephi hujus civitatis à nobis petitũ ſit, ut ejuſdem Sancti feſtum obſervetur; nos, ea re cum clero & populo præſenti collata, decrevimus in caſu præcipere, prout præcipimus, ut dictum feſtum S. Joſephi in hac civitate ſervetur, dempta obligatione ipſum in agro ſervandi.

CAPUT XXX.

Quòd vicarii & parochi habeant has conſtitutiones ſynodales.

OMnes noſtri Hiſpanorum Indorumque vicarii & parochi habeant has conſtitutiones ſynodales, quantum ad ipſos pertinebunt, intra quatuor menſes à prima publicatione hujus Synodi, ſub pœna quòd contra tranſgreſſores procedetur ad exſecutionem pœnæ in præcedenti Synodo anno MDLXXXV. in oppido Yunguay celebrata, conſtitutione 29. conſtitutiones provinciales ac diœceſanas non habentibus impoſitæ, aliiſque pro noſtro arbitrio.

Hortamur ergo, requirimus, & mandamus omnibus & quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus in hoc noſtro Archiepiſcopatu exiſtentibus ac degentibus, quòd à die primæ publicationis hujus Synodi in poſterum ejuſdem conſtitutiones habeant, teneant, ſervent, & exſequantur, nec earum tenorem & formam ullatenus excedant; eoſdem commonentes, quòd contra tranſgreſſores cum omni juris rigore procedetur, pœnas pecuniarias & alias ad noſtrum arbitrium illis imponendo. Et omnia ſupradicta ſic providimus per viam conſtitutionum ſynodalium, & reformationis, & omni alia, qua de jure poſſumus, & magis conveniat. Et præcipimus ut legantur & publicentur in hac ſancta Eccleſia hujus civitatis Regum, & habeant vim & vigorem conſtitutionum ſynodalium, quæ nos illis damus, quantum ad ipſarum validationem requiritur.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ad honorem & gloriam Dei Domini noſtri ultimo die Octobris anni MDXCII. ſub Veſperis feſti omnium Sanctorum.

T. Archiepiſcopus Regum.

Alphonſus Ramirez Not. publ. Secretarius.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis.

Bernardinus de Almanza Not. publ. Secret.

Indictio futuræ Synodi.

DToribius Alphonſus Mogrovexus &c. *Eodem tenore cum literis convocatoriis quintæ Synodi in fine Synodi quartæ ſuprà pag. 264. præterquam quòd nunc futura Synodus octava convocetur ad civitatem Regum, ac diem ultimum Octobris, anni MDXCIV.* Datum in civitate Regum ultimo die menſis Octobris, anni MDXCII. ad Veſperas omnium Sanctorum.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis.

Bernardinus de Almanza Not. publicus Secr.
Alphonſus Ramirez Not. publ. Secret.

Ego

Ego Bernardinus de Almanza Notarius publicus hujus Audientiæ,& curiæ Archiepiſcopalis ſecretarius Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Regum, domini mei, fidem facio,& veridicum teſtimonium adhibeo, qualiter Synodus retroſcripta celebrata fuit in hac civitate Regum per ſuam Illuſtriſſimam Dominationem, & in ea adſtiterunt, nomine Decani & Capituli hujus ſanctæ Eccleſiæ, Doctor D. Joannes Velaſquez Archidiaconus,& D.Antonius de Molina canonicus, & alii multi pro ſeipſis, & cum poteſtate procuratoria. Et quòd ad communicandas quaſdam conſtitutiones ejuſdem Synodi præſentes aderant Ludovicus Roderiquez de Serna, perpetuus Decurio, vulgò *Regidor*, hujus Urbis, & Gonzalvus de Caçeres, ejuſdem procurator generalis, nomine Capituli & Senatûs: & illi ſupradicti convenerunt, & conſueverunt in dictas conſtitutiones, quæ abſolutæ ſunt eo die ultimo Octobris, anni MDXCII. quo die ego illas legi & publicavi in hac ſancta Eccleſia Cathedrali ex ejus umbone, præſentibus dictis Archidiacono, & reliquis præbendariis, aliiſque multis: cujus rei fidem facio, & ad ejus firmitatem hîc adjunxi meum ſignum.

In teſtimonium veritatis.

Bernardinus de Almança Notarius publicus Secretarius.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationis.

Bernardinus de Almanza Not.publ.Secret.

SYNODUS VIII. DIOECESANA

Celebrata in oppido SS. Petri & Paulli Piſcobamba die xxiv. menſis Novembris, anno MDXCIV.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus &c. *Ut ſuprà initio Synodi quinti paginâ 267.*

CAPUT I.

Parochi frequenter viſitent prædia, tentoria, ſtationes, aliaſq; loca, in quibus fuerint ipſorum parochiani.

OMnes parochi, quàm crebrò poterunt, ad minus ſexies per ſingulos annos,diligenter viſitent omnes ſtationes, tuguria, tentoria, aliaſque partes, in quibus fuerint, vel aſtiterint ipſorum parochiani, ſub pœna contenta in Concilio Provinciali anni [a] MDLXVII. attendentes ad ſpiritualia detrimenta, quæ ex contrario ſequi poſſint; ſi deſit adminiſtratio ſacramentorum, vel doctrina,& ſpiritualis paſtus,aut perſona quæ refrenet offenſas,quas contra Deum Dominum noſtrum committant, in quo eorundem parochorum conſcientias oneramus.

CAPUT II.

Parochi non permittant, ut Indi deſtruant, vel deſerant loca ſuæ reductionis.

CAvebunt, Indorum parochi, ne permittant, ut Indi deſtruere vel deſerere poſſint oppida, ad quæ tanta prudentia & propria ipſorum utilitate reducti ſunt, ſed eos potiùs compellant in eiſdem perſiſtere, invocando,ſolicitando, & ſeriò procurando, cùm opus fuerit, etiam auxilium brachii ſæcularis. Quoniam ad hoc, & illi annexa, indeque dependentia, & ad procedendũ cum toto rigore juris, & cùm neceſſariũ fuerit,etiam per cenſuras, ut locorum præfecti ejuſmodi auxilium porrigant, committimus illis noſtras vices omni meliori via, & quantum de jure poſſumus. Nos etiam, cum expedierit, admoneant,ut per nos res innoteſcat D.Pro-regi, vel alteri horum Regnorum Gubernatori, nec ſe immiſceant arbitrio proferendo ad ejuſmodi reductiones jam factas diſſolvendas, aut ut Indi ad antiquas ſuas ſedes, vel alias partes redeant, ſine noſtra, vel noſtri proviſoris, & vicarii generalis licentia in ſcriptis obtenta. Per quod cupimus evitare aliquas obliquas intentiones: & quòd parochi ad compla-

[a] Conc. Provinc. anni 1583. Act. 3. cap. 12. Conc. Mediol. IV. tit. Monitiones verſ. *Parochi præterea*, &c. Conc. Aquileien. I. tit. *de prædicat. verb. Dei.* verſ. *Sapientibus & inſipientibus*.

[b] Conc. Provin. anni 1583. Act. 5. cap. 4. & Synodus Diœc. V. c. 26

placendum Indis eorumque curatis, ut ipsos in visitationibus quas subeunt, propitios habeant, vel tales reddere hac ratione procurent, non se præcipitent proferendis iniquis judiciis, contra proprias ipsorum conscientias. De quo in visitationibus specialiter inculpabuntur, juxta decreta Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. in hac civitate Regum celebrati, & à summo Pontifice approbati, & per majestatem Regiam jussi ut executioni mandentur: in quo districtè injungitur, ut Indorum ad oppida reductiones fiant. In qua re dicti parochi attendere debent quanta inde corporis & animæ commoda eisdem Indis proveniant.

CAPUT III.

Indi non degant in granariis, vel inibi habeant res, quæ impediant ipsorum profectum spiritualem.

Cum [c] ex visitatione quam fecimus, nobis innotuerit, solere Indos degere in granariis tritici & *maizi*, vulgò *colcas* vel *pincas*, & aliis nominibus, *troxes*, vel *paneras*, saltem procul distantibus ab oppidis, in eisque habere domicilium, gallinas, & quos vulgò *cuyes* vocant, ibi habitantes, & majori parte anni cum uxoribus, filiis, & familia moram trahentes, absque Missa vel doctrina, per quod carent etiam occasione administrationis sacramentorum, quæ propterea non possunt ipsis commodè ministrari: ut spiritualia hæc detrimenta præveniantur, hujus Archiepiscopatus Indorum parochi non permittent, ut Indi degant in illis granariis, vulgò *colcas* vel *pincas*, *troxes*, aut *paneras*, etiam ab oppidis procul dissitis, domos, gallinas, vel *cuyes*, aliasve res retineant; sed eas reducant, ipsique redeant ad oppida, in eisque vivant & assistant, nec ordinariam habitationem in illis stationibus habeant, quandoquidem parva custodia & assistentia, brevique tempore satisfacere possint securitati sui *maizi* vel aliarum rerum, quas in eis habent, absque omissa assistentia oppidi: & sic faciant & adimpleant, ad conscientias suas exonerandas, etiam contra tales procedendo.

CAPUT IV.

Indorum partitiones, vulgò repartimientos, *quas Hispani facere solent, fiant in diebus ferialibus.*

Eorum quæ in visitatione deprehendimus, remedia prosequi cupientes; cùm nobis constiterit, quòd Dominicis, & festivis diebus inter Indos præceptis, fiant eorundem Indorum distributiones, ad solvenda tributa, & alias res, ante & post Missam, & quòd aliqui Hispani exspectent ejusmodi dies, ut illi post Missam uniti & congregati repetiantur, ad eas distributiones seu repartitiones faciendas; unde fit, ut Indi, illius rei metu, in ejusmodi diebus fugiant, nec ad Missas vel doctrinam accedant. Ut igitur, in aliis nostris civitatibus, oppidis, & locis hujus Archiepiscopatus fiant hujusmodi distributiones diebus ferialibus intra septimanam, & in festivis fieri non possint, omnes Indorum parochi & vicarii nostri dictis damnis spiritualibus remedium apponent, non permittendo, ut illæ distributiones Indorum fiant in diebus Dominicis, vel aliis festivis, contra transgressores procedendo.

CAPUT V.

Indi & Æthiopes ignorantes catechismum ad eum addiscendum conveniant.

Nostri [d] Archiepiscopatus Æthiopum Indorumque parochi conficient matriculam, seu album omnium Nigrorum, & Indorum, qui versantur in laboritiis, machinis, & opificio saccari, hæreditatibus, stationibus, aliisque negotiis detenti, eosque examinabunt in doctrina Christiana; & quos ignorantes invenerint, per singulos dies ad Ecclesiam instruendos accedere facient in ipsis oppidis: quique jam antè sufficienter instructi fuerint, frequentabunt tamen doctrinam diebus Mercurii, Veneris, Dominicis, & festivis: & cùm nondum baptizatos catechizabunt ad sacramentum ipsis administrandum, cum omni juris rigore procedendo contra eos, qui hæc impediverint, etiam cum opus fuerit per censuras: idque tum, cùm domini locorum & operum non habuerint in illis proprium sacerdotem, qui præmissa in ipsis locis & opificiis præstent. Nostrique visitatores in visitationibus corripient parochos, quos in his remissos vel minus observantes deprehenderint.

CAPUT VI.

Utriusque sexus parvuli doctrinam mane & vesperi frequentent.

Ut parvuli bene instruantur, & percalleant catechismum, in Concilio Provinciali in hac civitate Regum anno MDLXXXIII. editum, parochi per singulos dies, mane & vesperi ad templum convocari faciant utriusque sexus parvulos sui oppidi, in hoc observando laudabilem consuetudinem hujus Archiepiscopatus, jubentes & providentes, ut tanto tempore mane & vesperi assistant, quanto opus est & sufficit, ipsisque liberum erit à necessariis obsequiis & auxiliis parentibus suis alioquin præstandis.

CA-

[c] Concil. Aquilelen. ad cap. 1. supra cit.

[d] Conc. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 5. & Act. 3. c. 12.

CAPUT VII.

Parochi Catechiſmum parvulorum, & Chriſtianam doctrinam in Concilio edita memoriter retineant.

UT parochi officio ſuo perfectè fungantur, in eoque ſe laudabiliùs occupent, & Indos ædificent, atque ad diſcendum excitent; iiſque inde diligentiores fiant, quòd apprehendant, & percipiant ſuos paſtores pro ipſis laborare, & rectè advertere, an bene intelligant, & ſtudeant eis quæ docentur; ipſi, tanquam viri à curis temporalibus abſoluti, ſeduló curabunt, ut catechiſmum & Chriſtianam doctrinam in Concilio [e] Provinciali in hac civitate Regum anno M D LXXXIII. edita memoriter calleant, eandem ipſos docentes, eoſque catechizantes, & illis prædicantes per ſuas proprias perſonas, ſuperpelliceis induti, quo etiam parcent labori catechiſmum, doctrinam, & ſermones legendi ex libris, in quibus hæc typis edita reperiuntur.

CAPUT VIII.

Parochi in libro ſcriptam habeant matriculam Indorum tributariorum, & reliquorum ſuæ curæ paſtoralis.

UT fiat quod ſancitum eſt in [f] Concilio Provinciali celebrato in hac civitate Regum anno MDLXXXIII. in quo decernitur, quòd ſingulis ducentis, vel trecentis Indis tributariis conſtituatur proprius ſacerdos; ut exoneretur noſtra conſcientia, omnes Indorum parochi habeant matriculam in libro bene compacto, in quo, adnotato die, menſe, & anno, clarè ac diſtinctè deſcribent omnes Indos tributarios, tam conjugatos quàm liberos matrimonio, quàm à tributis exemptos, tam pueros quàm puellas, & vetulas præſentes & abſentes, & quot præſentes, quotque abſentes ſint, & qui ad confeſſiones idonei, cunctaſque ſuæ Doctrinæ perſonas parvulas & majores, unicuique ætatem adnotando. Cùmque aliquis recèns baptizatus illis conſcribatur, ætatem ejus indicando, & notando in margine qui tributis obnoxii, & qui ab eiſdem exempti ſint, vel alterius conditionis ſit unuſquiſque prædictorum. Et cùm quiſpiam deceſſerit, in margine hanc notam *mortuus* apponant, & cùm aliquis tributo liberabitur, hanc notam: *abſolutus à tributo*. Et ad calcem totius matriculæ apponetur ſumma tributariorum omnium viventium, & exemptorum, & parvulorum doctrinalium utriuſque ſexus, & vetularum, & confeſſionibus idoneorum, & integer omnium perſonarum numerus; & ad partem in eodem libro & matricula deſcribentur omnes qui morientur. Et ſingulis annis prædicto modo ſummariam relationem ad nos mittent. Eritque cura viſitatorum, eorum documentum accipere, cùm viſitaverint eos parochos incuſando, qui ejuſmodi, librum & matriculam in forma præſcripta non habuerint.

CAPUT IX.

In libris baptiſmalibus notetur baptizatorum ætas.

UT [g] innoteſcat an parochi in baptizando remiſſi fuerint, aut baptizandos ultra tempus per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus præſcriptum detinuerint, an pariter ſoliciti vel negligentes, in baptiſmalibus libris deſcribent ætatem quam agebant baptizati cùm ſacramentum ſuſceperunt: & in hoc negligentes per viſitatores inculpabuntur.

CAPUT X.

Parochis indigentibus adhibeatur alius ſacerdos, qui curam animarum agat.

QUando [h] in aliqua Hiſpanorum vel Indorum parochia per mortem, infirmitatem, vel abſentiam parochi, vel ob aliam quamcumque cauſſam, vel defectum juris aut facti, opus fuerit alio ſacerdote qui ſacramenta miniſtret, & animarum curam gerat, tunc poterunt noſtri vicarii & judices, noſtrique viſitatores, quiſque in ſuo diſtrictu, adhibere alium ſacerdotem paſtorali cura cæteroqui liberum, qui adminiſtret ſacramenta, & in reliquis fungatur officio parochi, interim dum habeatur proprius parochus: ipſique noſtri vicarii, judices, & viſitatores poterunt etiam interea per ſe id munus obire, dum conſtituitur alius. Quòd ſi non reperietur alius alia occupatione liber, tunc Hiſpanorum vel Indorum parochus, loco proximus, ſacramenta miniſtrare poterit, & miniſtret, tàm Hiſpanis quàm Indis. Et cùm non fuerit proprius loci vicarius, judex aut viſitator, qui hæc præſtare valeat (quod per mortem, abſentiam, aliamve cauſſam, vel defectum facti vel juris contingere poſſit) erit autem neceſſitas ſtatim providendi ſacerdotem qui ſacramenta miniſtret, tum ipſi ſacerdotes alii, qui in ea parochia degunt, vel, ſi nulli ſint, proximus Hiſpanorum Indorumve parochus illa miniſtret, & proximus vicarius provideat de ſacerdote, qui parochi etiam officio fungatur. Qui omnes, ut dictum eſt, poterunt tum Matrimonii, cum reliqua ſacramenta miniſtrare, & parochi officium in omnibus exercere: quoniam ad ſupradicta, & eis annexa, indeque dependentia damus ipſis licentiam & commiſſionem, eorumque cuilibet in ſolidum, omni meliori via, & in quantum de jure poſſumus, ut in omnibus fiat quod maximè conveniat, & exoneretur conſcientia, Deoque Domino noſtro debitum præſtetur obſequium

---

[e] Concil. Limen. anni 1583. Act. 2. c. 3, 4, 5. & 6. Conc. Mediolan. l. III. *de fide initiis* &c. [f] Act. 3. c. 11. & 12.

[g] Synod. 3. cap. 84.

[h] Synodus Diœceſana VII. cap. 20.

quium, nec ullibi deſit qui animabus curandis incumbat.

CAPUT XI.

Parochi pro rebus, quas ab Indis emerint, juſtum perſolvant pretium.

QUando Indorum parochi quicquam ab eis ad ſuam ſuſtentationem emerint, juſtum pretium eiſdem perſolvent, juxta rei valorem in eo oppido currentem, in quo res venditur, ſecundùm quòd & eo modo quo aliis venditur, & per eos emitur, in hac parte attendentes ad multas querelas, quas à multis Indis remedium poſtulantibus, in viſitatione per nos facta accepimus. Eoſque monitos volumus, quòd cum omni rigore juris in eos procedetur, ubi nihil aliud proviſum fuerit in contrarium, ut moderatiori pretio quam tanti illis detur, quod cum bona & ſana conſcientia, & de jure fieri potuerit.

CAPUT XII.

Ordinandi audiant & diſcant linguam.

UT Indorum ſacerdotes ſciant adminiſtrare ſacramenta, ac doctrinam, catechiſmum, & verbi Dei prædicationem exercere, officioque ſuo per omnia fungi, Indorum linguam callentes; proviſor & vicarius generalis noſter, juxta decretum Concilii Provincialis, & ſchedulam Regiæ Majeſtatis, ſacerdotes degentes in civitate Regum, cæteroſque ordinandos compellet, ut audiant linguam, quæ inibi, tum in academia, cùm in Eccleſia noſtra Cathedrali prælegitur, contra ipſos de rigore juris procedendo.

CAPUT XIII.

Parochis non detur facultas abſentiæ ſine limitatione temporis.

PRoviſor & vicarius generalis noſter, cùm licentiam ſacerdotibus dederit ſe à Beneficiis vel parochiis abſentandi, obſervabit decretum ſacri Concilii Tridentini [k] deſuper editum, & quòd ejuſmodi licentiæ, cùm concedentur, non ſint generales, ſed cum certa limitatione temporis, per quod abſentes eſſe poſſint, in earundem licentiarum literis exprimenda, cùm ex adverſo multa incommoda & ſpirituales inconvenientiæ ſequi ſolent, cùm dicti ſacerdotes ejuſmodi generalibus licentiis utuntur, eaſque in viſitationibus ad ſuum favorem & excuſationem allegant. Et quæ hactenus datæ ſunt, vel in poſterum ſic generales, & abſque certi temporis limitatione dabuntur, nos revocamus & annullamus.

CAPUT XIV.

Non dentur exemptiones à juriſdictione judicum, vicariorum, & viſitatorum.

ADvertentes quòd ab exemptionibus quæ quibuſdam dari ſolent, multa ſequuntur incommoda, & quòd delicta incorrecta, & à commerita caſtigatione immunia per noſtros judices, vicarios, & viſitatores tranſeuntur, nec [l] viſitationes ipſæ tempeſtivè fiant; ſtatuimus quòd noſter proviſor, & vicarius generalis ad hæc attendendo, nulli perſonæ, Eccleſiaſticæ vel ſæculari, exemptiones concedat, quandoquidem non deſint alia juris remedia, per recuſationes & appellationes, cùm dictæ perſonæ ſe ſenſerint gravatas, vel judices habuerint ſuſpectos. Et nos quaſcumque exemptiones, quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis vel ſæcularibus, cujuſcumque qualitatis vel conditionis exiſtent, per nos, noſtrumve proviſorem & vicarium generalem, vel alios quoſcumque judices noſtros hactenus conceſſas, vel in poſterum concedendas, pro nullis, nulliuſque valoris damus, & nullam vim obtinere volumus, & ex nunc pro tunc annullamus & revocamus.

CAPUT XV.

Quòd abſque caſu neceſſitatis non celebrentur Miſſæ in oratoriis.

NOſter [m] proviſor & vicarius generalis, aliique noſtri judices Eccleſiaſtici non dent locum, ut in oratoriis per ordinarium in quibuſdam domibus, juxta ſacrum Concilium Tridentinum [n] approbatis, Miſſæ celebrentur, præterquam in caſu neceſſitatis; & contra ſacerdotes, qui contrarium fecerint, ex officio procedent.

CAPUT XVI.

Indorum correctores non impendant res unius Eccleſiæ vel hoſpitalis in uſus alterius.

CUm nobis conſtiterit per viſitationem quam proſequimur, quòd correctores oppidorum unius Eccleſiæ vel hoſpitalis pecunias in alterius uſus expendant, nec eis gaudet Eccleſia, vel domus hoſpitalis, ad quam propriè pertinebant; & quoniam juſtum eſt, ut quælibet Eccleſia vel hoſpitale gaudeat eo quod ſuum eſt; ſtatuimus & præcipimus dictis correctoribus, ne poſthac expendant, vel diſtribuant in alias id quod ad unam Eccleſiam vel hoſpitale pertinet; ſed quòd quælibet Eccleſia & hoſpitalis domus habeat quod ſuum eſt, & ad eam juſtè pertinet, eoque gaudeat.

Et

[k] Concil. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 6. [l] Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. *De reform.* [l] Conc. Trident. ſeſs. 24. c. 11. *De reform.* [m] Conc. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 24. [n] Trid. ſeſs. 22. *De refor. Miſſæ.*

Et quod aliter, vel alio modo expenderint, noſtri viſitatores non tranſeant, vel acceptent ad juſtum computum, ſed reddi & reſtitui faciant Eccleſiis & hoſpitalibus, ad quæ pertinebit, in viſitationibus, rationibus, & calculis, quæ in eiſdem cum dictis correctoribus inierint, juxta ſchedulam ſuæ Majeſtatis.

CAPUT XVII.

Viſitatores in ratiociniis hoſpitalium non computent quod correctores dant chirurgis eo tempore, quo non ſerviunt.

QUoniam evenire poteſt, ut chirurgi Indorum provinciis aſſignati non viſitent omnia provinciæ loca, nec hoſpitalia, quorum cura ipſis incumbit; & tamen accipiunt integrum ſalarium ex bonis eorundem hoſpitalium, cùm ſint obligati ad viſitandum omnia oppida provinciæ, Indorum bono & utilitati incumbendo: propterea ſtatuimus & præcipimus correctoribus, ne dent vel ſolvant dictis chirurgis ſalarium populorum, quos, vel temporum, quibus eos non viſitaverint. Et ſi contrarium fecerint, noſtri viſitatores in ſuis viſitationibus, quod ſic datum vel ſolutum fuerit, in computum non referent, ſed reddi & reſtitui facient, & in communitatis ærarium reponi, in quo reponuntur & reponentur nummi ad hoſpitales domus pertinentes; ita tamen, ut dicti chirurgi accipiant & recuperent ſalaria, quæ ipſis juſtè debentur.

CAPUT XVIII.

Notarii jura, quæ ex viſitationibus ipſis debentur, non accipiant ab œconomis Indis.

QUoniam ex eo, quòd notarii jura ſibi ex viſitationibus debita exigant ab œconomis Indis, fit ut iidē œconomi pecunias per diſtributionem ab ipſis Indis colligant, abſque eo, quòd eas iterum recuperare valeant à correctoribus, in quorum poteſtate ſunt Eccleſiarum & hoſpitalium bona, de quo multæ ad nos pro parte Indorum querelæ pervenerunt; hinc in poſterum dicti notarii, ſi aliquid ipſis debitum fuerit ex laboribus & ſcripturis, quas fecerint in Eccleſiarum & hoſpitalium rationibus calculandis, id ab ipſis Eccleſiis & hoſpitalibus accipient, & non ex bonis dictorum œconomorum. Et quicquid ea ratione hactenus acceperunt, id totum reſtituent & reddent Indis eiſdem, niſi priùs ſatisfactum, & per ipſos recuperatum ſit quod ita ſolverint: in quo ipſorum conſcientias oneramus, & noſtri viſitatores eos reſtituere facient, & in poſterum obſervare quod hîc conſtitutum eſt.

CAPUT XIX.

Viſitatores viſitent bona hoſpitalium, Eccleſiarum, & aliorum piorum operum, quæ adminiſtrant depoſitarii generales, eorumq; rationes exigant.

NOſtri viſitatores viſitent bona, quæ Eccleſias, hoſpitalia, cappellanias, & alia pia opera concernunt, & ſunt, vel erunt in manibus depoſitariorum generalium, eaque expendi diſtribuique faciant in loca, & effectus, quibus deputata ſunt, juxta ſancita ſacri Concilii Tridentini [o], & ſchedulæ Majeſtatis Regiæ, omnia obſervando & exſequendo in eadem ſchedula contenta, ut ſequitur.

EL REY. Por quanto por parte de vos el M. Reverendo en Chriſto Padre, Arzobiſpo de la ciudad de los Reyes, de las Provincias del Peru, de mi Conſejo, ſe me ha hecho relacion, que por quanto viſitaſteys el diſtricto de vueſtro Arzobiſpado, y averiguaſteys, que en poder de los depoſitarios generales eſtavan los bienes que los Indios aplican para capellanias y fabricas de Igleſias y hoſpitales, y para ſuplir tributos de Indios pobres; y que tambien entendiſteys, que los dichos depoſitarios traygan los dichos bienes, y los otros Indios, ocupados en ſus tratos y grangerias, ſin querer dar cuenta de ellos, y para remedio deſto comvenia que vos y vueſtros viſitadores tomaſsedes cuentadello à los dichos depoſitarios, y les compelieſsedes à que pagaſſen los alcãces de lo que para el dicho effecto huvieſſe entrado en ſu poder, para que todo ſe gaſtaſse, y ſirvieſſe en aquello, para que eſtuvieſen conſignados, y deſtinados, y ſe cumplieſſe con la obligacion y intencion de los que lo huvieſsen aplicado ſobre ello; por los de mi Conſejo de Indias tuve por bien de mandar dar eſta mi cedula. Por la qual mando, que de aqui adelante de las caxas de comunidades, donde eſtà ordenado ſe metan por bienes de los Indios, ſe pague y ſaque lo que para las dichas capellanias, y obras pias, y hoſpitales huvieren dexado los Indios en dineros, en rentas, y cuentas: y los Prelados que os ſucedieren podays y puedan tomar la cuenta dello; y hazer que ſe executen y cumplan: y mando aſſi miſmo à mi Virrey de las dichas provincias, que no ſe entremeta en lo ſuſodicho, ſino que os lo dexe, paraque eſtè y quede à vueſtro cargo. Fecha en Burgoſa catorze de Septiembre del mil, y quinientos, y noventa y dos años. *Yo el Rey.* Por mandado del Rey nueſtro Señor.

Juan Vaſquez.

CA-

[o] Cap. 22. ſeſſ. 8. *De reform.*

CAPUT XX.

Clerici habeant Kalendarium perpetuum novi Breviarii.

CUM ex eo, quòd clerici Kalendarium perpetuum novi Breviarii non habeant, ſequatur, & ſequi poſſit, ut unum officium recitetur pro alio, nec fiant commemorationes debitæ, aut lectiones, vel reſponſoria ritè legantur, aliaque multa ignorantiæ mala, in quæ etiam experti ſine illo calendario non rarò incidunt; proinde clerici omnes noſtri Archiepiſcopatus, omni, qua poterunt celeritate, curabunt habere, & habeant illud Kalendarium perpetuum, ipſumque emant, cùm ejus copia dabitur & haberi poterit. Noſtrique viſitatores plectent clericos, qui culpabiliter illo caruerint.

CAPUT XXI.

Diebus Dominicis diſtribuatur panis benedictus.

JUxta [p] decretum Concilii Provincialis anni MDLXVII. celebrati in hac civitate Regum, omnes Hiſpanorum Indorumque parochi, ſingulis diebus Dominicis dabunt panem benedictum, ſecundùm ejuſdem Concilii conſtitutionem; etiam de oratione benedictionis panis, quæ habetur in Miſſali novo, non obſtante conſuetudine, quâ jam longo tempore dari deſivit.

CAPUT XXII.

Hiſpanorum, Indorumq; parochi hortentur populum ad accipiendum Bullam Cruciatæ.

SUos parochianos inaniment excitentque Hiſpanorum & Indorum parochi ad accipiendam Bullam ſacræ Cruciatæ, & pendendum Deo, & Regi, quod indè debuerint, ſuas conſcientias hac parte exonerantes, quantum fuerint obligati, attendentes ad bona & effectus ſpirituales, quæ ipſis inde redundant, & ad magnas neceſſitates, quas patitur Rex noſter Dominus, ut apparet ex ſchedula ſuæ Majeſtatis ad nos expedita ex S. Laurentii 11. Auguſti MDXCIII.

CAPUT XXIII.

Ut obtineantur jura ſeminarii.

OMnibus vicariis civitatum Truxilli, Guanuci, Chachapoyarum, Moyobambæ, & oppidorum Santæ, Sañæ, Chancayæ, Cañetis, Ycæ, omnibuſque parochis Doctrinarum, in quibus erit arca communitatis, in qua colliguntur, vel colligenda ſunt tributa & ſalaria parochorum, Doctrinarum & fabricarum Eccleſiarum, & hoſpitalium, ut eorum unuſquiſque in ſuo diſtrictu & Doctrina notum faciat correctoribus, & reliquis perſonis, quorum curæ commiſſa fuerit pecunia, & ærarium, ut in iiſdem ærariis retineant & ſervent nummos, qui debentur, vel debebuntur ſeminario, ad tres peſos pro centum, ſecundùm quod ut eſt conſtitutum in Concilio Provinciali [q] celebrato in hac civitate Regum anno MDLXXXIII. cantra ipſos procedendo. Sic faciant & adimpleant cum toto rigore juris, etiam per cenſuras, cùm id opus fuerit. Noſterque proviſor, & vicarius generalis, cæterique noſtri vicarii & viſitatores habebunt curam recuperandi ſeminario quicquid ipſi debebitur, ex decimis, cappellaniis, confraternitatibus, & reliquis redditibus Eccleſiaſticis, à perſonis quarum intererit ea ſolvere, aliis quorum erit accipere. Et ſi contrarium fecerint, vel ſolvere noluerint, ea exigent ex propriis bonis ipſorum correctorum, & aliorum ad quos pertinebit. Ipſoſque dictos vicarios & parochos monemus, quòd contra ipſos procedetur, ac totum ex propriis ipſorum bonis perſolvere cogentur, quicquid per ipſorum incuriam non raparabitur, ſi ſupradicta non adimplebũt. Iidemque vicarii & parochi nos, noſtrumque proviſorem, & vicarium generalem certiores reddent eorum, quæ circa dictas notificationes & recuperationes faciunt, & jam fecerunt, & quantitatis pecuniæ collectæ, & recuperatæ. Ipſamque pecuniam collectam & obtentam iidem vicarii ad noſtrum proviſorem mittent, ad hoc ut colligatur & reponatur in ærario clavium ipſius ſeminarii, quod ad hunc effectum deputatum eſt; ſtudioſè curantes, ut pecunia ſolerter & citò expediatur. Injungimus autem noſtro proviſori, ut præmiſſa exſequatur, ac ſedulò deſuper invigilet, advertendo, quòd inde ſuſtentandi ſint pauperes collegæ, qui in dicto ſeminario & collegio vivent, juxta curam, ſolicitudinem, adminiſtrationem, & gubernium, quæ nobis competunt, & inſtantiam ac formam quibus ea nobis injunxit Rex noſter Dominus in ſua Regia ſchedula tenoris ſequentis.

EL REY.

Marques de Cañete. Pariente, mi Virrey, Governador, y Capitan general en las Provincias del Perù. El Arzobiſpo de la ciudad de los Reyes me hà eſcrito, que deſeando fundar el Colegio ſeminario, que tanto ſe encargò à los Prelados en el ſanto Concilio de Trento, , comprò una caſa con ſu propria hazienda, y para el miſmo, en el entretanto, que ſe comprava otra, de los dineros del Seminario, y en aquella ſu caſa metio veynte y nueve muchachos con un clerigo Rector, que los tuvieſſe à cargo, y dieſſe orden, en que fueſſen proſiguiendo ſus eſtudios; y que eſtando en eſte eſtado, y la tierra con mucho contenta-

[p] Conc. Nanneten. cap 9. [q] Act. 2. cap. 44. [r] Seſſ. 23. cap. 18.

tamiento de ver pueſto en execucion el dicho Seminario, vos embiaſteys à tomar poſſeſſion en mi nombre del dicho Colegio, en virtud de titulo de mi patronazgo, y puſiſteys un mayordomo, el qual luego que el dicho Arzobiſpo lo ſupo, hizo hechar de la dicha caſa, y contradixo la dicha poſſeſſion, pidiendo en eſſa mi Real Audiencia, ſe dieſſe por ninguna; y que haviendoſe tratado ſobre ello, en el acuerdo no ſalio decreto, ni proviſion: y que haviendo el hecho poner en las dichas caſas, quando las comprò, ſus armas con un capelo Arçobiſpal, embiaſteys deſpues al Governador de vueſtra guardia, y otras muchas perſonas à que ſe las quitaſſen, como en effecto lo hizieron, y puſieron las mias: y que aunque procedio por cenſuras, y Eccleſiaſtico entredicho, no quiſiſteys ſobreſeder en ello, ſin embargo que la dicha Audiencia expidio lo hizieſſedes, haſta que en ella ſe determinaſſe lo que convinieſſe, en lo qual havia recibido agravio. Pues quando las dichas caſas non fueran ſuyas, y compradas con ſu proprio dinero, como havia conſtado por la eſcritura de venta, que ſe havia preſentado en la dicha Audiencia, ſino que ſe huvieran comprado à coſta del dicho Colegio Seminario, le pertenecia ſu govierno, encargando, como el ſanto Concilio de Trento encarga, eſto à los Prelados, ſuplicandome os mandaſſe dejaſedes à los de eſſas partes exercitar ſu juriſdicion, y en eſpecial en lo que toca à los Colegios Seminarios, ſin embarazaros en ello, à titulo de dicho patronazgo, ni en quitar ſus armas à los dichos Prelados, que las quiſieren poner en ellos. He viſto por los demi Real Conſejo delas Indias, porque, como habeys, en carta de treynta de Octubre del año paſado de noventa y uno, os eſcriví lo que era mi voluntad ſe hizieſſe en lo que à eſto toca; os mando, que dexeys el govierno y adminiſtracion del dicho Colegio Seminario à la diſpoſicion del dicho Arçobiſpo, y tambien el hazer la nominacion de los colegiales, conforme à lo diſpueſto por el dicho ſanto Concilio de Trento, y en el que ſe celebrò en eſſa ciudad el año paſſado de ochenta y tres: y aſſi miſmo que en las caſas del dicho Colegio pueda poner ſus armas, ſi quiſiere, con que tambien ſe pongan las mias en el mas preheminente lugar, en reconocimiento del patronazgo univerſal, que por derecho, y authoridad Apoſtolica me pertenece, y tengo en todo el Eſtado delas Indias. Fecha en S. Lorenzo, à veynte de Mayo, de mil y quinientos y dos. Yo el Rey. Por mandado del Rey nueſtro Señor.

Juan Vaſquez.

CAPUT XXIV.

Ut ſervetur ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in Eccleſiis Indorum.

SAnctiſſima ſ Euchariſtia in Eccleſiis ſervata magnum eſt præſidium, & admirabile tutamen populi Chriſtiani; magnaque inde provenit commoditas prompti viatici decedentium infirmorum. Cupiendum proinde, curandumque eſt, ut Eccleſiæ parochiales Indorum tanto bono potiantur. Quod nos exſequi volentes, volumus, ut omnes hujus noſtri Archiepiſcopatus Indorum parochi ſibi injunctum intelligant, quòd in omnibus Doctrinarum ſuarum Eccleſiis repoſitum habeant & conſervent ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, ordinando & providendo, ut in ipſis Eccleſiis ſit cuſtodia, ſeu tabernaculum in quo ſervetur, bonæque portæ, cum ſuis repagulis, ſeris, & clavibus; utque Eccleſiæ ipſæ ſartæ tectæ ſint, earumque feneſtræ clavis & ſeris obſeratæ; & lucerna cum ſufficienti oleo in ea ſemper ardeat, aliaque neceſſaria ad tanti ſacramenti dignam cuſtodiam, ac debitam obſervantiam non deſint. Quando verò parochus ab uno oppido ad aliud ſuę curæ diſceſſerit, conſumet priùs ſacramentum Eccleſiæ, quam relinquit, nec ibi relinquatur donec redierit; ita ut obſervent ea quæ circa hæc decreta ſunt in Concilio Provinciali ſ anno MDLXXXIII. in hac civitate celebrato: & quod magis convenit cultui divino, in quo ipſorum parochorum conſcientias oneramus. Et vicarii, in quorum diſtrictu Doctrinæ hujuſmodi, ſeu Eccleſiæ parochiales exſtiterint, premiſſa omnia ſolerti ſtudio exſequantur ad majorem gloriam & honorem Domini noſtri Dei.

CAPUT XXV.

Clerici omnes Eccleſiarum comitentur ſanctiſſimum ſacramentum ad infirmos deferendum.

CUM corda contrita & humiliata Deo ſint placita, & creaturarum erga Creatorem devota gratitudo; omnes clerici parochialium Eccleſiarum hujus noſtri Archiepiſcopatus, cùm ſanctiſſimum ſacramentum ad infirmorum viaticum deferetur, quiſque in ſua parochia, vel qui etiam in aliena præſentes fuerint, ipſum ſuperpelliceis induti reverenter comitabuntur, vel ſuſtentabunt conopeum quo tegitur, nullum ſtipendium, vel ſalarium inde accipientes, quamvis ab œconomis vel miniſtris confraternitatum, aut aliis ultrò offeratur. Eoſque monemus, quòd contra tranſgreſſores ex juris ſeveritate procedetur. Noſterque proviſor, & vicarius generalis, aliique noſtri judices hujus Archiepiſcopatus omnia hæc exſequentur, præbendo ſe bonos ac fideles miniſtros ſuæ divinæ Majeſtatis, juxta leg. v. tit. 1. novæ collectionis,

CA-

ſ Concil Trid. ſeſſ. 13. cap. 6. & can. 7. Et cap. 8. *De celebr. Miſſarum.* Conc. Limen. anni 1583. cap. 23.

ſ Act. 2. cap. 21.

CAPUT XXVI.

Eccleſiis, & hoſpitalibus tribuantur tres novenæ.

UT effectum ſortiatur decretum Concilii Provincialis [u] in civitate Regum anno MDLXXXIII. celebrati cap. 13. act. 3. editum; omnes noſtri vicarii, quiſque in ſuo diſtrictu, & Indorum parochi in ſuis Doctrinis, diligenter ſtudeant colligendis & recuperandis tribus novenis, quæ debentur Eccleſiis & hoſpitalibus Doctrinarum. Et quod obtentum fuerit, in earundem Eccleſiarum & hoſpitalium libris deſcribent, rationem nobis, noſtroque proviſori, & viſitatoribus inde reddituri; contra detentores cum omni rigore juris, etiam cùm opus fuerit, per cenſuras procedendo. Eoſque monemus, quòd ſi in hoc obſervantes non fuerint, vel dictas novenas colligere neglexerint, contra ipſos procedetur, & quicquid earum omiſerint recuperare, id totum ex propriis ipſorum bonis exigetur. Ad quæ, & omnia illis annexa, ex eiſque dependentia, vices noſtras ipſis in ſolidum committimus. Noſtriſque viſitatores ipſos mulctabunt, & ſolvere compellent, quicquid colligere vel exigere neglexerint, ut unuſquiſque, quod ſuum eſt, rectè obtineat. Ut verò novenarum quantitas cognoſcatur, & qualiter exigi diſtribuique debeant, videatur decretum Synodi Diœceſanę anni MDLXXXIX. cap. 29.

CAPUT XXVII.

Indorum parochi habeant arrhas & amictus ad velandos, ſeu benedicendos ſponſos.

OMnes Indorum hujus Archiepiſcopatus parochi, habebunt arrhas & amictus, quibus omnes ſuæ parochiæ ſponſi copulandi ſint, ne Indi ad nuptias venientes novis ſemper ſumptibus illa conferre cogantur. Nec ab eis petant [x] vel accipiant parochi, aut ſibi approprient. Et noſtri viſitatores in ſuis viſitationibus tranſgreſſores plectent.

CAPUT XXVIII.

Indi nec directè, nec indirectè ad oblationes compellantur.

EXorbitantias, [y] & exquiſita media, quibus Indi ad oblationes coguntur, compeſcere cupientes; omnes Indorum parochos commonemus, ut caveant, ne Indos ad offerendum directè vel indirectè, expreſsè vel tacitè, per ſe vel interpoſitas perſonas, compellant, aut vim ullam illis inferant, claudendo portas Eccleſiæ, ne ſine oblatione facta egrediantur, auferendo illis, vel auferri jubendo pallia, vel alia pignora, nec mittendo petitum eleemoſynam ad ipſorum domos, per ipſorum *Curacas*, ſeu rectores, aut officiales, vel miniſtros; nec dicendo illis, quòd quando oblatum accedant, non ferant ova, maizium, vel alias res parocho minus gratas, ſed argentum, & res majoris emolumenti ipſius. Nec oblationes inſtituant antequam inchoëtur Miſſa, nec poſtquam abſoluta fuerit; ſed quando offerendum erit, id fiet ſub offertorio Miſſæ, juxta ſanctos mores & laudabilem conſuetudinem. Ipſos Indos monendo, eiſque clarè ac diſtinctè declarando, quòd per Concilium Provinciale anni MDLXXXIII. & per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus non poſſint parochi cogere Indos ad oblationes ſibi dandas, ſed in ipſorum integra libertate ſit offerre vel omittere. Eoſdemque parochos monemus, contra ipſos procedendum eſſe cum toto rigore juris, & ad exemplarem demonſtrationem. Noſtrique viſitatores circa hæc eos graviter inculpent.

CAPUT XXIX.

Judices Eccleſiaſtici poſſunt miniſtrare omnia ſacramenta, præter Matrimonium.

NOſtri vicarii, & viſitatores, quiſque in ſuo diſtrictu, poterunt miniſtrare, & miniſtrent ſacramenta, & in omnibus fungi officio parochi Hiſpanorum & Indorum parochiæ, abſque præjudicio parochorum, vel jurium parochialium. Sacramentum verò Matrimonii nec miniſtrent, nec miniſtrare poſſint illis, qui non fuerint ipſorum proprii parochiani, ſine licentia Ordinarii, vel proprii ipſorum parochi: quantumvis iidem vicarii, & viſitatores in ſuis commiſſionibus, & patentibus habeant ſibi conceſſam cognitionem cauſſarum matrimonialium, non obſtantibus quibuſcumque commiſſionibus, quas noſtri ad id faciendum habent; quas annullamus, & volumus ne illis utantur, poſtquam iſta conſtitutio ipſis innoteſcat; ſed noſtro proviſori, & vicario generali jus ſuum ſalvum & illæſum relinquant, ut illo uti poſſint & utantur, quod jus illis permittit.

CAPUT XXX.

Miſſæ confraternitatum dicantur diebis ex Miſſali novo non impeditis.

MIſſæ [z] confraternitatum & votivæ dicantur diebus ex ritu novi Miſſalis non impeditis. Quando verò celebrandæ ſunt in feſtis Indorum, tunc parochi nullam ab eis pro illis Miſſis eleemoſynam accipient, tamquam pro Miſſis votivis, vel confraternitatum; quia tunc celebrantur de feſto &

[u] Synod. Diœc. III. cap. 51. & Syn. IV. cap. 28. & 29. [x] Conc. Lateran. ſub Alex. III. cap. 7. [y] Conc. Mediolan. IV. tit. *De Parochis, & Parochialibus juribus, & officiis.* [z] Synod. III. Diœceſ. cap. 2.

& officio diei, attento quòd illis diebus obligati ſint ad celebrandum pro ſuo populo & benefactoribus.

CAPUT XXXI.

De modeſtia ac decentia in templis ſervanda.

UT indi in rebus divini cultus ædificentur, eumque pro rei dignitate æſtiment, & erga eum afficiantur; exemplum ab Hiſpanis & aliis deſumentes, qui in ipſorum Eccleſias ingrediuntur; ita in eas intrabunt, in eiſque verſabuntur, tamquam anima & corpore bene & devotè diſpoſiti; ſic rectè veſtiti, & non ſeminudi, vel ſine palliis, vel cum ocreis & calcaribus, tamquam ad iter accincti, vel aliis impertinentibus ac indecentibus modis, quibus non compararent in conſpectu Regis terreni, nec alterius potentatus, cui deberent reverentiam; uti decrevit ſacrum Concilium Tridentinum [a]. Et noſtri judices contra hujus conſtitutionis violatores procedent.

CAPUT XXXII.

Viſitatores taxent jura tabellionum.

NOſtri [b] viſitatores, tabellionum, ſeu notariorum juribus taxandis intendent, quæ ex actis viſitationis eiſdem juſtè proveniant, pro ducendis rationibus, conſcribendis inventariis, & viſitationibus Eccleſiarum, hoſpitalium, confraternitatum, aliorumque; ita ut in tota una Doctrina, ſeu parochia Indorum, non excedant quatuor peſos currentes novem regalium, ſive parochia conſiſtat in uno, ſive in pluribus oppidis: ita ut ex omnibus rationibus, inventatiis, & viſitationibus Eccleſiæ, hoſpitalis, & confraternitatum, vel alia quacumque re unius Doctrinæ non percipiat ultra dictos quatuor peſos. Et ſi Eccleſia, hoſpitale, vel confraternitas fuerit pauper, nihil omnino accipiat. Dictique viſitatores & notarius deſcribent, & ſubſcribent in libro Eccleſiæ & viſitationis, quantum ex ejuſmodi juribus perciperit notarius, ut non poſſit illa percipere inſcio viſitatore, & ut in omnibus ſupradictis fiat quod exoneratio ni conſcientiæ & obſequio Dei maximè conveniat.

CAPUT XXXIII.

Quæ pecora poſſint parochi habere pro ſua ſuſtentatione.

INhærendo conſtitutioni Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. in quo intentatur cenſura clericis Doctrinarum, qui plura nutrierint pecora, quàm i pſorum ſuſtentationi neceſſaria ſint; nos exceſſibus occurrere cupientes, ordinamus, quòd parochi Doctrinarum in poſterum alere poſſint verveces duodecim, duodecim capras, & porcos duos, & conſumpto hoc grege, vel etiam priùs, tantundem emere poſſint; ita tamen, ut hunc ſolum numerum ſemper alere, nec unquam excedere liceat. Quòd ſi minori ſe ſuſtentare valeant, illum ſufficientem, nec majorem habeant, attendentes dictas cenſuras alioquin ſibi imminere.

CAPUT XXXIV.

Cauſſæ annullandi matrimonia ad Ordinarium remittantur.

QUia [c] cauſſæ matrimoniales magni momenti ſunt, ideo quoties de matrimonio ſolvendo quæſtio fuerit, ut cum aliis contrahatur, noſtri vicarii, judiceſque Eccleſiaſtici, quibus poteſtas erit de cauſſis matrimonialibus cognoſcere, factis proceſſibus, & cauſsâ finitâ, & patribus ad ſententiam audiendam citatis coram nobis, aut noſtro proviſore, & vicario generali, dictam cauſſam ad nos determinandam, & per ſententiam definiendam remittant.

CAPUT XXXV.

Decimarum controverſiæ ad Ordinarium remittantur.

IN decimarum [d] collectione lites & controverſiæ nonnunquam oriuntur, ſi unum, vel minus ex decem ſolvendum ſit, ſi ex una re, & ex alia non, propter conſuetudines & præſcriptiones, quæ obligare ſolent. Cùmque juris quæſtio ſit, quid fieri oporteat, expedit ut determinetur per perſonam peritam, quæ rem intelligat, & ſciat quid factu opus ſit, & per jura ſancitum. Nos animadvertes hoc decimarum negotium ad Antiſtites pertinere, & ad præbendarios Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, ejuſque miniſtros, & duas novenas ad dominum noſtrum Regem, & ad Eccleſias, & hoſpitalia noſtri Archiepiſcopatus, earumque parochos & Beneficiarios: cupienteſque, ut res iſta comperta ſit, & quiſque quod ſuum eſt accipiat, nemoque defraudetur, nec introducantur conſuetudines vel præſcriptiones indebitæ, nec percipientibus, nec ſcientibus iis, ad quos decimæ pertinent; ſtatuimus, ut omnes noſtri vicarii, & judices Eccleſiaſtici, quoties aliqua negotia decimalia ſe obtulerint, vel coram ipſis ſupradictis pependerint, tunc fulminatis proceſſibus, eiſdemque concluſis ad ſententiam definitivam excluſivè, & citatis ad ſententiam partibus, ad nos, vel noſtrum proviſorem, & vicarium generalem cauſſam remittant, ut eâ viſâ, & inita conſultatione, juſtitia in caſu fiat. Interim autem dum cauſſa terminetur, facient ſol-

[a] Seſſ. 22. in decreto *De celebrat. Miſſar.* [b] Conc. Provinc. ann. 1583. Act. 4. cap. 3. & 4 & leges ibi in margin. Et edictum generale. [c] Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 20. *De reform.* Concil. Provin. ann. 1583. Act. 2. n. 35. [d] Conc. Enghilhenheimen. c. 19.

ſolvi decimario unum ex decem, & ille vades dabit, quòd judicio & ſententiæ ſtaturus ſit, & redditurus, ſi quid ultra juſtum acceperit: vel ſi vades non dederit, facient illi ſolvi juxta conſuetudinem, quam ex proceſſu fuiſſe conſtabit: Ordinando quòd in examine teſtium declaretur tempus, à quo hactenus conſuetudo ipſa, vel præſcriptio, quam allegaverint, & à quot annis introducta fuerit, ut ab illo, qui ſententiam laturus ſit, percipiatur, an habeat conditiones temporis & annorum, quos jura requirunt, ut conſuetudo & præſcriptio legitima ſit.

CAPUT XXXVI.

Vicarii clericos inhoneſtè viventes ad Ordinarium cum informationibus remittant.

Juxta decretum Concilii Provincialis [e] in hac civitate Regum anno MDLXXXIII. celebrati, & à ſede Apoſtolica approbati, in quo ſtatuitur, quòd ſacerdos doctrinæ, qui inhoneſtè vixerit, illâ privetur, nec alia illi conferatur propter malum exemplum & ædificationem, quæ indigenis inde præbetur. Noſtri vicarii ſuper hoc diligenter invigilent, & cùm quiſpiã hujuſmodi repertus fuerit in Doctrinis ipſorum diſtrictûs, ſumptis informationibus, ſi ſufficientes fuerint, eum coram nobis, noſtrove proviſore comparere facient, ipſas informationes clauſas & ſigillatas mittendo, relictoque loco miſſi alio idoneo, & non aliàs occupato ſacerdote, qui ſacramenta miniſtret, & officio parochi per omnia fungatur; cujus faciendi licentiam illi dabunt. Et nos ad hæc vices noſtras illis committimus: ubi verò talem ſacerdotem non invenient, nos vel noſtrum proviſorem certiores reddent, ut provideamus quod caſui conveniat, & in locum hunc mittendi alium expediamus. Alia quoque delicta caſtigandi curam gerent iidem vicarii, non exſpectato viſitatorum acceſſu. Eoſque monemus, quòd ea non agentes, viſitatoribus ipſis pœnas luent.

CAPUT XXXVII.

Hiſpani, qui inter Indos indecenter vixerint, ad Hiſpanorum oppida per parochos arcebuntur.

Quia malum exemplum quorundam Hiſpanorum, qui inter Indos vivunt, poſſit vergere in deſtructionem doctrinæ quâ inſtruuntur, eſſeque illis occaſio & incitamentum imitandi illorum malos mores; omnes Indorum parochi ferventer ſtudebunt, ut ſi Hiſpanus quiſpiam in ipſorum Doctrinis inhoneſtè vixerit, dando hujuſmodi malum exemplum Indis, ipſum remittent ad proprium ipſius parochum Hiſpanorum, ut ipſum recognoſcat, & parochus ipſe ſciat qualiter vivant ipſius parochiani, eoſque ad melius inſtruat, & ſpirituali paſtu verbi Dei paſcat. Et nos iiſdem Indorum parochis commiſſionem ad hoc, omniaque illi annexa, indeque dependentia in forma damus, & ut procedat cum toto rigore juris, & cùm neceſſitas, etiam per cenſuras.

CAPUT XXXVIII.

Indorum parochi, qui plura habent oppida, diebus Dominicis & feſtivis dicant duas Miſſas.

Quoniam per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus [f] Indorum parochis conceſſum eſt, ut diebus Dominicis, & ex præcepto feſtivis poſſint legere duo ſacra, in duabus Eccleſiis adeò diſtantibus, ut unius populus non poſſit commodè aſſiſtere Miſſæ in altera; ideo advertant parochi, ut ſuo debito in hac parte ſatisfaciant, dicendo illas duas Miſſas, ne privent ſacrificio ſuos parochianos iis diebus, quibus ei intereſſe tenentur, & ipſi parochi ad id eis celebrandum, ut exoneretur utrorumque conſcientia.

CAPUT XXXIX.

Parochi celebrent duas Miſſas pro ſuo Antiſtite, & pro aliis ſacerdotibus decedentibus in hoc Archiepiſcopatu.

Inhærendo bonis ordinationibus [g], & laudabili conſuetudini Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & ſacrarum religionum, collegiorum, & congregationum; & ut inter omnes ſit uniformitas, & bona correſpondentia; ſeriò petimus, & quantum poſſumus, flagitamus, & exhortamur in Domino, omnes qui ſunt vel fuerint hujus Archiepiſcopatus noſtri ſacerdotes, ut quamprimùm ipſis innotuerit obiiſſe Prælatum, vel alium hujus Archiepiſcopatus diſtrictus noſtri ſacerdotem, celebrent pro ipſo duas Miſſas, cum reſponſoriis. Et noſter Proviſor, cùm aliquis clericus deceſſerit in hac noſtra civitate Regum, monebit reliquos vicarios & ſacerdotes hujus Archiepiſcopatus, & vicarii viciſſim proviſorem, cæteroſque vicarios & ſacerdotes ejuſdem Archiepiſcopatus. Quo toto exiſtimamus præſtari Deo gratum obſequium, & magnam his regnis ædificationem. Et quòd reliqui Epiſcopi nobis ſuffraganei animabunt ad idem charitatis officium, ad magnam gloriam & honorem Domini noſtri Dei.

CA-

[e] Act. 3. cap. 19. [f] Synodus VII. Diœc. cap. 3. [g] Regula concuſta cap. 18.

CAPUT XL.

Indorum parochi Prælatum generaliter moneant, cùm parochiani indigebunt abſolutione reſervata.

QUoniam per Gregorii XIII. diploma datum Romæ 1. Novembris MDLXXXIII. ad inſtantiam Catholicæ Majeſtatis, & ad has partes miſſum per licentiatum D. Thomam de Salazar, commiſſarium ſanctæ Cruciatæ, viſum in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII. & adjunctum aliis privilegiis conceſſis Indis, & in eodem Concilio viſis, conceditur omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Indiarum, & perſonis ab eiſdem in hac parte nominandis, deputandis, ac ſubdelegandis, ut à crimine hæreſis, idololatriæ, ſchiſmatis, & aliis quibuſcumque caſibus, & rebus reſervatis, tam in conſcientiæ, quàm in exteriori foro, abſolvere poſſint quoſcumque Indos, viros & mulieres, injuncta illis aliqua ſalutari pœnitentia, juxta qualitatem culpæ; declarante ſua Sanctitate, hoc non impedire quod priùs declaratum eſt, quòd per Bullam Cruciatæ non conceditur abſolutio ab hæreſi: quoniam quoad Indos non derogatur dicto privilegio, & facultati abſolvendi ab hæreſi, & aliis caſibus reſervatis. Nos cupientes ejuſdem diplomatis contenta exſequi, & ut nativi gaudeant hoc beneficio; ordinamus, ut omnes parochi hujus Archiepiſcopatus, diſtrictus noſtri, quando fuerit opus, uti dicto diplomate, & abſolvere ſuos parochianos à caſibus ſupradictis, in quos inciderint, tunc per viam, quæ jura permiſerint, nos generatim certiores faciant, ut de ſufficienti remedio provideamus, ad utilitatem & profectum animarum, ut in toto fiat quod expedit, ad exonerandas conſcientias, & ut ſerviatur Deo.

CAPUT XLI.

Omnes parochi eos conſcriptos habeant, quibus viatici, & extremæ unctionis ſacramenta miniſtraverint.

UT innoteſcat quòd Indi in rebus Catholicæ noſtræ Fidei proficiant, & ipſorum parochi diligentes & ſoliciti ſint, & obſervent ſancita Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. in civitate Regum celebrati Act. 2. cap. 19. & 28. ubi ſeriò præcipitur omnibus parochis, ne omittant viaticum dare omnibus Indis & Æthiopibus, quos in articulo neceſſitatis, & requiſitis diſpoſitionibus conſtitutos invenerint (quæ ſunt fides, & pœnitudo peccatorum) idque ſuo modo; cùm in extrema illa neceſſitate, res tam perfectæ & abſolutæ exigi non debeant, ut ſanctorum Patrum ſancita docent, quibus ſufficit aliqua oſtenſio fidei & pœnitentiæ, & ſalutaria ſacramenta conſtitutis in ultimo periculo vitæ. Et pariter diſtrictè præcipitur, ne quorundam parochorum ignavia interponat frivolas excuſationes in adminiſtrando ſacramento extremæ-unctionis, quòd detur idem ſacramentum juxta conſtitutionem Concilii Provincialis in civitate Regum, anno MDLXVII. celebrati, ſeſſ. 3. cap. 35. omnibus fidelibus Indis & Æthiopibus, ſeu Morenis, qui pœnitentiæ ſigna ſuo tempore monſtraverint. Et peculiarem curam gerent parochi, obſervantiſſimique ſint, ut Indos omnes in libro conſcribant, quibus miniſtrata fuerint ſacramenta viatici & extremæ-unctionis, cum nota diei, menſis, & anni. Et in hac parte negligentes & remiſſos plectent noſtri viſitatores.

CAPUT XLII.

Sacerdotes & ordinandi diſcant cantum.

QUia multi clerici, qui cantare neſciunt, ac proinde cùm exercent officium in celebratione Miſſarum, & miniſterio altaris, magnam cauſant indecentiam, & populum ad inquietudinem, rumorem, & indevotionem provocant, ac divertunt ab attentione ſacrificio debita, dantque occaſionem ut loquantur & murmurent de ipſis & aliis qui ipſos ad ordines promovent, & de judicibus Eccleſiaſticis, qui non apponunt remedium. Noſter proviſor, & generalis vicarius, juxta decretum Concilii Provincialis [b] (in quo ſtatuitur, ut cantus per cantorem Eccleſiæ noſtræ Cathedralis doceatur) id exſecutioni mandantes, ſtatim, ut ratio poſtulat, & abſque ulla dilatione jubebit & procurabit, ut ſacerdotes, & reliqui ordinandi, qui cantū non ſatis ſciunt, examinentur, ut cognoſcatur qui ſint, & quòd cantum audiant ac diſcant, & inſtructi doctique ſint, procedendo contra ipſos cum omni rigore juris.

CAPUT XLIII.

Judices expediti contra parochos remittant cauſſas concluſas ad Superiorem pro ferenda ſententia.

AD evitandos quoſdam ſiniſtros affectus, expenſas, itinera, & vexationes parochorum, cùm judices adverſùm ipſos mittuntur ad ſumendas informationes, eaſque ad Superiorem remittendas; ſi parochi culpabiles reperiantur, manſuris in eorum loco ipſis judicibus & exercituris officium parochiale, donec terminent cauſſas, cum ſpe & prætentione ſucceſſionis, & gaudendi ſalario doctrinæ. Cùmque hæc ſint incentiva, ne informationes bene & cum debita rectitudine inſtituantur, & ut ſolicitentur teſtes ad ſacerdotem è Doctrina ejiciendum, ne in illa permaneat; proinde noſter proviſor & vicarius generalis, cæteriſque judices dictis malis remediū adhibentes, ubi oportuerit judicem aliquem adversùs parochum ex-

pe-

[b] Conc. Provinc. anni 1583. Act. 3. cap. 29.

pedire propter aliqua delicta ab eo patrata, curabunt, ut talis ſit judex, in quem harum rerum ſuſpicio cadere non poſſit, vel qui prætendat, aut procuret in Doctrina remanere, & quòd ferat commiſſionẽ fulminandi proceſſus uſque ad ſententiam excluſivè, & quòd citatis partibus ipſum remittat ad judicem, qui dictam cõmiſſionem dedit, ut illum terminet, & proferat ſententiam; relinquendo parochum in ſua Doctrina, ut per viſitatores in ſuis viſitationibus fieri conſuevit. Ipſe judex commiſſarius proceſſum deferet ad illum, qui cauſſam terminaturus ſit, niſi in caſu tam gravi & atrocis delicti, ut aliter fieri conveniat.

CAPUT XLIV.

Vicarii, viſitatores Doctrinarum, parochi, cæteriq; judices Eccleſiaſtici, procedent contra ſæculares, qui ruſticis laboribus impediunt doctrinam, & cauſant damna ſpiritualia.

QUoniam ex viſitatione generali, quam proſequimur, ſatis inſtructi ſumus, & nobis conſtat, quòd ex prædialibus & ruſticis laboribus, quos per indigenas Indos exerceri faciunt ipſorum Correctores in conficiendis pannis, ſagis, & quos vulgò *anacos*, & quos *lliqnillos* vocant, dando illis goſſypium : : : : : : : : & jubendo ut lanam in fila ducant, & caligas faciant, & cannabaceas ſoleas, (vulgò *alpargates*, & quas *guaxgas* appellant) & limitando illis penſi certum tempus, ac diſtribuendo illis goſſypium diebus feſtivis, eoſque ad id exſpectando dum egrediantur à Miſſa, vel Doctrina, ubi congregati reperiuntur; & vendendo illis vinum, eoſque mittendo ad alios labores corporales, & alia prædia, ex quibus naſcuntur, & nata ſunt multa damna ſpiritualia; nimirum quòd dicti Indi & Indæ ad remotas partes abeant, & ſe in montibus abſcondant dictis diebus Dominicis & feſtivis, & per unum vel alterum annum non accedant ad Miſſas, vel Doctrinam, aut confeſſiones, præ timore ejuſmodi exactionum, & ibi ſine ſacramentis moriuntur; & quòd Chriſtianum nomen abhorreant, & parvulos ſuos odio proſequantur, dicendo ipſis, ut ſemel moriantur ne perveniant ad ſtatum tot miſeriarum & laborum, quot ipſi patiuntur; & quòd cùm Indæ ex infirmitate dicta opera perficere non poſſunt, ac timent ne puniantur, ſolvunt Correctori rem valoris ſeptẽ peſorum, ut eam vendere poſſit; & quòd opus à dictis Indis factum, vel ſeptem, vel octo pataconibus vendant, cùm ipſis conſtiterit tantùm tribus; & quod Indi ſcandalizentur, eo quòd Correctores ipſis vẽdant octo peſis id quòd propriæ ipſorum uxores & filiæ texuerunt, & neverunt; & quòd Indæ per ſui corporis proſtitutionem, in Dei offenſam, acquirant pecunias, quibus emant pannum dandum Correctoribus, ne illum cogantur intolerabili labore conficere; emunt autem octo pataconibus, cùm Correctores pro eo conficiendo illis non dent plus quam duos; & quòd vinum ſupra juſtum pretium eis vendant, eoſque vi cogant ipſum ſic emere: quo inebriantur, & ebrii exercent multas cæremonias antiquas, contra noſtram ſanctam legem, itemque inceſtus, & blaſphemias; ita ut appareat, quòd ſi haberent ubi poſſent ſe abſcondere, relinquerent legem Dei, & reverterentur ad majorum ſuorum ſuperſtitiones: & quòd pueri in prædiis dictorum Correctorum occupati non frequentent doctrinam, & quòd laborent diebus Dominicis & feſtivis, ut præfixo tempore poſſint abſolvere, & netam dent lanam quam acceperunt, & factas caligas, & ſoleas, & alia ſupradicta; cùm dictis Correctoribus ejuſmodi laboritia juſtis conſiderabilibuſque cauſſis diſtrictè prohibita ſint ſub gravibus pœnis, per inſtructiones jam olim à Pro-regibus datas, & iterum nuper per ordinationes factas à D. Garſia Hurtado de Mendoza Marchione Cañetæ, Pro-rege horum regnorum die 21. menſis Julii proximè præteriti hujus præſentis anni MDXCIV. Et cùm dicti Correctores præſtiterint juramentum eas obſervandi, & ſic adimplendi, ordinato etiam per dictum dominum Pro-regem Marchionem Cañetæ, quòd à Correctoribus, qui in poſterum inſtituentur, exigatur idem juramentum, eaſdem ordinationes obſervandi & adimplendi: nos igitur ad prædicta reſpicientes, & ad juramentum quod præſtant iidem Correctores, cupienteſque remedium adhibere, & ut prædicta mala ſpiritualia, Deique graves offenſæ ceſſent; omni meliori via, & quantum de jure poſſumus, commiſſionem damus omnibus vicariis & judicibus Eccleſiaſticis, & Indorum parochis hujus noſtri Archiepiſcopatus, eorumque cuilibet in ſolidum, ut non permittant dictis Correctoribus, præſentibus vel futuris, nec aliis perſonis quibuſcumque, quæ fuerint cauſſa dictorum damnorum ſpiritualium, vel partis eorum per ſua prædialia lucra, ut ſe in illis intromittant, per ſe vel per interpoſitas perſonas, ordinantes & providentes, ut goſſypium, & lanam, & alias res, quæ Indis ad effectus ſupradictos diſtributę fuerint, illicò ſuis dominis reddantur; contra tranſgreſſores procedendo. Sicque faciant & impleant cum toto rigore juris, etiam, cùm opus fuerit, per cenſuras, uſque ad declarandum quòd illas incurrerint, ipſoſque in tabellam redigendum, donec effectu deſiſtant à dictis laboribus, & lucris prędialibus. Nobis, prout reſervamus, reſervando dictarum cenſurarum abſolutionem. Quoniam ad prædicta, & eis annexa, & ex eis dependentia, & ad creandum notarium & reliquos miniſtros neceſſarios, & ad fulminandum proceſſus in cauſſis ſupradictorum, eoſque per ſententias terminandum, & ad debitam exſecutionem perducendum vices noſtras illis committimus: ita ut in toto fiat quod conveniat, & exo-

i Supernus in hac Synodo cap. 4.

exonerentur conſcientiæ, ac debitum Deo præſtetur obſequium. Exhortando, prout exhortamur, & præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna centum peſorum (vulgò *enſayados*) ad cauſſas pias applicatorum, & aliis pœnis arbitrariis, uſque ad privationem officiorum & Doctrinarum, dictis vicariis, parochis, & judicibus, ut ſupradicta exſequantur. Noſtriſque viſitatoribus injungimus & præcipimus, ut peculiarem curam gerant, eos in hoc onerandi,

Attento pariter quòd per viſitationem, quam facimus, intellexerimus, ex ejuſmodi lucris prædialibus ſequi etiam ſequentia damna & gravamina temporalia & corporalia; videlicet, quòd impediatur Indis commercium cum Hiſpanis, cùm non permittatur tranſire ad acquirenda neceſſaria ſuſtentationi ſuæ vitæ; cumque hoc ſit incentivum & inſtrumentum mendicationis, furtorum, & latrociniorum, dum portæ ipſis occluduntur & impediuntur, ut non poſſint ſe aliter ſuſtentare; cumque iſta prædia ſint cauſſa, quòd vectigalia domini noſtri Regis impediantur, ac defraudentur, & abſcondantur, nemine audente ea à dictis Correctoribus petere, eo quòd ſint miniſtri juſtitiæ: & quòd provincia redigatur ad extremam penuriam, dum innatæ merces, triticum, & farina, cæteraque extrahantur ad partes remotas: quòd Indi malè tractentur, nec permittantur liberè lucrari tributa per ipſos ſolvenda, nec exercere ſuos agros & poſſeſſiones; nec Indæ mulieres parare pannum, quo ſe, ſuos filios, aut conjuges veſtiant, ſed nudæ & incultæ ſint, & ſic incompoſitæ & laceratæ, ad ſummam indecentiam, frequentent Eccleſiam & doctrinam: dum prætenditur quòd indigenæ non gaudeant requie, quam ſua Majeſtas eis optat; propterea à dictis Correctoribus in domino poſtulamus, ut ab hujuſmodi tractatibus & laboribus lucriſque abſtineant, quæ ſeriò & ſedulò ipſis prohibita ſunt: eoſdemque admonemus, quòd ſi hoc non obſervaverint, ſua Majeſtas certior fiet omnium horum damnorum ſpiritualium, temporalium, & corporalium, ejuſque Pro-rex nomine Regis, juxta ipſius ſuę Majeſtatis ſchedulam. Dat. Ulliſſyponæ 17. Maji MDLXXXII.

CAPUT XLV.

De examinatoribus Beneficiorum.

SAcri Generalis Concilii Tridentini [k], & Provincialis noſtri anni MDLXXXIII. in civitate Regum celebrati, & à ſancta Sede approbati, ſanctionibus inhærendo, ut exſtet is numerus perſonarum, ex quibus neceſſariæ, & aliàs non occupatæ, & literis, ac linguis idoneæ, & in parochorum, cæterorumque officiis peritæ eligi poſſunt ad eos quibus Beneficia conferuntur, ritè examinandum; nos ejuſmodi Beneficiorum & Doctrinarũ examinatores nominamus Doctorem D. Joannem Vaſquez archidiaconum, & Doctorem D. Matthæum Diaz de Paz ſcholaſticum, & Doctorem D. Stephanum Vozmedianum cantorem, & Doctorem Molinam, & D. Joannem Diaz, & doctorem Joannem de Roca, & Licentiatum Menacho, & Magiſtrum Guzman, & Doctorem Andream Diaz de Albrego, canonicos noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis, & baccalaureum Chriſtophorum Sanchez de Renedo, & baccalaureum Ferdinandum Martinez, parochũ noſtræ ſanctę Eccleſiæ, & magiſtrum Huerta, & P. Fr Joannem Martinez Ordinis Sancti Auguſtini, cathedraticum linguæ generalis Indorum, & baccalaureum Bitanzos: qui juramentum præſtabunt ex præſcrito ſacri Concilii Tridentini.

CAPUT XLVI.

De judicibus Eccleſiaſticis ad cognoſcendum cauſſas per ſuam Sanctitatem, vel Apoſtolicos Legatos, aut Nuncios remittendas.

JUxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſſione 25. cap. 10. *De reform.* nominamus ac deſignamus in hac Synodo judices, qui cognoſcere poſſint, & cognoſcant cauſſas ſpirituales & Eccleſiaſticas, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, per ſuam Sanctitatem, vel quemvis Legatum, aut Nuncium Apoſtolicum in his partibus committendas, Doctorem D. Petrum Nuñez decanum, Doctorem D. Joannem Vaſquez archidiaconum, Doctorem D. Matthæum Diaz de Paz ſcholaſticum, Doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianum cantorem, D. Chriſtophorum Medel Theſaurarium, Dignitates noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis civitatis Regũ.

CAPUT XLVII.

De teſtibus ſynodalibus.

SAncti Patres juſtè & ſanctè inſtituerunt, quòd Synodi [l] ſingulis annis fierent, ad hoc ut in illis tractaretur de correctione & emendatione malorum morum, & reformatione bonorum, deque animarum regimine, & reliquis concernentibus Epiſcopatus. Et ut quod in eis fieret & conſtitueretur, efficaciùs adimpleretur, & ſortiretur effectum; decreverunt, ut in ſingulis Epiſcopatibus nominarentur & conſtituerentur teſtes ſynodales boni & idonei, qui per totum Archiepiſcopatum ſolerter inquirant, quiſque in aſſignato ſibi diſtrictu, qualiter ſerventur & adimpleantur ea, quæ in Synodis ordinata & juſſa fuerint. Nos igitur tam ſanctum inſtitutum ſequentes; deſignamus in hac Synodo parochos præſentes & futuros civitatis Regum, noſtroſque hujus Archiepiſcopatus viſitatores, ut dicta per noſtrum Archiepiſcopatum inquirant. Quod ſine ſcriba, notario, vel ſtrepitu judiciali, ſed ſimpliciter & de plano facere debent; cùm ulteriorem juriſdictionem non habeant, nec nos eam illis da-

[k] Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. Conc. Liman. anni 1583. Act. 4. cap. 17.

[l] Conc. Limen. anni 1583. Act. 4. cap 23.

damus. Et quod ſic inquiſiverint, ac teſtes qui rem noverint ſecretè notando, & monumentis conſignando, tam de defectibus vicariorum & clericorum, quàm etiam laïcorum, ſine teſtium juramento, ſed per viam informationis, ad futuras Synodos & Concilia Provincialia deferent, & ſecretò nobis tradent, ut juxta obſequium Deo debitum adhibeamus remedium. Debentque præſtare juramentem, officio ſuo bene & fideliter perfungendi: & quod ſic fecerint, coram nobis ad futuras Synodos & Concilia Provincialia ferendi.

CAPUT XLVIII.

Vicarii & parochi habeant apud ſe has conſtitutiones ſynodales.

OMnes noſtri vicarii, & Hiſpanorum Indorumque parochi &c. ut ſuprà cap. 3. Synodi præcedentis, anni MDXCII.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ad honorem & gloriam Domini noſtri Dei 24. die menſis Novembris anni MDXCIV. in die Sancti Chryſogoni Martyris ſub Veſperas S. Catharinæ virginis & martyris.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſs. dominationis.

Bernardinus Ramirez Not. Secr.

Indictio futuræ Synodi.

NOS D. Toribius &c. *Eodem tenore cum literis convocatoriis Quintæ Synodi in fine Synodi Quartæ ſuprà pag. 437. præterquam quòd nona nunc futura Synodus convocetur ad eundem diem Sancti Chryſogoni 24. Novembris anno MDXCVI.* Datum in oppido Sancti Petri & Sancti Paulli Piſcobambæ 24. die menſis Novembris MDXCIV.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis.

Bernardinus Ramirez Not. Secret.

EGO *Bernardinus Ramirez, Secretarius Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi Regum, &c. Fidem facio, & veritati teſtimonium adhibeo, quòd Synodus retrò contenta celebrata fuerit in hoc oppido SS. Petri & Paulli Piſcobamba, per ſuam Illuſtriſſimam dominationem, aſſiſtentibus in ea viſitatore Melchiore de Figueroa, cum poteſtate quorundam parochorum hujus Archiepiſcopatus, & aliis multis perſonis cum ſimili poteſtate. Et ad conferendum de conſtitutionibus ejuſdem Synodi venerunt, & præſentes conſenſerunt illis. Quæ hodie die Jovis 24. menſis Novembris MDXCIV. quo die illas legere & publicare finivi, cùm eas legere incœperim die præcedenti 23. ejuſdem præſentis menſis & anni, in Eccleſia hujus oppidi Piſcobambæ, præſentibus dicto viſitatore Melchiore de Figueroa, & Matthæo de Morales parocho hujus oppidi, & Didaco Alphonſo de Rojas parocho & vicario Taucæ, & Licentiato Leonardo Cortès, & Joanne Baptiſta Franco presbytero, & multis aliis Hiſpanis. Quibus teſtimonium adhibeo. Et in fidem ſubſcribo.*

Bernardinus Ramirez Secretarius.

Gratis. *Toribius Archiepiſcopus Regum.*

De mandato ſuæ Illuſtriſſimæ dominationis.

Bernardinus Ramirez, Not. publ. Secret.

SYNODUS DIOECESANA VALENTINA

CELEBRATA PRÆSIDE ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

D. JOANNE A RIBERA

Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino, menſe Majo, anno MDXCIV.

JOANNES A RIBERA PATRIARCHA ANTIOCHENVS & Archiepiſcopus Valentinus, parochis ſuæ diœceſis ſalutem in Domino.

VIDEO poſt tot Concilia Generalia, Provincialia, Diœceſalia non multum eſſe opus novis legibus, pluribuſq; decretis; (quod memini vos à me commonitos, cùm huic Synodo jam principium daremus) ſed in id potiùs nervi intendendi ſunt, ut quæ ſalubriter ſunt ſtatuta, ſalubriter exſecutioni mandentur. Eſt nihilominus opus crebris Synodis Diœceſanis, (id quod ſancta Tridentina Synodus ſuadet, immo præcipit, faciendum) primùm quidem, ut quæ ſunt ſanctè ſancita, ſed hominum incuriâ & negligentiâ (non enim dicam perverſitate, aut pravitate) in deſuetudinem abiêre, revocentur in uſum: deinde ut ſi res ita exigat, quædam denuò ſanciantur. Utrumque divina miſeratione in hac brevi Synodo cecidit non infeliciter. Nam pauciſſimorum dierum diſpendio perfecimus, primò quidem, ut multa prudenter ſive à præceſſoribus noſtris, ſive à nobis ipſis antea ſtatuta, quæ tenebris obruta videbantur & extincta, in lucem & vitam reſtituerentur: quæ mortua jam erant, reviviſcerent. Secundò quædam nova partim mihi, partim vobis in mentem venerunt, affulgente haud dubiè nobis, etſi immerentibus, patre luminum: (qui enim duobus aut tribus in ejus nomine congregatis adeſt medius, an non certiùs aderit numeroſo cœtui parochorum ſuppliciter vocatus?) quæ ut ſpero ſuccedent feliciter & ex voto. Ex his quædam digna viſa ſunt, quæ decretorum nomine donata magis ſic firmarentur & fulcirentur. Hæc igitur eadem, quæ vobis ipſis probata fuerunt, nunc mittimus typis excuſa: vos iterum atque iterum monentes, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtantes, ut Eccleſiaſticarum legum, ſynodaliumq; decretorũ exſecutioni conſtanter & fortiter incumbatis: in hæc enim totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ cardo volvitur. Sic fiet, ut muneri vobis à me injuncto ſatisfaciatis, noſtræ de vobis conceptæ exſpectationi reſpondeatis, & tandem (quod caput eſt omnium) omnipotenti Deo, animarum veſtrarum judici, placeatis.

DECRETA DIOECESANÆ SYNODI VALENTINÆ.

DECRETUM I.

Titulares Confraternitatum imagines in ſacris locis deinceps reponantur.

GRaviter ægreque fert tota hæc Synodus, quòd Confraternitatum imagines, pluribus nominibus inſignes, & in quas populus propenſiori affecto eſt, in noſtra tamen urbe minus decenter quàm par eſt, habeantur. Inducuntur enim in cerdonum domos, & in eorum officinis, ſutrinis nimirum aut textrinis, collocantur, in quibus artes quæſtuariæ, ac ſordida opificia exercentur, & merces profanæ venditantur: aliquando etiam in œnopoliis aſſervantur: & non rarò in cubiculis, in quibus ſtratis lectis noctu cubatur: & alia his ſimilia contingunt, quæ honori & reverẽtiæ talibus imaginibus debitæ parum congruunt. His accedit, quòd ad nimiam ſolitudinem jam redactis Eccleſiis parochialibus, ſabbatho ad veſperaſcente ad profanas illas laïcorum ædes à tota vicinia concurritur: ibiq́ue *Salve Regina*, gaudia, & aliæ precationes à cantoribus & cithariſtis decãtantur quaſi in ſacris ędibus. Immo etiam novem-diales itiones fœminarũ ſupplicandi aut voti exſolvendi cauſsâ ad officinas illas, poſthabitis templis, itantium & ventitantium eſt videre. Decurſo verò anno, prędictæ ima-

imagines ad alterius opificis domum traducuntur ſub umbella vel pallio, per vias ornatas quidem tapetibus & aulæis, ſed ſine clero, magna comitante caterva fabrorum, qui in illa pompa cleri officium uſurpant. Quæ omnia oculos eorum qui piè de rebus Eccleſiaſticis ſentiunt, vehementer offendunt. Quamobrem nos prædictarum imaginum venerationi ſtudentes, & Eccleſiarum zelo tacti præcipimus, ſub latæ ſententiæ excommunicationis pœna (Synodo univerſa non modò approbante, ſed applaudente & acclamante) ut titulares Confraternitatum imagines deinceps in locis tantùm ſacris, quæ confratres ipſi ſuo arbitrio delegerint, reponantur: nec in laïcorum domos reducantur ſervandæ. Præpoſitis verò Confraternitatum qui prædictas imagines in ſuis domibus nunc retinent, ſub eadem pœna mandamus, ut intra triduum poſt hujus decreti promulgationem in ſacra loca transferant. Inſuper Confraternitates omnes monemus & amanter hortamur, ut prædictis ſuis imaginibus non minorem deinceps in Eccleſiis honorem deferant, quàm antea in ſuis ipſorum domibus, ſed parem, aut etiam ampliorem.

DECRETUM II.

Mulierum operariarum officium tollatur de Eccleſiis.

ACcepit hæc Synodus à multis fide dignis, quàm magnis ſumptibus atque impenſis fœminæ in templis operariæ dictæ, quę ad feſtum Aſſumptionis B. Mariæ menſe Auguſto celebrandum eliguntur, munus illud ſuum tum in muſicis & ſuffimentis, tum aliis in rebus peragant. Dolet etiam plurimùm propter tumultuoſum multorum ad hujuſmodi feſtum concurſum, oblata impuris & parum religioſis occaſione, abuſus aliquot in divina templa irrepſiſſe. Cupiens itaque Synodus malis hujuſmodi mederi, quibus maximè Deus offenditur; & ipſos etiam parochiarum incolas tot ſumptibus liberare; ſtatuit neotericum hoc mulierum munus exterminare ab urbis Valentiæ templis. Præcipimus igitur, Synodo ſuadente, ne in poſterum intra Valentię urbis mœnia ad prædictum ſacræ Mariæ feſtum operariæ hujuſmodi eligantur, & quæ anno hoc electæ ſunt, ab eo officio deſiſtant. Volumus etiam deinceps, quò magna hæc feſtivitas antiquum ſplendorem retineat, rectorem aut rectoris loco vicarium unà cum clericis aliquot, & cum eo qui patinam Deiparæ virginis toto anno circunfert, domos totius parochię maturè circumire, adventante feſtivitate prædicta, petituros eleemoſynam, à tenuibus quidem tenuem, à ditioribus verò aliquantò pinguiorem. Sed præcipuè eas quæ hoc anno delectæ jam erant operariæ, & reliquas quæ ea conditione ſunt, ut ſperare debeant ſe ad hoc munus eſſe vocandas, hortamur, ut pro immenſis ſumptibus qui eas manebant, eleemoſynam quotannis largiantur paullò copioſiorem. Cæteros etiam parochianos, tum viros tum mulieres, monemus, ut alacri animo, & pro innato Valentinæ genti in divam Virginem ſtudio, ad ſolennitatem hanc B. Mariæ, totius anni celeberrimã accurrant, ſublatis jam offendiculis ad quæ antea intra templa ipſa impingebatur. Admoneatur etiam maturè patinifer prædictus, curam hujus magnæ feſtivitatis ad eum præ cęteris in parochiis intra urbis Valentinæ muros poſthac ſpectaturam.

DECRETUM III.

Vicarii ad omnes diſtributiones admittantur.

IN cunctis Eccleſiis noſtrę diœceſis vicarii, quoniam quaſi pro-rectores ſunt, admittantur ad omnes manuarias diſtributiones tamquam Beneficiati. Quippè benigna hæc in vicarios indulgentia jure optimo debetur, frugifero, immo verò neceſſario miniſterio, quo illi in Eccleſia Dei funguntur.

DECRETUM IV.

Miſſę à parochis diebus Dominicis & feſtis ſemper pro populo celebrentur.

REctores & vicarii, qui Miſſas pro populo celebrare tenentur, ne credant ſuo muneri atque obligationi feciſſe ſatis, ſi diebus Dominicis & feſtis Miſſam dixerint nuptialem, ſeu pro præſenti corpore: immo verò prædictis diebus, Dominicis inquam & feſtis, debent Miſſam pro populo eis commiſſo celebrare.

DECRETUM V.

De foſſore.

QUoties exportandum eſt funus in alterum oppidum, placuit Synodo ob multas cauſſas, eaſdemque æquas, exportari comitante etiam libitinario ſeu effoſſore ejus parochiæ, unde funus effertur. ejus enim opera in funebri illo comitatu paſſim neceſſaria eſt. foſſoris diaria merces octo ſolidi ſint.

DECRETUM VI.

De tabella novo Præfecto operum proponenda.

IN Hierophylaciis ſeu ſacriſtiis tabella ſuſpendatur, aut parieti affigatur, in qua ordine deſcribantur omnia, quæcumque ad Præfectum operum Eccleſiæ illius pertinent officio: atque rector, ſeu etiam vicarius, teneatur novo operum Præfecto illam tabellam ineunte anno indicare, & totam explanare: quo Præfectus operum annuum munus ſtatim plenè edoceatur: nec in via quam ingreſſurus eſt, aberret per inſcitiam.

DE-

DECRETUM VII.

Scholanorum cœlibatus.

TEmplorum miniſtri illi, quos *ſcholanos* vocamus, non modò ſacras veſtes ex officio contrectant, complicantes & explicantes, crucem etiam ſuæ Eccleſiæ erectam publicè deferentes; ſed ſubinde munere funguntur proximo iis qui ſacris ordinibus ſunt initiati. Quare æquum & cum ratione conjunctum eſt, ut ſe mundos corpore exhibeant, tamquam Eccleſiæ quoque miniſtros, præſentéque ſe dignos Eccleſiaſtico illo, quo funguntur, miniſterio. Prohibemus igitur deinceps ædituos ſeu ſcholanos noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ, atque etiam Collegiatarum Eccleſiarum Setabenſis & Gandianæ, eſſe conjugatos. Præcipimus etiam in cæteris Eccleſiis noſtri Archiepiſcopatus, in quibus hoc ipſum poſſit non in commodè obſervari, curent rectores cæteriſque curati, ſcholanos cœlibes habere.

DECRETUM VIII.

In quarta ceræ quæ parochiæ futura ſit ſecunda.

AD impediendas controverſias quæ oriri poſſent, volumus, volente Synodo, quando funus parochiani defertur extra ſuam parochiam vocatis aliis parochiis, parochia illa ex qua funus effertur, locum occupet digniorem: reliquæ verò parochiæ procedant pro ſua quæque antiquitate. Ad hæc in funerali quarta ceræ primæ partes ſint ejus parochiæ, ex qua funus effertur: ſecundæ ejus in quam infertur.

DECRETUM IX.

Miſſæ quæ non celebrantur à proprio Beneficiato, deſcribantur in libro Rationalis.

MIſſæ quas ſinguli Beneficiati annis ſingulis pro Beneficiis debent, quando quacumque ex cauſſa non celebrantur ab ejuſdem Beneficii Beneficiato, ſcribantur omnes in codice Rationalis, atque earum ſtipendium penès collectorem ejuſdem Eccleſiæ ſit, ut utriuſque auctoritate atque voluntate Miſſæ illæ diſpenſentur, & celebrentur; nec liceat in poſterum prædicto Beneficiato pro ſuo arbitratu Miſſas illas cuiquam committere celebrandas.

DECRETUM X.

Excommunicatus ad reincidentiam quando ſit denuò publicandus.

CUm excommunicatus, & à parocho publicatus, prorogationem & abſolutionem obtinuerit ad tempus, parochus decurſo illorum dierum ſpatio non teneatur ampliùs illum in pulpito publicare, donec ab ipſo judice, qui dedit prorogationem, jubeatur per novas literas iterum publicare, non obſtante ſuperioris Synodi decreto.

Doctores qui examini præficiuntur.

SAcri Tridentini Concilii decreto obtemperantes, eorum examini qui vacaturis Eccleſiis ſunt præficiendi, ſequentes ſacræ Theologiæ Doctores, approbante Synodo, deputamus, quorum nomina ſunt:

Doctor Franciſcus Barbèr canonicus Valentinus.
Doctor Eugenius Tudela canonicus Valentinus.
Doctor Jacobus Ferruz Præpoſitus Eccleſiæ Valentinæ.
Doctor Geneſius Caſa-nova præpoſitus Eccleſiæ Valentinæ.
Doctor Antonius Galan rector Sancti Stephani.
Doctor Petrus Joannes Aſſenſius rector Sancti Bartholomæi.

Judices qui cauſſis Eccleſiaſticis præponuntur.

AD cauſſas verò Eccleſiaſticas & ſpirituales quæ ad forum Eccleſiaſticum pertinent in partibus à Sede Apoſtolica vel ejus Nunciis vel Legatis committendas, ſequentes in hac diœceſi Valentina à Synodo nominatur: (declarat autem Synodus, quoties novi judices cauſſarum Eccleſiaſticarum in Synodis Diœceſanis nominantur, cæteros omnes ipſo facto ab eo officio deſiſtere & ceſſare)

Don Federicus à Borgia archidiaconus & canonicus Eccleſiæ Valentinæ.
Don Michaël Vich ſacriſta & canonicus Eccleſiæ Valentinæ.
Doctor Ægidius Roda canonicus Eccleſiæ Valentinæ.
Don Petrus Andrès Commendator S. Antonii.

SYNO-

SYNODUS ORIOLANA,

CELEBRATA PRÆSIDE ILLUSTRISS. ET REVERENDISS.

D. JOSEPHO STEPHANO,

ORIOLANO ANTISTITE,

ANNO DOMINI MDC.

JOSEPHUS STEPHANUS EPISCOPUS ORIOLANUS Presbyteris & Clero noſtræ Eccleſiæ Cathedralis, totiuſque Diœceſis Oriolanæ, ſalutem in Domino.

SIngulari profectò Dei munere factum eſt, ut poſt tot laborum & difficultatum procellas, quas ut denſiſſimas tenebras ſol, ſic miſeratio divina diſſolvit, demus jam vobis, filii chariſſimi, *typis excuſſa, quæ ex ſacroſancti Tridentini Concilii præſcripto, ad Eccleſiarum noſtrarum cultum, debitumq; regimen, vel reſtituendum vel propagándum, in Synodo II. Oriolana decrevimus. Habetis ergo quaſi publicum horreum bonorum omnium ad publicam utilitatem & decus, varietate abundè refertum, quæ vobis in Chriſti viſceribus ſolicitè miniſtravimus, ne quicquam deeſſe poſſet ad Chriſtianæ pietatis officium. Sed quoniam quantò eſt obedientia officii præceptione præſtantior, tantò major eſt obedientium, quàm legumlatorum commendatio; ideo curate vos omnes, quo maximo poteſtis & debetis obſequio, ut non tam noſtra in proferendis decretis paterna erga vos cura, & debita paſtoralis officii functio, quàm prompta veſtra voluntas, probitas, & decretorum omnium obſervantia prædicetur. Vos verò vicarii omnes, rectores, curati, & presbyteri, curam animarum gerentes,* quos elegit Dominus, ut ſtetis coram eo, & miniſtretis illi, colatiſque eum, & cremetis ei incenſum, *efficite, ut idem ſubditorum omnium in obſervandis & exſequendis decretis, ac ſynodalibus conſtitutionibus pietatis & obedientiæ ſtudium, par ad virtutem ardor eluceat: ne errata populorum vobis, quorum intereſt illos in officio continere, attribuantur: ſicuti cùm horologium perperam horas ſignificat, culpam illi conferimus, cujus curæ & gubernationi commiſſum eſt. State igitur accincti lumbos mentis ac corporis auro puriſſimo caſtitatis, nitidi, læti, alacreſq; ad imperata ſervanda, agnoſcentes, vos non hominibus, ſed cordium inſpectori Deo viventi miniſtrare, quem ex animo colere oportet, ut ſuavitatis incenſum veſtrarum orationum ac operum, & vitæ anteactæ labores offeratis, quibus populum ad virtutem erigere, & Chriſti Domini ſuaviſſimos odores afflare poſſitis. Id hortabatur Judith fœmina ſanctiſſima, ut populi animos timidos, & à pietatis ſtudio prolapſos accenderet:* & nunc fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite. *Quod ſi verbis corda excitantur, & lubricæ cupiditates majorum vocibus coërcentur, quantò magis exemplo, gravitate, conſtantia? Quæ planè non optamus ſolùm, ſed certè pro noſtro in vos ſtudio, & paterna pietate à vobis exigimus, qui teſtes fuiſtis locupletiſſimi noſtræ curæ, noſtræ operæ, noſtræ ſolicitudinis, quam ad ſpiritualia hujus Diœceſis commoda, & ornamenta contulimus. Bene valete in Domino, à quo vobis virtutum omnium progreſſum, & cœleſtis gratiæ cumulum perpetuò deprecamur.*

SESSIO PRIMA.

Die IV. menſis Octobris habita, & die V. ejuſdem in Eccleſia Cathedrali promulgata.

CAPUT I.

De receptione ſacri Concilii Tridentini, Pontificalis Romani, & aliarum literarum Apoſtolicarum.

IN hac ſecunda venerabili Synodo Oriolana, non ſolùm ſacroſanctum Tridentinum Concilium, ad hæreſes evellendas, & mores informandos inſtitutum, admittimus; ſed etiam ſanctiones, regulas, ordinationes, conſtitutiones, & decreta omnia à ſancta Sede Apoſtolica emanata & publicata, quantum in nobis eſt, publicè & palam amplectimur. Literas quoque Apoſtolicas, quæ in Cœnæ Domini die legi ſolent, quotannis in noſtra Cathedrali Eccleſia, & in aliis hujus diœceſis locis publicari & evulgari mandamus.

Pontificale etiam S. D. N. Clementis VIII. juſſu emendatum, & editum, juxta illius ſeriem, ordinem, & tenorem, in noſtra Cathedrali, collegiata, & in reliquis noſtris Eccleſiis recipi & admitti, ritus omnes & cæremonias in eo præſcriptas, ab omnibus etiam Dignitatibus,

& canonicis noſtrarum Cathedralis & Collegiatæ, aliarumque Eccleſiarum rectoribus, & presbyteris, obſervari & retineri ſtrictè præcipimus.

Provinciale quoque Concilium Valentinum, ut eſt à Sede Apoſtolica emendatum, & primam Synodum Oriolanam à Reverendiſſimo D. Gregorio Gallo, primo hujus Sedis Epiſcopo, anteceſſore noſtro, habitam, libenter admittimus, exceptis his conſtitutionibus, quæ in hac noſtra ſecunda Synodo, pro temporum varietate corriguntur.

Proceſſionale, & Ordinarium Valentinum, abrogato Carthaginenſi, in noſtra diœceſi ſervandum volumus, donec aliter à nobis diligentiùs fuerit conſultum.

Conſtitutiones item omnes, ſtatuta, ordinationes, & decreta, quæ litibus occaſionem ſuppeditare poſſunt, & ſine auctoritate & approbatione, vel noſtra vel anteceſſorum noſtrorum, huc uſque ſancita ſunt, ut in cap. 4. primæ Synodi Oriolanæ decretum eſt, abolemus, caſſamus, abrogamus, eaque nulla, caſſa, & inania judicamus ac declaramus.

Nullus verò, cujuſcumque dignitatis exſtiterit, ſtatuta ſibi propoſita juret, niſi illis integrè viſis, lectis, auditis.

Nullus item ſtatuta damnoſa, aut Eccleſiæ dignitati contraria, jurare, vel à ſuo jure decedere, ipſique renunciare, poſſeſſionis non aſſequendæ metu, ab aliis compellatur: alioquin eos, qui ejuſmodi juramenta exigere & extorquere contendent, tamquam felicis recordationis Gregorii XIII. conſtitutionis 103. quæ incipit: *Inter Apoſtolicas.* [b] violatores, graviſſimè puniendos eſſe decernimus.

CAPUT II.

De perſonis, quæ fidem profiteri tenentur.

CAtholicam fidem amplecti, & ex intimo cordis affectu ſuſcipere, ac edocere debent, non modò verbi Dei concionatores; ſed etiam ii, qui privatis confeſſionibus, & monitis pœnitentes inſtituunt. Qua de cauſſa jubemus, ne poſthac quis, tam regularium quàm ſæcularium, audeat ſacras confeſſiones audire, aut verbum Dei, etiam in privatis ſuis domibus, populo proponere, niſi priùs ante nos Fidei profeſſionem emiſerit. [c] Qui verò ante hanc Synodum electi & approbati à nobis jam fuerunt, intra duos menſes ab hujus ſtatuti publicatione, illam ante nos profiteri teneantur.

Volumus autem, ne rectores animarũ quemquam, tàm ſæcularium quàm regularium, ad concionandum, & ad confeſſiones audiendas admittant, niſi ipſis per publicas noſtras literas, expreſsè de Fidei emiſſæ profeſſione conſtiterit.

Proviſi quoque de canonicatibus, & Beneficiis curam animarum habentibus, à die poſſeſſionis adeptæ intra duos menſes, juxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſs. 24. cap. 12. in manibus noſtris Fidei profeſſionem ſpondeant ac jurent.

Clerici item, ad titulum ſui patrimonii, vel Beneficii in poſterum ordinandi, antequam ſacris ordinibus initientur, & poſtquam fuerint initiati, in priori futura Synodo Diœceſana, Fidem profiteri teneantur.

Magiſtri etiam, qui teneram pueritiam & rudem juventutem inſtituunt, initio cujuslibet anni, juxta ſacri Concilii Tridentini decretum, ſeſs. 25. cap. 2. ad id præſtandum, ſolenni juramento adſtringantur: alioquin ſi prædicti omnes id facere neglexerint, vel recuſaverint, prout juris fuerit, puniantur.

CAPUT III.

Qui doctrinam Chriſtianam docere, qui memoriter tenere debeant.

HOrtamur parochos, & curam animarum exercentes, juxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſs. 24. cap. 4. ut ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, per ſe ipſos, & non per interpoſitas perſonas, horis pomeridianis, pueris diſtinctè Fidei rudimenta vulgari ſermone tradant, [d] & Confraternitatem doctrinæ Chriſtianæ, juxta Pii V. conſtitutionem 156. quæ incipit: *Ex debito paſtorali.* & aliam Gregorii XIII. num. 11. quæ incipit: *Illius.* in parochialibus Eccleſiis jam à nobis inſtitutam, diligentiſſimè promoveant, & ad ſonum campanæ pueros & puellas, præpoſitis ad id viris ætate & pietate majoribus, convocent, & præmiis & munuſculis alliciant. Quòd ſi negligenter in hac re tanti momenti ſe geſſerint, pro negligentia ſua duobus ducatis mulctabuntur.

Illis verò, qui ad ſuorum peccatorum confeſſionem accedent, [e] niſi rectè & expreſsè Dei mandata memoriter tenuerint, ac Dominicam orationem, & ſalutationem angelicam, necnon Symbolum Fidei, & cætera quæ ad catechiſmum ſpectant, integrè recitaverint, abſolutionis ſacramentum nulla ratione conferatur.

Curent confeſſarii explorare pœnitentium animos, eoſque ad rem ſuæ ſaluti imprimis neceſſariam excitare, ut in catecheſi perdiſcenda ſedulam operam impendant.

Moriſchi præterea, cùm innumeris ſuis erroribus, quos à majoribus imbiberunt, impediantur, quominus ſtudioſè & ex animo noſtram religionem Chriſtianam diſcant, majori diligentia ad orthodoxam fidem perducendi erunt. Qua de cauſſa ut libentiùs & celeriùs Chriſtianam doctrinam, nuptiarum occaſione, perdiſcant, conſultiſſimum duximus [f] ut quos parochus

---

[a] Ex Bulla Pontificalis Romani. [b] Ex Bullario Rom. p. 1.
[c] Ex decreto Concilii Mediolanen. lib. 1. tit. 1. cap. 10. ex declarat. congreg. Concilii Trid. ſeſs. 24. cap. 4. *In compendio privileg. Fratr. Minorum.* verb. *Profeſſio Fidei.*
[d] Conc. Trid. ſeſs. 22. cap. 8. *De Sacr. Miſſæ* & ſeſs. 24. cap. 7. *De reform.* [e] Infrà cap. 21. [f] Ex decret. Concil. Mediolanen. lib. 4. tit. *De ſponſal.* cap. 26.

ochus futuros ſponſos rudimenta Fidei viderit ignorare, inconſultis nobis matrimonio minimè conjungat.

CAPUT IV.

Parochi Moriſchorum diligentem operam in eorum converſionem impendant.

QUI ſeminat, rigat, aut plantat, non eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus, qui fructuum ubertatem in beneplacito ſuo largitur. Nos igitur licèt in hac diœceſi ſeminare Dei Euangelium, & frequenti concionum irrigatione, inſerere Dei virtutem atque doctrinam in Moriſchorum cordibus ſtuduimus; nihil tamen aſſequnti ſumus ex nobis, quaſi ex nobis; ſed ille perfecit, qui vocat ea quæ non ſunt, & omnibus rebus in tempore ſuo tribuit incrementa virtutum. Cujus quidem pietate factum eſt, ut jam omnes totius noſtræ diœceſis Moriſchi à Chriſtianis novis orti, barbaras veſtes exuerint, peregrinum ornatum à majoribus acceptum ſpontè abjecerint, & multi peccata ſua, & impios errores Machometanos, in utroque foro, & verbis & ſcriptis deteſtati fuerint, maxima cum lacrymarum profuſione. Eorum igitur ſtudium in Domino commendantes, exhortamur rectores, ut poſthac majori ſtudio & cura contendant, hoc egregium factum & incœptum ad Dei laudem promovere, orationibus inſtare, precibus diu noctuque exorare Dominum, ut radicitùs ab illorum cordibus errores evellat, quorum jam animos emollire, & mentes Fidei ſplendore illuſtrare cœpit. Fungantur igitur nunc ſtrenuè ſuo munere ſacerdotali, paſtorali fuæ ſolicitudini ne deſint, nec moleſtiis anguſtientur, nec laboribus defatigentur aut frangantur, ſed charitatis & pietatis viſceribus dilatentur, & patientia, modeſtia, & manſuetudine proficiant: avaritiam, ambitionem, temporalium ſolicitudinem fugiant, ſoli animarum lucro & utilitati pervigilent, ut tardos ac lentos noſtrorum ſubditorum animos urgeamus, atque eos qui jam ſemel Eccleſiæ adſcripti ſunt, in cœleſtem patriam inferre poſſimus.

CAPUT V.

Ne ſacrum baptiſmi vas ſit fictile, aut luteum.

VAS, ſeu labrum, ſive baptiſterium, in quo ſacra aqua baptiſmatis continetur, fictile, & ex creta decoctum eſſe non debet, ſed lapideum, tum ob materiæ firmitatem, tum ob myſticam ſignificationem, qua apertè edocemur, ſpiritales aquas baptiſmatis ex petra, quæ Chriſtus eſt[g], emanâſſe, & eas conſequente, Chriſti ſcilicet permanente & aſſiſtente virtute, ad fidelium regenerationem, & ad remiſſionem peccatorum, amnes perpetuarum gratiarum effluxiſſe. Qua propter jubemus, ut à noſtris Eccleſiis parochialibus, intra ſex menſes, vaſa omnia terrea & fictilia, in quibus nunc ſacrum lavacrum continetur, explodantur, & ex duro lapide fiant: quæ ſerâ muniantur firmiſſimâ, & exteriùs mundis linteaminibus, ac lampade accenſa decenter ornentur: cùm in eo loco per lavacri virtutem Jeſu Chriſto noſtrę ſaluti auctori ſpiritaliter inſeramur.

Vas verò ſeu patella, quâ baptizatorum capitibus aqua infundi tur, lignea, aut terrea, aut cuprea, aut ærea, quæ rubiginem contrahit, nequaquam fiat, ſed ex argento confletur, ad tantæ rei ornatum, & ſacramenti ſplendorem.

CAPUT VI.

Ad ſacramentum Baptiſmatis patrini ſalem, cereos, & alia neceſſaria adferre debent.

ADminiſtratio ſacramentorum Eccleſiæ ritè ac debitè peragi debet, nihilque quod ad illorum decorem, cultum, & adminiſtrationem pertineat, prætermitti. Quamobrem in ſacramento Baptiſmatis, quod eſt janua cæterorum, qui puerum vel puellam è ſacro illo regenerationis fonte ſuſcepturi ſunt, qui communiter *Patrini* dicuntur, illos ornatè & circumſpectè veſtitos ad Eccleſiam deducere, & ſalem, ac cereum, reliquaque neceſſaria ad baptiſma peragendum, adferre curent. Quos, nos etiam ut id exſequantur, pro noſtra paſtorali cura & ſolicitudine admonemus.

Cerei verò, & faculæ, quæ ad Eccleſiam afferuntur, accendi debent, [h] & juxta cap. 51. prioris Synodi Oriolanæ exhibitâ pro eis pecuniâ, in domum reduci, aut redimi nequaquam debent, ſed in Dei ſervitio & cultu, cui jam dicati fuerunt, inſumantur.

Cùm in baptiſmo ſpiritalis cognatio contrahatur, curet parochus, ne illi patrini deſignentur, qui primi, ut plerumque fit, in via occurrunt, aut vix de facie noti ſunt, & parentibus pueri baptizandi prorſus ignoti: ſed ſolùm eos ad parvulum ſuſcipiendum admittat, qui ſint familiariter cogniti parentibus pueri. Hac enim adhibita cura, ea pericula fugientur, quæ ſolent inter ignotos accidere.

Admoneat præterea illos, juxta ſacri Concilii Tridentini decretum ſeſſ. 24. c. 2. quâ cognationem contraxerint, ut nomen pueri & parentum recordentur, ne ulla poſthac ignoratione excuſari poſſint.

Moriſchi patrinos & ſuſceptores eligant, qui ſuos filios ex ſacro fonte ſuſcipientes, pietatem & religionem illos doceant, ut pium animi affectum & voluntatem adſcribendi filios ſuos Chriſtianorum numero exhibere videantur.

CA-

g 1. Corint. 10. Ex Synodo Ilerdenſi apud Burchardum lib. 4. cap. 15. *De conſecrat. diſt. 4. cap Omnis presbyter*

h Nazianzenus orat. ad Sanctum Baptiſma. Gregor. Turon. lib. 5. *Hiſtor. cap. 11.*

CAPUT VII.

Ut ſingulorum, quì confirmantur, ſinguli ſint ſuſceptores.

HYginus Papa ſanctiſſimus, Eccleſiæ Romanæ conſuetudinẽ laudans,[i] voluit ne unus eſſet omniũ confirmandorũ ſuſceptor, niſi id neceſſitas coëgiſſet. Nos verò ejuſdẽ Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem imitari cupientes; poſthac præcipimus, ut ſingulis pueris ſinguli in confirmatione ſuſceptores, ac fidei-juſſores deſignentur, qui pueros pietatem & religionem doceant, & ad virtutem exemplo ſuo & religioſis moribus inducant.

Pueri, niſi ſeptennio majores, ad Confirmationem minimè ducantur: cùm deceat eos tanti ſacramenti meminiſſe.

Nullus audeat libros, in quibus baptizatorum, confirmatorum, & ſponſorum nomina deſcribuntur, ab archivo Eccleſiæ extrahere, aut alicui commodato dare, ut ſine præſentia parochi evolvantur. Qui ſecus fecerint, excommunicationis pœnam incurrant: cùm ex ejus rei negligentia vel dolo graviſſimè in hac diœceſi lites excitatæ fuerint.

CAPUT VIII.

Ne in privatis oratoriis Miſſæ recitentur.

LIcentias omnes, quæ ab anteceſſoribus noſtris, vel à nobis conceſſæ ſunt, ut in privatis oratoriis, vel ſacellis, vel eremitoriis privatæ Miſſæ recitentur, omnino revocamus: cùm experimento compertum ſit, hac occaſione ſeculares in Dei cultum negligentiores effectos, parum in pietate profeciſſe; rarò ſuas parochias frequentâſſe, ubi verbi Dei conciones haberi ſolent, quæ maximè ad laïcorum utilitatem, & Fidei propagationem conducunt. Quare ſtrictè præcipimus, ut quæ in cap. 10. primæ Diœceſanæ Synodi Oriolanæ ſancita ſunt, diligentiſſimè ſerventur.

CAPUT IX.

De iis, quì jurgiorum occaſione altaria nudant, aut Eccleſiaſtica officia perturbare præſumunt.

NON poſſumus non graviter, juxta Concili XIII. Tolet. cap. 7. decretum, adversùs eos ſacerdotes commoveri, qui moleſtiâ fraternæ contentionis impulſi, aut aliqua litium amaritudine permoti, magno cum totius populi ſcandalo, altaria nudant, eaque ſacris veſtibus exuunt; cappellas occludunt, luminaria ſubtrahunt, ornamenta, libros chori, & miſſalia occultant, & divini ſacrificii cultum controverſiarũ occaſione, præpediunt. Quamobrem ſub excommunicationis pœna præcipimus, ut de cætero ſacerdotes, quocumque nomine & dignitate cenſeantur, & aliæ quævis perſonæ, ſe ipſos ab hujuſmodi abuſibus temperent, neque prohibeant ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in altari majori noſtrarum Eccleſiarum, vel in aliis altaribus offerri, & ſuffragia eo in loco exhiberi, ubi major eſt Chriſtiani populi frequentia atque concurſus.

Volumus autem, ut in Eccleſiis, dum ſacræ orationes à presbyteris recitantur, aut pro animarum ſuffragiis publiæ preces funduntur, inſtantiæ vel proteſtationes coram notario & teſtibus, maximè adversùs Eccleſiaſticas perſonas, nullatenus fiant: ne jurgiis forenſibus ſacra officia perturbentur.

Nuncii quoque noſtræ curiæ, ſacerdotes, aut alios quoſcumque ſacris ordinibus initiatos, in Eccleſia non citent, nec quamdiu in ea exſiterint ad judicium vocent; nec ibi eos capiant; aut ab ea, dum ſacræ functiones peraguntur, extrahant; cùm id Eccleſiaſtica immunitate indigniſſimum videatur.

CAPUT X.

Pro eleemoſyna Miſſæ tres ſolidi conferantur: & quo pacto Miſſæ diſtribui debeant.

EX caritate annonæ, quæ ſingulis diebus ingraveſcere ſolet, eò inopiæ, & rerum egeſtatis deventum eſt, ut nullus jam ſacerdotum ea quæ ad tenuem victum, & ſimplicem veſtitum neceſſaria ſunt, abſque maximo ſuæ vitæ incommodo & ſumptu comparare poſſit. Quæ rerum indigentia ſi illorum tempore accidiſſet, qui pro celebrandis Miſſis tam tenues eleemoſynas decreverunt & aſſignârunt, augendas quidem illas eſſe exiſtimâſſent, ne Chriſti ſacerdotes mendicare, & in victu & veſtitu quærendo, plus operæ quàm deceat, ponere cogerentur. His igitur incommodis Metropolitanę, & aliarum Eccleſiarum, in quibus huic rei maturè conſultum eſt, exempla imitati, pro noſtra paſtorali cura occurrere, & opportunè mederi cupientes; hoc præſenti decreto, pro qualibet Miſſa privata, trium ſolidorum; pro Miſſa verò votiva ſolenni, vel nuptiali, vel quæ in defunctorum ſepulturis decantari ſolet, peragenda, quatuor ſolidorum eleemoſynam aſſignamus.

Nullus verò ſacerdos, quocumque dignitatis nomine cenſeatur, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, audeat, juxta Provinciale Conciliũ Valentinũ ſeſſ. 3. cap. 7. plures[m] eleemoſynas pro recitanda una Miſſa percipere, nec aliis ſine noſtra licentia conferre: ſed ſi quæ ſibi votivæ Miſſæ commiſſę fuerint, ſtatim ſub eadem pœna, eas in libro huic rei deſtinato deſcribere, & rationali, vel capſoverio denunciare teneatur.

Rationalis, vel capſoverius Miſſas eo ordine

&

---

i *De conſecrat.* diſt. 4. cap. *In Catechoſi.* k Ex Catechiſmo Romano. l *De conſecrat.* diſt. 1. cap. *Vnicuique.* Conc. Pariſien. lib. 3. c. 6. Conc. Trid. ſeſſ. 22. decret. *De obſer. & vitan.* & ibi congreg. Card. Navarrus c. 25 n. 81. m Navarr. cap. 25. nu. 92.

& diſtinctione deſcribat atque diſtribuat, ut uniuſcujuſque preſbyteri ſingulis hebdomadibus Miſſas votivas computet, cogitetque ſingulis annis rationem viſitatoribus noſtris ſe eſſe redditurum [a].

Nullus verò parochus, Rationalis, vel capſoverius, aut alius quiſpiam, cujuſcumque dignitatis exſtiterit, poſſit eleemoſynas Miſſarum, quæ ſuperſunt, aliis ſacerdotibus tribuere, ſine noſtra in ſcriptis expreſſa licentia. Si ſecus fecerit, in duplum tot eleemoſynas Miſſarum reſtituet, quot ipſe propria auctoritate contulerit.

Nullus alterius nomine Miſſas audeat ſubſcribere, nec alterius manum imitari & effingere, nec omnes ſimul Miſſas eadem ſerie, die, & nota conſcribere, ut fraus tollatur; ſed unuſquiſque ſingulas quas recitaverit, ſingulis diebus denotet Miſſas: alioquin eleemoſynâ earum Miſſarum, quæ ab ipſo aliter peractæ ſunt, careat; & ſi fraudem fecerit, pro ratione delicti graviter plectatur.

CAPUT XI.

De reductione Miſſarum, & de aliis piis Eccleſiæ obſequiis.

ET quoniam experimento conſtat, in hac noſtra Epiſcopali ditione, quamplurimas Miſſas ſupereſſe celebrandas, quæ ob ſacerdotum paucitatem atque penuriam, nec hactenus peractæ ſunt, neque nunc peragi poſſunt; propterea, ne piæ teſtatorum animæ tot ſuffragiis deſtituantur, & conſcientiæ illorum, ad quos munus iſtud ſpectat, onerentur; Miſſas omnes, quæ celebrandæ ſuperſunt, hoc præſenti decreto è ſacri Concilii Tridentini auctoritate ſeſſ. 25. cap. 4. reducimus in anniverſaria perpetua, aut diſtributiones quotidianas, quæ choro ad horas canonicas recitandas intereſſentibus diſtribuantur, aut in alia pia opera noſtra voluntate & arbitrio exponenda, quemadmodum pro qualitate & neceſſitate cujuſcumque Eccleſiæ, magis expedire judicaverimus. Interim eos omnes, qui ejuſmodi commoda & emolumenta percepturi ſunt, obſecratos in Domino & admonitos volumus, ut intelligant [b] ſe ſe devinctos eſſe ad orandum, & commemorationes pro illis recitandum, qui pia legata pro ſuarum animarum ſalute reliquerunt, eaque onera ſubire debere, quæ à nobis in viſitatione impoſita fuerint. Nam eleemoſynas omnes collectas & coacervatas pro Miſſarum celebratione, quæ peragendæ ſuperſunt, pro Eccleſiæ dignitate deſignabimus.

Curati, ſive Rationales, vel capſoverii viſitatoribus noſtris exponere teneantur ſingulis annis, juxta Provinciale Concilii Valentini [c] ſeſſ. 4. cap. 13. decretum, quantus Miſſarum nondum celebratarum numerus in ſuis parochiis ſuperſit: qui non paruerint, trium ducatorum mulctæ fiant ſubjecti.

Onera verò Beneficiis & cappellaniis hactenus impoſita, cùm plura ſint quàm à ſacris altaris miniſtris ſuſcipi ac ſuſtineri poſſint; hoc præſenti decreto pro reddituum quantitate imminui, & aliqua ex parte amoveri volumus [d], uti hactenus pro reddituum compenſatione imminuimus & amovimus.

Anniverſaria omnia, quæ hactenus inſtituta ſunt, cùm pro eis celebrandis tenuiſſima decem ſolidorum portio in omnes Eccleſiaſticos diſtribuenda, conferatur; ad viginti ſolidorum rationem reducimus in eis Eccleſiis, ubi eſt maxima officiorum frequentia. Volumuſque ne poſthac anniverſaria in noſtris Eccleſiis, in quibus eſt eadem frequentia, inſtituantur, niſi pro quolibet eorum ad minus iidem viginti ſolidorum redditus aſſignentur.

Nulla præterea Beneficia ſeu cappellaniæ de novo in noſtris Eccleſiis inſtituantur ſeu erigantur, niſi illorum dos ita ſit competens, ut duæ partes in diſtributiones quotidianas Beneficiatis, ſeu cappellaneis, divinis officiis intereſſentibus, cedere, & ob illorum abſentiam inter præſentes diſtribui poſſint. Hoc enim conſilio & Dei cultus effloreſcet, & Beneficiati, ſeu cappellanei Eccleſias ſuas frequentiori reſidentia exornabunt.

Beneficiati, aut quivis alii adminiſtratores rerũ Eccleſiaſticarũ, nullos poſſint onerare, vel exonerare Beneficiorum aut adminiſtrationum cenſus, niſi noſtro, vel noſtri vicarii generalis conſilio, conſenſu, & decreto, interveniente, & approbante auctoritate.

Pecuniæ cenſuum, qui exonerari & redimi ſolent, penes Beneficiatum, aut patronum, vel adminiſtratorem non exiſtant, juxta conſtitutionem primæ Synodi Oriolanæ cap. 60. ſed in archivo, aut ærario Eccleſiæ, ſi exſtiterit, recondantur; aut honeſtiſſimo viro, cui tutò credi poſſint, committantur, quem nos, vel viſitatores noſtri, in ſingulis oppidis deſignabimus. Qui ſecus fecerint, decem ducatorum pœnâ puniantur.

Beneficiati, ſi eleemoſynas lucrari voluerint, non alibi, ſed in propriis Eccleſiis Miſſas celebrent, quæ ipſis ex proprio ſuorum Beneficiorum onere incumbunt.

Rationales, & capſoverii deſcribant quas ſinguli presbyteri ex officio ſeu munere, vel ex ſuorum Beneficiorum inſtitutione Miſſas recitare debent, ne illis plures votivas ſupra hunc numerum conferant.

Viſitatores diligenter id animadvertant, & ſi quid negligentiæ aut fraudis commiſſum fuerit, ſeverè puniant.

Beneficiati omnes & cappellanei antequam ad diſtributiones ſuæ Eccleſiæ, & emolumenta percipienda admittantur, debent ſuorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & cappellaniarum inſtitutiones, collationes, poſſeſſiones, annuoſque redditus à majoribus acceptos, in libro ad id compacto deſcribere, vel deſcribi curare. Qui liber in archivo ſeu tabulario, quod in omnibus

[a] Infrà cap. 11. [b] Navarrus. cap. 25. num. 138. Henriquez lib. 9. cap. 22. n. 6. [c] Provinc. Valent. ſeſſ. 3. cap. 7.

bus Eccleſiis noſtræ diœceſis exſtrui volumus atque præcipimus, repoſitus cuſtodiatur.

Teneantur quoque ſtatim, & decimoquinto quoquo anno, cenſuum, reddituum, laudimiæ, & aliorum ſuis Beneficiis perſolvendorum rationem conſcriptam recognoſcere, vel (ut vulgò dicitur) *cabbrevare*: ſi ſecus fecerint, tot Beneficiorum redditus & pecuniæ à Rationali, vel capſoverio retineantur, quot ad rationes, ſeu capibrevia conficienda neceſſarii erant.

Clerici infirmi, qui lecto decumbunt, vel ægritudinis cauſsâ domo egredi non poſſunt, ſi per turnum funus comitari ad ipſos pertineat [q], ſui loco poterunt alios clericos deſignare, ut deſtinatam ſibi portionem lucrentur.

Curent parochi ſub decem ducatorum pœna, intra ſex menſes anniverſaria omnia, & Miſſas perpetuas omnes in album, menſium ordine ſervato, referre, & in eo cauſſas breviter notare, ut inde ratione diligenti ſumma & ordo Miſſarum ſubducatur.

CAPUT XII.

Ne una die plures Miſſæ defunctorum decantentur.

NON decet ſingulis diebus plures Miſſas defunctorum decantari in noſtris Eccleſiis, cùm ſæpè brevitate temporis accidat, ut tumultuariis vocibus, & incompoſito ac indiſtincto cantu omnia perturbentur. Quamobrem jubemus ſub pœna duorum ducatorum, ut de cætero ſolùm unica Miſſa defunctorum ſingulis diebus poſt Primam decantetur, niſi fortaſſe alicujus præſentis funeris tumulatio vel depoſitio acciderit.

In illis Eccleſiis, ubi piorum votis plures defunctorum Miſſæ decantandæ, vel plures duplę, ut vocant, relictæ ſunt; tot illarum loco privatæ Miſſæ pro animarum ſuffragiis, vel pro teſtatoris pia devotione recitentur, quot neceſſariæ erunt ut piorum hominum voluntati ſatisfiat.

Emolumenta, quæ pro decantatione ejuſmodi debebant, cultui Miſſæ conventualis, quę in omnibus Eccleſiis noſtræ diœceſis poſthac ſingulis diebus ſolenniter haberi debet, adjungimus & applicamus.

Diebus Dominicis & feſtivis, ſub eadem pœna, nullæ Miſſæ defunctorum anniverſariæ decantentur, ut cap. 31. prioris Synodi Oriolanæ decretum eſt.

CAPUT XIII.

De vigiliis B. Mariæ Virginis.

EA debet eſſe Chriſtianorum erga Virginem ſanctiſſimam pietas, ut non modò verbis, ſed religionis etiam & pietatis operibus, illam noſtræ ſalutis tutricem ac parentem colamus. Quare ut magis ac magis in ejus devotionem propenſi ſimus, more piarum gentium, quæ Virgini addictę ſunt, in omnibus illius pervigiliis feſtivitatum Purificationis, Viſitationis, Dedicationis ad Nives, Nativitatis, Præſentationis, Conceptionis, Exſpectationis partus ſanctæ Mariæ Virginis, à carnibus abſtinentiam indicimus: cùm in Incarnationis, & Aſſumptionis feſtivitatibus jam ſit ab Eccleſia Romana, matre omnium Eccleſiarum, diſpoſitum, ut hoc pio devotionis affectu, ad ejus miſericordiam obtinendam paratiores ſimus.

Hortamur igitur Conſules civitatum, oppidorum, locorumque noſtræ diœceſis Juratos, & in Domino commonemus, ut pia hac devotione excitati, his nominatis diebus, macella aperta eſſe, ibique carnes diſtribui, ac minimè vendi permittant.

Parochis verò præcipimus, ut populos ad devotionem inducant, eiſque denuncient, quando in honorem Virginis à carnibus abſtinere debeant.

Ut verò populus faciliùs totius anni vigilias dignoſcere, & ſtudioſiùs ſervare, atque ſe ad devotionem & pietatem præparare, nulluſque ignorantiam prętenderre poſſit; jubemus, ut poſt pulſatam orationem animarum, in ſingulis Eccleſiis noſtri Epiſcopatus campana agitetur, cujus peculiaris ſonitus ſubſequentis vigiliæ index & nuncius eſſe poſſit.

Jubemus etiam, ut in omnibus noſtris Eccleſiis, ſicut albeſcente die, & cum adveſperaſcit fieri ſolet; ita meridie, trino campanę ſonitu, ſignum orationis fideli populo detur.

Et quoniam Quadrageſimali tempore, cùm ex conceſſione Bullæ ſanctæ **Cruciatæ**, animæ defunctorum à Purgatorio fidelium orationibus, & ſummorum Pontificum indulgentiis liberantur; plerumque accidit, ut propter populi ignorationem tot piis ſuffragiis animæ juvari non poſſint; proinde in omnibus noſtris Eccleſiis tabellas ad valvas appendi jubemus, in quibus ſcriptum ſit, eo die animam in Purgatorio detentam piis orationibus & ſuffragiis juvari. Præcipimus quoque, ut eodem die ſignum campanæ detur, quo populus admoneri, & ad orationes pro animabus purgatorii fundendas excitari poſſit.

CAPUT XIV.

Ne imagines Sanctorum profano cultu ornentur.

DOlendum eſt, in Eccleſiis, dum proceſſiones habentur, Sanctorum imagines, & maximè Beatiſſimæ Virginis, ita procaci venuſtate, & ſæculari ſplendore ornari, eoque cultu & mundo muliebri, ſericis veſtibus, profanarum fœminarum more, componi; ut ſpectatorum animos non ad pietatem, ſed ad laſciviam & luxuriam inducant. Quapropter ex auctoritate ſacri Concili Tridentini

ſeſſ.

q S. Gregorius lib. 2. Regeſti epiſt. 5. & *De clericis non reſidentibus.* r Decret. Mediolanen. *De pœnitentiis* lib. 5. tit. 6. cap. 23.

ſeſs. 24. *De invocatione & veneratione Sanctorum*; jubemus, ne poſthac hujuſmodi imagines, more aliarum fœminarum, turbinato capillo, aut veſtibus, à profanis mulieribus commodato acceptis, aut ſæculari habitu comptæ, & calamiſtratæ induantur.

Eas verò quæ tam in Eccleſiis, ſive regularibus ſive ſæcularibus, quàm in privatis domibus, profano habitu indutæ repertæ fuerint, omnino amoveri volumus.

Imagunculę quoque parvę, fictili opere confectæ, & fuco conſignatæ, ſi vanitatem & profanitatem præbeant, ad altare ne admoveantur in poſterum.

Geſtorum item Chriſti, & integerrimæ Virginis, & Sanctorum repræſentationes, imagunculis fictilibus, mobili quadam agitatione compoſitis, quas *Tyteres* vulgari ſermone appellamus, eiſdem in Eccleſiis, aut alibi ne fiant, cùm irriſionem potiùs & contemptum, quàm devotionem excitent.

CAPUT XV.

De concionibus, quæ ſingulis diebus feſtivis & Dominicis haberi debent.

CUM diebus Dominicis & feſtivis ſolennibus, plebes paſcendæ ſint verbo Dei, ut earum mentes ad pietatem inducantur; volumus juxtà conſtitutiones ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. ut in noſtris Cathedrali & Collegiata Eccleſiis, & in aliis parochialibus ſacræ conciones habeantur, ut diſcat populus frequenti exhortatione, imitari virtutes, & deteſtari peccata[t]. Quod ut faciliùs fiat, deprecamur in Domino omnes mendicantium Religionum Provinciales, ut ad hanc Oriolanam civitatem, quæ nobilium virorum ſplendore, & plebis multitudine inſignis eſt, & ad oppidum civitatis de Alacant, quod omnes religioſos piè & libenter amplectitur, reliquaque oppida hujus diœceſis populi frequentiâ celebria, in quibus pro ſalute fidelium exſtructa & exædificata ſunt monaſteria, concionatores imprimis exercitatos, & virtutibus decoros tranſmittant, ut pro temporalibus commodis, quę ex his urbibus & oppidis hujus diœceſis colligunt, ſpiritalia viciſſim ſemina reponant. Parochiani quoque qui ſpiritalia commoda percepturi ſunt, ſtudeant diligenter, vel ex fabrica, vel ex collectis viritim eleemoſynis, ſolatia concionatoribus verbi Dei præbere, ut ii faciliùs ad opera ſpiritalia inducantur.

Cùm in Quadrageſimali tempore aliquando contingat, ut conciones ante quinquageſimi pſalmi pœnitentiæ decantationem, qui incipit: *Miſerere mei*. ad populum fidelem, inſtante jam veſpere habeantur, & occaſio inde ac materies præbeatur, ut ex hominum & mulierum concurſu & frequentia, graviſſimæ noctu Dei offenſiones fiant; propterea hortamur in Domino, ne in noſtræ diœceſis Eccleſiis tam regularium quàm ſæcularium, urgente jam veſpere, conciones verbi Dei ad populum fiant, ſed ab hora tertia pomeridiana uſque ad quartam habeantur.

CAPUT XVI.

Adverſus eos, qui dies Dominicos ac feſtos colendos, non obſervaverint.

DIes Dominicos, dies ſanctificatos, & Sanctorum feſta ſolennia, [u] quæ in hac diœceſi obſervari ſolent, quicumque minimè coluerit, ſed in eis opera ſervilia exercuerit, vel officinas apertas habuerit, ut tonſores ſi eiſdem diebus barbas, lucri cauſsâ, comant, furnarii ſi artem furnariam faciant, alii ſi onera imponant, vel exonerent, vel quodcumque opus manuarium exerceant, pœnis, ut moris eſt, ad fabricam Eccleſiæ, & ornamenta perficienda mulctentur. Quòd ſi contumaces fuerint, aliis gravioribus pœnis arbitrio noſtro reſevatis, acerbiùs à nobis, vel à noſtris vicariis, generali & foraneis, punientur.

Agricolis verò vel ſeminandi, vel metendi, & furnariis concoquendi licentia, niſi temporum neceſſitas & annonæ inopia, accedente Juratorum teſtificatione, coëgerint, à nobis, & à noſtro vicario generali, minimè concedatur.

CAPUT XVII.

De Miſſa B. Rochi tempore peſtis ſingulis feriis tertiis celebranda.

PIam populi propenſionem devotionemque in Domino commendantes, maximè hoc tempore, quo peccatis noſtris exigentibus, peſtis in hoc regno Valentino graſſatur, & latè contagione metuenda ſerpit, in B. Rochum confeſſorem in dies augeri & accendi magis ac magis cupientes (cujus veneranda imago coloribus expreſſa, in oppido de Calloſa noſtræ diœceſis, pluries ſudore madida viſa eſt, ejuſque lampas oleo ebullire conſpecta, cujus unctione plurimos fidelium à variis ægritudinibus liberatos eſſe aſſeritur) volumus ut durante hac calamitate, quæ nobis imminet, in tertia feria cujuslibet hebdomadæ, de illo in omnibus noſtris Eccleſiis, Miſſa privata vel publica de uno confeſſore non Pontifice recitetur, & eleemoſynæ quæ intuitu illius imaginis fidelium largitione donantur, in illius exſtruendum & amplificandum eremitorium cedant.

Hortamur itaque in Domino omnes noſtræ diœceſis fideles, ut ſumma animi pietate illius memoriam colant, qui peculiaribus miraculis & ſignis nos conſolari, & totam noſtram diœceſim illuſtrare voluit.

CA-

[t] Concil Provinc. Valent. ſeſſ. 5 cap 9. [u] Ivo Carnot. in Decret. 2. par. cap. 119. *De conſecratione*. diſt. 3. cap. *Jejunium*. Provin. Valentin. ſeſſ. 5. cap. 3.

CAPUT XVIII.

De Miſſa matutinali inſtituenda.

DIuturnâ experientiâ comprobatum eſt, quam plurimos viatorum, necnon eorum qui annonas ad victum neceſſarias in vicis, foro, privatiſque domibus vendunt, diebus Dominicis feſtiſque neglectis, ut iter ſuum aggrediantur, & annonas ſuas vendant, Miſſam nequaquam audire. Quem abuſum ex hominum animis evellere cupientes; ſtatuimus atque ſancimus, juxta decretum primæ Synodi Oriolanæ cap. 31. ut in omnibus noſtræ diœceſis Eccleſiis, Cathedrali, collegiata, & parochialibus, in quibus ſacerdotum fuerit copia, Miſſa matutinalis inſtituatur, quæ albeſcente die celebrari debeat; ad quam audiendam viatores, & qui annonam vendunt, ſonitu campanæ convocentur. Cui niſi interfuerint prædicti, pœnis noſtro arbitrio reſervatis mulctentur, vel probare teneantur ſe eo die rem ſacram audiviſſe. Si quis tribus Dominicis aut feſtivis diebus Miſſæ non interfuerit, juxta decretum 81. Synodi ſextæ, à fidelium communione ſejungatur.

Pauperes quoque qui oſtiatim pecunias colligunt, ad Miſſas audiendas compellantur, tum & ad confitendum, & ſacram Euchariſtiam ſumendam ſtato ab Eccleſia tempore cogantur, ne paupertatis occaſione & prætextu pietatem deſerant.

Pannoſi etiam homines, ſordidi, & abjectiſſimæ conditionis, qui in plateis & foro jacentes, ſeſe, mercedis gratiâ, ad onera ferenda conducunt, à parochis compellendi ſunt, ut diebus Dominicis feſtiſque colendis Miſſæ interſint, & præſcripto ab Eccleſia tempore, cofiteantur, & Euchariſtiam ſumant: ne cùm videant ſe ab hominibus negligi, & pedibus trahi, nullamque ipſorum curam & rationem haberi, ad graviſſima ſcelera audaciores fiant.

Presbytero Miſſam matutinalem celebranti, ſex ampliùs pecuniolæ ex patinis eleemoſynariis conferantur.

Singulis quoque diebus ultima Miſſa, pulſatâ jam horâ undecimâ, recitetur, quæ ſerie quadam, & quaſi per turnum, à presbyteris cujuſcumque Eccleſiæ celebrari debet: quibus eadem eleemoſyna tribuatur, quæ pro Miſſa matutinali confertur.

In his Eccleſiis totius noſtri Epiſcopatus, in quibus ſacerdotum numerus exiguus eſt, ſi tres tamen ad minus exiſtant, jubemus, ut veſpertinæ horæ in ſabbatho, vel vigilia alicujus feſtivitatis colendæ, decantentur in choro, & ſubſequenti die Dominico vel feſtivo Tertia & Miſſa conventualis celebretur, & horis pomeridianis Veſperæ conſuetâ horâ cantentur: alioquin primo futuro emolumento privatos eſſe denunciamus.

CAPUT XIX.

De pœnis adverſùs presbyteros, tam ſæculares quàm regulares, ſi fœminas in confeſſione provocaverint, & de ejus delicti remediis.

IMpium planè & inhumanum ſcelus eſt, quod prorſus natura abhorret, & animus audire reformidat, parentum cum filiabus concubitus atque permiſtio, quam bruta animalia deteſtari, & beſtiæ immanes, omni ratione deſtitutæ, averſari ſolent. Sceleſtiſſimum quoque flagitium eſt, nec à prioris ſceleris atrocitate diſſimile, presbyteros, qui parentum loco à Domino conſtituti ſunt, cum mulieribus, quę illis fuerunt confeſſæ peccata, turpiter commiſceri. In quod nefarium & inhumanum factum graviſſimis pœnis animadvertit Symmachus Papa ſanctiſſimus his verbis: « *Omnes quos in pœnitentia ſuſcepimus, ita noſtri ſunt ſpirituales filii, ut & ipſi quos, vel nobis ſuſcipientibus, vel trinæ merſionis vocabulo mergentibus, unda ſacri baptiſmatis regeneravit. Sylveſter quoque docens, admonet unumquemque ſacerdotem, ut nullus cauſsâ fornicationis ad ſuam pœnitentialem accedat. Quia ſcriptum eſt: Omnes quos in pœnitentia accipimus, ita filii noſtri ſunt, ut in baptiſmate ſuſcepti. Quapropter hoc ſcelus ſi quis perpetraverit, non ſolùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam uſque ad exitũ vitæ ſuæ jugi pœnitentiæ ſe ſubdat.* » Item Sanctus Cœleſtinus Papa primus: *Si quis ſacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit; ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe. Iccircò fœmina ſi laïca eſt, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & converſa, in monaſterio Deo uſque ad mortem ſerviat.* Idem Sanctus Cœleſtinus hæc ſtatuit: *Non debet presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei ſua fuerint confeſſæ peccata. Si fortè (quod abſit) hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali; duodecim ſcilicet annis, & deponatur, ſi tamen in conſcientiam populi devenerit.*

Calliſtus quoque II. Pontifex Maximus in Sermone quodam de Beato Jacobo in hujuſcemodi ſacerdotes ſacrilegos invectus, à Prælatis exterminandos exiſtimavit, his verbis: *Presbyter libidinoſus, qui mulierem pœnitentiæ cauſsâ ad ſe venientem, provocat ad peccandum ſecum libidinoſis ſuggeſtibus ſuis, vel dictis deriſoriis, damnari debet. Nam mulier illa ſimilis eſt illi, qui cùm aquam ad puteum requirit, labitur in eo, & moritur: ſimilis eſt illi, qui in deſerto tramitem rectum requirens, & urſum in abſconditis ſe devorantem invenit. Sacerdos ille ſimilis eſt illi, qui in meſſe retia ad capiendum avem extendit, & dum canit dulcè, venit avis mitiſſima, & cadens in rete decipitur. Hic eſt puteus labentem in ſe bibens, urſus devorans agnum, leo tranſglutiens ovem, latro viatorem perimens, cæcus cęcum ducens. Iccircò Epiſcopis cautè conſiderandum eſt, ut talibus presbyteris poteſtatem dandi pœnitentiam non tribuant.*

Tot igitur ſanctiſſimorum Pontificum dictis admo-

---

x Ex tom. 1. Conc. ex Pœnitent. Rom. tit. 8. cap. 3. & 4. y Ex canonibus pœnitentialib. cap. 2, 30. q. 1. cap. *Omnis presbyter* & ibi Turrecrem. z Ex operibus MS. quę exſtant apud nos.

admoniti, ut eos, qui hujus delicti illecebris labefactati & corrupti sunt, corrigere possimus, hoc præsenti decreto ab hujusmodi sacerdotibus, sive sæcularibus sive regularibus, tamquam à sacrilegis & sacramentorum violatoribus, quam primùm dictis, verbis, vel impudico contactu, tam paullò ante, quàm paullò post confessionem vel (quod turpissimum est) in ipsomet actu confessionis, fœminas provocaverint, vel ad libidinem illexerint, vel cum suis filiabus spiritualibus quovis tempore rem habuerint; statim ipso facto facultatem, quâ abutuntur, adimimus, ne in posterum fœminarum, quas provocaverint, vel cognoverint, confessiones excipiant, & illos licentiâ administrandi talibus mulieribus sacramentum pœnitentiæ eo ipso perpetuò privatos esse denunciamus.

Sæculares sacerdotes [a] qui paullò ante, vel paullò post confessionem, vel in ipsomet actu, quicquam vel inhonestè vel turpiter egerint, vel verbis, tactuque fœminæ pudicitiam attentaverint, aut ad lasciva & inhonesta patranda suaserint, eisdem pœnis subjicimus. Quod si ad actum turpitudinis deventum fuerit, Beneficiis & officiis eo ipso suspensos, durante nostro beneplacito, volumus & declaramus. Ne tamquam filii Heli, [b] dormientes cum fœminis, quæ observabunt ad ostium tabernaculi, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum, populum sibi creditum ad majora patranda crimina traducant, & gravissimis exitiis obvolvant.

Fœminæ pestilentissimæ si in confessione, vel paullò antè, vel paullò pòst, presbyteros luxuriæ blandimentis illexerint, vel impudico & inverecundo ore, & impuris verbis ac factis, ad libidinem induxerint; excommunicatione latæ sententiæ illicò involutæ sint, à qua, nisi à nobis, gravissimis priùs pœnis impositis, absolvi non possint.

Mulieres [c] nisi actu sua peccata confiteantur, pœnitentium more compositæ & genuflexæ, clericos, vel sæculares vel regulares ne alloquantur: cùm alio corporis habitu sacra, alia profana peragi debeant.

Ut verò in re tam gravi presbyteri sæculares & regulares cautiores fiant, volumus, ne in privatis domibus confessiones virorum, aut fœminarum, cujuscumque ordinis & conditionis fuerint, audiant, nisi ægritudinis causâ, medicorum jussu, à viris gravibus fuerint vocati: ita tamen, ut cùm mulierum confessiones prædicti sacerdotes excipiant, ostium patens & apertum sit, ut ab his, qui in vicinis locis existunt, conspici possint.

Extra eam necessitatem nullus confessiones mulierum audiat, nec etiam si vel leviter illæ reconciliari voluerint, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis: [d] sed ne tum quidem eo in loco, nisi multò post ortum solis, & longè ante ejus occasum. Constituantur autem non in cappellis obscuris aut remotis, sed in loco tam patenti, aperto, aç perlucido, ut omni ex parte conspici possint.

Sacerdotes [e] diutiùs & morosiùs in confessionibus ne persistant, nec dulces, blandos, jocularis, lepidos, molles, aut ridiculos cum fœminis sermones misçe ant; cùm brevis, gravis, ac rigidus, teste Beato Augustino, sermo cum eis haberi debeat.

Sacerdotes, ut majori pietate hoc munus peragant, & ad majorem pœnitentes devotionem inducant, priusquam ad suos pedes procumbentes eos admittant, si sæculares sint, [f] superpelliceo, & orario, seu stola; si regulares, stolâ tantùm, sine qua nõ decet sacras functiones obire, decenter ornentur. Quod etiam tunc fieri volumus, cùm ægrotantium excipient confessiones, licèt id faciant apud eorum domos. His verò, qui huic nostræ monitioni non paruerint, opportunis remediis consulemus.

Regulares, si confessiones sçcularium audire voluerint, à suis provincialibus recentem licentiam unà cum literis testimonialibus de moribus & vita, deferant: [g] qui si per annum à nostra abfuerint diœcesi, novam quoque habere licentiam, & novum examen subire debebunt.

Caveant sacerdotes, ne mulieres quæ communicaturæ sunt, intra sacrarium, aut gradus superiores altaris admittant; [h] sed in ultimo gradu cappellæ majoris Eucharistiam, si honesto & humili vultu, & operto capite, non comptæ aut fucatæ fuerint, tribuant.

CAPUT XX.

Confessores nullam pecuniam intuitu confessionis recipiant.

Cum divina munera gratis à Deo concessa sint, gratis quoque distribui debent; maximè sacramentum Pœnitentiæ, in quo Domini nostri Jesu Christi summa liberalitas & immensa largitio misericordiarum conspicitur. [i] Quamobrem jubemus confessariis omnibus, ut inter confitendum, nulla munuscula, quæ animos sæpè ad blanditiem & delicias impellunt, nullasque ad sua commoda pecunias recipiant aut admittant: ne infirmis animis scandalo sint, & pecuniarum & munerum occasione absolutionis sacramentum pœnitenti contulisse videantur.

CA-

[a] Ex Conc. Veronensi, tit. 9. cap. 3. [b] 1. Reg. 2. Ivo. in Decret. p. 2. cap. 116. [c] Ex institutione confessorum Card. Borrom. [d] Ex Beato Antonino. Ex Concil. Provin. Valent. sess. 2. cap. 17 [e] S. Hieronym. ad Nepotian. [f] S. Thomas opusculo 64. c. 12 Ex Card. Borrom. Ex Archiepiscopali Bonon. pag. 113. [g] Ex praxi Episcopali verb. *Confessio*. num. 2. Decreta Mediolan: lib. 5. tit. 6. *De pœnitentia*. cap. 41. [h] Laodicena Synodus cap. 44. *De consecrat.* dist. 2. cap. *Pervenit.* [i] Hieronym. ad Nepotianum. Concilium Provinc. Valent. sess. 2. cap. 18.

CAPUT XXI.

Confeſſores, niſi conſulto & maturo conſilio, abſolutionem peccatorum pœnitentibus ne impertiant.

EA eſt nonnullorum pravitas atque perverſitas animi, ut quũ ſacro Quadrageſimalis jejunii tempore ad confitendum ſua peccata adiguntur, eos confeſſores exquirant, qui faciliùs atque liberiùs abſolutionem confitentibus impertiunt: timoratos verò, beneque cordatos, quorum conſcientias Chriſti zelus adurit, fugiant & averſentur. Cui peſtifero animarum morbo ſalutarem medicinam adhibere cupientes; omnes confeſſores noſtræ diœceſis, tam ſæculares quàm regulares, hortamur in Domino, eorum conſcientias onerantes, ut in abſolutione pœnitenti concedenda, egregiè cauti ſint & circumſcripti, inquirantque diligenter, utrum pœnitentes ad alios confeſſores priùs acceſſerint, & ab eis, ob conſuetudinem delictorum, ob ſcelera patrata & nondum emendata, ob præſentem occaſionem peccandi, & ob alias ſimiles cauſſas, ejecti & excluſi fuerint.

Quòd ſi ita conſtiterit, ſtatim illos ad priorem patrem ſpiritalem remittant, vel tamdiu abſolutionem procraſtinentur & differant, quouſque pœnitentes reſipiſcere, & probiorem vitam ſequi viderint.

Uſurariis, meretricibus, concubinariis, alearum, taxillorum, chartularum pictarum, & his ſimilium ludorum à jure prohibitorum, conſuetudinem publicè habentibus, vel menſam publicam domi ſuæ permittentibus, aliiſque publica peccata patrantibus, abſolutionem protrahant, & leviter non concedant: [k] quouſque ipſis conſtiterit, illos ſeſe omnino ab ejuſmodi peccatis abdicâſſe.

Qui verò in Quadrageſimali, præſcripto ſcilicet ab Eccleſia tempore, & in Concilio Provinciali Valentino ſeſſ. 2. cap. 14. [l] deſignato, peccata ſua confiteri diſtulerint; à nullo, ſive regulari ſive ſæculari, confeſſore abſolvantur: ſed eorum nominibus ad nos tranſmiſſis, parochi eos coram nobis, vel noſtro vicario generali, comparere, & perſonaliter conſtitui cogant, ut delinquentium laceratis conſcientiis maturiùs conſulamus.

Parochi ſtudeant eorum confeſſiones priùs audire, qui ſeſe ad agros colendos, aut alia quæcumque opera manuaria conducunt, vel operarii & mercenarii ſunt, ne procraſtinatione & dilatione temporis, mercedem & lucrum diariorum laborum deperdant, quibus ſe familiamque ſuam alunt.

Parochi paullò antequam inſtet Quadrageſimale jejunium, [m] rura omnia extra civitatem Oriolanam, alii ſacerdotes pagos, mapalia, & agreſtes paſtorum caſas, quæ ſuæ parochiæ, & ditioni ſubjecta fuerint, viſitent diligentiſſimè, ibique nomina tam agricolarum, quàm paſtorum, qui in pagis degunt, ad confeſſionem, & ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem deſcribant.

Inquirant præterea, an diebus Dominicis & feſtivis Miſſis interſint, an Fidei Chriſtianæ doctrinam memoriter teneant, an vigilias & jejunia obſervent, an orationem Dominicam recitent, an pietati Chriſtianæ ſtudeant.»

CAPUT XXII.

Euchariſtiam ad ægrotos noctu deferri quando liceat.

EUchariſtia cùm omni reverentia, ac religioſi cultus ſtudio, quoad fieri poteſt, afferenda ſit, idque mane fieri debeat; præcipimus [n] ſub unius ducati pœna, ne horis pomeridianis, vel noctu ægrotis afferatur, niſi mortis periculum, medico per literas atteſtante, maximè urgeat: idque fiat ea reverentia & cultu, quem temporis permiſerit neceſſitas.

Nullus verò Euchariſtiam ad ægrotos deferat, ut illam ore contingant, aut oſculo adorent & venerentur: cùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit cibus, & viaticum, & futuræ æternitatis pignus.

Medici, qui juxta Innocentii III. conſtitutionem, quæ incipit: *Cùm infirmitas*; & Pii V. decretum, quod incipit: *Super gregem*; quod in manibus ordinarii jurare debent, cum ægrotum tertio die ulteriùs viſitare non poſſint, niſi priùs peccata ſua confiteãtur, caveant diligentiſſimè, ut tempus Euchariſtiæ ſumendæ aptiſſimum ægrotis ita præſcribant, ne id noctu, vel intempeſtiva occaſione accidat.

CAPUT XXIII.

Cùm Euchariſtia deferenda erit, ſex eam clerici comitentur.

CUltus & reverentia in ſacroſancta Euchariſtia ad ægrotos in lecto jacentes deferenda, maxima eſſe debet. [p] Unde in his Eccleſiis, in quibus propter clericorum copiam fieri poterit, ſi quando contingat, ut ad ægrotum ſacra Euchariſtia deferenda ſit, unuſquiſque tot poſtulet clericos, quot pro reddituum ſuorum facultate deſignare voluerit, dummodo ſex, vel ad minus quatuor clerici, qui per turnum deſignandi ſunt, illam comitentur. Quorum ſingulis pro eleemoſyna intra urbis vel oppidi ſuburbia, quatuor; extrà verò, vel noctu (ſi quando eveniat) ſex; quòd ſi longiùs adeundum ſit, octo nummi conferantur.

Quòd ſi is, ad quem ſanctiſſimum Euchariſtiæ

---

k En decreto Mediolan. lib. 5. tit. 6. *De pœnitentiis*. cap. 3. Synod. Provincial. Valent. ſeſſ. 3. cap. 20. l Ex eiſdem decretis lib. 5 tit. 6. c. 1. m Ivo in Decret. p. 2. cap. 121. n Supra cap. 3.

o Decret. Mediolanen. lib. 3. tit. 26. cap. 23. & 26. Conc. Provinc Valentin. ſeſſ. 8. cap. 22. p Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 6. & cap. 7.

ſtiæ ſacramentum deferendum eſt, pauper & egenus fuerit; id clerici, gratis & pro Deo facere teneantur.

Clerici à Rationali vel Capſoverio ſingulis hebdomadis deſignati, ſi Euchariſtiam comitari noluerint, primum emolumentum Eccleſiæ, quod per turnum ipſis obvenerit, lucrari non poſſint. Quòd ſi ſtata pœna minus profecerit, ad ſolutionem quatuor ſolidorum compellantur.

CAPUT XXIV.

In Eccleſiis nihil inhoneſtum, aut indecens fieri debet.

CUM domum Dei deceat ſanctitudo, & ejus in pace factus ſit locus, ejus veneratio debet eſſe pacifica, nempe humilis & devotus ingreſſus, quieta converſatio, tranquillus affectus. Quare ut ea quæ divinum poſſunt perturbare officium, aut oculos divinæ Majeſtatis offendere, ab Eccleſia arceantur, ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio; in ſanctuario Dei, juxta conſtitutionem Innocentii III., quæ incipit: *Cùm decorem*; hiſtriones, mimos, comœdiarum repræſentatores, & actores, aut alios, qui inſolitis, ridiculis, & monſtroſis formis, ac ludibriorum larvis induuntur, ſub pœna duorum ducatorum prohibemus. [f] Arcemus quoque cantilenas vulgares, ridiculas, æthiopicâ, & barbarâ linguâ conſcriptas, ab Eccleſiaſticis locis & officiis. Rejicimus etiam cantus omnes vulgares, qui ad lyræ, vel parvæ teſtudinis ſonum, profana modulatione adaptari ſolent: ne animi hominum in laſciviam & turpitudinem propenſi, hujuſmodi vocibus & cantu frangantur. Debent enim cantus, qui in noſtris Cathedrali, Collegiata, parochialibus, aut aliis quibuſcumque Eccleſiis admittuntur, modeſta pſallendi gravitate, honeſta, gratáque modulatione ita componi, ut auditorum animi ad devotionem, non ad riſum & cachinnos excitentur.

In Eccleſiis deambulationes, ſub excommunicationis pœna, ne fiant, aut aliqua negotia ſecularia tractentur, aut profana & libidinoſa colloquia ne habeantur, juxta ſacri Concilii Tridentini decretum ſeſſ. 25. cap. *De evitandis in celebratione Miſſarum*. nec teſtium dicta à judicibus ſæcularibus excipiantur, aut conventus ſæcularium habeantur, in quibus ſæpè voces ac convicia excitari ſolent. Curent rectores diligentiſſimè, juxta Pii V. decretum [t] quod incipit: *Cùm primùm Apoſtolatus*, & Provinciali Synodo Valentina ſeſſ. 5. cap. 7. ut omnia ad decorem Eccleſiarum inſtituta ſerventur.

Volumus præterea, ut in omnibus Eccleſiis noſtræ diœceſis viri à fœminis longo intervallo disjungantur, neque proximè conjuncti & permiſti, Miſſis, & aliis officiis divinis interſint; ſed ita ſejuncti ac ſepoſiti ſint, ut nec illas manu vel pede poſſint contingere.

Nullus præterea audeat in templis comedere, [u] aut adſpectu, riſu, oculis, ſignis, notis, manuum geſticulatione, aut dictis laſcivis, amorem mulierum aucupari, aut earum ambire libidinem. Si ſecus, omni Dei timore poſtpoſito, fecerint; excommunicationis pœnam incurrant.

In proceſſionibus ſub eadem pœna jubemus, [x] fœminas à viris ita ſeparatas ac ſepoſitas incedere, ut nec dictis laſcivientibus appeti, nec ſtimulis perurgeri, nec digitorum compreſſione, aliquâ moleſtiâ affici poſſint.

SESSIO SECUNDA.

Die quinta Octobris habita, & die ſexta ejuſdem in Cathedrali Eccleſia publicata.

CAPUT XXV.

Clerici, ne in ſacriſtia, & Eccleſia otioſa colloquia, & confabulationes miſceant.

DECET omnino clericos, & Chriſti ſacerdotes, in quos à rebus ſæculi, ut in altiorem ſublatos locum, tamquam in limpidiſſimum ſpeculum cæteri oculos conjiciunt, ita in omnibus ſuis actionibus compoſitos eſſe & circumſpectos, ut nihil agere, vel loqui audeant, maximè in locis divino miniſterio dicatis, quod grave non ſit, moderatum, & religione plenum, cunctiſque afferens venerationem. Quamobrem adhortamur eos in Domino, ut fugiant in Eccleſia clamores, ſtrepitus, vociferationes, rixas, conventicula: in ſacriſtia mutua colloquia, otioſas confabulationes, & dicteria rejiciant, quibus ſæpè animi acriori ſale punguntur: tum quòd locus ille Dei ſervitio addictus ſit, & in eo ſacerdotes ſe ipſos ad divinorum celebrationem myſteriorum, ut tantæ religionis cultus ac reverentia efflagitat, præparare debeant: tum ne ſæcularibus perſonis exempli ſui pravitate occaſionem præbeant miſcendi vana atque profana colloquia: ſed potiùs ea ſilentii, modeſtiæ, beneque compoſitæ vitæ exempla omnium oculis ad imitandum objiciant, quę domui Dei, & domui orationis conveniant. Si ſemel à nobis, vel à noſtris vicariis admoniti, ſecus fecerint, præter diſtributionum illius horæ amiſſionem, quę aliis accreſcere debent, trium dierum carcere mancipabuntur.

Laïci, ſub excommunicationis pœna, à choro,

---

q Ex Conc. Pariſien. lib 2. cap. 12. r De vita & honeſtate clericorum. ſ Synod. Laodicen. cap. 59. Hieronym. in comment. ad Ephel. 5. 92. diſt. *Cum cantantes*. Synodus Moguntina ſub Carolo cap. 48. Joann. 22. Extrav. Docta. Valent. Provinc. ſeſſ. 3. cap 11. 2. 2. q. 91. art. 2. ad 4. Synod. Mediol. habita anno 1565. cap. *De muſica, & cantoribus*. t In Bullario p. 2. conſt. 5. u 1. ad Cor 10. 44. diſt. c. *Comeſtationes*. ex conſt. 5. Pii V. x Synod. African. ſub Bonifacio I. cap. 27. & inſtà cap. 91.

ro, & à ſacriſtia arceantur: cùm hæc loca ſacris miniſtris deſtinata ſint, nec à ſæcularibus occupari debeant.

Clamores, ſtrepitus, & vociferationes, quæ inter mulieres, & pueros in Eccleſiis oriri ſolent, cùm panis benedictus fideli populo diſtribuitur, exterminare cupientes; jubemus, ne poſthac dum ſacra officia peraguntur, intra Eccleſiam panis benedicti diſtributio fiat, ſed in foribus Eccleſiarum, poſt Miſſæ conventualis celebrationem, populo dividatur.

Moriſchi ſingulis Dominicis diebus & feſtivis panem benedictum accipiant, & illum ſtatim pietatis cauſsâ edant.

Exponant præterea prædicti rectores ejus inſtitutionem, vetuſtatem, virtutem, miracula, ut ad illum veſcendum facilius excitentur.

CAPUT XXVI.

De eleemoſynis ad pauperum verecundorum egeſtatem ſublevandam.

UT pauperum verecundorum, quos oſtiatim ſtipem colligere pudor prohibet, inopiam & egeſtatem, fidelium largitione ſublevare poſſimus; omnes hujus diœceſis Patres-familias, penes quos rerum & bonorum ſuorum fuerit adminiſtratio, hortamur in Domino, ut ſingulis diebus ſabbathi totius anni, ad urbis Valentiæ exemplar, quæ in hac re pietate cæteris præfulget, ſaltem ad minus ſingulas pecuniolas, ſeu nummulos, vel pro ſuarum facultatum ratione, eleemoſynas tribuant, & per familias ac domos libentiſſimè pauperibus conferant, neque omittant hoc vel minimo ſubſidii & ſolatii genere, paſcere viſcera Chriſti. [7] Quod ut commodiùs fiat, in omnibus Eccleſiis parochialibus noſtræ diœceſis duos viros probos & induſtrios inſtituimus, ut huic operi invigilent, qui initio cujuslibet anni à tota parochia, eorum probitate perſpecta, deſignentur; & poſtquam fuerint deſignati, eos hortamur pro Chriſto Domino, ut hoc munus obire non recuſent, ſed ex animo gerant. Deſcribant itaque fideliter in libro accepti & expenſi eleemoſynas, & ſingulis diebus ſabbathi piè & ſtudiosè per totam parochiam diſcurrant, ut ad eleemoſynas erogandas omnes verbo [7] & exemplo provocare & excitare; miſeros afflictoſque re, pecunia, veſtibus conſolari ac fovere poſſint: à Deo totius conſolationis patre, præmium exſpectaturi, ſi fideliter miniſtraverint, è contrà cum Anania & Saphira ſcelerum ſupplicia & pœnas crudeliter daturi, ſi fraudem aut damnum Chriſti pauperibus fecerint.

Ejuſmodi pecunia ex eleemoſynis collecta, rectore & parocho adhibito, pro egentium neceſſitate dividatur. Noſtri verò viſitatores hujus adminiſtrationis rationem exigant [a].

CAPUT XXVII.

De eleemoſynarum diſtributione.

ELeemoſynæ omnes, quæ in ſingulis Eccleſiis noſtræ diœceſis pro animabus purgatorii, pro ornamentis, pro pauperibus, vel quocumque pietatis & confraternitatis intuitu colliguntur, delato priùs juramento, à parocho loci, vel ab iis qui huic operi inſerviunt, ſingulis diebus, ſi fieri poteſt, vel ſaltem ſingulis Dominicis & feſtivis, deſcribantur in libro huic rei deſtinato. Parochi verò conſilio & conſenſu, in opera pia debent diſtribui: nec aliter expenſi ratio à noſtris viſitatoribus admittatur,

Si quid poſt annum reliquum erit pecuniarũ, [b] ſtatim adminiſtratores intra menſem exſolvant: nec adminiſtrationis ſucceſſor, ſub excommunicationis pœna, rationes ſui anteceſſoris admittat, niſi actu & re vera ab eo pecunias exegerit; quæ in communi arca, duabus clavibus bene munita, recondantur; quarum altera ſit penes rectorem loci, altera penes illius eleemoſynæ cuſtodem.

Nullus verò inter Miſſarum ſolennia, quamdiu Euangelium dicitur, & corporis Domini noſtri ſacrificium conficitur, eleemoſynas exigat, neque in choro, dum divina officia celebrantur eas petat, ut omnis tumultus & perturbationis occaſio fugiatur.

Illi qui ſub titulo alicujus confraternitatis, aut alicujus pietatis quæſtu, ut oſtiatim Eleemoſynas quæritent, Sanctorum imagines circumgeſtantes, per plateas & vicos vagantur, & ſæpè ad cauponas & tabernas divertunt, maxima cum ſanctarum imaginum irreverentia & contemptione, permitti non debent. Quamobrem poſthac nulla ratione ejuſmodi homines eleemoſynas colligant, ſi Sanctorum imagines deferre voluerint: permittimus tamen, ut patinas eleemoſynarias geſtent, non tamen cum imaginum geſtatione, pecuniolas mendicare poſſint.

CAPUT XXVIII.

Quæ à præfectis, vel adminiſtratoribus hoſpitalis Oriolanæ civitatis præſtanda ſint.

CUM in Concilio Viennenſi, in conſtitutione quæ incipit: *Quia contingit*: à ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 7. cap. 15. approbata, Epiſcopis præceptum fuerit, ut curent hoſpitalia quæcumque etiam à ſuis adminiſtratoribus, quocumque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter ac diligenter gubernari; habeantque Epiſcopi, juxta decretum ſacri Concilii Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 8. tamquam ſedis Apoſtolicæ delega

ti,

---

7 1. ad Corinth. 16. Tertull. in Apolog. cap. 39. Ex capitibus Concil. Nicæn. can. 30. & Decret. Mediolan. lib. 3. *De decimis & oblat.* tit. 18. cap. 21. & 22. a Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. *Epiſcopi.*

b Provinc. Valent. ſeſſ. 5. cap. 7. c Ex conſtit. Pii V. quæ incipit: *Cum primum.* Provinc. Valent. ſeſſ. 5. cap. 6.

ti, jus visitandi hospitalia omnia: proinde ut nostrum munus faciliùs exsequamur, consultis Patribus Juratis hujus urbis, viris sanè probatissimis, & perspecta hujus urbis voluntate; præcipimus, ne census, redditus, bona mobilia seu immobilia, ad peregrinorum, pauperum senum, infirmorum, & puerorum usum, & necessitatem sublevandam instituta & relicta, à præfectis, seu administratoribus hospitalis hujus urbis possint vendi, permutari, in emphyteusim dari, mutuo accommodari, onerari, exonerari, seu redimi, aut quovis alio modo alienari, absque consensu & approbatione Episcopi, Justitiæ, Juratorum, magistri rationum, tribuni sive syndici, & advocatorum civitatis Oriolanæ. Qui contrà fecerint, excommunicationis pœnam incurrant.

Præfecti & administratores hospitalis, antequam administrationem suscipiant, publico instrumento, notarii signo munito, quod *inventarium* dicitur, omnes hospitalis census, & annuos redditus, vectigalia, & bona omnia describenda curent; ut elapso annuali munere, subsequentibus præfectis accepti & expensi, cum solutione debiti, si quod fuerit, justam rationem reddant, præsentibus eisdem Episcopo, & urbis Oriolanæ magistratibus.

Nullus prædicti hospitalis gubernationi bis præfici possit, nisi priùs hospitalis sub titulo S. Bartholomæi infantium expositorum curam & administrationem gesserit.

Procurator prædicti hospitalis singulis annis rationem cum solutione debiti, quodcumque illud fuerit, reddat eisdem Episcopo, & urbis magistratibus: & si quid pecuniarum reliquum fuerit, electis administratoribus, publico notarii instrumento interveniente, tradat.

Idem Episcopus, & hujus urbis Oriolanæ magistratus, eligere & designare debent duodecim-viros divites & pecuniosos, pietatis & juvandi genus humanum studio & laude insignes, quorum sex nobiles, aut milites sint; reliqui verò sex præcipui ex civitate donatis. Ex quibus tantùm singulis annis in festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in loco consueto, convocatis quoque ad hanc rem vicario generali, & aliquot de capitulo nostræ Cathedralis Ecclesiæ, sorte eligatur unus, qui prædicti hospitalis administrationem eo anno suscipiat.

Singulis quoque annis prædicta electio & designatio nobilium, ac militum, & civium præcipuorum fieri debet; ad quam jam antea nominati & adscripti admitti debent. Quòd si qui, prout est labilis humana natura, è vivis excesserint, totidem addendi sunt, ut semper duodenarius numerus integer maneat.

Qui munus integrum exercuerint, nisi elapso biennio, iterum inscribi non possint. Quæ omnia volumus, ut diligenter observentur, cùm maximum inde pauperes Christi fructum reportaturi sint.

Hortamur verò reliquorum locorum & oppidorum nostræ diœcesis, in quibus hospitalia exstructa sunt, Patres Juratos, ut eadem ab administratoribus hospitalium observari curent ut bona, egentium necessitatibus sublevandis destinata, & relicta, fideliter, ut par est, ratioque ipsa præscribit, gubernentur & expendantur.

CAPUT XXIX.

Qui ad sacramentum Extremæ-unctionis vocari debeant.

CUM in Extremæ-unctionis sacramento presbyteri Ecclesiæ sint, juxta Beati Jacobi Apostoli præceptum [a], adducendi, ut super infirmos orent, eosque oleo consecrato perungant; volumus, ut posthac soli presbyteri ad hoc sacramentum advocentur, cùm sacerdotalis manus, unctio, & oratio, infirmorum corpus alleviet, peccata remittat, lucem, gaudium, & spiritalem hilaritatem adferendas ægritudines adferat; & si expedierit, ægroto corporalem sanitatem tribuat. Si verò alii ad hoc sacramenti munus accesserint, suæ temeritatis pœnam agnoscent.

Presbyteri cùm post unctionem infirmi ad Ecclesiam regressuri sunt, ne per viam colloquia misceant, sed pro infirmo orent: alioquin in eleemosyna sibi debita pro sacramenti administratione priventur.

CAPUT XXX.

De piis defunctorum voluntatibus exsequendis.

AFfligit nos sæpè eorum hominum incuria, vel potiùs pietatis neglectus, qui tamquam ingrati & inhumani pias majorum eleemosynas, in animarum suffragia relictas, vel fictis rationibus impediunt, vel malis artibus occultant, vel quibus possunt fraudibus & litibus involvunt, ne officii sui erga parentes rationem persolvant. Ut verò posthac piis testantium votis certiùs consulamus; rectoribus, vicariis, hebdomadariis, Beneficiatis, penes quos cura animarum existit, & maximè Rationalibus, vel capsoveriis, quibus hoc munus propriè demandatum est, sub decè ducatorũ, & excommunitionis pœna præcipimus, ut in singulis, etiam Cathedrali, Collegiata, cæterisque Ecclesiis parochialibus hujus nostræ diœcesis, librum ab aliis rebus omnibus distinctum habeant, & illum quidem bene compactum, atque in tuto loco servatum: in quo dies, mensis, & annus, quibus defuncti decesserunt; tum etiam administratorum, & curatorum funeris nomina distinctè adnotentur: tum omnes testamentorum clausulæ describantur, non solùm quæ ad funus ducendum

&

[a] Jacob. 5. Conc. Trid. sess. 14. *De sacrament. extrem. unct.* cap. 2. & 3. & can. 4. Catechism. Rom. Theophylact. In cap. 6. Marci Petrus Damian. serm. 1. *De Eccles. Dedication.* [e] Concil. Trid. sess. 22. cap. *Episcopi*.

& curandum inſtitutæ ſunt, ſed etiam quæ ad eleemoſynas, Miſſas, & pia opera pertinent: quæ perpetuò, vel ad tempus in pauperes, vel monaſteria, loca religioſa, & Confraternitates quacumque ratione vel jure relinquuntur, vel facienda, agendaque demandantur.

Hoc ut ſtudioſiùs fiat, ſub eadem pœna præcipimus, ne poſthac clerici comitentur cadaver, niſi priùs in forma authentica, expenſis defuncti, hujuſmodi clauſulæ deſcribantur. In re *f* curatores teſtamentorum monemus, ut parochis diligentiſſimè obſequantur. Notarii, ſi id præſtare recuſaverint, ſciant à nobis, injunctis ſpiritalibus pœnis, eſſe cogendos.

Elapſo menſe, defuncti & curatorum nomina, tum piæ illorum voluntatis ſignificationem, rectores, curati, Rationales vel capſoverii, ad nos tranſmittant, unà cum die, menſe, & anno defunctionis; ne longiùs, quàm par eſt, piæ defunctorum voluntates diſtrahantur.

Elapſo anno, ſi teſtamentorum exſequutores pias voluntates defunctorum non expleverint, rectores & curam gerentes animarum, Rationales, vel capſoverii (quod ſub eadem pœna monemus) nos, vel auditorem & judicem noſtrum piarum cauſſarum, quem nunc, hujus decreti firmitate in hac noſtra diœceſi, juxta formam curiæ Metropolitanæ Valentinæ, inſtituimus & erigimus, certiores reddant, ut in negligentes ſeveriùs animadvertatur.

Idem quoque piorum legatorum curatoribus, hæredibus, adminiſtratoribus, & aliis quibuſcumque piorum legatorum & ultimarum voluntatum exſequutoribus injungimus, ſub excommunicationis pœna, ut poſthac intra annum à morte defuncti judici noſtro piarum cauſſarum rationem reddant.

Confeſſores item omnes hortamur in Domino, *g* eorum conſcientias onerantes, ne teſtamentarios curatores ſacramẽtaliter abſolvant, niſi fuerint intra annum pia defunctorum mandata exſequuti.

Ut verò dati & expenſi ratio habeatur, volumus, ut ſolùm Rationales, ſeu capſoverii, vel collectores; aut ubi ipſi non fuerint, rectores, & vicarii Eccleſiarum, in quibus fideles defuncti ſepeliuntur, & nullus alius præter ipſos, ſyngrapham conficiant, in qua confiteantur ſe certum quendam eleemoſynarum numerum ad Miſſarum celebrationem, vel ad alia pia obſequia recepiſſe. Si presbyteri, quovis nomine donentur, onus celebrandi Miſſas teſtamentarias, privata auctoritate ſuſceperint, aut celebraverint, aut eleemoſynas ab hæredibus exegerint, in duplum puniantur.

Idem præſtare teneantur procuratores, qui ad id in monaſteriis, hoſpitalibus, & confraternitatibus conſtituti ſunt: expreſsè declarantes, quot regulares funus detulerint, quot Miſſas celebraverint, quæ eleemoſynæ ipſis perſolutæ fuerint. Syngraphas à privatis religioſis privato nomine confectas excludimus, nec ullam ipſis fidem adhiberi volumus.

Si teſtamentariis curatoribus, & ultimarum voluntatum exſequutoribus, vel hæredibus, aliquot eleemoſynę Miſſarum, aut aliarum rerum piarum in genere, nullo certo numero deſignato & præfixo, ſed ipſorum arbitrio deſignando & prefigendo, à defunctis relinquuntur, ut illorum ſponte & voluntate diſpenſentur, vel omnes Miſſæ uni tantùm loco pio, omiſſa parochiali, relinquantur; tertiam Miſſarum partem in parochia defunctorum celebrari volumus, *h* ne extra diœceſim, aut nobis inconſultis, illi eas diſtribuant atque diſpenſent: alioquin eos ad duplam reſtitutionem compellemus. Cùm ſæpè experimento conſtet, eleemoſynas, quas alios capere decet, ab ipſiſmet curatoribus fraude interceptas fuiſſe.

Eleemoſynæ præterea, quæ à pleriſque defunctorum in pauperes verecundos parochialis Eccleſiæ dividendæ relinquuntur, ſine parochi conſilio atque conſenſu minimè dividantur: cùm probè noverit parochus, quinam minori egeſtate premantur.

Parochus in celebrioribus populis teſtamentarius curator eligi poteſt, unà cum alia ſæculari perſona: at in populis minimè frequentibus, ubi clericorum copia non eſt, nulla ratione id munus ſuſcipiat.

Quòd ſi fortaſſe (quod abſit) aliqua impedimenta ab hæredibus, vel ab aliis opponantur, quo minus defunctorum voluntates fiant, & exſecutioni mandentur; curent parochi, Rationales, vel capſoverii, ut ea intra breviſſimum tempus, vel quàm citiſſimè fieri poterit, ad nos, vel ad judicem noſtrum piarum cauſſarum deferant ac denuncient, ut ſaluti defunctorum opportunè conſulamus.

Monemus etiam, & hortamur in Domino omnes fideles, ut ſine fraude & fallaciis hæc omnia obſervent, à Deo patre præmia exſpecaturi, ſi fideliter defunctorum voluntati, ut ratio & æquitas poſtulat, proſpexerint.

Hortamur notarios, ne ad condenda Moriſchorum teſtamenta accedant, niſi priùs vocato rectore, ut ejus conſilio quæ ad illorum ſalutem & tranquillitatem conſcientiæ ſunt, diſponantur. Volumus ut poſthac Moriſchi ſex ad minus Miſſas pro animarum ſuarum ſuffragiis, & alia pia opera teſtamento relinquant.

CAPUT XXXI.

Parochi intra limites ſuæ parochiæ reſideant.

CEnſuit ſacra Concilii Tridentini congregatio, parochos in domibus ſuę parochiæ, vel intra ejus proximos limites, habitare debere, ut faciliùs ægrotantium incommodis ſubvenire poſſint *k*. Jubemus igitur ſub ſex ducatorum pœna, ut poſthac rectores, cu-

f Decret. Mediolan. lib. 3. tit. 14. cap. 3. *g* Decret. Mediolan. lib. 5. *De pœn. tuntiis.* tit. 6. cap. 13. *h* Cap. *Nobis.* Extrav. *De teſtamentis.* Decret. Mediolan. lib. 3. tit. 14. cap. 6. *i* Cap. *Si hæredes,* Extrav. *De teſtamentis,* ibi Covar. num. 4. *k* Synodus Meldenſis cap 36. Burchardus lib. 2. Decret. cap. 109.

curati, hebdomadarii, Beneficiati, penes quos animarum cura exiſtit, ut in domibus parochialibus, vel in proximioribus & vicinioribus ædibus ſuæ Eccleſiæ, vel ſaltem intra limites ſuæ parochiæ, juxta Concilium Provinciale Valentinum ſeſſ. 1. cap. 6. reſideant; ut commodiùs & celeriùs certiores fiant de ægrotis ſuæ parochiæ in lecto jacentibus. Quos ſæpè in infirmitate inviſant & conſolentur; ad confeſſionem peccatorum, & Euchariſtiæ ſumptionem ſuadeant & inducant; ad condenda teſtamenta conſilium præbeant; in mortis periculo & agone aſſiſtant; ardentibuſque verbis ad ſpem divinæ miſericordiæ hortentur, & ad vitæ æternæ deſiderium excitent.

Hebdomadarius, cui ſui officii tempus incumbit, à civitate vel oppido ne recedat, ſub eadem pœna. Si verò urgente neceſſitate bis campanæ ſignum fuerit pulſatum; omnes curati ad Eccleſiam concurrant, ut in re tam gravi omnes invigilent, & ſedulam operam impendant. Qui ſecus fecerint, duorum ducatorum pœnam exſolvent.

Parochi ſexto quoque menſe nobis denuncient, quinam in ſua parochia peccandi conſuetudine, & vitæ depravato exemplo, reliquis ſcandalo ſint, & ad ſcelera patranda impellant.

Curent noviter converſi quàm breviſſimè ædes Eccleſiis proximas, ſuis rectoribus & vicariis exſtruere; ut in eis commodè, & quadacet honeſtate vivere poſſint: alioquin juxta D. N. Regis regias literas implorato brachii ſæcularis auxilio, adverſùs eos procedemus.

Qui ad Eccleſiam confugiunt, à parocho admonendi ſunt quàm diligentiſſimè, ut in ipſamet Eccleſia minimè edant, potent, cachinnentur, ludant, dormiant, & cum mulieribus, aut aliis quibuſcumque vana & profana colloquia permiſceant, nec noctu ad ambulandum, & vagandum per urbem egrediantur: ne Eccleſiæ immunitate abuti, & impunè peccandi licentiâ, audaciores ad crimina perpetranda fieri videantur.

Quòd ſi parochi in hac re tanti momenti negligentes exſtiterint, aut alios Eccleſiæ immunitate abuti permiſerint; præter excommunicationis ſententiam, in ſex ducatorum pœnam incurrent.

Judices verò ſæculares hortamur in Domino, [l] pro pietate & religione quam profitentur, ut eos qui ſub utraque juriſdictione detineri ſolent, ſumma moderatione cuſtodiri jubeant: ne Eccleſia militum & cuſtodum multitudine obruatur; aut divina officia impediantur: aut profanarum ædium more, domus orationis, quam decet omnis ſanctitudo, ludis, clamoribus, jocis, & dicteriis confundatur.

CAPUT XXXII.

Ne cadavera occiſorum noctu, clam, & ex occulto ſepeliantur.

ILlorum corpora, quæ ſcelere, & homicidio extinguuntur, ſæpè intempeſta nocte, clam, abſque aliqua pompa funebri, in eas Eccleſias inferri, & in illarum ſepulturis recondi ſolent, ubi delictum & cædes facta faciliùs latere, & occiſi hominis cadaver magis abdi & occultari poſſit. [m] Ut verò hoc ſacrilegum & impium factum penitùs tollamus; ſub excommunicationis pœna, & aliis noſtro arbitrio reſervatis, præcipimus, ne quis audeat occiſorum corpora clam & ex occulto, ſine religioſa & & Chriſtiana pompa, in Eccleſiis, eremitoriis, cœmeteriis, aut aliis quibuſvis ſacris & religioſis domibus, tumulari, & ſepelire, aut conſilium, & auxilium, & favorem ad illa inferenda & tumulanda quomodolibet præbere.

Quòd ſi huic ſceleri Eccleſiaſtici interfuerint; in eos, quacumque dignitate præfulgeant, præter ſuperiores pœnas, tamquam in homicidii ſuſpectos & reos procedemus.

CAPUT XXXIII.

Ne clerici, cujuſcumque dignitatis ſint, ſecularia negotia pertractent.

QUI Deo optimo maximo militantes, divinis miniſteriis addicti ſunt, & conſecrati; memores ordinis ac dignitatis ſuæ, curare debent quàm diligentiſſimè, prout hoc noſtro decreto ſancimus, [n] & à Concilio Provinciali Valentino ſeſſ. 3. cap. 17. ſtatum fuit, ut ſeſe à famulatibus laicorum, ſacerdotali munere indignis, & à turpibus obſequiis, abſtineant. Nullas mulieres, etiam quavis dignitate illuſtres & inſignes, doceant legere, ſcribere, canere, aut alio cujuſvis generis inſtrumento muſico ſonare, ac pſallere.

Nulli verò coram judice ſæculari, advocati, aut procuratoris nomine cauſſas agant [o], niſi priùs ab aliis in publicum judicium vocati, ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, vel parentum & fratrum, ſi neceſſitas urgeat, & miſerabilium perſonarum defenſionem ac patrocinium, conceſſa priùs ſcripto à nobis facultate, ſuſceperint.

In profanis negotiis [p], tabellionatus munus ne exerceant: in negotiationibus & mercaturis, quas fugere & deteſtari debent, ne interpretes, aut intermedios ſeſe interponant, vel acceptâ pecuniâ mercaturas aliis aſſecurent; aliena prædia lucri cauſsâ ne conducant, neque per ſe, aut per interpoſitas perſonas mercaturas exerceant quæ à divinis obſequiis ſolent animum abducere.

Ne

[l] Conc. Provinc. Valent. ſeſſ. 5. cap. 12. & 13. [m] Synod. 1. Oriol. cap. 39. [n] Ex Nicæni Concilii capitulis can. 4. [o] 14. qu. 2. Quamquam. c. *Clerici.* Extrav. *De poſtulando.* [p] Can. Apoſt. 44. Laodic. c. 4. Nicæn. c. 17. Bracaren. 2. cap. 62. Arelaten. 2. can. 14. 47. diſt. per totam.

Ne fœminarum [q] præcurſores & aſſeclas ſe præbeant, illiſve [r] diſcumbentibus aſſiſtant, vel famulentur.

Contrarium verò facientes, præter alias pœnas à Jure, & à Provinciali Concilio Valentino ſeſſ. 3. cap. 17. & 18. ſancitas, decem ducatorum multam exſolvent.

Illi (quod dolenter referimus) qui internuncii, vel perficiendæ libidinis miniſtri exſtiterint, vel lenocinium fecerint, ſive id verbis, ſeu ſcripto, ſeu quacumque alia ratione, precibus, aut donis, pecuniiſque curaverunt; præter graviſſimas pœnas noſtro arbitrio impendendas, ſtatim latæ ſententiæ excommunicationem incurrant: cùm indecens ac impium ſit, Dei miniſteriis mancipatos fieri libidinum & impuritatis artifices.

CAPUT XXXIV.

Ne clerici noctu arma geſtent.

ET cùm habitus clericalis togatus eſſe debeat, pacis nimirum & tranquillitatis index; non decet eos, qui pacis ornamento inſigniuntur, [s] juxta Concilium Provinciale Valentinum ſeſſ. 3. cap. 4. noctu armatos vagari, vel alio armorum genere, quàm orationibus quotidianis, & lacrymis, quę arma ſunt ſacerdotum, muniri; nec profano habitu, coloribus variegato, veſtitos incedere [t].

Quòd ſi cum armis à judicibus ſæcularibus, præter cultellos ad quotidianos uſus neceſſarios, deprehenſi fuerint; illis, cujuſcumque generis ſint, ſpoliari queant clerici, quacumque dignitate inſigniantur, niſi de noſtra in ſcriptis licentia conſtiterit [u].

Hortamur judices ſeculares, ſub conſcientiæ reatu, ne diſſimulent, aut armorum geſtationem permittant.

CAPUT XXXV.

Ne clerici aleatores ſint.

NUllus clericorum, quacumque dignitate inſigniatur, ludum & menſam alearum, taxillorum, & chartularum pictarum domi habeat; ne in pœnam à ſanctiſſimis Apoſtolis conſtitutam Canone 42. & 43. & in ſexta Synodo Canone 50. [x] & à Concilio Provinciali Valentino ſeſſ. 3. cap. 20. propoſitam, incurrat: cùm facilè vitia omnia unà cum ludo foveantur, & in Chriſtianam rempublicam diſſeminentur. Jubemus igitur, ne clerici hujus generis ludos à Jure prohibitos, vel publicè vel privatim exerceant, aut præſenti numerata pecunia, aut ſtato tempore ſolvenda, neque aliis ludentibus pecunias accommodent.

Fugiant præterea ludorum ſpectacula, nec ludentibus aſſiſtant, nec ut ſpectatores interſint, nec damni vel lucri participes evadant [y] ſub pœna reſtitutionis pecuniæ ludo acquiſitæ, & ſex ducatorum, pro prima vice ſolvendorum, quam pœnam ſecunda vice duplam eſſe volumus: durante verò contumacia, gravioribus multis & ſuppliciis in eos procedemus.

CAPUT XXXVI.

De habitu clericorum.

ECcleſiaſticum ſtatum & ordinem maximè decet in corporis cultu & veſtitu ſummam honeſtatem præſeferre, & Chriſtianam elegantiam, neglecto omni luxu & turpitudine, in omnibus ſervare. Quapropter ex ſancti Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 6. [z] decreto jubemus, ut omnes ſacerdotes, aliique in ſacris ordinibus conſtituti, quocumque nomine & dignitate donentur, ubique clericali veſtitu induti, & capillo abraſo, ut tonſura conſpicua ſit omnibus, & detonſa prope cutem barba, juxta Alexandri III. conſtitutionem quæ incipit: *Clericis, De vita & honeſtate clericorum* incedant: nec tanta temeritate, & religionis contemptu ſint, ut propriam dignitatem parvipendentes, veſtes laïcales, profanas, variegatas coloribus, noctu, vel ad calcem minimè pertingentes, publicè deferant.

Volumus itaque ſub duorum ducatorum pœna, [a] ut omnes nigra clericali veſte inferiori induantur, pileum juſtæ ac debitæ magnitudinis geſtent; galerum ne deferant, niſi eo tempore, quo imbres è cœlo deciduntneque Eccleſiam tempore pluviæ cum galero ingrediantur; ſed in ipſo templi veſtibulo pileum clericalem aſſumant.

Perſonati, & larvis induti, [b] ſi clericali habitu ad publicam irriſionem, atque cachinnos veſtiantur, in eandem pœnam incurrant.

CAPUT XXXVII.

De habitu ſæcularium, qui choro inſerviunt.

QUI ad celebrationem divinorum officiorum choro inſerviunt, veſtitûs honeſtatem, & habitum loco ſacro congruentem, omni luxui ſæcularis habitus longè præferre debent. [c] Unde tibicines & cantores ſæculares monemus, ut ſaltem dum choro inſerviunt, honeſtis veſtibus induantur; additamenta & laſcinias, quæ ſummis manicis, & collaribus adjunguntur, ſinuoſas

---

[q] 14. q. 5. *Si quis oblitus.* 21. q. 3. per totam. [r] Eliberinum cap. 12. [s] Conc. Melden. c. 37. *De vita & honeſt. Cleric.* cap. *Clerici,* & ibi Gloſ. & Abbas 23. q. 8. *Non pila.* [t] Clerici ter admoniti, ſi arma deferant, amittant privilegium clericale. cap. *In audientia. De ſent. excomm. De vita & honeſt. clericor.* ubi Gloſ. [u] Covar. lib. 2. Variar. cap. 20. Bovadi. lib. 1. cap. 13. num. 87. ſuæ Politicæ.

[x] Eliberinum cap. 79. *De exceſſibus Prælator.* cap. *inter dilectos.* Clement. *De vita & honeſt. cleric.* cap. 1. & Extravag. eod. titul. cap. *Clerici.* [y] Salzedo in Practica canon. cap 70.

[z] Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Bracarenſe 2. cap. 66. 23. diſt. cap. *Prohibens.* [a] *De vita & honeſtate clericorum.* [b] Provinc. Valent. ſeſſ. 5. cap. 11. [c] Decret. Mediolan. *De vita & honeſtate cleric.* lib. 3. tit. 1. cap. 13.

ſas & ſuis flexibus, lactucarum inſtar, complicatas, rejiciant, clericales admittant, ſimplices nimirum, modicè latas, quæ honeſtè reclinentur, ſicut decet miniſtros miniſtrorum Dei. Animi etiam honeſtatem & morum candorem cunctis præſeferant.

In choro, cùm perſonarum debeat eſſe diſtinctio, inter Eccleſiaſticos ne ſedeant iidem ſæculares, ne Eccleſiaſticus cultus profano luxu permiſceri & commaculari videatur.

CAPUT XXXVIII.

De concubinariis tollendis.

FElicis recordationis Leo X. conſtitutione 14.[d] Prælatis injunxit, ut in ſuis Synodis Diœceſanis decretum *De concubinariis* evulgarent, & presbyteros hujuſmodi delicto & turpitudine involutos, ad ſuarum concubinarum dimiſſionem admonerent; filios, filiaſque ex ſacrilego concubitu ſuſceptos, è parentum domibus ejicerent, ut fœdiſſimi ſacrilegii extingueretur memoria. Nos igitur cùm ob nullam aliam labem vulgi oculos graviùs & acerbiùs offendi, majoremque ſæviendi & murmurandi cauſſam adverſùs Eccleſiaſticos præberi, quàm ob hoc delictum, videamus; conſultiſſimum duximus Leonis X. decretum in hac noſtra venerabili Synodo denunciare, ut ad illius imitationem & exemplar, hujuſmodi incontinentiæ cœno infectos & involutos moneremus.

Statuimus, ut quicumque clericus, cujuſcumque conditionis, ſtatus, religionis, dignitatis, etiam ſi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, qui poſt habitam præſentium notitiam (quam habere præſumatur poſt duos menſes) poſt earundem publicationē in Eccleſiis Cathedralibus factam, quam ipſi diœceſani facere omnino teneantur: poſtquam præſentes ad eorum notitiam pervenerint, publicus concubinarius à perceptione fructuum omnium Beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Necnon hujuſmodi publicum concubinarium, ut primùm talem eſſe noverit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut intra breviſſimum tempus concubinam dimittat; & ſi illam non dimiſerit, vel aliam publicè reſumpſerit, jubemus, ut ipſum omnibus ſuis Beneficiis privet. Et nihilominus hi publici concubinarii uſque quò cum eis per ſuos Superiores, poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamq; vitæ emendationem, fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcumque honorum, dignitatum, Beneficiorumve ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem reſiduo vomitu ad hujuſmodi publicum concubinatum redierint; ſine ſpe alicujus diſpenſationis, ad prælicta prorſus inhabiles exiſtant. Quodſi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos (ut prædictum eſt) punire neglexerint; eorum Superiores tam in ipſos de neglectu, quàm in illos de concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis, & Provincialibus & Synodalibus, adverſùs tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem à collatione Beneficiorum, vel aliâ condignâ pœnâ, ſeveriter procedatur. Et ſi ii, quorum deſtitutio ad nos, & Sedem prædictam ſpectat, per Concilia Provincialia, aut ſuos Superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni; ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ad nos deferantur.

Eadem verò diligentia & inquiſitio in quibuſcumque generalibus capitulis, & provincialibus, quoad eos ſervetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios à Jure ſtatutis, in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt, non ſolùm hi, quorum concubinatus per ſententiam & confeſſionem in jure factam; ſed pro rei evidentia, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, notorius eſt: ſed etiam qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & diffamatam tenent, & per ſuum Superiorem admoniti, ipſam cum effectu non dimittunt.

Quia verò in quibuſdam regionibus nonnulli juriſdictionem Eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus à concubinariis percipere non erubeſcunt, patientes eos in tali fœditate æſordeſcere; ſub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps ſub pacto, compoſitione, aut ſpe alterius quæſtus, talia, quovis modo, tolerent aut diſſimulent: alioquin ultra præmiſſam negligentiæ pœnam, duplum eius quod propter ea acceperunt, reſtituere, & ad ipſos uſus omnino convertere teneantur & compellantur.

Ipſas autem concubinas, aut alias ſuſpectas mulieres, Prælati omnibus modis curent à ſuis ſubditis, per auxilium, & brachii ſæcularis convocationem (ſi opus fuerit) arcere; qui etiam filios ex tali concubinatu procreatos, apud patres ſuos cohabitare non permittant. Jubemus inſuper, quòd in prædictis Synodis & capitulis præmiſſa publicentur: & ut quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat, diligenter injungimus.

Hujus igitur conſtitutionis exemplo & vocibus excitati, hortamur & monemus in Domino ſingulos noſtræ diœceſis presbyteros, & alios quoſcumque in ſacris ordinibus conſtitutos (quocumque nomine & dignitate donentur) ut intra breviſſimum tempus, nempe intra quindecim dierum ſpatium, concubinas, aut alias ſuſpectas perſonas domo ejiciant, aut aliarum turpem conſuetudinem deſerant: alioquin ſi intra hoc breve tempus ſecus quàm deceat, fecerint; fructibus trium menſium, vel juxta ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 14. decretum, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum, ipſo facto privatos eſſe denunciamus: creſcente verò illorum contumacia, etiam juxta ſacri Concilii Tridentini

[d] Ex Bullario & Lateran. Concil. ſub Leone X ſeſſ. 11.

tini ſeſſ.25.cap. 14. in eos procedemus, abſque derogatione aliarum pœnarum, quæ huic ſceleri à Jure communi impoſitæ ſunt.

Cùm verò eadem ſit concubinarum, & filiorum ex his ſuſceptorum ratio, cùm dixerit Dominus ad Abraham: *e Ejice ancillam, & filium ejus*; propterea jubemus, *f* ne poſthac presbyteri, aut ſacris ordinibus initiati, quocumque nomine & dignitate fulgeant, liberos ſuos ex ſacrilego concubitu ſuſceptos, per quos anteactæ vitæ libido, & publicum incontinentiæ crimen oſtenditur, domi alant, aut cum eis cohabitent; ſed intra menſem à prædictæ noſtræ Synodi publicatione, tamquam paternæ incontinentiæ teſtes, ex ſuis domibus & convictu excludant & expellant, neque cum eis habitent: alioquin elapſo dicto termino, primùm ab Eccleſiæ ingreſſu, mox elapſo menſe, à ſuis Beneficiis & officiis, noſtro beneplacito durante, ſuſpenſos denunciamus. Et inſuper ſi contumaces fuerint, acerbioribus & gravioribus pœnis, hujuſmodi ſcandali auctores, prout juſtitia poſtulabit, puniemus. Nullus presbyterorum permittat, filium ſuum ſibi in ſacrificio Miſſæ deſervire.

Jubemus etiam, *g* ne quis clericorum domi ad ſuum famulatum recipiat mulieres, niſi quadragenarias, & à Jure permiſſas, etiam prætextu affinitatis vel conſanguinitatis, neque eas, de quibus ſuſpicio haberi poſſit, tum nec illas quarum occaſione aliæ mulieres ſuſpectæ libidinis, clericorum domos frequentare poſſint. Si ſecus fecerint, juxta canonicas ſanctiones, à nobis punientur.

CAPUT XXXIX.

Ne fœminæ, & aliæ ſæculares perſonæ, in Eccleſiis noctu pervigilent, aut integro die, orationis occaſione, perſiſtant.

IN Concilio Provinciali Valētino ſeſſ.3. c.11, & ſeſſ.4.c.11.cautū eſt, *h* ne vigiliæ in Eccleſiis, monaſteriis, oratoriis, aut eremitoriis fiant: quæ ſæpè ſcandala & nocturnos tumultus excitare ſolēt. Ut verò hoc faciliùs exſequamur, jubemus, ut ſtatim pulſata oratione Angelica, omnes Eccleſiæ noſtræ diœceſis, & maximè S. Joannis, templum Monialium, quod eſt in civitate Oriolana, occludantur; neve audeant ſæculares perſonæ, ſub pœnis noſtro arbitrio reſervatis, nocturnas vigilias agere; & in locis ſupradictis, vel in agris ante fores eremitoriorum pernoctare, & ibi choreis, & contilenis profanis, ad parvas teſtudines compoſitis, noctes pervigiles ducere. *i*

Id quoque diurno tempore ne fiat, ſub excommunicationis pœna præcipimus: cùm excubiæ, quæ toto integro die in Eccleſiis agi à fœminis ſolent, vix ſcandalo careant; & ab Eccleſiis illi abuſus & comeſſationes arceri debent, quibus Dei templa, *k* quæ ad orationem inſtituta ſunt, fœminarum cibis & comeſſationibus confunduntur.

Jubemus etiam ſub eadem pœna, ne in Eccleſiis eremitoriorum lecti ſternantur ad dormiendum, jacendum, cubandum: cùm graviſſimæ inde Dei offenſiones oriantur.

Eos verò ſæculares, *l* qui ante Eccleſiarum januas ſtantes, fœminarum ingreſſum impediunt vel prohibent, atque impudicis & amatoriis dictis laceſſunt, & joculari petulantia & dicacitate pungunt & inſequuntur, aut injuriis laſcivientibus appetunt, excommunicationi ſubjicimus.

CAPUT XL.

Ne meretrices juxta Eccleſias aut ſcholas publicas vivant.

MEretrices, quæ corporis ſui quæſtum faciunt, vel aliæ ſuſpectæ mulieres, quas tamquam ſtercus in via ab omnibus cunculcari ſapiens clamat, *m* juxta Eccleſias tam Regularium quàm ſæcularium, & monialium, & juxta publicas ſcholas, ubi adoleſcentium ætas inſtituitur, domicilium habere prohibemus: ne earum occaſione illi qui virtuti ſtudent, ac optimæ diſciplinæ, vel Eccleſias frequentant, à diſciplina & pietate abducantur. Ne verò religionis prætextu oſcitantes ac parum providæ decipi poſſint; ſub excommunicationis pœna interdicimus, ne poſthac ejuſmodi fœminæ religioſis habitibus, ſeu ſcapulariis ornentur, ne ſacræ veſtes hujuſmodi maculis contaminari videantur.

Ob quam cauſſam hortamur ſæculares magiſtratus, & in Domino requirimus, ut in hac re diligentem operam impendant, & pro totius reipublicæ utilitate, hæc probra, & publica ſcandala, è publicis locis arceant; maximè hoc tempore quo in vicinos noſtros Dei iracundiam acerbiorem & ſeveriorem ſentimus.

SESSIO TERTIA.

Die VI. Octobris habita, & die VII. ejuſdem in noſtra Cathedrali Eccleſia publicata.

CAPUT XLI.

De ritu canendi in choro.

CAntus in choro ille eſſe debet, quem Romana Eccleſia, mater omnium Eccleſiarum, inſtituit, & diſtinctis temporibus ſervat. *n* Cùm enim mœſtitiæ & dolo-

---

e Geneſ.21. *f* Concil.Tolet.9.cap.10. 28.diſt. *Prius.61.* diſt. cap.*Catinenſe.* 81.diſt. cap.*Maximianus, &c. Clericus.* 82. diſt. *Propoſuiſti.*15.q 8.*Cum multi.* lvp.6. par.cap.425, *g* Synod.Nicæn.can. 3. Bracarēn. 2. cap.32. & Bracarēn. 3. cap. 4. Hiſpalen. 1. cap. 3. Tolet.4.cap.42. Tolet.8. cap. 5. 32. diſt. *Hoſpitiolum.* Hieronym. ad Nepot.Arelaten. 2. cap. 3. *De cohabitat. clericor. & mulier.* Agathen.cap.10.

h Eliberinum. c. 35. Tolet. 3. cap. 13. Bracar. 2. cap. 80. S. Auguſt. ſer. 25. *Ad fratr. in eremo.* Durantius. lib. 6. Rational. cap.7. Bellet. cap.11. *i* Ex Ivone 3. par.cap. 77. ex Moguntin. Synod.1.cap.48. *k* 2. Corinth.11. 44. diſt. *Comeſſationes.* *l* Concil. African.ſub Bonifac.1.cap 27.

m Ex Concil Provinc.Bononien.

n Ioan.Diaconus lib.2.de B. Gregorio cap.7.cum ſeqq.

loris eſt plena, ut in Vigiliis, & Quadrageſima; vel aliquod latens myſterium exprimit, ut in nonnullis Primæ, & Completorii precibus; ſummiſſa voce, quaſi gemebunda, lamentatur; & humilitate, & demiſſione cordis à Virgine Maria in officio parvo auxilium expoſcit. In aliis verò temporibus, & Eccleſiaſticis muneribus, ſemper alta voce Pſalmos, & juxta librorum chori præſcriptum, Antiphonas & Collectas canit. Hæc igitur Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, quæ priùs in noſtra Cathedrali vigebat, cùm paucis ab hinc annis, nobis, & anteceſſoribus noſtris inconſultis, neglecta, & intermiſſa fuerit; propterea eandem reſtituimus, & in priſtinum ſtatum revocamus.

Jubemus ergo ne in noſtræ Cathedralis, Collegiatæ, aliarumque Eccleſiarum choro canonicæ Horæ, præter illa tempora ab Eccleſia Romana præſcripta, aut Sanctorum commemorationes, ſubmiſſa & lugubri voce recitentur; ſed alta voce, ex Antiphonario, & aliorum librorum præſcripto. Si ſecus fecerint; præter inobedientiæ reatum, illius horæ diſtributionibus ſe privatos agnoſcant.

CAPUT XLII.

De diſciplina & ſilentio chori.

IN choro ea diſciplina, modeſtiaque ſervari debet, quæ loci majeſtati & pietati conveniat: [o] nempe ut Eccleſiaſtici omnes, quacumque dignitate cenſeantur, fide viva, & charitate non ficta, pro populo Dei, tamquam veri Jeſu Chriſti miniſtri, ſtrenua legatione fungantur. Sit igitur in choro corpus modeſtia & moderatione compoſitum, manus modeſtæ ac temperatæ, mens ad orationem intentior, voluntas in Dei ſtudium fervens, memoria ad pietatem erectior, os plenum ac redundans laudibus, cantus diſtinctus vocibus, non murmure, aut intercepta dictione confuſus.

In choro nihil ſæculare legendum, ſcribendum, agendum, narrandum, ridendum, jocandum, cachinnandum, rixandum, obloquendum, nihil dormiendum, quòd mentem à Dei ſtudio & oratione ſubducat.

Studeant Eccleſiaſtici omnes in eo loco ubi angelos teſtes, inſpectores, & ſocios ſuarum precum habent, ne mens divagetur negotiis, ne animus levibus & turpibus paſcatur, ne tepeſcat neglectu, aut deſidiâ langueſcat: ſed ante orationem præparent animam ſuam, ut ait Salomon, ne ſint quaſi homo qui tentat Deum.

Ut verò quæ ad Dei honorem ſpectant piè ac ſanctè fiant, conſtitutiones noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, ab undecimo capite uſque ad viceſimum tertium, ubi de diſciplina chori agitur, libenter amplectimur, & quibus poſſumus ſtudio, & voluntate proſequimur. Cæterùm, ut ſtabiliori ſtudio & diligentia obſerventur, jubemus, ut chori Præfectus ita in oratione & attentione pervigilet, ut ſilentium imperare, tardos admonere, & pecuniariis multis oſcitantes excitare poſſit.

Magiſter cæremoniarum (quem in omnibus noſtris principalioribus Eccleſiis deſignamus) tamquam cenſor modeſtiæ ac diſciplinæ, omnes, etiam quavis dignitate illuſtres, benignè & humiliter admoneat ex munere, [p] ne incompoſito, laxo, prono, vel in dexteram & ſiniſtrâ flexo, aut reſupino corporis habitu ſtent, ſedeant, genuflectantur; ſed decoro, gravi, & modeſto. Quicumque huic monitioni non paruerit, aut voce, clamore, torvo vultu & aſpectu ſibi injuriam illatam ſignificaverit; ſi admonitus à Superiore parere noluerit, tamquam indiſciplinatus & loco indignus expellatur.

Eccleſiaſtici, qui ſunt in inferioribus chori ſedibus, cum aliis, qui ſuperiores ſedes ac pluteos occupant, ne commiſceant ſermones, nec dicta conferant, aut rogent: nec ſuperiores ad obloquendum illos provocent, nec per chorum diſcurrant, nec ſedes mutent, nec à choro diſcedant, niſi neceſſitate urgeantur.

Unuſquiſque in ea chori ſede conſiſtat, quæ ſibi poſſeſſionis tempore, vel antiquitatis ratione deſignata fuit: qui ſecus fecerint, diſtributiones illius horæ, quæ aliis debent accreſcere, amittant.

Caveant chori punctatores [q] negligenter aut oſcitanter ſuum munus exſequi, aut aliquorum reſpectu & metu, quia ad hoc officium punctandi ab ipſis defecti ſunt, quicquam prætermittere, quod Eccleſiaſticæ diſciplinæ adverſum ſit. Si quos abſentes, vel in choro tumultuantes, aut obloquentes viderint, ſtatim deſignent, & notent, ut illius horæ diſtributione priventur. Si id ſuâ negligentiâ fiat, ſciant ſe peccato mortali obnoxios, in excommunicationis ſententiam incurſuros.

Canonici noſtrarum Eccleſiarum eligant punctatorem virum probum & induſtrium, & adhibitis ſacramentis obſtringant, ut diligenter & ſtrenuè ſuum munus, poſtpoſita omni affectione, exerceat. Si ſecus in præmiſſis omnibus fecerint, ſciant à nobis, ob ipſorum negligentiam, punctatorem eſſe eligendum, qui nobis ſingulis menſibus referat, quinam in choro tardi, quinam focordes, quinam deſides fuerint.

CAPUT XLIII.

Quo ordine proceſſiones fieri debeant.

IN ſupplicationibus, quæ ſolenni pompa, piis populorum votis, pro regum ſalute & reipublicæ incolumitate indicuntur, vel in aliis proceſſionibus, quæ pro tumulandis cada-

[o] Decret. Mediolan. *De vita & honeſt. clericor.* lib. 3. tit. 1. cap. 14. [p] Card. Borromæus Synod. Provinc. 1565. cap. *De officio magiſt. chori, & cærem.* Decret. Mediolan. lib. 1. tit. 20. cap. 1.
[q] Idem *De offic. punctat.* lib. 1. tit. 19. per totum.

daveribus fiunt, [r] curent canonici noſtrarum Eccleſiarum, qui aliis exemplo prælucere debent, reliquique omnes Eccleſiaſtici noſtræ diœceſis, ut quanta poterunt animi religione, humili corporis habitu, gravi & compoſito gradu, oculis modeſtis & humi defixis, ordine & moderatione qua decet, bini incedant, nec perturbatione, jocis, dicteriis, clamoribus, per vias cachinnentur, aut corporis & brachiorum jactatione tumultuentur, fluctuent, aberrent: ut exploſis his abuſibus, ſenatus Eccleſiaſticus ad modeſtiam moderationemque compoſitus cenſeatur.

Præſidentes ſeu Præfecti ſuo exemplo alios commoveant, & oratione commoneant, ut unuſquiſque ſuo loco & ordine incedat.

Curent omnes à primo Eccleſiæ egreſſu pſalmos hymnoſque divinos recitare, ut ſæculares ſuo exemplo ad Deum deprecandũ promoveant. Eadẽ quoque orandi diſciplina ſervetur, quum ad Eccleſiam revertentur. Crucem, tamquam teſſeram religionis Chriſtianæ, illi ne deſerant, qui Beneficiati, vel ei Eccleſiæ fuerint abſcripti. Si verò negligentes in ſingulis præmiſſis fuerint; juxta decretum 47. primæ Synodi Oriolanæ, à Præfecto vel capſoverio portione, quæ proceſſionem comitanti deſignata eſt, priventur: quæ aliis ſe modeſtè gerentibus accreſcat.

CAPUT XLIV.

Ne capitulum habeatur quo tempore divina celebrantur officia.

CAnonici, qui præcipuè divino cultui addicti ſunt, & ea de cauſſa à canonicis horis decantandis honorarium nomen acceperunt, primùm Eccleſiaſticam chori functionem curare debent. [ſ] Dolenter ſanè referimus, in tam exiguo ſacerdotum numero, qui in noſtra Cathedrali Eccleſia reperitur, divinum cultum ſæpè debito honore deſtitui ac deſeri, dum illi, quibus hoc ex munere incumbit, quo tempore ſacrificia peraguntur, relicta chori functione, capituli negotia pertractant. Sæpè enim non ſine dolore conſpeximus, omnibus ferè canonicis abſentibus, eorum exemplo duos vel tres tantùm cappellaneos in choro remanſiſſe, ut ſacro Miſſæ ſacrificio deſervirent. Cui malo ut competens remedium adhibere poſſimus, Concilii Provincialis Valentini auctoritate ſeſſ. 3. cap. 23. jubemus, ne poſt cœptum Miſſæ majoris officium, in capitulum illi conveniant, nec à choro recedant, donec corporis Domini fuerit facta communio. Qui ſecus fecerint, unius ducati pœnam exſolvant, & illius horæ diſtributionibus careant: quæ nulla conventione, aut donatione, aut colluſione remittantur.

Idem quoque ſub eadem pœna in Veſperis ſervari volumus: creſcente verò contumacia, in eos, prout juris fuerit, procedemus.

Nullus canonicorum à capitulo excludi poſſit eo prætextu, quòd majori parti non ſubſcribat, & aliorum vota non probet: ſed libera poſthac cuilibet ſit dicendi ſententia, & diſſentiendi facultas.

Notarius capituli, ut rectè ſuum munus expleat, vota omnia in ſcriptis referat, & eos qui contrariam ſententiam tulerint & defenderint, nominet & numeret, ut liberè, & non coactè omnes ſententiam dixiſſe videantur.

Nulla poſthac ſtatuta fiant, niſi ſcriptis conſignentur: ne ſumma fiat in Eccleſiis perturbatio, dum alii hoc ſtatutum factum, alii minimè factum fuiſſe affirmant & contendunt.

Statutum illud: *Ne canonicus officium vicarii generalis exerceat*: [t] tamquam charitati, & Juri communi contrarium, & obſequio, quod Epiſcopo debetur, repugnans; omnino abolemus & caſſamus.

Non liceat capitulo literas teſtimoniales in alicujus approbationem & favorem, de moribus & vita, Sede plena, concedere: & cum clauſula: *Univerſis & ſingulis perſonis*, deſtinatas expedire: ſi factæ fuerint, tamquam infectas, interdicti pœnâ revocamus.

CAPUT XLV.

Quo pacto coadjutores approbari debeant.

SOlent nonnulli, ut ſuorum amicorum ſtudio & votis reſpondeant, eos, qui coadjutores futuri ſunt, licèt minus ad id muneris aptos, vel literis, & morum integritate parum conſpicuos, & minus ad Eccleſiæ officium neceſſarios, agnoverint; ſuorum tamen benevolentiâ allecti & impulſi, datis ad SS. D.N. literis commendare, & de eorum approbatione conſcribere. Cùm autem Eccleſiæ interſit viros probos ac doctos ad functionem Eccleſiaſticam deſignari; propterea hortamur capitulum noſtrarum Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiarum, ne quemquam ſuis literis probet ac laudet, niſi priùs adhibitis ſacramentis, de eorum virtute, doctrina, & meritis plenè conſtiterit, tales coadjutores ob urgentem neceſſitatem, aut evidentem utilitatem dignos eſſe ad Eccleſiaſticam functionem.

Hujuſmodi verò approbatio calculis canonicorum confirmetur, & ſcriptis, notario ac teſtibus præſentibus, pleno convocato capitulo, & omnium exquiſitis votis, conſignetur; ut poſtea conſtare poſſit, Eccleſiæ in deſignando tali coadjutore fuiſſe conſultum.

CA-

[r] Decret. Mediolanen. lib. 4. tit. 7. per totum. [ſ] Decret. Mediolan. *De prabend. & dignitat.* lib. 7. tit. 4. cap. 5. [t] *De clericis non reſidentib. cap. De cætero* & cap. *Ad audientiam*.

CAPUT XLVI.

Quando in funeribus ducendis Nocturna dicenda ſint, & ſtationes permittendæ.

QUotieſcumque funus aliquod clerici omnes trium noſtrarum Eccleſiarum parochialium hujus civitatis Oriolanæ comitaturi ſunt, ut majori cum decore, & pietatis cæremonia fiat, duæ cappæ, & duo ſceptra argentea deferri poterunt. Diaconus & ſubdiaconus dalmaticis induti, presbytero aſſociabuntur: & ubi erit major populi frequentia, in via funus ſiſti poterit, ut præſentes Chriſti fideles, recitata oratione Dominica, piis ſuffragiis defuncti animam juvent.

In Eccleſia quoque, ubi cadaver tumulandum erit, unum vel plura Nocturna defunctorum unà cum Laudibus, juxta Breviarii Pii V. regulas, decantari poterunt, ut anima illius defuncti noſtris orationibus expiari poſſit. Pro quolibet verò Nocturno cuicumque clerico duo ſolidi cum dimidio conferantur, & pro Laudibus dimidiata portio.

Quòd ſi clerici eodem tempore in recitandis aliis ſummiſſa voce Nocturnis, in cappellis ejuſdem Eccleſiæ, ut moris eſt, occupati fuerint; etiam prædictos duos ſolidos cum dimidio lucrabuntur. Pro qualibet ſtatione ſex nummos ſingulis clericis perſolvendos aſſignamus.

Ubi verò omnes parochiæ minimè convenerint, nec tanta erit in ducendo funere cleri & populi frequentia, Nocturnorum recitationem, unà cum Laudibus in Eccleſia permittimus, ſtationes tamen fieri in via prohibemus.

Qui majorem ſuſtinent laborem, majorem quoque mercedem percipere debent. Ideo in funere, curati, vel rectores, vel hebdomadarii, qui pluvialia geſtare ſolent, præter integram portionem ſingulis perſolvendam, pro geſtatione cappæ, ſeu pluvialis in illo actu, aliam dimidiatam portionem capiant: qui ſceptra deferunt, decem alios nummulos habeant.

CAPUT XLVII.

Eccleſiam parochialem S. Salvatoris, in Cathedrali ſitam, cæteris præferendam eſſe.

QUotieſcumque Eccleſia parochialis S. Salvatoris ad aliquod funus ducendum egredi contigerit; ob Cathedralis Eccleſiæ dignitatem, quæ cæterarum hujus diœceſis matrix & caput eſt, ob ejus venerationem, cæteris aliis totius diœceſis parochialibus præferatur: & ejus curatus presbyter in omnibus Eccleſiis hujus civitatis & diœceſis, tam in funeribus, quàm in officiis celebrandis præerit. Excipimus tamen Eccleſiam Collegiatam S. Nicolai, ſi intra eam officium peragendum erit.

Quælibet Eccleſia Parochialis in ſua ditione, ſi funus in ea tumulandum ſit, cæteris aliis loco, ordine, dignitate, & crucis geſtatione antecedat: ita tamen ut ſacerdotes omnes ſimul & conjunctim duobus choris incedant, in dextero ſacerdotes propriæ parochiæ, & in ſiniſtro vocati & adſciti, ut inter eos aliqua animorum conſociatio videatur: quod tamen locum habere non debet, ſi clerici Eccleſiæ Cathedralis ad funus ducendum acceſſerint.

Cùm duas parochias hujus civitatis defunctus elegerit, ſi expreſsè eas non nominet, tunc alternatim, ſive per turnum, deſignandæ erunt à Rationali vel capſoverio, ut omnes clerici hujus civitatis emolumenta lucrari poſſint. Cùm capitulum noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ad funus ducendum eligitur, præter crucem S. Salvatoris, quæ parochialis Eccleſiæ ſignum eſt, crux etiam alia, Eccleſiæ Cathedralis propria, deferatur; & pro ejus geſtatione portio à nobis deſignanda perſolvatur.

CAPUT XLVIII.

Pagi, & rura extra civitatem Oriolanam ſita, tribus ejuſdem parochiis aſſignantur.

PArochi Eccleſiæ S. Salvatoris, ad quos pertinet ſacramenta adminiſtrare in omnibus ruribus, & pagis, extra civitatem Oriolanam ſitis, cùm ſine magna difficultate, & ingenti ipſorum incommodo, necnon ægrotantium periculo, ob loci diſtantiam, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ-unctionis ſacramenta conferre non poſſint; propterea ex auctoritate ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 21. cap. 4. rura omnia, quæ extra portam Murtiæ ſita ſunt, relicto ad ſiniſtram flumine, qui Tader antiquitus, & nunc *Sigura* dicitur, ne noſtrorum ſubditorum animæ detrimento afficiantur, ab Eccleſia S. Salvatoris adimimus & ſeparamus; & Eccleſiæ parochiali S. Jacobi, ſicut quæ extra portam S. Auguſtini ab ea nova via, quæ ſiniſtrorſum, deinde dextrorſum inflectitur, & rectà Orgellum versùs ad radices montis Carthaginem tendit, Eccleſiæ parochiali SS. Juſtæ & Ruffinæ, auctoritate Apoſtolica conſignamus, applicamus, atque ſubjicimus. Reliqua verò rura, extra civitatem ſita, reliquoſque pagos Eccleſiæ parochiali S. Salvatoris ſubjecta reliquimus.

CAPUT XLIX.

Ex omnibus terræ fructibus integræ decimæ, & nullâ interpoſitâ morâ, perſolvendæ ſunt[n].

DEcimarum ſolutio, cùm de jure divino Eccleſiaſticis perſonis fieri debeat, non ſolùm ex illis fructibus, qui in foro venduntur; ſed etiam ex iis frugibus, quæ agricolarum induſtriâ ad privata commoda, & do-

n *De decimis. cap. Tua nos.*

domus ſuæ occaſione, victuſque prætextu ſuperfluè reſervari ſolent: propterea ſub excommunicationis pœna jubemus, ne quis apud ſe hortorum fructus, quocumque nomine cenſeantur, copioſiores quàm par ſit, vel ſuæ domui non neceſſarios, retineat; aut falſo animi errore corruptus, ex his decimas non perſolvendas exiſtimet, cùm id juri decimandi repugnet, & maxima inde damna Eccleſiaſticis inferri poſſint.

Integris igitur & inviolatis ſemper hac in re manentibus privilegiis, foris, & ſententiis à Jacobo I. & aliis regibus huic regno Valentino conceſſis, decimæ, deductis colonorum ſumptibus, aut ſtipendio, quod mercenariis impenditur, aut ſemine ſeparato, poſthac ne perſolvantur: ſed magna cum integritate, nulla excogitata fraude, dolo, aut diminutione, reddantur.

In earum ſolutione æquitas ita ſervanda eſt, tam in frumenti, vini, uvarum, olei, orizæ, mori foliorum, quàm aliorum ſeminum, & granorum, vel olerum frugibus, & lana, ut ejuſdem integræ ſpeciei, naturæ, & qualitatis, non commutatis fructibus, decimæ perſolvi debeant.

Quòd ſi frumenti, ordei, & orizę ſpicæ, quę reſiduæ erant in areis, iterum terantur; inde etiam decimæ debentur: quas ſtatutis & conſuetis in hoc regno menſuris, non ſportis, perſolvi jubemus; ne damnum aliquod, & fraus in Eccleſiaſtica bona poſſit irrepere.

Ex aceribus quoque frumenti, ordei, & orizæ, terræque purgamentis, juxta Conciliũ Provinciale Valentinũ ſeſſ. 5. cap. 16. decimæ neceſſario perſolvi debent: qui contrà fecerint in prædictis omnibus, in excommunicationis ſententiam incurrant.

Jubemus quoque ſub eadem pœna, * ne fructuum ſolutio differatur multo tempore, aut deteriores, reſervatis ſibi melioribus, tribuantur: ſed ſtatim atque collecti fructus erunt, denuncientur præfecto granarii, ſub cujus fide & tutela fructus omnes exiſtunt, ut ſtatim in horreum reportari & inferri poſſint.

CAPUT L.

Domini temporales, in quacumque dignitate conſtituti ſint, colere debent omnes Chriſti ſacerdotes.

Superiorum exempla imitari ſolent inferiores, maximè in his quæ ad religionem ſpectant & pietatem. Sic qui imperium tenent & auctoritatem in Moriſchos, qui in orthodoxa Fide & religione nondum adulti ſunt, ſi illorum converſionem promovere, & animorum ſaluti æternæ egregiè conſultum volunt; ſe piè propenſos & animatos in Eccleſiaſticas perſonas præbeant, & debitos honores exhibeant. † Quamobrem temporales dominos, in quacumque dignitate conſtitutos, & eorum vices-gerentes, pro Jeſu Chriſti viſceribus obſecramus & monemus, ut Moriſchorum parochos, & quoſcumque alios Chriſti ſacerdotes, nullis contumelioſis verbis laceſſant, in circulis ne vellicent, in conviviis ne carpant, & coram ſe aperto capite illos ſtare nequaquam permittant: ſed ſumma eos humanitate & benevolentia complectentes, honorificis verbis præſentes colant, & abſentes proſequantur, ut ſacerdotali dignitati, quam angeli ipſi ſuſpiciunt, debitum cultum & reverentiam præſtare videantur: præſertim hoc tempore, in quo Moriſchorum converſio, atque Catecheſis non perfunctoriè, ſed ſtrenuâ operâ ſuſcepta eſt.

Sacerdotes verò & parochos, qui coram dominis temporalibus, vel publicè vel privatim detecto capite ſteterint, ‡ ut qui Eccleſiaſticam dignitatem indigniſſimo famulatu dejiciunt & deprimunt, graviter puniemus.

Quòd ſi barones, & domini temporales, quocumque titulo inſigniantur, vel ipſorum procuratores, & vices-gerentes præſumpſerint, vel tentaverint, appoſitis impedimentis, ſacerdotibus inferre moleſtiam, ut vexationis timore, indecenti quadam demiſſione ſe gerant, & velut inferiores miniſtri illis inſerviant, Miſſarum celebrationem ipſorum præſcripto & nutu, vel protrahant vel antevertant, & turpi obſequio ſacerdotalem dignitatem dehoneſtent; opportunum huic malo remedium, quodque magis expedire viſum fuerit, adhibebimus.

Hortamur item dominos temporales, ut Moriſchos vaſſallos ſuos, ad fidem Catholicam exemplo & auctoritate promoveant, eos ad detegendos errores ſuos in foro exteriori moneant & excitent, & à Mahometana ſecta avertant, ut ſibi & ſubditis ſuis optimè ſit ac ſecurè conſultum.

Caveant etiam parochiani ſuos patres ſpirituales calumniis confictis perturbare, aut falſa ipſis crimina imponere, ut eos, cum Eccleſiæ incommodo, è cura deturbent, & in ſuo munere exſequendo ſegniores reddant: qui id effecerint, excommunicatione plectantur.

CAPUT LI.

Quæ efficere & exſequi debeant Confraternitatis nobilium alumni.

Confraternitates piè ac religiosè inſtitutæ ut corruant neceſse eſt, ſi illarum alumni, quæ diligenter obſervare debent, minimè exſequantur, & ſanam inſtituentium voluntatem, Chriſtianamque mentem negligant. Unde exhortandos & commonendos in Chriſto Domino eſſe judicavimus, prout paterna charitate exhortamur & commonemus, omnes Confraternitatis nobilium alumnos, quos ipſa à majoribus accepta nobilitas, & ſanguinis ſplendor excitare debet: ut quando nos ipſorum confraternitatem, quæ ferè jam prorſus deperierat, renovandam & inſtaurandam curavimus, ipſi etiam novo ſtudio & diligentia, viduarum, &

pu-

* *De decimis. cap. Cum homines. 7.*
† Concil. Roman. ſub Gregor. VII. cap. 26. Synodus Aquiſgran. part. 4. cap. 7. ‡ Synod. Argentinen. ſub Arnulpho. cap. 7.

pupillorum patrocinium ſuſcipiant, miſerabilium perſonarum, quæ carcere detinentur, tutelam & defenſionem aggrediantur, miſeros & afflictos ſolentur, laborantibus, quantum fieri poterit, ſuccurrant, pietatis & miſericordiæ opera exerceant, ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, quod generoſos & Chriſtianos conatus juvare & proſequi maximè ſolet, ad totius populi ædificationem & exemplum, frequenter recipiant, ut hujus Confraternitatis ſtudium non modò non reſtingui, ſed in dies etiam augeri & nobilitari magis valeat.

Librum etiam rationum habeant, ut accepti & expenſi noſtris viſitatoribus rationem reddere ſingulis annis poſſint.

CAPUT LII.

Confratres ne in rebus ludicris, aut tormentis emittendis pecunias exſolvant.

QUoniam Confraternitatum laïcorum alumni in agitandis tauris, in ignibus, qui noctu longè colluceant, & in bellicis tormentis diſplodendis ſæpè bona & eleemoſynas Confraternitatis abſumunt; ſæpè etiam ab illarum Præfectis taxæ per capita imponuntur, aut viritim imperantur pecuniæ, quæ ſæpè ab alumnis perſolvi non poſſunt; [a] propterea ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne in pervigiliis Sanctorum, quos ſibi patronos delegerunt, fragores bellicos, & tormenta militaria è ſacris arcibus, vel aliunde emittant, aut primo mane civitates, oppida, & loca clangoribus & tumultibus, gentili & ſæculari more excitatis, concutiant, aut in his rebus, aut aliis ludicris pecunias Confraternitatis abſumant, quæ ad pietatis opera deſignari debent.

Ne item onera imponant occaſione ludorum: ſed omnes pecunias, ſive imperatas, ſive pia devotione donatas, in Eccleſiæ ornamenta, & in virgines nuptui tradendas, & alia pia opera impendant. Si ſecus fecerint, à noſtris viſitatoribus eorum rationes expenſi non admittentur, ſed cogentur Præfecti has omnes pecunias temerè impenſas in duplum reſtituere.

CAPUT LIII.

De iis qui ad titulum patrimonii ordinandi ſunt.

COgit nos improbitas temporum, ut illis diligentiùs conſulamus, qui ad titulum patrimonii ordinandi ſunt: qui ſæpè, abjecto Dei timore, nos fraudibus involvunt, & pluſquam ſit, rei donatæ valorem augentes, mentiuntur. [b] Volumus igitur, ut poſthac nullus ſacris ordinibus initiari poſſit, niſi titulus eius patrimonii quinquaginta ducatorum redditus ſuperet (niſi inſpecta ratione & qualitate perſonæ aliter nobis videatur) qui compenſata terrarum, quæ aſſignantur, fertilitate, & fructibus, qui annuatim colligi poſſunt, tum expenſis, quæ in agris excolendis inſumuntur, aliiſque computatis rationibus, ab omni onere liberi & ſoluti, hujuſmodi quinquaginta ducati remaneant.

Eos verò omnes, qui neglecto Dei timore, pluſquam ſint fructus, aut terrarum redditus, præter animi ſui conſcientiam, & rei valorem, coram notario & teſtibus æſtimaverint, vel aliquas colluſiones inter cedentem & ceſſionarium tacitè confinxerint, vel poſſeſſiones obæratas, & annuis cenſibus obſtrictas, ut liberas tradiderint; tamquam perjuros excommunicationi ſubjicimus.

Illi quoque, qui ad titulũ patrimonii ordinantur, agnoſcant ſe illius Eccleſiæ, cui addicti ſunt, ſervitio eſſe conſcriptos, & ejus obſequio toto vitæ tempore mancipatos, & pro illius utilitate & neceſſitate fuiſſe aſſumptos.

Qui verò nobis inconſultis locum deſeruerunt, juxta ſancti Concilii Tridentini decretum ſeſſ. 23. cap. 16. punientur. Volumus etiam, ut ſingulis ſaltem diebus Dominicis & feſtivis in Eccleſia, cui adſcripti ſunt, chori functiones peragant, & proceſſionibus generalibus, & dominicalibus, & in ſabbatho decantationi, quæ *Salve regina* dicitur, interſint. Quòd ſi huic monitioni non paruerint; ſi ſubdiaconi vel diaconi ſint, ob eorum negligentiam ad majores ordines non aſſumentur.

Presbyteri in Eccleſiis, non reſidentes, licèt juxta Concilii Toletani I. decretum cap. 3. à Miſſarum celebratione privari poſſent; ſi moniti non paruerint, ob eorum contumaciam pro noſtro arbitrio plectentur.

Nullus poſthac ad ſacros ordines ſuſcipiendos admitti poſſit, niſi exactè canendi in choro artem agnoverit, cùm ad hoc munus laudandi Dominum miniſtri Eccleſiæ deſignentur.

Qui ſacris ordinibus inſigniti fuerint, ſtatim ſacras ſacerdotales veſtes comparent, ſub duorum ducatorum pœna; ut his ornati, Eccleſiaſticis functionibus deſervire poſſint.

CAPUT LIV.

Ordinibus initiati quo tempore Euchariſtiam ſacram ſumere debeant.

EUchariſtia ſacra primâ Dominicâ cujuſcumque menſis, & in aliis ſanctiſſimæ Virginis ſolennitatibus, ab his piè ſuſcipiatur, qui quatuor minoribus ordinibus initiati ſunt. Ejus rei teſtimonium deferant à ſuis parochis & confeſſoribus, ſi ad majores ordines admitti voluerint.

Subdiaconi & diaconi, præter ſolennes feſtivitates, bis in menſe ſacram Euchariſtiam in Eccleſiis, quibus fuerint adſcripti, ſuſcipiant; ut majori ſtudio pietatem amplecti videantur, & nos

[a] Synod. 1. Ortolan. cap. 49. [b] Decret. Mediolan. lib. 1. tit. 10 *De tempor ibus ordinand.* cap. 49. & 54. c. 97. diſt. *Si quis preſbyter.* Braccaren. 2. cap. 63. & 64.

nos ſua virtute excitent & alliciant, ut eos libentiùs ad majora promoveamus.

Presbyteros omnes, quacumque dignitate & gradu decorentur, hortamur in Domino, juxta conſtitutionem Concilii Provincialis Valentini ſeſſ. 3. cap. 5. ut Miſſas ſingulis ſaltem diebus Dominicis recitent. Quòd ſi ætate vel ſenectute, vel alia graviori cauſſa, quam nobis denunciare debent, huic monitioni non ſatisfecerint; jubemus, ut ſaltem decimo quoquo die in ſuis Eccleſiis communicent.

CAPUT LV.

De aris portatilibus.

ARas, ſeu tabulas lapideas, in quibus corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti conficitur, cùm aliæ confractæ, aliæ ſubmotæ, aliæ ſine Sanctorum reliquiis dicatæ ſint, ut debitè in his ſacrificii ritus peragatur, de novo exſtruendas, & veteribus remotis, alias priorum loco reponendas, & additis Sanctorum reliquiis, majori cæremonia conſecrandas eſſe [d] juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem duximus. Jubemus igitur omnibus rectoribus, & aliis parochis, ut abſoluta hac ſecunda venerabili Synodo, ſtatim poſt duos menſes tot ad nos conſecrandas tabulas lapideas tranſmittant, quot erunt eorum altaribus neceſſariæ. Qui verò negligentes fuerint, ſex ducatis multabuntur.

Curent præterea intra idem tempus, & ſub eiſdem pœnis, ut [e] juxta altare majus, vel juxta fontem baptiſmi, locus aut vas præparatum exſtruatur, ad infundendam aquam ablutioni corporalium, & vaſorum ſacrorum, ac manuum, poſtquam ſacerdotes ſacrum chriſma, aut oleum catechumenorum, vel infirmorum tractaverint.

CAPUT LVI.

De illis, qui ante matrimonium ſe carnaliter polluunt.

MUlti priuſquam in Eccleſia publicè fiant denunciationes, aut per verba de præſenti coram parocho & teſtibus matrimonium contrahant, tamquam gentes quæ Deum non timent, ſe turpiter commiſcent, & ſtupri delicto commaculant. [f] Ex qua re ſæpè accidit, ut eam, quam futurus maritus ſemel agnovit, ex prima congreſſione odio proſequatur, & fœmina priùs ab illo exſolvi cupiat, quàm vinculo matrimonii fuerit adſtricta.

Multi etiam intra gradus prohibitos matrimonium conſumare præſumunt, antequam Apoſtolicam diſpenſationem obtineant.

Ut igitur controverſias & graviſſima peccata tollamus, quæ hujus rei cauſsâ provenire ſolent, [g] ſub excommunicationis pœna, & aliis noſtro arbitrio reſervatis prohibemus, ne parentes aut curatores novam ſponſam futuro marito tradant, aut cum ea ante matrimonium in eiſdem ædibus habitare, aut rem habere permittant, ne majori delicto & crimini obnoxii fiant.

In ſponſos verò, qui poſtpoſito Dei timore, ante ſacramenti ritum, copula carnali ſeſe communicaverint, acerbioribus pœnis, prout juris fuerit, procedemus.

In inceſtuoſos quoque pœnas, quæ in Concilio Provinciali Valentino ſeſſ. 22. cap. 25. ſtatutæ fuerunt, exſequemur.

CAPUT LVII.

Ne nuptiales benedictiones alio in loco, quàm in propria parochia, dentur: nec conjuges ante benedictionem cohabitare permittantur.

COnſuetudinem illam, quâ nuptiales benedictiones in eremitoriis, vel oratoriis, vel in religioſorum conventibus, de licentia parochi celebrari ſolent, penitùs rejicimus, [h] nec ullam poſthac facultatem dari ad hanc rem patiemur, etiam ſi ad eam concedendam importunis precibus inducamur, cùm extra parochialem Eccleſiam, quæ à ſacro Concilio Tridentino præſcripta ſunt, irreverenter fiant.

Curent animarum parochi, ut intra menſem conjuges nuptiales benedictiones accipiant: alioquin ſi negligentes fuerint, ſex ducatorum, & excommunicationis pœnam incurrant.

Nuptialibus præterea choreis ſacerdotes ne interſint: [i] cùm in eis luſus & ſaltationes fiant, aut amatoriæ & laſcivæ canantur cantilenæ.

Fœminæ poſt puerperium ad Eccleſias parochiales, ubi earum liberi baptiſmo initiati ſunt, non ad monaſteria, gratias Deo acturæ, ſub pœna decem ſolidorum, accedere debent, ut à ſuis paſtoribus animarum, preces & benedictiones accipiant.

Miſſas nuptiales rectores noctu ne celebrent, ſed prima albeſcente luce, cùm id conſtitutioni Pii V. quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, adverſetur. Si ſecus fecerint, duorum ducatorum pœnâ puniantur.

Parochi, nulla conſuetudine inducti, audeant denunciationes remittere: cùm id Epiſcopi tantùm arbitrio relinquatur, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. Si ſecus fecerint, excommunicentur.

Parochus ſemper matrimonii ſacramento aſſiſtat, ut contrahentium nomina deſcribat, licèt alteri ſacerdoti adminiſtrandi illud licentia permiſſa fuerit. CA-

---

[d] Ex Pontificali Roman. emendato iuſſu S. D. N. Clem. VIII.
[e] Ex eodem Pontificali Rom. [f] Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.
[g] Decret. Mediolanen. lib. 4. tit. 1. *De ſponſalibus*. cap. 34. Congregatio. Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. [h] Clement. *De conſanguinitate, & affinitate*. [i] Decret. Mediol. lib. 4. tit. 1. *De ſponſal.* cap. 14. [k] Laodicen. cap. 53. & 54. Agathen. can. 39. Bracaren. cap. 60. Ilerden. *De conſecrat.* diſt. 5. cap. *Non oportet.* diſt. 34. cap. *Presbyteri.* Chryſoſtom. ad Coloſs. hom. ult. Provinc. Valent. ſeſſ. 2. cap. 6.

CAPUT LVIII.[l]

De reverentia, quæ ſacramentum matrimonii colendum eſt.

CUM ratio ipſa, & Chriſtiana religio præſcribat, ut fidelis populus, ad ſuſcipienda Eccleſiæ ſacramenta, magna cum reverentia & animi devotione accedat: ideo parochi omnes ſubditos ſuos, qui matrimonio jungendi ſunt, piè ac prudenter, juxta ſacroſancti Concilii Tridentini decretum ſeſſ. 24. cap. 1. admoneant & adhortentur, ut ſaltem triduo ante benedictionum nuptialium ſuſceptionem, & matrimonii cōſummationem, omnia ſua peccata magno cum animi dolore parocho ſuo confiteantur, & ſacroſanctam Euchariſtiam recipiant, quâ valeant uberiorem gratiam recipere, majorem animi tranquillitatem obtinere, & fœcundiorem ſobolem ad reipublicæ utilitatem, & Dei omnipotentis laudem, propagare.

Qui ſecundo matrimonio junguntur, nocturno ſtrepitu & tumultu, & inconditis vocibus, ac ſcommatis, tum tympanorum, cornuum, & cymbalorum concrepatione minimè irrideantur, quaſi nuptiæ illæ inceſtæ & prohibitæ fuerint.[l] Qui verò hujuſmodi cachinnationes, fragores, & tumultus, ad exagitanda & jacienda convicia excitabunt, excommunicationis pœnâ punientur.

Quicumque noctu & intempeſtivis horis per vicos, compita, & plateas in privatarum domorum oſtiis & feneſtris res turpes, fœdas, quæ ſine pudore nominari non poſſunt, vel depinxerint, vel expreſſerint, vel ſacras Litanias, neglecto Dei timore, in res impudicas inverecundo ore contorſerint, juris & arbitrii pœnis coërcebimus[m].

Hortamur ſæculares magiſtratus in Domino, ut nocturnis vigiliis & excubiis proſpiciant quàm diligentiſſimè, ne ejuſmodi ſcelera patrentur, neve flagitioſi homines noctu per urbem tumultuatim vagentur: cùm præter commune dedecus, & publicam ignominiam, graviſſima ſcandala inde oriri poſſint.

CAPUT LIX.

Quæ facere debeant Eccleſiaſticarum fabricarum adminiſtratores.

ECcleſiarum cultus & ornatus maximè ad eos ſpectat, quorum curæ & ſolertiæ Eccleſiaſticarum fabricarum adminiſtratio Regiis privilegiis commiſſa eſt. Quamobrem adhortatos & admonitos in Chriſto Domino omnium Eccleſiarum noſtrarum parochianos pro noſtra paſtorali curatione volumus, ut regia privilegia, uti par eſt, ad unguem obſervantes, ſingulis annis in nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ, in qua fructus colligi incipiunt, non Decembri menſe, in quo fructus & collecti, & partim venditi ſunt, fabriquerios, qui fabricæ Eccleſiaſticæ præficiantur, homines divites, pecunioſos, conſcientiæ integritate inſignes, & in Eccleſiaſtica ornamenta augenda propenſos, eligant; quibus fabricarum redditus (præſtitis priùs, & non aliter, fideijuſſoribus) & totius anni proventus committantur.

Fabriquerii collectos fructus abſque majori conſenſu parochianorum, ſi id nulla fraude fiat, minimè vendant: & elapſo annuali munere, intra menſem accepti & expenſi rationem reddant. Quòd ſi quid pecuniarum reliquum fuerit; ut omnis colluſio fugiatur, id ſubſequenti fabriquerio fabricæ præfecto adſcribi & tradi non debet, ſed in arca tribus clavibus munita, & in tuto loco cuſtodita reponatur.

Hortamur præterea eoſdem in Domino, ut nullos fabricæ cenſus imponant: & ſi qui impoſiti ſunt, ab ipſis fabricas aliqua ex parte vendicent ac liberent: ſi quæ verò pecuniæ debentur, intra ſex menſes exigant, & ad eas perſolvendas debitores compellant. Eſt enim indigniſſimum, pecunias Eccleſiaſticis muniis & ornamentis dicatas, adminiſtrantium incuriâ & negligentiâ deperire, vel in alios uſus & commoditates converti.

Si verò intra menſem rationem ſui muneris non reddant; ſciant juxta privilegium ſereniſſimi Regis Joannis datum Barcinone 22. die Aprilis anno Domini MCCCXLV. „ cenſuris à nobis compellendos eſſe.

Chriſtianam conſuetudinem à Catholica Eccleſia obſervatam, qua tempore Quadrageſimalis jejunii ſepulchrum glorioſum religioſo cultu & ornatu exſtruitur, ut ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ibi repoſitum, à meridie Jovis Cœnæ Domini uſque ad meridiem ſubſequentis feriæ ſextæ majoris hebdomadæ cuſtodiatur, in omnibus Eccleſiis noſtræ diœceſis, in quibus ſacra Euchariſtia reſervata eſt, diligenter obſervari volumus, & ſtrictè præcipimus.

Quæ patronis cappellarum & ſacellorum in priori Synodo Oriolana cap. 44. circa illorum ſplendorem, decorem, ac debitum cultum, & à nobis in viſitatione præcepta ſunt, obſervari volumus, & exſecutioni mandari: alioquin remediis à jure permiſſis in eos, qui negligentes fuerint, procedemus.

CAPUT LX.

Quæ pro inſtitutione ſuæ familiæ pater-familiâs curare debeat.

QUicumque liberos ſuos, familiamque ſuam ad Dei cultum, & ad pietatis, Chriſtianarumque virtutum diſciplinam erudierit, uberrimum ex illa optima inſtitutione fructum capiet. Quapropter

[l] Decret. Mediol. *De ſecund. nuptiis*, tit. 2. cap. 1. [m] Concil. Trid. ſeſſ. 4. cap. 5. [n] Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 9. & ſeſſ. 24. cap. 3.

pter omnes patres-familiâs in Chriſto Jeſu cõmonemus, ut niſi volunt in die Domini duriſſimum ſubire judicium, de ſuæ familiæ ſalute ſoliciti, bonorum operum exemplo, & crebris cohortationibus ſeſe ei ad piè ſanctéque vivendum magiſtros ac duces præbeant.

Curent etiam, ut omnes de familia, ſive filii filiæque, ſive ſervi & ancillæ, & quicumque in famulatu ſunt, Chriſtianæ Fidei initia & rudimenta, ſacraſque orationes memoriter teneant, ut frequenter in anno peccata ſua, ſi poſſint, vel ſaltem ſemel, ſuo parocho confiteantur, & ſacram Euchariſtiam ſumant, ut diebus Dominicis ac feſtivis ad Miſſæ celebrationem, ad ſacras conciones, ſupplicationes, divina officia audienda, aliaſque pietatis Chriſtianæ exercitationes conveniant, ut vigilias, Quadrageſimæ, & alia temporum ſtata jejunia, illi in familia ſervent, ut certis piorum hominum ſodalitatibus & confraternitatibus adſcribantur, quo ardentiori ſtudio pietatis opera exerceant, ut de vitæ ſpiritalis ratione, & Chriſtianis exercitationibus, & Sanctorum Vitis probatos libros dumtaxat perlegant, excluſis & rejectis qui obſcœnè, turpiter, & jocosè ſcripti ſunt, vel qui militaria geſta ridicula & commentitia continent, ex quibus morum dumtaxat corruptela hauritur [n].

Recognoſcant præterea, & inſpiciant, quæ ſit univerſæ ſuæ domus Chriſtiana inſtitutio, qui ſingulorum mores, qui in virtute & probitate facti progreſſus, cubiculaque ſingulorum ſæpè viſitent, ne qui obſcœnè quicquam & turpiter, vel loquantur, vel agant, neve aleis, taxillis, chartuliſque pictis ludant, aut depravatum ſui exemplum præbeant.

CAPUT LXI.

Parentes, mariti, & heri, curent diligenter ne filiæ ſuæ, uxores, & ancillæ privatas in domos ad choreas ducendas accedant.

PEſtilens quidam, & radicitus exſtirpandus abuſus, mulierum mentes, Lupercalium tempore, invaſit atque corrupit, quæ ſolent interdiu, ac veſpertino tempore, necnon multa jam nocte, peplo ſive operimento velatæ, uno oculo liberato contentæ, totam faciem tegentes, privatas in domos, ubi amatoria cantantur, & choreæ ducuntur, ad ſaltandum introire, [o] ut cum his, quos gratiores ſibi, aut agiliores, & ad choreas ducendas magis expeditos viderint, apprehenſo dentibus vel acicula peplo, ſaltent, ſaliant, ac tripudient. Quam peſtem, & animorum exitium, pro Dei honore, & illarum ſpiritali ſalute, prorſus avertere, & exterminare cupientes; parentes omnes, maritos, & heros, pro Jeſu Chriſti viſceribus obſecramus, atque ſub æternæ maledictionis reatu indicimus, ne poſthac patiantur, vel permittant, filias ſuas, uxores, & ancillas, hiſce velaminibus contectas hujuſmodi turpiſſimis ſpectaculis, & impudicis ſaltationibus intereſſe, vel ſpectatum introduci, in quibus vitia omnia vnà cum impudentia, impudicitia, atque luxuria contrahuntur [p].

Saltationes præterea & tripudia omnia diebus Dominicis & feſtivis, juxta Concilium tertium Toletanum cap. 23. omnino prohibemus.

Sæculares verò Magiſtratus, quorum curæ & gubernationi reipublicæ tranquillitas, urbanitas, juſta ac debita elegantia commiſſa eſt, gravibus pœnis hujuſmodi ſpectacula prohibeant, ſi morum corruptelam exterminatam è republica cupiunt, & ſuæ conſcientiæ integritati ſecurè conſultum volunt.

CAPUT LXII.

Matres filias ſuas ad nuptias minimè ducant.

TUrpiſſimum eſt, ut ait Sanctus Cyprianus martyr [q], teneras puellas, in quas pudor & pudicitia optimè quadrant, nubentibus intereſſe, & in illa laſcivientium libertate ſermonum inceſta miſcere colloquia, audire quod non decet, loqui quod non licet, obſervare, & eſſe præſentes inter verba turpia, & laſciva convivia, quibus libidinum fomes accenditur, & ſponſa ad patientiam luxuriæ, & ſponſus ad audaciam compellitur. Quamobrem parentes omnes in Chriſto Domino monemus, divinam ultionem minantes, ut in poſterum filiabus ſuis aditum & congreſſum ad nubentium cœtum & epulas prohibeant; cùm illic nihil diſcatur, nihil videatur, niſi quantum à propoſito ſuo virgo deficiat, quando pudica quæ venerat, impudica diſcedit, corpore licèt virgo videatur, mente tamen, lingua, & oculis corrupta & imminuta fit.

CAPUT LXIII.

Cantilenæ turpes ne in republica permittantur.

CUrent patres filios ſuos in diſciplina Domini inſtituere & educare, ac teneriorem ætatẽ ad virtutem, & Chriſtianam pietatem componere [r]. Quos admonemus ex charitatis affectu, ne filios ſuos laſciva, mollia, & libidinoſa carmina, ad lenocinia, & vitiorum blandimenta conficta, decantare permittant, ſed eos ab hac turpitudine auctoritate paterna deterreant.

Hortamur quoque Magiſtratus in Domino, ut has morum corruptelas & vitiorum illecebras, quàm celerrimè è republica, impoſitis pœnis, ejiciant, cùm mores hominum non tam colloquiis pravis, quàm mollioribus, & dul-

[n] Hieronym. ad Epheſ. 6. 37. diſt. can *Legat.* Gerſon. lib contra Romarium 4. p. *Idem* Dominica 3. adventus. [o] Gelaſius Pontif adverſus Lupercalia. [p] Laodicen. Synod. c. 53. Concil. Afric. ſub Bonifac. cap. 29. Rabanus in Pœnitentiali cap. 27. *De conſecrat.* diſt. 3. cap. *Irreligioſa.* [q] De diſciplina & habitu Virginum. Chryſoſt. ad Epiſt. cap. 5. homil. 29. [r] Bracaren. 2. cap. 67.

dulcioribus canticis corrumpi & depravari ſoleant.

CAPUT LXIV.

Ne cauponæ & ſtabularii meretrices in ſuis diverſoriis habeant.

IMpudicas mulieres & meretrices, quæ ſeſe ad impudicorum libidinem proſtituunt, & ſui corporis turpiſſimum quæſtum faciunt, in cauponis, ganeis, & diverſoriis alì & permitti, cùm id graviſſima Dei offenſione, & ſummo animarum detrimento, & diſciplinæ Chriſtianæ injuriâ fiat, hoc decreto prohibendum, & à noſtra Epiſcopali ditione longiſſimè exterminandum cenſemus. Quapropter jubemus, ne caupo, ſtabularius, tabernarius, vel qui cœnaculariam faciunt, in ſuis diverſoriis proſtitutas mulieres habitare permittant, aut alant, ad tam turpem & pernicioſum quæſtum faciendum. Quicumque verò poſt hujus decreti promulgationem contrà fecerit, veluti is, qui manifeſtè in ſtatu damnationis jacet, præter ſex ducatorum multam in priori Synodo Oriolana cap.69. impoſitam, ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur.

Nullas præterea menſas exſtructas & apparatas, aut tabernas apertas diebus Dominicis & feſtis colendis habeant, vel quemquam apud ſe comedere & potare permittant, antequam Miſſæ ſacrificium in majori Eccleſia peractum fuerit.

CAPUT LXV.

Ne incantationibus, aut aliis ſuperſtitioſis precibus medicina fiat.

IN noſtra diœceſi, ſicut in pleriſque Hiſpaniæ regionibus, invaluit quorundam hominum ſuperſtitioſa nequitia, quâ ſub religionis prætextu, & ſanitatis corporalis ementita ſpe, miſeros homines in fraudem inducunt, ut relictis artis medicinæ remediis, ad ligaturas, & alias ſuperſtitiones confugiant. ſ Quod ne poſthac fiat, omnes & quaſcumque incantatorum, vel, ut vulgò dicitur, exalmatorum, orationes, preces, & figmenta à noſtra diœceſi explodimus, cùm ſint ſuperſtitionibus & erroribus plena.

Prohibemus etiam, ne poſthac hujuſmodi homines, ſub pœnis jam à noſtro tribunali perſententiam diffinitivam conſtitutis, his ſuperſtitionibus & medicamentis utantur.

Si ſacerdotes vel clerici, incantationes vel ligaturas fecerint, juxta decretum Laodicenſis Synodi cap.36. & Bracaren.2. cap. 59. ab Eccleſia projicientur.

CAPUT LXVI.

Quæ obſervare debeant mulieres devotæ Confraternitatis S. Luciæ urbis Oriolanæ.

ET quoniam nonnullæ devotæ mulieres, quas vulgò *Beatas* nominamus, modeſto habitu religionis indutæ, ac pio devotionis affectu, in ædibus S. Luciæ hujus civitatis Oriolanæ, Chriſtiano teſtantium ſtudio relictis, degentes, nullis certis legibus, nec certa vivendi ratione continentur: propterea æquiſſimum nobis viſum eſt, eis, quæ noſtræ curæ & vigilantiæ paſtorali ſubjectæ ſunt, hanc vivendi rationem præſcribere, quâ Deo magis inſervire ac placere poſſint.

Exhortamur itaque primùm in Domino quaſcumque devotas mulieres in S. Luciæ ædibus viventes, & in poſterum victuras, necnon etiam præcipimus, ne ſine licentia foras egrediantur, quæque cum licentia egreſſæ fuerint, ante ſalutationem angelicam domum ſe recipiant: ne nocturnis horis vagantes, ſcandalo potiùs ſint, quàm ædificationi.

Oſtia Confraternitatis S. Luciæ vergente ad occaſum ſole clavibus occludantur, quæ ſeniori dumtaxat, vel antiquiori in ſodalitate committantur. Cui jubemus, ne noctu, vel ante ſolis ortum oſtia reſerari & aperiri permittat, nec quemquam, etiam Præfectum Confraternitatis, noctu admittat, niſi graviſſima & urgentiſſima, quæ excuſari non poſſit, cauſſa omnino cogente.

Nulla devotarum diebus Dominicis & feſtivis, vel aliis quibuſcumque domo egrediatur, vel in privatis ædibus quarumcumque mulierum, etiam nobiliſſimarum, conviviorum occaſione, aut quovis alio prætextu, remanere audeat, abſque expreſſa licentia confeſſoris ad audiendas ipſarum confeſſiones à nobis deſignati. Quòd ſi ob juſtam & rationalem cauſſam egrediendi licentia alicui devotarum concedenda ſit, comes illi, arbitrio & judicio confeſſoris, aſſocietur, ut binæ incedant.

Neminem, vel ſæcularium vel regularium, ad interiora domus admittere, aut puellas introducere poſſint, præter medicum ſpiritalem & corporalem, ſi quando contingat aliquam ipſarum ægrotare, & in lecto jacere.

Quòd ſi quis cum aliqua devotarum colloqui neceſſariò debeat, deſcendat illa ad publicum ſuggeſtum Eccleſiæ: nec aliter privata colloquia permittantur.

Nulla devotarum noctu feneſtram ſui cubiculi aperire audeat, vel caput extrahere, ut deambulantes alloquatur, vel quovis alio prætextu.

Monemus & hortamur haſce devotas mulieres, ut fructum ſpiritalem aſſequantur, ut peccata ſua ſingulis hebdomadis confiteri & detegere curent confeſſori, qui ad audiendas ſacras

ſ 26. q 5. can. *Non oportet.* Agathen. cap. 68.

cras ipſarum confeſſiones à nobis fuerit deſignatus.

Nullæ etiam mulierum, ſive nuptæ, cœlibeſve fuerint, aut virgines, comptæ & calamiſtratæ, fucoque ornatæ, ad privata ipſarum cubicula admittantur: ne caput ſuum ad feneſtras cubiculorum ipſarum extrahant, & cum gradientibus, aut aliis quibuſcumque, miſceant colloquia.

SESSIO QUARTA

Die VII. Octobris habita, & die VIII. ejuſdem in noſtra Cathedrali Eccleſia publicata, & promulgata.

CAPUT LXVII.

De congrua portione vicariis aſſignanda.

UT ſacroſancti Concilii Tridentini decretum ſeſſ.6.cap.2.& ſeſſ.7.cap.5.& 7. & ſeſſ.24.cap.13. exſequi poſſimus, in his Eccleſiis, in quibus inſtituta ſunt Beneficia ſimplicia, *ſervitoria* nuncupata, & cura animarum per tot vicarios adminiſtrari ſolet, quot in eo loco Beneficia ſimplicia ſervitoria exiſtunt, quorum Beneficiati, vel per ſe, ſi volunt, vel per interpoſitam perſonam ſacramenta adminiſtrare debent; ne animarum cura, ut plerumque in noſtris viſitationibus conſtitit, negligatur, aut ob tenuitatem reddituum obſequia & functiones ſacramentorum per parum aptos & idoneos ſacerdotes, ut ſæpè accidit, adminiſtrentur; propterea ipſiſmet vicariis, qui nunc ſunt, & futuris temporibus curæ animarum præerunt, decimam partem omnium fructuum decimarum & primitiarum prædictorum Beneficiorum ſimplicium ſervitoriorum in quota pecuniæ, pro congruæ portionis aſſignatione deputamus, deſignamus, applicamus, & ipſiſmet vicariis jus exigendi hujuſmodi decimæ partis fructus pro congrua portione, concedimus.

In oppido de Calloſa, præter hanc decimam partem, quinque ducatos ampliùs unicuique curato ſingulis annis adjungimus.

In oppido de Guardamar, ægritudinibus & cœli inclementiæ expoſito, cùm unus dumtaxat curatus adminiſtrationi ſacramentorum, & curæ animarum non ſufficiat, & ſæpè ægritudinis cauſsâ curam animarum deſerere cogatur; ideo ex decreto ſacri Concilii Tridentini ſeſſ.21.cap.4. duos vicarios, qui ejuſmodi curam animarum exerceant, aſſignamus & deputamus, prout jam antea in noſtra viſitatione fuerant deſignati & deputati: tum etiam præter dictam decimam partem fructuum, quæ à ſingulis Beneficiis ſimplicibus ſervitoriis exigi debet, viginti ducatos monetę ſingulis annis eiſdem vicariis adjungimus.

CAPUT LXVIII.

De procuratione viſitatorum.

LIcèt in viſitatione totius diœceſis, quam nos perſonaliter, Deo auctore, ſingulis ferè annis abſolvimus, nihil à ſubditis noſtris procurationis exegimus; ſed omnia gratis, pietatis cauſsâ condonavimus, ut ſine diſpendio Euangelium Dei poneremus: id tamen factum eſt ſine præjudicio noſtro, vel ſucceſſorum noſtrorum, & eorum qui à nobis tranſmittuntur, quibus libera relicta eſt procurandi facultas. Volumus igitur, ut poſthac eadem ipſa moderata procuratio noſtris viſitatoribus conferatur, quæ viſitatoribus Carthaginenſis Eccleſię, cui hęc diœceſis ſubjecta fuit, conferri ſolebat, vel eadem ipſa quę his viſitatoribus collata eſt, qui tempore bonę memoriæ Chriſtophori Epiſcopi Oriolani hanc diœceſim viſitârunt.

In ſingulis Eccleſiis parochialibus curent viſitatores, ut liber ſit bene compactus, in quo viſitationes, & mandata deſcribantur, & totius ſupellectilis nota ſive inventarium contineatur.

Alius quoque liber habeatur, in quo deſcripti ſint cenſus, & redditus perpetui, aliæque facultates Eccleſiæ.

Alius quoque ſit codex accepti & expenſi. Confraternitatum, patinarum eleemoſynariarum, & aliorum piorum operum, in quo etiam ultimæ defunctorum voluntates notentur, & pœnarum ſive multarum numerus.

Habeat quoque Rationalis, ſeu capſoverius, librum ſuarum rationum, Miſſarum, ultimarum voluntatum, funerum, & emolumentorum quæ annuatim colliguntur.

Rector, ſeu parochus habeat librum baptizatorum, & eorum qui Confirmationis ſacramento perunguntur. Separatim nomina contrahentium matrimonium in alias tabulas referat.

Si verò viſitator aliquem in hiſce rebus deſidem & vecordem invenerit; duorum ducatorum pœnam imponat.

CAPUT LXIX.

Qui dies feſti in hac diœceſi Oriolana colendi ſint.

QUI Sanctorum feſta ſolennia, vel à ſede Apoſtolica inſtituta & confirmata, vel ab Epiſcopis præcepta, eâ quâ debent, pietate & religione, minimè ſanctificant, & eò audaciæ & temeritatis progreſſi, propriæque ſalutis immemores, iis diebus, qui Dei Sanctis dicati ſunt, ſacrum mandatum quaſi de induſtria tranſgrediuntur, ſæpiſſime à Deo punitos eſſe certius eſt, quàm probatione egeat. Quamobrem omnes fideles curæ noſtrę paſtorali commiſſos, pro Jeſu Chriſti

ſti viſceribus obſecramus atque monemus, ut omnes dies feſtos à Reverendiſſimo Domino D. Gregorio Gallo prædeceſſore noſtro præceptos, & à nobis confirmatos, vera pietate & religione obſervent; tum etiam ut devotè ſanctificent eos omnes dies feſtos, quorum obſervantia à clero vel à Patribus Juratis civitatum, oppidorum, & locorum noſtræ diœceſis enixè poſtulata fuit, & à nobis libentiſſimè conceſſa, ut noſtrorum ſubditorum piam animi devotionem, & in Dei Sanctos, quos patronos ſibi delegerunt, propenſionem magis in dies augeremus.

Dies ergo feſti, quos R. D. D. Gregorius Gallo prædeceſſor noſter à tota diœceſi obſervari, juxta S. Eccleſiæ Romanæ præſcriptum, præcepit, hi ſunt: Circumciſio Domini, Epiphania, Sebaſtianus martyr, Vincentius martyr, Purificatio Virginis, Marcus Euangeliſta, Vincentius Ferrer Confeſſor, Philippus & Jacobus Apoſtoli, Inventio S. Crucis, Trãsfiguratio Domini, Laurentius martyr, Aſſumptio B. Mariæ Virginis, Bartholomęus Apoſtolus, Nativitas B. Mariç Virginis, Matthæus Apoſtolus, Dedicatio Michaëlis Archangeli, Lucas Euangeliſta, Simon & Judas Apoſtoli, Feſtum omnium Sanctorum, Andreas Apoſtolus, Conceptio B. Mariæ, Thomas Apoſtolus, Nativitas Domini, Stephanus protomartyr, Joannes Apoſtolus & Euangeliſta, Incarnatio Domini, Reſurrectio Domini, cum feriis ſecunda & tertia ſubſequentibus, feſtum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Feſtum Pentecoſtes cum duabus feriis ſubſequentibus.

Quibus omnibus nos addimus Dedicationem & conſecrationem noſtræ Eccleſiæ Cathedralis Oriolanæ, quæ fuit à nobis facta 14. menſis Julii, anno Domini MDXCVII, quam in toto noſtro Epiſcopatu ab omnibus obſervari volumus, & ſtrictè præcipimus.

In civitate verò Oriolana hæc feſta obſervanda præcipimus, S. Joſephi Virginis ſponſi, Viſitationis Virginis Mariæ, Juſtæ & Ruffinæ, Abdon & Senen, Dominici, Rocchi, Auguſtini, Gregorii Thaumaturgi, & Angeli Cuſtodis.

In civitate Alicanti S. Veronicæ, Rocchi, ſanctiſſimi Sacramenti miraculum ob incendium Eccleſiæ S. Mariæ, Joſephi, Pontii, Antonii de Padua, erectionis Collegiatæ S. Nicolai Epiſcopi, quæ fuit à nobis facta 24. Julii anno Domini MDC. Translationis S. Nicolai, & ejuſdem diem feſtum. In oppido de Muchamel S. Mariæ Virginis de Laureto, Veronicæ, & Rocchi. In oppido de S. Joan Veronicæ, Rocchi, Coſmæ & Damiani, Decollationis S. Joannis, Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Virginis de Laureto, Pontii, & Joſephi. In oppido de Agoſt Virginis Mariæ ad nives, Franciſci, & Rocchi. In oppido de Capdet Rocchi, Pontii, Catherinæ, Bernardini, & Joſephi. In oppido de Elig Decollationis S. Joannis, & Franciſci. In oppido de Monfort Rocchi, Pontii, Abdon & Senen. In oppido de Aſp Rocchi. In oppido de Albatera Rocchi. In oppido de Guardamar eorundem Sanctorum & Sanctarum feſtivitates, quæ in civitate Oriolana obſervari præcipiuntur. In oppido de Crevillent Rocchi. In oppido de Vilaſranqueſa Joſephi, Rocchi, & Annæ. In oppido de Almoradi Joſephi, Coſmæ & Damiani, Sebaſtiani, & Rocchi. Quos omnes dies feſtos ut obſervari ſtrictè præciperemus, à nobis prædictarum civitatum, oppidorum, & locorum Jurati, ſyndici, & procuratores ſupplices poſtulârunt & efflagitârunt.

CAPUT LXX.

De caſibus Epiſcopo reſervatis.

CUM graviſſimorum delictorum reſervationem penes Epiſcopos eſſe, conſonum ſit divinæ auctoritati, ut effrenata peſtilentiſſimorum hominum peccandi licentia comprimatur; ideo auctoritate ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 7. ut opportunis remediis ſceleſtiſſima crimina penitùs auferri & exterminari poſſint, hæc quæ ſequuntur peccata, nobis abſolvenda reſervamus, nimirum:

Hæreſim, ſimoniam, ſacrilegium, homicidium voluntarium, aut per proditionem factum, aut conſilio & favore commiſſum, nocturnam per inſidias vulnerationem, nocturnum ſegetum incendium, aquarum irriguarum perniciоſam aut fraudulentam everſionem, vel ſurreptionem, inceſtum cui neceſſaria eſſet diſpenſatio, parentum perculſionem, abortum procuratum, clandeſtinum matrimonium, perjurium in judicio perpetratum, concubitum cum beſtiis & maſculis, promotionem ad ſacros ordines per falſos teſtes, aut falſum titulum, impoſturas & crimina, quæ falsò imponuntur presbyteris & curatis, ut à ſuo munere deturbentur, cum plebis tumultu & conſpiratione in ſacerdotes, ſi notarii pias cauſſas & legata non denuncient, ſi fidei vinculo adſtricti de matrimonio contrahendo, antequam ex præcepto Eccleſiæ ſolenni ritu illud celebretur, unà coierint, procurationem quamcumque in confeſſione.

CAPUT LXXI.

Applicatio pœnarum in noſtris conſtitutionibus & ſtatutis in tranſgreſſores appoſita.

IN his conſtitutionibus, & ſtatutis noſtris, atque decretis hujus ſecundæ Diœceſanæ Synodi Oriolanæ, in quibus pœnę & multæ pecuniariæ in violatores ſancitæ ſunt, nec qua ratione diſtribuendæ illæ ſint, declaratur; earum dimidiam partem ſanctæ Cruciatę applicamus, alteram verò dimidiam partem in opera pia noſtro arbitrio diſtribui volumus.

In his conſtitutionibus, ſtatutis, atque decretis, in quibus tranſgreſſoribus ſententiam excommunicationis denunciamus, niſi expreſ-

sè

t *De conſecrat. diſt. 3. cap. Pronunciandum.*

sè additum sit: *hanc sententiam*, eam pœnam comminatoriam esse declaramus.

Singulis diebus Dominicis, festisque colendis, curent parochi omnes, rectores, vicarii, curati, & alii quicumque presbyteri, penes quos cura animarum est, ut in suis Ecclesiis, ubi major populi frequentia convenerit, aliquot eorum, quæ ad reformationem morum sæcularium à nobis statuta sunt & decreta, vulgari sermone è suggesto seu pulpito, clarè & distinctè populo declarent; ut omnes intelligant, quę cujusque muneri & officio incumbant, quæ cavere & detestari, quæ sequi & exsequi teneantur.

Hortamur etiam verbi Dei concionatores, qui in hac nostra diœcesi concionandi licentiam à nobis habent, vel in posterum habituri sunt, ut quoties occasio sese offerat inter concionandum explicandi statuta à nobis in hac secunda Synodo Diœcesana facta & promulgata, eam diligentissimè arripiant, populumque ad illorum observationem verbis, sententiis, rationibus, & exemplis cohortentur, ut discant omnes subditi nostri sectari virtutem, & vitiorum turpitudinem aversari.

In singulis nostris Ecclesiis, ubi vicarii nostri foranei vel rurales existunt, eos obstringimus, ut studeant, & pro sua virili parte contendant, ut subditi nostri, quæ à nobis præscripta sunt, fideliter exsequantur, & à trangressoribus pœnas exigant; ut qui non virtutis amore, formidine tamen pœnæ odisse peccata videantur. Quòd si quando contigerit vicarios nostros abesse, ad id exsequendum antiquiores in Ecclesia teneantur.

In illis verò oppidis & locis, ubi vicarii foranei vel rurales non sunt, parochos ad id præstandum obstringimus, jubemusque ut singulis mensibus nobis denuncient, num ea quæ statuta sunt à nobis, debitæ exsecutioni mandentur.

In omnibus nostris Ecclesiis liber sit bene compactus, in quo pœnæ, quæ à transgressoribus exactæ fuerint, describi debent; ut nostris visitatoribus illarum ratio reddi possit.

CAPUT LXXII.

De judicibus, & examinatoribus synodalibus.

SAcrosancti Concilii Tridentini sess. 25. cap. 10. decretum ad unguem observantes, Jacobum Rodriguez de Pisana Decretorum Doctorem, Archidiaconum Alicanti, Joannem Baptistam Forner, Gabrielem Palma de Fontes Decretorum Doctorem, canonicos nostræ Ecclesiæ Cathedralis Oriolanæ, F. Thomam Albero sacrarum literarum professorem, Priorem conventus S. Augustini Oriolani, F. Jacobum Tença sacrarum literarum Præsentatum, commendatorem Conventus Beatæ Mariæ de Mercede Oriolanę, in causis delegandis à Sede Apostolica judices synodales designamus: & juxta decretum ejusdem Concilii Tridenti sess. 24. cap. 18. Ludovicum Perez sacræ Theologiæ magistrum scholasticum, Jacobum Rodriguez de Pisana decretorum Doctorem, Archidiaconum Alicanti, Petrum Montanyès, Genesium Sanç, Joannem Treminyo, & Franciscum Perez Collado, Canonicos, S. Theologiæ Doctores, Sebastianum Garcia sacrę Theologiæ Doctorem, Regium cappellaneum in Ecclesia Cathedrali Oriolana, F. Thomam Albero sacrarum literarum professorem, Priorem Conventus S. Augustini Oriolani, F. Joannem Mos, & F. Onuphrium Ferrer, sacrarum literarum professores, Ordinis Prædicatorum S. Dominici, laudante & approbante Synodo, examinatores Synodales creamus & constituimus.

SYNODI ACCLAMATIONES

ARCHIDIACONUS.

MIsericordiarum & pietatum fonti Deo, Patri Domini nostri Jesu Christi, honor perpetuus, immensa gloria, & laus perennis.

CLERUS.

Ineffabilis sit gratiarum actio Regi sæculorum. Amen, Amen.

ARCHIDIACONUS.

Beatissimo Domino nostro Clementi VIII, Pontifici Max. Jesu Christi in terris Vicario, B. Petri Apostolorum Principis successori, veræ pietatis & disciplinæ obedientia, populorum pax, & diuturna prosperitas.

CLERUS.

Sanctissimum Dominum nostrum Clementem universalis Ecclesiæ rectorem, veritatis & Fidei lumen, diutissimè conserva Domine.

ARCHIDIACONUS.

Potentissimo Regi nostro Philippo III. Pio, Catholico, Maximo, Pacifico, Fidei propugnatori & defensori, pacis fœcunditas, & contra hostes Fidei victoria.

CLERUS.

Rex Regum, Philippum Regem ac Dominum nostrum, pacis, fidei, justitiæ conservatorem, custodi, & fac illum hostium omnium audaciam proterere.

ARCHIDIACONUS.

Reverendissimo D. Josepho Stephano Episcopo nostro vigilantia super gregem, constantia in laboribus, & salus animæ & corporis.

CLERUS.

Dominus dirigat gressus Pastoris nostri, & eum benedictionibus supercœlestibus cumulare dignetur.

ARCHIDIACONUS.

Omnibus presbyteris, qui Synodo interfuerunt, pium studium, ad virtutem ardor, & pietatis constantia.

CLE-

CLERUS.

Da nobis Domine te ipſum amare, & à te nunquam diſcedere.

ARCHIDIACONUS.

Huic florentiſſimæ urbi & diœceſi Oriolanæ tranquillitas, ſalus, & diuturna rerum abundantia.

CLERUS.

Reſpice Domine populum tuum, & angelum exterminatorem ab eo expelle.

ARCHIDIACONUS.

Omnibus ſæcularibus perſonis veritatis ſtudioſis, religionis zelus, Fidei proſperitas, & obedientiæ fructus.

CLERUS.

Fac eos Domine in beneplacito populi tui, viſita eos in ſalutari tuo.

ARCHIDIACONUS.

Virtutum & morum reformationem in hac venerabili Synodo præſcriptam ſequamur.

CLERUS.

Pollicemur, libenter amplectimur, ſponte ſequimur.

ARCHIDIACONUS.

Vitiorum expulſio, & peccatorum exterminatio.

CLERUS.

Expulſio & exterminatio ſcelerum, nova vita, novi mores.

ARCHIDIACONUS.

Decretorum obſervantiam à Deo omnium largitore imploremus, & à Beatiſſima Virgine Maria Deipara, cum beatis hujus urbis tutricibus Juſta & Ruffina ſanctiſſimis virginibus.

CLERUS.

Poſtulemus, flagitemus, imploremus. Fiat, fiat. Amen, Amen.

Joſeph Epiſcopus Oriolanus.

De dicti Reverendiſſimi Domini mei Epiſcopi mandato.

Antonius Tarì Notarius, & Secretarius Synodi.

CONSTITUTIONES ET STATUTA,

Quæ obſervari debeant à Decano, Dignitatibus & canonicis, qui nunc ſunt, & in poſterum futuri erunt in Eccleſia Collegiata S. Nicolai civitatis Alicanti, diœceſis Oriolanæ.

JOSEPHUS Stephanus Dei & ſanctæ Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus Oriolenſis, Regiuſque Conſiliarius &c. Dilectiſſimis nobis in Chriſto decano, canonicis, & capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Nicolai civitatis Alicanti noſtræ Oriolenſis diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam.

Quos labores ac moleſtias veſtrâ cauſsâ pertulerimus, ut Apoſtolicas literas ſanctiſſimi Domini noſtri Clementis divinâ providentiâ Papæ VIII. exſecutioni mandaremus, voſmetipſi, noſtri filii dilectiſſimi, qui nos variis hominum impedimentis, veluti ingruentium tempeſtatum fluctibus involutos, & quaſi in agone & palæſtra viriliter decertantes vidiſtis, pro noſtræ Eccleſiæ, & hujus urbis ſalute, ac dignitate. Neque enim umquam curæ & acerbitates, quas libentiſſimè pro Chriſto Domino tulimus, noſtram potuerunt labefactare, dejicere, aut perturbare conſtantiam, aut noſtrum animum jam primùm Deo addictum, à conſilio dimovere, ut hujus noſtræ amplificandæ & ornandæ Eccleſiæ ſtudium abjiceremus: ſperantes vos tamquam generoſos ac nobiles filios cordis noſtri, eandem in religione propaganda ſequuturos eſſe virtutem, quæ vos & Deo dignos, & populo illuſtres, & virtutum candore conſpicuos efficiat. Quæ ſpes ita animum noſtrum conſolatur & erigit, ut confidamus in Domino, qui nos à tot laborum, difficultatum, & moleſtiarum quaſi turbine ac concitata procella eripuit; eundem vobis nova iſta dignitate exornatis propitium ſemper & benignum affuturum, effecturumque breviter, ut tamquam ſeniores populi, ac verè preſbyteri, modeſtiæ, gravitatis, decoris, integritatis, continentiæ, Chriſtianarumque virtutum exẽplar, omnium oculis præbeatis; & in commune hujus civitatis præſidium, ita continuis orationibus & precibus vigiletis, ut ſumma in ea ad felicitatem bona ſuccedant. Quod erit facilius factu, ſi memores ſitis Apoſtolorum, ac Patrum noſtrorum, Eccleſiarum Principum, qui abjecto omni ſæculari ſtudio, maximis laboribus periculiſque perfuncti, ſoli virtuti ſtudebant, ſolam pietatem ſectabantur, ut ſibi creditos populos ad verum Dei cultum, & religionem, & charitatem erigerent. *Mementote* (inquit Apoſtolus ad Hebr. 13. ℣. 7.) *Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei.* qui in agone decertârunt, qui maximas anguſtias ſuſtinuerunt, qui non aërem verberantes dimicârunt, ſed confortati in gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, tamquam boni milites laborârunt, & in omne opus perfectum excreverunt, ut illius oculis ac ſpectaculo placerent, qui eos ad Eccleſiaſticum munus elegerat. Quæ omnia cùm in vobis optemus & expoſcamus ex animo, ne quid tandem noſtræ in vos pietatis deſuiſſe videatur; has conſtitutiones & ordinationes pro felici Eccleſiæ Collegiatæ gubernatione, pro cultus divini incremento, pro morum reformatione, vobis proponimus, ut faciliùs religioni, muneri, obſequio, & hujus Eccleſiæ decori & dignitati conſulamus.

Igitur qui novo munere & dignitate exornati, divino miniſterio & cultui addicuntur, in primis maximè curare debent, ut ea exſequantur, quæ ad ſuum munus & officium perti-

nent

nent. Quamobrem decanus, cantor, ſacriſta, & canonici noſtræ Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Nicolai in id potiſſimùm pervigilent, & in eam maximè curam incumbant, ut divinus cultus in dies augeatur, ſacra officia debitè miniſtrentur, & ex dignitate loci & temporis Dei obſequia & ſacrificia piè & religiosè peragantur.

Nam cùm nihil magis deceat inferiores, quã debitus cultus & obſervantia erga majores & ſuperiores ſuos, quorum exemplo & auctoritate gubernantur; propterea debent, & tenentur omnes Dignitates atque canonici hujus Eccleſiæ Collegiatæ, noſtris præceptis & mandatis omnino parere, nobiſque cultum, obſequium, reverentiam, & obedientiam præſtare, quæ de jure & conſuetudine præſcribuntur.

Et quoniam hæc Eccleſia Collegiata S. Nicolai, aliquo privilegio particulari munita non eſt, nec à viſitatione, juriſdictione, & noſtra punitione libera & exempta, ſed in omnibus nobis pareat, ſubjectaque ſit, & cauſſæ omnes criminales à nobis & noſtro vicario generali dumtaxat diffiniendæ, & omnino terminandæ ſint; volumus, ne poſthac aliquis ex Dignitatibus & canonicis audeat, vel præſumat ſe ipſum in hujuſmodi negotiis & cauſſis diſceptandis & determinandis ingerere, aut quovis quæſito colore immiſcere; cùm & ſacroſancti Concilii Tridentini declarationibus contrarium ſit, & majorum conſuetudini, & morum reformationi repugnet.

Cùm in omnibus Eccleſiis Collegiatis totius Hiſpaniæ, tam horis diurnis quàm nocturnis, diligens Deo bonorum omnium auctori famulatus exhibeatur; conſtituimus, ut poſthac in Eccleſia Collegiata S. Nicolai matutinale officium media nocte decantetur, & in eo ea portio intereſſentibus diſtribuatur, quę pro temporis, & reddituum opportunitate à nobis fuerit deſignata. Pari ratione jubemus, ut Horæ diurnę piè ac ſolenniter celebrentur pro temporis ratione in Breviario Romano preſcripta. Ut verò Virginem Mariam ſanctiſſimam parentem noſtram, propitiam, & nobis magis addictam habeamus; volumus, ut poſthac ejus Officium parvum, quod appellant, in ſingulis Horis, nocturnis & diurnis, recitetur in choro, eo modo, ſtudio, & tempore, quo ad finem Breviarii Romani preſcribitur.

Singulis etiam diebus non impeditis, poſt Primam, quæ congruenti tempore recitanda eſt, ſtatim defunctorum Miſſa dicatur: qua peracta, habita proceſſione intra Eccleſiam, quatuor ad minus reſponſoria ad animarum fidelium ſuffragium & auxilium decantentur.

Nullus præterea, tam canonicorum quàm clericorum, dictam proceſſionem comitari deſiſtat, niſi neceſſariò, & legitima ex cauſſa fuerit impeditus; alioquin dimidia diſtributionis parte multetur: creſcente verò contumacia, in totum diſtributionibus privetur, quæ aliis intereſſentibus accreſcant.

Singulis quoque diebus non impeditis, ut animarum fidelium defunctorum ſaluti & ſuffragiis conſulatur, finito Completorio, Nocturnum defunctorum illius diei decantetur in choro, aſſignata portione congrua intereſſentibus, prout reddituum & temporis ratio patietur.

In reliquis verò, quæ ad chori & officiorum ordinem, diſpoſitionem, & cultum ſpectantia, peragenda erunt; omnino Breviarii, Miſſalis, & Pontificalis Romani ordo ſervandus erit, nec ab eis aliqua vel minima in parte recedendum: cùm in hac re à ſanctiſſimo Domino noſtro Pio V. & ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus diligentiſſimè fuerit conſultum.

Qui officio matutinali non interfuerint, ut eſt uſitata noſtrę Cathedralis Oriolenſis conſuetudo, nulla eis vel occaſio, vel cauſſa, vel infirmitas, vel neceſſitas ſuffragari poterit, ut diſtributiones nocturnas adquirant. Ut verò ſtudioſiùs officium nocturnum peragatur; aſſignamus ſexdecim ſolidos in utraque Eccleſia diſtribuendos inter eos, qui in choro reſpectivè nocturno tempore reſidentiam fecerint: ita ut unuſquiſque clericorum octo tantùm nummos accipiat, nec plures lucrari poſſit, nec reſidui aliis propter tenuitatem diſtributionum accreſcant, licèt pauciores clerici intefuerint.

Quòd ſi minimè accedant tot clerici, ut poſſint prædicti ſexdecim ſolidi in eos diſtribui; poſtquam unuſquiſque intereſſentium octo nummos receperit, jubemus, ut id quod reliquum fuerit, ad communem clericorum maſſam interim aggregetur: donec pro reddituum ratione major ſumma dividi poſſit.

Capitulum non habeatur, niſi Miſſa conventuali finita, & peractis Veſperis, & defunctorum officio: ſi ſecus fecerint, diſtributionibus ejus diei priventur.

Capitulum ad ſonum campanæ majoris neceſſariò bis in menſe celebrari debet: nempe prima die menſis non impedita, ut ratio ab omnibus Dignitatibus, canonicis, presbyteris, atque miniſtris exigatur circa Eccleſiæ adminiſtrationem, curam, decorem, cæremonias: ſi ſilentium in choro ſervatum fuerit, ſi officia debitè peracta, ſi fortaſſe aliquis defectus, quod Deus avertat, acciderit.

In loco Capituli ſinguli modeſtè admoneri debent, & in eorum negligentias animadverti à præſide capituli, omni conviciandi remota occaſione: ibique corrigi qui in Eccleſia, choro, ſacriſtia, vel proceſſionibus parum modeſtè adſtiterint, vel vociferati fuerint, vel qui ſe negligentes circa ſui muneris curam exhibuerint.

Die etiam decima quinta cujuslibet menſis ad ſonitum ejuſdem campanæ Capitulum congregetur, ut ſyndici, & procuratores, ac alii, reddituum rationem reddant, videlicet quonam pacto fructus diſtracti ac venditi, quę pecunię cenſui deditę, quæ lites exortæ, tam apud judices ſeculares quàm Eccleſiaſticos, quę controverſiæ & diſceptationes excitatæ fuerint, ut his & aliis ſimilibus ex conſilio advocatorum provideri poſſit.

In

In aliis diebus, niſi cogente neceſſitate, quæ differri non poſſit, & niſi hora & tempore præſcripto, capitulum nequaquam habeatur.

Decanus, vel præfectus capituli, vel qui erit antiquior ex Dignitatibus & canonicis, abſente decano, literas nomine capituli nec ſcribat, nec ſigillo communiat, nec ab aliis redditas aperiat, niſi ex conſenſu capituli: ſubſcribant verò ſaltem duo vel tres de capitulo.

Ex majori quoque voto & deliberatione negotia peragantur, rei tantùm veritate perſpecta, & abjecto omni contradicendi & conviciandi animo.

Convocetur verò capitulum per nuncium juratum & deputatum, & capitularibus die heſterna, vel priuſquam congregari debeant, cauſſa convocationis, ſi fortaſſe expedierit, reddatur, ne imparati cauſſam dicant. Habeatur verò præſente notario, qui vota omnia in tabulas referre poſſit.

Secretum capituli ſervandum erit medio juramento: cùm turpe ſit Eccleſiaſtica negotia in plebis aures evulgari, & à ſæcularibus hominibus intelligi. Quamobrem jubemus, ne capituli & Eccleſiarum negotia, vel in privatis domibus pertractentur, ſed tantùm in loco capitulari ad hoc ſpecialiter deputato. Qui ſecus fecerint, excommunicationis ſententiam incurrant, & à nobis & noſtro vicario generali graviter puniantur.

Archivi præfectus canonicus ſit, qui ſingulis annis, meritorum habita conſideratione, à capitulo eligatur: penes quem acta & documenta omnia recondita ſint in loco honeſto & tuto Eccleſiæ. Ab eo quicquid actum geſtumque fuerit, tam circa res Eccleſiæ, erectionem, dotationem, gubernationem, redditus, proventus, & fructus, quàm circa ingreſſum ſingularum perſonarum de capitulo, necnon etiam circa magiſtratus, qui ad gubernationem civitatis eligentur, & earum rerum quæ in urbe contigerint, fideliter deſcribatur.

Cùm pecunia, quæ *pes fixus* dicitur, neceſſaria ſit ad Dei cultum promovendum, ne temporis neceſſitate, ſi deſit, ſtudium, & Eccleſiæ ornatus negligatur; propterea volumus, ut donec congrua portio judicio noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum, cum conſilio capituli, decernatur, ea ſumma pecuniarum congregetur, quæ pro temporis neceſſitate miniſtros Eccleſiæ juvare & fovere poſſit. Unde volumus, ne defunctorum canonicorum, vacationis tempore, donec alii defunctorum loco ſuccedant, fructus & redditus aliis accreſcant, nec aliquis de mortis annata teſtari poſſit; ſed hoc omne, quodcumque illud fuerit, pedi fixo accumuletur & aggregetur, donec competenter fuerit Eccleſiæ neceſſitati conſultum.

Et quoniam ea eſt temporum caritas, & victûs egeſtas, ut niſi canonici aliqua portione juventur, ſuo decori ſatisfacere non poſſint; propterea, ne vileſcat eorum auctoritas, volumus, ne capitulum funus aliquod publicum comitetur, niſi decem & ſex libræ monetæ Valentinæ capitulo perſolvantur, quæ inter præſentes dividi debeant. Nec aliter capitulum ad funus ducendum procedat, niſi in tumulandis cadaveribus canonicorum, quæ ab illorum domibus in ſuam Eccleſiam gratis deferri debent.

Officiales canonici in Eccleſia hi eligantur, qui in manibus capituli jurent ſe bene & fideliter ſuum munus obituros: Syndicus ad lites tantùm: Procurator, qui capitularium redditus exigat: quod munus per turnum canonicis competet: duo judices computi accepti & expenſi, quibus ratio ab aliis exhiberi debet ad finem cujuſcumque menſis: ipſi verò in codice ſummam conſcribant, ut eam ſingulis annis nobis, vel noſtro viſitatori exhibeant: præterea duo canonici depoſitarii vel clavicularii, qui in arca communi, duabus clavibus bene cuſtodita, & in loco munito repoſita, pecunias ſervent: canonicus qui Miſſas perſolvat, ſitque Rationalis utriuſque Eccleſiæ, ad quem redditus omnes presbyterorũ & clericorum Eccleſiarum S. Nicolai, & S. Mariæ deferantur. Hic duos clericos ſub ſe habeat reſpectivè reſidentes in utraque Eccleſia, qui redditus colligant, & huic canonico per ſingulas hebdomadas rationem reddant. His omnibus officialibus certum ſalarium aſſignetur, prout tempus & ratio tulerit.

Quotieſcumque agendum erit de intereſſe capituli, libera ſit penes ipſos capitulares, cum conſenſu & approbatione noſtra & noſtrorum ſucceſſorum, adminiſtratio reddituum & bonorum ſuorum. Cùm verò agetur de intereſſe clericorum, videlicet de redditibus & emolumentis antiquarum maſſarum utriuſque Eccleſiæ: nimirum de modo diſtribuendi & exigendi; aliqui utriuſque parochiæ clerici advocentur, ut in hujuſmodi computis reddendis, & in ſuis rebus adminiſtrandis interſint. Ita ut computum legitimum non habeatur, niſi aliqui clerici præſentes exſtiterint.

Singulis annis ſinguli libri compacti fiant, ſingularum adminiſtrationum capita & redditus continentes, ne in uno libro omnia permiſta & confuſa exiſtant; ſed in ſingulis libris ſingula diſtinctè habeantur.

Clerici Sancti Nicolai diſtributiones & emolumenta omnia lucrabuntur, quæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ diſtribui ſolent, & è converſo: ita ut unum omnium clericorum utriuſque Eccleſiæ ſit lucrum.

Veſtitus miniſtrorum Dei decens ſit, & ornatus gravis, ut pietatem & non levitatem redoleat. Quare muſſæ fericæ ne fiant, ſed ex panno, qui ad Eccleſiaſticos ornandos aptior judicetur. Omnes paullò antequam ad chorum accedant, in ſacrario ſeu ſacriſtia veſtiantur, & bini ad chorũ accedant magna cum modeſtia, ut Senatus Eccleſiaſticus videatur.

Introitu finito in Miſſa, aut primo Pſalmo in Veſperis, aut antequam in Matutinis Invitatorium abſolvatur, ſi Dignitates, canonici, &

alii ingreſſi chorum non fuerint, diſtributionibus illius Horæ multentur.

In choro nullus ſuum locum deſerat, nec hac illac diſcurrat, nec à choro diſcedat, ſine præfecti licentia: ſi dimidiatum Officium quis deſerat, aut in Miſſæ, & aliorum Officiorum ſine preſens non adfuerit, dimidiata portione illius Horæ privetur.

Decani munus erit in choro & proceſſionibus præeſſe, cuncta proſpicere, vigilare in rebus Eccleſiæ, ut ad Epiſcopum deferat; maximè circa decorem clericorum: eoſque verbo benignè admonere, ut ſæcularium conſuetudines fugiant: quo die, quave hora capitulum haberi debeat cavere, proponere, vota exquirere, præſente notario numerare, & ex majori parte capituli ſententias diffinire, negotia ſingulis ex voto capituli committere, quæ utilitati communi conducent.

Decanus debet celebrare Miſſas Nativitatis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Purificationis, feriæ quartæ Cinerum, Dominicæ in ramis Palmarum, Jovis, & Veneris majoris hebdomadæ, die prima utriuſque Paſchatis, Corporis Chriſti, & in Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Nicolai.

Cantor, quæ ſecunda eſt Dignitas, chori officium habeat, & in ejus celebrationis ordine ſervando ſtudeat diligenter, & abſente Decano, ſilentium in choro jubeat ac imperet, libros evolvi & aperiri præcipiat, antequam Officium inchoëtur, tum etiam diligenter in armario bene munito ſervari curet.

Subcantorem ſuo ſalario, pro reddituum ratione, alere debet, pueros chori gubernare, & eligere cum conſenſu capituli, eoſque qua decet pietate & maturitate regere, ne privatis Miſſis deſint, ſed debito tempore choro inſerviant.

Jubebit quoque ut magiſter cappellæ ſingulis diebus cantum doceat, & exerceat, & ut tibicines id etiam faciant. In quam rem maximè incumbet, ne illi tanto huic bono deſint.

Cantor ſingulis hebdomadis tabulam in choro conſtituat, in qua Officii ordo, & anniverſaria, tum nomina eorum qui celebraturi ſunt, & cappas geſtaturi, deſcribantur.

Miſſas has decantabit, in galli cantu, & in ſingulis ſecundis feſtis utriuſque Paſchatis, S. Stephani, omnium Sanctorum, & omnium defunctorum: in omnibus Dominicis Adventûs, in feſtivitate S. Joannis Baptiſtæ, S. Petri, & dedicationis Eccleſiæ, Sancti Joſephi, in Sancti Nicolai translatione, & Sabbatho ſancto.

Sacriſta ſeu Theſaurarius curabit altarium decorem, ut nitidæ ſint mappæ, purificatoria, ornamenta decentia & culta, ſacerdotales veſtes pro tempore ſuis coloribus congruentes miniſtris præbeantur: auri & argenti ſupellectilium totius Eccleſiæ curationem habeat.

Inventarium rerum omnium ſacriſtiæ ſingulis annis faciat, præſentibus duobus de capitulo, vel factum comprobet: ſi quid de novo factum vel immutatum ad templi ornatum fuerit, deſcribat; addatque Inventario: ſi quid etiam tempore perierit, pariter quoque animadvertat, & de iis Epiſcopo vel ejus vicario rationem reddat.

Singulis diebus, antequam Officium inchoëtur, teneatur accedere primùm ad ſacriſtiam, ut ea jubeat quæ pro ſui conſcientia opportuna ad cultum divinum judicabit. Mox exploret, ac videat altaria, an rectè omnia & decenter culta ſint & ornata. Campanæ ejus auctoritate, & ordine, de conſenſu capituli, hora competenti pulſentur.

Sacriſta ſeu Theſaurarius, duos minores ſacriſtas eligat, & ab his fideijuſſionem & cautionem recipiat.

Miſſas celebrabit omnibus tertiis feſtivitatibus Natalis, & Paſchatum, in omnibus Dominicis Quadrageſimæ, in feſtivitatibus Beatæ Mariæ, & Apoſtolorum.

In cæteris verò Dominicis, & feſtivis diebus duplicibus, ſemiduplicibus, ac ſimplicibus, & à ſabbatho ante Dominicam in Paſſione, uſque ad feriam quintam majoris hebdomadæ excluſivè, & in Rogationibus, reliqui canonici per turnum Miſſas celebrabunt.

Qui verò celebraturi ſunt, à primis Veſperis Officium inchoare debent: & ſi ignorant Eccleſiaſticum cantum, aut in eo exercitati non fuerint, emolumenta, quæ ex capparum geſtatione colliguntur, minimè percipiant.

Clerici, qui admittendi ſunt ad Eccleſias, cantare diſcant intra tres menſes: alioquin diſtributionibus quotidianis priventur.

Tribus diebus feſtivis cujuſcumque Paſchatis canonici, ſi abfuerint, portionem aut diſtributiones lucrari, ſeu ſolatium, ut dicitur, capere non poterunt. Die etiam ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti unà cum tota Octava, etiam ſi antea præſentes fuerint, ſi tamen prædictis diebus in Eccleſia non interfuerint; vacatio, ſeu ſolatium ipſis non ſuffragetur, ut emolumenta lucrari poſſint. A die ſabbathi ante Dominicam in Paſſione uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, ab Eccleſia abeſſe non poſſunt: ſi fecerint, ſolatio & fructibus illius temporis privandi erunt. Omnibus etiam diebus Dominicis, & feſtivis colendis, illi ad ſolatium lucrandum admitti nõ debent, qui in civitate cùm ſint, Horis canonicis, & divinis officiis non interſunt.

In diebus à nobis ſtatutis, in quibus neceſſariò capitulum haberi debet; qui ſolatio, ſeu muneris vacatione frui voluerint, ſi exſtiterint in urbe, ad capitulum tenentur accedere: aliter diſtributionibus & ſolatio ejus diei careant.

In hiſce diebus, in quibus proceſſiones publicæ habendæ ſunt, nullus ad muneris vacationem ſeu ſolatium admittatur; ſed proceſſionibus intereſſe debet, etiam ſi aliò extra urbem ſe conferre cogatur. Idemque obſervandum erit in die Aſſumptionis, & Conceptionis integerrimæ Virginis.

Tem-

Tempore verò abſentiæ plures quàm tres canonici ab Eccleſia abeſſe non poſſint. Interpellatis tamen diebus, & non in præcipuis anni feſt. vitatibus, à chori & Eccleſiæ ſervitio recedere poterunt: ſi ſecus faciant, pro temporis jactura diſtributionibus & portione priventur.

Poſt adeptam canonicatus vel Dignitatis poſſeſſionem, nullus per ſex integros & continuos menſes ab Eccleſiæ reſidentia abeſſe poteſt: alioquin ſi aliquem intermiſerit diem, totâ maſsâ privetur, & iterum eandem per ſex alios integros menſes inchoët reſidentiam.

Abſens ab Eccleſia per duos menſes habere poteſt ſolatium, ſeu lucrari diſtributiones quotidianas, non tamen funerarias, & quæ perſonalem aſſiſtentiam requirunt.

Canonicus negotiorum præpoſitus deferat & denũciet decimaquinta die cujuslibet menſis capitulo ſtatum omnium negotiorum quæ tractantur: & animadvertat, ac certiores reddat de his omnibus quæ ſibi videbuntur, ſyndicos, & procuratores negotia gerentes, ut faciliùs Eccleſiæ litibus conſulatur.

Pœnitentiarius ſingulis diebus, tempore opportuno, in publico loco ſedeat, ibique exſpectet pœnitentes, caſuumque conſcientiæ Summas à viris doctis, timoratis, ac probatæ vitæ, & conſcientiæ integritate, & doctrinæ ſeveritate florentibus elaboratas, aſſiduò volvat, & attentis oculis & animo perlegat, atque percurrat, non ſine obſervatione; ut pœnitentibus ad ipſum accedentibus, in his quæ dubitaverint, de jure reſpondeat.

Canonicus concionator in omnibus Dominicis Adventûs & Quadrageſimæ, & in aliis feſtivis diebus, in quibus concionatores defuerint, ad populum conciones habeat.

Canonicus ſacrarum literarum interpres caſus conſcientiæ legat & doceat, vel eas lectiones habeat, quas vel nos, vel ſucceſſores noſtri aſſignaverint. Subſequenti verò tempore, ubi ſe obtulerit occaſio, ex aliqua vel præſtimoniorum, vel Beneficiorum vacatione, concionatori & lectori aliquid ampliùs adjungatur, prout nos, vel noſtri ſucceſſores conſonum judicaverint.

Atque ut omnia debito ordine peragantur, ſit clericus punctator, qui medio juramento in manibus noſtri vicarii præſtito, abſentes, & in quacumque hora non intereſſentes, deſcribat ac notet: ut ad finem menſis conſtare poſſit, quæ quiſque canonicorum & clericorum lucra perceperit.

Hebdomadariorum duo per ſingulas hebdomadas ſacramenta miniſtrent, alii duo choro, conſuetis horis interſint, ibique officia omnia ſuo tempore inchoënt, Miſſas ſibi aſſignatas celebrent. Quod fiat per turnum, ne ſacramentorum miniſtratio, & chori officium negligatur. Tempore verò Quadrageſimæ omnes hebdomadarii, ſi neceſſitas urgeat, ſacramentorum & animarum curæ invigilent. Chori verò adminiſtratio & functio aliis clericis, gente hebdomadariorum neceſſaria abſentia, committatur.

Ut verò grati animi ſignificationem Philippo III. Regi noſtro Catholico ac Maximo exhibere poſſimus; cùm eo adnitente hæc Eccleſia Collegiata Sancti Nicolai ſuum ſplendorem fuerit aſſequuta; perpetuis futuris temporibus conſtituimus atque jubemus, ut ſingulis totius anni diebus ultima Miſſa, quæ undecima dicitur, in altari majori pro illius ſalute, incolumitate, proſperitate, & ſuorum regnorum feliciſſimo incremento & dignitate recitetur: ne tanto huic debito ac beneficio, quo Regi noſtro potentiſſimo addicti ſumus, aliqua in re defuiſſe videamur.

Hæ itaque ſunt conſtitutiones & ordinationes, dilectiſſimi filii, quas neceſſarias judicavimus ad hujus Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicolai ornatum, & cultum divinum non modò conſervandum, ſed in dies etiam augendum & propagandum, ad veſtrarum animarum, & totius populi ſalutem, ad commune omnium decus & dignitatem. Has præſtito juramento, ad unguem obſervare, & ſtudioſè curare debetis, ut ab aliis diligentiſſimè obſerventur: ita ut nulli Dignitatis vel canonicatus poſſeſſio in poſterum tradi poſſit, quin priùs juramentum emiſerit, ſe pro ſua virili parte his conſtitutionibus & obſervationibus perpetuò obtemperaturum. Curabitis preterea ut eædem omnes conſtitutiones & ordinationes in libro optimè compacto fideliter conſcribantur, qui in archivo noſtræ Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Nicolai, ad perpetuam memoriam, & futurorum ſæculorum recordationem, debitumque Eccleſiæ regimen, ſervari & cuſtodiri debet. Contendite ergo, filii chariſſimi, ei placere, qui & noſtras conſcientias intuetur, & ſuis oculis cuncta perluſtrat: ut cùm piè & ſanctè pro veſtra virili parte hujus Eccleſiæ curis & laboribus fueritis perfuncti; tandem ab eo præmium aſſequi poſſitis, qui nunc virtutem ad merendum, & ad egregiè decertandum confert. Valete in Domino. In civitate Alicanti 12. Kalend. Auguſti, anno Domini ac Redemptoris noſtri MDC. Pontificatus ſanctiſſimi D. N. Clementis divinâ providentiâ Papæ VIII. anno nono, regnante Philippo III. Hiſpaniarum & Indiarum Rege noſtro potentiſſimo, Catholico, Maximo, regnorum ejus anno II. & conſecrationis noſtræ anno XV.

Joſephus Stephanus Epiſcopus Oriolanus.

De mandato dicti reverendiſſimi domini mei Epiſcopi.

Antonius Tarì notarius & ſcriba Apoſtolicus.

LITERÆ

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi domini Hieronymi Cardinalis Matthæji, ad Reverendiſſimum dominum Joſephum Stephanum Epiſcopum Oriolanum tranſmiſſæ, de Synodi Diœceſanæ celebratione.

Reverendiſſime domine uti frater.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ſæpiùs conſulta reſpondit, licere Epiſcopo, ad eumque pertinere cogere Synodum Diœceſanam abſque conſenſu & conſilio capituli. In ea autem conſtitutiones eundem Epiſcopum edere & promulgare poſſe abſque conſenſu & approbatione cleri: debere tamen requirere conſilium capituli, tametſi illud ſequi non teneatur, præterquam in quibuſdam caſibus à Jure expreſſis. Quæ Amplitudini tuæ, in Synodi celebrationem incumbenti, iccircò ſignificare voluimus, ut ex Patrum ſententia quid ſibi liceat, quantaq; hac in re ſit ejus facultas agnoſcens, impedimentis omnibus ſublatis, Synodum celebret & abſolvat, ex qua plurimum utilitatis ad animas ſibi creditas perventurum ſperamus: quippe qui paſtoralem ejus ſolicitudinem, acremq; zelum, & ſolertiam, ac ſacrarum literarum cognitionem, quâ eminet, optimè compertam habemus. Deus Amplitudinem tuam incolumem ſervet. Romæ die 17. Maji MDXCIX.

Amplitudinis tuæ Reverendiſſimæ uti frater ſtudioſus,

Hieronymus Cardinalis Matthæjus.

DECLARATIO

Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium Congregationis ſacrorum Rituum, poſſe Epiſcopum Chriſma extra Eccleſiam Cathedralem conſecrare.

ESti deceret Epiſcopum, in majori præſertim hebdomada, quum Chriſmatis, catechumenorum, & infirmorum olea conſecrantur, in Cathedrali Eccleſia reſidere; tamen ſi eo tempore ab Eccleſia Cathedrali abfuerit; poſſe hujuſmodi olea in alia Eccleſia ſuæ diœceſis benedicere & conſecrare, debitis cæremoniis adhibitis, reſpondit Congregatio ſacrorum Rituum ad ſupplicem libellum R. P. D. Epiſcopi Oriolenſis, Die 17. Novembris MDC.

Alphonſus Cardinalis Geſualdus.

Alexander Gratianus Auditor pro Secretario Congregationis.

LITERÆ

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Cardinalis Matthæji, ad Reverendiſs. D. Joſephum Stephanum Epiſcopum Oriolanum tranſmiſſæ, de viſitatione fabricæ minoris, vel quinctę domus.

Perilluſtris ac Reverendiſs. dñe uti frater.

JUS viſitandi fabricam minoris, vel quinctæ domus iſtius diœceſis, ab ejuſque adminiſtratoribus rationem adminiſtrationis exigendi, ad Amplitudinem tuam pertinere indubii juris eſt, præſertim noviſſimi Tridentini Concilii. Cui planè juri, fel. mem. Gregorium XIII. literis in forma Brevis, die 6. Septembris MDLXXVIII. à ſe datis, quibus capitulo Oriolenſi jus adminiſtrandi, ac vindicandi, expendendiq; in fabricæ utilitatem illius redditus, abſque Ordinarii licentia tribuit, nihil omnino detraxiſſe putant Illuſtriſſimi Patres Tridentini Concilii ſanctiſſimi domini noſtri auctoritate interpretes. Qui id tibi ſignificatum voluerunt, ne facultate tibi ex Concilii Decretis competenti, nec dictis literis abrogata aut imminuta, uti liberè poſſis, ſed ea libertate quæ legum & Canonum eſt conſtricta vinculis. Deus Amplitudinem tuam incolumem ſervet. Romæ die 27, Novembris anno MDCI.

Amplitudinis tuæ Perilluſtris ac Reverendiſſimę uti frater,

Hieronymus Card. Matthæjus.

Et ✠ ego Jacobus Ferrandez presbyter Oriolen. publicus Apoſtolica auctoritate notarius, & ſcriba curiæ Eccleſiaſticæ Oriolen. fidem publicam facio, & atteſtor, hæc tria exemplaria, ſive tranſumpta ſuperiùs contenta, & typis impreſſa trium literarum, ſive declarationum ad perilluſtrem & Reverendiſſimum dominum meum Joſephum Stephanum, Dei & ſedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopum Oriolanum, tranſmiſſarum, quarum prima eſt Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi domini Hieronymi Cardinalis Matthæji, Romæ die decima ſeptima menſis Maji, anno Domini MDXCIX. in qua affirmat Illuſtriſſimos dominos Cardinales ſacri Concilii Tridentini interpretes declarâſſe, licere Epiſcopo, ad eumq; pertinere, cogere Synodum Diœceſanam abſque conſenſu & conſilio capituli, poſſeq; etiam in ea conſtitutiones edere & promulgare abſque conſenſu & approbatione cleri, debere tamen requirere conſilium capituli, etſi illud ſequi non teneatur, præterquam in quibuſdam caſibus à Jure expreſſis. Secunda verò eſt Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi domini Alphonſi Cardinalis Geſualdi, data die 17. Novembris MDC. in qua affirmat Illuſtriſſimos ac Reverendiſſimos dominos Cardinales Congregationis ſacrorum Rituum declarâſſe, poſſe Epiſcopum, ſi à Cathedrali abfuerit, in qualibet Eccleſia ſui Epiſcopatus Chriſmatis, catechumenorum, & infirmorum olea conſecrare. Tertia verò & ultima eſt dicti Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi domini Hieronymi Cardinalis Matthæji, data Romæ die 27. Novembris anno MDCI. in qua affirmat, poſſe dictum dominum Epiſcopum Oriolanum viſitare fabricam minoris vel quinctæ domus: prædicta, inquam, præ-

di-

dictarum Ordinum literarum exemplaria, ſive tranſumpta, à ſuis originalibus regiſtris, penes dictum dominum Epiſcopum Oriolanum exiſtentibus, fideliter, nec apice quidem immutato, fuiſſe translata & tranſcripta. In quorum omnium & ſingulorum fidem, hìc me ſubſcripſi, ac meum ſolitum, conſuetum appoſui ſignum requiſitus.

Jacobus Ferrandez presbyter, notarius & ſcriba Apoſtolicus.

ELOGIUM

ILLUSTRISSIMI DOMINI

JOSEPHI STEPHANI

EPISCOPI ORIOLENSIS,

ET HUJUS SYNODI PRAESIDIS.

Ex cl. viro D. Nicolao Antonio, in Biblioth. Hiſp. Tom. I. pag. 625.

JOSEPHUS STEPHANUS, *vulgò* ESTEVE, *Valentinus, cùm ex patria, omnibus ibi diſciplinis jam imbutus, ad hæc forma inſigni commendatus, Romam migràſſet, in ore omnium & admiratione fuit, dum & Legatorum regiorum nomine nonnunquam ad Purpuratorum Patrum Senatum, atque adeò Senatûs apicem Xyſtum V. Papam, verba pro dignitate faceret, ab hoc ſcilicet Veſtani Epiſcopatus infulis decoratus; cùm alterum, atque alterum eo jam tempore circa Pontificiam majeſtatem ac poteſtatem Opus foras magno plauſu dediſſet. Ante hoc tempus (quod ille ait in* Commentario de bello ſacro) *Philoſophiam publicè fuerat in Senarum urbe profeſſus, & canonicum in Segobricenſi Eccleſia, vnà & operarum illius magiſtrum egerat; à quibus muneribus ſe in* De poteſtate coactiva ſummi Pontificis *libris appellat. Valentinæ quoque Eccleſiæ decanus, indeq; 12. Januarii MDXCIV. Oriolanus Ariſtites (civitas* Origuela *vulgò in Valentiæ regno eſt haud ignobilis) renunciatur. Hoc munere auctus, antiquis illuſtrandis Eccleſiæ patribus ſeriò intendit animum, quædamq; monumenta in vulgus edidit, quæ nulli non probantur; alia, ſi mors non interceſſiſſet, æquè docta & utilia depromturus. Elenchus Operũ hic eſt:*

DE ADORATIONE PONTIFICUM, pedum oſculatione, geſtatione, & coronatione. *Romæ MDLXXIX. In* 8. *Venetiiſq; eodem anno & Coloniæ.*

DE POTESTATE COACTIVA, quam Romanus Pontifex exercet in negotia ſæcularia. liber primus: *ex tribus ſcilicet quos argumento deſtinaverat, ad Xyſtum V. Pont. Max. Romæ MDLXXXVI. in* 4.

DE EPISCOPI in tempeſtate officio. Epiſtola ad Thomam Cardinalem Cajetanum.

SACRI ROSARII B. Mariæ Virginis ab Hæreticorum calumniis defenſio, unà cum myſteriis & Bullis Romanorum Pontificum. Romæ apud Dominicum Baſſam MDLXXXIV. in 4.

ORATIO habita Romę nomine Joannis Fernandez de Velaſco, Regis Catholici Oratoris ad Xyſtum V. Romanum Pontificem, anno MDLXXXVI. *quam Bibliothecæ Pontificiæ auctor laudat, atque editam vidimus.*

Italicè præſefert Stephani noſtri nuncupationem liber ita inſcriptus:

INDULGENZE DELLA VERGINE. *Venetiis apud Bernardum Giunti MDLXXXVII. in* 4. *Quam credo verſionem eſſe Latini libri* DE ROSARIO DEIPARÆ.

HÆC ROMÆ. Quæ ſequuntur in Hiſpania publicavit.

DE BELLO SACRO, religionis cauſsâ ſuſcepto; ad libros Machabeorum Commentarii. *Clementi VIII. Pont. Max. nuncupati. Prodiit nempe primus tomus dumtaxat, hoc eſt ad priora quatuor primi libri capita, Oriolæ in Palatio Epiſcopali MDCIII. in* 4.

DE DIGNITATE & præeminentia presbyterorum. *Valentiæ in* 4.

DE unica Religione diſputatio, ad vetus dictum: *Salus populi ſuprema lex eſto*; Ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum.

IN cauſſa Henrici Borbonii ad Epiſcopos & presbyteros, cæteroſq; Catholicos Regni Francorum, Parenetis. *Valentiæ typis Mey MDXC. in* 4. *Antuerpiæ MDXCI. in* 8. *Interrupit mors Opus, quo nihil in eo genere accuratius lectum iri fecerat doctis hominibus, doctus ipſe atque eruditiſſimus, ſolidam ſpem, ſcilicet.*

LEXICON Eccleſiaſticum vocum, phraſium, ac rituum veteris Eccleſię Catholicę, è Grę cis Latiniſque Patribus.

SUMMARIUM *quoque* De antiquis Valentini Regni Epiſcopis *laudare ſolet, Gaſpar Eſcolanus in ejuſdem Regni hiſtoria.*

Denatum ſcimus ante diem 10. *Novembris anno MDCIV. quo die habuit in Eccleſia Oriolenſi ſponſo viduata ſucceſſorem Andream Albarracinenſem Epiſcopum.*

CON-

CONCILIUM III.
PROVINCIALE LIMANUM,

Quod Clemente VIII. Romano Pontifice, & Philippo III. Hiſpaniarum Rege, novi Orbis domino, celebravit

Beatus Toribius in civitate Lima, anno Domini MDCI.

NON eſt, quòd ex annorum periodo quiſquam hîc in limine Toribium Archiepiſcopum reprehendendum ſuſpicetur: quaſi ut minus juſtus deeſſet officio, vel charitate minutus non provideret Paſtor gregi, vel majorũ decreta negligens, neque Concilii Tridentini præcepto parens, Concilũ Provinciale poſt triennium à proximo antecedenti celebraverit, vel ſaltẽ Gregorii XIII. Pontificis, indulto uſus, ſeptennii terminum obſervârit: quin vir alioquin obſervantiſſimus, Concilium iſtud ab anno MDXCI. in annum MDCI. toto decennio diſtulerit: quoniam ratio, quę in Concilii Tridentini decreto cum Toribio diſpenſandum, & indultum concedendum ſuaſit Pontifici Gregorio, eadem obſtitit, ut neutrum ſervaretur hac vice; nempe neceſſitas non habens legem. Toribius enim ſervato ſeptennii tempore Concilium indixit in quintam diem Martii anni MDXCVIII. & ſimul indictionis literas ad omnes Epiſcopos ſibi ſuffraganeos miſit: quo termino tranſacto, nullus Epiſcoporum comparuit, tanta eſt itinerum in ea regione difficultas & longitudo, maximis periculis expoſitorum, ut in primo libro noſtri Novi Mundi declaravimus: unus etiam dum ſe itineri accingeret, obiit, & alius morbo detentus, quo eum etiam obiiſſe ſuſpicor, ſe excuſavit. Exſpectavit ergo patienter, etſi dolenter, Archiepiſcopus, & novas literas indictionis expedivit, donec tertio poſt primum terminum anno accedentibus tantùm duobus Epiſcopis, Quitenſi & Panamenſi, omnibus viſum eſt, Concilium non ampliùs in ſpem adventûs aliorum differendum eſſe, atque idipſum ſequenti ipſorum decreto declaratum eſt: unde reddita ratione dilationis, omnis negligentiæ ſuſpicio vel querela ceſſat. D. FRANC. ANT. MONTALVO.

DECRETUM PRÆPARATORIUM.

IN civitate Regum undecima die menſis Aprilis, anni MDCI. congregati ſimul in aula Archiepiſcopali, videlicet, Illuſtriſſimus D. Toribius Alphonſus Mogrovexus Archiepiſcopus hujus civitatis, & Reverendiſſimus dominus Magiſter D. Fr. Ludovicus Lopez Epiſcopus Quitenſis, & Reverendiſſimus dominus Doctor, D. Antonius Calderon Epiſcopus Panamenſis; attendentes, quòd ſecundùm diſpoſitionem ſacri Concilii [a] Tridentini & Brevia ſummi Pontificis, Prælati, Epiſcopi comprovinciales univerſæ hujus provinciæ fuerint convocati per duas convocatorias expeditas ad omnes Epiſcopos, & quòd Reverendiſſimus Epiſcopus Paraguayanus volens adeſſe & venire ad celebrationem dicti Concilii Provincialis è vita deceſſerit, & Reverendiſſimus Tucumanenſis D. Ferdinandus de Trejo Sanabria, accinctus ad veniendum ad dictum Concilium inciderit in morbum dyſenteriæ, cum fluxu ſanguinis, cum quo ſi ſe itineri commiſiſſet, periclitaretur ejus vita, quemadmodum per ipſius nuncios, & literas, quæ præſentatæ fuerunt, apparuit: & re communicata cum viris doctis, & cognito quid in aliis præteritis Conciliis actum ſit, & exſpectato completo termino convocatoriæ, qui fuit decima quinta dies Martii anni MDXCVIII. uſque ad præſentem diem dati hujus, qui eſt undecimus menſis Aprilis anni MDCI. & non habentes notitiam, quòd ullus abſentium eſſet venturus, aut venerit, ac deſiderantes debitam exſecutionem dare celebrationi dicti Concilii Provincialis; convocati juxta diſpoſitionem ſacri Concilii Tridentini & Brevium Apoſtolicorum, & Schedularum domini noſtri Regis; dixerunt quòd per viam maximè expedientem, & quantum permittunt jura, declarabant, & declarârunt, quòd ſe conſtituebant, & conſtituerunt legitimos ad inchoandum, proſequendum, & abſolvendum dictum Concilium, & in eo ordinandum, ac decernendum cętera omnia, quæ Conciliis Provincialibus legitimis concedunt jura & laudabiles conſuetudines. Et ſic decreverunt, & ſubſcripſerunt ad finem dicti Concilii.

Toribius Archiepiſcopus civitatis Regum.
Fr. Ludovicus Epiſcopus Quitenſis.
Antonius Epiſcopus Panamenſis.

Coram nobis, de quo fidem facimus;
Licentiatus Michaël de Salinas.
Licentiatus Oſorius de Contreras Secret.

ACTIO

[a] Seſſ. 24. cap. 2. *De refor.* Gregor. XIII.

ACTIO PRIMA

Celebrata in Eccleſia Cathedrali civitatis Regum, die 2. Aprilis anni MDCI.

DECRETUM I.

Declaratur inchoatio Concilii.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus miſeratione divina, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Archiepiſcopus Metropolitanus hujus civitatis Regum, domini noſtri Regis conſiliarius, unà cum comprovincialibus dominis Epiſcopis Magiſtro D. Fr. Ludovico Lopez de Soliz, Epiſcopo civitatis Sancti Franciſci *de Quito*, & doctore D. Antonio Calderon Epiſcopo Panamenſi, declarat Concilium Provinciale convocatum per nos dictum Archiepiſcopum in hac civitate Regum, die feſto Sancti Leonis Papæ, qui eſt undecimus Aprilis, ad honorem & gloriam ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, pro felici ſtatu & reformatione hujus provinciæ, & Eccleſiarum ipſi ſuffraganearum inchoari, & inchoatum eſſe.

DECRETUM II.

HOC ſacrum Concilium ſtatuit, ut omnibus in eo præſentibus, & abſentibus, tam Reverendiſſimis Epiſcopis, quàm procuratoribus comprovincialibus, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtant, declaretur, nullum illis præjudicium parare loca in hoc Concilio aſſignanda: imo potiùs, quòd ipſorum jura, & prærogativæ, ſalva, integra, & ſecura ipſi s relinquantur, ſecundùm quod, & eo modo, quo ante hoc Concilium erant, eaque tenebant, & gaudebant illis. Et ad procedendum in eo nominârunt officiales, Licentiatum Michaëlem de Salinas, proviſorem, & vicarium generalem hujus Archiepiſcopatus, & Licentiatum Franciſcum Oſorium de Contreras, proviſorem Epiſcopatûs terræ firmæ pro ſecretariis ejuſdem Concilii, & Licentiatum Melchiorem Ruiz de Buſtos pro fiſcali. Et interrogati dicti Reverendiſſimi, an conſentiant his decretis, & ipſis placeant? dixerunt, & reſponderunt: *Placent.* Et publicatis iſtis decretis, eiſque lectis unà cum capite ſecundo ſeſ. 24. Concilii Tridentini *De reform.* quod incipit: *Provincialia Concilia.* Et cap. 1. quod incipit: *Eadem ſacroſancta Synodus.* Et ſecundo, quod incipit: *Epiſcopi inferiores.* ſeſ. 6. *De reform.* Et cap. 1. quod incipit: *Cùm præcepto divino.* ſeſ. 23. *De reform. De reſidentia Prælatorum*: & cap. 2. quod incipit. *Cogit.* ſeſ. 25. *De reform.* abſolutum eſt hoc decretum, lectis pariter canonicis regulis, quarum fit mentio cap. *Sicut olim*, *De accuſationibus*.

DECRETUM III.

De profeſſione Fidei.

STatuitur etiam & præcipitur, quòd juxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſ. 25. cap. 2. *De reform.* omnes Epiſcopi comprovinciales emittant profeſſionem Fidei, & dicti Concilii, ejus veſtigiis inhærendo, juxta conſtitutionem Pii Papæ IV. quæ incipit: *Injunctum.* Quæ profeſſio facta eſt in forma conſueta.

ACTIO SECUNDA

Celebrata in Eccleſia Cathedrali civitatis Regum, die 17. menſis Aprilis, anno MDCI.

DECRETUM I.

De judicibus ſynodalibus.

SEcundùm quod in ſacro Concilio Tridentino proviſum eſt ſeſ. 25. cap. 10. *De reform.* Hoc ſacrum Concilium pro judicibus, qui cognoſcere poſſint, & cognoſcant cauſſas ſpirituales, & Eccleſiaſticas pertinentes ad forum Eccleſiaſticum, quæ in iſtis partibus commiſſæ fuerint per ſummum Pontificem, vel per quemvis Legatum, vel Nuncium, in hoc Archiepiſcopatu nominârunt Doctorem D. Petrum Muniz Decanum, Doctorem D. Joannem Velaſquez Archidiaconum, Doctorem D. Matthæum Gonzalez de Paz Scholaſticum, Doctorem D. Stephanum Fernandez Voz-medianum Cantorem, D. Chriſtophorum Medel Theſaurarium, Dignitates hujus ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis Regum. Et in Epiſcopatu Quitenſi Decanum D. Franciſcum Galecis, & Archidiaconum magiſtrum Joannem de Ovando, & Cantorem D. Georgium Ramirez de Arellano, & canonicum D. Alphonſum de Aguilar. In Epiſcopatu Panamenſi D. Joannem de Luque Decanum, D. Cyprianum Fernandez de Sea Theſaurarium, Licentiatum D. Alphonſum Armyo Altamirano, Cantorem, baccalaureum Hernandum Guerrero canonicum. Et in reliquis Epiſcopis ſuffraganeis per idem Concilium injungitur, ut in ſuis diſtrictibus nominent perſonas idoneas ad eundem effectum, conformiter ad ſacrum Concilium Tridentinum.

DECRETUM II.

De teſtibus ſynodalibus.

RAtio propter quam ſancti Patres juſtè & ſanctè conſtituerunt, ut ſingulis annis cogerentur Synodi, fuit, ut in eis tractetur de corrigendis exceſſibus, & de reformatione & moderatione morum, utque in eis fiat

quod

quod bono regimini animarum, & rerum Epiſcopatus concernentium expedit. Et ut quod in eiſdem Synodis conſtitueretur & fieret, cum majori efficacia compleatur, & ad effectum perducatur, ſtatuerunt, ut in ſingulis Epiſcopatibus ſint, & nominentur teſtes ſynodales, viri boni & idonei, qui diligenti ſtudio per univerſum Archiepiſcopatum inquirant, quiſque in diſtrictu ſibi aſſignato, quomodo obſervetur & compleatur quod in Synodis conſtitutum & præceptum eſt. Et ut tam ſancta inſtitutio ſortiatur effectum; nominati ſunt teſtes ſequentes: in hoc Archiepiſcopatu parochi, qui ſunt, vel fuerint hujus ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis, & parochiarum: & viſitatores totius Archiepiſcopatus, qui item ſunt, vel pro tempore fuerint. In Epiſcopatu Quitenſi etiam parochi Cathedralis, & parochiarum, & viſitatores. In Epiſcopatu Panamenſi ſimiliter parochi Cathedralis, & viſitatores. Et reliquis Epiſcopis injungitur, ut perſonas idoneas ad hoc munus in ſuis Epiſcopatibus eligant.

DECRETUM III.

Forma Interrogatorii ad Romanum Pontificem mittendi, circa promovendos ad Epiſcopatus, juxta decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 1. De reformatione.

IMprimis an cognoſcant N. & quanto hactenus tempore, & an habeant notitiam Eccleſiæ Cathedralis talis loci, in tali regno?

Item an ſciant, an à decem, viginti, vel triginta annis huc uſque perpetuò in ea civitate fuerit, & ſit illa Eccleſia Cathedralis, cum titulo & invocatione ſancti N. & quòd in illis diverſis temporibus aliqui promoti fuerint ad quatuor, vel quinque Dignitates, & quòd earum prima & magis principalis poſt Pontificalem ſit illa Decani, vel alterius majoris de numero canonicorum; & an habeat ſacrarium decenter ornatum, & inſtructum bonis ac ditibus ornamentis, & amplam magnamque diœceſim, cum aliis ſignis, & inſigniis, quæ monſtrent, & faciant eam notabilem Eccleſiam Cathedralem; & quòd hoc fuerit & ſit publica vox & fama?

Item an ſciant, quòd in eadem Eccleſia Cathedrali fuerit, & reſederit tanquam proprius ejus Epiſcopus Reverendiſs. D. N. & quòd fuerit ultimus Epiſcopus & Paſtor illius, & quòd per ipſius mortem jam careat Epiſcopo, & vacet?

Item ſi cognoverint, vel notitiam habeant N. & N. parentum N. & incolarum quondam loci N. & an ſciant, quòd fuerint matrimonio conjuncti & velati, & quòd durante tali matrimonio habuerint, & procreaverint N. tanquam legitimum filium: & an ſciant, quòd pro legitimo filio fuerit, & ſit habitus, & communiter reputatus ab omnibus qui ipſum cognoſcebant?

Item an ſciant quòd parẽtes dicti N. & ipſius majores fuerint omnes Chriſtiani, & filii puri ſanguinis, ſine miſtione Judæorum vel Maurorum, & quòd non pœnitentiati per officium S. Inquiſitionis, & quòd fuerint perſonæ principales civitatis, aut oppidi talis regionis, & dictus N. pariter eorum filius?

Item ſi ſciant, quòd dictus N. ſit ætatis tot annorum, & talibus ordinibus initiatus, ut conſtat per teſtimonia ipſius ordinationis?

Item ſi ſciant, quòd idem N. ſit graduatus ad talem gradum in tali facultate, ut conſtat per teſtimonia ipſius promotionis?

Item an ſciant, quòd idem N. habuerit Cathedram, officium, vel præbendam in tali loco, vel fuerit Collegialis, Prior, aut Provincialis, vel habuerit alia officia, gubernia & adminiſtrationes, & an illis bene functus fuerit, & an vitam abſtractam, laudabilem, & exemplarem duxerit, ſuccurrendo neceſſitatibus proximorum, illis cum omni charitate compatiendo: & quòd ſit pacificus, manſuetus, non ſequax lucri, nec amicus cumulandi theſauri, ſed benignus, ſobrius vir, virtute præditis benè affectus, & virtutum ſuaſor, abſtinens, & per omnia temperans, & qui habetur pro devoto ſervo Dei?

Item an ſciant per quot leucas extenditur diſtrictus Eccleſiæ & Epiſcopatus N. ad quem præſentatus eſt dictus N. & an terra cultilis vel aſpera ſit, & quam qualitatem, vel temperiem habeat, & per quot leucas idem Epiſcopatus ab Archiepiſcopatu, cui ſuffraganeus eſt, diſtet, quotque ſint ejus comprovinciales ſuffraganei, per quos celebrari poſſint Concilia Provincialia?

Item an ſciant, quòd dictus N. non ſit valetudinarius, nec impotens, aut impeditus ad viſitandum Epiſcopatum, & exercenda Pontificalia, nec ætate gravis, ut per hoc ſe excuſare poſſit, ne exerceat?

Item an ſciant, quòd idem N. in rebus Indicis peritus ſit, & quanto tempore reſederit, & adſtiterit in illis, & an indigenarum linguam calleat, ut illis prædicare, & ſancta ſacramenta miniſtrare, eoſdemque circa ea catechizare, & inſtruere poſſit, tam in ſacramento Confirmationis, quàm in reliquis?

Item an ſciant, quot Beneficia & Doctrinas habeat Epiſcopatus, & an in illis deſint, vel ſuppetant rectores?

Item an ſciant, quòd omnia prædicta, & eorum ſingula ſint vera, publica, & notoria per publicam vocem & famam?

DECRETUM IV.

Renovatio Concilii Provincialis anni MDVIII.

QUandoquidem in Concilio Provinciali, quod celebratum fuit in hac civitate Regum anno jam præterito MDVIII. multa decreta ſancita fuerint ad reformationem cleri, ſtatutum Eccleſiaſticum, Indorum inſtructionem, & ſacramentorum adminiſtrationem; & habeatur veridica relatio,

latio, quòd in multis partibus non obſerventur, nec effectu compleantur, & quòd ad negotiationes & contractus clericorum cum Indis, ludos item & alias res pertinet, magna fit corruptio, & quòd interim, donec reprimantur abuſus, & reprobæ ac perniciosæ conſuetudines, quæ revera corruptelæ vocari poſſunt, non poterit inter Indos fieri fructus: & quoniam animus quo dictum Concilium congregatum & celebratum eſt, is fuit, ut in illo ſtatueretur, quod ad obſequium Dei, & ſpirituale bonum Eccleſiarum hujus provinciæ, augmentum cultus divini, converſionem & inſtructionem Indorum, morum reformationem, correctionem & perfectionem Eccleſiaſtici ſtatus: & quia dictum Concilium ejuſque decreta tanta ponderatione & conſenſu ſancita ſunt, & ſua Sanctitas conſtituit, ordinavit & præcepit, ut impleantur & exſecutioni mandentur; præſens Concilium Provinciale ſtatuit, ordinat, & precipit, ut obſerventur & compleantur omnia decreta dicti Concilii Provincialis anni ſupradicti, idque inviolabiliter abſque diminutione ullius rei quæ in illis diſpoſita & proviſa eſt, ut in eiſdem continetur, & ut ſua Sanctitas ordinat & præcipit, & ut ſua Majeſtas per ſchedulas ſuas Regias ad hoc expeditas, & in eodem Concilio inſertas injungit: ac omnes Epiſcopi ſuffraganei hujus Archiepiſcopatus monentur, & in Domino obſtringuntur, ut recolendo obligationem muneris quod gerunt, paſtorum & Prælatorum, quorum conſcientias dictum Concilium onerat, tanquam qui ſtrictam rationem reddituri ſint ovium ſuæ curæ commiſſarum, ut ſervent & obſervent, ac ſervari & obſervari faciant, & in ſuis Eccleſiis publicari, quiſque in ſuo diſtrictu, omnia decreta dicti Concilii celebrati dicto anno MDLXXXIII. faciendo, ut in omnibus & per omnia compleantur & ſerventur, ut dictum eſt, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium: & quòd omnes peculiarem curam in hoc ponant, renovando, ut renovat hoc ſacrum Concilium, omnia decreta dicti Cõcilii anni MDLXXXVIII. & præcipit, ut ſerventur & compleantur, & ad debitam exſecutionem cum effectu perducantur: ita ut in toto fiat quod expedit exonerationi conſcientiarum, & obſequio Dei Domini noſtri. Præcipit etiam hoc idem ſacrum Concilium omnibus parochis, tam Hiſpanorum quàm Indorum, & omnibus judicibus Eccleſiaſticis, ad quos quoquo modo pertinet, ut ea penes ſe habeant, intra duos menſes, poſtquam in unoquoque Epiſcopatu publicata fuerint, vel intra aliud tempus, quod Ordinarius in ſuo Epiſcopatu aſſignaverit, ſub pœnis ipſis imponendis. Injungitur pariter omnibus Epiſcopis ſuffraganeis, quòd cum omni poſſibili brevitate faciant publicari in ſuis Epiſcopatibus hæc decreta, idemque fiat in Cathedrali hujus Archiepiſcopatus, ut perveniat ad omnium notitiam, & nemo prætendat eorum ignorantiam.

DECRETUM V.

OMnia decreta hujus Concilii Provincialis, & eorum quodlibet, ſubjecta ſint cenſuræ & correctioni ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Ego T. Archiepiſcopus civitatis Regum diffiniens ſubſcripſi.
Ego Fr. Ludovicus Epiſcopus Quitenſis diffinieus ſubſcripſi.
Ego Antonius Epiſcopus Panamenſis diffiniens ſubſcripſi.

In quorum fidem infraſcripti ſecretarii Concilii ſubſcripſimus.

Ego Licentiatus Michaël de Salinas, Regum proviſor, ac vicarius generalis, & Concilii ſancti ſecretarius.
Ego Licentiatus Franciſcus Oſorius de Contreras ſancti Concilii ſecretarius, proviſor, ac vicarius generalis Panamenſis.

Teſtimonia approbationis & publicationis Concilii.

QUod ſacrum Concilium Provinciale abſolutum eſt ad honorem & gloriam Dei, Domini noſtri, die Mercurii ſancto, mane, decimo octavo menſis Aprilis hujus anni MDCI. & cæremoniis ex præſcripto Pontificalis Romani peractis, publicatum eſt in Eccleſia Cathedrali hujus civitatis Regum, dictis die, menſe, & anno, alta & intelligibili voce, in pulpito Eccleſiæ per baccalaureum Joannem de Salazar clericum presbyterum, collectorem hujus ſanctæ Eccleſiæ Regum, præſentibus Illuſtriſſimo domino D. Toribio Alphonſo Mogrovexo Archiepiſcopo Metropolitano hujus civitatis Regum, & domino Magiſtro D. Fr. Ludovico Lopez de Soliz, Epiſcopo civitatis Sancti Franciſci de Quito, & domino doctore D. Antonio Calderon, Epiſcopo Panamenſe, ſuffraganeis hujus Metropolis. Teſtibus doctore Fernando de Guzman, & Licentiato Bartholomæo Menacho, & Chriſtophoro de Leon, canonicis hujus ſanctæ Eccleſiæ. Et tunc ſtatim dictus D. Archiepiſcopus interrogavit dictos dominos Epiſcopos Quitenſem & Panamenſem: Reverendiſſimi Patres, Placentne vobis hæc decreta? & reſponderunt: Placent. *Et his dictis, D. Archiepiſcopus diſſolvit dictum Concilium ſimul cum dictis DD. Epiſcopis Quitenſi & Panamenſi, dicens,* Ite in pace, finitum eſt Concilium. *Et horum fidem facimus,*

Licentiatus Michaël de Salinas Secretarius.

Licentiatus Oſorius de Contreras Secretarius.

Ego Licentiatus Joannes de Salazar, presbyter, collector generalis hujus Archiepiſcopatus, & notarius publicus ejuſdem, legi & publicavi de-

decreta hujus ſacri Concilii Provincialis in dicta ſancta Eccleſia, voce alta & intelligibili, ut ſuprà memoratur, exiſtentibus teſtibus Doctore Fernando de Guzman, & Licentiato Bartholomæo Menacho, & Chriſtophoro de Leon, canonicis dictæ hujus ſanctæ Eccleſiæ, & aliis multis perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus. Et ut de eo conſtet, ſubſcripſi. In civitate Regum die 18. Aprilis anni MDCI.

Licentiatus Joannes de Salazar Secretarius.

SYNODUS IX.

DIOECESANA

Celebrata in civitate Regum, die 16. menſis Julii, anno MDCII.

EXciderunt hîc Synodi tres, ſcilicet annì MDXCVI. MDXCVIII. & MDC. nam celebratas per B. Toribium fuiſſe tredecim, vel quatuordecim Synodos, & tria Concilia Provincialia, ſcribit Antonius à Leone cap. 6. & 9. Vitæ Toribii. Et ipſe Archiepiſcopus in relatione viſitationis liminum ad Clementem VIII. Pontificem miſſa 14. Aprilis anno MDXCVIII. apud eundem Antonium à Leone cap. 6. citato, refert ſe cum aliis præcedentibus celebrâſſe Synodum anni MDXCVI. quæ cum duabus ſequentibus in autographo noſtro deſunt, & convocâſſe ad alias, ſervato intervallo biennii, juxta indultum Gregorii XIII. Cenſendum eſt ergo ipſum eas celebrâſſe, tum ob exactiſſimam dicti Beati in cæteris vigilantiam, & obſervantiam talem, ut etiam inter viſitandam diœceſim, ne ſtatuto tempore Synodos omitteret, ipſas in pagis vel oppidulis celebraret; tum propter modum, quo procedit in ſequenti initio Synodi anni MDCII. ubi eodem modo de biennio indulti loquitur, quo ſolet poſt celebratam biennio priùs præcedentem Synodum, nec ullam mentionem facit alicujus intermiſſæ Synodi: quod non feciſſet ſi intermiſiſſet: ſicut nec fecit, quando Concilium III. Provinciale uſque in decimum annum dilatum fuit. Nam in ejus decreto præparatorio cauſſas omnes dilationis expoſuit: idem omnino hîc facturus, ſi talis dilatio præceſſiſſet. D. ANT. MONTALVO.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus, divina miſeratione, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus horum regnorum & provinciarum Peruviæ, domini noſtri Regis conſiliarius, &c. Obligationi noſtræ ſatisfacere cupientes, Synodum Diœceſanam, juxta ſacrum Concilium Tridentinum, ſingulis annis celebrandi, & juxta diploma Gregorii XIII. felicis recordationis, in quo, ſpeciali gratia & favore nobis concedit, ut quamdiù vixerimus, ſatisfacere poſſimus, dictam Synodum ſingulis bienniis celebrando: convocavimus charos fratres noſtros, Decanum & capitulum noſtræ ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis civitatis Regum, noſtroſque parochos, & vicarios, cæteraſque perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares, quæ de jure vel conſuetudine tenentur intervenire & aſſiſtere dictæ Synodo noſtri Archiepiſcopatus, qui de jure vocari debeant, cujus Synodi convocatio fuit ad viceſimum ſextum diem menſis Junii, anni præſentis MDCII. infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, ſub Veſperas S. Leonis Papæ & Confeſſoris. In qua Synodo ordinavimus & ſtatuimus conſtitutiones ſequentes, quas volumus & præcipimus obſervari & adimpleri, ſecundùm quod, & eo modo, quo in eiſdem continentur.

CAPUT I.

Oblationes defunctorum non ſint fictæ.

QUòd in oblationibus, & memoriis, quæ pro defunctis fiunt, non apponantur facci palearum, nec lagenæ aquæ, vel aliæ res, quæ in ſpecie non compleant.

CAPUT II.

Arcana confeſſionis non curiosè inquirenda.

QUòd nemo Eccleſiaſticus vel ſæcularis immiſceat ſe interrogandis Indis, quid ſanè porrò confeſſi fuerint, vel inquirendo, aut cognoſcendo, cur orent, aut oblationes dent, vel Miſſas celebrari curent; directè vel indirectè ſcire ſtudentes, ſi illa per viam pœnitentiæ, vel tanquam in confeſſione iis injuncta faciant.

CAPUT III.

Mendicorum animæ curandæ.

QUòd noſter proviſor & parochi in hac civitate Regum, cæteriſque parochi & vicarii noſtri Archiepiſcopatus, immatriculari faciant pauperes Indos & mendicos, etiam extraneos, ut confiteantur, & in reliquis obligationi ſuæ ſatisfaciant.

CA-

CAPUT IV.

Piarum voluntatum exſecutio.

QUòd collector Miſſarum, aliquo morien-te, extrahat notam omnium piorum ope-rum & ſuffragiorum, quæ defuncti in ſuis teſtamentis reliquerint, clauſulas authen-ticas deſcribendo: eamque notam in hac urbe tradet noſtro proviſori, & alibi vicariis pro-vinciarum, ut ultimarum voluntatum adim-pletio curetur. Et has notas in libro conſcriptas habeat, ut rationes per eas ineantur, conferen-do ſumptus funerum parochialium.

CAPUT V.

Ab oblationibus nemo dehortandus.

QUòd cùm Indi Dominicis & feſtivis die-bus liberè offerunt, nemo Hiſpanus, vel alius eos impediat, ſeu directè vel in-directè perturbet; ſed potiùs eis exponant, quàm bonum opus ſit eleemoſyna, eoſque ad eam, idque ex animo & libera voluntate, fa-ciendam excitent.

CAPUT VI.

Profanæ picturæ à templis arcendæ.

QUòd Eccleſiæ profanis gentilium, alio-rumve imaginibus non ornentur, vel ap-pendantur in eis ejuſmodi picti tapetes.

CAPUT VII.

Hoſpitalium adminiſtratores.

QUòd qui in poſterum geſſerint, vel nunc gerunt curam hoſpitalium, vel bono-rum eorundem, tam in Indorum quàm in Hiſpanorum oppidis; nos eos nominamus eorundem hoſpitalium & bonorum ad ea ſpe-ctantium adminiſtratores. Circa quod, ineun-do cum eis rerum rationes, & ſumendo ab eis juramentum, quod præſtare debent, & circa tempus quo eam adminiſtrationem exerceant, cæteraque his annexa, vel ea concernentia, per judices noſtros Eccleſiaſticos ad quos pertine-bit, obſervetur conſtitutio Clementina: *Quia contingit. De relig. dom.* & ſacri Concilii Tri-dentini [a]. Dictique judices eos pro ejuſmodi ad-miniſtratoribus nominabunt, cùm viſitantur hoſpitalia, & eorum bona: ac eorum rationem ab ipſis exigent.

CAPUT VIII.

Mendicatio non locanda.

QUòd cauſsâ petendi eleemoſynas pro Ec-cleſiis, Confraternitatibus, vel aliis re-bus, non fiant pacta vel conventiones locationis cum illis, qui eas petituri ſunt, ſed ut eædem eleemoſynæ petantur, & fiant abſque ullo genere ſcrupuli conſcientiæ, vel alio quod malè ſonet.

CAPUT IX.

Periculoſæ devotiones tollantur.

QUòd noſter proviſor, vel alii noſtri judi-ces Eccleſiaſtici, nec locum dent, nec ul-latenus permittant, ut, vel noctu, vel interdiù, in Veſperis, aut feſto die Sancti Joan-nis, vel aliis, fiant altaria in privatis domibus: in hac parte penitùs exſtirpantes conſuetudines deſuper introducendas, & ſuperſtitiones, & of-fenſas, quæ contra Deum naſci poſſunt, intran-tibus in eas domos hominibus larvatis, & alie-no amictu transformatis. Nullaque perſona Ec-cleſiaſtica vel ſæcularis accommodet ornamen-ta, imagines, vel alias res, ad paranda ejuſmo-di altaria. Et parochi hanc conſtitutionem in ſuis parochiis publicari facient, ut nemo præ-tendat ejus ignorantiam.

CAPUT X.

Cautio ad matrimonia Indorum.

QUòd quando Indorum parochi quem-piam juncturi ſunt matrimonio, priùs inſpiciant librum baptiſmi; & cùm ex eodem libro non apparuerit ipſum fuiſſe ba-ptizatum, fiat, quæ fieri poterit inquiſitio de ipſius baptiſmo, & in clauſula, qua ſcribetur ejus matrimonium, exprimatur, quomodo de bap-tiſmo conſtet, cùm relatione ad inquiſitio-nem de eo factam, & ad teſtes & patrinos, u-troſque nominatim exprimendo.

CAPUT XI.

Oblationes in die defunctorum.

QUòd parochi Doctrinarum non jubeant Indis, ut ferant oblationes omnium San-ctorum ante diem commemorationis defunctorum, ſed in hoc ſerventur laudabiles conſuetudines Eccleſiæ.

CAPUT XII.

De celebratione Miſſarum.

QUòd cùm parochi exceſſerint [b] circa elee-moſynas Miſſarum & Confraternitatum, accipiendo pluſquam per conſtitutio-nes hujus Archiepiſcopatus præſcriptum eſt, vel cogendo ipſos ad acquirendam pecuniam, ſeu directè vel indirectè vim ad id inferendo, vel alio modo cogendo, ut eos Miſſas celebrare fa-ciant: tunc noſtri viſitatores & vicarii poſſint revocare, & revocent, cùm ipſis expedire vide-bitur,

[a] Seſſ. 25. Decret. cap. 8.

[b] Synodus VII. Diœceſana cap. 25.

bitur, dictas Confraternitates, & celebrationem illarum Miſſarum, ſive cantentur, ſive recitentur, vel jungantur vigiliæ ad liberam voluntatem eorum, qui eas celebrari faciunt, & non ad voluntatem parochorum.

CAPUT XIII.

De eleemoſynis Miſſarum.

Quòd parochi non compellant Indos, ut eleemoſynas Miſſarum, vel Confraternitatum ipſis dent, non in comeſtibilibus, piſcibus, ovis, lignis, vel aliis rebus; ſed quòd ſatisfaciant per eleemoſynam pecuniariam, quæ colligitur diebus Dominicis & feſtivè colendis: nec ipſos cogant ad largitiones & contributiones inter Indos faciendas, neque quòd plures Miſſas dici curent, quàm ex collectis eleemoſynis fieri poſſit.

CAPUT XIV.

De decimariis.

Quòd quando decimarii venerint ad colligendas Indorum decimas, oſtendant priùs ſcripturas & ſufficientia mandata eorum qui ea dare poſſunt, ad illas decimas obtinendas, eaque præſentent parocho, qui in dicta collectione illis aſſiſtet.

CAPUT XV.

Viſitatores examinent ſententias latas per judices.

Quòd viſitatores à vicariis & judicibus Eccleſiaſticis exigant rationem proceſſuum, quos fulminaverint, & ſententiarum quas tulerint.

CAPUT XVI.

Acta ſecum ferant.

Quòd viſitatores ſecum deferant acta viſitationum, inquiſitionum, & ſententiarum, quæ compacta fuerint; ut videatur, an reinciderint in delicta, & res, de quibus moniti & inſtructi ſunt.

CAPUT XVII.

Reſervatur abſolutio fraudantium loca pia.

Quòd nobis reſervamus abſolutionem correctorum, œconomorum, adminiſtratorum, & aliorum quorumcumque Eccleſiaſticorum, & ſæcularium; exceptis Indis, Mulatis, & Æthiopibus, qui in ſuis prædiis & laboritiis inſumpſerint, vel directè aut indirectè, per ſe vel per interpoſitas perſonas, occupata detinent bona fabricarum, hoſpitalium, confraternitatum, cappellarum, aut piorum locorum, ita quòd nullus ſacerdos, abſque noſtra licentia, illos abſolvere poſſit. Et viſitatores, vicarii, & parochi iſtam conſtitutionem publicari faciant, & in eorum notitiam devenire, ad quos pertinebit, & etiam confeſſariorum, ne quiſquam prætendat ignorantiam.

CAPUT XVIII.

Tabacum ante communionem nemo ſumat.

Quòd[e] perſonis ſæcularibus prohibetur, ne ante communionem, per os vel nares ſumant fumum, aut pulverem tabaci, vel ſayræ, etiam ſub prætextu medicinæ, quemadmodum ſacerdotibus priùs conſtitutum eſt.

CAPUT XIX.

Aqua ex calice laïcis ne detur.

Quòd cum ſæculares communicant, ſacerdotes non porrigant ipſis aquam per calicem; ſed quòd in Eccleſia ſit aliud vas ad hoc deſtinatum.

CAPUT XX.

De oſculo altaris.

Quòd ſacerdotes dum celebrant, ubi in rubricis Miſſalis præſcribitur oſculum arę, non oſculentur calicem loco altaris, ſed in hoc obſervent rubricas Miſſalis novi.

CAPUT XXI.

Pœna clericorum qui lucris intendunt.

Quòd viſitatores & vicarii oppidorum Hiſpanicorum, & eorum ſinguli in ſolidum, in ſuo diſtrictu poſſint amovere, & auferre fiſcales, & ſacriſtanos, alioſque miniſtros Doctrinarum Indicarum, qui ſe occupaverint in congregandis Chinenſibus ad fila torquenda, vel pueris, & aliis Indis ad conficiendas ſtoreas, tuguria, vel ad ſationes, aut prædia, aliaſve res ab ipſorum cura alienas, & eis inconvenientes: & ipſorum loco collocare alios Dei obſequio idoneos.

CAPUT XXII.

Parochi corporales pœnas non exigant.

Quòd parochi in caſtigationibus, quas ex præſcripto conſtitutionum ſynodalium Indis inflicturi ſunt, nullum corporale damnum vel detrimentum illis inferant.

CA-

e Conc. Limen. anni 1683. Act. 3. cap. 24.

CAPUT XXIII.

Potus ex ficubus interdictus.

Quòd judices Eccleſiaſtici & parochi non permittant, vel locum dent, ut Indi conficiant potum ex ficubus; nec ut ullus eum vendat.

CAPUT XXIV.

De eleemoſyna Miſſarum.

Quòd ſacerdotes una die ab illis, qui Miſſas eo die dici ſibi volunt, non accipiant niſi eleemoſynam, ſeu pitantiam unius Miſſæ tantùm. In quo ipſorum conſcientias oneramus, ultra quòd, qui plures acceperint, ſeverè caſtigabuntur.

CAPUT XXV.

Cautio matrimoniorum.

Quòd caveant parochi, ne unam perſonam pro alia matrimonio jungant, dum fictè mutant nomina, ad decipiendum in hac parte parochum: ſed omnem adhibeant diligentiam & neceſſarias probationes in matrimoniis celebrandis.

CAPUT XXVI.

Officia ſacriſtani.

Quòd ſacriſtani maximopere ſtudeant Eccleſiarum, altarium, aliarumque ſuæ curæ rerum nitori & munditiei: & parochos comitentur, cùm ſacramenta miniſtrant, & Miſſas dicturos ad induendum ſe juvent. Et noſter proviſor, ac judices in tranſgreſſores inquirant.

CAPUT XXVII.

Ut aſſiſtant ſacramenta miniſtrantibus.

Quòd quando parochi exibunt ad miniſtranda ſacramenta viatici & Extremæunctionis, alii, qui eos aſſociantur, incedant cum debita devotione, non diſtracti in diſcurſus & confabulationes, nec alias res ab eo quod facere pergunt alienas.

CAPUT XXVIII.

Viſitatio non relinquatur imperfecta.

Quòd viſitatores, antequam ab oppidis diſcedant, terminent, & per ſententiam, cum omni poſſibili celeritate & brevitate, abſolvant cauſſas ſibi per ſententiam abſolvere permiſſas; circa viſitationes, earumque expeditionem, & procurationem, obſervando decreta ſacri Concilii Tridentini & noſtri Provincialis[d] anni MDLXXXIII.

CAPUT XXIX.

De pœnarum impoſitione.

Quòd pœnæ tranſgreſſoribus imponendæ, ſint ad arbitrium judicis, qui cauſſam terminaverit; præter eas, quæ per conſtitutiones Provinciales determinatæ, & certis delictis inflictæ ſunt.

CAPUT XXX.

Pecuniæ piæ citò reponendæ.

Quòd adminiſtratoses, œconomi, cæterique, in quorum poteſtatem deveniet pecunia ad hoſpitalia, Eccleſias, Confraternitates, cappellas, & alia loca pia, & ſeminarium pertinens, ante tertium diem, poſtquam dictam pecuniam recuperaverint, & in ipſorum poteſtatem pervenerit, ipſam reponant in arcam trium clavium ad hoc deſtinatam. Et quòd Confraternitatum Æthiopum, Indorum, & Mulatorum œconomi, in quorum poteſtate fuerit illa pecunia, nihil ejus expendant ſine aſſenſu & licentia noſtri proviſoris in hac civitate Regum, & vicarii, vel parochi in aliis locis.

CAPUT XXXI.

Sanctiſſimum ſacramentum quo ritu deferendum.

Quòd quando defertur ſanctiſſimum ſacramentum, id cum velo, conopeo, cereis accenſis, thuribulo fumigante, cruce, campanula, corporalibus, ara & aqua benedicta fiat. Et ſit præparatum altare, & locus decens, in quo reponatur, & unde miniſtretur infirmo. Et ſacerdos indutus ſit ſuperpelliceo, ſtola, & mozzetta. Vel quando cætera habere commodum non fuerit, tum ſacerdotes ſuperpelliceum, & ſtolam, aliaque, quæ poterunt, adhibeant.

CAPUT XXXII.

Epiſtolæ figuratis hoſtiis non claudantur.

Quòd non fiant hoſtiæ ad epiſtolas, crucibus & Sanctorum imaginibus, claudendas: neque quiſpiam eis ad hunc effectum utatur.

CAPUT XXXIII.

Libelli contra clericos, quando & quomodo accipiendi.

Libelli ſupplices, qui viſitatoribus contra clericos porriguntur, porrigentium nominibus ſubſcripti ſint, nec aliter à viſitatoribus

[d] Concil. Limen. anni 1583. Act. 4. cap. 1. 2. &c.

bus accipiantur, nec niſi dentur intra terminum viſitationis.

CAPUT XXXIV.

Habeatur cura clericorum inopum.

QUòd adhibeatur cura nominandi clericos pauperes & egenos in comitivis funerum; & Miſſæ illis commendentur, aliiſque qui Eccleſiam frequentant, & eidem inſerviunt.

CAPUT XXXV.

Præjudicia parochis non fiant.

QUòd in hoſpitalibus, & monaſteriis monialium, & ſacellis non ſepeliantur ipſorum ſacellani, vel alia perſona; nec vigilias, aut Miſſas, aut funeralia in eis celebrent, non priùs monito ipſorum parocho. Et nullus ſæcularis efferat corpora ſepelienda ad alias Eccleſias, extra ipſorum parochiam, non priùs pariter monito proprio parocho. Noſterque proviſor & judices contra tranſgreſſores procedent.

CAPUT XXXVI.

Sacerdotes non ſine bireto ad aram procedant.

QUòd ſacriſtani, cæterique, quorum erit paramenta præbere ſacerdotibus ad celebranda ſacra, non iis dent, qui non adferent bireta, quibus capita tecti ad altare procedant.

CAPUT XXXVII.

Ex præſcripto Miſſalis oſculanda manus ſacerdotis.

QUòd in caſibus, in quibus Miſſale Romanum novum præſcribit, ut oſculentur ſacerdoti manus, non porrigantur manipulus, aut ſtola, vel caſula ad oſculum pro manu excipiendum.

CAPUT XXXVIII.

Funeralium rationes ut excipiendæ.

QUòd parochorum quiſpiam aſſiſtat rationibus pro funeralibus reddendis.

CAPUT XXXIX.

Sacriſtani habitent juxta templa.

QUòd ſacriſtani degant propè Eccleſias quarum ſacrarii curam habent, ut ingruentibus neceſſitatibus præſtò ſint.

CAPUT XL.

Colores mutandi curam gerant.

QUòd parochi ſtudeant, ut ſuppetant paramenta diverſorum colorum ad celebranda ſacra, prout Miſſalis novi rubricæ, pro diverſis intra annum temporibus præſcribunt.

CAPUT XLI.

Viſitatorum notarii ſint clerici.

QUòd viſitatoribus injungitur, ut in viſitationibus quas fecerint, adhibeant notarios clericos, & non laïcos, cùm id poterunt, & quòd ſint perſonæ quę conveniant.

CAPUT XLII.

Syndicatio viſitatoribus danda.

QUòd viſitatoribus conſtituatur ſyndicatio officiorum & munerum quæ gerunt, ubi expedire videbitur, aſſignando eis terminum competentem.

CAPUT XLIII.

Clerici decimas nec locent, neque conducant.

QUòd parochi Doctrinarum Indorum non locent decimas ſuarum Doctrinarum, per ſe, nec per interpoſitas perſonas, propter damna ſpiritualia, corporalia, & temporalia, & occupationes quæ inde ſequi poſſent, juxta Concilium Provinciale anni MDLXXXIII. & ſchedulam Regiæ Majeſtatis datam Valliſ-oleti die 10. Februarii MDXCVII. cæterique clerici ſervabunt diſpoſitionem juris, ne fiant conductores, attendentes ad id quod in hac materia graves, doctique viri reſolvunt de clericis locantibus decimas.

CAPUT XLIV.

Declaratio conſtitutionum Antiſtiti reſervata.

QUòd in dubiis circa hanc, vel alias Synodos per nos celebratas, eorum ſolutio & declaratio nobis reſervata ſit.

CAPUT XLV.

Parochi & vicarii habeant conſtitutiones.

QUòd omnes Indorum, Hiſpanorumque parochi, & vicarii habeant hanc Synodum authenticatam per bacchalaureum Didacum de Morales, notarium publicum noſtrum

* Conc. Limen. anni 1583. Act. 5. cap. 21.

ſtrum, & non per alium quemcumque notarium, quamvis etiam noſter ſit, interim dum aliud per nos diſpoſitum non fuerit, intra octo menſes primæ publicationis ejuſdem Synodi, vel priùs, ſi priùs poterunt, ſub pœna, quòd cum toto rigore juris, & ad exemplarem demonſtrationem contra ipſos procedetur.

CAPUT XLVI.

Poteſtas delegata eas exſequendi.

NOſtris proviſori, viſitatoribus, vicariis, & parochis, cæteriſque judicibus Eccleſiaſticis, quibus hujus Synodi conſtitutiones ordinavimus, & in illa contentum injunximus, licentiam damus, & committimus vices noſtras, ad omne id, & ei annexum, vel ab eo dependens. Et ut notarios, fiſcalem, & reliquos neceſſarios miniſtros nominent: & ut cum omni juris ſeveritate procedant, etiam, cum opus fuerit, per cenſuras: & ad fulminandum cauſſas in omnibus quæ præcedentes Synodos, vel iſtam illis prohibita non fuerint, quantum de jure poſſumus; ita ut in omnibus exoneretur conſcientia, ac Deo debitum præſtetur obſequium.

CAPUT XLVII.

Examinatores Beneficiorum.

SAcri Generalis Concilii Tridentini, &c. *ut in Synodo præcedenti cap.* 45. in hac Synodo nominamus examinatores Beneficiorum & Doctrinarum, Doctorem D. Joannem Velaſquez Archidiaconum, Doctorem D. Matthæum Gonzalez de Paz Scholaſticum, Doctorem D. Stephanum Fernandez Voz-medianum Cantorem, Doctorem Antonium de Molina, Doctorem D. Joannem Diaz de Aguilar, & Licentiatum Batholomæum Menacho, D. Ferdinandum Guzman, Doctorem Andream Diaz de Albrego, & canonicum Chriſtophorum Sanchez de Benido, & Licentiatum Joannem Garcès de Andrada Penſionarium, & Beneficiarios Joannem Sanchez de Prado, Joannem de la Roca, Benedictum Fernandez, & Alphonſum Menacho, Doctorem Alphonſum de Huerta, & Cathedraticum, qui eſt, vel fuerit, linguę generalis in Univerſitate hujus civitatis.

CAPUT XLVIII.

Judices Apoſtolici.

JUxta decretum ſacri Concilii Tridentini, &c. *ut in Synodo præcedenti cap.* 46. judices Apoſtolicos nominamus, Doctorem D. Petrum Muñiz Decanum, Doctorem Joannem Velaſquez Archidiaconum, Doctorem D. Stephanum Fernandez Voz-medianum Cantorem, Doctorem D. Matthæum Gonzalez de Paz Scholaſticum, D. Chriſtophorum Medel Theſaurarium, Dignitates noſtræ ſanctæ Eccleſiæ hujus civitatis Regum.

CAPUT XLIX.

Teſtes ſynodales.

SAncti Patres juſtè & ſanctè, &c. *ut in Synodo præcedenti cap.* 47. *per totum.*

Hortamur proinde, requirimus, & præcipimus omnibus & quibuſcumque perſonis, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, exiſtentibus & habitantibus in hoc noſtro Archiepiſcopatu, ad quas ſupradicta pertinebunt, quòd à die primæ publicationis conſtitutionum hujus Synodi, ac deinceps, eas pro talibus conſtitutionibus ſynodalibus noſtri Archiepiſcopatus teneant in omnibus & per omnia, nec earum tenorem & formam ullatenus excedant. Eoſdem admonentes, quòd contra tranſgreſſores cum tota Juris ſeveritate procedetur, etiam, cùm opus fuerit, per cenſuras. Et omnia ſupradicta providemus & ordinamus per viam conſtitutionum ſynodalium, & reformationis, & per omnem aliam meliorem viam, per quam de jure poſſumus. Et præcipimus ut publicentur & legantur in noſtra ſancta Eccleſia Cathedrali, & in reliquis partibus, quibus conveniet; & ut noſtri vicarii faciant eas publicari in ſuis diſtrictibus, & habeant vim & vigorem conſtitutionum ſynodalium, quæ nos illis damus, quantum ad earum validationem requiritur.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ad honorem & gloriam Dei Domini noſtri, die 16. menſis Julii, anno MDCII.

Gratis. *T. Archiepiſcopus Regum.*

De mandato ſuæ illuſtriſſimæ dominationis,

Baccalaureus Didacus de Morales.

Indictio futuræ Synodi.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus &c. *ut ſuprà eodem tenore cum literis convocatoriis Quintæ Synodi, in fine Synodi Quartæ pag.* 444. *præterquam quòd decima nunc futura Synodus convocetur ad diem* 16. *menſis Julii, anni MDCIV. Diem triumphi ſanctæ Crucis ad civitatem Regum.* Dat. die 16. menſis Julii, anno MDCII.

Gratis. *T. Archiepiſcopus Regum.*

De mandato ſuæ illuſtriſſimæ dominationis.

Baccalaureus Didacus de Morales.

SYNODUS X.
DIOECESANA

Celebrata in civitate Regum, die 31. menſis Julii anno MDCIV.

NOS D. Toribius Alphonſus Mogrovexus &c. *ut in ſuperioribus Synodis.* Cujus Synodi convocatio fuit ad diem 16. menſis Julii hujus præſentis anni MDCIV. diem triumphi ſanctæ Crucis. In qua dicta Synodo ordinavimus & ſtatuimus conſtitutiones ſequentes, quas præcipimus & volumus obſervari & adimpleri, ſecundùm quòd, & eo modo, quo in ipſis continetur.

CAPUT I.

Parochi poſt reſignationem Beneficii miniſtrent ſacramenta.

QUòd quando aliqui Hiſpanorum vel Indorum parochi commutaverint, vel reſignaverint ſuas parochias, noſter proviſor dabit ipſis facultatem adminiſtrandi ſacramenta, tam Matrimonii, quàm cætera, ſicuti faciebant ante commutationem vel reſignationem, uſque dùm cum effectu ſuppetat, & adſit alius parochus ſucceſſor in ejuſmodi parochiis. Injungimus autem, ut omnes ejuſmodi ſint, ut ſacramentis miniſtrandis, & officia parochi omnia præſtando ſufficiant.

CAPUT II.

Oleum & Chriſma in ſingulis Eccleſiis ſervanda.

QUòd parochi in ſingulis Eccleſiis ſuæ parochiæ habeant vaſa olei & Chriſmatis fideliter cuſtodita, ne opus ſit ea ex uno oppido ad alterum ferre.

CAPUT III.

Teſtes baptiſmi fideliter adnotandi.

QUòd Hiſpanorum Indorumque parochi in conſcribendis libris baptiſmi, ſimul cum nominibus patrinorum ſcribant ſemper nomina teſtium.

CAPUT IV.

Idem illicò poſt hoc & alia ſacramenta faciendum.

QUòd iidem parochi, poſtquam miniſtrârunt ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, vel Matrimonii, tunc ſtatim in ipſis libris deſcribant nomina baptizatorum, confirmatorum, & conjugum, abſque ulla temporis dilatione, nec ea memoriæ ſuæ, vel ſolutæ ſchedulæ committant, vel alio modo differant, ſed in ipſiſmet libris illicò deſcribant.

CAPUT V.

Porochi non exerceant prædia:

QUòd Doctrinarum parochi, qui in ſuis Doctrinis habebunt prædia, vulgò *chacras*, vineas, vel alia bona (cappellaniæ memoriarum, vel anniverſariorum) ea per ſeipſos non adminiſtrent, ſed aliis locent, vel per tertias perſonas adminiſtrentur, ut ipſi officio ſuo paſtorali liberè fungi poſſint, & alia ceſſent incommoda.

CAPUT VI.

Ne ea conducant.

QUòd Indorum parochi non adminiſtrent, vel conducant vineas, hæreditates, vel alia bona ſuarum Doctrinarum Eccleſiis, vel Confraternitatibus annexa, accipientes pro ſuo labore aliquam eorum partem, ſed ea locent, vel per alios adminiſtrent, ne doctrinæ, vel curæ paſtorali dignè exercendæ obſtaculo ſint.

CAPUT VII.

Matriculæ ſacramentorum non committantur laïcis.

QUòd parochi non tradant correctoribus, vel aliis miniſtris ſæcularibus, libros matrimoniorum, & baptiſmatum; ſed ſi aliqui eos videre voluerint, id fiat præſente paro-

co-

ocho. Nec' teſtimonia ſine parochi aſſiſtentia ex eis extrahi permittatur.

CAPUT VIII.

Populus ad Miſſas & doctrinam quomodo convocandus.

QUòd parochi, cum fiſcalibus, & aliis miniſtris, per oppidorum ſuæ Doctrinæ calles omnes diſcurrant, ut parochianos ad Miſſam & doctrinam Dominicis & diebus feſtivè colendis ducant, omnes in cœmeterio congregando, & conſtituendo ad portas Eccleſiæ, qui ſingulos ex matricula nominatim vocent, ducente quolibet Indo præfecto ad id conſtituto, Indos ſuæ curæ commiſſos, prout per conſtitutiones hujus Archiepiſcopatus jam ſancitum eſt. Hortantes locorum Correctores, & eorum officiales, ut ad hoc concurrant.

CAPUT IX.

Quomodo etiam ad confeſſiones.

QUòd Indorum parochi, ex parochianorum ſuorum matriculis vocent Indos ad confeſſionem, non relinquentes ipſorum Indorum arbitrio, ac diſpoſitioni liberæ, ut ad hunc effectum accedant.

CAPUT X.

Oblationes ubi & quando faciendæ.

QUòd Indorum parochi non inſtituant oblationes ante vel poſt Miſſam, in Eccleſia, nec minùs extra illam in cœmeterio, vel alio loco: ſed ſolùm tempore offertorii, juxta laudabiles conſuetudines hujus Archiepiſcopatus.

CAPUT XI.

Liberæ eſſe debent.

QUòd neque *Caciqui* ſeu Indorum primores, nec prætores, nec fiſcales, nec alii miniſtri pro Indorum doctrinis colligant oblationes de domo in domum, ad eas parochò tradendas, contributiones ejuſmodi oblationum inter Indos exigendo. Nec Indorum parochi ſe ſic faciendo interponant, nec eos per matriculam ad offerendum vocent.

CAPUT XII.

Nec per præconem indicendæ.

QUòd Indorum parochi, etiam in diebus oblationum, non faciant eas per præconem indici, nec id conſentiant, vel fieri permittant.

CAPUT XIII.

Nec directè vel indirectè cogantur.

QUòd Indorum parochi per tertias perſonas non faciant parochianos ſuos ad offerendum ſurgere: nec locum dent vel permittant ulli, ut eis jubeat, vel ſurgere, aut ad oblationem accedere faciat, vel ullam vim directè vel indirectè, eis ad offerendum inferant; ſed ut offerre, vel non offerre, in libero ipſorum arbitrio relinquatur.

CAPUT XIV.

Parochi idoneos ſacramentorum adminiſtros adhibeant.

QUòd Indorum parochi, cùm ipſis expedire videbitur, aliis Indorum parochis concedant, ut ſuorum parochianorum confeſſiones excipiant. Eiſque injungimus, ut ejuſmodi facultatem, cùm concedenda ſit, non niſi viris integræ idoneitatis concedant. Et quòd pœnitentes peractę confeſſionis ſchedulas à confeſſario ſubſcriptas ferant, juxta Decretum Concilii Provincialis anni MDLXXXIII. ſeſſ. 2. cap. 15. in quo ſancitur, quòd Epiſcopi ſubinde conſtituant Indis confeſſarios extraordinarios, propter cauſſas ibidem recenſitas.

CAPUT XV.

De caſibus Archiepiſcopo reſervatis.

QUòd parochi in ſuis Eccleſiis habeant pendentem tabulam caſuum nobis per hujus Archiepiſcopatus conſtitutiones reſervatorum. Et quòd in iiſdem Eccleſiis, diebus Dominicis & feſtivis ſemel, ſed tribus diſtinctis præconiis publicentur, ut ad omnium notitiam perveniant. Caſus autem reſervati ex conſtitutionibus hujus Archiepiſcopatus deſumpti ſunt ſequentes.

Caſus Archiepiſcopo reſervati.

I. REſervamus nobis abſolutionem Hiſpanorum, qui non ſolverint decimas & primitias: & eorum qui illis obſtiterint, vel eos impediverint, vel cauſſam dederint quòd Indi, vel alii qui decimas & primitias debuerint, eas non perſolvant.

II. Item reſervamus nobis abſolutionem Hiſpanorum, qui vendiderint *Chicha* ſolius *Zoræ*, vel miſtam *Yucâ*: & eorum Hiſpanorum, qui dederint vel vendiderint Indis *Guarapo*, ſeu potum ex aqua & melle exterſionis primi vaſis, vel muſtum, ut id bibant.

III. Item illorum, qui Indos contra ipſorum voluntatem in diebus feſtivis laborare faciunt in ſuis fundis & laboritiis. Et eorum, qui ex ordine, vel mandato dominorum, in admi-

nistratione ejusmodi operarum & fundorum, vel caussa & persuasione ipsorum, per se vel per interpositas personas, eos ad id compellunt.

IV. Item absolutionem Correctorum seu Prætorum, qui Indos diebus Dominicis & festivis laborare fecerint, vel in ejus rei caussa fuerint, quòd ad doctrinam non accedant, aut quòd mariti fugiant à suis uxoribus, aut uxores à maritis, ut non possint ducere vitam conjugalem, vel quòd propter illos labores & prædia non frequentent doctrinam: ita ut nullus sacerdos absque nostra licentia possit illos absolvere.

V. Item Correctorum, œconomorum, administratorum, vel aliorum quorumcumque, exceptis Indis, Mulatis, & Æthiopibus, qui in sua prædia & lucra expenderint, vel occupata retinuerint, directè vel indirectè, per se vel per interpositas personas, bona Ecclesiarum, fabricarum, hospitalium, confraternitatum, sacellorum, vel piorum locorum; ita ut à nullo sacerdote absolvi sine nostra facultate possint.

CAPUT XVI.

Ecclesiastica pecunia cura.

Quòd acquisitiones, quas fecerint visitatores & vicarii sive ex condonationibus, sive pro seminario, seu ex aliis effectibus, scribantur in duobus libris, quorum unum teneat vicarius, & alterum notarius, ab eorum utroque subscriptos.

CAPUT XVII.

Clarè ac distinctè conscribenda.

Quòd quando vicarii ad nos, vel nostrum provisorem in hanc urbem mittent pecunias ad seminarium pertinentes, id cum omni distinctione & claritate faciant, exprimendo à quibus, & à quo, in quod tempus ipsam acceperint. Eademque distinctione & claritate scribatur in rationibus exigendis de dictis effectibus, per nos vel nostrum provisorem, vel alium cui committetur. Ipsaque pecunia statim reponatur in arcam trium clavium ad hoc destinatam, præsentibus ejus clavigeris, & nobis, ac nostro provisore, & ab omnibus in libro seminarii subscribatur.

CAPUT XVIII.

Ara sacra solis linteis sternatur.

Quòd quando celebratur Missa, nec storeæ nec lectisternia, seu laneæ lodices supra sanctum lapidem sternantur; sed omnia linostina, ut præscribit Missale.

CAPUT XIX.

Sacerdos celebraturus inspiciat altaris paramenta.

Quòd quando sacerdos celebraturus est Missam, videat an in altari sit ara sacrata, & adsint tria tobalia linea, per Missale præscripta, & si ara tabulæ inserta sit, an fortè tabula sursum, & ara deorsum versa sit, ut ita reperiat, vertat, ad Missam ritè faciendam.

CAPUT XX.

Ara sacra linteo insuatur,

Quòd parochi habeant sacras aras linteo insutas, ut à laïcis tangi non possint.

CAPUT XXI.

Suppeditanea crucibus insignita non sint.

Quòd in suppeditaneis, & pavimentis altarium, vel similibus locis non sternantur tapetes, in quibus depictæ sint cruces.

CAPUT XXII.

Sacra Eucharistia pro locorum opportunitate servetur.

Quòd parochi [a] in omnibus suis Ecclesiis servent sacratissimum Eucharistiæ sacramentum, ubi decenter & commodè, & cum bona custodia fieri poterit. Interea verò dum commodum non fuerit ipsum in omnibus Ecclesiis habere, habeatur in templo oppidi, in quo parochus præsens aderit, eo modo, & secundùm quod ordinatum est in constitutionibus hujus Archiepiscopatus.

CAPUT XXIII.

Clavis tabernaculi nulli laïco committenda.

Quòd clavis tabernaculi sanctissimi sacramenti, nullo unquam tempore tradatur vel concredatur ulli cujuscumque qualitatis laïco; sed ipse sacerdos eam servet, & retineat in bona custodia.

CAPUT XXIV.

Censuræ generaliter publicatæ singulos afficiunt.

Quòd censuræ generales, postquam publicatæ fuerint, nulli personæ in particulari notificentur, sed sufficiat ipsa publicatio in Ecclesiis facta, procurando in hac par-

[a] Conc. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 21. 25. 26.

parte evitare damna, controverſias, & incommoda, quæ ſequi poſſent, opinantibus illis quibus ſic notificaretur ſe gravatos eſſe.

CAPUT XXV.

Cruces in locis ſordidis ne pingantur.

QUòd non apponantur cruces in atriis domorum, nec angulis, aut cœmiteriis, vel locis turpibus, ad ea ab immunditia vel ſordibus defendenda: ſed ſerventur in locis decentibus cum debita reverentia, ut ratio poſtulat. Et cruces in ſordidis illis locis jam poſitæ auferantur.

CAPUT XXVI.

Ad ſignum ſalutationis flectamus genua.

CLericos & laïcos in Domino hortamur, ut cùm datum fuerit ſignum ſalutationis angelicæ, ad recitandum *Ave Maria*, genuflectant extra tempus Paſchale.

CAPUT XXVII.

Prabendarii in capitulo legant conſtitutiones.

QUòd Præbendarii ſingulis annis, ſaltem ſemel, faciant, ſe ipſis præſentibus in capitulo, legi conſtitutiones Conciliorum Provincialium [b] anni MDLXVII. & MDLXXXIII. in hac civitate celebratorum, ut in ipſis fieri decretum eſt, & per Præſulem injungitur.

CAPUT XXVIII.

Et Regulam Conſuetam.

UT ordinationes contentæ in Regula Conſueta, facta in hac civitate anno MDXCIII. juxta decreta ſacri Concilii Tridentini, memoriâ non excidant, & unuſquiſque ſuę ſatisfaciat obligationi; Decano, & capitulo hujus noſtræ ſanctæ Eccleſiæ injungitur, ut diebus Veneris cujuſque ſeptimanæ, dum capitulum congregatum fuerit, pergant eas ordinationes & capitula ejuſdem Conſuetæ legere: & omnia publicentur, ne quiſquam earum ignorantiam prætendere poſſit, eo modo & ſecundùm quòd ſic ordinatum eſt, ut fiat, cap. 46. ejuſdem Conſuetæ. Ipſoſque in Domino hortamur, ut id adimpleant, & ad debitam exſecutionem perducant.

CAPUT XXIX.

Sacerdotes nullo ferè loco vel tempore ſumant tabacum.

QUòd ſacerdotes [a] poſt Miſſam non ſumant tabacum in Eccleſia, ſacriſtia, choro, plateis, vel vicis; nec domi aut frequenter in aliis locis publicis, ultra prædicta. Nec ante Miſſam ullo modo, prout in conſtitutionibus hujus Archiepiſcopatus decretum eſt.

CAPUT XXX.

Miſſæ intra monialium cœnobia non celebrandæ.

QUòd in monaſteriis monialium Miſſæ intra clauſuram ipſarum non celebrentur, ſive ad dandum viaticum, ſive ob aliam cauſſam.

CAPUT XXXI.

Sacella ad Miſſas aperta ſunto.

QUòd ubi ex ſacellorum fundatione, quicumque ſacerdotes Miſſas in eis celebrare poſſint; illi qui eorundem ſacellorum curam gerunt, ea ad hoc aperta habeant.

CAPUT XXXII.

Parochi ſe mutuò juvent.

QUando duæ Doctrinæ ſibi vicinæ fuerint, & ſacerdos unius non poterit celebrare duas Miſſas in duabus diſſitis Doctrinæ ſuæ curæ paſtoralis; parochus alterius Doctrinæ vicinus Eccleſiæ alterius oppidi, in quo ſecunda Miſſa dicenda fuerit, tunc poterit ſecundam ſuam Miſſam celebrare in illa Eccleſia oppidi alterius Doctrinæ.

CAPUT XXXIII.

Cadaverum effoſſores plectuntur.

QUoniam Concilium Provinciale anno MDLXVII. in hac civitate celebratum, par. 2. cap. 103. circa id quod ad Indos pertinet, ſub præcepto decrevit, ut ſequitur: Quòd nemo audeat effodere corpora defunctorum Indorum, quantumvis infidelium, nec ipſorum invertere ſepulchra; Epiſcopis in hac Synodo renovantibus decretum Clementis III. qui excommunicationis pœnam ſepulchrorum perturbatoribus imponit; ſi quiſquam auſus fuerit dictorum defunctorum corpora effodere, & effoſſa relinquere, ut à canibus vel volucribus devorentur; is in excommu-

[b] Conc. Limen. anni 1583. Act. 4. cap. 24.

[a] Cõc. Limen. an. 1583. Act. 3. cap. 24. & Synod. Diœc. IX. cap. 18

municationis latæ ſententiæ, & centum peſorum pœnam incurret. Proinde nos omnibus ad quos pertinebit injungimus, ut illud decretum obſervent, attendentes ad pœnam & cenſuram in eo poſitas.

CAPUT XXXIV.

Providetur copiæ confeſſariorum.

PRoviſor & vicarii noſtri, in quorum diſtrictibus erunt Doctrinæ, vel Conventus regularium, & convenerint Hiſpani vel alii non Indi; dare poterunt, & dabunt licentiam parochis ſæcularibus ſui diſtrictus, ut ſacramenta miniſtrare poſſint, & miniſtrent Hiſpanis, Æthiopibus, Mulatis, Zambahigis, & Meſtizis, aliiſque perſonis non Indis; excepto quòd matrimonium non adminiſtrent ſine licentia Ordinarii, vel parochi ſæcularis quem habuerint: ipſique vicarii pariter illis miniſtrent ſacramenta præter matrimonium, niſi ad hoc etiam habuerint licentiam ab Ordinario vel proprio ipſorum parocho ſæculari, vel noſtram. Et circa vagantes homines in matrimonio ſervetur decretum [d] ſacri Concilii Tridentini.

CAPUT XXXV.

Proceſſiones parochiales Limæ.

QUòd in omnibus parochiis hujus civitatis proceſſiones corporis Chriſti ducantur per omnes calles totius parochiæ: injungentes, prout injungimus, quòd ipſi calles ad id decentes ſint, & quòd in proceſſione incedatur cum devotione & ſilentio quæ ratio requirit.

CAPUT XXXVI.

De officio ſacriſtani.

QUòd ſacriſtani habeant tabulam rerum, quas facere debent, & obſervare in hac civitate, & in toto hoc Archiepiſcopatu noſtri diſtrictus, extractam ex Regula Conſueta, & conſtitutionibus hujus Archiepiſcopatus, ut in forma ſequenti.

Singulis ſeptimanis apponent mundas mappas &c. *Omnia habentur in ipſa Conſueta cap.* 28. & 29. *exceptis paucis quæ hîc ſequuntur.*

Quòd cùm ſacriſtani non fuerint ſacris ordinibus initiati, tum parochi lavent, & lavari faciant ſingulis menſibus corporalia, purificatoria, alioſque pannulos miniſterii altaris, & calicum pallas, ſingulis ſeptimanis, & albas, amictus, ac tobalia per ſingulos menſes.

Quòd, quando ſanctiſſimum ſacramentum defertur ad infirmos in oppidis Hiſpanorum, ſacriſtanus cum incenſario præcedat.

Quòd ſacriſtani Eccleſiarum Hiſpanorum vel Indorum pulſent & pulſari faciant campanas meridie, & noctu pro animabus defunctorum.

Quòd ſacriſtani aſſocient parochos, quando exierint ad miniſtranda ſacramenta: & Miſſam celebraturos ad induendum juvabunt. Et crucem ac lanternam cum accenſa candela præferent, quando illi vadunt miniſtratum ſacramentum Extremæ-unctionis.

Quòd nec ſacriſtani, nec alius cui incumbat paramenta celebraturis ſacerdotibus miniſtrare, ea ulli concedant, qui non afferat biretum, quo tectus ad altare procedat.

CAPUT XXXVII.

Feſta & jejunia Limenſia.

QUòd parochi in Eccleſiis habeant tabulam feſtorum ab Hiſpanis & Indis colendorum: & dierum jejunii ex Conciliis Provincialibus, conſtitutionibus ſynodalibus, & Regula Conſueta hujus Archiepiſcopatus deſumptam, in forma ſequenti.

Feſta per Hiſpanos obſervari præcepta in Concilio Provinciali anni MDLXXXIII.

Omnia habentur in ipſo Concilio Act. 2. cap. 19.

Feſta in hac civitate ſervari juſſa per conſtitutiones ſynodales, & Regulam Conſuetam hujus Archiepiſcopatus.

SAncti Sebaſtiani in urbe & agro, Sancti Marcelli in urbe & agro, commemoratio Sancti Paulli in urbe ſola, & non in agro, Sancti Blaſii, in urbe ſola, & non in agro, & feſtum Exſpectationis in oppido Yca.

Feſta quæ in hac civitate Regum coluntur ex conſuetudine.

SAnctorum Coſmæ & Damiani in hac civitate ſola, & non in agro, Viſitatio Dominæ noſtræ in urbe & agro, S. Annæ in urbe ſola, & non in agro, S. Dominici in urbe ſola, & non in agro, Sancti Auguſtini in urbe ſola, & non in agro, S. Franciſci in urbe ſola, & non in agro, Exſpectatio Dominæ noſtræ in urbe ſola, & non in agro, Sanctorum Innocentium in urbe. Ultra hos ſi fuerint alii feſti dies per approbatam conſuetudinem, vel per legitimum privilegium introducti; ii etiam, quiſque in locis ſuis, devotè colantur.

Fe-

[d] Seſſ. 24. cap. 7. *De reformat.*

Feſta per Concilium Provinciale anni MDLXXXIII. ab Indis obſervari juſſa.

OMnia habentur in ipſo Concilio *Act.* 4. *cap.* 9.

*Dies jejunii in Concilio Provinciali anni M D-LXVII. par.2.cap.*191. *Indis præſcripti.*

DIes Veneris Quadrageſimæ, vigilia Nativitatis, & ſabbathum ſanctum.

CAPUT XXXVIII.

Vicarii & parochi habeant authenticum exemplar Synodi.

QUòd omnes Hiſpanorum Indorumque parochi, & vicarii habeant iſtas conſtitutiones authenticatas per Ægidium de Alarcon, notarium noſtrum publicum, & ſecretarium, & non per alium quempiam notarium, quamvis etiam noſtrum, interim dum aliud per nos diſpoſitum non fuerit in contrarium, intra octo menſes poſt primam publicationem hujus Synodi, &, ſi poterunt, etiam priùs, ſub pœna, quòd cum toto rigore juris contra ipſos procedendum ſit.

CAPUT XXXIX.

Pœnæ non taxatæ relinquuntur arbitrio judicum.

QUòd pœnæ harum conſtitutionum tranſgreſſoribus infligendæ, & per conſtitutiones provinciales, vel diœceſanas hujus Archiepiſcopatus non aſſignatæ, ſint penès arbitrium judicis, qui ſententiam in cauſſa protulerit.

CAPUT XL.

Dubia Archiepiſcopo reſervantur.

QUòd ſi dubium aliquod circa has conſtitutiones occurrerit, ejus declarationem reſervamus nobis.

CAPUT XLI.

Examinatores Beneficiorum.

IN *forma ſuperiùs in aliis Synodis deſcripta* nominantur canonici doctorales & Magiſtrales. Doctor Joannes Diaz de Aguilar canonicus, Doctor Joannes Sanchez de Prado, Magiſter Benedictus Fernandez, Licentiatus Alphonſus Menacho, Doctor Joannes de la Roca, Magiſter Didacus Ramirez, Licentiatus Chriſtophorus de Narvaëz, Licentiatus Joannes Garcès portionarius, magiſter Don Joannes de Vargas, magiſter Fr. Joannes Martinez cathedraticus linguæ generalis in hujus urbis Univerſitate.

CAPUT XLII.

Judices Apoſtolici.

IN *forma ſuperiùs in aliis Synodis deſcripta* nominatur Doctor D. Petrus Muñiz Decanus, Doctor D. Joannes Velaſquez Archidiaconus, & canonici doctorales & magiſtrales, & Provincialis ac Prior Ordinis ſancti Dominici.

CAPUT XLIII.

Teſtes Synodales.

SAncti Patres juſtè & ſanctè &c. *eodem tenore verborum quoad formam conſtitutionis & perſonas, ut ſuprà cap.*47. *Synodi VIII.*

Quapropter exhortamur, requirimus, & mandamus omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, exiſtentibus & habitantibus in hoc noſtro Archiepiſcopatu, quòd à die primæ publicationis hujus Synodi, ac deinceps, has ejus ordinationes habeant, teneant, obſervent, ac exſequantur, tanquam ejuſmodi conſtitutiones Synodales hujus noſtri Archiepiſcopatus, in omnibus & per omnia, ſecundùm quod, & in forma quæ in illis, & earum qualibet continetur, & tanquam res etiam per viam viſitationis factas, & ſpectantes ad correctionem & reformationem morum: nec earum tenorem & formam ullatenus excedant, ſub pœnis in eiſdem contentis. Monentes quòd contra tranſgreſſores ſeverè procedemus cum omni rigore juris, & cùm opus fuerit, per cenſuras. Et omnia ſupradicta ſic decernimus, & ordinamus dictis noſtris proviſori, vicariis, & parochis, & ad id quod ipſis ordinavimus in iſtis conſtitutionibus, licentiam damus, & noſtras vices ipſis committimus, omni meliori via qua de jure poſſumus. Et præcipimus, ut publicentur & legantur in noſtra ſancta Eccleſia Cathedrali, & in reliquis partibus, ubi expedierit; noſtrique vicarii, unuſquiſque in ſuo diſtrictu, eas publicari facient. Et habeant vim & vigorem conſtitutionum ſynodalium: quia nos ea ipſis damus, quantum ad ipſarum validationem requiritur.

Abſolutæ ſunt iſtæ conſtitutiones ad gloriam & honorem Domini noſtri Dei, in civitate Regum 31. die menſis Julii anno MDCIV.

Toribius Archiepiſcopus Regum.

Gratis.

De mandato ſuæ illuſtriſſimæ dominationis.

Ægidius de Alarcon Not. Secret.

Convocatio Synodi ad annum MDCVI.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrovexus &c. *ut in fine Synodi Quartæ, eodem tenore cum convocatoriis Quintæ Synodi* ad diem 31. mensis Julii anni MDCVI. Datum in civitate Regum tricesima prima die mensis Julii MDCIV.

Gratis. *Toribius Archiepiscopus Regum*
De mandato illustrissimæ dominationis,
Ægidius de Alarcon Not. Secret.

EGO Ægidius de Alarcon, Apostolicus, auctoritate Apostolica & auctoritate Illustrissimi Archiepiscopi horum Regnorum per eorundem Regnorum Archiepiscopatum publicus notarius, & ejusdem D. Archiepiscopi secretarius, legi & publicavi in Ecclesia Cathedrali civitatis Regum, die 31. mensis Julii anni MDCIV. constitutiones & convocatorias Synodi Diœcesanæ, quam sua Illustrissima Dominatio celebravit in hac civitate Regum, & quæ absoluta fuit dicta die suæ publicationis, præsente sua illustrissima dominatione pluviali & mitra induto, ac præsentibus pariter Decano & capitulo Ecclesiæ Cathedralis ejusdem civitatis, & quibusdam ejus, & altarum parochiarum parochis, præcedentibus solennitatibus pontificalibus in ejus celebratione & progressu, & in congressibus qui facti sunt in domo Archiepiscopali durante dicta Synodo adstiterunt multi cum potestate absentium, & etiam in personis propriis aliqui parochi Doctrinarum, & venerunt & consenserunt unanimes & conformes in dictas constitutiones, quarum in dicta retroscripta Synodo fit mentio. Atque, ut de eo constet, dedi præsentes in dicta civitate Regum dicta die 31. Julii & anno MDCIV. & feci meum signum in testimonium veritatis, & in fidem subscripsi.

Ægidius de Alarcon Not. Secret.

CARDINALIS DE AGUIRRE

LECTORI S.

ABSOLUTA est jam Collectio Conciliorum Hispaniæ ac Novi Orbis, clave aurea Synodorum, quas coëgit Beatus TORIBIUS MOGROVEXUS, Archiepiscopus Regum, sive Limensis, Præsulum exemplar mirum, cujus supremam & solenniorem apotheosin quotidie exspectamus ab hac sancta & Apostolica Sede. Possemus hoc loco plurima & eximia proferre in laudem ipsius, & virtutum planè heroïcarum, quibus primùm Hispaniæ, dein verò Peruvianis regionibus longè ac latè refulsit, quà opere, quà verbo, quà Conciliis editis, cum ingenti innumerabilium animarum fructu, usque ad diem vicesimam tertiam Martii, anni MDCVI. Cœnæ Domini sacram, in qua, non absque cœlestibus signis, glorioſissimam mortem, jam sæpiùs à se prædictam, obiit. Verùm cùm jam plures libri superioribus annis, tam Romæ quàm Antuerpiæ editi fuerint, quibus vita ipsius admiranda latè exhibetur; noluimus hoc loci illam repræsentare. Esset enim præter institutum nostri Operis, & planè superfluum, cùm prædicti libri, tam Latino sermone, quàm Hispanico editi, præ manibus ferè omnium sint.

Solùm itaque placuit hoc loco, veluti pro coronide, exhibere insignem locum ex S. Gregorio Nysseno mutuatum Tomo III. editionis G. L. Parisiensis anni MDCXXXVIII. Oratione habita, sive Ἐπιτάφιῳ, in funere magni Meletii Episcopi Antiochiæ, cui initium: Ηὔξησεν ἡμῖν τὸν ἀριθμὸν Ἀποστόλων ὁ νέος Ἀπόστολος; &c. Porrò locum ipsum Nysseni optimè adaptavit Magister Cyprianus Herrera Augustinianus eidem B. TORIBIO in ejus Vita Romæ edita anno MDCLXX. adjunctis quibusdam de suo verbis diverso charactere, ut meliùs accommodarentur huic instituto. Quasi Limenses, immo & omnes illius Novi Orbis incolæ, in morte TORIBII, perinde ac Antiocheni in obitu magni MELETII, dicere potuerint: *Auxit nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, qui cooptatus est in ordinem Apostolorum. Traxerunt enim Sancti ad se moribus consimilem: athletam, athletæ: coronati, coronatum: animo castum, corde puri: præconem sermonis, ministri sermonis. Verùm pater quidem noster Apostolici contubernii, & ad Christum resolutionis nomine beatus*

tus habendus eſt, nos verò miſerabiles. Orbitas enim præmatura non ſinit, ut eo nomine beatos nos dicamus, quòd tam bonum & commodum patrem nacti eramus. Illi melius erat per reconciliationem eſſe cum Chriſto. At nobis acerbum & moleſtum paterno præſidio patrocinioque carere. Quis nobis hac denſa atque obſcura triſtitiæ nebula diſcuſsa, rurſus ex ſerenitate clarum felicitatis radium exhibebit? Sed unde radius elucet novo Peruviano mundo *cùm ſua ſtella* Limæ noſtræ *ecciderit? Laborat infirmitatibus commune corpus Eccleſiæ* civitatis Regum, *& medicum non invenimus: magna voce calamitatem amiſſi patris deploramus: ſed quare ſi obſcura nox ortum luminis ſplendidioris ſpirat? Quia ſi ſtella ſpiravit, natus eſt inter cœlites Sol refulgentiſſimus.* Verum eſt, *quod è* Peruvica *terra fuit* Antiſtes noſter Toribius *translatus ad empyreum,* ut piè credimus oves; *ſed memoriam ſuarum virtutum pro doctrina reliquit, populos congregans* in Occidente *gentiles, Eccleſiam erudiens, dæmones & idola arcens & fugans* ab Indis, *angelos reducens pacificos, rogans à Deo pro nobis utilia, variorum morborum medicina officinam efficiens* Limam, *portum eorum qui afflictionum tempeſtatibus jactantur. Pauperum abundans ærarium & copioſum, & viatorum quietum diverſorium.*

Tu verò huc jam ades ad nos, ubicumque tandem fueris, ſive in ſublimi æthere habitas, ſive per cœleſtem aliquem circulum verſaris, aut in choros angelorum cooptatus Domino adſiſtis, & cum Virtutibus & Poteſtatibus, ut fidelis ſervus parumper ab iis officiis vacationem deprecatus, veni ad hos qui te honorant inviſibilis amicus. Multorum beneficiorum indigemus: intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem. Nam locus mortis juſtorum patria eſt: Cives item & fratres, & cognati, qui habent eum & honorant. Timemus afflictiones, pericula exſpectamus, pro conſervis utere libertate loquendi, qui futuri temporis petimus præſidium & ſecuritatem.

Quòd ſi majori opus fuerit advocatione, fratrum tuorum coge chorum. Admone S. Roſam de S. Maria, Beatum Franciſcum Solanum, jam propè ſolenniſſimæ apotheoſi vicinum, cæteroſque Dei ſervos Peruvianos, *& cum omnibus unà deprecare multorum juſtorum preces, ut multitudinum ac populorum peccata luant. Roga Petrum, excita Paullum, Joannem item Theologum* tuæ Metropolitanæ Eccleſiæ Titularem, *ut pro Eccleſiis, quas conſtituerunt, ſoliciti ſint, pro quibus catenas geſtârunt, pro quibus mortem tulerunt, ne ſimulacrorum cultor adversùm nos caput tollat, & ſicut ſpinæ vineæ ſuccreſcant, ne zizanium editum ſuffocet triticum; ſed virtute tuæ ſociorumque tuorum deprecationis, ò vir admirande & excellens, Chriſtianorum Reſpublica campus ſegetum reddatur: qui campus ad finem uſque maneat in pingui fertiliſque arvo Fidei in Chriſtum, ſemper fructum edens æternæ vitæ, qui contigit per Jeſum Dominum noſtrum, cum quo Patri ſimul & Spiritui ſancto gloria, imperium, & honor, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum amen.*

Omnia ſub correctione S. Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ.

FINIS.